BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
E
13
NAPOLI

LEGATORIA
Miola Salvatore
Via Giovanni Paladino, 19
NAPOLI

Digitized by Google

ANDREÆ CHRYSOSTOMI IN ZAŁVSKIE ZAŁUSKI,

Primò Kijovienſis, poſtea Plocenſis, & nunc Varmienſis.

EPISCOPI,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPIS,

DUCIS SIELUNENSIS,

TERRARVM PRVSSIÆ PRÆSIDIS,

ET SUPREMI REGNI POLONIÆ CANCELLARII.

EPISTOLARUM HISTORICO-FAMILIARIUM

TOMVS TERTIVS.

GESTA IN POLONIA TOTIUS DECENNII AB ANNO 1701.

CONTINENS.

BRUNSBERGÆ

ANNO SALUTIS MDCCXI. TYPIS MANDATUS.

Digitized by Google

LECTORI.

AGO & pergo, quâ cœpi viâ. Concordem faciunt exordia finem. Non potuit hoc ſine adminiculo Numinis fieri, quia ultra ſpem & opinionem meam, omnia in eo poſſum, qui me confortat, nullum inchoo, quod non & finiam opus, nec dicere poſſunt iniqua loquentes: Venerunt usque ad partum, & virtus non erat pariendi.

Facio, quod in itinere fieri ſolet, qui tardiùs exierunt, velocitate penſant moram, ita quando aliquod tempus vacabat, otium in hoc honeſtum negotium convertere placuit, cum illa in opere ſuo occupata ſolicitudo ingens oblectamentum in hac habuerit occupatione. Non doctrinæ ve-

rò oſtentandæ causâ,ut arguit Euſebius,ad ſcribendum me applicui, ſed ne ſuperſederem profuturis; nullus per otium dies exijt, omnes alias curas hæc una occupavit, ut memóriam æternam his, qui poſt me futuri ſunt, relinquerem, dedecus arbitratus inceptis deſiſtere, referre pedem, paſſu non ſtare tenaci.

Etſi inter occupationes catenatas Miniſterij mei curæ impediverint,quo minus in hoc labore omnem curam ac diligentiam conſumerem, accommodavi me tamen,& tradidi, ne præſentium temporum ſeries, atq; veritas lateret poſteros,de quibus mereri volui, hæc quæ ſcio, non erubeſcendo confiteri cum Ariſtotele, me neſcire, quod neſcio, ſtylo, memoriæq; mandando, ſum etenim,ſi gloriari licet, quanquam non expediat, ſollicitudine non piger, ſpe gaudens, in tribulatione patiens, impendendæ ſalutis, nec impenſæ pœnitens, ubi vita eſt pro Patria impendenda.

Non pœnituit laboris,quanquam ſæpius ignaviæ ampliſſima merces,induſtriæ nulla.

Crevit mihi animus ipsâ rerum difficultate, & quamvis ſinguli dies aliquid ſubtrahebant viribus, non tamen ſenſi in animo

mo ætatis injuriam, cùm ſentirem in corpore, & utrum poſſit adhuc aliquid à me agi, an non poſſit, expertus ſum. Non mutavi ſententiam, nec modum ſcribendi; Nam Apollinis oraculo is bonus vir judicatus eſt, qui non tum hoc, tum illud, ut pleriq; (qui negotia urgent, differunt, aut mutant, pro modo rei privatæ, ad quam omnia metiuntur) ſed qui idem dicit, & facit ſemper. Summopere dictum Ageſilai mihi placuit, hic admonitus, ipſe ſibi parceret ob incertam fortunam: At ego me, inquit, ipſum aſſuefacio, ut in nulla mutatione admittam mutationem.

Timeo tamen LECTOR bone, ſis ipſe judex, nam ego index tantùm, ne dum curris ad frumentum, paleas offendas: Nam ſcio hac affectum ætate, meliora his, quæ prius edita, & fortè cum aliquo applauſu excepta ſunt, afferre non poſſe. Si deteriora protulero, gloriæ meæ multum decedet, hoc enim iter deſtinatum aſſequi arduum eſt. Natu jam grandior, minusque perferendis laboribus idoneus, credo, me veſperam prætergreſſum, & in conſpectu eſſe ſenectutis, imò jam vereor, ne ſenectutem poſt me reliquerim, quamvis adhuc

inter decrepitos & extrema tangentes, non me vellem numerare, dũ non univerſo pondere ſenectus incubuit. Atteritur nihilominus caro, & liqueſcit, neq; quas attulimus ad res arduas vires, ſpirituũ more referimus.

Debilitavit imprimis me ſeries immenſa laborum, & ſi non omnes ſenectus vires ademit, ſævientis tamen fortunæ vis & malignitas plura inopinata, plura ſubita ita immiſit, ut neſciam, an quis in majores poſſit incidere calamitates, quàm quas ego pertuli, quas vix lingva exprimere, vix calamus ſcribentis poſſet exarare.

Sed neq; id ego fortunæ imputo, quamvis neſciam cauſam, ſed ipſius Rectori & Dominatori omnium DEO, cujus eſt, in quemcunque voluerit uſum, vaſa formare. Conſcientiæ noſtræ teſtis eſt Dominus. Hoſtes habere ſuave eſt, ſed quos virtute facis. Fumum mox flamma diſſipat, dies noctem, invidiam gloria. Cauterium videtur eſſe vulnus, & reverà eſt vulnerum remedium. Vexatio videtur eſſe malum, & ſæpe mali remedium eſt.

Æſtimo ergo ſingula famâ remotâ, & quæro, quid ſint, non quid vocentur. Multas cùm paſſus fuerim (extra Patriam aliquan-

quando,extra me nunquam) nullas ſenſiſſe anguſtias viſus ſum, injurias eò æquius tolerans, quò ab Inſtigatoribus meis injuſtiùs inferrentur. Perfectam inimicorum deſævientiũ audaciam,tolerantiæ ex neceſſitatis impulſu inevitabili fregi armis. Non ſum proinde,qui fueram,perijt pars maxima noſtri. In tã tenui valetudine adversâ fortunâ fractus, cui vires conſumptæ abiêre ſenectâ, reſpondere expectationi LECTORIS omnino me non poſſe ſcio. Audeo tamen ſcribere,in multis ſcribendi brevitate utens, ut compendio ſim copioſior, nam ſicut per proclive currentium,non ubi viſum eſt, gradus ſiſtitur, ſed incitato corporis pondere ſe rapit ac longiùs,quàm voluit, effertur, ita & mihi in ulteriori Hiſtoriæ contextu ſepoſitis Pòëtarum Metaphoris,& abdicato lenocinantis Eloquentiæ ornatu, ſimplici ſed propriâ & competente verborum phraſi veniunt enarranda,more eorum, qui fluminibus innatant, & non eunt, ſed feruntur.

Dedi me quandoq; referentibus,ſed non captavi dubia pro certis,non modò ſatis eſſe credidi, quid factum eſſet, pronunciare, ſed etiam quo conſilio, quáq; ratione geſta

eſ-

eſſent, demonſtrare. Continui me intra meos fines, nec illa alta, profundiora, ſecretiora ſcandebam, ne, ut imperitus tegulandi, è ſublimi caderem ridendus.

More autem interim meo palàm facio, quòd ſicut in alijs, quæ edidi, ſic & in hoc tomo, qui fortè ultimus erit, nihil omnino approbo, niſi quod à Catholica Eccleſia tantum decretum atque aſſertum eſt, ſemper paratus contrarium ſentientibus veritate duce refragari: ac proinde de patrocinio ſupremæ in Terris Poteſtatis certus, de venia, ſi quid (quod omnino abnego) incautius irrepſerit, ſecurus, de abſolutione, ſi hæc veniret neceſſaria non dubito.

Metus, odium, favor, tria Hiſtoricorum ſunt vitia, quanquam Gregorius Magnus quatuor numerat. Timorem, dum metu alicujus Poteſtatis veritatem loqui pertimeſcimus; nam metus exercitam quoque eloquentiam debilitat. Cupiditatem, dum præmio alterius animus corrumpitur. Odium, dum contra adverſarium aliquid molimur. Amorem, dum amico, vel propinquo præſtare auxilium contendimus. Arguitur Vellejus ſuſpectus in Cæſares adulationis, Seneca durioris ſcriptionis, Cicero

Atti-

Attici ſui nimiæ dilectionis. &c.

Ego ſine ullo metu offenſæ, Hiſtoricæ profeſſionis ſtudium colo, & ad veritatis ſcopum, velut ad magneticæ pyxidis ductum navigantes ſolent, filum narrationis meæ circumduco, non obnoxius cuiquam, ut immeritos laudem; non injurius ulli, ut præclarè facta ſupprimam. Ex compilatis noſtri temporis memorialibus hæc compoſui, & id in ante, confiteor ingenuè, laturum me æquiori animo odium propter veritatem. Non celo quidquam, tanquam pavidi Scriptores, aut nimium blandi, ubi poſſum, bonos laudo, ſin minus, tranſeo. Non accuſo quenqam, niſi publici criminis reum. Venitorem ago, cui ubere vindemiâ, ut dulces, aut acidæ uvæ ſunt, reconduntur omnes uſui, eo, quo natura ſapore dotaverit. Et mihi eodem modo conſtituunt Hiſtoriam, qui geſsêre; trado ego, illi materiam operi, fidem laboremq; commodo. Vera, pura, & ab omni imagine falſitatis ita aliena, ut dimotis fallacium affectionum tenebris, ſplendorem veræ lucis quisq; poſſit agnoſcere. Ea memoriæ mando, quæ aut laude, aut vituperio digna noſtra tulit ætas. Nemo procuratam à ver-

bis commendationem, à gratia laudes, ab aſſentatione encomia ſperet. Nemo imperatum à timore ſilentium, ab odio vexam, à malignitate Aſteriſcum, arbitretur. Sincerâ veritatis indagatione nemini cedere volo, unde ſi non merui laudem, culpâ me caruiſſe arbitror. Dum narro veriùs, quàm orno & amplifico, ſincerè quò ad veritatem, ſimpliciter, quò ad ſtylum, rerum transactarum ſeriem, ſolo boni publici motivo trado. Decet enim cunctos homines Patriæ ſuæ augmenta cogitare, maximè eos, quos ſibi Reſpubl: ſummis honoribus obligavit, cui in teſtificanda cura & ſolicitudine de incolumitate ejus nec minimam occaſionem omitto, & deſiderarem, ut ita poſſim, quàm volo. Quia omnia mihi detrahi paterer potiùs, quàm amorē Patriæ, in quo vellem reſiduum annorum meorū conſumere.

Ideoq; honeſtati præſentis propoſiti, & futuræ ætatis utilitati hunc laborem, adhortantibus multis, ſuſcipere non recuſavi, quanquam hoc opus judicio multitudinis imperitæ aut elevabitur, aut premetur, aut varijs reprehenſionibus mordebitur. Hæc conditio ſcribentium omni ævo

fu-

fuit, negligi, ſperni, premi. Aſſurgit contrà virtus, & in gloriæ argumentum omnem ſævientis lingvæ & calami vim & malignitatem convertit. Tantò magis, quòd tutela veritatis, quaſi Ajacis clypeo hæc munita in hominum oculos prodeant, tuta, nec vituperonum lingvas cote livoris (ut eleganter ille) naturaliter acuminatas, & aſpidum morſu nocentiores reformident. De reliquo invidi non attendunt, quid fecerim, ſed in quo defecerim.

Induunt illi maledictionem ſicut veſtimentum, quibus libido eſt malè loqui, vanitatem potiùs oſtentantes ingenij, quàm ſensûs veritatem. Latent tenebræ vel ſeipſas, ſed vident, quæ alij non vident. Habet quippe hoc Hiſtoriæ pelagus ſuas ſyrtes, charybdesq;, quia illud raro deſtituunt venti odij & malignitatis. Quibuſdam canibus innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. Non ubiq; tutum vera loqui, ubiq; tamen ſuâ vi palmã & victoriam, teſte Gregorio, reportat veritas. Si perſequentur ergo inimici, gloria, ſi detrahent, lucrum erit. Malevolorum telis nemo magis obnoxius, quàm qui maximè ſublimis eſt. Narrant Cecropes quos-

dam Epheſi fuiſſe notæ fraudulentiæ viros, qui ſuis dolis conati ſunt ipſi Jovi imponere. Si ergo aliquis vitium operi meo aut commodabit, aut imprimet, aut inſcienti allinet, minus habebo; ſpero enim, quòd ſi aliquis error fuerit, dabunt veniam poſteri, cui gratiam dare non poterunt. Audiant interim, qui malè loquuntur de melioribus, Hieronymum: quando detraho fratri meo, lingvâ meâ interficio eum.

Apud Poſteros habebo gratiam, dum duratura nomina educam, quemadmodũ Virgilius duobus memoriam promiſit, & præſtat. Nomen Attici perire Ciceronis Epiſtolæ non ſinunt; nihil illi profuiſſent gener Agrippas, & Tiberius Progener,& Druſus Cæſar Pronepos inter tam magna nomina taceretur, niſi Cicero illum extuliſſet. Si gloriâ tangeris, inquit ille, notiorem te Epiſtolæ meæ facient,quàm omnia iſta, quæ colis & propter quæ coleris.

Si imagines nobis amicorum abſentium jucundæ ſunt, quæ memoriam renovant, & deſiderium abſentiæ falſò atque inani ſolatio levant: quantò jucundiores debent eſſe hæ. Epiſtolæ, quæ vera magnorum ho-

hominum veſtigia, veras notas afferunt. Quàm multos clariſſimos ſuis temporibus viros ſcriptorum inops delevit oblivio, quanquam & ipſa ſcripta cum ſuis Authoribus premit longior atque obſcura vetuſtas, nec qui ſcribit, longum ſcriptis proferre ſibi credat nomen in ævum. Nónne Majores noſtri pleni gloriæ, optimæ famæ, quorum virtus etiam nunc vitia noſtra ſuſtentat, ita abiêre, ut etiam nunc vix memoria apud nos extet?

Implevi omnem numerum perfectæ diligentiæ, ultimum de potentia tentando, nam in iſto tomo ſubſiſtam, hærebo, deficiam,nec ulterius progredi volo. Non quia non multùm reſtet operis, reſtabit certè multum, nec ulli præcluditur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. Non quia diſpendij aliquid inde poſſit proficiſci,quia credo plus emolumenti, ſi non in præſens, certè in futurum, ſi non nobis, at ſaltem poſteris veniret, ſed quia inprimis vellem inter vitæ negotia, mortiſque diem, ſpatium aliquod intercedat, deinde quia à nobis indumento verecundiæ multa pudenda velari deberent, & ego mecum decrevi, nunquam officium Diſſimulatoris

exercere, & tam mirabilia legenti, quàm mihi triſtia ſcribenti eſſent. Laudare non poſſum, quem amare Patriæ bonum vetat, non me ludit inanium imago rerum. Hodiernum ævum nihil aliud dixerim, quàm omnium errorum præteritorum receptaculum & ſentinam, omniumque humanarum calamitatum additamentum.

Ætas parentum vidit, quid in pace optimum, nos quid in bello deterrimum, experimur. Laſſàt infeſta fata omnibus major calamitatibus Polonia, circumſitæ Gentes, ac ſi ſtirpitus Sarmatiam eradicari oporteret, ſtudia, manusque deſtruendæ commodant. Exercitus & exoticus & Noſter lacrymâ populi reficitur, gemitu ſpirat, ſudore alitur. Quis præſentium malorum conſiderans crudam imaginem, ſolicitus de futuro magnas non ad morbum modò, verùm ad interitum quoque dolendas & erubeſcendas videns cauſas, quis Hieremias deplorare ſufficienter poteſt caliginem hanc, qui ſolus lamentationes calamitatibus exæquare novit. Libenter ſcriberem ulterius, ſi Polonis meis unanimes forent in

ar-

arma dextræ, ſi tumidæ ſpei mentes, & obcæcata mollis deſidiæ, minor eſſet umbra, ſed mens & calamus cadit, cùm omnia curamus magis, quàm nos ipſos in hac preſſura temporum. Scribere quis vellet de miſerijs Patriæ, cui partim metu, patim potentiâ affertur jam conſuetudo ſerviendi. Eccleſiarũ Patrimonia ſacrilegè invaduntur, ſacerdotum reditus intercipiuntur, fundationes auferuntur, & alia, dico iterum & alia miranda & miſeranda fiunt extremi mali indicia, ſcimus enim, quid jam olim, quid hodie in æquo eſt dolor amiſſæ rei & amittendæ, ſi Potentiæ Othomannicæ immolabimur. Ita Aſtra Sarmaticis inimica rebus, fata noſtris non bene partibus propenſa minantur. Et hæc ratio eſt, quòd prius remigaſſe, nunc à remigibus ceſſare volo, quod magnitudini tempeſtatis aſſignandum eſſe cupio, ubi etiam ſcientiſſimi Nautæ ac præſtantiſſimi Gubernatores perturbantur, & inopes conſilij fiunt. Nam remiges, quibus adversùs infeſtas, immenſasque undas eſt obluctandum, ubi quò tendas, ubi declines, incertum eſt, & in ipſo conatu inter ſe remi non modò

dò implicantur, ſed etiam ſæpe franguntur.

Verbô, multa occurrunt, quæ vituperabunt potiùs, quàm laudabunt Poſteri, ſed plura, quibus nec credere poterunt Nepotes. In tot ergo ſalebris difficultatum non ſcribantur Hiſtoriæ, cùm fiant, cùm & exprimendæ rei haud ſanè facilis patet via.

Finio proinde, & hanc Præfationem, & librum, vitamque brevi finiam voto Tullij: Nihil mihi à DEO immortali majus dari poteſt, quàm ut moriens Patriam meam liberam relinquam.

I.

ANDREAS CHRYSOS: ZAŁUSKI
Princeps, Epiſcopus Varm: & Samb.
CARDINALI BARBERINI,

ANNUS CHRITI 1701.

21mâ Januarij Seeburgô.

Actus coronationis Regis Pruſſiæ.

INitium Anni tibi gratulor, ut proſperè tibi decurrat, in intimis mihi votis eſt; fecundet illum feliciter hic, à quo omnia ſecunda, cunctaque fauſta promanant, nō verbis id, ſed corde apprecor. Cum novo anno nova vobis, Romæ certè inexpectata denuntio; formaliaque quæ mihi Regiomonto ſcribuntur, quanquam terminis fortè minus proprijs literis meis fideliter inſerenda judicavi.

Ad initium Menſis currentis intimatio Præfectis fortalitiorum & civitatum, facta eſt cum mandato, ut eàdem die exploderentur tormenta, campanarum pulſus fieret; inſuper pro eodem die in omnibus templis conciones ſupra textum ab aula datum intimatæ, adaptatum arcenſe Lutheranum templum, deſtinati miniſterio hujus actûs duo Prædicantes; unus eſt Urſinus Concionator aulicus Religionis, ut vocant, Reformatæ, alter doctor Sandius aulicus in templo Arcenſi Concionator primarius Lutheranus. Titulum Regis in Pruſſia Elector accepit. Die 17ma in vigilia coronationis inſtituit Elector, & jam Neo-Rex Ordinem novum, eumque 17 perſonis, filio Principi, fratribus duobus, Principi Holſteinio, 4tuor non jam ut ante Ducalis Pruſſiæ, ſed regni Regentibus appellatis Generalibus, Tettau, Barffus, Dönhoff, & alijs contulit.

Decimâ octavâ autem ſumptâ veſte rubei coloris auro contexta cum globulis adamantinis, paludamentum Regium holeſerici Cremoſini ex auro contextis coronis, & aquilis exquiſito labore; ipſemet in conclavi ſuo Coronam ſibi ſuper caput impoſuit, magnis plenam adamantibus; in vertice pomum cum cruce, & ſceptro, itidem ex adamantibus elaboratum erat, in manibus portando ſceptrum, ſupra quod aquila cum alis adamantinis coronaque, pectus ex rubino ingenti habens. Poſtquam ita coronatus ex ſuo exiverat conclavi, ad reſidentiam Reginæ declinavit, cui egredienti itidem pretioſiſſimam coronam ſuper caput impoſuit. Poſt ceremonias has privatim abſolutas, ingens ſtrepitus tympanorum, tubarumque auditus, & omnis ille apparatus ad vicinam arcis Eccleſiam optimo ordine progrediebatur. Præibant imprimis duo caduceatores, in veſtitu cæruleo, aquilis auro retro & antè contextis, veſtitus verò fuit ad normam caſulæ, quâ

 Rutheni

*A.C.*1701 Rutheni Sacerdotes ad altare utuntur; duo ſceptra ex ligno deaurata in manibus portabant, Sequebantur quinquaginta Staphyri, ſeu ſervi à pedibus in veſtibus cæruleis, cum aureis fimbrijs ſatis numeroſis, portantes in manibus pileos, itidem eum fimbrijs aureis; Hos ſequebantur alij duo Caduceatores eô quô primi veſtiti modò, cum ſceptris; poſt illos triginta Ephæbi Nobiles, ejuſdem coloris cærulei ut Staphyri, ſed multò ex auro ditiores; erant aliquot Hungarico modo in ejuſdem coloris veſtimentis, qui ſequebantur; pòſt aulici magnificè & ditiſſimè veſtiti octodecim, pòſt conſiliarij, judices aulici in ejuſdem coloris ſcilicet in holoſerici cærulei veſtibus comparebant, poſt hos Equeſter Ordo numeroſus, & pulchrè ornatus, ſequebantur Capitanei, Officiales, Deputati, ex civitatibus in veſtibus nigri coloris, ſine pallijs, cum gladijs tamen, uti & Profeſſores Academiæ Regiomontanæ, poſt hos Miniſtri Prædicantes octo in pallijs longis ex panno nigro, quos comitabatur immediatè Urſinus conſecrator cum Sandio in togis, uti ſupra innui, ſequebantur Mareſchalci aulæ cum ſcipionibus argento circumductis. Poſt hos cameræ Ephæbi, cameræ ut vocant Domini, Generales Exercitus & alij, poſt illos Regentes Pruſſiæ cum ſuis inſignibus, tandem Princeps Olſtienenſis, Princeps filius à comite Dönhoff manu ductus, Mareſchalci magni cum ſcipionibus argenteis, ſupra quos erant aquilæ itidem argenteæ, tandem Neo-Rex ſub Baldachino coloris Cremoſini auro intertexto, ſupra quod multæ aquilæ, coronæ plurimæ ex auro erant elaboratæ, ſex Generales baldachinum hocce portârunt, extremitatem autem pallij ſupremus Camerarius Comes de Wartenberg. Sequebatur immediatè Regina ſub ſimili per õnia, ut Rex Baldachino, extremitates veſtis portatæ à Pricipe Olſteinia, 4tuor autẽ primariæ matronæ extremitates portabãt paludamẽti, ducebatur Regina à fratribꝰ Regis Adalb. & Chriſt. Brãdeburgicis, ſequebatur Princeps Curlandiæ cum filio & Gynecæum Reginæ. Præcedebant hanc P occaſionem Helveti ſub vexillo ditiſſimo ſatis numeroſi, & magnificè veſtiti, viginti quatuor Tubicines veſtiti ad normam Ephæborum tubas argenteas portantes cum velis aureis, tympana argentea erant, Eccleſia erat ſatis adordinata, ſcamna ut in dialogis fieri ſolet, diſpoſita, rubeoq; panno coopetta; viciniora verò throno Regis, holoſerico, ſicuti & terrã, quã à throno ad altare Rex procedebat, cui impoſitus Crucifixus, duo candelabra argentea ſine candelis ara altaris ſine mappis, ex omnibus partibus holoſerico circumducta, in medio pulpitum itidem holoſerico coopertum; ſicuti & ambona. Inter altare & thronum pendebat Baldachinum magnum & ditiſſimum ex auro, coronæ & aquilæ inſigniaque domûs Brandeburgicæ erant elaborata; Duo throni cum tribus gradibus holoſerico coopertis ad normam ſedium, in quarum vertice duæ perſonæ jacentes deauratas coronas tenebant; Super has ſedes duplex baldachinum æquale ex holoſerico, auroq; elaboratũ. Super duplex Baldachinum duæ aquilæ vivæ, fulmina una, altera ſceptra alligata portabat. Prædicantes miniſtri Religionis Reformatæ & Lutheranæ circa altare ſtabant; Poſt illos Miniſtræ Auguſtanæ confeſſionis ſat numeroſæ; in medio altaris Conſecrator cum Aſſiſtente facie ad Majeſtates converſi. Throno regio aſſidebat in parvo & inferiori ſedeli Princeps Filius, penes Reginam verò Marchiones Brandeburgici, ex qualibet parte erant quatuor Drabanti cum armis in manibus; In primo ſcamno ſedebant miniſtri, Cæſareus, Danus, Hannonianus. Circa thronos varij variæque; Cum verò omnes jam ſederent, ſtrepitui tympanorum tubarumq; indictum ſilentium; Urſinus verò Conſecrator poſt humilem Majeſtatum venerationem ſtando ante altare dixit; Ingrediantur benedicti Domini Rex

noſter.

noſter & Regina in virtute DEi noſtri, ſitque illorum ingreſſus & exitus benedictus ante Dominum ex hoc, nunc, uſq; in ſæculum per Chriſtum D. noſtrum Amen. Poſt hæc Chori in tribus partibus diſpoſiti concertabant, unam Lutheranam cantionem canentes cum adjutorio etiam totius populi; poſtquam dixit aliquam devotam orationem Doctor Sandius, & cantato *Gloria in excelſis*, conſcendit cathedram Urſinus, & germanicè concionatus ſuper hoc thema: *Quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum.* Poſt concionem cantati ſunt varij verſus ex Pſalmis Davidicis; tandem *Veni Creator* idiomate germanico, quod antequam finitum fuiſſet, deſcendit Rex ex throno ad altare, & flexis genibus depoſuit coronam ex capite, ſceptrum ex manibus, recepit Unctionem à Conſecratore in fronte & humeris, quā exterſit Comes de Wartenberg linteo, quod poſt reddidit Conſecratori, qui pro finali adjecit ſuas benedictiones; Chorus interim utriuſque ſexûs plauſum addebat, quo durante receſſit Rex ad thronum ſuum aſſumptâ coronâ & ſceptrô, & Regina à Marchionibus conducta acceſſit ad altare poſt factam humillimam Regi reverentiam; eodem ritu uncta ab Urſino, & Princeps Olſtinia exterſit linteo, Conſecratori poſt reddito. Cantatæ interim à Choris variæ cantilenæ, Regina ad thronum ſuum receſſit; Conſecrator, Aſſiſtens, & Prædicantes alij poſt trinam adorationem felix imperium ore Conſecratoris Regi & Reginæ gratulabantur. Repetitum iterum *Gloria in excelſis*, poſt quod finitum Conſecrator voce clara intonuit: Timete DEum, honorate Regem & Reginam. Poſt quod cantatus Pſalmus *Benedic Domine domui* &c. poſt quem publicam fecit orationem Sandius, & Conſecrator benedictione datâ finivit, poſtquam germanicè cantatum *Te DEum laudamus*; & dato ſigno in omnibus Eccleſijs pulſus campanarum auditus, per totam horam, tormenta exploſa, & ſupremus Pruſſiæ Burgrabius Generalem veniam publicavit omnibus incarceratis, exceptis ijs, qui crimine læſæ Majeſtatis, & ære alieno ſunt obnoxij; Poſt has cæremonias eodem ordine, quo venerant, ex Eccleſia abierunt. Interim diſpoſiti Pedites, Equiteſq; in Curia Regia ſclopeta ſua exploſerunt; Cùm in Palatium ingreſſæ Majeſtates, liber omnibus apertis portis conceſſus ingreſſus, pannus qui ab Eccleſia ad Palatium erat extenſus à populo direptus; Theſaurarius in equo albo pecuniam in auro & argento non ſine lite colligentium projiciebat. Horâ 2dâ poſt meridiem in coronis & paludamentis iverunt ad menſam, & ſub duplici Baldachino per omnia primis ſimili conſederunt; in parte dextra ſedebat Princeps Filius & Marchio Albertus, in ſiniſtra Princeps Curlandica, & Marchio Chriſtianus, feneſtræ erant occluſæ, candelabra ex auro puro magna erant numero quatuordecim candelas præferentia, Regi aſſiſtebat ad menſam Comes à Wartenberg, Reginæ Princeps Olſtienia; Omnis apparatus menſæ erat ex auro puro, inter multiplices choros, tormentorumq; boatus. Duravit prandium uſq; ad 4tam horam; Candelabra plena candelis per totam illam ingentis magnitudinis ſalam argentea deaurata viſa ſunt. Poſt receſſum Majeſtatū plures quàm viginti menſæ paratæ erant, ubi nobilitas tractabatur. In area bos integer aſſabatur, cujus fruſtum à Præfecto culinæ amputatum, Regiq; in aureo orbe portatum, & poſt in direptionem datus ille bos cum ea præcautione, quod ille, qui cornua, quæ erant deaurata portaverit, præmium viginti talerorum habiturus eſſet, aliquot vaſa ingentia vini in holocauſtum furenti & debacchanti ceſſit plebi. Sub veſperam non tantùm domus civitatis, ſed etiam turres Eccleſiarum, portæque illuminatæ erant cum expoſitione variarum arbo- A.C.1701

*A.C.*1701 rum, imaginum, figurarum ante domos cum emblematibus. Pulchrum erat oculis non tantum exterorum, ſed & Neo coronatarum Majeſtatum ubiq; per civitatem diſpoſitum ſpectaculum, quod in comitatu ducentarum fere rhedarum non ſine ſpeciali gaudio videbant, & gloriabantur in honore Majeſtatis, ſuæ. Ignes artificiales, venatio & alia in alios dies dilata. &c.

II.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI, 22. Januarij.

Conſilium Varſaviæ habitum de coronatione Regis Pruſſiæ

ITa eſt, ut audiviſti aliquid obſcurè & per nebulam. Coronatio ſub titulo Regis in Pruſſia 18 currentis perfecta eſt, in quod uſque adhuc toto voto ferebatur, re jam præſtitit Elector Brandeburgicus. Quid gratius illi accidere potuit ad metam eunti? mitto tibi brevem ſed accuratam actûs hujus deſcriptionem in copia literarum Cardinali Barberini ſcriptarum, ubi leges ad hilaritatem compoſita omnia, fuerunt gratulationes, vota, feſtivitates, joci, ſuſurri, & quidquid magnarum eſt deliciarum, & Regiæ pompæ, rerumque prudens, ſecundis temporibus dubijsque rectus, quid factum fuerit, vide, lege, judica. DEus nos ſpiritu ſuo gubernet, virtute fulciat, præſidio tueatur.

Conſilium Varſaviæ eadem die fuit, quid faciendum ad impediendam iſtam coronationem, deliberare re non integra, ſed jam facta an convenit? *Conſilium Varſaviæ* Lectaque eſt ante omnia declaratio Electoris adhuc anno præterito facta, quæ omnimodam ſecuritatem continet, quòd hic Regius titulus nihil præjudicij juribus noſtris allaturus ſit. Ego neſcio, DEUS ſcit. Cum verò ex turno loqui in illo conſilio debui, dixi *muſtarda* (latinum verbum mihi non occurrit) niſi ſinapi dicere velis, ſimile eſt, ut dicunt Galli, *poſt prandium*, cum id jam factum ſit, mane enim ſurgere in conſvetudine Elector habet, nos conſulimus, quomodo ſit impediendum, ne fiat, herba Anthenis quò magis deprimitur, eò latius ſe diffundit, palma quò gravius oneratur, eò fortius aſſurgit, olet flagrantius, aromata ſi atterantur, ſpirant odoratius, hic eſt verus caſus, id jam obtinuit, cui reſiſtere non poſſumus, ac proinde nunc non modò facile nos pati, ſed etiam gaudere demonſtremus, efficiamuſque ut Elector coronatus, quem ſpero optimum fore, ſit etiam melior operâ noſtrâ, à quo multa ſperanda bona in rem Reipub: ſi volet, nihil timendum mali, quia non audebit. In eodem conſilio commemoravit quiſpiam Dameolis dictum ſapiens, nolentibus enim Athenienſibus divinos honores Alexandro decernere: videte inquit ne dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis. Addidi in eodem conſilio multa contra ſtatum præſentem Litvaniæ, famæ ſatisfactum putans, ſi conſcientiæ etiam meæ & officio ſatisfacerem, conſvetudinem vitijs inducimus niſi reprehendimus, honeſtius autem credo offendere, quàm odiſſe, quamvis ſciam difficile eſſe aulam noſtram ab eo, quod ſibi ſemel propoſuit retrahere, jam ſibi à civibus magnæ æſtimationis metuere doctam, quamvis nemo doctus unquã mutationem conſilij inconſtantiam duxit eſſe. Suſtinui tamen & vadum hoc tentavi publicæ famæ, votum meum & bonorum omnium explorantium omnia, videntium ſingula, commemoravi, ſtabuli Præfectum Patris & Patriæ delicium breve, explicui nihil gerendum eſſe, quod poſtea excuſandũ; ſvaſi rationibus fortiſſimis, hanc tam generalem promiſſionem datam à Sereniſſimo Rege illis, qui ſunt contra Domum Sapiehanam extradendarum literarum univerſalium, convocandæ nobilitatis abolendam eſſe. Magna hæc malorum eſt ſcaturigo conſvetudinis jam planè pravæ licentiosè

introducta, quæ per cuniculos irrepit verius quam irrumpit, & citius veniet inde periculum, cum contemnitur, proclivíorque uſus in pejora datur. Præſenti rerum fortuna aucta fiducia audebit ſemper majora. Legamus has univerſales literas, & inveniemus quod in illis ſemper plus intelligitur, quàm dicitur, plus inſinuant quàm inducunt, verborum non mole, ſed pondere æſtimanda, ictu ferientes inexpectato, & Rex non connivet modo ſed fert, probat, & applaudit, alienis oculis ac fide oberrans, imò diplomate confirmavit ſe in omnibus quæ propoſita haberent conficiendis, auxilio ipſis futurum, multis ſe ex nobilitate, ut qui proſpero Regis utebantur affectu adjungentibus, & legum ratione calcatâ, novam, nec ante auditam Reipublicæ formam inſtituentibus, cum Princeps beneficium alijs præſtando non intendere debeat alijs nocere, quomodo generaliter omnibus poſſunt concedi ea, quæ cuivis in ſpecie non ſunt concedenda, rei hujus pericula quantum tenuitas intelligentiæ meæ pervidere potuit, explicui, cum merito dici poteſt Litvania mare, quod tot ventorum imperia patiatur. Allegavi exempla quæ omnium Magiſtrorum præcepta ſuperant, Sereniſſimorum Anteceſſorum argumentum optimum uſu & ratione eſſe, quod tamdiu, & tam multis Regibus placuit, qui id ut pupillam oculi obſervabant, ne quis ſibi Regalia hæc uſurpare præſumat. Reduxi in memoriam avunculum meum Olſzovium Archiepiſcopum Gneſnenſem, qui dum Rex Joannes in grandi ſatis periculo ſub Zorawno à Turcis & Tartaris obſeſſus eſſet, impellente & urgente Reginâ Caſimira univerſales literas tanquam Primas ad Palatinatus minoris Poloniæ expediviſſet, ut Regi aſſiſtere quantocius non intermitterent. Nihilominus quantumvis in favorem Regis facta hæc, literæque univerſales ſatis cautè ſcriptæ fuerint & prudenter ſine minimo Regiæ dignitatis præjudicio, non ita tamen gratæ erant, ut credebantur, & malle ſe Rex periculum pati ab hoſte, quàm Regiæ authoritatis & prærogativæ vel minimam diminutionem à Primate palàm demonſtravit, quia hæc eſt prærogativæ Regiæ hæreditas, quæ neque eripi à quoquam, nec transferri ad alium poteſt, quæ nunc interveniente tempore, convaleſcente iniquâ conſvetudine tam leviter, tam inconſultè in Litvania conceditur. In die bonorum ne immemores ſimus malorum, uti in die malorum bona, id eſt dignitatem noſtram non obliviſcamur. Non dubito offenſiones me incurriſſe, quanquam nemo eſt tam timidus offenſarum, qui in illas etiamſi vitet, incurrat, odium virtute partum, & veritate gloriæ mihi duco, & ſuggero ſubminiſtroque ea ut debeo, ut non Senatorem tantùm, ſed & medicum agere videar, malo præſenti remedia propinans efficacia, ſi non ſucceſſerint, magnarum rerum etiamſi ſucceſſus non fuerit honeſtus, eſt tamen ipſe conatus, timeo enim ne eruptura ſint hæc aliquando in flammâ quæ facem præferant euntibus ad majora. Cum multa ergo exhortatione obſecravi & petij Regem numinis ritu regat orbem, placidaq; pace civibus otiari donet, omnia enim bella minantur excidium, inteſtina adferunt, ſecura ſcelera ſunt, quia vindicem non timent. Sicut paſtoris, ita & Principis non poteſt eſſe excuſatio, ſi lupus oves comedit, paſtor neſcit. Utque tanquam parens ſit communis, vires ejus magis ſentiant omnes ſubditi beneficijs, quàm injurijs, diſſimulatio autem & fortè conſenſus tacitus Regis ad movendos hoſce tumultus nemini (futura & impendentia conſideranti) arridere poſſunt, cum ſciamus nolle eum poſſe qui velle.

Valdè frigidè ab Eminentiſſimo Primate hæc materia tractabatur hocq; ſtatu qui una omnium voce deploratur, neque verbo ejus ſublevatus, cui quodlibet nunc in pretio magis eſt, nam more ſolito dum aliquid ab aula deſiderat, favorabilia & placentia dicere ſolet. Si verò quæris quid prætendat? non excutio tam deforme myſterium

A.C.1701

Literæ univerſales

Exempla Joannis III

Primas Regni

 rium

A.C.1701 rium nec Pr..... denudo, ne quid appareat riſu dignum. Dicam tamen tibi ut pulchrum aliquem adamantem præmium allati nuntij par Dominus ſuus juvenis Towianſki primæ ſecunda cauſa, acquirat, mittere eum deſtinavit Regiomontum, tanquam gemmulas contexendo huic panno, & floſculos huic telæ, cum gratulatione neo-Regi à noſtro, ut verò id conſequi poſſit, omnia permittit Regi. Adeo miro modo diſſentit utilitas à decoro. Et Domini Sapiehæ qui multum in gratia ejus confidebant, valde ſunt contriſtati. Nulla alia magis vitia hanc purpurā dehoneſtant, nihil prorſus aliud curat niſi agros, niſi divitias, niſi nummulos, niſi ut omnes qui in circuitu ſunt ab extra, & ab intra afferant munera deferendo potiùs Rempublicam, quàm rem familiarē, hanc curā curis omnibꝰ habet potiorem, unde creſcunt fœcunda malorum ſemina, quòd magno conatu nugas agat, hoc eſt omni niſu neglectâ omni aliâ quæ deceret Primatem ſolicitudine, non niſi fortunæ & utilitati Domini ſui junioris Towianſki ſe impendat, & videtur rebus etiam Reip: deſperatis de illo tantùm cum attentione ad rem & in rem ejus ſollicitus eſſe & ad naturam recidere ſuam, ut ſemper aliquid lucretur, quando ineſt novumque, bonumque ut ſcilicet à currente flumine tantum habeat, quantum haurire poteſt, cui nihil ſatis eſt, ei nihil turpe eſt exprobrabat Timotheus Ariophonti. Et nos interim deploramus damna omni æſtimatione majora, dum nova in dies ſubnaſcuntur pericula, & terrores, ille oblitus fati, quo humana jactantur, ſibi uni fortuitorum conſtantiam ſpondet, & publicis calamitatibus pro ſuo & ſummo utitur queſtu, præſentibus malis futura meliora ſperans. Cùm verò ab initio Rex negaſſet bene meritis conferenda eſſe ratus, quæ malè meritis adjiciuntur, quamvis aliàs ſævit fruſtrata ambitio, imò deſperata furere ſolet, tamen tunc non illum ſimplex repulſa terruit, tanquam rei privatæ conſtantem amatorem, quo minus iterum atque iterum deſcenderit in campum petitor, & arduum hoc opus non fruſtra tentavit, quanquam cum nominis ſui & famæ jactura. Sed de his literarius ſermo narrare ſingula non patitur. Quia verò Dominus Procancellarius Litvaniæ Sczuka (nulla mihi ſtatuent finem te fata canendi) multa contra hanc Coronationem dixit, Regemque cum publica manifeſtatione in conſilio rogavit, ne Electorem pro Rege unquam recognoſceret, valde illi Primas iratus eſt, ſed non licuit ordinata deſtruere, coactusque illas, quas nolebat inire vices, permiſſivè ſe habendo, & Primati ſe reconciliando. Iter ergo Dominus Nepos jam parat propoſitum, quis finis peregrinationis?

Scias me reſciviſſe ſecreto, omnes curas Regis in eo verſari, ut Domum Sapiehanam perdat, & ego qui multa in favorem eorum dixi, imò in favorem Reipublicæ prævidendo futura, valde à me alienatum Regis animum notavi: Voluit quiſpiam cadentem montem capite retinere, ſed & ipſe obrutus, nec mons à caſu impeditus. Succurras perituro, ſed ut ipſe non pereas. Non intermiſi tamen & boni civis & optimi amici partes, dum pericula inde Patriæ imminentia Illuſtriſſimo Pinatelli Nuntio Apoſtolico expoſui, petijque ut ea authoritate Apoſtolica amovere dignaretur, capax quidem ille, & multa bona facere potuiſſet, ſed reſpectus humani non permittunt dicere veritatem, & nunc molliſſima ſunt fandi tempora; ergo reſolutionem ſumpſi redeundi in Varmiam, domus me & rura noſtra delectant, unde hæc &c.

DECLARATIO ELECTORIS BRANDEBURGICI.

Fridericus III. DEI gratia Marchio Brandeburgenſis S. R. I. Archi-Camerarius & Princeps Elector Pruſſiæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliæ, Montium

tium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumq; nec non in A.C.1701
Sileſia Croſnæ Dux, Burgrabius Norimbergenſis, Princeps Holberſtadij, Mindæ & Camini, Comes de Hohenzollern, Marcæ & Ravensbergi Dominus in Ravenſtein, Lavenburg, & Butow, &c. &c.

OMnibus quorum intereſt, notum facimus, cum titulum & dignitatem, quibus ante plura ſæcula Ducalis noſtra fulgebat Pruſſia reaſſumendum meritò cenſeamus, præſenti hoc diplomate firmiter valituro fide verboq; Electorali declaramus, nihil ex hac Majeſtatica prærogativa Pruſſiæ noſtræ, quæ nunc Ducalis appellatur, præjudicij inferendum, nec inferri poſſe juri ac poſſeſſioni Regalis Pruſſiæ, qua Sereniſſimus Rex & inclyta Reſpublica Poloniæ gaudent, neque ullam in eandem Pruſſiam Regalem prætenſionem à nobis ac ſucceſſoribus noſtris inde vindicandam, pacta quoq; Bydgoſtienſia perpetui fœderis inter Sereniſſimam Regiam Majeſtatem, inclytamq; Remp: & nos inita, præcipuè verò articulum VI, quo cautum eſt, ut deficientibus maſculis ex linea legitima Divi quondam Domini Parentis noſtri deſcendentibus Ser. Regibus & Reip. Polonæ jus ſuum integrum, in prænominatam Pruſſiam Ducalem plenè, ac ſacroſanctè ſervandū, nec ullatenus vel in toto, vel in parte à nobis, ac ſucceſſoribus noſtris infringendum, aut violandum. In quorum fidem præſentes manu noſtrâ propriâ ſubſcripſimus, & ſigillo Electorali roborari juſſimus. Coloniæ ad Svavam die 30. Novembris 1700.

(*L.S.*) Fridericus Elector.

III.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARMIEN: & SAMB. CAROLO DUCI RADZIVILIO PROCANCELLARIO M.D.L. 27. Januarij.

Lapſui domus Sapiehanæ indolet.

LÆtatus ſum in his, quæ ſcripta mihi à te ſunt, dediſti honorem & ſolatium literas dando, quibus aliquot hebdomadis carueram, compenſaſti famæ de te ſilentis invidiam, eâque natam exemiſti ſolicitudinem, de incolumitate tua, quam non atteri, tot animi & corporis laboribus propè impoſſibile. Craſtina die conſilium futurum eſt cujus puncta à Sarnecki habebis. Ego mecum luctor, hinc miſeratione calamitatis, & Chriſtiana compaſſione animum ſubeunte, quē enim non moveat, tantæ, tamque pollentis domus, ad incitas, à ſummo ad imum, ſubita ruina, inde vivaci omnium apprehenſione, mentem occupante, quæ laudari & approbari impoſſibilia, Majeſtati utpote, libertati & unioni derogantia geruntur, & geſta ſunt in Litvania ingentium per univerſum orbem motuum cauſæ & origo non tam futura, quàm jam actu exiſtentia. Si non exceſſiſſet civilem modum illarum partium conſilium, fecundior intentis reſpondiſſet eventus, at verò dum ſtudio rei privatæ, negligentia publicæ, his rapiuntur honores, ut alijs dentur, idque non ex arbitrio Majeſtatis, ſed libitu ſuo, dum bona ſine figura judicij, iiſdem Judicibus & actoribus confiſcationi ſubjiciuntur, poſſeſſiones Nobilium nullo reſpectu indemnitatis habito, ad incitas rediguntur, jam quod latet in herba,

A.C.1701 ba, manifeſtatur in ſpica, & quod celatur in gramine aperitur in fructu, quod ſervitus mutata magis fuerit, quàm extincta, & ita augeſcunt hæ turbæ, & in iſto mari, quotidie majores fluctus, communi motu, quem non niſi Regibus, à comitijs ad comitia ſpeciali conſtitutione Reſpublica ſanxit, & decrevit, nobilitas convocatur, conjurationes expreſſo jure vetitæ conſurgunt, & his ſimilia attentantur: impoſſibile talia impugnantes non approbare, aut me ipſum non in contrarium niti, quia atrox hæc injuria, crimini proxima. Cuivis metuendum ab hoc præjudicato, ne ex hoc fonte omnia fluant mala, quia cuivis accidere, quod cuiquam accidit, poteſt, rejiciendum ergo, ſuperbæ quorundam Dominationis jugum. Efficaciora quandoque exempla, præſertim mala ſunt, quàm juſtæ leges. Id ex plenitudine affectûs tuæ reflexioni inſinuo, velis quod ſequitur ſpectare; quæ enim initio invalida ſunt, tractu temporis firmari nequeunt. Crede mihi vel cum ſangvinis diſpendio laborarem, ut ne tantum, illi conſilio tuum dediſſes nomen aut interfuiſſes, ſcis quàm omnia velim tuâ causâ. Quantum conjicio & colligo, nondum ita deſperata fortuna Sapieharum eſt, quamvis implexa infortunio continuo, nec ita jacet, ut conſurgere iterumque erecta ſtare nequeat, quis ſcit an vires non colligent, qui videntur cecidiſſe? pluribus præſertim, non tantum ex compaſſione, ſed etiam per reſpectum, ut futuris provideant, validam offerentibus aſſiſtentiam. Ego nihilominus pro affectu in te meo, quantum poſſum & potero, rem tuam ago, agamque, exiſtimo autem te minimè, juratam fidem violaturum, etſi de fervore remiſeris. Sanæ enim Theologiæ is ſenſus eſt, juramentum contra charitatem proximi factum non tenere. Dabis veniam meo in te non fucato, nec mutato unquam affectui, quo factum eſt: ut quod mihi in Domino videbatur, exprimerem confidenti ut aliàs calamo & corde, quia tempeſtas eſt, ex qua hic emergit, ille ſuffocatur. Alter ſecurus qui tempeſtivè metuit. Jędrzejowienſis confœderatio, toto cœlo differt. His curſim intimatis conſtanti me tuæ gratiæ commendo.

LITERÆ PRINCIPIS CANCELLARII M.D.L. RESPONSORIÆ AD LITERAS PRINCIPIS VARMIENSIS.

Literis tuis nunc me primùm reſpondere partes: occupationes meæ, & iter ad Comitiola Breſtenſia in cauſa fuerunt. Redux illinc redeo ad dilatum tantiſper officium, ſolitamq; tibi venerationem exſolvo. Nihil verò novorum, quod quidem te dignum ſit habens (nam in his terris omnia priſtinum ſtatum retinent) ad contenta literarum tuarum illis reſponſurus accedo.

Attonitus planè conſtiti, ubi tibi acta omnium Ordinum M.D.L. nullo prorſus Palatinatu & diſtrictu exceptis (omnium enim unum velle & nolle fuit, & etiamnum eſt terra unius oris & labij) non probari intellexi, eoq; inſuper argumento uſum legi, quo inferres quæcunq; illic acta fuiſſent, in præjudicium Majeſtatis, libertatis & unionis acta fuiſſe. Quod ad libertatem attinet, violatam illam aut labefactatam non memini: cùm nullam habuerimus, ſi qua illa fuit nonniſi nomine tenus, inani & vacuo fuiſſe ſcias. Actionum igitur præſentium non aliud objectum habuimus, quàm recuperationem libertatis. Unde quomodo reatum culpa velut eâ violatâ contraxerimus? ignoramus. Nec Majeſtati ulla in re derogatum: non enim metus debita Maje- jeſtati

ſtati ſubmiſſionis exceſſimus; ſiquidem non privatis quibuſdam univerſalibus, ſed publicis ſuetisq; Majeſtatis ac eodem prorſus, quo ad regnum univerſum, ſtylo ſcriptis vocati convenimus in unum ad conſulendum de ſecuritate interna & externa inſiſtendo intimatis à S.R. Majeſtate. Quia verò ſub Oſzmiana & Olkinikis offenſivè adverſæ parti nos contra agere placuit, nobilibus interim nonniſi defenſivè ſe habentibus; quid nos culpemur? diſponentibus ſuperis ea accidiſſe quæ jam acciderunt? Eonè lædatur Majeſtas Principis? quòd ad ſenſum & literam univerſalium implenda conniſi ſimus? ſacroſanctè ne punctum aut apicem quidem omittendo? Idem dicendum de unione: quam nos aut non ſervâſſe, aut noluiſſe ſervare, ne dicam violare voluiſſe, actuq; violâſſe, quibus rationibus evinci poteſt? Si enim libertatem(quâ nihil pretioſius & ſine qua paratis mori potiùs quàm ſervitutem pati nec vivere ampliùs libuit) vel per arma petiimus: profectò gratiæ nobis magis debentur quàm odia; eâ utpote generoſitate contendentibus, quâ ipſimet Regni Poloniæ veri cives contenderent, ſi non jam aliquot annorum decadibus, ſed uel unâ duntaxat hebdomadâ ſub ejusmodi jugo ingemuiſſent. Quæ enim cauſa fuit, quod nobilitas Regni tam impensè faverit, opemq; tulerit, ut coæquatio ſanciretur? nonnè ea: quòd jam aures illius non ſufficerent audiendis, quibus laborabamus, oppreſſionibus. Præterea (ſcienti loquor) quanto motu, labore, & ſangvine parta libertas Polona eſt? quæ tandem noſtras etiam reſpexit terras ſub Vladiſlao Jagiellone, pòſt verò iisdem ſub glorioſæ immortalisq; memoriæ Joanne III. exceſſit (de quo uti tibi conſtat vel millenas vices Clementiſſimus Princeps queri auditus eſt.) Jam verò prout gravior ſemper recidiva eſt; ita & nunc minimè mirandum acrius aſſertam & vindicatam libertatem, quàm parta fuerat, fuiſſe. Eo potiùs diſſolvere videremur unionem & comitia tollere, quæ ſine ſtatibus Reipub. M.D. Lit. eſſe nequeunt; quorum primum principale & cardinaliſſimum objectum eſt authoratio militis & contributionum indictio: ſi novum militem conſcriberemus ſine reſpectu ſcripti directè ad archivum in noviſſimis comitijs dati; in quo Magno Ducatui Lit. tertia pars exercitûs habenda, & quia ſub Cauna exauthorata ea militia fuerat, rurſus erigenda imperatur: ſi nouum militem ex agrariis contributionibus cogeremus: verùm quia non friuolè ſed ſecundùm ordinationes Reipub: copiæ conſcriptæ ſunt, eæq; tantùm decretæ contributiones; quæ nunquam in regno ceſſant, uti teloniorum, hibernorum, à potu item tam quoad uendentes quàm ementes; his utendo juxta jura coæquationis non jam vituperio ſed laude digni ſumus quòd nonniſi his ſumptibus ſine omni agraria contributione tam inſignis in obſequium Majeſtatis & Reipub: ſurrexerit exercitus. A.C. 1701

Scribis honores adimi alijsq; dari, de quo neſcio: ſi tamen id fit, naturali ratione ſoluo. In poteſtate adimentis uiiq; poteſtas dandi eſt. Hic verò ſtatus M.D.L. nolentes præpedire juſtitiam diſtributivam S.R. Mtis nibil per ſe faciunt, ſed tantùm de conſenſu omnium va-

cantes

A.C.1701 *cantes quoſdam honores ſubjiciunt diſpoſitioni Majeſtatis, juſtiſſimè cauſis in conſtitutis ſuis expreſsis, quibus compulſi ad eam vacantium exhibitionem proceſſerint. Inſinuas etiam nobilitatem communi motu à ſtatibus M. D. L. convocatam. Ea ſic conuocata ſi aliquid audere aut attentare, quod concedi nequit, uellet contra Majeſtatem atq; Remp: facilè aſſentior ejusmodi motum communem condemnandum & delendum eſſe: jam uerò quia nobilitas animitus de excuſſa ſeruitute læta, uel umbram metuit recidiuæ in priorem infelicitatem, tum pro conſeruatione recuperatæ libertatis totis laborat uiribus, nec interim excedit metas, intenta utpote duntaxat iis quæ rebuſtiorem reddant acquiſitam libertatem; profectò nihil tale uideo, quod ſcrupulum parere debeat, nec cenſuræ ſubjiciendum, quod libera gens non aſſueta ad ſeruitutem poſt libertatem uindicatam illud pro teſſera habeat: Dulciùs in libertate mori, quàm in ſeruitute uiuere. Conjurationes in uitam Sapieharum factas eſſe aut fieri prorſus ignoro, non ignoraturus utiq; ſi quid tale attentaretur. Si enim omnes conjurant, quod & ego libens feci unico utpote naturaliq; amore libertatis ductus, ſciens bene nec naſciturum, qui ſolus omnibus prævalere poſſit, non ullum aliud timori meo præfixum objectum habens ac ſolum Altiſſimum, dein furorem populi: non eſt quod metuant; id enim agunt pro communi bono libertatis, jurium & prærogativarum nobilitatis, utq; habeamus tam ſalutarium pro libertate actionum fundamentum, id eſt unionem animorum fide juratâ obſtrictum, & exinde emanantem confidentiam, quæ eſt anima totius operis. Scribis poſt hæc præjudicata aliquando plus valere quàm leges, ideoq; metuis illud; cuivis accidere poſſe quod cuiquam acciderit: ea verba præſenti rerum ſtatui ſervire nequeunt; præjudicata enim nociva faventium Patriæ filiorum reflexionem accuratam provocare deberent; non autem ejusmodi, quæ non præſeferunt aliquod privatum commodum, & ex privato promanans odio; ſed ſolummodo obſequium libertati debitum, excuſſionemq; ſervitutis. Non apprehendenda ulli nec metuenda talia præjudicata ſunt; niſi forſan illi qui pari gradi viâ vellet. Verùm ſcio fruſtra talem inquirendum per Poloniam in tam pulchra, generoſa, numeroſiſſima nobilitate, cui coæua eſt libertas. Ideo ſupra omnia nec apud nos in Lituania inpoſterum poſt ejusmodi tractationem reperietur, qui major eſſe uelit, libertateq; ac æqualitate nobilium altior, quâ tamen nihil melius orbis habet. Quare enim olim tanti motus non fuere? niſi quia omnes obſeruabant libertatem, nemo èminere alijs affectabat nec tenuior nobilitas poſtponebatur, quiuis ſuo jure æqualiter fruebatur: nunc uerò ſus deq; omnibus uerſis non mirum hæc etiam facta eſſe, quæ etſi improbes atq; cenſures, ego nihilominus ejus ſpei ſum, quòd ubi Conſtitutiones ſtatuum M. D. L. prælegeris, mitiorem indues ueſtem & fateberis per omnem juſtitiam & æqualitatem non aliter fieri potuiſſe nec alio remedio ſananda fuiſſe mala, quàm pari modo.*

Ais non ita deſperatam fortunam eſſe Sapieharum, quin iterum erigi

erigi & conſurgere poſſit, item plurimos validam illis promittere aſſi- A.C. 1701 *ſtentiam: credo his omnibus, quia tu id affirmas. Sed & illud certò ſcio, tuq; velim certiſſimo perſuadeas cùm nunc M. D. L. ordines non tantùm non ſint in malo ſtatu, ſed planè in perfecto felicitatis, unione inſuper juratâ fide neminem unum alteri defuturum colligati, ſemper ad minimum millia militum ſelectorum centum, præter conductum exercitum habere poſſe, quod eſt infallibile.*

Plurimum ſcandalizantur Status M. D. L. vocibus quorundam Senatorum in Senatus-Conſilio cenſentium; ut mandatis nobiſcum agatur: in quibus iſtud improbant 1mo, quod communitates nunquam reſpondeant & per conſequens illi ſubjacere non poſſint punitioni. 2dò quis unquam vidit tam gravem materiam ſtatûs extraditionis mandatorum ad univerſos Palatinatus & Diſtrictus M. D. L. in Senatus-conſilio tractari & decerni? nonne Senatûs conſilia ita legibus ſunt circumſcripta, ut ne ex orbita ſua exerrent nec concedatur illis de talibus tractare materiis, quæ comitijs integris definiendæ eſſent? præſertim cùm nihil de ejusmodi objecto intimatum à Rege conſtet. Quis unquam audivit ut duæ provinciæ tertiam in jus citarent & judicarent. Parce mihi, quòd hic videam læſionem unionis & non in conſtituto ſtatuum M. D. L. in quo nihil vituperio dignum inveniri poteſt, quia totum quidquid ibi eſt, deciſum fuit pro parte libertatis & rerum ad bonum ordinem in M. D. Lit. ſpectantium ſine quo hactenus viximus. Demum quandoquidem par ſuper parem non habet poteſtatem: quis ſponſor provinciam M. D. L. ſe permiſſuram judicio, libenterq; doceri vellem, quis ille qui id muneris ſuſciperet executionem per totum M. D. Lituaniæ facturus? Quamvis verò replicare poſſes, non de tota Litvania executionem futuram, neq; conſultum fuiſſe, ut mandatis cum omnibus ageretur, ſed cum aliquot duntaxat principalibus ac ſi in eorum verba nobilitas juraſſet. At id nunquam fuit, nec ita in re eſt: Nobilitas enim tota communem cauſam id eſt defenſionem libertatis habens pro unico objecto non eget hoc in puncto ullo alterius conſilio, ſed ipſa ſponte & ardenter ruit in obſequium libertatis; quod quia ita eſt, quomodo in aliquos culpa evolvatur, ij judicentur de rebus, quas omnes intenderunt facere actuq; ſunt executi. Addo non vidiſſe me nec audiviſſe, ut alicui lis intentaretur aut judicaretur de hoc, quòd jugum & ſervitutem excuſſerit, tanquam liber nobilis. Aliquot igitur in hoc puncto libertatis per mandata citatis & commotis (nam nullum aliud peccatum in nobis agnoſcimus præter amorem libertatis & voluntatis noſtræ affectum, quo deſideramus in eo flore poſteris decus iſtud conſignare, quo illud à Majoribus noſtris accepimus) infallibiliter movebuntur omnes, quia ut dixi communis omnium cauſa eſt defenſio libertatis, ſequetur inde ſumma difficultas ſingulos judicandi, metuendumq; erit ne extrema ejusmodi ſemente prodeat calamitas, quam DEus avertat in diebus noſtris. Finio ſub hæc literas meas intimando ingentem dolorem meum, quem non admodum faventium quorun-

dam

A.C.1701 *dam amicorum cauſavit malevolentia, quamvis nullam in me agnoſcam culpam nec meminerim à me quempiam offenſum.*

Traducunt quidam nomen meum, lacerant famam impingendo mihi, ac ſi ea non zelo libertatis egiſſem, quæ jam egi, ſed privatis meis in tranſverſum actum talia attentaſſe. Slucenſis Ducatus ad ea me adegiſſe jactatur. Omnia hæc à ratione & vero procul abſunt. Quæro enim quid lucri ex gratia nobilitatis mihi acceſſerit? nihil utique niſi ſola tutela Ducatûs Slucenſis, quæ ante jam pridem ex ſtatuto M. D. L. mihi competebat, quæq; nihil aliud mihi importat commodi quàm ſolam moleſtiam & ſolicitudinem. Habenti enim bonam conſcientiam omnis proventus reddendus, mihi nonniſi decimo aſſe relicto. Omnia cedunt alia Principi Neoburgico: quantillum verò id eſt? quod curis meis datur? nudam veritatem dico, expenſis meis computatis, ne unius quidem hebdomadæ ſumptibus ſufficeret.

Salvum jus poſtmodum prætenſionibus & ſubſcriptionibus Status M. D. Lit. decreverunt, eo usq; dum nuberet Principiſſa Neoburgica, Conſobrina mea, & in eo undequaq; juſtitiæ ſatisfactum. Nam quia cum Parente præfata tractari non potuit nec agi de hoc; qui utpote non pertinebat ad ea bona, nec erat indigena, per conſequens nomine non re Tutor: ita ſemper id ſentiebam expectandos annos eſſe hæredis, ideoq; nolebam ullis tractatibus cum Parente agere nec cum DD. Sapiehis, qui ſibi à fatis Principiſſæ arrogabant præſumptivam ſucceſſionem. Velis igitur pro gratia tua datâ occaſione inimicis meis hanc peſſimam de me ſuſpicionem eximere. Teſtor enim DEum me nunquam privatum commodum per ardua & illicita quæſiviſſe ſed ſoli honeſto intentum decori viâ proceſſiſſe, & nunc ex ea ratione libertati faveo, eam defendo, quam iteratò (DEum teſtor) totus M. D. L. à me ſumpto initio non habuit. Nam non fuit ſub cælo infelicior populus ac nos qui extrinſecè res noſtras & ſuperficie tenus duntaxat æſtimantibus, videbamur eſſe liberi; intrinſecè & penitiùs penetrantibus mancipia, qualia ne quidem per deſpotica dominia inveneris. Commendo me ſub hac gratia tua & claudo teſtando me eſſe &c.

RESPONSUM PRINCIPIS EPISCOPI VARMIENSIS ad Literas Principis Cancellarij M. D. L. datum 15. Febr. 1701

Accepi literas tuas, in quibus, quamvis nulla menſis & diei quo datæ ſunt, mentio fiat; nihilominus exiſtimo, quandoquidem eæ reſponſoriæ ſunt, ad meas 17 Januarij ad te datas, diu alicubi remoratas fuiſſe: ſiquidem nunc primum 15 Februarij in manus meas devenerunt & ſolverunt metu timentem gratis. Metuebam enim, ne forſan prædictæ literæ te offendiſſent, quòd confidenter ſenſum meum in illis expreſſeram. Plurimum gaviſus fuiſſem, ſi illæ adhuc Varſaviæ me deprehendiſſent; ſervijſſent enim mihi ad convincendos eos, qui hactenus ſibi perſvadere nequeunt, bene geſtum & actum eſſe, quod jam factum eſt. Ego memor illius moniti veteris cujuſdam Philoſophi: loquere aut rariſſimè aut jucundiſſimè, impoſueram ori & calamo ſilentium; verùm quia tuæ literæ necdum me plenè convincunt; dabis veniam quòd

adho

adhuc ſemel loquar. Expendi graviſſima pro & contra rationum momenta, libensq; idem ſentirem; quod & tu, ſi poſſem captivare intellectum meum probè ſciendo contra Principia conſtitutionum Reip. quæ illic acta ſunt, acta eſſe. Vel Panegyriſtam agerem & ad ſydera tollerem omnes actus, ſi conſonarent inſtitutis majorum. Sufficit nobis in Polonia inſinuaſſe id aut illud novitatem eſſe; ex nunc omnes rationes, quamvis graviſſimæ cedere coguntur, ſtatim dicitur, bene curris, ſed extra viam. Evincere laboras, nihil contra libertatem tentari, aut tentatum eſſe ex ſuppoſitione, quod illa in Litvania non fuerit, niſi ſolo nomine deq; ſola recuperatione illius contendiſſe nobilitatem verum aliud mihi perſvadent voces fratrum ex diverſis Palatinatibus ad nos uſque delatæ, coactos ſcilicet facere, quidquid faciunt; executione forti potiùs & metu, qui in conſtantem virum cadit, quàm zelo libertatis adductos ad idem velle, quod tu commemoras. Vis igitur pro ratione fuit, ut ſe declararent contra domum Sapiehanam, contra illos conjurarent, & ſe ſubſcriberent. Unde quæro, coacta voluntas eſtne voluntas? poſſibilenè libertatem reparare ſervitute. Condimus leges nemine contradicente, quòd ſummum ſtatûs noſtri arcanum eſt, cuique majores noſtri impenſiſſimo ſtudio incubuerunt, tanquam pupillam libertatis conſervando, nos verò impræſentiarũ dum ferventiſſimè pro libertate certamus, manifeſtiſſimè libertatem amittimus. Si Domini Sapiehæ libertati aut inſidiati ſunt, aut ſuſtulerunt; ſi ſupra æqualitatem aſſurgere tentarunt, nunquid provida futurorum Reſp. non ejuſmodi conſuluit medijs, quibus fieret, ut ſervatis de jure gradibus hi extollentes ſe velut radio eminens ſupra modium frumentum, humilientur, & ædes illorum non in planum modo deferrentur, ſed colli etiã ſubjicerentur. Quod ad læſionem Majeſtatis attinet, Deorum injuriæ Dijs ſint curæ, illud duntaxat novi, univerſalia non eo fine extradita fuiſſe regendi exercitus munus adminiſtrandique theſauri non niſi à Principe dari conſvêſſe. Quo ad unionem nihil manifeſtius, eam lædi, magno Ducatu Litvaniæ ſolo ea agente, quæ ad nos pariter pertinent. Nullum ejuſmodi præjudicatum in Polonia memini, quinimò ſemper ad quævis judicia Regni etiam M. D. Litvaniæ admittebatur, placet mihi conſcriptus exercitus, quia ex juſtitia ad tertiam partem, tenetur magnus D. Litvaniæ erigendã; id tamen hic innuo vel eo tempore, quo ſtatus Reip. exauthorârunt militem, vel nunc dum ſine comitijs iteratò novum conſcripſerunt, errorem interveniſſe: duo enim contraria directè paris ſimiliſq; laudis incapacia ſunt. De contributionibus verò tam à vendentibus quàm ementibus potum pendi ſolitis, iſtud duntaxat memini, eas ſi jam ad certum tempus alligatæ, eo exacto ceſſaſſent, nec comitijs conſtitutæ fuiſſent, ex Senatus conſilio decretas, non autem ex beneplacito Rege & Senatu inſcijs fuiſſe. Faxit Deus ut is exercitus gloriam genti & commoda pariat, non turbas ulteriores. Centum millia frameati exercitûs in campum prodire poſſe non dubito, ſed tantùm quæro, quem habituræ hæ copiæ hoſtem? & num haberet hæc victoria laudem? non audivi ullum in ſenatus conſilio qui ſentiret mandatis citandos omnes, ſic enim in comitijs major citatorum quàm judicum foret numerus: ſed dictum eſt ut de cæde patrata Præfecti ſtabuli authores citarentur, ſiquidem patebat paucos principaliores hujus facinoris reos eſſe. Quomodo communitates reſpondeant, quidque ſenatus conſilia poſſint? probe novi. Ratio tua, qua pari in parem poteſtas non datur, magna eſt, utinam contrarium in Litvania non vidiſſemus. Ut quis totum Ducatum Litvaniæ judicare vellet; non capio, nec puto inveniendum: in hoc tamen convinci nequeo, ut putem deeſſe capita & Principaliores, qui hanc

A.C.1701 machinam dirigant. Ab aliquo te traductum in publico abſolutè ignoro, in privato ſi id continget, ſatisfaciam affectui meo, defenſionique honoris tui. Abſit verò ut accuſem fratres. Tutelam naturaliter tibi competere clarum eſt, incapaci parente ob inæqualitatem. In reliquo comprimo calamū ſciens iratam potentiam tantò placari ægrius, quantò reputat illa honeſtius nocere cum poſſit, velle: modò patriæ bene ſit, nec medicina pejor morbo audiat, modò cognatæ acies & amica cominus arma hebetentur, nec patria hoc turbine rerum allidatur ſcopulis, deſinatque in abominationem & deſolationem: ſæpe enim globus pyrio pulvere plenus, dum damna facit, ipſe rumpitur. Paratus ſum ſenſum meum ſenſui publico ſubjicere, & omnia quæ Reip. ſalutaria ſunt, eadem juſta atque legitima habere. Si cui ſenſus meus diſplicet, mihi cenſeo, mihi erro: ita loqui charactere meo obligor, non ut hominibus placeam ſed ut Deo. Dicens in Sacrificio Miſſæ; pax vobis, in quotidianis verò precibus: Deus charitas eſt, quomodo tibi non optem glorioſiſſimum ulciſcendi modum? hoſtes ita evertere, ut ſurgant amici. Hoc claudo me juxta paratum, citra offenſam cujuſquam, vel candidè dicere quod ſcio, vel ingenuè diſcere, quod ignoro, illud ſolummodo metuo, quod in nuperis precibus legi; ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur, & per crebra mala quæ præveniunt, indicantur mala perpetua quæ ſubſequentur. De affectu verò meo in te oro ne dubites, ubicunque enim perſonam tuam magnamque domum concernens quidpiam occurrerit, ſemper obſequium meum ad nutum experieris, quod & nunc ſincerè renovando ſum &c.

COPIA LITERARUM A NOVO REGE PRUSSIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM 27. Jan. Regiomontô.

Non dubito, quin hilari & grato animo Dilectio veſtra, pro ea, quâ erga nos pollet, ſingulari benevolentia, intellectura ſit, noſtrā quæ nuper Regiomonti contigit in Regem Pruſſiæ Septentrionalis, quā ſupremâ poteſtate poſſidemus, inaugurationem, & coronationē. Primatem quippe Regni potentiſſimi & Seren: Reip. Præſulem, illumq; tantâ rerū experientiâ, peritiâq; ſapientiſſimum latere minimè poteſt, tantundem inclytæ Polonæ genti decoris & gloriæ accedere, quantum amiciſſimo Principi Regiq; provenit ex avito ditionis ſuæ jam feliciter reſtaurato regalis faſtigij ornamento.

Novum ſanè dignitatis decus, idcirco & præſertim acceptabile nobis fuit, eritque, ut clarius omnium oculis exponatur inconcuſſa noſtra in celeberrimam toto orbe Polonicam Nobilitatem, devinctiſſimaque voluntas, & clariora pateant noſtri erga illam amoris argumenta. Supereſt ut Dilectio veſtra, quam excelſus, quem in Republica tenet locus, aſt multò magis inſignia illuſtrant merita, crebras nobis ſuppedite occaſiones, noſtræ erga ſe, & ſemper paratæ propenſionis luculenta ſpecimina exhibendi, quæ omnia dum Illuſtriſſimus Supremus Pruſſiæ hujus noſtræ Conſiliarius, & Mareſchalcus, Ablegatus noſter extraordinarius ſincere nobis fidelis ac dilectus Chriſtophorus Comes à Wallenrod Dilectioni veſtræ uberius exponet, eidem plenam, & eandem, quam nobis ipſis ſtipulamur fidem. Anno Regni noſtri primo.

RESPON-

RESPONSUM CARDINALIS PRIMATIS. die 12. Febr. Varſaviæ. A.C.1701

NOn jam ex rumore, ſed ex diſtincta Majeſtatis V. recordatione dum de peracta nuper Regiomonti Regali M. V. inauguratione ac coronatione Nuncium accipio, non poſſum non lætari, affectum in contextu ejuſdem literarum legens: Septentrionalis Boruſſia temporum oblivione ſepultum Regale nomen primævæ luci à Majeſtate V. reſtitutum, in majus vicinæ Poloniæ decus, amicitiæ, ac inconcuſſi cum Rep. fœderis firmius gluten à M. V. aſſumptum. Optâſſem equidem, ut glorioſa hæc priſcæ dignitatis exhumatio à congregata in unum Rep. voto ac plauſu publico celebraretur, ſed, cum temporis ſors rationes differre eandem non permiſerint, privati ſaltem obſequij, ac devotionis meæ cultu feſtivum hunc diem celebrari M. V. patiatur. Uberius hæc deferet M. V. Illuſt. Comes Ablegatus ejus dem extraordinarius, dum ipſe proſperá æquè ac glorioſa exoptans humillimâ Majeſtati Veſtræ inclinor veneratione.

INSTRUCTIO S. R. MAJE. DOMINI N. CLEMENTISSIMI ad Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum Generoſo Chriſtophoro Towianski Pocillatori Regni data in Cancellaria ejuſdem Sacræ Regiæ Majeſtatis die 29 Menſis Januarij Varſaviæ.

POſtquam Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, nunc Rex in Pruſſia per Ablegatum ſuum extraordinarium hic commorantem, de jam aſſumpta Regia dignitate, ſimulque de ſecuritate Majeſtati ſuæ, „Regnoque Poloniæ præſtanda, ne hoc Regij nominis in Pruſſia aſſumptum decus juribus ac prærogativis, Regi regnoque tam in Pruſſia, quàm „alibi competentibus præjudicio vel damno ſit, Majeſtatem ſuam certiorem reddidit, haud intermittendum ſibi eſſe credidit Majeſtas ſua, „quin noviter facto Regi, Reginæque in Pruſſia gratulationis officium „præſtari curaret. Demandato itaque hoc negotio Generoſo Chriſtophoro Towianſki Ablegato extraordinario Sacra Regia Majeſtas ipſum Ablegatum ſuum hac inſtructione munitum, & mox à primordio monitum „voluit, ut quantocius iter ſuum Regiomontum verſus ingrediatur, ubi quàm primùm advenerit notitia ſuper adventu ſuo, debito modo datâ, petitâque audientiâ literas Majeſtatis ſuæ gratulatorias, eredentialesque novo Regi exhibebit, ſimulque nomine Regio oretenus de Regia „dignitate aſſumpta fuſius gratulabitur, omniaque humanitatis, ſinceræque amicitiæ officia, quæ à Majeſtate ſua, tam vicinitatis, quàm conſangvinitatis, fœderumque reſpectu expectari poſſint, abunde teſtabitur. „Idem gratulationis officium apud Sereniſſimam Reginam decenti modo expediet, & ut ſemper, & ubique nulla non urbanitatis, comitatisque documenta præbeat, curabit, obſervatâ tamen characteris ſui dignitate, ne quid illi indecorum, vel præjudicabile admittat, fierivè „patiatur. De cætero non apertè quidem, & directè poſtulandum, ſed „ſub manu quaſi, & ſolerter ſaltem indagandum Regia Majeſtas Ablegato ſuo cõmittit, quâ ratione, quibuſve modis, medijsve Sereniſſimo „in Pruſſia Rex Majeſtati ſuæ Regnoque Poloniæ omnimodam ſecuritatem præſtare intendat, ne Regium nomen in Pruſſia aſſumptum Regi, „Reipublicæq; Polonæ aliquid detrimenti adferat; quo facto, expeditiſq; „his gratulationis officijs, reditũ ſuũ accelerabit Legatus Majeſtatiq; Suæ „de actis in aula Pruſſica rationẽ reddet. Reliqua huic inſtructioni expreſſè non inſerta prudentiæ fideiq; Ablegati Extraordinarij cõmittuntur.

A.C. 1701

RECREDENTIALES REGIS PRUSSIÆ AD REGEM POLONIÆ. 21 Febr. Regiomonti.

Literas Regiæ Veſtræ Majeſtatis die 28. menſis Januarij ad nos datas, ejusdem ad nos Ablegatus extraordinarius Illuſtris & Magnificus Towianski ritè nobis exhibuit, & de Regia, quâ nunc gaudemus dignitate, ampliſſimis verbis nobis gratulatus eſt, quòd cùm non poterit nobis non eſſe longè gratiſſimum R. V. Mtis in nos benevolentiæ argumentum, meritò de eo eidem maximas perſolvimus gratias, Regiamq; V. M. certiſſimam eſſe volumus; Nos, ſi aliquid noſtro in eandem affectui, & res, commodaq; ejusdem promovendi ſtudio ſuperaddi poteſt, id nos unà cum diademate noſtrò aſſumpſiſſe, & omni loco, tempore, occaſioneq; ita re & facto palàm facturos eſſe, ut R. M. Veſtra, quod in nobis, qui tot ac tantis jam olim eidem alligamur vinculis, deſideret, profectò habitura non ſit. Prædictus R. Mtis V. Ablegatus extraordinarius ea de re mentem noſtram eidem uberiùs exponet, adeóq; nihil nobis ſupereſt, niſi ut R. Mti V. optimam valetudinem, & optatos ubicunq; rerum ſucceſſus toto corde apprecemur. Dabantur Regiomonti 21. Februarij. Anno Regni noſtri I.

RESPONSUM AD INSTRUCTIONEM SEREN: REGIS POLONIÆ, A SER: REGE PRUSSIÆ. 4. Junij Coloniæ ad Svevũ.

Notũ teſtatũq; facimꝰ, omnibꝰ, quorũ intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt. Cùm Regium diadema, quo olim Pruſſia hujus noſtra Domini decorabantur, nuper poſtliminio quaſi nobis reimpoſitum ſit, & inter cæteros Europæ Reges Regiæ huic noſtræ dignitati applaudentes Sereniſ: & Potent: Princeps D. AUGUSTUS II. Rex Poloniæ &c. factâ eidem ea de re notificatione non per literas tantùm, ſed per ſuum quoq; ad nos Ablegatum extraordinarium Illuſtrem & Magnificum Comitem Towianski Supremum Regni Pocillatorem tam ſcripto, quàm oretenus nos pro Rege agnoverit, & honores dignitati huic noſtræ debitos exhiberi nobis fecerit. Nos cupientes omnem ſcrupulum, ſiniſtrasq; opiniones, quæ inclytæ Reipub, propter Regium, quem nunc adepti ſumus, titulum, forſan moveri poſſent optimo, pleniſſimoq;, quo id fieri poteſt, modo, tollere & ſubmovere, eum in finem non tantùm Regiæ Suæ Majeſtati certas extradiderimus literas reverſales tenoris ſequentis:

FRIDERICUS &c. Omnibus, quorum intereſt, notum facimus. Cùm titulum & dignitatem Regalem, quibus ante plura ſæcula fulgebat Ducalis noſtra Pruſſia reaſſumendam meritò cenſeamus, præſenti hoc diplomate firmiter valituro, fide, verboq; Electorali declaramus; nihil ex hac Majeſtati prærogativa Pruſſiæ noſtræ, quæ nunc Ducalis appellatur, præjudicij inferendum, nec inferri poſſe, juri ac poſſeſſioni Regalis Pruſſiæ, quâ Seren: Rex & Reſpublica Poloniæ gaudent, neq; ullam in eandem Pruſſiam Regalem prætenſionem à nobis ac ſucceſſoribus noſtris inde vindicandam. Pacta quoq; Bydgoſtien-

ſſienſia, perpetui fœderis inter Seren: R. M, inclytamq; Rempub. & A.C.1701
nos inita, præcipuè verò articulum ultimum; quo cautum eſt, ut deficientibus maſculis ex linea legitima Divi quondam Parentis noſtri deſcendentibus, Ser. Regibq, & Reip. Polonæ jus ſuum integrum in altè memoratam Pruſſiam Ducalem reſervetur, plenè ac ſacroſanctè ſervanda, neq; ullatenus vel in toto, vel in parte à nobis ac ſucceſſoribus noſtris infringenda ac violanda. In quorum fidem haſce manu noſtrâ ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro Electorali communiri juſſimus.

Fridericus Elector. (L.S.)

Sed pro majori etiam prælaudatæ Reipub. ſecuritate denuo eidem promittendum duximus, prout hisce fide, verboq; noſtro Regio, etiam pro hæredibus, ſucceſſoribusq; noſtris futuris in Pruſſia Regibus, ſpondemus & promittimus. Nos non tantùm ea, quæ prædictis Reverſalibus, quarum novum exemplar Reipub. omni, quo id deſiderabitur, tempore, exhibebimus, continentur, ſanctè ſervaturos, & Regia dignitate, quâ inpræſentiarum gaudemus, nullo unquam tempore, & ſub nullo prætextu ita uſuros eſſe, ut exinde quidquam, quo Reip. damnoſum, pactis, quæ eandem inter, & nos intercedunt, contrarium, aut ad præſentem Reip. Statum ullatenus immutandum pertineat, provenire poſſit, quin potiùs, ſi hæc declaratio noſtra cuipiam haud ſufficiens videri poteſt, de majori etiam ſecuritate inclytæ Reip. circa hanc dignitatem præſtanda cum eadem eodem modo conventuros eſſe, ut exinde novum, arctiusq; bonæ vicinitatis, amicitiæ, mutuæq; ſalutis invicem procurandæ vinculum ſtimulusq; exſurgat. In quorum fidem, majusq; robur præſentes manu noſtrâ ſubſcripſimus, & ſigillo noſtro Regio corroborari fecimus. Dabantur Regiomonti die 21. Februarij. Anno Regni noſtri primo.

COPIA LITERARUM ILLUSTRIS D. PALATINI LANCIC: AD S. R. M. IN PRUSSIA. die 4. Martij Varſaviæ.

Patiebatur benignè S. R. Mtas V. humillimam interpellationem meam tam ex vi muneris mei Generalis Majoris Poloniæ, Palatinatibus debitam, quàm etiam ex præterito nuper Conventu mihi recommendatam, ut nomine Palatinatuum aſſecuratam erga Remp. in literis ad me clementer nuper datis experiar benevolentiam magisq; Palatinatus noſtri confirmentur, Regium S. Mtis V. ſceptrū eſſe legum, libertatum, & ſecuritatis Reip. fulcrum. Percrebuit per Palatinatus fama novum extraneum exercitum per ditiones S. R. Mtis V. velle in majorem Poloniam quærere tranſitum, quod etiamſi non metuam tam ex parte optimi Principis, S. R. Mtis D. mei clementiſſimi, quàm etiam ex tenerrima Mtis V. erga Remp. expreſſione, ut tranſitum permittat, gratulor tamen ipſi, quòd hic etiam, ut credo, rumor, cedat in obligationem Reipub. erga S. R. Mtem V. nihilq; Reſpub. ex evectione in ſolium Mtis V. habeat, quod obſervet, ſed tantùm, quod revereatur. Expecto igitur profundiſſimo reſpectu

 beni-

A.C.1701 *benignum S.* R. *Mtis V. reſponſum, cum plena optimi eventûs fiducia, quæ majora dabit argumenta teſtificandi, ut ſim S.* R. *Mtis humillimus & obſequentiſſimus ſervus.*

COPIA LITERARUM SERENISSIMI REGIS PRUSSIÆ, AD D. PALATINUM LANCICIEN. 8. Martij Regiomonto.

F*Ideliter nobis redditæ ſunt literæ Illmæ Dominationis Veſtræ die 4. Martij ad nos datæ, quibus de novò extraneo exercitu per ditiones noſtras in Majorem Poloniam tranſituro ad nos perſcribere voluit, quod cùm certiſſimum nobis ſit documentum Illuſt: Dominationem V. non minorem pro* Reip. *ſalute gerere curam, quàm de noſtro in eandem ſtudio concepiſſe fiduciam. Non eſt, quòd dubitet Illuſt: Dominatio V, quin, ſi aliquod immineat Poloniæ periculum, Nos probè conſcij eorum, quæ inter eandem & nos intercedunt, fœderum omnem ſimus moturi lapidem, ne quidquam* Reſp. *detrimenti capiat, ſed integra & illibata ſtet ſecuritas, & libertas. Illuſt: Dominationi V. interea hiſce ſignificandum duximus, ſpargi paſſim rumores, quaſi Sereniſſimus & Potent: Poloniæ* Rex *majores in Poloniam evocare copias neceſſum habeat, ut contra motus ibidem non aliam propter rationem, quàm ob initam* Regiam *noſtram dignitatem excitatos, meliùs, faciliusq; ſe tueatur, eaq; propter certi ſumus Illuſt: Dominationem V. cum reliquis* Regni *Senatoribus, Magnatibusq; operam daturam eſſe ſedulam, ut hoc, quidquid eſt ſuſpicionis, quamprimùm, penitusq; tollatur. Quod, dum ab Illuſt: Dominatione V. etiam atq; etiam contendimus, ei fauſta & felicia quævis toto corde apprecamur. Anno* Regni *noſtri primo.*

IV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI, 13 Martij Guttſtadio.

Origo lapsûs domûs Sapiehanæ.

QUòd ſilentium tuum excuſas, occupationes tuas obtendas, non excuſo imò indignor, ſed indignatione tibi non ingrata, cujus fons ab amore tuî & ſtudio, quo fit ut nec offendam cum offendo.

Aliquot dies impendi combinando ſtatui Epiſcopatus mei, quem ad manus Domini Canonici Fantoni Romam euntis mitto. Viſitavit me etiam per modum tranſeuntis Mareſchalcus Magnus Litvaniæ Sapieha, non video eum nimis affligi ſtatu quanquam ſatis afflicto domus ſuæ, quem multi (ſi meminiſti quæ tunc communicavi) primum fuiſſe motorē ruinæ domus ſuæ accuſarunt, quia arcanum revelavit, quomodo poſſit humiliari, per manutentionem illius confœderationis Oginſcianæ tempore Interregni, quæ directè contra eos inceperat, & uſque ad præſentem diem eadem conſilia, & eadem intentio durat. Revoces tibi velim in memoriam interregnum ultimum, & literas meas quibus tibi expoſui immemorem legum fuiſſe Domum Sapiehanam (ubi ſemel deerratum eſt, in præceps nititur) ſub ultimis Regni temporibus Sacræ memoriæ Joannis tertij, cujus virtutis potentiam, tanquam ſuis luminibus officientem graviter tolerabant, ſed ſtatim eo ſublato peſſima experti, in pœnam peccati; &

poſt

poſt confeſſi ſunt, neminem potuiſſe in tanto faſtigio ſe moderatiorem, neque in ea manſvetudine graviorem præſtare, atque odioſam illam potentiam nunc ſalutare fuiſſe præſidium Reipub. & ſibi aſſerunt. Nam apparuit tanta poſt eum pravitas, molesque malitiæ contra illos incepit, & licentiam nacta omni remedio ſuperior evaſit, cum poſt longam in Nobilitate toties oppreſſa Litvana manſvetudinem commotam, gravem & implacabilem videmus. Ille optimus & maximus vivens Monarcha, ita ſe cum omnibus geſſit ſubditis, ut Inimicus apud eum minus quàm amicus reprehenſionis mereretur. Nemini enim inimicorum quanquam & modus & cauſæ non deerant nocendi, ſpecificè Dominis Sapiehis injuſtè oberat, amicos verò in rebus juſtis adjuvabat, affectum pleno modio in illos effundendo. Inimicos ſi quid præclari geſſiſſent non afficere honore turpitudini ducebat, amicos delinquentes vituperare quidem debuit, ſed auxilium eis operamque præbere peccantibus, laudi ſibi habebat, nimirum exiſtimans, nullum quod amico tribueret officium turpe eſſe. Diſſentientium à ſe cum adverſam fortunam paſſi eſſent primus omnium miſerebatur, rogatuſque promptam operam navabat, & ijs rebus omnium in ſe ſtudia convertere potuiſſet, niſi calamitatis loco non duxiſſent ſe à tanto Rege amari, & ni mens tam læva fuiſſet. Nemo alius majora vel amicis beneficia, vel hoſtibus Patriæ damna dedit, & plus ſibi ipſi virtutis, quàm imperij nomine arrogavit. Ille pro Republica ſudavit quantum nemo, in quo virtutes ſimul omnes vigebant, quæ ſingulæ in omnibus prædicantur, cujus fama nunquam quamdiu hic mundus ſtabit, exoleſcet. Utinam ſimilem illi nobis Deus dediſſet, ſed parca hîc ſi unquam naturæ manus, quæ ſi virum magnum orbi dederit, pro mille annis imò ſæculis ſemel nec ultra elargitur. Res loquitur nobis tacentibus. Quod infinitis præclarè geſtis rebus, apud cives magni, apud ſocios maximi, apud hoſtes fortiſſimi, ac fortunatiſſimi imperatoris nomen invenit, & quod mirari illum alijs Regibus dabitur magis, quàm imitari.

A.C. 1701

Laus Regis Ioannis.

Memini à quopiam me præſente & audiente ei dictum, ex occaſione inſurgentis & inſultantis graviori jam fortiſſimi Regis ætati, domus hujus adverſus te Rex iſti impetum faciunt? nimirum inquit nam quis me defendit, ferebat quidem æquiſſimo animo hanc injuriam, neque ob tantam rerum & animorum mutationem, de magnitudine animi quidquam diminuerat, ſed ſimulatam eorum benevolentiam re toties detectam, graviſſimè ferebat, & non ſine lacrymis neceſſitate pudorem ſuperante, cœlum aſpiciens vindictam (quæ nunc ſatis ſuperque evidens eſt, & teſtatam illam fecerunt ea quæ deinde acciderunt) invocabat. Poſt mortem ergo ejus omnibus deplorandam ætatibus, nacti ſunt multi ex oppreſſis & juſtam & probabilem contra eos occaſionem, & uti ante multa alijs mala intulerũt, ſic multa ipſi ferre coacti, & paſſi ſunt, & uſque ad præſentem diem patiuntur. Nuper (fortunæ ſeſe oſtentantis ſpecimen) ita inſolentes erant imperata facere, ut non ex libidine ſua vivere, ſervitutem eſſe putarent. Nunc quid niſi victis dolor? nuper non niſi faſtuoſa, ſuperba, elataque contra optimum Regem loquebantur, nunc ſilentium præ metu tenent, ut qui tantis viribus nullâ poſſe reſiſti ratione vident. Nuper fortunam magis, quàm conſilium ſequebantur, & de poteſtate animi exibant, nunc ſicut Deus in tabulis providentiæ ſuæ ſcripſit, ſpes de majoribus rebus exiguas ſe habere oſtendunt, dolent ſe plus pompæ, minus habuiſſe ſoliditatis, nihil enim nunc hæc blandiens aura reliquit, niſi triſtem præteritorum memoriam. Improba nunquam ſpes lætatur diu. Ita ſunt res humanæ atque eâ lege nati ſumus, ut nullum cuiquam perpetuum ſit bonum. Quid nova molimur mox caſuri? res ipſa quaſi loquens monſtrat, & non tantùm

Sapieha adverſari Regi feruntur.

Eis fortuna adverſa.

A.C. 1701 tùm vanitatis arguit, ſed convincit. Superbia eorum, & indignatio eorum, & arrogantia eorum, plus quàm fortitudo eorum. Inſultabant Epiſcopo & nunc ijs inſultant Canonici, Dominus Białozor colaphum impegiſſe ante mortem ſtabuli Præfecto dicitur, Dominus autem Szaniawski quæ faciat aut quæ non faciat contra illos? multos proferre poſſem, an illi non ſunt inter illos, quibus noſtrâ memoriâ id quo adepto ſe beatos fore putabant, infeliciter ceſſerit. Mortem expectabant, vitam oderant Regis Joannis, qui pauciſſimos pares, nullum ſuperiorem in fortitudine & bonitate habuit, cujus integritas tanta effulſit, ut non videretur modò, ſed etiam eſſet optimus, & ex hac exoptata meſſe, quàm paucul as habuerunt ſpicas, ô ſpes hominum fallaces & in caſu poſitas, nunc à Regnante, cum Homero dicam, portis inferni odio habentur deterius. Naturâ ſe ad parendum præterito Regi difficiles ſentiebant, & monſtrabant, nunc inferioribus ſibi obedire debent, & omnis vis fortunam ſequitur, & parum abeſt quin finis fato deſtinatus propè adſit, quod ipſi partim metu futurorum, partim præſentium faſtidio, atque moleſtiâ gravi non ſine doloris ſenſu agnoſcunt. Quamvis aliquando quam pro temporis ratione ambitioſiores, mutua quandoque faciunt gravibus convicia verbis, cum eos qui illis prius obnoxij erant, neque donis capere, neque metu in ſuas partes iterum compellere poſſunt, ut in fidem eorum atque amicitiam concedant. Gurgites maris citius expleveris & dolia Danaidum, quàm hoc tempore amicos, qui ſimiles cani, qui quidquid excipit protinus integrum devorat, & ſemper attentus eſt ad ſpem futuri, utque libra in eam vergit partem, unde plus accepit, ſic illi nunc huic, nunc illi favent qui plurimum det. Non ſunt tales fideles, quos munus non gratia copulat, nam citò deſerunt, niſi ſemper accipiant. Quid mirum amicitiam ſolis opibus metiuntur, cui ſi materiam ſubtrahas, diffugiunt, cadis cum fæce ſiccacis. Nemo amicus verò cum fortuna amicitiam mutat, ſi facit, fortunæ amicus eſt, non hominis, alienum cibum quaſi mures edere ſolitus, muſciſque in culina haud abſimilis, quæ cum ipſo ardore confluunt & recedunt. Vident hæc nunc Domini Sapiehæ & dolent, ſed malè quidem dolere, aut queri poſſunt ſi hæc à Deo? ſi hæc juſtè? pari levitate ab amicitia eorum deſciſcunt, qua acceſſerant amici, nonne & illi ſimiliter faciebant, nonne aliud ore oſtentabant, aliud corde meditabantur, & fronte politi rapido geſtabant ſemper ſub pectore vulpē, non tā rationem judiciumque ſequentes, quàm impetum ingenij. Sed quod dolorem eorum imprimis angit, illud eſt, quod ita omnia turbata atque permiſta contra illos cernuntur, ut quinam ſit futurus tantorum malorum finis, vix unquam conjectura aſſequi poſſit, ſumma atque præſenti Dei ope auxilioque opus eſt eis, ut ab illo robur ſumant in hoc mœrorum deliquio, quod omnem dolorem eorum mitiget, aut mergat, & nobis omnibus totique Reipublicæ, quid niſi brevi ſit timendum, ne omnia ad extremum caſum ſint ventura. Sed redeo ad Mareſchalcum, qui confœderationem à Domino Oginſki contra Patrem ſuum inceptam fovit, auxit, & authoritate Sereniſſimæ Reginæ viduæ fultus ſuſtinuit, à qua pòſt contemptui habitus. Nucem frangat, oportet, qui nucleum eſſe vult. Ipſe ſolus rebus præeſſe, & gloriam cum nemine communem habere voluit, ſed Dominus Oginſki & alij ſequaces non aſſveti, vel faſtidientes ſuperbiam domûs Sapiehanæ perferre, opus laudabant, opificem contemnebant. Sicut unguento & purpura delectamur, & unguentarios, & tinctores pro illiberali-

bus

bus hominibus ducimus. Sic ergo ex capite hoc immenſas ſinuoſo vidimꝰ emitti turbas. Deſideraſſet poſt moderari ille, ſed tardius quàm oportebat, proſequitur enim quæ cœpit nobilitas nec curſum ſuum potuit revocare aut ſupprimere. A.C.1701

Sicut ignem qui gladio fodit, ſcintillas in ſe plures excitat, ita Domino Mareſchalco accidit, melius illi fuiſſet, ſi nunquam turbata quies ab illo fuiſſet. Nam ut fruges aliæ in herba pereunt, aliæ in culmo, aut in ariſta, aliæ denique matureſcunt, & metuntur, ſic noſtræ intentiones, ſic deſtinata noſtra, alium quandoque finem habent, non eum quem credebamus. Multi in curſu ſunt, pauci ad metam veniunt. Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm quæ ſub plauſibili vocabulo, & honeſtis nominibus tegitur, nullæque inſidiæ capitaliores, quàm quæ latent ſub velo aut pietatis, aut libertatis. Sic fieri nunc credunt omnes, qui de proximo norunt zelatores hos libertatis, & legum Patriarum, nec ſcimus nunc, quo pondus iſtud verget, ubi ponet minas, circumſtant etenim eos mala, aut minantur, ingruunt etiam & premunt. Varios enim rebus ſic intricatis caſus, quis ita è culmine videt, ut prævidere non poſſit aut augurari, ſed nimium diffundor, provocante materia, finio illam. Abiit Dominus Mareſchalcus faſtu majori quàm pro ſua fortuna elatus Varſaviam, unam diem tantùm apud me moratus.

Ego verò ſub finem hujus menſis concluſi iter meum Regiomontum, ſicut defacto ibi fui, ubi poſt conſecrationem Eccleſiæ meæ, quæ ab aliquot centenis annis non erat conſecrata, poſt confirmationem per aliquot dies (tam magna multitudo erat) fui in Palatio & cum jam Rex noſter, Primas, & tot Magnates agnoverint eum pro Rege in Pruſſia, nec mihi differendum erat, cum præſertim nemo ſit in Polonia cui protectio Principis hujus & amicitia ſit magis neceſſaria, quàm mihi, cujus Epiſcopatus ab ejus dominijs undequaque eſt circumdatus. 3tia ergo Martij ſolennem ingreſſum pro honore & decore habui in arcem, optimè acceptus & multas aſſecurationes in rem Reip. habui, ſincereque nobis affectum. 6ta currentis reliqui domumq; redij, continuando reliquarum Eccleſiarum viſitationes. Eccleſiam mihi à DEO commiſſam, ita mihi caram crede ut omnibus honoribus ac commodis anteponendam exiſtimē? Cum verò Paſcha appropinquet, vocato ad me Patre Regente Seminarij Brunsbergenſis recollectiones peragam, in quibus ut Deus augeat in me gratiam ſuam, tuis me precibus impenſius recommendo. *Conſecratio Eccleſiæ Regiomontanæ*

DIPLOMA ASSECURATIONIS SACRÆ REGIÆ MAJEST: DATUM MAGNO DUCATUI LITVANIÆ.

AUGUSTUS REX.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt, notum teſtatumq; facimus, quia nos, certo fine conciliandorum ex occaſione præſentis belli negotiorū deſcendentes in haſce oras, poſteaquam cognovimus malitia nonnullorum ſparſos eſſe per Palatinatus & iſtius inclytæ Patriæ rumores, ac ſi præſens locatio Militiæ noſtræ Saxonicæ in partibus M. D. L. ex ſola neceſſitate proveniens, nihil aliud intenderet, quam inductionem abſoluti dominij, continuamq; ejusdem militiæ in M. D. L. perpetuationem, has frivolas & ſtudio comparatas ſuſpiciones de mentibus omnibus eximere volentes, verbo Regio *declaravimus & declaramus, nos velle ſemper & unicè deſiderare Pa-*

ctis

A.C.1701 *Eis Conventis per nos juramento comprobatis inſiſtere, libertates, immunitates & omnia jura liberæ gentis ſacroſanctè tenere & obſervare, totum verò id quidquid ex neceſſitate factum, nullatenus poſſe in ſequelam trahi, aut deinceps in futurum uſurpari, & quemadmodũ præterita omnia præter mentem noſtram acceſſerunt, ita de futuris ſimilibus evitandis firmiter ſpondemus, ac in majus robur & fidem manu noſtra præſentes ſubſcriptas ſigillo communiri juſſimus. Dabantur Bierzijs die 11 Martij. Anno milleſimo ſeptingenteſimo primo.*

(L.S.) Pro-Cancellarius Magni Ducatûs Litvaniæ.

INFORMATIO M. GEORGIO OGINSKI SAMOGITIÆ Capitaneo Generali, unà cum Venerabili Chriſtophoro Białozor Canonico Viln. in diem 10 menſ. præſentis congregando data Nomine S. R. Majeſtatis in Cancellaria M. D. Litvaniæ. 2da Menſis Martij 1701.

Conſtitutus M. Dominus Capitaneus, unà cum Venerabili Canonico in loco & termino, pro ſua ſolita activitate, & prudentia explicare curabit, S. R. Majeſtatem D. N. C. Non habere verba, quibus poſ„ſit exprimere gravem animi ſui ſenſum, quòd non ſolùm militia Saxoni„ca præter mentem illius ſit longè lateque per Litvaniam diſperſa, ſed quòd „inde variæ ſuſpiciones, & figmenta projiciantur, per ora malevolorum, „cum tamen nunquam in pectore Regio, quidquam ſimile fundatum, aut „conceptum ſit, hos vanos eximendo metus, præſentabit S. Regiæ Majeſtati „ſcripto tenus datam ad manus ſuas eſſe cautionem de teneritudine Sa„cræ Regiæ Majeſtatis erga jura & immunitates liberæ gentis, tum de ca„vendis futuris.

„ Deſiderabit interim nomine Regio, ne quo modo ſparſis fidem adhibe„ant, ſed potius duræ neceſſitati inopinata facta attribuentes, æqui boni„que conſulant, quidquid iniquior caſus, ex locatione iſta amaritudinis ad„ferre potuit, caſu verò quo neceſſitas expoſtulaverit, intimationeſq; S. R. Ma„jeſtatis, eo nomine receperint, ut virtute Martiali & generoſis pectori„bus parati ſint vim hoſtilem viriliter retundere, fortiaq; agere atque in„de gloriam fortitudinis ſuæ adferre.

„ Dediſſe præterea Sacrã Regiã Majeſtatẽ affirmabit, ſeria mandata, ut „poſſint omnes injuriæ, & oppreſſiones circa attendentiam commiſſario„rum, à Palatinatibus vel Diſtrictibus deſignandorum examinari & inqui„ri. Ad extremum totum id gratiâ, & bonitate Regiâ, penſandum fore aſ„ſecurabit, ſibique & ipſi eaſdem à Sacra Regia Majeſtate, omnidatâ occa„ſione polliceatur, ſitque ſecurus,

Ad Mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis proprium.
Albertus Dłuzewski Secretarius S. R. Majeſtatis.

(L. S.) Pro-Cancellarius Magni Ducatûs Litvaniæ.

COPIA INSTRUCTIONIS REGIÆ CUM QUA VILNAM VEnit promovere, proponere in Seſſione generali pro 2da Maji, Generoſo fideliq; nobis dilecto Lubinski Cubiculario noſtro ſupremoq; vigiliarum Præfecto data Varſaviæ.

Certiorem reddet Nobilitatem Ablegatus noſter, de maximo ſtudio, quod ex damnis per milites noſtros uni alterive Diſtrictui Magni Ducatûs Litvaniæ illatis cepimus, exponet idem inſimul uberius nos quidem

„quidem omnia feciſſe, ut in hoſtico copiæ noſtræ hyberna habere poſſent; *A.C.*1701
„ſed, cum illud effectu impoſſibile fuerit, neceſſitate eò adductos fuiſſe, ut
„partem earum in Litvaniam transferremus, eâ tamen lege, ut hæredita-
„ria Nobilium bona iiſdem non onerarentur. Sperare nos igitur de bene-
„volentia & affectu ſingulari erga nos, & in remunerationem eidem diſtri-
„butorum officiorum poſtulare, ut inevitabilem hunc neceſſitatis caſum ex-
„cuſationis loco eò facilius admittant, quò certius eisdem perſvaſum eſſe cu-
„pimus, copias hasce noſtras ſine ulla mora educendas, & nullo tempore
„in Magnum Ducatum Litvaniæ reverſuras eſſe; & ad Generalem earun-
„dem Præfectum de rebellibus mandata noſtra jam tum dedimus, quæ
„Ablegatus noſter eodem tempore Nobilitati communicabit.

„Imprimis verò ad id operam dabit Ablegatus noſter, ut Nobilitas,
„aut ſaltem potiores ex illa peculiari ſcripto fidem ſuam obligent, ſe in fu-
„turis comitijs Generalibus ratione dictarum copiarum neque per alios ul-
„lo modo quidquam moturos, nec permiſſuros eſſe, ut à poſſeſſoribus fun-
„dorum præſtatio damnorum & incommodorum quocunque modo præ-
„tendatur. Econtra, ſi à militibus, eorumque Præfectis contra mandatum
„aliquid factum, aut per violentiam exortum fuerit, noſtro nomine pro-
„mittet, hoc caſu noſtros ad ſatisfactionem debitam præſtandam ſine mo-
„ra adigendos fore, & nos de cætero Nobilitatem, ſi deſiderijs hisce noſtris
„annuet, gratiâ noſtrâ Regiâ complexuros, nullamque, quæ ſe modò of-
„feret, occaſionem prætermiſſuros eſſe, quin eidem de vero, propenſoque
„noſtro affectu, magiſq; conſtare poſſit. Ablegatus noſter porrò Nobilita-
„ti maximè commendabit, ut, quod ad bellum Livonicum attinet, inſtru-
„ctiones & plenipotentiæ Palatinatuum & Diſtrictuum M. D. L. ad pro-
„ximè futura comitia eò dirigantur, ut nobis, præcipuè, quòd in commo-
„dum totius Reip. tam inſignem Provinciam recuperare in animum indu-
„xerimus, gratiæ agantur, inſimulque maximum M. D. L. deſiderium nos
„in hoc bello re & conſilio adjuvandi, exprimatur. Cui fini ulterius com-
„mendabit, ut Deputatis ad hæc comitia plena poteſtas concedatur ſequen-
„di circa hoc belli negotium, noſtrum, & totius Reipub. votum ſecundùm
„ſtatum rerum præſentem, ſeque in omnibus ad voluntatem noſtram con-
„formandi pro communi Reip. bono. Non minus enixè commendabit Nobi-
„litati Ablegatus noſter, quo promiſſa iſta tam per inſtrumentum publi-
„cum Grodnenſi in Conventu facta, quàm privatim toties repetita in pro-
„ximè futuris comitijs ita ad effectum deducantur, ut Supremus Electo-
„ratûs noſtri Cancellarius de Bechlingen Indigenatûs jure, & prærogativâ,
„idque Inſtructioni Deputatis ad comitia dandæ peculiariter inſeratur. Quod
„reliqvum eſt; nos certò confidimus M. Ducatum Litvaniæ tam in præce-
„dentibus, quàm in omnibus rebus in proximè futuris comitijs univerſali-
„bus ita ſe geſturum eſſe, ut nullus prorſus nobis relinquatur locus, de gra-
„to erga nos animo, benevolentia, & favore ulterius dubitandi, utpote quẽ
„amorẽ, affectũ, ardensque ſtudiũ pro noſtro, cõmuniq; intereſſe conſecravit.

„Nos in recompenſationem tantorum officiorum poſtulamus, quæ ſub-
„inde iiſdem diſtribuimus, quibus ut odia tot aliorum nobis concitavimus,
„ut, quod Ablegatus noſter nobilitati ulterius exponet, & ſimul nomine no-
„ſtro confirmabit; nos, inquam, intermiſſuros eſſe bene nobis merentibus
„beneficia & munera in poſterum vacantia conferre eosque omnes ac ſin-
„gulos gratiâ noſtrâ, & affectu Regio amplecti, quæ cum alijs ſcopo huic
„intendentibus fidelitati & prudentiæ Ablegati noſtri relinqvuntur. Cui de
„cætero gratiâ noſtrâ benigniſſimâ ſemper propenſi manemus. In quorum
„fidem hanc inſtructionem à nobis ſubſcriptam ſigillo noſtro Regio commu-
„niri juſſimus. (L. S.)

A. C. ZALU-

A. C. 1701

V.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB.

EIDEM 5ta Maji Heilsbergâ.

Rogatus fert ſententiam de Ss. Patribus

INſperatæ nuper mihi venêre literæ tuæ, attamen gratæ, quibus deſiderio meô ſeriùs tibi reſpondeo. At cur non citiùs inquies? moram injecerunt tum occupationes meæ, ſolitô importuniores, quæ velut venti ſubitas agunt nubes, cœlumque obnubunt; tum tuâ queq; accidit culpâ, talem enim moviſti quæſtionem, cui ne reſponderem (quanquam mihi indecorum, tibi ingratum fuiſſet) facile me excuſare potui, ſed nolui, ut tibi pateat, ita me totum tibi conglutinatum atque conjunctum eſſe, ut etiam periculo reputationem meam libens exponam, dummodo tibi obediam. Non ſoleo enim committere, ut quidquam mihi, quod ego quidem præſtare poſſum, fruſtra mandes. Non fœnerabor ſoli lucem, nec doctum docebo, id tamen quodcunque eſt officij, non debui omittere, ut teſtatum tibi facerem nunquam legiſſe me Sanctos Patres ſine fructu quos quò ſæpius lego, eò plus auſero. Quæris ergo à me judicium de Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, cedere didici & mirari, in alijs quæ deeſſe mihi ſentio, & libens agnoſco, judiciúmque ferre nequeo, quos tamen imitandos mihi propoſuerim, & quid in unoquoq; invenerim brevibus accipe.

Imprimis Baſilium magnum & Gregorium quorum in altero facilitatem cum cura, in altero ſingularem gravitatem, & ſplendorem, in utroque eruditam pietatem admirari ſatis non poſſum. Nec Theodoreti lenitatem in dicendo, in interpretando ſine ambitione ulla candorem, in errorum confutatione planam & nervoſam argumentorum copiam antiquitatis cognitione inſtructam, Tertulliani eruditiſſimi ſcriptoris vim, ac lacertos, Lactantij diffuſum, & cum ſolo Cicerone conferendam eloquentiam, Clementis Alexandrini Patrum Græcorum doctiſſimi exactam eruditionem, Athanaſij in aſſerenda veritate conſtantiam, Hieronymi lingvarum peritiam, & dexteritatem ſingularem interpretandi ſcripturas, Auguſtini acumen in diſputando, in ſcriptis paſſim ſententias acres, penetrantes, & quod caput eſt ſalutares, Chryſoſtomi copiam, ſimilitudines, figuras, & ſermonis ornamenta, digreſſiones quoque melle dulciores, Bernardi acrimoniam ubique & ſententiarum argutam ſvavitatem, ac eruditam elegantiam, quas crebro & ſalubriter miſcet, & unus in eo genere triumphat. Taceo alios quos minùs novi, imò & de his prædicare, & judicium ferre, vix non ut aſinus de muſica, ſurdus de ſonis, cæcus de coloribus auſus ſum. Peto proinde à te, ut dum hæc leges, non omnia ad exactam acerrimi judicij tui normam velis exigere ab eo, qui nunquam cum ſe & inſcitiam ſuam noſſet, eſt auſus ſeſe in doctorum hominum numerum ac cœtus inferre, & ſtellis nebulam ſpargee candidis, verum æquis hæc oculis velut aliquis paterfamilias aſpicias, & credas diſcere me (cum eſt commodum, cum licet) non docere. Imò me ad diſcipulorum tuorum numerum adſcribito, quòd erit mihi gratiſſimum. Doctoribus Sanctis potius tenebras, quàm lucem addidi. Sed nolui deſiderari à te obedientiam meam. Cæterùm literas tuas vellem ut mittas in vicum vendentem thus & piper, ut ex communi chartarum ineptarum fato in forum olitorum deportentur, vel ad cetarios ire cogantur, ut leguminibus involucra præbeant, vel garum veſtiant. Peto iterum ut liberè & candidè mecum agas & ſi quæ emendanda irrepſerint, ingenuè ſuggeras, imò deſidero ut vapulent atque errati pœnas ungve aut litura luant. Tales enim, ut tu es, amici utroque calculo uti debent, albo & nigro etiam cum eſt opus. Optimus quiſque fateor gloriâ ducitur, ſed

glorîâ quæ veritate nititur, non errore imperitæ, vel nimium amantis turbæ, quæ non tam acuit ingenia quàm inflat vanâ fiduciæ aurâ, imò ſæpè quem extulit, ſpernit deplorata gratia novitatis. *A.C.* 1701

Videre te videor ſtomacho & iracundia efferri, qui hæc apud te ſuſtineam, quæ tu melius noſti, ſcribendi proinde finem facio, ſi non quæſiſſes plus fortè de me crediđiſſes, ergo de tota hac re quaſi ego nihil dixiſsē, ſtatuas tu ipſe velim & me diſcere volentem doceas, cujus authoritatem non ſoleo defugere, imò quamcunque rem agere occipiam, te mihi ſemper objicio, cùm tui juris eſſe cupiam ſemper. Corrigas ergo errata mea iterum iterumque precor, atque eo confidentius, quod ut animus mihi tuus abundè perſpectus eſt, ita de meo erga te arbitror, nec dubitare te nec ſequius quidquam ominari.

VI.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARMIEN: & SAMB. EIDEM 30 Maji Varſaviâ.

Significat aliquorum converſionem ab hæreſi

Quod breviores, quàm vellem hæ meæ ad te veniant temporis anguſtiæ, in quas redactus ſum, faciunt, ijs enim planè excludor quominus ſcribendo licentius indulgeam.

Implexa laborum, moleſtiarum, anxietatum, & negotiorum ſeries, ita me diſtractum habet, ut pene mei cogor ipſius obliviſci. In his tamen verborum loco, animum ad te mitto, ſic tuū ut cujuſquam ex intimis & ex aſſe amicis.

Non poſſum vero intermittere, quin tibi ſummam meam conſolationem communicem, quam nuper habui, cum noveni ex aula meâ à Lutherano errore ad noſtram fidem per Dei gratiam converſi ſunt, publicámque abjurationem in Heilsbergenſi mea in manibus meis Eccleſia fecerunt, cum ſumma populi ædificatione & ſolatio. Utinam plures tales videam, inter curas alias hæc non minima eſt. Sed inefficax eſt ad ſvadendū ijs inſtrumentum, qui magis affectui, quàm rationi parent, & propterea nihil diligenter in fluctu cernunt. Plures ex illis ſunt, quibus omnia lutei coloris apparent, quæcunque oculis obſervant, propter læſam præventione videndi facultatem. Haud facile enim vera examināt, quibus ſemel mentis offuſæ aciem pertinacia perſtrinxit, ſed perinde res æſtimant, ut eorum ſvadet opinio, quam penitus animis inbiberunt, & ut oculus, in quem humor illapſus eſt, parùm clarè videt, ſic mens, in quam affectus; ac proinde præcipiti torrentis hujus æſtu non trahuntur ſolùm, ſed abripiuntur, & clavam citiùs de manu Herculis extorſeris, quàm ex animis eorum præjudicatas ſententias.

Canonicus Butler fatis ceſſit, cui per electionem Capituli ex recommendatione mea & ipſius meritis de hac provincia, LUARENTIUS NYCZ Præpoſitus Guttſtadienſis ſucceſſit.

Et quoniam comitia imminebant, Varſaviam abire debui, conſecratâque Eccleſia in Butrim, & datâ benedictione matrimoniali meo Zakrzewſcio antiquo, cum filia Burgrabij Smoleſcenſis, die 28tavâ iter arripui, & ultimùm hic comparui, unde hæc. Ubi ſi quid eſt in toto me, quo toto, aut in parte ſervire tibi poſſim, aut tuis, ſignifica, id eſt impera, habes promptum & paratum, tibíque libens ut iam pridem feci, dedico conſecroque quidquid poſſum promittere curæ.

A.C.1701

VII.

A, C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. CARDINALI BARBERINI Varſaviâ 30ma Maji

Mittit concernentia coronationem Regis Pruſſiæ.

PRopter imminentia his diebus comitia, relictâ quamvis illibenter Diœceſi meâ comparui hîc publico labores conſvetos litaturus. Inveni autem aliqua contra & pro nova Regis in Pruſſia Coronatione ſcripta, quæ pro ulteriori notitia non ingrata titi fore minimè dubito. Primum quidem ſub titulo Parænefis, videtur mihi magis fortè, quàm pro tempore. Ita nati Reges, ut injuriarum altè meminerint, beneficia in ſe conferri poſſe negent, pro debito accipiunt ipſi obſequia, & ſtatim obliviſcuntur, neglectis aut offenſis ira eſt, quam nec tempus, nec officia diluunt. Durus eſt aliquatenus ſermo & ſtylus, quis poteſt eum audire, & timendum ne contra formam verbis pugnando majora detrimenta Reip. infligantur. Neceſſitas ante rationem eſt, maximè cum in actuali altero ſimus bello, in quo rarò permittitur pugnandi tempora ad clepſydram exigere, & loca conflictûs decempeda anxiè definire. Timendum, ne, poſtquam à reſpectu in Patriam noſtrâ deſveſcere, & ad contemptum paulìſper aſſveſcere cœperit, uſus tollat difficultatem, inveniaturque facilè eſſe, quod aliquis impoſſibile ante putaverit, ne denique rogemus, à quo rogari deberemus; ego crederem ut Reſpub. non invita, neque coacta, ſed liberaliter prompta in eo ſe monſtret quod hoc præcipuè tempore impedire nequit, ad quid, tendere retia accipitri & milvo? in quibus opera luditur. Expediret ſatius non tam eſſe Rempub. præcipitem ad ſeveritatem, quàm propenſam ad affectum à quo non eſt ſine gravi cauſa deſcendendum. Quin imò pro ſenſu meo ſapienter facturos nos exiſtimarem, ſi in hoc genere medicorum conſvetudinem nobis imitandam duxerimus, qui, quoties alia ſpes reliqua eſt, nunquam ad urendum, vel ſecandum accedunt. Quid enim tam periculoſum eſt? quid ſaluti magis contrarium, quàm cum relictus eſt lenitati locus, objurgationes, cæteraque acriora remedia ægrotis animis adhibere. Aſcenſiones Rex in Pruſſia jam in corde ſuo diſpoſuit, jam eſt in actu exercito dignitatis ſuæ, promittit nobis omnē ſecuritatem, quid agendum, niſi credere id, quod videtur certiſſimum, dictis habeatur fides, memoresque ſimus nullo unquam ſæculo cauſas Regibus defuiſſe mutuò Regna ambiendi, DEO interim res noſtræ offerendæ, qui cuncta vigili ſemper lumine aſpicit, cadere in terram non poſſunt Regna, quorum baſis eſt in cœlo.

In ſecundo ſcripto videbis Eminentiſſime Princeps rationes pro iſta dignitatis Regiæ aſſumptione ſeu (ut aliqui volunt) uſurpatione. Judicium tuum, quod eſt ſemper maximum & penè divinum, ſuper res præſentes noſtras formare non dedignaberis &c.

PARÆNESIS AD SERENISSIMÆ POLONIARUM REIPUBLICÆ ET M. DUC. LITVANIÆ PROCERES DE USURPATO NUPER REGIS PRUSSIÆ TITULO.

POrtenta rerum! non patitur duos ſoles Olympus ſtellifero licet Athlante fultus; vos geminos Reges, ne dicam ternos feretis? nec Regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt. Excipio ſuperbum illud Bizantini effatum Imperatoris: unus in cælo ſol, unus in terris Solimanus. Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur Rex & Vaſallus, per extorta graviſſimo-

,viſſimorum vi bellorum pacta, per mille artes, per damna & cædes à ſuis *A.C.*1701
,deſtinata Majoribus ad Boruſſiæ ſceptra vectus. Ex ruinis Patriæ noſtræ
,(inquit Lubienus) creverunt Pomeraniæ Duces, olim Poloniæ ſubditi, qui
,commiſſo ad certum tempus regimine per fraudem abuſi, directi Domini ti-
,tulum ſibi uſurpârunt; creverunt & Brandeburgenſes Marchiones, uſur-
,patâ ſibi eâ Poloniæ parte, quæ nunc nova Marchia appellatur. Singula-
,res porrò Reges Pruſſiæ aliquando extitiſſe, à Lutheranæ quoque fidei Hi-
,ſtoricis fabulas inter, recenſetur. Unde quod tam pudendum Polonus or-
,bis tot retro ſæculis theatrum vidit, in quo perpetuus fœderatus, & Feuda-
,tarius ſingulari Regum Poloniæ favore & benevolentiâ his titulis auctus,
,ibi regium diadema ſibi arrogaret, ubi Rex Poloniarum naturalis, & dire-
,ctus Pruſſiæ Dominus & hæres titulum tantùm Ducis habet. Horrore qua-
,tior, facta quò vergant, timens. Ubi illa ſubjectionis recognitio, quæ Se-
,reniſſimi Electoris Anteceſſores ſtimulabat (teſte Piaſeccio) ut repetitas
,adornarent legationes, quatenus locum inter Reipublicæ Polonæ Ordines
,in comitijs poſſent obtinere? dicebant ſe membrum eſſe Reipub. adeoque
,à publicis Regni conſilijs excludi jure merito non debere, tanquam vel in-
,dignos, vel ſuſpectos. Extrema primo nemo tentavit gradu, unus eſt Seren:
,Elector Brandeburgicus illorum exempla ſecutus, qui capiendam rebus in
,malis præcipitem viam arbitrantur, ut antiquæ injuriæ novis obruantur,
,ſcilicet perpetuo fœderato, & feudatario Poloniæ illud unicum præ oculis
,principium; fac & excuſa; quod ratio nequiit, ſæpè ſanavit mora; ſed hu-
,jus Principis erudita tot ſucceſſibus ambitio neſcit modum. Piget prioris fa-
,cti, & novum ſtruit, imò quin etiam, quod metuit, auget, pudetque primo
,ſtare loco otioſam induſtriam. Nimirum ubi animus errat, optimum eſt
,caſum ſequi. Credetis io credite Sarmatæ, tam recentis fulgor purpuræ
,in Boruſſia tam inopinato reſplendentis, cometa eſt nunquam terris im-
,punè refulgens. Captiva pergama, & diu victos Phrygas novus hic A-
,chylles arte non contemnendâ petit. Occupanda eſt ambitio, nec danda
,mora Sceptris. Tuta eſt, latetque culpa, ſi patimur ignavi, ſi leges, ſi ju-
,ra ceſſant; ferrum & ignis infauſti ſæpe fuit medicina morbi. Supremi
,Dominij titulus ad hoc punctum conceſſus per Commiſſarios, ne quis à
,Sereniſſimi Electoris Brandeburgici ſententia ad Cancellarij Regni Curi-
,riam (moribus antiquis) appellaret, minimè præſentem Majeſtatis uſur-
,pationem tuetur. Clara ſunt pactorum Vielavienſium verba; non tamen
,perpetua Feudi alienatio inde ſequitur, paulò pòſt; tali pacto Ducatus
,præfatus à Rep. non avelletur. Quid plura? Commiſſarij Regni priva-
,tâ authoritate neque hoc potuerunt concludere, ut non interrogatam
,priùs Nobilitatem Pruthenicam, neque obtento totius Reipub. conſenſu
,ad tam diram ſervitutem Brandeburgicæ Cancellariæ tam liberaliter dam-
,narent. Par enim in parem ſibi fruſtra jus ita ſeverum uſurpaverit. Huc
,poſthumis Romani Senatoris effatum, quod in Patrum conſeſſu graviſſi-
,mo protuliſſe in ſimili occaſione memoratur, referri poteſt; *ſponſione,*
quæ injuſſu populi Romani facta eſt, non teneri populum Romanum.

,,Jam palàm ſit toti Europæ, quàm ingenioſè, & quàm ſublime Sereniſſi-
,mus Elector Brandeburgicus conſtruxerit ſibi ſolium, ex quo Poloniam
,Altricem ſuam facilius poſſit deſpicere, ridereque. Gradus, quibus illud
,conſcendit, demonſtrari poſſunt univerſis. Præluxêre, ad Thronum vigi-
,lantiſſimæ in omnes partes ſive Anteceſſorum, ſive Majorum domûs iſti-
,us excubiæ, quæ nihil omnino prætermiſere, quod ad texendam, & ali-
,quando perficiendam Regiam purpuram, quamvis è longinquo ſpectabat,
,Semper enim expectabatur cœlum Reipublicæ turbidum, in quo liberius

 piſca-

A.C.1701 , piſcari liceret illicita. Addidere faces ambitioni continuæ Regum Po-
, loniæ exuberantes gratiæ, & inconſultæ privilegiorum (inſciâ Repu-
, blicâ) largitiones, quæ plura ſibi quotidie à Feudatarijs grati animi
, teſtimonia promittebant, quàm illi profundâ deſtinatione molirentur.
, Ædificabatur ergo vobis Domini mei Poloni vicinæ Palladis aſtu eqvus
, Trojano ſimilis, qui pacta omnia Feudi, tanquam non ſecura ob non
, ſervatas conditiones legitimas, quocunque demum pede obtereret. A-
, lebatur hucuſque in Feudatarij & Fœderati veſtri ſinu immortale hoc
, fulmen in Polonas cervices ex inſidijs aliquando erupturum, perturbata
, hinc inde bellorum turbinibus infelici Repub. Arguti nimium ad fun-
, dandum in Feudo abſolutum Dominium Poſſeſſores non tam ibant ad
, ſcenicum hoc diadema, quàm ferebantur, non ſegni ſolertiæ alas ad-
, dente, cæco ſui ſangvinis Regum Poloniæ amore. Rem totam per cō-
, pendium ab origine repeto ad memoriam temporum (quibus licebit pa-
, riter vera loqui) ſed inprimis ad incautæ Polonorum gentis, & ſim-
, plici quotidie libertatis invidendæ candore gloriantis animadverſionem;
, ſinceræ ubique veritati non paſſioni operam & folia hæc litaturus; ſal-
, vis Sereniſſimi Electoris Brandeburgici titulis, non tamen Regiæ Ma-
, jeſtatis, ſuſpensâ hucuſque admirationis ſupercilio Polonâ Republicâ.

„ Nimirum Albertus Brandeburgicus Anſpachiano ſtipite oriundus,
, Canonicus imprimis Colonienſis Crucigerorum, deinde in Pruſſia Ma-
, giſter electus ejuratis profeſſæ Religionis votis, Lutheri ſectam ample-
, xus, ideoque Pontificiæ cenſuræ fulmine percuſſus, nec non à Carolo V.
, proſcriptus imminente ſibi undique non vano metu Sigiſmundo I Polo-
, niarum Regi, avunculo ſuo, ut ad homagium Pruſſiæ admitteretur, hu-
, millimè ſupplicavit; & obtinuit facilè Sororius ſangvis apud Sigiſmun-
, dum, quod tam divinæ, quàm humanæ leges vetuere. Tot ergo Sacri-
, legia ad Principatum Pruſſiæ, & infelicem thalamum, tiaratum Apo-
, ſtatam duxere. Quàm porrò gratus fuerit, acceptæ dignitatis palam
, demonſtravit, quando Maximilianum Imperatorem ad fœdus cum Mo-
, ſcho contra Polonos ineundum flagitioſiſſimè pertraxit. Forte exigente
, vindictam divinâ Nemeſi à Polonis, quòd tamdiu in Vaſallagio Pruſſiæ
, ſacrilegum apoſtatam ipſo facto & jure convictum paterentur. His
, virtutum ornamentis commendatus Feudatarius adijt, & continuavit
, Pruſſiæ Principatum. Unde poterant Reges Poloniæ extinctâ ſtirpe An-
, ſpachianæ ſucceſſionis facilè metiri ſpem ulterioris fortunæ Regni, ſi
, alios præterea Feudo Pruſſiæ dignarentur: ſed vicit iterum favor Si-
, giſmundi Auguſti tam graves juſtoſque metus, admiſit aliam lineam
, Electoralem ſeu Berlinenſis domûs itidem Brandeburgicæ, quam nul-
, latenus Feudum Pruthenicum attingebat. Neque hic ſtetit in præfa-
, tam familiam regalis munificentiæ dignatio. Albertienim Friderici ho-
, magium non minori benevolentiâ Sigiſmundi Auguſti, quàm novi Feu-
, datarij aſtu Joachimus Marchio Elector per ſimultaneum vexilli con-
, tactum (quo ſubordinati Nuntij prohibiti à Rege non fuerunt) aſtu-
, tiſſimè ſecutus eſt. Fruſtra deinde vel muſſitantibꝰ vel proteſtantibꝰ or-
, dinū Regni Nuntijs, juraq; ſua repetitâ toties reclamatione proferentibꝰ,
, nimirum intravit ut vulpes, regnavit ut leo, quotidie prædæ inhians. Imò
, ne quid fortè deeſſet ad exquiſitæ ambitionis induſtriam, obtinuit à Sigiſ-
, mundo III. novum pro ſe & Fratribus ſuis jus Feudi excluſâ publicis tabulis
, ſucceſſione Domûs Columbacenſis Onaldinæ Franconiorum Marchionum.
, Quanquam & hanc excluſionem ita ſolemniter perfectam infucarunt Pa-
, cta Bidgoſtienſia ſub belli Svetici tempeſtatem privatâ tantùm Regis affi-

ci

„ſit interim authoritate protruſâ potius vel extortâ, quàm compoſitâ, ne- *A.C.* 1701
„que unquam niſi forte ſubreptitiè ignorante, & non conſtante ſibi Repu-
„blicâ ultimo abdicationis Caſimirianæ die, quo jam Rex Imperio ſuo va-
„ledixerat, viſa paucis admodum, atque illis tantùm in angulo familiari pro-
„bata, quibus non decus publicum, ſed privatum commodum in primis cor-
„di fuit. Et hi ſunt primi gradus, hoc fundamentum uſurpati nuper Thro-
„ni Boruſſiæ nunquam Poloniæ Regibus antea ſomniati. Nimirum, ut ibi
„ſe Regem ipſe eligeret, jactaretque Filius, ubi nuper illius Parens in jura-
„mento Feudali Regem Poloniæ Dominum ſuum naturalem appellabat. Ita-
„ne ſervantur jura bonæ viciniæ? hoccine eſt Feudatarium & amicum eſſe,
„hoccine perpetuum & inviolabilem Fœderatum ubique cenſeri? appello Eu-
„ropæum orbem, & quidquid infra illum Regnorum eſt, ut ferant ſenten-
„tiam, an ita Regum beneficia tractari debeant? certè Medos inter & Per-
„ſas, imò ipſos inter & Garamantas non eſt iſta lex aut refragatio, meritò
„porrò digna, quæ ſuâ purpurâ orbe univerſo coram erubeſcat, hæc re-
„cenſentur tam ab Hiſtoricis graviſſimis, & ad quos cognitio ſpectabat ju-
„re, quàm à recentiſſima ſemper majorum recordatione. Pacta turbulen-
„tiſſimo ſemper Reipublicæ tempore ex arte procurata, obſervata nunquã
„in integro, nunquam legitimè determinata, niſi per Commiſſarios, quibus
„in Regno Poloniæ non eſſe jus integrum tribunitiâ interceſſione reclaman-
„te palàm eſt omnibus, qui leges veſtras obiter introſpexêre. Libelli cau-
„tionum ſcripti, non obſervati. V. G. *Nos, Succeſſoresque noſtri quot annis in ærarium publicum inferre tenebimur triginta florenorum millia annua Polonicalium, quoties, verò neceſſitate aliquâ poſtulante in Regno tributum decretum publicè fuerit, totidem alia* 30000 *ejuſdem valoris ſeu monetæ, ita ut cùm tributum ſcitum fuerit, ſexaginta millia à nobis dependantur. Quarum quidem ſummarum nomine quoties numeratæ fuerint, Regni Theſaurarius nos, Miniſtrósve noſtros liberare ſeu quietare tenebitur; & eodem proximè anno, quoties neceſſitas poſtulaverit, quatuor naves ad tuendam oram maritimam Pruſſiæ noſtro ſumptu habebimus.* Producantur præfatæ quieta-
„tiones in facie Regni ordinum, producantur tabulæ teſtes ſervatæ fidei, &
„bella ſunt finita. Et tamen Sigiſmundus III ad moleſtas preces Joanni Si-
„giſmundo Duci in Pruſſia in hanc formam reſponſum dediſſe memoratur
„à Zavaccio Caſtellano Culmenſi, Gubernatore Lipinenſi in ſpeculo hiſto-
„rico annalium de imminuenda, quæ ex pactis habetur penſione non niſi
„in comitijs agi poteſt. Quare nec Commiſſarij, qui à Regia Majeſtate dan-
„tur hac de re quidquam vel indagandi, vel ſtatuendi poteſtatem habere
„poſſunt. Utinam hujus reſcripti Regij recentem habuiſſent memoriam illi
„quoque Commiſſarij ad noviſſimum tractatum Elbingenſem Deputati non
„ita probroſè & injurioſè negotium publicum concluſiſſent, neque theſau-
„rum Regni inconſultâ Repub. abſente Regni Theſaurario, alijſque ad e-
„andem ſpartam electis referâſſent, multò minus (ſi vera fama eſt) E- *Falſa eſt*
„lectorem Brandeburgicum ex tam liquidis prætenſionibus privatâ faculta-
„te quietâſſent. Tam feliciter in partem Electoris Sereniſſimi compoſita &
„conciliata tractatio, quidni illius de novo Regno in Pruſſia fundando me-
„ditationem auxiſſet. Huc enim olim collimabat uſurpatum contra jus &
„fas publicum Balthici maris dominium abſolutum, huc portuum, littorum
„& teloniorum inſeſſio cum ingenti detrimento ærarij Regij, & vicinarum
„civitatum incomparabili & manifeſta injuria. Huc Epiſcopatûs Sambien-
„ſis nunquam ſatis æſtimata detentio contra tot requiſitiones, & ſi non in

A.C.1701 , perpetuum eluſa, & erepti proventus Antiſtiti Varmienſi cum armamen-
, tario Provinciæ; ſed quia hæc injuria Romanum in primis Pontificem di-
, rectè petit, tanquam immediatum Varmiæ Protectorem, ego ſæcularis e-
, ques plura non audeo. Quid deinde bellum Sveticum contra Poloniam
, viginti millibus Brandeburgici militis ipſomet Parente, theatralis hujus
, Boruſſiæ Regis præliorum anteſignato auctum, & efficaciſſimè promotum
, uſque ad ultimã cladem prope Varſaviæ littora hucuſq; memorandã machi-
, nabatur? niſi ſyrma Boruſſicum, gradũq; Succeſſori ſuo ad abſoluti dominij
, Thronum conſtruebat. Et tamen, me herculè, minus egerat olim Lo-
, tharingus in Ducatu Barenſi Regni Galliarum pariter Feudatarius. Hic
, nihilominus ob datas interim Adverſarijs Galliæ ſuppetias à Ludovico
, XIV. egregiè Feudo ſuo pulſus, & Parlamenti Pariſienſis edicto redire
, prohibitus ad Principatum, quantumvis nullâ fraude occupatum & poſ-
, ſeſſum. Thekielio quoquè reducendo ad hæreditates in Hungaria propè
, ampliſſimas nullorum Europæ Principum apud Romanum Imperatorẽ
, valuêre ſuffragia, poſtquam directo & naturali ſuo Domino fidem non
, ſervâſſe deprehenſus eſt. Quid? ſi Regis prærogativam ſibi, quemadmo-
, dum Sereniſſimus Elector Brandeburgicus alter illorum uſurpâſſet; pri-
, us certè, quàm ego hæc ſcribam, jure merito exulâſſet. Sed Polonos ita
, fecit innocentes natura Parens, ut ab omnibus facilè poſſint decipi.
, Tota in verbis libertas, nimia vicinorum obſervantia nemine prote-
, ſtante publicè ignorantur illatæ injuriæ, diſſimulantur leges, imò e-
, tiam fraudes ipſæ majoribus officiis præmiantur. Et hæc eſt ultimaRe-
, gnorum calamitas. Feſtino ad reliquos novæ iſtius & ante hac inaudi-
, tæ in Polonia Boruſſicæ Majeſtatis ſplendores inſolitos & præcipuas u-
, ſurpatæ coronæ gemmas. Quàm inſigniter merita de Polonis Regibus
, & Rep. Domus hæc, teſtantur ſub bellum Sveticum Pacta de Pruſſia, de
, Varmia, de Palatinatu Poſnanienſi, Caliſſienſi, Terra Vielunenſi ſta-
, bilita. Varmienſis Epiſcopatus titulo Ducâtus ſæcularis indignâ meta-
, morphoſi appellatus. Poſnania præſidio Brandeburgico inſeſſa, Sveci pe-
, cunià & commeatu maximè tunc laborantes refecti, ut Rex Caſimirus
, ex urbe Gedanenſi in Poloniam reditu arceretur,

, Malè tandem jactâ rebus Sveticis aleâ ingenioſis artibus quid non
, molitus Elector Brandeburgicus? ut ſupremum Boruſſiæ dominium nul-
, lo conſenſu, ac ne ſcitu quidem Pruthenorum Lemburgum, Bitoviam
, Elbingam, Drahimum, ſummas ingentes in turbido caperet & extor-
, queret. Prædictæ injuriæ expectant hucuſq; totius Reip. approbatio-
, nem legitimam. Non enim Commiſſariorum legationi tanta unquam
, (integris Reip. legibus) dari facultas à Rege ſolo poteſt, non compel-
, lato Regni ordinum aſſenſu. Præterea poteſtne pondus aliquod habere?
, præſertim in facie Regni, quingentorum Equitum ſingulis bellis Polo-
, niæ ſubminiſtratio inſciâ Rep. quaſi in perpetuum abolita. Eſt adhuc
, in recenti memoria Roht & Kalkſteinius. Et Joannes III vindicâſſet,
, profectò tam fœdam læſæ Majeſtatis labem, niſi Viennenſis interve-
, niſſet belli occaſio. Habetis, nullus ambigo, præ oculis Feudatarij ve-
, ſtri monetam; & manibus quotidie verſatis, ſuperbo ſupremi Pruſſiæ
, Domini & Hæredis titulo donatam, jactatamque ad Poloniæ probrum,
, & dedecus immortale. Quaſi verò non ſatis fuerit Electori Brandeburgi-
, co, toto cœlo, marique in Poloniam deliquiſſe, niſi etiam in auro, ar-
, gentoque tam ſplendidè, publicèque peccare placuiſſet. Sed quacunq;
, demum arte quæſierit alibi Brandeburgicus Elector pretium ambitioni
, ſuæ apud generoſiſſimam liberæ adhuc gentis indolem, fruſtra eſt, quæ
Pruthe-

,Pruthenicæ Nobilitatis ſervitutem nunquam non ægris ſpectare poteſt ocu- *A.C.*1701
,lis. Quid tamen hucuſque hæretis? Viſtulæ trajectus à Brandeburgico velut prætorianâ poteſtate violentiſſimè uſurpatus, vos premit, non ſentitis
,Gvarantias, ligas, cum Regibus & Principibus, toties contra vos ab amico, à fœderato perpetuo & Feudatario compoſitas, quotieſcunque alia bella imminerent, non intelligitis? iam ne indulſiſtis ſupremi titulum Domini in Lemburg & Bitow, neque legibus Feudi, nec ullâ tractatione, aut ,à Principio ſtatim traditi dominij nominatione conceſſum, coæquationis ,monetæ Pruthenicæ toties negatæ, vel eluſæ ingentia damna non computatis, violenta Drahimi occupatio ad famam abdicationis Regiæ ſine ,ullo reſpectu pactorum, ſine inquiſitione ſummæ apud Rempub. & denuntiatione, itane tam profundè apud vos ſepulta, noviſſima tandem illa Elbingæ occupatio tunc intentata & perfecta, quando Sereniſſimus Auguſtus veſter comparatis armis verſus Camenecum expeditionem ſuam ,adornaverat; tamne citò exolevit? Dij vos jam perdent ô Poloni! niſi ,tot tantasque injurias (ſi non æquo jure) ferro certè & igne ſtrenuè procul morâ vindicaveritis. Turcas, Scythas, Moſchos, Svecos, Hungaros, ,Coſacos, & quidquid extremus Orbis ad perniciem humani generis ſub ,adusta infauſtis ſyderibus plaga educat, toties domuiſtis triumphaliſſimè, ,& ſcenicum hunc Boruſſiæ Imperatorem, an uſurpatorem Sereniſſimum ,frangere, fugare aut proſcribere non poteritis? placetne tantùm fidere ,huic Feudatario coronato, quantum ille vobis nocere quotidie meditatur, ,ad arma; ad arma Lechi, ne brevi annorum ſpatio quæratur, Lechiæ quis ,fuerit locus? Talia enim nullis officijs cicurantur monſtra, & tardis nimium Polonis lentior eſt chalybs, quibus paſſim, in ludo gladius frangitur, aliàs, quod parat vincere Elector Brandeburgicus per ſingulares cum ,privatis tractatus, jam victum eſt; mortis habent vices lentè cùm trahuntur ſceptra gementibus (una ſalus inferre; ſi hoſtis diſplicet, quem ,nulla tellus ſilet, aut ſi non ſublimis inter læta civium omina ſecurus incedit)

Cyrrhæa Pæan templa per æthereum Domum
Serpente cæſo meruit.

,Pronum eſt ſperare, ut arma ſuperi noſtra comprobent, in quos collecta ,undique per tot ætates mala redundârunt, gravi ſæculo premente ſemper ,Patriam. Tandem hoc unum timere diſcat hoſtis, quòd nihil timeat. Optatus ille portus ærumnis erit, ſtare Polonos illo, quo Thronum ſibi poſuit ,loco ambitio. Iam præcox, avaraquè fortuna, vires ipſa conſumet ſuas, ,nec ſi velit nocere, habebit, quo noceat. Reddite ipſi titulos, quos Feudo attulit, & ſatis pœnæ feret,

,Vel ſi in propinquos nil properè conſtitui decet, in jus aliquando Regni vocetur Feudatarius poſt ſua tot acta nullis æquanda malis. Hoc ſaltem à vobis poſtulant Pactorum ſacra fœderum toties violata, eluſa toties. Hoc expectant ſublatâ appellatione in ſervitutem acti nobiles Pruthe-,ni; hoc ſuſpirant populi à vero numinis cultu abducti. Hoc inprimis exigit læſa Majeſtas Vaticana, cujus eſt ſceptra dare. Vindicate innocentiſſimum orbis Chriſtiani caput à tam inſolenti contumelia, quod probè ,quidem intelligit inuſitatum hunc in Regnis orthodoxis ſupremæ ſuæ poteſtatis contemptum; ſed expectat tantiſper zelum veſtrum continuâ ,Regum Poloniæ ſerie Romani Pontificis. Tenet Paternâ ſuâ manu fulmen, ne citiùs erumpat, quàm Religionis veſtræ capiat argumentum. ,*Puræ* nec ullum hoſtem metuentes manus liberatæ à tam probroſo de-,*decore* tot Regum veſtrorum beneficia. Meretur hoc procul dubio ju-,*ratus* Regibus amor, & honor tam publico ludibrio adverſâ proſtitu-

tus

A.C.1701 „tus viciniſolij Majeſtate. Palmaris enim benevolentiæ contumelia eſt, „apertè decipi. Sereniſſimi Poloniæ Reges nunquam antiquos Haliciæ „Regni titulos voluerunt uſurpare, qui tamen Reip. ſuæ viſceribus con- „tinetur. Illi Præfecturâ Halicienſi Gubernatoris traditâ, qui (abſit „Regis Boruſſiæ offenſa) exceptis Sereniſſimis compellationibus, Illu- „ſtriſſimâ origine & fortunis par cuique Feudatario. Non ambigite de „ſuffragiis ſemper miſerentis cæli, quotidiè injurias veſtras tot oculis „ſpectat, quot ſyderibus orthodoxum hoc Regnum contemplatur. In- „felix regnat, vel non diu, quicunque quos odit, premit. An tam a- „pud vos futurorum perdidit vires amor, tantúmque ab illo traxit in- „felix ſtatus, ut illicita amentur? Excidit, quidquid licet! O nullâ do- „lor contente pœnâ! ſcilla & charybdis Sicula contorquens freta mino „eſt timenda vicinis littoribus, quàm novus hic Coronatus. Nulla non „melior fera eſt, quàm inconſultis beneficijs fæta diu, nutritque ambi- „tio, quæ novas à proximis ſumit opes, animumque damnis, & velut vici- „na jacens ſub rupe tigris deliberato paſſu in agrum proſilit alienum, ut „non humiles prædas agat. Non queror commune malum. Nulla enim „Regna pares vobis vicinos habent. Poteſt equidem Sereniſſimus Elector „in futuris Regni comitijs ſpecioſas verbis, & rebus vacuas adferre Reipub. „excuſationes, ſed meminiſſe oportet dubiam ſalutem qui dat afflictis, ne- „gat. Cæca dominandi libido, ut fortius quotidiè nocere valeat, cupit „eſſe potens. Nulla fides illi, poſtquam vobis melior fortuna ruit. Nul- „lam pacem diu ferre poteſt ſuperba audacia ſed felici temeritate in præ- „ceps fertur. Profectò ſi tubæ, ſi Regni jura ſilent, ſi ponitis arma Poloni, „neque adultam ferro domatis feram, facilè adducor, ut credam perniciem „vobis, & dira ſævos fata moliri Deos. Videte quæſo, ſi vobis aliquando „parcet ille, cui veniâ ſemper veſtrâ opus eſt; ideò, quòd nunquam vobis „pepercerit. Id eſſe novi Regni jus, faſque putabit ſemper, ſi quod vobis „non ita facilè licebit, illi quotidiè liceat, moribus antiquis, & ex uſu. Non „aliam legem obſervabit in ſolio, niſi quam privatus ita fortiter tuebatur. „Præceps eſt, & cæca temeritas, quæ amat caſum Ducem. Quodſi neque „hoc levamen veſtris ærumnis datur, ut videatis, quo pereatis modo, ſi om- „nes officio ſtupent relicto, & remos timet manus pereunte navi, ſi quiſ- „quis Trojam ſubruit, felix vocatur, ſi ponitis haſtas, & quaſi feſſum en- „ſe miles exonerat latus, quando primum armari decet; jam diviſa præ- „da eſt. Iam Varmia, & reliqvum quidquid Pruſſiæ in meta. Iam ad jus „lentè trahimur Imperij cum Rege Boruſſiæ; jam ad ruinam ſupremam „properantibus omnis mora nimium longa erit, & priuſquam Romæ con- „ſulatur, Saguntum capietur. Augebunt vires audaciæ coronatæ, nondum „compoſiti Litvaniæ motus, addent facem arma Svetica, redibit ad inge- „nium ſuum leo ſagax, ut ex vicinorum campis agat prædas, quæ tantâ „ſitim extingvant ſangvine, & ungves impleant. Vel ſi aliquando quieſcet, „ſemper tamen apertis in vos oculis victorias ſuas ſomniabit, interim hi of- „ficijs Legatorum, illi precibus fatigabuntur amicorum, plures vincentur „pretio, ſub ſpecie publicæ tranquillitatis, ut novum Regem non in Clivia, „non in Montibus, ſed in Regali Pruſſia, cum muneribus venientes ado- „rent. Præmia evictæ pacis invidebit Pyrrhus Patri, Ajaci Ulyſſes, He- „ctori Atrides minor, Priamo Agamemnon; ipſa demum ſe Reipublicæ claſ- „ſis premet jam ruptis velis inclinata, & prora proræ, & lateri latus noce- „bit, Sereniſſimus verò Elector Brandeburgicus æqualis aſtris gradietur.

„Hæc quæ bono publico non ex Rabularum folijs, ſed ex Juſtiniani „codicibus derivata exaravi, vobis Domini Poloni unà mecum dedico, o-

roque

„roque, ne antiqua paræmia fidem apud vos inveniat aliquando, Phryx *A.C.*1701
„plagis melior.

REGIAM DIGNITATEM AB ELECTORE BRANDEBURGIco in Pruſſia nuper, aſſumptam nihil in ſe habere, quod juribus Regni Poloniæ Pactisque inter illud & Domum Brandeburgicam olim initis repugnet, aut Regi & Reipubl. Poloniæ fraudi & detrimento eſſe poſſit Anno M. D. C. C.

FAma fert, imò ex ſcriptis publicè editis conſtat eſſe nonnullos in Sereniſſima Repub. Polona, qui Regium titulum, quo non ita pridem Sereniſſimus Elector Brandeburgicus inſignitus eſt, ita interpretantur, ac ſi inde detrimenti aliquid ad inclytam Remp. redundare poſſit. Qui error cùm arctiſſimum illud amicitiæ, conjunctionis ac vicinitatis vinculum, æterno fœdere utramque inter Gentem conſtrictū, labefactare aliquo modo poſſet, ut ex omnium animis funditus evellatur, paucis, ſed ſolidè demonſtrabitur.

AD SUMPTIONEM ISTAM REGIÆ DIGNITATIS.

NEque contra æternum Velavienſe ac Bydgoſtienſe Fœdus per pacem Olivenſem corroboratum, neque contra amicitiam ac conjunctionem in eodem utrinque ſtabilitam.

„ Neque contra jura & intereſſe, ut vocant inclytæ Reip. ullo modo eſſe, quin potius ejuſdem quam maximè intereſſe, ut Sereniſſima Reſp. Principem æterno fœdere junctum, ad exemplum Imperatoris, ac aliorum plerorúmque Regum, quòd ſine ullo ſuo detrimento facere poſſit, imò ut faciat ex legibus fœderis, quò alter alterius honorem ac commodum quærere tenetur, obſtricta ſit, agnoſcat.

„ Vix credibile videri meritò debet, eſſe quenquam Status Europæ publici adeo rudem, quem fugiat, quâ ratione domus Electoralis Brandeburgica per Pacta, quæ primum Anno 1657. Velaviæ inita, deinceps Bydgoſtiæ ratihabita, & non multò pòſt Olivæ in celebri iſto pacis tractatu corroborata, ſummi & abſoluti Imperij jura, in illam, quam poſſidet, Pruſſiæ partem conſecuta, iiſque ex eo tempore, nemine turbante aut contradicente uſa ſit, eademque hodie dum quietè exercet. Quoniam tamen nonnulli non dubitavêre, ſummum illud Domûs Brandeburgicæ in certam Pruſſiæ partem dominium, poteſtatémque à nemine dependentem publicè oppugnare atque adeò affirmare.

„ Illam partem Pruſſiæ quam Domus Brandeburgica poſſidet, eſſe Reip. dominium & hæreditatem, Electoremque Brandeburgicum dignitatem regalem ſuper iſtas Pruſſiæ terras, non potuiſſe ſine inſigni in Rem.pub. Poloniæ injuria ſibi circumdare, neceſſarium eſt iſtum errorem inconcuſſis rationibus evertere. Inficias equidem non iverim, iſtam ipſam, de qua nunc diſquiritur, Pruſſiæ partem, olim ex eo tempore, quo Albertus Marchio Brandeburgicus armorum vi conſtrictus, & à Domino Feudi, quem hactenus agnoverat, Imperatore ſcilicet ac Imperio deſtitutus, eandem à Regno Poloniæ in Feudum recognoſcere fuit adactus, uſque ad Fridericum Vilhelmum Electorem Brandeburgicum fuiſſe Feudum Regni Poloniæ.

„ Facilè etiam id conceditur, ſi illis temporibus, & durante adhuc Vaſallagio Polonico, Ducibus Pruſſiæ viſum fuiſſet Regium titulum ſibi aſſumere, quod quidem nihil abſurdi habiturum fuiſſet, certè exemplis non careret, ſiquidem & alij, per Europam Reges numerantur, quorum Regna Feudorum indolem habent, & ab alijs Principibus clien-

A.C.1071 „tari jure conferuntur, id quod exempla Regnorum Neapolis, Siciliæ, „& Bohemiæ, comprobant. Non potuiſſe tamen iſtius mutationis conſi„lium haberi ratum, niſi Rex & Reſp. Poloniæ id ſuo conſenſu atque „calculo firmâſſent.

„ Verùm enimverò Pruſſia Brandeburgica inde ab anno 1657 diver„ſam prorſus à priori faciem, naturamque induit. Illo enim anno Rex Jo„annes Caſimirus, qui tum in Polonia rerum potiebatur, tam ſuo, quàm „Succeſſorum nomine ſuffragante, ac plene approbante Repub. Poloniæ, „Fridericum Vilhelmum Electorem Brandeburgicum, omneſque eius „deſcendentes, Succeſſores Maſculos per pacta ſolennia ac æterna, qui„bus tum temporis Reip. redintegratio, ſalus, ac ſecuritas reſtabilita, „& quorum firmitatem inviolabilem diverſi, ijque maximæ per Europam „authoritatis Principes ſuſcepère Vaſſallagij, juriſque Feudalis vinculo, „quo Elector modo dictus, ac ipſius Anteceſſores, à tempore primi Du„cis Alberti Poloniæ fuerant obſtricti, penitus exolvit, atque liberavit, „eiſque univerſis ac ſingulis pro Dominis Principibus Pruſſiæ Brande„burgicæ ſummis declaratis, poteſtatem abſolutam, neminique morta„lium ullâ ratione obnoxiam tradidit.

„ Eâ de re ne cuiquam ullus ſuperſit ſcrupulus, verba pactorum Ve„laviæ anno jam indicato 1657, conſtitutorum hic ſubnectimus, quibus „ea, quæ diximus liquidò docentur, formulis, quæ jam ſequvntur.

ARTICULUS QUINTUS.

Quorum intuitu & aliorum præſertim infra ſpecificatorũ & alijs juſtis de cauſis Ducatum Pruſſiæ ijs finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim jure Feudali, ante hoc bellum exortum poſſidebat, ipſe deinceps & deſcendentes ejuſdem Maſculi, ex thoro ejus legitimè procreati, indeque deſcendentes omnes, donec quiſquam ſuperſit ex deſcendentibus Maſculis Sacræ Serenitatis Electoralis jure ſupremi Dominij cum ſumma, abſolutaq; poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque absque omnibus ante hac præſtitis oneribus.

„ De Pactorum jam allegatorum validitate ac vi obligandi, & quod „eadem inter Regnum Poloniæ, Domumque Brandeburgicam lex ſit Sa„croſancta, inviolabilis ac æterna, quodque niſi fœderis apertè rupti, „violatique opprobrium ac notam temerè quis velit illorum, quæ in ijs „ſtipulata ſunt, atque promiſſa, in dubium vocare nemini, qui „circumſtantias ſequentes expendere voluerit, ulla dubitandi relinque„tur cauſa.

I.

„ Fœdus iſtud cum ſummæ abſolutæque in Pruſſiam Brandeburgicã „poteſtatis conceſſione, quæ eodem fœdere comprehenſa eſt, non deſul„toriã tractatione, aut ſine graviſſimis, ſufficientibuſque rationibus, „ſed quæ ipſorum Pactorum verba ſunt, ideò à Regno Poloniæ decretũ „fuit, atque initum, quod Deo clementer annuente Sereniſſimus Ele„ctor Brandeburgicus ad ſinceram pacem & amicitiam cum Sereniſſi„mo Rege, Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Litvaniæ conjunxerit, „ut mutuam utilitatem, commodum & ſecuritatem ſincerè procurare, „ac promovere teneatur. Quod porrò Sereniſſimus Rex ac inclyta Reſp. „probè perpenderint, tum pericula, quæ ſuæ Serenitati Electorali ter-

risque

„ riſque ipſius per ipſam ſeparationem à partibus hoſtilibus imminebant, *A.C.*1701
„ tum quanti interſit Regis ac Reip. vicinum Principem juſtis devincire
„ modis tum in primis quanta, quamque utilia Regi, Regnoque Poloniæ
„ per effectivam & actualem armorum conjunctionem præſtare ſua Sere-
„ nitas Electoralis deinceps poſſit tam belli, quam pacis tempore.

II

„ Etiam hanc ob cauſam Pacta hæc eò ſanctiora, eóque firmiùs o-
„ bligantia habenda ſunt, quòd ea non iſto tantùm tempore, quo ſancita
„ fuêre à Rege Poloniæ & Senatoribus ei aſſiſtentibus, ſed à ſequentibꝰ
„ quoque Regibus Michaële, Joanne, & nunc regnante Auguſto, quando
„ auſpicia Regni primitus inierunt, per Commiſſarios ex ordine Sena-
„ torio & Equeſtri mandatis ad eam rem neceſſarijs inſtructos, juramen-
„ to corporali in animam Regum, qui ipſis hujus rei facultatẽ dederant,
„ præſtito ſunt roborata; imò in comitijs Reipub. generalibus anno 1658
„ habitis, re in conventibus particularibus ante propoſitâ, deliberatâque
„ nullo planè ex Regni ordinibus repugnante, proteſtante, aut contra-
„ dicente, ſed omnibus unanimiter conſentientibus, lege publicâ appro-
„ bata & confirmata.

III.

„ Tabulis etiam publicis inſerta.

IV.

„ Inſecutis dein anno 1660 Pactis Olivenſibus repetita. Nec minus

V.

„ Ordines Pruſſiæ Brandeburgicæ non ſolùm Pactorum Olivenſium
„ articulo VII. hiſce verbis: ſua Regia Majeſtas atque Reſpublica Poloniæ
„ hoc ipſo exolvunt Status Officiales, omnesq; Pruſſiæ Ducalis ſubditos pri-
„ ori juramento, quo hactenus illis obſtricti fuerunt.

„ Sed poſtea quoque per Commiſſarios anno 1663 à Rege & Repub.
„ Regiomontum miſſos à dependentia & jurejurando, quibus eouſque Re-
„ gi & Regno Poloniæ, ſeu Domino ſuo directo devincti fuerant, exoluti,
„ atque cum plenaria ſubjectione ad Domum Electoralem Brandeburgicam,
„ quamdiu quiſquam ex Friderici Vilhelmi deſcendentibus maſculis reliqvus
„ fuerit, remiſſi ſunt. Quâ occaſione

VI.

„ Nova formula homagij, quod ordines Pruſſiæ Brandeburgicæ (1)
„ Principi ſuo Supremo & Territorij Domino & (a) in eventum ſaltem ca-
„ ducitatis Regi, ac Regno Poloniæ præſtarent, introducta & recepta fuit.
„ Et Principi quidem ac Domino ſuo ſupremo Electori nimirum Brande-
„ burgico, quovis tempore ſucceſſuro ſtatus jubebantur, ſequenti jurejuran-
„ do ſe obſtringere.

„ Ego N. promitto, atque juro me Sereniſſimo Principi ac Domino,
„ Domino Friderico Vilhelmo Marchioni Brandeburgico, S. R. I. Archi-Ca-
„ merario, & Electori, tot. tit. Electori atque Domino meo Clementiſſimo,
„ ſuæque Serenitatis Succeſſoribus, juxta tenorem Pactorum Velavienſium,
„ ceu ſoli legitimo & immediato meo hæreditario, ac Supremo Duci Pruſ-
„ ſiæ fidem ac obedientiam præſtiturum, ſuæque Serenitatis Electoralis, e-
„ juſque Hæredum ſalutem & commoda promoturum, ejuſdemq; ac ipſius
„ terrarum, ac ſubditorum detrimenta ac incommoda pro virili mea parte,
„ & quantum in me ſitum eſt, anteverſurum, præmoniturum, ac ſubmo-
„ turum, ſicuti fidelem, probumq; ſubditum decet. Meque nullâ prorſus
„ re, quæcunque humani vis ingenij cogitando reperire queat, ab hoc a-
„ nimo abductum aut impeditum iri, omnia fideliter & ſine dolo. Ita me
„ DEus adjuvet poſt JESUM CHRISTUM! Regnò verò Poloniæ hâc ju-
riſju-

A.C. 1701 „ risjurandi formulâ ordines Pruſſici juſſi ſunt ſe obſtringere.

„ Ego N. juro etiam, quòd exiſtente caſu, quo ſuæ Serenitatis Electoralis Hæredes, ex ipſius ſangvine procreati, non amplius futuri ſint, adeoque tunc poſſeſſio Ducatûs Pruſſiæ ad ſuam Regiam Majeſtatem & Regnum Poloniæ redierit, Ego tunc & non citius juxta tenorem tractatuum inter ſuam Regiam Majeſtatem, & Serenitatem Electoralem die 19 Septembris 1657 initorum Regiam Majeſtatem, Regeſque ſucceſſuros & Rempub. Poloniæ, pro ſolis legitimis, & Immediatis Dominis meis perinde, ac reliqui Regni Indigenæ, agnoſcam. Ita me DEUS adjuvet

„ Qui utramque hanc jurisjurandi formam inter ſe conferre voluerit, facile in hæc duo capita nobiſcum conſentiet.

„ (1) Vi iſtius jurisjurandi præſenti hoc tempore, & quamdiu Electoris Friderici Vilhelmi poſteritas durabit, eam ſolam ſummum Dominum Pruſſiæ Brandeburgicæ eſſe, &

„ (2) Indigenas Pruſſiæ Brandeburgicæ tunc demum, quando Electoris Friderici Vilhelmi deſcendentes maſculi deſinent, neque id citius Regnum Poloniæ pro Domino ſuo debere agnoſcere; quamdiu verò quiſquam iſtorum deſcendentium ſuperfuturus eſt, dominium, quod Regnum Poloniæ in Pruſſiam Brandeburgicam olim, cùm nexus Feudalis adhuc duraret, habuit, ſublatum abolitumque eſſe.

„ Monendum hic ſimul eſt, iſta jurajuranda non à ſola aula Brandeburgica propriâ authoritate, & clanculum ita concepta ac formata, aut clam abſque reſcitu Regni Poloniæ præſtita eſſe. Minimè id quidem, ſed mutatio iſta facta eſt, & juramenta dicta jam ratione ſunt præſtita, conſentientibus, approbantibus, ac præſentibus Commiſſarijs ad iſtum homagij actum, à Rege & Repub. delegatis, fueruntque hi Commiſſarij in primo, quod poſt obtentam ſupremam poteſtatem anno 1663 Electori Friderico Vilhelmo præſtitum eſt homagio Dominus Joannes Stephanus Wydzga Epiſcopus Varmienſis, & Dominus Joannes Comes in Leſzno Leſzczynſki Pro-Cancellarius Regni & in ſecundo, quod poſt mortem Patris filio Friderico anno 1690 tum Electori nunc Regi præſtabatur, Dominus Hieronymus Lubomirski S. R. I. Princeps Curiæ Regni Mareſchalcus, & Dominus Stanislaus Szczuka Referendarius Regni.

„ Quomodo ergo rebus his comparatis, ullo argumento probabili dici poteſt: Pruſſiam Brandeburgicam etiamnum eſſe Reipub. Poloniæ dominium & hæreditatem? Ejuſve proprietatem, ac dominium directum ad Rempub. Poloniæ pertinere? vel hanc Pruſſiæ partem (ut nonnemo loquitur) ex ſola tantummodo benevolentia Domui Brandeburgicæ hactenus eſſe permiſſam?

„ Diverſi planè tenoris eſt articulus V. Pactorum Velavienſium jã ſupra inſinuatus, qui expreſſum diſcrimen inſtituit inter jura illa, quæ Domui Brandeburgicæ olim in Pruſſiam competebant, & iſta, quibus vi iſtorum tractatuum ex eo tempore, & deinceps gaudere debet.

„ Quæ olim in Pruſſiam habuit Domus Brandeburgica jura hiſce verbis indicantur.

„ Ducatum Pruſſiæ, quem Sereniſſimus Elector olim jure Feudi poſſidebat.

„ Illa verò jura, quibus ex eo tempore, ac porrò Domus Brandeburgica in Pruſſiam frui debet, ſequenti modo ſunt expreſſa: ipſe deinceps, & deſcendentes ejuſdem maſculi omnes, donec quiſquam ſupererit, jure ſupremi dominij, cum ſumma abſolutaque poteſtate, ſibi habebunt, poſſidebunt, regentq; abſque omnibus antehac præſtitis oneribus.

„ Conceſſa igitur, atque traditâ Domui Brandeburgicæ per Pacta æterna, jam ſæpius memoratâ hâc in Pruſſiam Brandeburgicam poteſtate, ac dominio

„dominio, nullâ prorſus ratione Feudalitas, ac dependentia, qua iſta Pruſſiæ *A. C.* 1701
„pars, Poloniæ adhuc innexa dicitur, cùm ea conciliari, nec verbi reperi-
„ri poſſint, quæ clariùs iſtis ipſis doceant, dependentiam iſtam ac Feudali-
„tatem veterem, quamdiu Electoris Friderici Vilhelmi deſcendentes maſcu-
„li adhuc ſuperſunt, ſublatam, extinctam, atque abolitam eſſe &c: Quoniam
„de Domo Brandeburgica in articulo, cujus aliquoties jam mentio facta eſt,
„dicitur: Quod Pruſſiam Brandeburgicam jure ſupremi dominij ſibi habere,
„& eam cum ſumma, abſolutaque poteſtate regere debeat &c: conſequitur
„eam in Dominio & Patrimonio alieno eſſe non poſſe. Rem etenim aliquam
„jure ſupremi dominij ſibi habere, nihil aliud eſt, aut ſignificat, quàm eſſe
„ejuſdem Dominum aut Proprietarium, quamvis iſta proprietas ac domini-
„um exiſtente certo caſu tollatur, & ad alium devolvatur, quòd tamen an-
„tequam caſus ille accidat proprietati ac dominio ejus, ad quem, iſtud tan-
„tiſper pertinet, ne hilum quidem derogare, aut detrahere poteſt.

„ Pactis equidem Bydgoſtienſibus hæc verba inſerta ſunt: *Quòd ex tra-dito à Republica Polonia Electori Friderico Vilhelmo, ejuſq; deſcendentibus, abſoluto dominio non ſequatur perpetua Feudi alienatio.*

„ Nec id à quoquam negatur, interim ex eo pronâ juſtâque interpre-
„tatione neceſſariò ſequitur factam eſſe pactis Bydgoſtienſibus alienationẽ
„Feudi temporariam, quâ videlicet nexus Feudalis, & ex eo oriunda de-
„pendentia, quamdiu Electoris Friderici Vilhelmi poſteritas maſcula ſuper-
„ſtes erit, ſunt abolita adeo, ut non niſi extinctâ iſtâ poſteritate debeant
„reviviſcere,& hoc eſt, quòd à Domo Brandeburgica tantummodo urgetur,
„quippe, quæ ſaltem ad id uſque tempus, quo Friderici Vilhelmi deſcenden-
„tes maſculi extabunt, ſummam, abſolutamque in Pruſſiam Brandeburgi-
„cam poteſtatem ex clara æterni fœderis diſpoſitione, adeoque jure opti-
„mo ſibi vendicat, & adſerit.

„ Quòd ſi ergo hæc omnia immoto fundamento nituntur, ſicuti per
„hactenus dicta & deducta evidentiſſimè eſt demonſtratum, ſique Electo-
„ris Friderici Vilhelmi poſteritas quamdiu eam durare propitia fata ſiverint,
„Pruſſiam Brandeburgicam cum ſumma abſolutaque poteſtate poſſidet ac re-
„git, conſequens eſt, ut ei quoque liceat titulum Ducis ſupremi, quo ha-
„ctenus Pruſſiam ſuam complexa fuit, in nomen ac titulum Regis mutare,
„eumque titulum Regium ab alijs ſibi datum atque oblatum acceptare, ſi-
„quidem

„ 1. Hæc agendi libertas & facultas in tradito per Pacta Bydgoſtienſia
„ſupremo dominio, ſummaque ac abſoluta poteſtate, ſimul comprehenſa eſt
„&c. Quæ enim quæſo plena ſumma, abſolutaque poteſtas ea eſſet, quæ
„facultate novos honores ſibi adrogandi, & ab alijs oblatos acceptandi ſit
„deſtituta? Meritò ſanè cenſendum eſt, iſtâ verborum emphaſi contineri
„omnes actus, quoſcunque unquam Princeps ſummus ac independens in ſuis
„terris exercuit, qui quidem nec in ſeſe injuſti quicquam habeant, nec ju-
„ribus aliorum quæſitis, ullo modo derogent; quorum utrumque de aſ-
„ſumpta in Pruſſia, regali dignitate dici nullâ ratione poteſt.

„ Quod verò temporibus tam antiquioribus, quàm nuperis hi, qui in Re-
„gione aliqua ſupremum dominium cum ſumma abſolutaque poteſta-
„te habuerunt, Domini, Ducis, Comitis, vel alio ejuſmodi titulo, pro-
„priâ authoritate pro ſuo libitu depoſito, illius loco Reges ſeſe nominave-
„rint, Regiumque diadema ſibi impoſuerint, omnibus, qui hiſtoriarum non
„prorſus ſunt expertes, conſtat.

„Quamvis enim ex aliquot ſæculis Imperatores, horumque exemplo Ponti-
„fices Romani, certum quoddam jus appellandi Reges arrogaverunt, mul-

A.C.1071 „ta tamen exſtant exempla diverſorum Principum, qui etiam ab iſto tem-
„pore nulla Imperatoris vel Pontificis Romani authoritate, ſed virtute tan-
„tùm ſupremi in terras ſuas Imperij, ac ſummæ abſolutæque poteſtatis ſum-
„pto Regio titulo, coronari ſeſe fecerunt. Caſtilia, Portugallia, & exigua
„Algarbiæ Regio, Arragonia etiam, hâc ratione è comitatibus Regna fuêre
„facta, & qui in illis terris rerum potiebantur, ipſi ſeſe non adminiculante
„aliorum authoritate, ſolius ſummæ poteſtatis ſibi competentis vi in Regi-
„am dignitatem evexêre. De Hybernia notum eſt, eam ante ſeſqui ſæculũ
„adhuc dominium Hyberniæ fuiſſe dictum, quo titulo deinde Rex Angliæ
„Henricus XII propriâ authoritate mutato Regem Hyberniæ ſeſe appella-
„vit nullo alio jure, quàm vi competentis ſibi in iſtam Inſulam ſupremi
„abſoluti ſummique dominij, quibus omnibus Domus Electoralis Bran-
„deburgica perinde ac ſimili prorſus modo ac menſura in Pruſſiã ſuam gaudet.

„Et quo tandem jure, quove prætextu ſuſtineat quiſquam ſupremo
„abſolutæque poteſtatis Principi obniti, quo minus novum titulum jure ad-
„ſumat, & ab alijs ſummæ poteſtatis Principibus ſibi ultro oblatum, & quo
„iſti eum judicavere dignum, admittat, eoque utatur.

„Cùm ergo diverſi potentiſſimi, maximique Europæ Reges, Electo-
„res & Principes, intra & extra Imperium Romanum, diverſæ liberæ, po-
„tentesque Reſpublicæ, & qui primo loco nominandus erat, Imperator ipſe,
„qui glorioſiſſimorum ſuorum Anteceſſorum exemplo, nec ſine fundamen-
„to circa jus renunciandi Reges ſibi prærogativam aliquam ſumit, ultrò
„declaraverint atque obtulerint ſeſe Electorem Brandeburgicum deinceps
„pro Rege habituros, ac agnituros, omneſque cum ejuſmodi dignitate con-
„nexos honores pari cum reliquis Europæ Regibus ratione, non habito ul-
„lo inter illos, ipſumque diſcrimine, exhibituros, tum legationibus ſolennibꝰ
„re ipſa exhibeant, ipſius legationes ſuis in aulis, ceu Regias recipiant, at-
„que colant, nec præterea ulla in re cum eo aliter, quàm cum reliquis Re-
„gibus Europeis agant, ſicut hoc toti terrarum Orbi nunc certum eſt, ao
„exploratum. Quâ quæſo æqui juſtivè ſpecie quiſquam hiſce obnitatur, con-
„tradicat iuæ Regiæ Majeſtati Pruſſicæ, lites moveat, eique ne oblatos hoſ-
„ce ſibi honores novos acceptet, ſit impdimento aut remoræ.

„Cæterum reperiuntur per Poloniam nonnulli, qui Electori Brande-
„burgico titulum Regis fortè non invideant, verùm hoc habet illos ſollici-
„tos, quòd ſumpto Pruſſiæ Regis titulo, ea res fraudi ac detrimento Re-
„gno Poloniæ ceſſura videatur.

„Hanc autem ſollicitudinem ſupervacaneam prorſus eſſe, Reique Po-
„lonorum publicæ ſuſcepto ab Electore Brandeburgico titulo Regis Pruſ-
„ſiæ neque in præſentiarum re ipſa quiſquam præjudicari, nec ſecuturis tem-
„poribus aliquod præjudicium aut damnum hac ex re enaſciturum, aut ena-
„ſci poſſe jam ulterius demonſtrabitur. Quem in finem hoc inprimis tan-
„quam certum & indubitatum eſt ponendum; novum titulum, quem Elector
„Brandeburgicus hac mutatione nanciſcitur, non eſſe titulum novi juris,
„ſed tantummodo novi honoris ac dignitatis, hoc eſt, quòd poſtquam, qui
„hactenus fuit Dux Pruſſiæ, deinceps Rex Pruſſiæ apellabitur, majoribus
„ille quidem honoris ac titulorum ornamentis inſignietur, exempli cauſa:
„loco Sereniſſimi deinceps Sereniſſimus & Potentiſſimus dicetur, & pro i-
„ſto affamine: Serenitas veſtra Electoralis, ipſi Regia Majeſtas veſtra ſcri-
„betur; ita tamen, ut ipſe, & quotquot poſt eum ex poſteris ipſius Reges
„Pruſſiæ futuri ſunt, & nominabuntur, ampliora ac pingviora jura ex eo
„accepturi, aut captaturi non ſint, aut captare poſſint, quàm illa fuêre,
„quibus antea per illum temporis tractum, quo tantùm Supremus in Pruſ-
„ſia Dux appellatus eſt, vigore Pactorum Poloniam inter & Domum Bran-

deburgi-

„deburgicam conſtitutorum uſus eſt, ſiquidem eorundem pactorum vinculo *A.C.* 1701
„lo deinceps, ut antea tenebitur, novaque hæcce dignitas, ne minimum
„quidem jus, fundamentum, aut prætextum ſuppeditat à pactis iſtis rece-
„dendi, minimè omnium verò infeſti quicquam contra Rempubl. Poloniæ,
„Pruſſiamque Polonicam ſuſcipiendi, Pruſſiam iſtam Polonicam, vel inte-
„gram, vel aliquam ejus portionem ſuam redigendi, jus Succeſſionis, quo
„Reſp. Poloniæ (ſi contingat Electoris Friderici Vilhelmi deſcendentes ma-
„ſculos deſinere) Pruſſiam Brandeburgicam ad ſeſe revolvendam expectat
„ambiguum reddendi, Reip. Poloniæ auxilia in certis caſibus mittenda re-
„cuſandi, aut aliud quicquam moliendi, quo Reſpub. Poloniæ, Provinciæ-
„que ac Regiones eidem unitæ & incorporatæ, ut loqvuntur, aliquâ ratio-
„ne lædi, aut injuriâ ac moleſtiâ affici poſſint. Ita enim omnia parilem, ac
„antea valorem, ac obligandi vim retinebunt, nec ulla hic ſuſcipitur muta-
„tio. Simul ac etiam Regia ſua Pruſſiæ Majeſtas certior facta eſt, indulge-
„ri à nonnullis per Poloniam hoc ob negotium ſuſpicionibus, miſit ea ſuo,
„quem Varſaviæ habebat, Legato ſpecialem ſuâque manu ſubſcriptam aſ-
„ſecurationem, quam ille ubique locorum divulgaret, actiſque traderet in-
„ſerendam, quæ ſequentis eſt tenoris.

N*OS FRIDERICUS III. DEI gratiâ Elector &c. Omnibus, quorum intereſt notum facimus, cùm titulum & dignitatem Regalem, quibus ante plura ſecula fulgebat Ducalis noſtra Pruſſia reaſſumendum meritò cenſeamus, nihil ex hac Majeſtatica prærogativa Pruſſiæ noſtræ, quæ nunc Ducalis appellatur præjudicij inferendum, nec inferri poſſe juri ac poſſeſſioni Regalis Pruſſiæ, quâ Seren: Rex & Reſpub. Poloniæ gaudent, neque ullam in eandem Pruſſiam Regalem prætenſionem, à nobis ac ſucceſſoribus noſtris inde vindicandam. Pacta quoq; Bydgoſtienſia perpetui fœderis inter S. R. Majeſtatem, inclytamq; Remp: & nos inita præcipuè verò articulum VI, quo cautum eſt: ut deficientibus maſculis ex linea legitima Divi quondam Domini Parentis noſtri deſcendentibus Seren: Regibus, Reipub: Poloniæ jus ſuum integrum in altè memoratam Pruſſiam Ducalem reſervetur plenè, ac ſacroſanctè ſervanda, neq; ullatenus vel in toto, vel in parte à nobis ſucceſſoribuſq; noſtris infringenda, ac violanda. In quorum fidem &c. Coloniæ 8. Junij 1700.*

Quinimò ut Sua Regia Majeſtas, ſinceram, nihilque commodi, vel cum minima Nationis Polonicæ injuria ſibi quærentem animi ſententiam teſtaretur, ſuper eadem ulterius ſeſe aperuit, ac pollicita eſt, uti ſequens explicabit declaratio.

N*OS FRIDERICUS DEI GRATIA REX &c. Notum teſtatumq; facimus, omnibus quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt. Cum Regium Diadema, quo olim Pruſſiæ hujus noſtræ Domini decorabantur, nuper poſtliminio quaſi nobis reimpoſitum ſit, & inter cæteros Europæ Reges, Regiæ huic noſtræ dignitati applaudentes, Seren: & Potent: Poloniæ Rex, Frater noſter chariſſimus, facta eidem eâ de re notificatione, non per literas tantùm, ſed per ſuum quoq; ad nos Ablegatum Extraordinarium, Illuſtrem & Magnificum Towianski, ſupremum Regni Pocillatorem, nos pro Rege*

A.C.1701 *agnoverit, & honores dignitati huic noſtræ debitos exhiberi nobis fecerit. Nos cupientes omnem ſcrupulum, ſiniſtrasq; opiniones, quæ inclytæ Reipub. propter Regium quem nunc adepti ſumus titulum, forſan moveri poſſent, optimo pleniſſimoq; quo id fieri poteſt modo tollere, & ſu movere eum in finem non tantùm R. S. Majeſtati certas extradiderimus literas Reverſales tenoris ſequentis.*

Sequitur Aſſecuratio jam ſuprà inſerta.

Sed pro majori etiam prælaudatæ Reipub: ſecuritate denuo promittendum eidem duxerimus, prout hiſce fide verboq; noſtro Regio pro Hæredibus ſucceſſoribusq; noſtris futuris in Pruſſia ſpondemus, & promittimus, nos non tantùm ea, quæ prædictis literis Reverſalibus, quarum novum exemplar, omni, quo id deſiderabitur tempore Reip. exhibebimus, continentur, ſanctè ſervaturos, & Regia, qua nunc gaudemus, dignitate, nunquam & ſub nullo prætextu ita uſuros eſſe, ut exinde quicquam, quod Reipub. damnoſum, pactis, quæ eandem inter & nos intercedunt, contrarium aut ad præſentem Reip. ſtatum ullatenus immutandum, juraq; imminuenda pertinet, provenire poſſit. Quin potiùs, ſi hæc declaratio noſtra cuipiam haud ſufficiens videatur, de majore etiam ſecuritate inclytæ Reipub: circa hanc dignitatem noſtram præſtanda, cum eadem eo modo uſq; conditionibus conventuros eſſe, ut exinde novum arctiusq; bonæ vicinitatis, amicitiæ, mutuæq; ſalutis invicem procurandæ vinculum ſtimulusq; exurgat. In quorum omnium fidem. Dabantur Regiomonti 21. Febr. 1700.

„ Neque verò titulus Regis Pruſſiæ, quo Elector Brandeburgicus jam „ claret, eum unicumque effectum habere poteſt, ut iſto jus in Pruſſia Bran„ deburgica ſuccedendi, quod in caſum caducitatis Regno Poloniæ reſerva„ tum eſt, non dicam, tollatur, ſed ne minimâ quidem ratione imminuatur, „ aut infringatur.

„ Ubi gentium reperietur Regnum, in quo ſucceſſiones non ſint in „ certos caſus ad certas pactorum regulas reſtrictæ? quâ nimirum ratione „ à familia in familiam, vel à natione in nationem debeant devolvi, eâdem „ ratione, qua ſu ceſſioni in Pruſſia Brandeburgica per leges Pactorum Byd„ goſtienſium inter Poloniam & Domum Brandeburgicam inviolabilis modus „ præſcriptus eſt.

„ In Regno Angliæ eo tempore, quo præſens Rex Vilhelmus in ſolium „ ſubvehebatur, conſtitutum eſt, ut ſi illi ex conjuge Maria, quam tunc „ habebat, nulli naſcerentur Hæredes, hujus ſoror ſuccederet, & Regis „ proles, quam forſan ex alio conjugio ſuſcepturus eſſet, ſorori Reginæ, Prin„ cipi Annæ, ejuſque deſcendentibus in ſucceſſione poſthaberetur. Ele„ ctrix Brunſvicenſis Vidua denominata eſt, quæ Principi Annæ, ſi contin„ gat eam, ut & Regem Gvilielmum ſine liberis vitâ excedere, in ſceptri „ hæreditate ſuccedat.

„ Quis autem præſenti Angliæ Regi ideo Regni poſſeſſionē labefacta„ re, vel hanc cauſam, cur ille Rex vocari nequeat, allegare audeat, quod „ poſt ipſius mortem Regnum Magnæ Britanniæ aliam quam ſuam famili„ am atque adeo, ſi ita caſum fata diſpenſent, ab Anglica ad Germanicā „ nationem ſit tranſiturum?

„ Regna, quorum ſupra mentionem fecimus, Neapolis & Siciliæ, ut „ conſtat, ſunt Feuda Sedis Romanæ. Si ergo accideret, ut iſta familia, quæ

„ quæ illa hactenus à Sede Pontificia in Feudum recognovit, planè extin- *A.C.* 1701
„ gveretur, futurum eſſet ut illa Regna Poſſeſſore clientelari vacua, ad Eccle-
„ ſiam Romanam recciderent. Neque tamen ex hacce ratione Pontifex, aut
„ alius, quiſpiam Regum, Principum, aut Rerumpubl. Regibus Hiſpaniæ, qui
„ Regnum iſtud hactenus poſſedêre, titulum Regalem unquam reddidit
„ dubium.

„ Quodſi ergo titulus ejuſmodi regalis poteſt dari, reque ipsâ datus eſt,
„ ejusmodi Principi, qui in præſentiarum Vaſallagij nomine alij eſt obnoxi-
„ us, idque vel ab ipſo Domino ſuo beneficiario, multo minori certè jure
„ ac æquitate titulus Regis oppugnari, aut in dubium vocari poteſt in eo
„ Principe qui terras ſuas cum ſumma, abſolutaque poteſtate, ceu Pacta Byd-
„ goſtienſia loqvuntur, regit, & quæ terræ tantum certò inque ſinu DEI re-
„ cumbente caſu, hoc eſt poſt extinctam Electoris Friderici Vilhelmi poſte-
„ ritatem, quod quidem an & quando eventurum ſit, valde incertum ad
„ Feudi naturam rediturae ſunt, adhuc ſemel repetitur, novum Regis Pruſ-
„ ſiæ titulum, Domui Electorali Brandeburgicæ, ſi vicinos ac prætertim, ſi
„ Regnum Poloniæ reſpicias, ne tantillum quidem amplioris juris, poteſta-
„ tis authoritatisque afferre, quam illa antea ſecundùm Pacta Bydgoſtien-
„ ſia habuit, adeóque fore non tantùm injuſtum, ſed ridiculum etiam, at-
„ que impium, ſi is, qui Pruſſiæ Brandeburgicæ, Regis titulo, ſive nunc præ-
„ eſt, ſive olim præerit, nomen Regium cupiditati ſuæ, vel latum pedem Pruſ-
„ ſiæ Polonicæ ad ſeſe pertrahendi prætexat.

„ Diſtinctio illa, qua Pruſſia Polonica ac Brandeburgica ſejunguntur
„ futuro tempore perennabit perinde, atque illa hactenus fuit Pruſſia Po-
„ lonica, manet, & manebit annexa Poloniæ, Brandeburgica verò Domui
„ Brandeburgicæ, quamdiu Pacta Bydgoſtienſia eandem huic tanquam pro-
„ priam attribuunt. Regnum Poloniæ retinet ſuum, quod habet, jus, cer-
„ to caſu in Pruſſia Brandeburgica ſuccedendi. Contra verò Domus Bran-
„ deburgica ejuſmodi jus in Pruſſia Polonica ſuccedendi, ne minima quidem
„ ſpecie ſibi poteſt vendicare eoſdem fines, qui Pruſſiam Polonicam à Bran-
„ deburgica hactenus diremerunt, manere etiam in poſterum neceſſe eſt,
„ Domus Electoralis Brandeburgica ante acceptatam dignitatem regalem,
„ ne vel animo quidem cogitatum jus in Pruſſiam Polonicam habuit, nec
„ adoptatâ dignitate regali quicquam ejuſmodi in illam eſt adepta, quod
„ nec ſibi expetit, quærit, aut affectat, quin potius agnoſcit ſibi vigore Pa-
„ ctorum Bydgoſtienſium incumbere, ut ad conſervandam libertatem jura
„ ac Privilegia totius Poloniæ, Pruſſiæque Polonicæ, omnem quam poteſt,
„ curam, ſtudium, & diligentiam conferat.

„ Conſideretur & expendatur quæſo, titulos Imperatoris, Regis, Ele-
„ ctoris, Principis, Ducis, Marchionis, Comitis & Domini meros eſſe titulos
„ honoris, perque illos ne in eam quidem Regionem, in qua Supremus Ma-
„ giſtratus ejuſmodi nomine effulget, multò verò minus in ipſius vicinos &
„ exteros, certam quandam poteſtatis aut jurisdictionis ſpeciem ſignificari,
„ aut acquiri. In populo Romano ſæpe emerſêre Magiſtratus, qui ſub nu-
„ do Principis nomine veros ſeſe præſtitêre tyrannos & alibi Reges eluxêre
„ qui veri Patriæ Patres fuerunt, præſentibus quoque temporibus reperi-
„ untur Reges, qui in ſuis ditionibus, ne tantâ quidem poteſtate, quantâ
„ alibi vel comes in ſuo comitatu pollet.

„ Quare ergo nomen Regium in Domo Brandeburgica adeo cenſe-
„ tur formidandum? & quas ob cauſas iſto audito deflectuntur animi in ne-
„ ſcio, quas ſuſpiciones, opinioneſque ſiniſtriores? præſertim cum is, qui in
„ iſta Domo hocce titulo decoratur, ex eodem, uti ſupradictum eſt, tantùm
„ novos quoſdam honores, minimè verò novam aliquam, aut ampliorem

 poteſta-

A.C.1701 „poteſtatem, ne in ſuos quidem ſubditos, ne dum in vicinos expetit ac ſibi „accommodat.

„Omnibus mortalibus iſte affectus congenitus, laudeque dignus eſt „habendus, ut ſuam quiſque ſuæque familiæ conditionem, ac ſtatum lautiorem, ſplendidioremque reddere ſatagat. Exempla aliorum Principum, qui „prius tenues titulos geſſere, ac poſtea dignitatem regalem Domibus ſuis in„tulere, nunquam eam ob cauſam ſunt reprehenſa.

„Quis eſt nationis Polonæ, qui non nitatur ſibi ſuiſque inſigniorem ho„norem ac dignitatem adſtruere? Nonne hæc indoles animos erectos atq; „Nobiles à reliquis ſecernit? Et cui in acceptis referet ſuam præ plebe præ„rogativam Nobilitas Polona, niſi curæ iſti, quâ majores illorum cupidè „elaboraverunt, ut ſeſe ab infimæ ſortis hominibus ſegregarent, inque al„tiorem honoris gradum aſcenderent. Quo autem jure in Electore Bran„deburgico vituperabitur illa generoſioris animi indoles, quæ in alijs habe„tur bona ac laudabilis, & in qua Imperatorem, totque alios Europæ Re„ges, Principes & Poteſtates habuit, applaudentes? præſertim cùm, quod „ſupra demonſtratum eſt, iſta cum nullius mortalium injuria aut moleſtia „ſit conjuncta, conceſſis etiam ſibi à Deo opibus, quibus regalem ſtatum „debito decore ac ſplendore ſuſtinere, ac ornare poſſit.

„Nec offendere quendam debet titulus ille Regis Pruſſiæ, ac ſi Ele„ctor per eundem Pruſſiæ totius ac inprimis etiam Poloniæ cupiat eſſe „Dominus &c. Minimè id verò &c. Quæ enim ſuperius ſcripto huic in„tertextæ ſunt declarationes, clarè, perſpicueq; teſtantur, non fovere „Regiam S. M. hanc animo ſententiam: Præterea id ſe invicem minimè „conſequitur, ut is, qui ſibi titulum alicujus Regionis adaptat, velit eſſe „totius Regionis Dominus ſolitarius, excluſis etiam alijs, qui jure ſibi a„liquam ejuſdem poteſtatem vendicant.

„Reges Galliæ atq; Hiſpaniæ utriq; utuntur titulo Regum Navar„ræ licet uter ij certam tantùm Regni Navarræ portionem poſſideat, nec „alter in alterius partem jus ullum ſibi vendicet. Reges Sveciæ ac Daniæ „ultro citroq; ſe Regum Vandaliæ titulo appellitant, Elector Brandebur„gicus & Duces Megapolitani ex utraq; parte Duces Vandaliæ dicuntur: „nec tamen ideo ulius horum Principū metuit, ne reliqui, qui ſecū titulū „huncce uſurpant, ſe à jure ſibi in iſtud Regnum, Ducatúmve Vandaliæ „competente excludere velint. Imò in ipſa Polonia reperire eſt quoſdam „Magnates, qui titulum Principis S. R. I. gerunt, quam tamen ob cauſam „credibile non eſt quenquam eorum, poteſtatem in totum Romanum Im„perium ſibi arrogare velle, ut ſilentio prætereaṁ Reges quoq; ipſos Po„loniæ, inſignioreſq; Reip. Proceres, Ducis Pruſſiæ, iſtis quoq; tempori„bus, quibus iſta Regio Vaſallagio Polonico ſubfuit, titulum Dux Pruſſiæ „& Dux in Pruſſia promiſcuè deſiſſe, probè gnaros non in hoc eſſe ſitum „rei momentum, nec Ducem ex tota Regione ideo ſibi plus, quàm pacta „ipſi tribuunt, vendicare poſſe, ſive iſto, ſive alio alloquio compellaretur.

„Spes certa eſt fore, ut Polonorum nobilis natio, cujus prudentia „inſigne ingenij acumen & æquitas præ alijs gentibus orbi incla„ruit, ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, facilè proſpiciat, atq; cognoſcat „ſollicitudinem, quâ illa viſa eſt ex acceptato ab Electore Brandeburgico „Regio titulo perturbari, inanē eſſe, omnemque mutationem, quæ in Re„gnum Poloniæ inde poſſit redundare, in hoc ſolo conſiſtere, quod Pruſ„ſia Brandeburgica aliàs ſub titulo Ducatûs, ſi Electoris Friderici Wilhel„mi poſteritatem maſculam deſinere contingat, ad Poloniam reditura, „nunc Regni titulo ornata in ipſius ſinum tali caſu ſit revolvenda.

Quod

„Quodſi tamen contra omnem ſpem adhuc aliquid dubitationis, in *A.C.*1701
„nationis Polonicæ animis maneat reliqvum, nulla eſt ex Regiæ Suæ Ma-
„jeſtatis Pruſſicæ parte mora, quin ab utrinq; delegatis quantocyus ami-
„cabile inſtituatur colloquium, perceptiſq; , quæ Polonia deſideret, aut
„expectat, ulterius ejuſmodi proferatur declaratio, & ſecuritatis præſtatio
„ut totus orbis, atq; adeo vel illi ipſi, qui ex hoc negotio, neſcio, quid ſi-
„niſtri extorquere, aut privati ſui commodi ſtudio Poloniam ac domum
„Brandeburgicam excitatâ inter illos diſſidentiâ disjungere allaborant,
„convincantur novâ hâcce dignitate à parte Regis Pruſſiæ nihil planè quæ-
„ſitum, quod ad præjudicium, aut detrimentum Poloniæ referri poſſit,
„ſed Majeſtatem Suam in pactis Bydgoſtienſibus per ſingula illorum capi-
„ta ſanctè atq; inviolabiliter perſtituram, ea, quæ pacta ſæpius laudata
„Regno Poloniæ aſſerunt, illibata relicturam, eamq; fidem, ſi quidem id
„neceſſitas videatur exigere, novo quodam vinculo, quantæcunq, id fir-
„mitatis atq; valoris in ſocietate humana poteſt excogitari roboraturam,
„atq; præterea generoſæ hujus nationis emolumenta, libertatem, flo-
„rem, ac incrementum omnibus à DEO ſibi conceſſis viribus iſtuc con-
„verſis ac impenſis quæſituram, atq; promoturam eſſe. &c. &c.

VIII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI 30ma Auguſti Heilsbergâ.

De actis Varſaviæ

ACcepi quæ ſcripſiſti & laudes in quas te eſſe effuſum video longè ſupra meritum, & quæ neque verecundiæ, neque mediocritati meæ conveniant. Utinam verius hæc, quàm amicitius, indulgentiæ iſtud eſt, nonjudicij, & ſi judicij, indulgentia tibi imponit. Nempe oculus in quem humor illapſus eſt, parum claré videt ſic mens in quam amor. Novi ego tenuitatem ingenij, novi res meas quæ longè infra illud, quod ſummum ac perfectum eſt jaceant. Quanquã vero ab ambitione alienus ſum, gaudeo tamen, vel teſtimonio hoc vel ſententiâ, quia utrumque liberaliter erga me promis, tam humaniter ad me, tam honorificè de me ſcribendo. Ut Uliſſes apud Alcinoum nihil habet, quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota, & grates, ita ego nihil pro affectu & inſtructione, quam mihi circa Doctores Sanctæ Eccleſiæ mittis, nihil præter munera animi, & gratæ mentis. Perſevera interim amare, qui te veneratur & colit.

Magnus inſultus Varſaviæ in initio ſtatim Comitiorum contra Saxones fuit, & quamvis Rex Sereniſſimus declarationem ſuam dederit, & ſpe futurorum triſtia, & dolorem leniverit quòd nimirum illos expedituros ſit ex Polonia, ſcire tamen omnino voluit conclave Nuntiorum quomodo & quando hæc eventura? timens ne hæc fiant poſt decennium una cum Uliſſe Delphis, ſcire volebant etiam quâ tranſituri ſunt? tanquam retia timentes & caſſes, quibus incauti implicantur, nec ante ſe captos eſſe ſentiunt, quam dum capti; nolentes præſenti pretio emere ſpem incertiſſimam magiſque adverſos rerum exitus metuentes, quàm ſperantes ſecundos. Occaſio arripienda dum ſeſe offert, elapſa ſemel non redit. quidquid horum ſit, dies dicet. Deſtinavit interim Rex Sereniſſimus (quem ad falſa devius error adducit ſæpius) Seſſionem ad reconciliandas res Litvaniæ quas ignorare peregrini eſt, diſſimulare improbi, ubi & ego vocatus, ſed in illa in vanum laboravimus, exacerbatis nimium animis

Tumultus in Saxones

Seſſio in negotio Sapiebarum.

animis

A. C. 1701 animis contra Domum Sapiehanam. Inimicis eorum connivere apertè videtur aula, & ideo multum temporis impendimus in hac ſeria ſollicitudine, ſed nihil effectum. Inprimis volebant adverſarij Dominorum Sapieharum qui fortunæ prioris affectu deſiderioque tabeſcunt, ut ante tractatum agnoſcant, quòd cum toto Magno D. Litvaniæ hic tractatus incipiat, quod videtur eſſe æqvum, cum nullum illi habuerint pro parte ſua Nuntium. Quanta rerum mutatio! quàm neſcit fortuna eodem ſtare diu loco! quàm quidquid in alto eſt, labitur ingentemque trahit ſors magna ruinam! Illi prius omnia regebant, vix aliquis erat ex nuntijs, qui non dependens fuiſſet, & nunc neminem habent. Terribilia puncta contra illos, inprimis accuſabant eos, quòd tam brevi temporis ſpatio, tam ſæpe mutarentur, non tam melioris conditionis aſſequendæ propoſito, quā genio quodam ab una proditione in aliam impellente. Reſponſa etiam cruda, quorum copiam tibi adnecto. Permiſerunt autem illi Republicantes Litvani, ut etiam ex Equeſtri ordine aſſignarentur ad hanc concordiam, ſed tantum quaſi amici partium eſſent, & non Cameram Nuntiorum repræſentantes. Miſit Rex Dominum Epiſcopum Chelmenſem Nicolaum Wyzycki & Palatinum Siradienſem Piniązek ad Cameram Nuntiorum declarando, quòd ſit paratus, ut optabant, nova indicere comitia, ſed illi declarationem, quando expediendi ſint Saxones omnino urgebant, ſed de his par fuit loqui vel non loqui.

Tumultus inter Lubomirski & Wiſniowiecki 12ma Maji magnus fuit tumultus, Dominus enim Lubomirſki Sandecenſis Capitaneus, ſcis bene quòd ſit Nepos Palatini Vilnenſis, cum Principe Wiſniowiecki caſu & fortuna congreſſi ad arma proſilierunt, unde tota nocte motus, Sereniſſimus ad utramque partem ſuos mitti juſſit pro ſecuritate eorundem.

Ad finem in Seſſionibus provincialibus concluſum eſt, longius ſi itur, extra terminos itur, & in vaſtum illud infinitum, ut comitia nova expedirentur, nec ſibi perſvaderi permiſerunt, continuanda potius hæc, quæ jam inceperant, quàm nova expectanda, ob hanc præcipuè rationem, quod Reſp. videre voluit utrum defacto Saxones Rex expediet, toties in hoc puncto eluſa, Fraus mendaci corrupta colore, ab occaſione exequendi ſui conſilij intento & maluit nova expectare quàm incepta proſequi unde juſtior lætandi nobis cauſa eſt, quàm querendi, ita enim ſe habent vota hominum ad credulitatem feſtinantium, ut quòd optant, verum eſſe credant. Concluſum ergo (prætereo multa, libet enim præterire nota) tempus in Decembri & interim ſe expediturum promiſit Rex Saxones, cui quidam credebant, quidam autem non credebant, & ſic diſſoluta comitia abſque Electione novi Directoris.

Nova deſignantur comitia

Diſſvadetur Regi bellum. Die 19 fecit Rex magnum convivium in Bielanis, ubi habui occaſionem loquendi Regi & repræſentandi quanta & ejus & noſtra eſſet felicitas perennis, perpetua, diuturna, durabilis, ſi pacem cum vicinis ſervare, nullumque bellum incipere vellet, ac ſi claſſica ſæva tacerent; at ille malle ſe non vivere, quàm vivere ſine gloria, unde peſſimè meus divinat animus, nunquam nos pacatos fore. Nihil boni Reip. futurum prævidi divinatione quâdam, id perſcrutatus incertum, fata prævideri poſſunt evitari non poſſunt.

Tractatus cum Litvanis non habet effectū Subſequentibus diebus voluimus omnino reaſſumere tractatum inter partes proponentes prætenſæ Reip. Litvaniæ, hoc medio ut Rex & Reſpub. (ut uni placere nolens, ſic & alteri diſplicere) faciat gvarantiam & quod illi aſſiſtet parti, quæ ſe gravatam ſenſerit, quæ puncta hic concluſa ſervare noluerit, & eo nomine declaratio Regis & Reipub. informa

ma

ma authentica extradi debebat, ſed illi Regis (neq; cælum ut ajunt neq; terram attingentes) tacita ſuperbientes protectione, nec audire pacatas propoſitiones unquam voluerunt, ſed etiam lædere lædiq; conjunctum erat. Ex perſuaſione igitur noſtra, palàm declaravit Cardinalis Primas, facturum ſe nomine Reip. proteſtationem ſolennem, & Regi graviter locutus eſt, quod nec comitia ſunt neceſſaria, & quod Reſp. debebit ſecuritati ſuæ providere, videns evidenter quid fiat. Quibus permotus Rex ſenſibiliter tactus, facto aliquo privato cum Primate & Caſtellano Cracovienſi colloquio, iterum in craſtinum reaſſumi hunc tractatum ordinavit; ſed nec hoc profuit, pleræq; res humanæ neceſſitate quâdam & vi peraguntur, totaliter enim diſſolvi debuit, ob acerbas utriuſq; partis prætenſiones. Dilatio ergo ejus facta Vilnam, in peſtilentia ſedes mutare licet, nullum malum ſine effugio eſt, quanquam & ibi meliora voventur, certè non ſperantur. Conſilium hoc tamen exitus probabit, ſæpe quandoq; ea quæ ſanari non poſſunt ratione, ſanantur tempore, & poſt navigationem portus occupatur, cum ut hi turbines finiantur plurimorum eſt ſententia, ne dicam votum. Utinam qui poſſint, etiam velint. In cauſas non penetro, neq; etiam culpo eos, qui rebus præſunt, ſed tamen videre mihi videor hunc ægrum, diu ſpirare non poſſe ſine celeri medicina. Unde dixi Regi & Primati, non quòd volebant audire, ſed quod audiſſe ſe ſemper volent, quia nunquam conſilia mea, & amicitiæ inimicitiæq; finem niſi bono publico metiri ſoleam, & relictis veris non apprehendo falſa. Commemoravi cum omni quem debeo reſpectu, ſed & libertate, ſæpius mortales in rebus humanis ſpes atq; opinionem fallere, & timendum ne diluendæ ignominiæ cupidi, non tantùm ſua tueri, ſed & aliena aggredi, non præſumant, & proinde ſopienda hæc ſcintilla quantocius, occaſio negotij hujus finiendi non omittenda, ne nullum remedium perditis rebus eſſe cernentes, ad hoſtes deſciſcant, lentè cum trahitur vita gementibus, & poſt læſæ opinion s damna fleamus, magnæ hæc non ad morbû modò Reipub, verùm ad interitum quoq; cauſæ, nemo tam timidus eſt ut malit ſemper pendere, ſemper cavere, quàm ſemel cadere, ne pòſt, dû à volentibus nequeunt, ab invitis jus expetant, cum vitam & miſerias habere difficilis ſit labor. Pluraq; quæ venerant in mentem & lingvam, nihil enim erat modò quid boni ſperarem, ſed vix ea quæ auderem optare. Scimus illos ſecunda nunquam moderatè tuliſſe, quomodo credere poſſumus, quod hanc non ſolùm adverſam, ſed etiam everſam funditus fortunam fortiter ferre poterunt? cum quidquid ſiniſtri cadere in homines poteſt in ſe cecidiſſe queruntur, cum domum quo tramite revertantur ignorant, deſiderantur autem quæ abſunt. Cur hoc tempore iras & injuriarum memoriam reſuſcitamus quo maximè ea deponi deberent? Similia ego dicebam & loquebar ex anima, cùm ingenium non ſit mihi fictum, teſtatus, euncta qui ſpectat, DEum, non me ea alio dicere motivo, niſi publici & Regij boni vero & ſincero zelo, ſed videns ſurdis fabulam narrari, nolui effundere ſermonem ampliùs, ubi non erat auditus, imò conſiderans quòd reſidentia mea Varſavienſis publico inutilis erat, redij domû & hic ago quæ debeo in cura paſtorali. Accipio alias tuas hoc momento dum hæc finio & ſic occupari te non excuſo tantùm, ſed laudo, enitendum tamen ut è curis & occupationibus innoxiâ hilaritate emergas, teq; ſaltem pro horulis aliquot in portum recipias, mihiq; dones, ſed præſentiæ tuæ accedat alia gratia celeritatis, niſi facias, decimam muſam habeas in omne ævum iratam, nam te videre cupio, opto, exopto, utinam

A.C. 1701

Primas Regi acerbè loquitur.

Tractatus reaſſumitur.

Conſilium Authoris.

nam

A.C.1701 nam quantocius, ut ſermones miſceam. Videam, audiam, diſcam.

Adnecto tibi quaſdam copias, veræ ne ſint, an falſæ, neſcio. Tempus docebit.

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM, ex Caſtris propè Bautske die 30. Julij.

QUæ nobis à Rege Poloniæ contra pacta, jusjurandum, datamq; fidem illata ſit vis, atq; injuria, quantumq; damni & læſionis eô ipsô veſtra perpeſſa eſt Reſpublica, notius Eminentiæ Veſtræ eſt, quàm ut ijs recenſendis immorari operæ ducamus pretium; Certi Eminentiam Veſtram iſta dudum omnia æquo conſideràſſe animo, atq; ægrè tuliſſe, cùm viderit Reip. neq; pauca, neq; exigua enata fuiſſe incommoda, ex bello, quod, eâ tamen inſciâ, atq; invitâ, & ſine ulla diſſenſionis cauſa cœptum, geſtumq; eſt. Speramus itaq; E. Vræ haud levi fuiſſe lætitiæ ac delectamento, cùm inſignem inaudiverit, quam ab hoſte noſtro fœdifrago, Summi Numinis auxilio nuper reportavimus victoriam: quâ tam feliciter cæſus fugatusq; hoſtis fuit, ut incertum ſit, turpior ne fuga nunc ejus, an iniquior terrarum noſtrarum invaſio fuerit. Non ſolùm liberata ſic eſt incurſionibus ejus hoſtilibus Livonia, ſed etiam multum commodi & emolumenti veſtræ allatum Reip, quippe quæ hinc ſpem certam concipere poteſt, ſe à multis, magnisq; imminentibus periculis, nec non jura, ac libertatem ejus, à minitante oppreſſionem ac interitum uſurpatione vindicare hac occaſione optimè poſſe. Perpendite rogamus, bellum hocce citra Reip. conſenſum, ut credere fas eſt, ſuſceptum, nec non aliorum conſilijs, quàm qui Reip. non benè cupiunt, decretum, geſtumq; eſſe. Quin & Rex Veſter ſecreta cum alijs Poteſtatibus percuſſerat fœdera, & tractatus confecerat non paucos, quorum nec habuit notitiã Reſp, nec bono publico, & ſcopo ejusdem ſalutari erant adæquata; pro libitu diſpoſuerat, quæ è diametro cum Senatus-conſultis, & Reip. pugnant conſtitutionibus; Pacta conventa eludere quovis modo & artificio ſatagebat, curamq; adhibebat maximam, quo inter præcipua Regni *Polonici membra, atq; concives diſcordias, & internecina odia concitaret, & aleret. Ex quibus omnibus, alijsq;, quibus ſuperſedendum nunc putamus, luce meridianâ evadit clarius, nihil Regi veſtro fuiſſe deliberatius quidquam, quàm formidandas ſibi acquirere utrinq; vires, debilitare cives, &* Regni *incolas, eorum attrectare paulatim jura, conſtitutiones publicas perrumpere, ac deſtruere, & ſupremum tandem arripere cum* Reip. *everſione arbitrium atq; dominium. Hocce immoderatum vaſti animi deſtinatum nunc quidem noſtrâ victoriâ exiſtimari poteſt quodãmodo repreſſũ. Sed artibus ejus non confidendũ, tempeſtivis conſilijs, fortibus remedijs, ac citâ executione opus eſt, ſi ſalva Regni jura, & incorruptã libertatem V. cupitis. Dubio enim caret, poſtquam in animum ſemel induxerat abſolutum regimen ſibi vendicare, ne conceptâ ſpe ſuâ magnisq; auſis excidat, nihili eum quidquã relicturum intentatum, quo illud perficiat; nihil penſi habens, ſi finis,*

quem

quem ſibi propoſuit, obtinendi gratiâ, & totam Remp, *& præcipua e-* A.C.1701
jus membra noxæ & interitui immolaret. Huic igitur malo maturè præſcindendo medium accommodatius vix adhiberi poteſt ullum, quam ſi Rex *iſte throno quàm primùm dejiciatur, quippe quô ſe infractæ toties legum & juratæ capitulationis fide reddidit indignum. In quo cùm non minus* Reip. *Veſtræ, quàm noſtra poſita ſit ſecuritas, non poſſumus non huic rei perficiendæ ſummopere inſiſtere. Neq; quisquam rerum peritus* Rempub. *propterea iniquitatis accuſabit. Accuſabit enim fortaſſis poſteritas nimiæ lenitatis, ac imprudentiæ, ſi id infectum reliquerit, nec nobis imputari poterit culpa, ſi neceſſitate adacti hoſtem noſtrum perſecuti fuerimus, ubicunq; ipſi ſecuritas & ſuſtentatio contingat præſtari. Cùm ſatis ſuperq; conſtet nobis nihil magis in votis eſſe, quàm ut quies duarum Nationum quas nativa quadam & perpetua communis utilitatis ratio propiori amicitiæ nexu conjunxit, quantum in nobis ſitum eſt, non perturbetur. De hac re tota in literis noſtris ad* Remp. *perſcripſimus prolixiùs, quas opportuno tempore tradendas Eminentiæ Veſtræ commendamus. Simulq; ab ea benevolè & amicè contendimus, ut iisdem pondus authoritatis ſuæ, ſummaq; quâ pollet prudentiæ, & conſiliorum dexteritatem adjungere non gravetur. Quod ſi fiat, nulli ambigemus, quin & vim habeant efficaciſſimam, & nobis optatum adveniat quantocyus reſponſum. Si quid opis & auxilij à nobis deſideretur, lubentes promittimus. Nos præſente nunc exercitu noſtro, eidem* Reip. *pro rei exigentia adfuturos, nec immemores erimus, aut zeli, aut laboris ab Emin. V. præſtiti, aut teſtificandi erga eam quacunq; occaſione grati animi, Regiæq; noſtræ benevolentiæ. De cætero Eminentiam Veſtram divinæ tutelæ commendatàm, & quàm diutiſſimè incolumem cupimus. Eminentiæ Veſtræ benevolus amicus.*

Carolus.

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ AD ORDINES REGNI POLONIÆ, ex Caſtris propè Bautskie die 30. Julij.

R*eipublicæ Veſtræ ignota eſſe non poteſt inſignis victoria, quam* DE*us juſtus iniquitatis vindex contra hoſtem fœdifragum Regem Poloniæ nuper noſtris conceſſerat armis. In conſpectu ſcilicet hoſtis Dubnam fluvium die 9. menſis præſentis cum parte exercitûs noſtri feliciter trajecimus; nec morabantur tranſitum, aut quæ in oppoſito littore locatæ erant copiæ, aut quæ propè ripam decurrentis dicti fluminis in locis opportunioribus erecta fuêre multo labore valla, varijq; generis munimenta foſſis circumſepta & ſudibus. Verùm hoſtem ipſum, cujus nos more militari inſtructa excepit acies ita profligavimus; ut in fugam conjectus poſt ſe coactus ſit relinquere caſtra ſua, tormentaque nonnulla bellica, tum tentoria atq; ſupellectilem caſtrenſem aliam, inhærebamus quidem mox, quantum fieri potuit, fugientium tergis, tam celeris autem eos abſtulerat fuga, ut aſſequi eos fuerit impoſſibile. Omnes verò in Poloniam ſe recepiſſe viâ, quâ ela-*

pſi

A.C. 1701 *pſi ſunt, ut publico confirmatur rumore. Quod, cùm ita ſit, facilè nobis in memoriam revocamus arctiſſima fœdera nos inter & Rempub: veſtram inita, quæ etiamnum ſarta tecta ſervare seriò cupimus, quatenus à parte veſtra non fuerint interrupta, quod hac ratione fieri potiſſimum poſſe cenſemus, ſi quocunq; nomine, aut prætextu impij belli contra nos ſine ulla cauſa à Rege Veſtro ſuſcepti vos reddideritis participes, id quod tamen ſperamus, à vobis eò magis fore alienum, quò firmiorem habemus in perſpecta æquanimitate veſtra ac prudentia ſingulari repoſitam fiduciam, vos haud temerè immutaturos priſtinum animum colendi ſincerè mutuam, & pactis multoties ſtabilitam inter nos amicitiam, fidamq; viciniam. Cùm autem Rex Poloniæ tam gravibus & atrocibus nos affecerit injurijs, tamq; perfidè nobiſcum egerit ut neq; dolori juſto noſtro, neq; ſecuritati utrinq; noſtræ ſatisfactum reputemus, niſi throno quo ſeſe reddidit indignum, dejiciatur, quippe qui tam multa edidit, & abominanda violatæ fidei, contemptiq; jurisjurandi documenta, ut in promiſſis, pactisq; ejus nulla locari amplius ſecuritas, aut fiducia poſſit. Æquum itaq; non minùs, quàm neceſſarium eſſe duximus, vobis hisce conſulere, ut Regē veſtrū ad abducendum primò extra Poloniæ fines peregrinum militem adactō, coronâ, quâ abuſus eſt, abſq; mora privetis, deq; novo ſitis ſolliciti eligendo Rege, quo cum priſtinam amicitiam fœdusq; æternum renovare ac colere tutò poſſimus. Quod ni fiat, haud iniquum reputari debet, ſi copiæ noſtræ Polonicos transgreſſæ limites hoſtem noſtrum, ubicunq; ſit, perſequi perrexerint; utpote quod jura omnium gentium ſinunt, & ipſa ratio licitum eſſe dictitat. Prius iſtud cum veſtra etiā conjunctum eſſe ſalute & conſervatione non obſcurè cognoſcetis, ſi perpendere intimiùs velitis, quàm indignè Rex iſte vos, legeſq; Reip: veſtræ fundamentales toto Regni ſui tempore habuerit. Quid enim, quæſumus, intentatum reliquit? quo jura ac libertatem veſtram everteret, ſibiq; arrogaret ſummum ac ſupremum rerum veſtrarum arbitrium. Inter bona libertatis veſtræ præcipua ſunt & pretioſiſſima belli ac pacis jura, hæc ita attrectavit, uſurpavitq;, ut veritus haud ſit bellum in nos decernere, non modo invitâ, & inſciâ, ut opinamur, Repub: Veſtrâ, verùm etiam contra Pacta ſolennia Olivenſia cum eadem pariter ac Rege concluſa. Et quanquā per præcautiones tēpeſtivas declinari eæ artes in præſentiarum poſſint, inpoſterum tamen nequaquam eisdem confidendum. Nihil enim intentatum relinquet, quod inter Reip. Veſtræ membra, & concives ſemina ſerere diſcordiarum, & eos inter ſe commiſcere poſſit, Potentioribusq; ſic mutuâ contentione debilitatis, atq; conſumptis, omnes illaqueet, nec non neſcijs hucusq; cogi cervicibus fœdum ſervitutis jugum imponat. Nemo itaq; conſtitutionum Poloniarum gnarus improbabit unquam, ſi Reſp: V. eum throno ſuo judicaverit indignum, qui præcipua juratæ capitulationis capita toties fregit, atq; opprimere ſtuduit. Quin & pro virili annixus eſt bello injuſto ac periculoſo implicare Rempub, ſibiq; jura ejusdem vindicare,*

dicare, tam inquieta & noxia ſemper fovens deſtinata, ut non po- A.C.1701
*tuerint non in deſtructionem legum veſtrarum, in oppreſſionem ve-
ſtræ libertatis, exitialemq; prorſus Reip. Veſtræ interitum vergere.
Ut igitur animi veſtri ſenſa ſuper hacce nobis aperiatis quantocius, e-
nixè rogamus. Interea adverſus hoſtem noſtrum, utpote pactorum,
amicitiæ, conventionum, conſangvinitatis, & æquitatis nullum re-
ſpectum habentem ad ultimam juris rationem, quæ vim vi propul-
ſat, confugiendum cenſemus, freti juſtitiâ cauſæ noſtræ, & ope Divi-
nâ, quæ nobis contra hoſtis auſa quæcunq; & molimina ſcutum erit,
& munimentum tutiſſimum. De cætero quævis fauſta & proſpera
ex animo apprecamur.*

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ AD ILLUSTRIS. D. SUPREMUM M. D. L. EXERCITUUM DUCEM,

ex Caſtris propè Bautskie 16. Aug. 1701.

*ATtulerat nobis Excellentia Veſtra Nuntius literas ejusdem Ty-
kocinij datas, quibus teſtari placuit, quod inter hos motus (quo-
rum temerarius non minùs, quàm impius Author Rex ipſe Po-
loniæ cenſeri debet) inclyta Veſtra Reſpub. inconcuſſam nobiſcum alere
amicitiam fidamq; viciniam colere conſtituerit. Quod cum nobis gra-
tum cognoſcere, nos ſemper fuerimus initorum fœderum datæq; fidei
religioſi obſervatores adeo ut in eo nulli hucusq; locum fecerimus que-
relæ, ita quoq; inpoſterum providebimus, ne à parte noſtra quidquam
admittatur, quod pro infractione pacis veterumq; pactorum violati-
one reputari jure poſſit, niſi contrario aliquo ipſius Reip. conatu ad id
fuerimus coacti. Cùm autem mentem noſtram hac in re ampliùs Il-
luſtri Reip. exponi jam nunc curavimus, ejus itaq; reſponſum quan-
tocius expectamus eoq; reddito adæquatas inibimus rationes præſenti
rerum ſtatui, nobisq; eo acceptior erit Reip. declaratio, quò magis cō-
muni ſecuritati ac bono congruo intelligatur. De cætero ut Eminentia
Veſtra ſibi habeat perſuaſum, nos eandem ſincero affectu complecti
DEoq; commendatam, & quàm diutiſſimè incolumem cupere. Da-
bantur ut ſuprà. Excellentiæ Veſtræ benevolus amicus.*

Carolus.

COPIA DECLARATIONIS REGIS SVECIÆ.

SAcra Regia Majeſtas Sveciæ teſtari voluit, ſe ſe firmo, & inconcuſſo perſiſtere animo ſervandi incorruptè inita cum inclyta Repub. fœdera, colendiq; fidam vicinitatem & amicitiam, quamdiu ipſa ſeſe non „reddiderit participem belli à Rege ſuo inîquè, & contra pacta, datamque „fidem ſuſcepti. Et quoniam Rex Poloniæ factus ſit ſuæ Majeſtatis hoſtis, „non ſolùm quod dicto modo nullâ laceſſitus injuriâ fœdifragô Regiam ſu„am Majeſtatem aggreſſus ſit impetu, ſed & nunc varia proferat exaſpera„tæ inimicitiæ, & moleſtorum moliminum documenta omnia adhibens ar„tificia, quibus credit, ut Inclytam Rempubl. ad deteſtandi belli Societa„tem alliciat, permoveri poſſe, adeo, ut eo regnante neque Regiæ ſuæ Ma„jeſtati ſufficiens præſtari ſatisfactio, nec ſtabiliendæ inpoſterum ſecurita„ti proſpici queat. Eos itaque Regia ſua Majeſtas haud cenſere poteſt à gra-

A.C.1701 ,viſſima culpa alienos, qui Regis Poloniæ partibus adhærentes,eundem ni à
,tam impiis, & tam illegitimis deſtinatis deſiſtat, quodammodo fulciunt,
,& conſervare volunt. Boni, æqui, & cordati omnes, qui ſuæ Regiæ Ma-
,jeſtatis cauſæ non adverſantur, amicitiamque ejus & ſubſidium fide inte-
,grâ ambiunt, de Regis ipſius favore vicinaque ope & benevolentia, de de-
,fenſione tam perſonarum, quàm & bonorum ſuorum perſvaſi omnino,&
,ſecuriores eſſe poterunt; aliqui autem ſibi ipſis imputent, ſi eis aliter evene-
,rit. Tam procul verò à ſua Regia Majeſtate abeſt velle eam quidquam in-
,juriæ aut præjudicij inclytæ Reipub. inferre, ut firmiter unicuique per-
,ſvaſum eſſe debeat Regiam ſuam Majeſtatem juxta ſtudium propriæ ſecu-
,ritatis ſupradictâ ratione firmandæ, tanta tamque eximiâ eſſe erga incly-
,tam Rempublicam propenſione, ut, ſi de ejuſdem requiſitione certior fa-
,cta fuerit, haud denegatura ſit deſiderantibus promptam cooperati-
,onem ſuam ad conſervanda ſarta tecta ab omni turbatione eorundem,ac
,inſignia libertatis & privilegiorum jura.

,, Porrò cum ſinè dubio innotuerit aliquot cohortes aut ſub Illuſtriſſi-
,mo Comite Domino Oginſki militantes, aut ex quorumvis prædantium
,colluvie contractas è Litvania in Curlandiam non ſemel irruiſſe, & non-
,nullos Regiæ ſuæ Majeſtatis milites in captivitatem abduxiſſe, nec non a-
,lia infenſæ voluntatis dediſſe ſpecimina. Sperat igitur Regia Sua Majeſtas
,id neminem ſibi verſurum vitio, ſi rationes idoneas inveniat, quibus ſimi-
,les auſus poſſent opprimi, atque vis vi propelli; ad mandatum Regiæ ſuæ
,Majeſtatis.

COPIA LITERARũ EMINENTISSIMI CARDINALIS AD REGEM SVECIÆ, AD REQUISITIONEM REGIS POLONIARũ. 26. Julij 1701.

Aſſvetus genti noſtræ erga vicinos ſinceræ amicitiæ cultus, tantò magis conſtans Religio uniti ſacri fœderis cum Regno Sveciæ, monebant ejus fidei, ne in ſtatu præſenti Reſpub: Polona ſe immiſceret bello, aut juſtitiæ, aut fatidico rerum eventu. Acceſſêre ex congregatis proximè ac dilatis comitiis patentia candoris noſtri documenta, inductam eſſe S. R. Mtem Poloniarum ad cogitationes eorum, quæ pacis ſunt, & nihil aliud deſiderari poſt commiſſum ab utrinq; viriam diſcrimen, niſi finem cruenti certaminis concordiam & amorem. Si verò vel Diis diſponentibus vel fortuna faventiori darentur S. R. Mti V. votivi ſucceſſûs ſolatia, hæc ſine periculo ſecuturi deinceps dubij eventus ſuſtentanda, fortunam autem moderandam ſuaſerim. Quod perſuaderi nequeat, hoc unicum pro ſtatione mea & totius Reipub: nomine ac voto efflagito, ut S. R. Mtas V. limites Regni hujus & annexarum Reip. Provinciarum, ſi qua iter belli daretur non infeſtet, tantò magis non transgrediatur, ſervando nobis vicíſſim eam amicitiam quam in præſenti caſu nullo nævo inſperſam colimus, geminatis expoſcendo vicibus humillima inclinor veneratione.

MANIFESTATIO NOMINE MAG. DUC. LITVANIÆ Actum Varſaviæ in Conventione Regni Generali feria V. poſt feſtum Ss Viti & Modeſti Martyrum proximâ.

AD judicium Sacræ Regiæ Majeſtatis actaque præſentia Conventionalia Regni Generalia Varſavienſia perſonaliter veniens Illuſtris & Magni-

„Magnificus Vladislaus Bork Livoniæ Caſtellanus, atque Magnificus Mar-*A.C.*1701
„tinus Wołowicz Notarius M. D. Litvaniæ Vexillifer Mſcislavienſis Nun-
„tius Terreſtris Vilnenſis ac Generoſus Dominus Boguslaus Leo de Ole-
„chno Blus Inciſor & Nuntius Terreſtris Ducatûs Olmianenſis ſuo & toti-
„us M. D. L. nomine ſolenniter contra quendam Anonymum infamis ſcri-
„pti & famoſi libelli Authorem, qui ſeriâ inquiſitione quæſitus, indagari
„protunc non potuit ipſumq; ejus illud infame & aggravans ſcriptum &
„famoſum libellum in aggravationem illibati honoris malevolè fabricatum,
„contentaque ejus tenorem & textum libertati & unioni M. D. L. cum Re-
„gno Poloniæ per Divos Anteceſſores ſuos tot ſudoribus, & indiſſolubili
„vinculo compactæ ad hæc uſque tempora Sacroſanctè duranti & pe-
„rennaturæ præjudicioſum, protunc & manifeſtati ſunt in eo, cum id præ-
„cipuum ſit mortalium ſtudium, ut jure naturali unde aurea cuique pullu-
„lavit libertas gentis Polonæ, & M. D. Litvaniæ præcipuum decus & or-
„namentum, ſuaque & independens ab alieno arbitrio maneat rerum a-
„gendarum facultas, & bello quoque quæſiti ex jugo ſervitutis ſuſpirent,
„ad libertatem hanc tot annorum ſerie in hoc inconcuſſi orbis Poloni tot
„procellis malorum quaſſati theatro, armis variè jactis, licet, ſi ardor ci-
„vium adeo tueatur, ut militari gloriâ, & triumphorum ſpectaculis cir-
„cumjectarum gentium, & totius orbis mentem in ſe convertat, nihilomi-
„nus anonymi Authoris ſubortus livor edax auſus eſt ſcripto ſuo infami,&
„famoſo libello injurioſè eam irrogare ſervitutis infamiam quaſi manifeſtan-
„do ſuo, totiuſque Magni Ducatûs Litvaniæ nomine contra jus naturæ pro-
„cedendo (quo omnes liberi naſcimur) abdicatâ ultro aureâ vivendi liber-
„tate, inæſtimabili ſangvinis diluvio, fortunarumque jacturâ, ubi ob Divo-
„rum ſuorum Prædeceſſorum quæſita. ſic non ita pridem ad oppidum Ol-
„kiniki per manifeſtandos ipſius non degeneres avitæ virtutis Majorum ſu-
„orum ſurculos contra oppreſſores libertatis, & æqualitatis Sphæram e-
„gredi auſos dominandi ſuper pares effræni & inordinatâ licentiâ civilem
„modum egreſsa accenſos ſimili diluvio ſangvinis hic aſſerta & defenſa in-
„ſtrumentum meritum quoddam crudum ſervitutis, ſubjectionis & abſolu-
„ti dominij tempora induens, & favorem quaſi Sereniſſimi Auguſti II mo-
„derni feliciter regnantis, liberis vocibus Senatus Populique Poloni, & M.
„D. Litvaniæ ſub libero jove electi & Succeſſorum ejus de lumbis deſcen-
„dentium conſcriptum, eidemque quaſi obligatum, ac datum cauſa conci-
„liandi contra manifeſtanda apud Nobilitatem Regni & Magni Ducatûs
„Litvaniæ odij, & invidiæ calumnioſè compilavit, & fabricavit, adjectisq;
„nominum, cognominum, & honorum ſubſcriptionibus, idem ipſe ſcriptū
„nefarium hic Varſaviæ tempore comitiorum præſentium Regni & Magni
„Ducatûs Litvaniæ Generalium disjecit, & publicavit, eoque ipſo infami
„ſcripto ſuo quaſi moderno Sereniſſimo Regnanti abdicatæ libertatis obla-
„to hic Varſaviæ ſub initium comitiorum aucupandorum, forſitan Nobili-
„tatis favoribus adſtruendæ ſibi fidei, augendæque inter Concives diffiden-
„tiæ quo iterum affectata libido dominandi ſuper pares licentioſè reſtaura-
„ri valeat; diſiecto honore manifeſtanda injurioſè traduxit, & læſit, Ne i-
„gitur talibus commentis malitioſè pro more & natura anonymorum ſcri-
„ptorum practicato in odium manifeſtandorum quæſitis, communis mater
„libertas omni pretioſior auro ad arctos terminos redigatur, fidesq; intami-
„nata manifeſtanti, ſuo, totiuſque M. D. L. nomine, & illibatus honor va-
„cillet, ac in dubium vocetur, iterum atque iterum promulgetur, prout
„nullum à ſe Sereniſſimo Regnanti ad effectum abſoluti Dominij datum
„fuiſſe inſtrumentum, projectaque ejus per cavillantes illicito ſtudio ſparſa
„unà cum authore ejuſdem ad rogum damnandum eſſe cenſent, authorem

A.C.1701. „ prædicti inſtrumenti inquirere ſe paratos offerunt, pariter ſe prius ſpoliari, & privari vitâ, honore, & fortunis, & ſi quid carius eſt, quàm unum jota ſuper abſoluto dominio, & abdicanda libertate, verbo vel ſcriptis à ſe datum fuiſſe, vel in poſterum dari paſſuros declarant, & ſpondent, ut videat eos ſol melius mori, quos olim in libertate & æqualitate benè naſci vidit.

MANIFESTATIO EMINENTISSIMI PRIMATIS & Illuſtriſſimorum Commiſſariorum ad mediationem Magni Ducatûs Litvaniæ deputatorum Varſaviæ die 28 Junij

NOs Senatores, Dignitarij, Officiales Regni Poloniæ ad examen, mediationem, ac medelam turbarum ac tumultuum M. D. L. ex occaſione diſſidiorum Nobilitatis ejuſdem Ducatûs cum domo Sapiehana exortotum, quæ primùm mutuis ad invicem querelis dein cruentis culta civili ac fraterno ſangvine maduère, à Sereniſſima Regia Majeſtate Domino Noſtro Clementiſſimo Deputati Commiſſarij, tum à partibus ex Equeſtri Ordine, ſub tempus comitiorum Generalium rogati & aſſumpti moderatores ac amici, ad notitiam omnium deducimus. Quia nos, quò magis pertæſi miſeræ ac calamitoſæ ſortis vicinæ gentis, æqualitate naſcendi, libertatis uſu, jurium coæquatione, fratrum noſtrorum chariſſimorum civilibus odijs vix non ad exterminium laborantium, eò lætiores Sacræ Regiæ Majeſtatis ſolicitudine congreſſus publici authoritate noſtro ſtudio his malis finem imponendum alacres ac intenti Sacræ Regiæ Majeſtatis mandato, populorum votis obtemperavimus, & negotium hoc ſalutis publicæ 20 Junij menſis præſentis ad latus S. R. M, in arce Varſavienſi ex partium conſenſu inchoavimus. Hæſitatum aliquantum hinc & inde in præliminaribus, pars à Seſſione Provinciali M. D. L. admiſſa, & proponens gravamina ac læſiones, contra perſonas, Miniſteria, voce ac ſcripto propoſuit, communicata hæc parti, quæ pariter voce ac ſcripto non ſolùm Domûs ſuæ, ſed & tot familiarum ejuſdem Ducatûs Litvaniæ, quibus nihil ad cauſam commune erat, extremum caſum, ruinam, devaſtationem ad horrorem uſque expoſuerunt. Cùm verò auditis hinc & inde querimonijs ad amicam compoſitionem deveniendum erat, & varia partibus propinabantur media, Pars proponens ſe ad nulla deſcendere velle, declaravit, ni Miniſteria ac dignitates pro vacantibus declararentur. Quod cùm nec M. D. L. authoritatis decernere, nec noſtræ facultatis approbare judicaremus, propoſita nobis media, ac lenitiva, ut ad futura Deo dante comitia, negotium ad totius Reip. deciſionem pertinens remitteretur. Quod autem citra jus & æqvum hucuſque actum eſt, in integrum reſtitueretur. Deoccupatio videlicet Bonorum nulliter interceptorum, pro ſecuritate autem quietis ac tranquillitatis, gvarrantia Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Primatis, tum Illuſtriſſimorum ac Excellentiſſimorum Caſtellani & Palatini Cracov. Exercituum Regni belli Ducumad comitia uſque Regni offerebatur, ut in caſum alicujus moleſtiæ, aut contraventionis authoritate ac robore parti offenſæ aſſiſtant. Sed cùm nec media hæc, nec ullæ perſvaſiones inducere partem proponentem valuerint, quæ nec audire, multò minùs reſpondere voluit ad univerſam Nobilitatem ac Palatinatus totum negotium provocando, tam laborioſum tractatum inutiliter ſolvere debuimus. Ut autem ſtudium noſtrum, & reducendæ poſtliminiò pacis conatus, cunctis pateat, prout res geſtæ fuerunt, citra paſſionem ac fucum enarramus. Ne verò dilatis

„tis ad proximum Decembrem Regni comitijs longio- mora calamitates „publicas augeat, & è cardinibus motæ leges in abuſum & corruptelam „tranſeant, pro munere Senatoriæ dignitatis noſtræ, ac vinculo Sa- „cramenti proſpiciendo quieti ac ſecuritati publicæ, tum juribus, Statu- „tis, conſvetudinibus, & recentiori coæquationis juri inhærendo conſti- „tutionibus, annorum, & primo ſtatuto Herburti tit. Poſſeſſionatus. I- „bidem tit. Rex. Ibidem tit Nobilis. Conſtitutioni 1676. tit. Diſciplina „militaris. Conſtitutioni 1649 O niezaciąganiu. Conſtitutioni 1572. tit. „Kaptur 1609. tit. O Ludziach. 1624 tit. Poſtanowienie. 1629 tit. O Ku- „pach ſwywolnych. 1635 tit. O tumultach. 1643 tit. Securitas interna. „1590 tit. Diſciplina 1601 tit. Deklaracya. 1607 tit. O Zołnierzach. 1609 „tit. Porządek. Si quid hactenus contra eaſdem deviatum, vel tractu tem- „poris quacunque parte deviaretur, quàm ſolenniſſime proteſtamur, ac „manifeſtamur, parati eandem manifeſtationem, in futuris Deo dante „comitijs explicare, tueri, & omne devium ad priſtinum ſtatum redu- „cere pro debito obligationis ac vinculi Senatorij. Michaël Cardinalis „Radziejowski Primas Regni & M. D. Litvaniæ mpp. Andreas Załuſki „Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis. Stanislaus Jabłonowſki Caſtella- „nus Cracovienſis Exercituum Poloniæ Dux Supremus. Felicianus Po- „tocki Palatinus Cracovienſis Dux Campeſtris Regni. Alexander Felix „Lipſki Palatinus Caliſſienſis Raven. Medicen. Inovloden. Capitaneus. „Martinus Kątski Palatinus Kijovienſis Generalis Podoliæ & Artileriæ „Regni. Hieronymus Lubomirski Supremus Regni Theſaurarius. Dzia- „linski, Stephanus Potocki Capitaneus Circaſienſis amicus ad modera- „tionem invitatus; Stephanus Humiecki amicus ad moderationem in- „vitatus Dapifer Podoliæ. *A.C.* 1701

UNIVERSALIA CONTRIBUTIONUM SVETICARUM

Sacra Regia Majeſtas Dominus meus Clementiſſimus literis ſuis de data 23 hujus.

Commiſſariatui Generali notificavit, quamvis ſupra fata Sacra Regia Majeſtas Generali Majori Mœrner protunc Mitaviæ exiſtenti demandaverit pro conſervatione exercitûs S. R. M. hic exiſten- „tis, ex tota Provincia contributionem exigere. Quoniam verò Poſſeſſo- „ribus hic in propinquitate habitantibus grave videretur, ſi contingen- „tiam contributionis ſuæ primum Mitaviam, & poſtmodum inde poſt „exercitum devehere deberent; ſiquidem illi tali modo duplici itinere „gravarentur; propterea Sacra Regia Majeſtas pro clementia ſua in hoc „paſſu incolas hujus Provinciæ, quantum fieri poteſt alleviare inclinat, „clementiſſimeque demandavit, quatenus omnes in propinquitate habi- „tantes poſſeſſores, quomodocunque nominandi, tam Ducalia, quàm & „Terreſtria bona poſſidentes teneantur de quolibet unco ad rationem „per Generalem Majorem Mœrner conſcriptæ contributionis in inſtanti, „& abſque ulteriori devectione hic & nunc ad exercitum depromere; „tres equos, tres boves, ſive vaccas ſteriles, tres oves, & poſtmodum „poſt præterlapſos ſex dies ab infraſcripto dato numerando 10 taleros, „30 pondo panis aridi, quinque dolia cerevifiæ, 12 modios Rigenſis men- „ſuræ avenæ, 2 modios pultis vel piſorum, 5 pondo butyri, ſive lardi, „quod cuilibet poſſeſſori de ſua contingentia præfatæ contributionis de- „curtari & bonificari debebit, &, quoniam S. R. M. clementiſſima volun- „tas eſt, ut hoc cuilibet ad debitam notitiam deducatur, ideo hoc pro

A.C.1701 „ſubjectiſſima devotione hiſce debite emanavit annexâ hac ſeriâ admo-„nitione, quòd quamvis non dubitatur, quòd quilibet hanc contributi-„onem ſponte congeret, attamen caſu quo quidam auderet hoc neglige-„re atque non omnia & ſingula ad minimum in prætixis terminis con-„vehere, talis gravem executionem militarem in ſe contrahet, quæ poſt-„modum hæc omnia ex quolibet unco cum pœna duplicis penſionis exe-„quetur, atque talis ſibi ipſi culpam adſcribere poterit. Datum in Ca-„ſtris Regijs Sveticis penes Buſcum die 28 Julij ad clementiſſimum man-„datum Sacræ Regiæ Majeſtatis, & pro munere officij Martinus Trozio „Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveticæ Conſiliarius Gverricus, & director e-„juſdem Commiſſoriatûs Generalis militaris.

„ Quoniam propriè non conſtat, quot uncos quædam bona habe-„ant, ideo poſſeſſores, vel ijs abſentibus bonorum Præfecti ſeriò hiſce „admonentur, juxta verum numerum uncorum eorundem bonorum, præ-„ſcriptam contingentiam extradere, caſu autem contrario, ſi quid de „numero uncorum occultatum, atque hæc contributio per hoc diminu-„ta fuerit, id per militarem executionem indilate cum duplici penſio-„ne exequetur, qui tunc ſe ipſum inculpare poterit, propterea poſſeſſo-„res, aut eorundem Præfecti tenentur circa devectionem contributionis, „verum inventarium, in quo numerus uncorum debitè conſcriptus eſt, „ſecum adferre pro documento ſe ſuper fatam contingentiam ſuæ con-„tributionis juxta verum numerum uncorum probè extradidiſſe, ſi gravẽ „executionem militarem evitare, voluerit, contra quam ipſum nulla ex-„cuſatio defendere poterit. Martinus Trozio.

„ Quoniam Domino Woldemaro Joanni Mejerfeldt à Sacra Regia „Majeſtate hæc executio additis copijs militaribus demandata eſt, ut u-„niverſales ſibi traditas inter poſſeſſores bonorum vel ijs abſentibus eo-„rundem Præfectos diſſeminet, & propterea ſeriò urgeat, quatenus hæc „contributio ad minimum extradatur. Ideo hoc Domino Vice-Colonello „pro commoda informatione adjungitur 1. Dominus vice-Colonellus da-„tas ſibi univerſales in bonis ſingulis inſinuari faciat, urgendo, ut con-„tingentiam ſuam quoad boves, equos, & oves juxta numerum uncorũ „ſuorum indilatè extradant; cæteras verò res ſpatio 6. dierum poſt in-„ſinuationem univerſalium, ut probè huc devehant, illis demandabit, ſub „evitatione gravis executionis.

„ Si aliquis conquereretur ſibi impoſſibile eſſe cereviſiam, aut ave-„nam devehere, talis hoc paratâ pecuniâ ſuppleat, ſcilicet pro quolibet „dolio cereviſiæ duos imperiales, & pro quolibet modio avenæ 4 Caroli-„nos. Poſt præterlapſam dilationem, quo ſpatio, quilibet contingentiam „ſuam expromere debuit, Dominus vice-Colonellus apud quemlibet poſ-„ſeſſorem exactiſſimè inquiret, quonam modo contingentiam ſibi injun-„ctam exſolverit, & qui hanc exſolutionem vel quietatione Proviant-„meiſtri, & quoad pecuniam exactoris militaris non poterit ſufficienter „demonſtrare, quòd omnia & ſingula plenaria juxta numerum uncorum „exſolverit, omnes ejuſmodi reſiduitates tenore univerſalium mediante „executione militari cum duplici penſione exequatur.

„ Quantum ex Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in conſervationem „exercitûs Regis Svetici ex quolibet equeſtri ſervitio 200 imperiales in „parata pecunia 300 pondo panis biſcocti. 200 pondo carnis fumatæ 100 „dolia cereviſiæ, 270 modios avenæ 3-3 dolia vini cremati. Quoniam e-„tiam impoſſibile eſt, ut equites pro hac executione demandati ſufficien-

tem

„tem victum tempore hujus executionis ſecum habere poſſint, ideo Do- *A.C.*1701
„minus Vice-colonellus Dominis poſſeſſoribus, ad quos hæc portio per-
„venerit, intimabit, ut eidem parthiæ neceſſariam alimentationem tam
„pro hominibus, quàm & equis provideant, de qua Regiminis Quater-
„magiſtri vel demandati Officiales quietabunt.

COPIA LITERARUM AB INTERNUNTIJS CURLANDIÆ ET SEMIGALLIÆ, Varſaviæ die 29. Julij.

Dum non ſolùm ultro conſtituta Sereniſſimorum Regum ac inclytæ Reipublicæ Regni liberè ad corpus illius incorporata Ducatûs Curlandiæ & Semigalliæ Provincia legibus formulaq́ꝫ Regiminis ſat abundè circumſcripta, apertas legum ſuarum antiquitus benè conditarum convulſiones patitur, ſed & Equeſtris Ordo in bonis merè terreſtribus non modò ſtativis hyemalibus, portionibus & horum ſimilibus varijs contribuendi modis, militari inauditâque exequendi praxi, qua nec ædibus, nec manſionibus Equeſtris Ordinis parcitum eſt, fortunis & ſubſtantiâ, exhauſtus & quod majus eſt, bonis & poſſeſſionibus imò officijs, honoribusq́ꝫ violentâ manu, & pro ſolo arbitrio contra expreſſas leges & inſcriptiones in nonnullis privatur. Nunc autem prô dolor! ad id deventum eſt, quòd belli ſedes Svetici omniumq́ꝫ belligerantium in limitibus Curlandiæ, & Semigalliæ formata ſit. Quamobrem non tantùm in periculo avulſionis à corpore Reip. verſamur, ſed ſummopere verendum, ne præfatus Curlandiæ & Semigalliæ Ducatus in ſimiles, & adhuc dolendas reſciſſarum Provinciarum devolvatur calamitates. Ne itaq́ꝫ hæc attentata ulteriùs ſerpant, præmiſſâ Majeſtatis authoritate, & clementiâ, gratiam Eminentiſſimæ Celſitudinis per nos Internuntios ſuos unicum ultimatumq́ꝫ antydotum arripit. Cùm profundiſſima igitur humilitate ad Eminentiſſimã Celſitudinem Veſtram recurrimus, authoritatemq́ꝫ ejus Primatialẽ, quâ leges, libertatesq́ꝫ Patriæ pollent, exorando, quatenus Ser.R: Mti D: noſtro clementiſſimo conculcatas Ducatûs Curlandiæ & Semigalliæ leges, afflictionesq́ꝫ Ordinis Equeſtris deducere, in futuris verò DEo dante Comitijs preces & vota ejusdem Ordinis Equeſtris promulgare dignetur. Cum quibus humillima noſtra obſequia ad plantas Eminentiſſimæ Celſitudinis devolvendo manemus Eminentiſſimæ Celſitudinis Veſtræ humillimi ſervi. Henricus à Trolta Treyden Capitaneus Doblenenſis, Wilhelmus Erneſtus Schröders excubiarum Præfectus S. R. Mtis. Joannes Erneſtus à Diepskirch Capitaneus S. R. Mtis Internuntij Equeſtris Ordinis Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ.

RESPONSUM PRIMATIS. 1. Auguſti.

Ex literis ſuarum Dominationum colligo querelas, & amaritudines, quibus cùm hic & nunc mederi non ſit de tempore, compati eſt de juſtitia. Quantò enim delicatiùs ab omnibus divæ memoriæ Regni hujus Principibus conſervabatur circa immunitatem jurium

A.C. 1701 *jurium, ſecuritatem ſubſtantiarum, prærogativas Ordinis Equeſtris, cæteraq; libertatum ſuarum præſidia, decora hæc Provinciæ, tanto majori animi noſtri ſenſu dolebamus eandem in hunc indignum fortunæ adverſæ deueniſſe caſum, ex quo civium tranquillitas, honor, & opes aut inverſa, aut imminuta; non poſſe me tamen aliter exiſtimare, de innata S. R. Mtis pietate & clementia, quòd ea fieri nullatenus pateretur, niſi urſiſſent fundandi ibidem belli Suetici rationes. Sicuti enim omnium bellorum hoc dirum accidens eſt; quidquid propius ad funeſtam illorum accedit flammam, urere, & conſumere, ita & in præſenti caſu, Ducatus hic ſolâ ſuâ vicinitate infelix, preſſurisq; militiæ nunquam non gravaminoſæ expoſitus, quas (utrobiq; certumeſt) nec evitare poterat, nec tolerare merebatur. Procul dubio acerbum id Reip, ſciendumq; illam tantò impenſiùs velle tueri jura, prohibere injurias hujus decori Ducatûs, ex cujus famoſa incorporatione ad ſe, Regnum iſtud finium latitudinem, auctoramentum gloriæ, cæteraque ſua participauit ornamenta. Ex me, quantum authoritatis, conſilij, & opis eſſe poterit, votis ſuarum Dominationum ſuccurrere in tempore non intermittam. Nunc verò mirabili fatorum diſpoſitione ademptâ ſubitò ulteriorum ibidem afflictionum materiam demirari ſatis non valeo, repertam ſcilicet in bello quietem, in hoſtico amicitiam, & ipſum Regem Sueciæ cum victore exercitu in hanc prouinciam, non ut hoſtem, non ut inimicum, ſed ut inimicos ſuos, ejuſdemq; prouinciæ oppreſſores ulturum veniſſe. Exinde ſicut ibi nullam metuo ex hoc, quaſi hoſpitaliter permorante exercitu ſecuturam aggrauationem. Ita ulteriora, quæ ad pacem & felicitatem uniuerſi pertinebunt, præuidere, Diuinâ auxiliante gratiâ cum efficaciter uelim, in reliquo maneo &c.*

INSTRUCTIO SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Domini Noſtri CLEMENTISSIMI pro Comitiolis Ante-comitialibus, Comitiorum Generalium Sex-hebdomadalium Varſavienſium pro die 22 Menſis Decembris in anno præſenti determinatorum.

PAterna bonitas, & ſincera ad pacandos ſtatus Reipubl. applicatio non potuit unquam clarius patere, quàm quando ipſo actu datam in proximè præteritis comitijs, translatis ex æſtate in hyemem, de evacua„tione exercitûs ſui exotici declarationem Sacra Regia Majeſtas D. N. C. „benignè exequi & explere dignata eſt. Oſtendit realiter mancipatum cor „amore erga hanc inſignem Patriam, quæ illi non hæreditate, ſed amore „civium ceſſit, dedit exemplum laudabile; quomodo gratificando libera, li„beræ genti ad hoc Regnum ſuffragia, majori pretiò æſtimavit publicam „ſatisfactionem, quam omnes votivas felicitates, acceſſus, & incrementa, „quando acclinatâ ſe totaliter ad vota populorum tam magna expenſa im„penſorum ſumptuum pro recuperandis avulſis, gravem laborum ſuorum „jacturam, & omnia bello parata ſub tempus operationis bellicæ præteri„to anno in Livonia ferè cruentas de ſangvine meſſes abjecit in partem, & „quod majus, devicto heroico corde, honorem, famam, & reputationem „ſuam infra poſuit beneplacito Reipub. cum conſtanti teſtando clemen„tia Popule mi! quid ampliustibi facere potui, & non feci. Eat in poſterita-

„tē tam magna, & inſolita alijs Monarchis moderatio, glorioſior omni trium- *A.C.*1701
„pho, & imminentia non ſine invidia conſiderent tempora, hoc ipſo ſtrin-
„gat libera & magnifica corda Heroica, quæ, quod Deo, & Eccleſiæ San-
„ctæ, quod Majeſtati & Patrijs juribus, immunitatibus & libertatibus de-
„betur, ſine detrimento ſemper reddant. Non cecidit unquam hæc ma-
„cula in inſignem gentem Polonam, nec illi quiſquam objiciet, vel ſeditio-
„ne interemptos, vel in prælio deſertos Reges. Fertur per totum orbem
„intacta avita Polonorum virtus, & innatus erga Reges Dominos ſuos
„amor, fides, apertè deducit: quòd tutior & ſecurior eſt Domus Principis,
„defenſa excubijs amoris, quàm armorum. Experiri hoc in perſona ſua di-
„gnatur S. R. Majeſtas D. N. C, dum circa Majeſtatem ejus inſigni fer-
„vore mordicus ſtetit zelus Nobilitatis, & à contumelijs vindicavit, Dijs
„proximam Regum Majeſtatem, & jam ſecurè in fidis pectoribus fundat tu-
„itionem & præſidium ſuum; connectit confidenter Majeſtatem cum liber-
„tate, cum hoc obteſtando affectu quòd omnia Reipub. tam læta, quàm
„triſtia vult habere communia ſibi, nec magis ſe felicem ſine Repub. quam
„Rempubl. ſine ſe fore, & hoc erit unicum centrum, & meta intentionum
Regiarum, & laborioſi conatûs, ut juvante Deo altiſſimo, delicata immu-
„nitas, fama & fortuna Polona, humilitate omnium inimicorum in altum
„ad ſydera enitatur, & immortalibus floreat decoribus, quod ſicut à prin-
„cipio Dominationis ſuæ, ſummo deſiderio his Inſignibus, & magnis ex cor-
„de precata eſt gentibus S. R. Majeſtas, ſic nil dubitat, imò fortiter huic
„credit, quòd perſpectæ pro veteri rectitudine in ſinceris illius intentioni-
„bus, quas in futuris (Deo dante) Comitijs ſtatibus Reipubl. lucidius ex-
„plicabit, non tantùm filiali affectu Sacram Regiam Majeſtatem comple-
„ctentur, ſed optimas cogitationes, & è converſo occultas fabricas, ad-
„verſas factiones, & varias intricationes, quæcunque revelari poterunt,
„ruinanda, bonum commune prudenti ſuo agnoſcent judicio. Cùm autem
„ſupra omnem ſpem hæc proximè imminentia comitia (ſicut jam de hoc
„vocalis fama) ad optatum non poſſint venire effectum, deberet S. R Ma-
„jeſtas D. N. Clementiſſimus, ut Reſpublica inermis & indefenſa non ma-
„neret, reſolvere ſe ad ultimum remedium, congreſſus totius Reipubl. cō-
„muni motu, ut eadem in unum congregata non tantùm immunitati Re-
„giæ tuitionem, ſed & ſibi ſecuritatem ab hoſtilibus moliminibus, & pacē
„domeſticam provideret, & omnia pericula rerum invicto animorum ro-
„bore amoveret, oſtenderetur protunc meridianâ luce clariùs diligens cu-
„ra, & paterna ſollicitudo circa bonum commune, verus zelus, & candi-
„dum ſtudium S. R. Majeſtatis D. N. Clementiſſimi diſcerneret optimè,
„Status Equeſtris, quod omnes obliquæ interpretationes, & malitioſæ im-
„preſſiones, quibus fortè malevoli deturbare conantur S. R. Majeſtatem
„D. N. Clementiſſimum ab amore civium, leves, Injuſtæ, & fictæ ſunt,
„& fuerunt, & ab ijs in vulgus proclamatæ, qui S. R. Majeſtatis & hujus
„Reip. ipſi morantur exoptatam felicitatem. Non perdit tamen S. R. Ma-
„jeſtas bonam ſpem de optata determinatione horum comitiorum, & ſic
„tenet, quòd animadvertet ſe Patria, & omnium corda, ſtatus rerum præ-
„ſentium inclinabit ad ſolida conſilia. Ex perſona etiam ſua S. R. Maje-
„ſtas offert obnixam, & ſolertem applicationem & vigiles pro bono publi-
„co curas, ad quod felicem dent ſuperi acceſſum, faciendo materiam tra-
„ctandorum in futuris antecomitialibus Comitiolis clementer ſuggerere,
„& alia puncta ex præterita inſtructione, ex qua adhuc non deprompta
„conſilia publica reaſſumere, & ſupplere dignatur. Siſtit in primo conſilio-
„rum publicorum campo ſecuritas publica, quæ in tali paſſu, & circum-

ſtantijs

*A.C.*1701 ,ſtantijs ingruentium periculorum, non tantùm conſilium, ſed & manum ,requirit. Iam etenim non belli præludia, non terror, non clarigatio, ſed ,aperta hoſtilitas, qui æquali Anteceſſorum ſuorum eundo viâ, utilitate ,non fide metiens fœdera, non tantùm audacter intravit limites Regni, ,ſine data occaſione, ſed etiam intra viſcera Regni dilatat ſe, fundat, & ,fortificat. Non pacem à bello, civem diſcernit ab hoſte. Non dedit illi ,Reſpublica ad hæc abrupta & præcipitia ullam cauſam. Manutenuit ſanctè & religiosè pacta Olivenſia, dimiſit cum admiratione Orbis, tam magnas & ſimiles occaſiones, ad rehabenda propria, fermè ipſam S. R. Majeſtatem obligavit, ad deponendum bellum, & educendum exercitum exoticum, ſtitit ulteriores progreſſus quia variæ non defeciſſent ad agendum & reſiſtendum vires, ſi paratis ex Saxonia in ſubſidium auxiliaribus ,tranſitum in Livoniam non impediviſſet. Reddit non æquali menſurâ Reipublicæ Rex Sveciæ, quando jus omne & fas violat. Occupavit Curlandiam, Semigalliam, & Diſtrictum Piltinenſem, patrimonium Reipublicæ. ,Munivit præſidijs civitates portorias illas, Libaviam, Vindaviam, & alias, ,Nitaviam, & Bowsk recepit: Juramentum fidelitatis, ad quod & Nobilitatem ibi degentem voluit adigere, & his, qui huic reſiſtebant, aliquorum ,ſubſtantias confiſcavit, alios ferro & igne delevit. Impoſuit graves & intolerabiles contributiones, quas per militarem extorquet executionem, ita, ,ut ſub jugo potentis oppreſſionis gemant nominatæ partes ad jus & Imperium Regni ſpectantes; factumque quidquid uſpiam libuit tantò flagrantiùs, quantò minùs licuit. Non ſatis in hoc, adhuc majora auſus, dum non ,tantùm tormenta Reip. ſed & propria depoſita Sacræ Regiæ Majeſtatis ,D. N. Clementiſſimi ex Feudo Reipubl. fortalitio Bierzenſi terrore ictus ,recepit. Ordinavit & in Samogitiam milites ſuos ſub prætextu ſalvoguardiæ, tetigit ſenſibiliter Diſtrictum Upitſcenſem. Inſuper Eminentiſſimũ ,Cardinalem præcavendo, ut fortunæ ſecundo curſu limites Poloniæ non ,tranſcenderet, etiàm in expoſtulatorias Miniſtrorum ſtatûs utriuſque gentis non reſcripſit, & Generoſum Podolſki Pincernam Ciechanovienſem, nec ,in conſpectum admiſit, ſolo contemptu abſoluto. Simili modo Legatos M. ,D. Litv non ſuſcipientes probroſas ſuas tentationes, nec reſponſione, nec ,admiſſione dignatus.

,,Quem ſimilia attentata, & apertæ hoſtilitatis actus non commovebunt? quem non commoveret iſta facies rerum? quem non excitabit inſignium Majorum gloria? qui tremendi fuerant hoſtibus, Domeſticum Ordinem pulchrè tenuerunt, incunabula & incrementa hujus vaſti Regni jure & ordine extollebant: hoc memorando ſalus Reipubl. ſuprema lex eſt. ,Ad talem in publicum amorem, & audaciam accendere dignatur Sacra ,Regia Majeſtas D. N. Clementiſſimus, generoſa civium pectora ut in hac ,impromptitudine bulliens ſupra cervicem non obruat Rempublicam tempeſtas, dum, nec nervum habet belli, nec completum exercitum Regni, ,qui in præſenti caſu deberet eſſe numeroſus, & nervoſus. Tradit ergo ſub ,providam curam, fidam tutelam hujus inſignis Patriæ, vovet adæquatis ,conſulere remedijs, ut juſtum exercitûs numerum, & proportionatas vires ,pro omnibus periculis habeat in promptu, & peditatum, quam optime ,erectam, etſi Rex Sveciæ non cedet ex Curlandia, cum reſartione damnorum, quid conſilij, tempeſtivè reflectere ſe oportet, ut non ſit Reſp. ,ludibrio exteris, prædæ vicinis, & tandem tenuis, & per partes lacerata, ,(avertant ſuperi) non cadat, & in illa fides ſancta, libertatis communia ,decora, & quodcunque ex inſignibus Majoribus earum, ſanctum, & religioſum. Et dum hæc omnia Sacra Regia Majeſtas D. N. Clementiſſimo ,tradit in deliberationem Statuum hujus Reip. eandem conjunctionem animo-

nimorum, & armorum, cum iiſdem conditionibus, & viribus, ſicut in præterita expreſſum inſtructione in eventum belli, ex amicitia Cæſareæ Majeſtatis Moſchoviticæ defacto pollicetur, ſi hoc videbitur, & placebit Reip. & ſic tenet, quòd Cæſarea Majeſtas Moſchovitica ſtrictam cum Republica exoptat ſibi amicitiam, cum plena & ſolida, eo nomine, inſtructione, Legatum ſuum pro comitijs mittet. *A.C.* 1701

„ Ergo quia in præſidio bellicæ virtutis ſubſidium & præſidium Reipub. pendet, & ſangvinaria ſtipendia optimè meriti exercitûs Regni, cum diſpendio propriarum fortunarum, merentur juſtam mercedem, & ſatisfactionem, Regium ducit Sacra Regia Majeſtas D. N. C. ſicut ſingularis, & præcipuus æſtimator inſignium Heroum, ut primis reſpectibus Reipubl. quàm efficaciſſimam ſatisfactionem commendet, non obliviſcendo inſimul Ducum Regni, erogatos de proprio peculio ſumptus Tantundem enim eſt nullum habere militem, quàm non ſolutum. Modus punctualis ſolutionis non eſſet difficilis, & gravis, ſi ſua cives in hac inſigni Patria nôrint bona, & tenerentur pro viribus ad parvum aliquod unum, & univerſale tributum, quod ſicut Sacra Regia Majeſtas D. N. C. in præteritis comitijs, ſic & in præſentibus, intimæ omnium curæ reddere dignatur, nullum, quàm quod cunctorum redimit commoda. *Solutio militum.*

„ Cauſa magni in Rempubl periculi, & inhianti in perditionem noſtram hoſti attollit criſtas, ventilans hucuſque concordia, & inceſſabilia diſſidia M. D Litv. diſrumpi debet, cor S. R. Majeſtatis D. N. C. Clem. qui mallet videre hos gladios in hoſtili ſangvine immerſos, quàm in proprias afflictiones, exinanitiones, & profundam vaſtationem converſos. Non hoc civilia bella, ut vivamus, agunt. Rident extranei, lætantur malevoli ex diſcordia noſtra, & S. R. Majeſtas D. N. C. eò ſenſibilius apprehendit, conſiderando neceſſariam concordiam Domi, amorem fraternum civium, & indiſſolubilem cordium & animorum unionem, & ideò impenſos effudit conatus S. R. M. D. N. C. ſuſtulit omnes labores, & enixas curas, qualiter ab intra exoptatam reducere tranquillitatem, dum adeo ab extra adurit, interpoſuit authoritatem ſuam Regiam, & mediationem expedivit plenipotentem Commiſſarium ſuum Illuſtrem Stanislaum in Szczuczyn & Radzyn Szczuka Procancellarium M. D. Litv. cum ſufficientiſſima inſtructione. Quid? quando tam felicem cœptorum tractatuum determinationem adhuc adverſa ſors bono publico moratur: ira iſta numinũ, an hominũ in res noſtras, non deſpondet tamen animũ S. R M. D. N.C. facit, quod poteſt, & ſi finaliter non poſſet perficere hoc ingens, & arduum opus pacis ſanctæ, invocat opem totius Reipubl. ut in futuris Deo dante comitijs ad eundem finem individuos ſuos jungat conatus, & ad extingvendum ignem domeſticum, ſicut ad ſignum campanæ incendiariæ totis viribus cooperetur. *Diſcordia in Litvania.*

„ Pacem optatam cum Porta in initijs Dominationis S. R. M. D. N. C. laudabiliter Patriæ huic, poſt tot pericula rerum reſtitutam, commiſcuerat notabiliter inopinata in Elbingam Principis Brandeburgici intromiſſio, ſed & hæc innixâ curâ S. R. M. D. N. C. reddita, & reſtituit res integras & tranquillas. Manet tamen in onere Reſpublica exolvendi juris Hypothecæ trecentorum millium imperialium pro vindicando pignore per Senatûs conſilium oppignoratum. Quinquaginta millia, certum eſt, imperialium rigor Commiſſionis impoſuit in civitatem, ſed fortè ſupra vires. Reſiduum verò, ſemitrecenta millia Imperialium ad providendum Reipublicæ pertinet, tam ſtrictè, quod ſi illa poſt comitia aut concluſa, aut (avertat Deus) rupta non provideret, & non redderet intra duodecim hebdomadas, Elector Brandeburgicus habet poteſtatem recipiendi territoriũ *Pignus redimendum à Brandeburgico*

Elbin-

A.C.1701 , Elbingenſe, & tenendi illud ſimul cum pignore uſque ad exemptionem
, cum quali hoc eſſet damno, & obſtaculo Reipubl. quiſque conſideret.
, Et interim debitum hoc inſtantius, inſtantiſſimè, S. R. Mtas. com-
, mendare dignatur, ut etiam in caſu (avertat Deus) ruptorum comiti-
, orum poſſit ſtatim in modernis comitiolis proviſionaliter provideri. Et
, quia idem Princeps Brandeburgicus recenter modo in Principatu ſuo
Coronatio Regis Pruſſiæ. , Pruſſico declaravit ſe, & coronavit Regem: ſicut ergo hanc materiam
, jam per conſilium antecomitiale S. R. M. D. N. Clementiſſimus repo-
, ſuit ad comitia, ita modo omnibus ſtatibus defert, ut expedita ſuppe-
, ditare poſſint conſilia, & has res ita accommodare, ut quàm optimè
, indemnitati Reipub. proviſum ſit. Multum prodeſſet ad publica emolu-
, menta provida vulgo Mennicæ reclusio, pro reſtauratione, & ſaltem
, æqualis curſûs monetæ. Mirari non ſemel debet S. R. M. D. N. C. &
, forte quilibet, quomodo tam magnum, inſigne, liberum, & celebre Do-
, minium, ſine propria Mennica mutuando tantùm ex alienis viliores
, pecunias, ſuis melioribus ſubſiſtere tam longo tempore poteſt, & cu-
Moneta cudenda. , jus voluntate, & authoritate in uno Regno, vix non quilibet Palatina-
, tus, & civitas, eaſdem pecunias, alio curſu accipit, & expendit, re-
, fertur hoc non poſtremum damnum, & inconveniens, non tantùm ad
, utile, ſed etiam ad dignitatem Reipubl. quàm citiſſimè avertere, & non
, dubitat S. R. M. D. N. C. quod hoc ſeriò introſpicere & decernere vo-
, lent Omnes ſtatus.

,, Camenecum reſtitutum, quantum gloriæ, tantùm doloris Reip.
Camenecoprovidendum. , adferre debet deſolatione ſuâ, & ruinâ, & quod dolendum maximè, quod
, ab ipſa repetitione non eſt, quo provideatur præſidium exiſtens. Exo-
, ptat S. R. Majeſtas D. N. Clementiſſimus, ut Reſpub. accipiat præci-
, puam, & ſingularem meditationem, tam reſtaurationis; & providendi
, neceſſariâ munitione hujus fortalitij, quam etiam faciendi ſemel pro
, ſemper debiti ordinis.

,, Artileriæ etiam rationes ultrò præſentantur, quando non tantùm
Artileria declaranda. , aſſignata quarta ſufficere neceſſitatibus illius poteſt, & quod majus,
, quia & hanc ipſam Poſſeſſores jam dedidicerunt reddere, ſine præcipu-
, is aggravationibus & arduis executionibus. Ut interea modus, & faci-
, litas providendarum aſſiduarum expenſarum, pro hac bellica œconomia
, poſſent in modernis comitijs adinveniri, judicat S. R. Majeſtas apprimè
, neceſſarium.

,, In his ergo publicis materijs, ut comitia publicè tractentur, & in
, tempore ſexhebdomadali finiantur, ſicut S. R. M. D. N. C. intimè pre-
, catur, ita obnixè commendat, ut Generoſi Legati Terreſtres à ſuis Prin-
, cipalibus ad hoc ſingulariſſimè obſtringantur. Reliqvum ſinceræ &
, perfectæ in eundem finem exprimendi prudentiæ & judicio Legati in-
, junctum eſt &c.

IX.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB. MAGISTRATUI GEDANENSI, 7. Auguſti.

Urget ſolutionem contributionis.

Deſtinaveram non tam propter præſentes nundinas, quàm ex ratione publicæ rei inviſere Gedanum, ibiq; cum Prænobilibus ac Spectabilibus Dominationibus Veſtris coràm conferre. Sed cum mandata Regis mei, quæ exequi non interpretari, debiti mei duco, avocent me Varſaviam, & forſan longius i-

tec

ter arripere cogar, calamo id exprimere, quod ore nequeo in animum A.C.1701 induxi. Moveor ad id ipſiuſmet civitatis Veſtræ nobiliſſimæ bono, cui ſemper, quoties occaſio poſcebat & vacabat, affectum teſtificandi, meum deſiderium erat. Notæ porrò erunt Prænobilibus ac Spectabilibus DD. Veſtris illæ conferentiæ, quas in præſentia Secretarij Veſtri, ad aulam Regiam reſidentis Varſaviæ poſt dilata ultima comitia habuimus, in quibus poſt multas diſceptationes includi debuit, ut repartitionis Provinciam noſtram concernentis, pars tamdiu in viſceribus Provinciæ relinquatur, donec aſſignationi, à Theſauro Pruſſico in rem Supremi Exercituum Ducis, & primi in Regno Senatoris datæ, à Veſtra civitate ſatisfiat. Literæ negativæ Prænobiliũ DD. V. ad eundẽ datæ, & Declaratio D. Secretarij planè ad eaſdẽ conformis, motivũ non poſtremũ erant reſolutionis hujus. Juſtitiæ enim congruũ videbatur, ut non tantũ compatiamur, ſed & ut ſuccurramus neceſſitatibus, tam meritiſſimi togâ ſagôq; Senatoris. Nos non tam libenter, quàm reverenter, cum Excellent: Epiſcopo Culmenſi, repartitioni huic conſenſuros, per menſeſq; tres illud quod ex diſtributione theſauri Epiſcopatus noſtros concernit, ſoluturos declaravimus, cum hac nihilominus præcautione, quodſi longius ſatisfactio prænominatæ aſſignationis deferretur, non poſſe nos ullatenus ferre, ut hoc onus, quod ſubditi noſtri innocentiſſimè patiuntur, cum omnia, quæcunq; eos concernunt, punctualiter ſolvant, diutius tolerare queamus, quinimo omnia damna, ab ijs, qui eorum cauſa ſunt, vindicanda erunt, quo nomine manifeſtationem fecimus, & publicum ejus inſtrumentum palàm erit. Hoc ideo Prænobilibus ac Spectabilibus Dominationibus Veſtris denuntiandum duxi, ne pòſt ignorantia prætendatur. Tam graviſſimæ contributiones in ultimis finitis comitijs Mariæburgenſibus laudatæ vel jam ſolutæ, vel in proximo ſolvendæ à nobis ſunt, cùm ergo, executionem militarem pati debeamus, cùm publico laudo minime contraveniamus, cur renitentia aliena, obſervantiam ſtatutorum aggravare debeat? Conſiderent Prænobiles, ac Spectabiles Dominationes Veſtræ, quantum inde præjudicij vobiſmet ipſis afferatis, ſi omnes quicunq; obedientes legi ſunt, injuriam hanc, & repartitionis tolerantiam, coactam vindicare velint, ac maturius ſe reflectent ſuper conſequentias ſi (DEus avertat) militem ſatis alias moræ impatientem, & pro ſatisfactione ſua, non ſegniter urgentem, idem Supremus Exercituum Dux, videns ſibi illudi, totq; debitis, pro publico oneratum non ſublevari, in obſequio non retinuerit. Optarem libenter ut Prænobiles ac Spectabiles Dominationes Veſtræ, ea divinare vellent, quæ ego nec calamo quidem attingere poſſum, quanta & quæ mala ab hac renitentia emergere poſſunt. Deſiderarem ut poſt maturam, & ſeriam deliberationem, abſq; ulteriori dilatione, cum mittendo hoc menſe, ab Excellentiſſimo Domino Caſtellano Cracovienſi, Commiſſario, non verbis ſed rebus conferant, concludant, & hanc repartitionem, eo ſolo & unico reſpectu, in viſceribus noſtris, relictam amoveant, ne mala quæ ſequuntur, eiſdem attribuantur. Quod ego non tantùm pro intereſſe Epiſcopatûs mei, quem defendere ex vi obligationis teneor, ſed ex affectu particulari in nobiliſſimam Veſtram civitatem, inſinuare volui, favoribus me eorundem, quàm diligentiſſimè recommendando, maneo.

Dabantur in arce noſtra Heilsbergenſi die 7ma Auguſti. Anno Milleſimo ſeptingenteſimo primo.

A. C. 1701 BREVE APOSTOLICUM AD SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM die 16. April. Romæ.

CLEMENS PAPA XI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Etſi nobis perſuaſum ſit, Majeſtatem Tuam nullo modo probare conſilium, deterrimo in Chriſtiana Republica exemplo à Friderico Marchione Brandeburgenſi ſuſceptum, dum Regium nomen publicè uſurpare præſumpſit. In eo tamen quod factum hujusmodi Apoſtolicarum ſanctionum diſpoſitioni contrarium, & hujus ſanctæ Sedis authoritati injurioſum eſſe cognoſcitur, ex quo ſcilicet Sacræ Regalis Dignitatis inſignia ab Acatholico homine non ſinè Eccleſiæ contemptu aſſumuntur, & idem Marchio ſe Regem dicere non dubitat ejus partis Pruſſiæ, quæ ad militarem Teutonicorum ordinem antiquo jure pertinet, Nos rem ſilentio præterire non poſſumus, ne muneri noſtro deeſſe videamur. Quod ita à perſpecta animi tui magnitudine alienum eſſe ſatis ſuperq; cognoſcimus. Ab hoc, ut noſtro quoq; hortatu temperare velis, expetimus, ne videlicet Regios honores tribuere illi, qui illorum numero nimis incautè ſe junxit, quos increpat ſimul & reprobat ſermo ille divinus: Ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi. Senſus autem ſuper hac re noſtros Venerabilis Frater Philippus Antonius Archi-Epiſcopus Athenarum noſtro nomine fuſiùs explicabit Majeſtati Tuæ. Cui felicitatem, uberem copiam à DEo precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Annô Pontificatûs noſtri I.

Ulyſſes Joſephus Archi-epiſcopus Theodoſienſ.

BREVE APOSTOLICUM ROMÆ DATUM. die 23. Aprilis.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Etſi dignam ſublimitate gradûs, quem in Apoſtolico ſenatu obtines, de te opinionem gerentes arbitremur te probè intelligere, in magnum Catholicæ Religionis dedecus verti indebitos honores, qui Acatholicis Principibus deferuntur, cum eorum, qui à vera fide diſſident, conſortium frequentare, nedum ambitum fovere ab Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus diſtrictè prohibeatur; Tibi tamen reticere nequaquam debemus, quòd coram ipſo Cardinalium Collegio in proximè habito ſecreto conſiſtorio, Pontificiâ vigilantia nos admonente, duximus eſſe explicandum. Nos videlicet pro muneris noſtri ratione diſſimulare nequaquam poſſe illud, quod publicè attentatum fuerat à Friderico Marchione Brandeburgenſi, qui ſe Regem Pruſſiæ dicere, tantæq; dignitatis, quæ ut ſingulare DEi munus agnoſci, veræq; columen Religionis, atq; orna-

ornamentum eſſe debet, nomen & inſignia aſſumere, atq; uſurpare A.C.1701
præſumpſerat. Dein verò prout rei momentum expoſcebat, latè proſecuti ſumus, quanta inde Orthodoxi nominis, & Apoſtolicæ Sedis Dignitati illata fuiſſet injuria. Quæ omnia in præſens ſatis eſſe arbitramur ſpectatæ tuæ prudentiæ indicare, ut illos, qui ſignificationes honoris erga alios Reges adhiberi conſuetas eidem Marchioni deferre vellent, ab inceptis eâ authoritate, quam Tibi in Regno iſto eximia tua decora conciliant, retrahas, quemadmodum fuſius à Ven: Fratre Archi-Epiſcopo Tarentino Nuntio iſthic noſtro percipies, dum Tibi cum multa felicitatis auſpicio Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris noſtri Anno I.

Ulyſſes Joſephus Archi-Epiſcopus Theodoſienſis.

MICHAELI RADZIEJOWSKI CARDINALI PRIMATI REGNI, die 12. Maji Romæ.

CLEMENS PAPA XI.

DIlecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Eousq; proceſſit, ut accepimus nonnullorum hominum hæreticæ pravitati adhærentium in iſtis Regionibus *audacia, ut Varſaviæ apud Acatholici Principis Adminiſtrum publicè conventus ſuos agere, ac Lutheranæ ſectæ exercitijs operam palàm dare non vereantur. Quæ res paternæ noſtræ charitatis viſcera, ut par erat, cōmovit, ac perculit, cùm indignum eſſe arbitremur, quòd impietas ſuos veluti triumphos agere in ipſo Catholicæ veritatis conſpectu præſumat. Perſpectam itaq; pietatem tuam in præſidium noſtræ vigilantiæ adhibemus, ac vehementer à te petimus ut omni ſtudio nobiscum contendas, ut hujusmodi licentia omnino coërceatur. Pluribus autem ea in re ſuperſedemus, cùm ſenſus noſtros uberiùs ſis percepturus à Ven: Fratre Franciſco Archi-Epiſcopo Tarentino, cui injunximus, ut prudentiæ ac zelo tuo in promovendo memorati ſcandali remedio admodùm innitatur; dum Tibi Dilecte Fili noſter Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris Pontificatûs noſtri Anno I.*

Ulyſſes Joſephus Archi-Epiſcopus Theodoſienſis.

BREVE APOSTOLICUM A CLEMENTE PAPA XI. miſſum. 27. Maji 1701.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quò majori zelo pro Catholicæ Religionis integritate, ac communi tranquillitate cuſtodienda flagrant illi, quibus adminiſtrandæ inclytæ iſtius Reip: cura demandata eſt, eò audaciùs inſurgunt Religionis, & Regni ipſius hoſtes, & inſidijs atq; dolis publicā divini cultûs obſer-

 nanti-

A.C.1701 *vantiam, ac animorum unionem evertere meditantur. Propugnabit tamen, ut confidimus, fidei & Patriæ cauſam Fraternitas tua, cujus infula erit galea ſalutis ad propulſandos eorum conatus, quos exercere poſſe ſibi pollicentur in proximè celebrandis Comitiis, dum maligno diſcordiarum gladio ad ſcindendum in diverſa ſtudia Senatum accinguntur. Cumulabis itaq; tuas laudes, ubi nedum molimina eximiæ tuæ prudentiæ uſu deteges, ſed alios etiam admonebis, ut à pravis hæreticorum conſilijs, imò ab omni cum eisdem commercio juxta ſacrarum legum auctoritatem prorſus abſtineant. Quin etiam ad amplificandam Reip: iſtius gloriam opportunum fore ducimus, ut omnes exemplo & unanimi conſenſu promoveant. De quibus omnibus Ven: Frater Franciſcus Archi-Epiſcopus Tarentinus fuſiùs diſſeret cum fraternitate tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum* Romæ *apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 28. Maji Pontificatûs noſtri Anno I.*

Ulyſſes Joſephus Archi-Epiſcopus Theodoſienſis.

CLEMENTI XI. PONTIFICI MAXIMO,

Varſaviâ 30. Auguſti.

POſt oſcula beatiſſimorum pedum. Benedictus ſit DEus, quod ſecundùm magnitudinem miſericordiæ ſuæ eo tempore Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dono quodam providentiæ præfecerit, quo vix alius par tanto oneri ferendo inveniri poſſet. Non tantùm nunc Roma Româ *major, ſed & diſſita tot terris Patria mea felicitate ipſâ felicior, dum cura & ſolicitudo paterna totum implens Chriſtianum orbem, & à fine uſq; ad finem intenſiſſimâ diligentiâ pertingens ſuaviter etiam ad illam extenditur tam ſerventer.*

Docet eum alijs & me Sanctitas Veſtra facere voluntatem ſuam, in benigniſſimo Brevi ultimis Maji exarato, & nuper mihi cum expreſſione deſiderij ab Illuſt: D. Nuntio tradito. Exoſculor cum omni, quâ par eſt, veneratione ſupremum nutum, quem exequi, non interpretari debiti mei duco. Et ut hactenus teſtimonium mihi reddente conſcientiâ memor potiùs officij, quàm dignitatis, quærebam non quæ mea ſed quæ JESU Chriſti, ſic dum ab Optimo Patre currenti additur calcar à via mandatorum ejus non declinabo, eoq; dirigam ex gradu magis, quàm merito conſilia mea, quò me Sanctitatis Veſtræ ducit voluntas, non invitum. DEum patientiæ & ſolatij cum miſerrima nunc Diœceſi mea precabor, ut, ſi non poſſit eſſe immortale, diutiſſimum, & feliciſſimum reddat ad gloriam nominis ſui, & bonum Eccleſiæ Sanctitatis Veſtræ Imperium. Spem interim meam in ſalvante nos, & privatum deſiderium in diligente nos, repono, & ut ſuper mea quoque anima, Paterna dans vitam & Benedictionem, ſuperabundet gratia de genu humillimè ſupplico, & paternis advolvor pedibus.

BREVE

BREVE APOSTOLICUM, AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM PRIMATEM. 28. Maji Romæ. *A.C.1701*

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Intellexerit intimi aſſiduiq́ noſtri mæroris cauſas, quicunq́ ſeriò perpenderit, quot & quàm graves nunc temporis Chriſtianæ Reipub. impendeant calamitates, inter quas non poſtremo loco ob oculos noſtros verſantur inſidiæ, quibus florentiſſimum Poloniæ Regnum appetitur, dum hæreticorum hominum audacia duplex fortè eidem bellum inferre parat, unum quidem palàm vi, & armis, quod certè minùs timendum eſt, inſpectâ eorum bellicâ virtute, quibus Remp: iſtam tueri tam facilè erit, quàm familiare profectò eisdem ſemper fuit triumphis propriam libertatem aſſerere, alterum eò periculoſius, quò magis occultum novimus, ſiquidem ab eisdem hæreticis immitti in nonnullorum animos ſecretas diſcordiarum faces, quæ in proximè habendis comitijs in publicum incendium, quod difficulter extingvi poſſit, erumpant; Excogitari id ſinè multa ſollicitudine, à paterna noſtra charitate non poteſt, cùm agi de Reip. iſtius ſalute, atq́ incolumitate, tum etiam de Catholicæ Religionis integritate videmus; dum itaq́ Divinam opem enixis precibus, quatenus ejusmodi pericula amoveantur, indeſinenter expetimus, te amoris noſtri magnitudine complexi, quò majori poſſumus ſtudio, hortamur, ut eo, quo par eſt zelo, incenſus, hoſtium fidei conatibus & publicæ tranquillitatis diſcrimini tempeſtivè occurras, ac DEi cauſã fortiter propugnes, quod te feliciter aſſecutũ eſſe confidimus, ſi pro ea, quâ apud omnes præſtas, authoritate ſingulis periculum, in quo ſacra res, ac humanæ verſantur, detexeris, eosq́ ſeriò monueris, cæleſtem iram, ac ſpiritualium anathematum fulmina in caput ſuum evocare illos, qui hæreticorum hominum vocibus aures præbere, nedum conſilijs adhærere præſumpſerint. Erit etiam perſpectæ prudentiæ tuæ, inclyti iſtius Senatûs ſuffragia in eam ſententiam adducere, ut Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri AUGUSTI Poloniæ Regis ſtudia ac deſideria in ijs omnibus, quæ ad amplificandos Catholicæ veritatis fines pertinent, promoveantur, ut inde etiam celeberrimæ Reip. iſtius ſplendor, & gloria augeatur. Prolixiùs autem de hac re ſanè gravi diſſerentem Ven: Fratrem Franciſcum Archi Epiſcopum Tarentinum Nuntium iſthic noſtrum, ut libenter audias, eiq́ tuo præſidio adeſſe velis, cupimus, dum Tibi Dilecte Fili noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum ad S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, Pontificatûs noſtri Annò I.

Ulyſſes Joſephus Arhi-Epiſcopus Theodoſienſis.

SENATUS CONSILIUM Varſaviæ die 29. Julij expeditum.

SAcra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus, cum nihil prius aut potius, quàm obſervantiam pactorum, eorundemque effectivã executionem cenſeat, multumque intereſſe publicæ tranquillitati videat, ſi

A.C.1701, at, ſi confinia illa juxta tractatum ſeu inſtrumentum pacis ad Karłowicz
, concluſum, renovatis antiquis terminis, & limitibus quàm optimè ſtabili-
, antur, & integerrima vigeat amicitia. Quapropter pro paterna ſua cura,
,& ſollicitudine ad renovandos veteres limites, aſſopiendas differentias, & om-
, nes denique tollendas ſuſpiciones, inhærendo præfato tractatui neceſſariò
, expediendos Commiſſarios cenſet. Eos denique nominare dignatur utpo-
, te Magnificos & Generoſos Joannem Jabłonowski Palatinum Ruſſiæ, Ni-
, codemum Zabokłicki Caſtellanum Camenecenſem. Boguſz Succamerariũ
, Palatinatûs Podoliæ. Georgium Dziduſzycki Capitaneum Camenecenſem,
, Stephanum Humiecki Dapiferum Podoliæ, & Antonium Korniakt. Qui
, quidem Commiſſarij unius pluriumve abſentiâ non obſtante, conſtituto cer-
, to die; ac competenti tempore cum feliciſſimo Crimenſi Hano, & Sera-
, skiero per Illuſtrem & Magnificum Caſtellanum Cracovienſem Supremũ
, exercitûs Regni Ducem, ab eodemque proviſâ ſibi omni ſecuritate, & de-
, centi comitatu ad illa confinia indilatè ſeſe conferent, inibidemque anti-
, quas metas, & vetuſtiſſimos ante duo ultima bella conſtitutos limites in-
, quirent, reſtituent, ſolidabunt, & ſolennibus ſignis metalibus diſtingvent,
, & conſignabunt. Præcipuè verò indemnitati publicæ circa renovandam
, diſſimitationem Palatinatûs Bracłavienſis, & Diſtrictûs Snianetenſis in cam-
, pis deſertis proſpiciens, totumque hoc & integrum negotium pro ſua pru-
, dentia, & integritate finaliter exequantur, ita ut juxta Articulum primũ
, nulla utrinque aut prætenſio, aut extenſio fiat, ſed limites antiqui, ſine mu-
, tatione, aut perturbatione, tanquam ſacri religioſè obſerventur, atque co-
, lantur. Pro ſuſtinendis verò ſumptibus & expenſis ijsdem Magnificis &
, Generoſis Commiſſarijs, & quidem Senatoribus per unum mille talerorũ
, imperialium. Deputatis verò ex Ordine Equeſtri per quingentos taleros
, imperiales Sacra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus aſſi-
, gnare dignatur, quod in rationibus theſauri pro perſoluto ſuſcipietur. Por-
, rò pro meliori informatione eorundem Magnificorum ac Generoſorum Cõ-
, miſſariorum, ac luculenta veterum limitum elucidatione, ſi aliqua docu-
, menta in Archivo Regni reperiri poſſint, omnino inveſtiganda, & com-
, municanda. Sacra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus judi-
, cat, inque eum finem ad reſerationem ejuſdem Archivi in theſauro Regni
, exiſtentis, circa hoſce Senatores, & Cuſtodem theſauri Regni, quibus id
, muneris ex lege publica competit, certos Commiſſarios adjungit & ordi-
, nat, videlicet Admodũ Reverendum in Chriſto Patrem Georgium Albrach-
, tum Döhnhoff Epiſcopum Cracovienſem Ducem Severiæ, Supremum
, Regni Cancellarium, Mag. Stanislaum Morſztyn Palatinum Maſoviæ, &
, Generoſos, Joannem Szębek Referendarium Regni, Franciſcum Lanckoron-
, ski Succamerarium, Franciſcum Wielopolski Capitaneum, atque Andream
, Zydowski Vexilliferum, Cracovienſes.

X.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS, EPISCOPUS VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLLI S. R. Mtis. POLONIARUM THEOLOGO ET MINISTRO ACTUALI ROMÆ,

Varſaviâ 4 Septembris

Nuntiat conflictum inter Svecos, Saxones & Moſchos.

Dicis te mihi ſcripſiſſe in diverſis materijs ſed video nec tuas ad me, nec meas ad te perlatas omnes. Nunc reſpondeo, quia nunc tuas accepe, ſi ſingula vis & cupis ſcire accipe paucis. Quæris à me, idque pro informatione magnorum in Curia Romana virorum initium, & progreſſum Svetici in Livonia belli.

Jam

Jam es informatus oretenus, dum in urbe eſſem de cauſis belli, & quod *A.C.* 1701
ad initium anni præteriti Rex noſter notabilem partem exercitûs Saxoni-
ci verſus Curlandiam direxerit, ut ibi ſtativa hyemis haberet. Quamvis
verò Rex Sveciæ fuerit informatus de motu harum Legionum, non crede-
bat, rem ut indebitam, ita minimè ſperatam, nec putabat, nihilominus ne-
ceſſariam fore defenſionem poſt ſecuritatem à Rege Rex noſtro libera-
liſſimè datam Welingio Legato Sveciæ, qui aliquam in eo monſtraverat
diffidentiam aſſecurans, quod non alio fine milites ſuos in Curlandiam direxe-
rit, niſi ad reducendos ad obedientiam Curlandos & Litvanos, de quibus
non erat ſatis contentus. Præterea Rex Sveciæ ſecurus pacis inter ſuum
Regnum & Poloniam non potuit ſibi imaginari Rempub. Poloniæ paſſurã,
ut bellum ſine ſuo conſenſu inciperet. Attamen paulò poſt contrarium pa-
tuit, dum Saxones aggreſſi fortalitium parvum Kobron, facile occuparunt,
quia nulla præceſſerat defenſio, fortalitium per ſe debile nec niſi à 50 ho-
minibus defendebatur.

Minabantur Saxones Metropoli Livoniæ Rigæ ſat munitæ, & jam
aggredi illam tentârunt ſub favore glaciei. Sed brevi poſt receſſerunt, dum
Comes Dalberg Livoniæ Gubernator circa civitatem omnia combuſſerat,
& ad vigoroſam ſe præparabat defenſionem. Multa erant, quæ obicem tam
audaci ponebant executioni, Comes Dalberg antiqvus miles, & experien-
tiâ plenus fortalitium hominibus & munitione proviſum, muri in bono ſta-
tu, arx bene munita & Saxones non erant tam copioſi, ut aggredi poſſent;
unde Dunamindam duobus milliaribus à Riga diſtantem cum tribus mili-
bus aggreſſi, ſed à Colonello Butberg cui cura fortalitij commiſſa erat, 500 *Saxones oc-*
tantùm habente milites, repulſi in primo aſſultu 1500 occiſi, 100 capti, Sve- *cupant Du-*
corum 80 partim occiſi partim vulnerati. Ex tam fortunato initio proſpe- *nomundam*
rum licebat præſagire defenſionis eventum, ſed aliquot poſt dies tractatũ
inijt cum Generali Fleming qui præerat Saxonibus, diutiùs defendere ſe non
valens, ob defectum annonæ, ut patuit ex punctis Capitulationis. Accepto
nuntio de occupata Dunaminda Rex Sveciæ expedivit Generalem Wellin-
gium, ad occurrendum ulterioribus Regis Poloniæ progreſſibus.

Ad quæſitum, utrum Reſpublica Polona Intentiones Regis ſui circa in- *An Reſpub.*
eundum bellum adjuverit? dictis tuis annuo ac reſpondeo, d rectè non ad- *conſcia in-*
juviſſe, multos tamen non contraveniſſe, quoſdam ſpe commodi alicujus pu- *choati belli.*
blici, alios peſſimâ intentione Regis aggreſſuri hoc bellum, unde difficulter
extricare ſe poterit, ſunt alij qui obtentu conſcientiæ & religionis prætex-
tu perſvaſum habent, Regem indiſpenſabiliter per juramentum obligari ad
recuperanda avulſa, & cum Livonia ſit una ex Provincijs, à Polonia avul-
ſis libenter eam Regno noſtro adjicerent, & quia Reſpublica nollet incipe-
re bellum, cujus alea dubia, nec libenter offenderet illum Principem, cum
quo pacem poſt amiſſam hancce Provinciam inierat. Ideo multi in ſecre-
to (dum ego Romæ agerem) convenerant ut Rex Poloniæ cum ſolis Saxo-
nibus Livoniam aggrederetur, nec Reſpub. in hoc bello intereſſata appare-
ret. Occupatâ Dunamindâ appellataque Auguſtburg per aliquot menſes de-
populabantur Ssxones Livoniam, donec Finlandicæ legiones venirent, & *Progreſſus*
progreſſus eorum impedirent. Expulerunt eos uſque in Curlandiam, & mul *Regis in Li-*
ta etiam tormenta ijs, præter alias reſeripuerunt, dum interim Rex noſter *vonia.*
comparuit in Curlandia & tranſivit Duhnam cum duodecim millibus duo-
bus tantùm milliaribus Rigâ diſſitam non erat reſiſtendo Welingius, octo
tantùm millia militum habens, cum equitibus ſub Ruen ivit, & pedites Rigæ
reliquit, quam Rex Poloniæ aggredi volebat, & defacto aggreſſus fuiſſet
niſi Ablegatus Galliæ de Heron (dicitur non feciſſe id ſine pretio) artibꝰ
ſuis ulteriores progreſſus impediviſſet.

Regi

*A.C.*1701 Regi Sveciæ concluſa cum Dano non tam libenter, quàm reverenter pace in Scaniam reduci nunciatur Czarum Moſcoviæ cum numeroſiſſimo exercitu nullâ aliàs factâ belli clarigatione Narvam oppugnare. Stuporem id movit Regi, cui id ſolùm videtur rationem habere, quod juſtitiam habet, quia nuper à Reſidente Czari Moſcoviæ de amicitia quoque Domini ſui ſecurus eſt redditus. Non credebat proinde ſtrictos & ſecretos tractatus inter Regem noſtrum & Czarum fuiſſe concluſos; Narva celerem deſiderabat ſuccurſum, attamen Rex Sveciæ in Livoniam penetrat, prius Rigæ à Saxonibus cinctæ, quàm Narvæ, quæ diutius ſecundum ſenſum eorum defendere ſe poſſe credebatur ſubſidium daturus; ſed dum iter ſuum versùs Rigam diſponebat, reſcivit reliquiſſe Regem noſtrum Rigam, & aggreſſum fortalitium Kokenhauſen, quod poſtquam per aliquot dies ignibus impetitum fuiſſet per capitulationem tandem ceſſit. Ita Rex cujus ſolius intereſt, ſingula ſervare, audendum aliquid pro Patria proque ſalute ſubditorū ratus, cum octo millibus & ſexcentis ſumptis pro octiduo victualibus, versùs Narvam movit. Quod audiens Czar expeditionem hanc magis volebat impedire quàm poſſet, miſit tamen ſex millia equitum, quos Sveci omnes vicerunt, & centum ſexaginta homines ex ſuis tantùm deſiderabant. Non tibi deſcribo, qualem difficultatem, quales labores, quam periculoſas vias cum defectu victualium, frigora, pluvias, nives, paſſus fuerit exercitus ille; cùm verò certum locum de Piagege vocatum non ſine maximo periculo tranſiiſſet 19na Novemb. inimicum aggreſſus eſt. Non memoro hic omnia, quæ acta ſunt, quò notiora ſunt, eò minùs egent ſtylo, ſatis eſt, quòd cadente copioſiſſimâ nive, ita, ut ultra quatuor paſſus nullus videri poſſet, & cum Generales ejus accuſarent nimiam cadentem nivem, imò dixit Rex Sveciæ; gaudeo inde, quia Moſchi milites meos numerare non poterunt. Innumeri erant Moſchi, & vigoroſiſſimè reſiſtebant, ſed reſiſtentia non diu valuit contra ignem violentum Svecorum, fugere ergo cœperunt; & Rex Sveciæ proſequebatur uſque ad fluvium Narva, per quem ſe ſalvabant per favorem pontis à ſe nuper exſtructi. Multi ibi periêre, quia fugere non poterant, cum ille pons per præcipitantiam fugientium ruptus fuerit, dumque nox ſuperveniſſet, & Rex à quadraginta Moſchorum millibꝰ circumdatus fuiſſet, dum minime ſperabat, & ecce Deputati veniunt à Moſchis capitulationem requirentes, quam Rex ultro conceſſit.

Moſchus oppugnat Narvam.

Rex Sveciæ ſuccurrit Rigæ.

Saxones occupant Kokenhauſen.

Rex Sveciæ ſuccurrit Narvæ.

Cædit & fugat Moſchum.

Numerus Moſchorum ultra octoginta millia hominum tam peditum quam equitum erat, ita non dominus ſed colluvies timebatur, ſed ex his occiſi & ſubmerſi fere viginti millia, alia viginti millia inter fugitivos, diſſipatos, & qui capitulârunt numerantur, & quadraginta millia erant captivorum, quorum magnam partem remiſit Rex in Moſcoviam ſine armis. Iſta duo mutua ſe amplexatione conſociant, qui æquitatem colit, fructum victoriæ poſſidet.

Clades Moſchorum.

Czarum Moſchoviæ prudenter tribus ante diebus receſſiſſe, antequā Rex Sveciæ appropinquâſſet, ſub prætextu occurſus venienti ſuccurſui in duodecim millibus; Duci de Kroy relicto integro exercitus ſui gubernio, qui quæ paſſus fuerit ſcio, quid meruerit neſcio, centum octoginta tormenta cum numeroſiſſima munitione belli accepta ſunt; Ducenta & ſexaginta duo millia talerorum in pecunia parata & præda ingentis nec explicandæ quantitatis. Vulnus ſanabitur, cicatrix permanebit.

Jactura Ducis de Kroy.

Sed ne longius quod mei moris non eſt, Patrem meum tœdioſis demorer relationibus qui aliunde plus nimio deſcripta habebis plura non addam & à ſuccurſu dato Narvæ, à victis Moſchis, redeo ad Kokenhauſen, ubi inter Saxones & Svecos parvi quidem, ſed frequentes erant conflictus; ſed dum Rex reliquiſſet Schlittenbachium in Livonia cum parte

exer-

exercitûs contra Moſchos, appropinquavit Rigæ, cum viginti millibus hominum. Fluvius Duhna eſt valde profundo in illo præſertim loco, per quem Rex tranſire debuit, & eò magis periculoſus videbatur tranſitus, quod meliores Saxonum legiones ex altera parte fluminis ad impediendum tranſitum collocati fuiſſent, ſed notandum, ut in multis patuit occaſionibus, quod Rex Sveciæ nullas numerat difficultates, & quando ſemel aliquid in capite ſuo determinavit, ſecurus quiſque debet eſſe executionis. Conſilium bellicum ſummo ſtudio conabatur diſſvadere Regi, ne fluvium tranſiret, utque id negotij, alicui ex ſuis Generalibus committeret, non potuit tam juſtis petitis reſiſtere Rex, & diſtulit rem, conſilium non abjecit; interim parvam naviculam præparari ſecreto fecit, in qua cum aliquibus Officialibus confidentioribus abſque ſcitu Generalium tranſire poſſet, & defacto auſus ea quæ rarus etiam auderet privatus. *A. C. 1701* *Rex Sveciæ redit verſus Rigam.* *Tranſit fluvium Duhnam.*

Dum omnia parata erant, impoſuit ſuper novem millia peditum, ducentos drabantos, & quinquaginta equites ſub favorem noctis die octava Julij in nonam, & ſub ipſum crepuſculum in ſpatio horæ unius in alteram partem fluminis illæ tranſierunt legiones. Magnus ignis ex tormentis Saxonum incepit, ſed nihil nocuit; præcedebant enim exercitū aliquot naves fumo impletæ, ubi ignis ſuperpoſitus fumum ingentem edebat, qui Saxonibus aliàs naves celabat.

Vix parvus numerus Svecorum in ordinem ex alia parte fluminis ordinare ſe cœperat, ſtatim Generalis Steinau qui Saxonibus præerat, cum equitibus Svecos aggreſſus illosq; usq; in aquam pepulit, parumque aberat quin omnes perierint. Tanta confuſio inter Svecos erat, & videbantur initia valde pro illis periculoſa, ſed gravior quàm timuerit hoſtis extitit, dum ex improviſo parva navicula Regis viſa eſt, qui viciniores erant exclamârunt; Ecce Rex; Et hoc peropportunè accidit, quòd illi minimè cogitabant, quia hæ voces de bucca in aliam promotæ obligârunt Svecos, ut lineam formarent etiam in aqua, & ita fortiter aggreſſi Saxones, ut illos iterum repellerent, ita, ut Generalis Steinau crediderit neceſſarium non amplius egreſſum è navibus Svecis impedire, tantumq; temporis ſpatium illis indulſit, ſine impedimento ut ſe in ordinem diſponendi ſatis temporis habuerint, ſive quod ille non audebat aggredi Svecos ex navibus deſcendentes, quia ſufficientem numerum tormentorum magnorum habuerunt, qui illos liberaliſſimè tangebant, ſive quod ſperabat facilius eos in terra debellandos habens octo millia peditum & equitum; Et fortè non credidit fortiores ſe Svecos fuiſſe, ſive quod judicabat per primam Svecorum reſiſtentiam, quod Saxones facile vinci potuiſſent in uno loco, in quo non poterant congredi omnes. *Sveci pelluntur.* *Reſiſtunt.* *Egrediuntur ex navibus*

Cùm ergo legiones Regis Sveciæ fuiſſent in ordine, ſiniſtram Rex pro ſe, dexteram reliquit Generali Liwen. Pedites Saxones fortiſſimè reſiſtere cœperant, ſed vigore Svecorum conſtricti ad cedendum. Catonis ejus ſemper memores qui docet, quod ſervus charitati propriæ non teneatur Domini ſui amorem præferre. Dum Sveci lucrabantur ſemper non obſtante frequentiſſimo igne terram, & quamvis fortiter pugnaverint, cedere tamen aliquomodo Svecis debebant, ita ut amiſſâ ſpe victoriæ, cum præcipitatione terga verterint verſus Kokenhauſen, & ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetrabit. Inveniebantur viginti quatuor millia Moſchorum in vicinia ad ſuſtinendos Saxones, ſed timidæ hæ legiones ſtatim fugerunt, dum Saxones perdidiſſe audiverunt. Ex Saxonibus deſiderati *Saxones caſi.*

A.C.1701 ſiderati duo millia & ducenti captivati, Sveci non niſi quadringentos perdiderunt. Si plures Equites habuiſſent, qui propter ingentem ventum tranſire non poterant, notabilior hæc victoria fuiſſet, proſequi enim Saxones non poterant, quoniam octo milliaria eodem die confecerunt.

Proceſſit Rex Sveciæ de quo dicere ex certis relationibus cogor, quod cum fortuna ita virtutem conjungit, ut in utraq; pariter emineat verſus Kobron, quod fortalitium primò a Moſchis defendebatur, ſed pòſt armis victorioſis ceſſit. Quando Equites Sveci tranſiêrunt, miſit Rex verſus Mittaviam Metropolim Curlandiæ, ubi Saxones, (de quibus dici poteſt quod ſint auri argentiq; mancipia, qui DEum non adorant præter mammonam Matrem & Plutum Patrem) reliquerunt ingentes proviſiones, ſed Merner Mareſchalcus Campi nullos ibi invenit Saxones, qui verſus Poloniam ita properanter currebant, quibus cum metu anxiis omnia in portenta verterentur ut tantum in Varmia conſtiterint, ubi defacto morantur; Quos ultra Sauromatas vellem hinc eſſe abreptos, in Saxoniam tutâ, ut ſperant, viâ poſt aliquam quietem moturi, digni qui paterentur quod ego vellem. Hæc nunc; ulteriora habebis ſucceſſivè vale.

COPIA LITERARUM AB ILLUSTRIBUS MINISTRIS STATUS AD SERENISSIMUM REGEM SVECIÆ.

Varſaviæ die 6 Auguſti.

RUmor certus de ingreſſu copiarum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ in limites Reipublicæ noſtræ, quid de ipſa in civitatem Nitaviæ penetratione? nequaquam videtur Religioni ejuſdem Reipubl.ˢ erga fœdera cum inclyto Regno Sveciæ æque conſtanter ac viriliter ſervatæ correſpondere, noluit illa inchoato nuper bello cum proprio Rege S. R. Majeſtate Domino Noſtro Clementiſſimo, cui aliàs de liberrimis pectoribꝰ noſtris vita, ſangvis, & quidquid horum carius, Sacra eſſe ſolent, quidquã commune habere, certa reciproci pro ſolennitate eorundem fœderum ac juris-jurandi à S. R. Majeſtate Veſtra certaminis, ne ſcilicet armorum ejuſdem quovis dato ſucceſſu limites noſtri pactorum Religione tuti ſcanderentur. Occurrendo his prævivit ſolennis ad Sacram Regiam Majeſtatẽ Veſtram vigilantiſſimi Primatis Regni noſtri Epiſtola, aſt, cum ſecus rerum momenta proceſſiſſe audiantur, ſuſcipiet S. R. Majeſtas Veſtra, cum iterata Eminentiſſimi Primatis ſolicitudine; noſtram quoque Miniſtrorum Statûs ſinceram pro debito muneris, & ſervandorum pactorum interpellationem, quatenus animum Reipubl. ſic probatum, & nuperis ſuſpenſis comitijs, ſervandæ cum S. R. Majeſtate Veſtra tranquillitati publicæ devotũ per contrarias fœderibus actiones infringere nolit. Quod ſolo mutuæ pacis amore teſtati, confidimus, S. R. Majeſtatem Veſtram viciſſim religioſis cultibus erga pacta, ac rebus de limitibus Reipublicæ non minùs promptè, ac juſtè perſpecturam. De reliquo Sacro Regioque Capiti devotiſſima inclinamus obſequia. Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ addictiſſimi ſervi.

Stanislaus Princeps Lubomirski Summus Reip. Polonæ Mareſchalcꝰ.
Carolus Tarło Pro-Cancellarius Regni
Stanislaus Szcuka Pro-Cancellarius Magni Ducatûs Litvaniæ.

COPIA LITERARUM AD DOMINUM CAMPI MARESCHALCUM STEINAU A CONGRESSU VILNENSI Vilnæ 6 Aug.

EXpreſſum in literis Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ recurſum ad congreſſum præſentem, quemadmodum debito cum reſpectu erga Sacrã Regiam Majeſtatem recepimus, ita pari devotionis ac fidelitatis noſtræ ſtudio erga eandem certantes, inſtantiſſimè Illuſtriſſimam Dominationem

Digitized by Google

„ tionem compellamus, quatenus deſtinatum, & declaratione ſuâ firmatū *A.C.*1701
„ conſilium in evacuando S. R. Majeſtatis milite extra fines Litvaniæ om-
„ ni celeritate contendat. Maturatâ hac executione non ſolùm Illuſtriſſima
„ Dominatio Veſtra motibus popularibus obviabit, ſed etiam indemnitatem
„ libertatum & jurium noſtrorum, & potiſſimum pactorum conventorum
„ novellæ conſtitutionis in integro relinquet, quorum tuitionem æque ac
„ S. R. Majeſtatis pectoribus noſtris ſervare conſvevimus. Cætera Domin9
„ Ablegatus Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ uberius referet. Nos interim
„ manemus.

XI.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. DOMINO BOSSEN COMMISSARIO EXERCITUS SAXONICI 5ta Septembris.

Queritur de exceſſibus Saxonum.

Redux Varſaviâ, ubi ad obſequia Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini mei accurreram, quæ vix ipſe credere potui, non ſine animi ſenſu video, & invenio, & quia tantùm dolorem præſagire non debebam, neque etiam ferre poſſum, ac proinde Te compellare in animum induxi, ut ſaltem ſciam, quo jure in bona Eccleſiaſtica deſævis contra expreſſam voluntatem Regiæ Majeſtatis, locationem, non tantùm permittere, ſed etiam Ducibus, ut pro libitu ſuo (talis enim tenor eſt reſcripti) eam faciant, jubere præſumpſiſti. Habui benigniſſimum Regis mei promiſſum, de cujus juſtitia & clementia omnia non ſpero tantùm ſed credo, quod Exercitûs ejus neceſſitate ſic cogente, tranſire tantùm per Varmiam, ſatis aliàs, plus æquo & juſto anterioribus annis, ab eodem ruinatam, ſed non permanere debebat,& ecce facta promiſſis non reſpondent, cum ſcilicet tu, ut ſoles, malueris juſſa Regis interpretari quàm exequi. Appellaſſe Te lachymas populi mei, alenis in oculis ridentem, à Rege malè informato ad melius informandum inaudivi, quaſi verò in eo, boni Miniſtri conſiſtat informatio, quomodo ſit contra jus, fas, & leges populus opprimendus? licebit mihi verius & certius Sacram Regiam Majeſtatem informare, quomodo tam terribiles & vix fidem inventuras exercuerit Ordinatio tua extorſiones. Non ſatis erat viginti millia portionum pro pedeſtri, novem millia pro equeſtri ordinare, non ſatis erat in reſidentia mea Epiſcopali, quæ eſt privilegiata, tanquam in contemptum caſtra figere, non ſatis eſt ſubditorum fruges, & meas proprias pro libidine & placito conſumere, debebant adhuc quinque regimina relinqui onerando priora ſequentibus. Quanta inde damna legibus & antiquis moribus ex integro immutatis miſero huic Epiſcopatui inferantur, documenta juramento firmanda edocebunt. Neminem (agnoſco in me) celerius capi, quàm qui nihil timet. Securus eram verbo Regio & Eminentiſſimo Primati, Illuſtriſſimo Nuntio Apoſtolico & mihi ipſi dato, quòd nullum hominem in Varmia invenire jam deberem, quod & literæ, poſt abitum meum Varſaviâ, ab Eminentiſſimo confirmant, ſed totum eſt contrarium, cum non tantùm commeatus à miſerrimis ſubditis, ſed etiam pecuniariæ portiones in immenſum in hunc uſque diem, ab inſolentiore milite extorqueantur, qui cum omnia corraſiſſet, extremam quaſi animam exigit, unde deſperatio, quæ ignaviſſimo quoque fortitudinem addit. Quid enim amplius ſperandum? nihil ſcilicet proficitur patientiâ, niſi ut tanquam facile tolerantibus duriora crebris magis quàm dictu dignis extorſionib9 imponantur. Excuſes me ergo,ut qui colliū non habeo, quod jugo ſupponā ſervitutis, prius te hiſce compellē, & poſt Sereniſſimo Regi, pro quo nec affectus meus erit tepidior nec ſtudium lentius, & Rei-

publicæ

A.C.1701 publicæ, cujus intereſt ex præterito conſilium in futurum quærere, deferam, talia in nos audere te in libero Regno quæ in abſoluto non auderes. Judicet Reſpublica quid externi vos agere præſumatis? Quid refert pium eſſe Regem, ſi impius Satrapa? Omne conſilium veſtrum eſt, ut in libero Regno nomen tantùm inane libertatis, & ſvaviſſimum boni Principis regimen, jugo veſtro inſupportabili odioſum reddatis, ut omnia reſcripta, promiſſa, fidem Regiam, leges fundatas immutetis, conſilia turbida & à quiete aliena, ut melius ſcilicet in turbido piſcemini, inſinuetis, in intentione perdendi nos, gradatim conſtantiam, & ſummum ordinem teneatis, omnia pro jure legitimo habendo, quodcunque externam veſtram potentiam firmat, ſuper cervices liberas jugum imponitis, quod neque Patres noſtri neque nos portare poterimus. Pereundum enim potius, quàm talia ſubeunda. Potius cum dignitate cadendum quàm cum ignominia ſerviendum. Eſt ne aliquis angulus in Regno hoc? Eſtne aliquis Epiſcopatus, quem vatiniano odio, Eccleſias Eccleſiarumque Miniſtros perſequendo, non inviſeritis, quem fortunis & bonis non ſpoliaveritis, publicâ jacturâ privatam augendo fortunam, omnia pro deſtinatione veſtra, leges contemptui habentes, in pejus diſponitis. Auſu tuto, ideoque frequenti cuncta quæ vultis poteſtis, & pluſquàm æqvum decorumque eſt, vultis, ſpem melioris fortunæ, leges peſſimis artibus opprimendo plane excutitis. Inquies animus veſter, quæ pacatis rebus ſperare non poteſt, turbatis aſſequi conatur. Nunquam ſincerius, niſi publica noſtra calamitate lætamini. Quæ cogere vos putatis poſſe, rogare non amplius ſuſtinetis. Plus odij quàm gloriæ Regi optimo paratis. Veſtra conſilia, veſtræ oppreſſiones cauſa ſunt, quòdglorioſas cogitationes eluſerit fortuna, quod felicioribus eventis oppoſuerit ſe DEus. Propter gemitum enim pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Fuſius hæc ſuo tempore, & loco exprimentur, garrula enim eſt calamitas, quæ nunc breviter ex intimo cordis dolore exaravi. Peto reſponſum poſitivum, utrum mandata Regia, ad executionem deducere intendas, & quanto tempore adhuc Reipublicæ illudere, bona Eccleſiaſtica, & Nobilium pro libitu tuo ad ultimam deducere velis ruinam. Meliori me gratiæ ac favori, quam nunc experior, recommendando, ac manendo. Dabantur in arce noſtra Seeburgenſi.

LITERÆ MARESCHALCI LITVANIÆ AD PALATINUM Mariæburgenſem 23 Octobris.

PLenum deſpotiſmi, & dignum theatro non in libera, uti ſumus gente, ſed tantùm in hæreditario ſerviens dominio nomine Regio, indixiſti mihi in aula mandatum ſub figura quidem tantùm, ſed tamen inſinuâſti, quòd mea in Regia turbet aliquatenus ſuam Majeſtatē , præſentia, & quod meliuseſſet, ut amplius eam non frequentarem. Mandata ſimilia particularem totius Reipubl. reflexionem merentur, tanquam apud nos nunquam audita, & in Saxonia quamvis rudi, quamvis ubi ad libitum omnia, & vis Imperantium lex eſt, nunquam practicari, nec approbari ab omnibus poſſunt. Vidi te, & præbebo coram omnibꝰ teſtimonium, quòd cum rubore ſceleri huic in libertatem deferebas, quòd injurioſa tibi ipſi videbatur obedientia dum hæc acriora denunciabas imperia, & clarè apparebat, quòd præ oculis habuiſſes in illo momento libertatem, in qua natus es, & quòd Regem noſtrum Dominum quidem optabas, ſed non Monarcham abſolutum. Notum ergo ſit toti Poloniæ, ſicut jam arbitrariæ poteſtatis maximè dominantur, cognoſcat, quòd

,quòd mihi primo Officiali & Miniſtro ſtatûs jam frequentare aulam, *A. C.* 1701
,officium & munia Miniſterij exercere per prohibitionem non licet. Jam
, condemnamur ante judicium, leges noſtræ, libertas ſentiendi pro
, nihilo, quæ permiſſâ ſecretâ criminatione, conculcata. Quapropter
, per te ipſum volebam rogare, ut liceat mihi injurioſè accuſato ju-
, ſtificationem facere. Sed quamvis & hæc ſubmiſſio deroget aliqua-
, tenus libertati, non auditæ preces tanquam Dreſdæ Saxoni alicui
, comparere in aula prohibitum eſſet. Non ita apud nos in Polonia,
, ut in abſoluto vivitur imperio; Rex noſter depoſitâ irâ ſicuti ſol bo-
, nis & malis æqualiter lucere debet, Regia hæc, & cubicula in ea
, exiſtentia ex mente Reipub. ad homagia gentis ſunt deſtinata &
, nunquam ulli nobili claudi, ſed ita patere debent, ſicuti & aures
, Principis juſtificationi. Regimen & directio ad Miniſtros ſtatûs per-
, tinet, à quibus hactenus in Polonia nemo ab aula exulabat. Doleo
, proinde, quòd nomen tuum in facie gentium Polonarum involvi-
, tur. Nam Beichlingum, cujus eſt hæc inventio, & opus, non curo.
, Scribo id nunc Cardinali, & pòſt denunciabo in Comitiolis, ubi
, credo compaſſionem injuria hæc miniſterij mei inveniet, quæ ad o-
, mnes pertinere debet, cùm communis omnium cura, commune ſit
, malum &c.

DISPUNCTIO LIBELLI AD EMINENT: REGNI POLONIARUM & M. D. L. PRIMATEM, NOMINE SUETICÆ MAJESTATIS TRANSMISSI (vide fol. 46) A JUSTO EQUITE Polono, Gotticarum Compoſitori Literarum dedicata.

NON Regi Sueciæ, non Gottorum, Vandalorumque Principi, cui facilius erat aciem componere, quàm Epiſtolam, facilius hoſtiles cuneos, quàm amicas literas ordinare, brevi hoc com-
, mento reſpondebo. Nefas enim foret, aut labem tantam Suæ Ma-
, jeſtatis purpuræ adſtruere, aut temeritatem tantam affingere capiti
, coronato. Aquila muſcas non captat, neq; leo venatur mures; non
, tangam igitur Seren: Adoleſcentis pupillam, parcam ætati primo
, bellorum æſtu abreptæ; apes tantum ſumma faſtigia delibantes
, non fucos imitabor, urticas prætenbo, & humiles myricas. Ut qui-
, cunq; demum Author es epiſtolæ hujus, partum ingenij tui deteſta-
, ri incipias, quo in Seren: Regem noſtrum imprudentiſſimè exarſi-
, ſti; poſtquam me legeris in tuis criminationibus refellendis verecun-
, dum. Neque nos feris interea poſtpoſueris. Integri greges pro Du-
, ctore vel Principe bella gerunt. Apes pro inermi ſuo Rege præli-
, antur; Serpentes, qui etiamſi cætera amittant, diligentiſſimè tuen-
, tur caput. Et jam prodis in arenam clypeo Ulyſſis cooperte Scri-
, ptor, primumque telum intorques in apertæ pupillam veritatis,

A.C.1701 1. *Quæ nobis à Rege Poloniæ contra Pacta, juſjurandum, datamq; fidem, illata vis ſit, atq; injuria, quantumq; damni & læſionis eo ipſo veſtra perpeſſa ſit Reſpub. notiùs Eminentiæ Veſtræ quàm ut ijs immorari operæ ducamus pretium.* Sæpè magis mali Medici nocuêre, quàm morbi; quoties aliam imbecillitatis cauſam dixêre ab illa, quæ imbecillitatem pepererat. Scilicet ne tu quoq; vera ſcriberes, tria calamo reſtitêre: fraus, livor, inſcitia. Fraude livoreq; paginam tinxiſti, quando procul ingenuâ fronte damna & læſiones, quas Reſpub. noſtra perpeſſa eſt, tanquam ſole meridiano clariores forent, proprijs nominibus appellare, operæ pretium non duxiſti, ut ſubtilius deciperes. Periculoſiùs enim fuit tibi palàm deprehendi, quàm auderes; & faciliùs iſta poteras aſſerere, quàm probare. Legiſtine aliquando Manifeſtum Regis noſtri, ſeu juſtas vindicias, in quibus ratio belli nunquam prius cogitati, non minus verè quàm clarè adſertur; Erat fortè tibi tantum ingenij, ut intelligeres, ſed non tantum animi; ut inter cognatam ſervitutem, & deforme obſequium confiteri auderes veritatem: Audi jam vel lege, perinde mihi eſt à te legi, vel audiri. Seren: Rex noſter ab origine ſua ſemper Auguſtus, præter nomen, vim nullam vobis intulit, ſed expreſſit, temere laceſſitus, dum portum ad Polongam, & ſuum littus extrueret, mileſq; ipſius juxta præſcriptum Senatûs Conſilij inſiſtendo legi publicæ anni 1690 huic operi incumberet. Quod Dunamunda ita opportuno capta tempore, quis requirat? Olores etiam mitiſſimi ſæpius aquilas domuêre. Domitiani Cæſaris leo, quantùvis Africanus, & toties in amphitheatro ex inſidijs triumphavit, formicis nihilominus præda fuit. Legiſſes utinam legationem Scytharum ad Magnum Alexandrum in Curtio, coram quo uno conſtanter orbis terrarum ſiluit, modeſtiùs, credo, ſcripſiſſes. Pro eodem, video apud te eſt, vim inferre, quod reprimere; Pacta & datam fidem violare, quod jurijurando de repetendis avulſis in tempore opportuno reſpondere. Damna inſinuas bello præſenti Reipub: nata. Quis externum militem intra Regni viſcera hucuſq; retinuit? quis ſerenitatem diu præoptatæ pacis diſſipavit? niſi Veſtra ſuſpecta & infida vicinia, quis tributa provinciis noſtris impoſuit? quis nobilium ædibus ignes admovit? quis Senatorum curias occupavit, & ſuis inſedit præſidiis, Suetici nimirum turbinis procella in cauſa eſt, quæ nobis, quaſi ex inſidiis incubuit, & juſtiſſimas cogitationes Sereniſſimi AUGUSTI noſtri de educendo poſt pacificationis comitia externo milite, hucuſq; diſtulit. Loquat clariùs Veſtra vicinia tot annorũ ſpatiis non minus formidanda Reipub. quàm toties perſpecta prædictam omnium malorum, quæ nos premunt, Iliadem ex arte compoſuit. Ne verò putaveris me temere talia protuliſſe, interro-

ga Cu-

„ga Curiam Regis Sveciæ, quàm funeſtum Reipub: noſtræ tractatum (ut *A.C.*1701
„ priora anteactis temporibus interea ſubticeamus attentata)compoſuerit,
„ cùm Sereniſſimus JOANNES III. omnium ſæculorum gloriam promeri-
„ tus, ad eliberandam Viennam Auſtriæ arma ſua promoveret. Quam ni-
„ mirum in Regni noſtri provincias irruptionem adornâſtis, ſi non ita fe-
„ liciter totiusChriſtianitatis alea cecidiſſet? putaſne nos ignorare amici-
„ tiæ veſtra ſimulacra? quæ nunquam integrâ fide adoravimus, poſt tot
„ bellorum experientiam, in quibus ſemper fortunam veſtram, & noſtrum
„ diſcrimen diligentiſſimè quæſiviſtis, Credis demum, quæ nuper acta ſunt,
„ latere Rempub:? nonne fœdum omnibus ſæculis fœdus intrâſtis? Si El-
„ bingam Poloni armis vindicare, non præmeditatis conditionibus repete-
„ re voluiſſent? Hæccine vera eſt erga Regnum Poloniæ amicitia? hæcne
„ bonæ viciniæ integritas? ſincerè pando vulnera, quæ innocenti Reipub:
„ inflixiſtis. Quòd vera ſint, quæ attuli, Curiæ Veſtræ conſcientiam ad ſu-
„ premum tribunal, in cujus oculis nuda, & aperta omnia ſunt, appello.
„ Fortè igitur hæc ignorare voluiſti, ut tantæ benèvolentiæ ſignificationē
„ felicius ſimulando, poſſes imitari. Profectò nullum nobis interea bellum
„ imminebat, quod externæ militiæ ſuppetias exigeret, præter inopina-
„ tum belli Svetici Nuntium, qui claſſicum cecinit, ne civiles etiam Lit-
„ vaniæ motus ita facilè componerentur. Gratulante nimirum ſibi diſcor-
„ diâ, offerri ſpecioſam occaſionem ſe tuendi, & amplius Pharſaliam pro-
„ ferendi, ſub clypeo alieno. Quidquid ergo malorum hactenus, quidquid
„ damnorum emerſit Reipub. huic fonti debeas, neceſſe eſt, non Sereniſſi-
„ mi AUGUSTI noſtri armis, longè alia cogitantibus. Sed illa eſt calami
„ tui malignitas, ut cùm ipſi fueritis cunctorum authores damnorum, non
„ modò tantùm, ſed continuâ ſerie annorum, ut ſuſq; deq; Polonum ever-
„ teretis Imperium. Nobis nihilominus infelicem hunc partum objicias tan-
„ tò impudentius quantò clariùs deliquiſtis. Quam præterea compoſitor
„ literarum profeſſus fuerit olim artem, ignoro, interea non credo ta-
„ men Eutrapelum Tonſorem, ita humana capita feliciter aliquando de-
„ pilâſſe, quemadmodum tu omnem hic authoritatem expilâſti. Sed vo-
„ luiſti modò in prima hac conviciorum tuorum periodo, quàm Gothi-
„ câ, Vandalicâque innocentiâ exornâſti illam humani ſpongiam ſangvi-
„ nis, Domitianum inquam æmulari. Nunquam ille triſtiorem ſententi-
„ am ſine præfatione clementiæ pronunciavit, neq; aliud tunc atrocis
„ exercitûs ſignum erat, quàm principij lenitas.

2. *Credo Eminentiam Veſtram iſta dudum omnia æquo conſide-
râſſe animo atque ægrè tuliſſe, cùm viderit Reipubl. neq; pauca, neq;
exigua enata fuiſſe incōmoda, quæ Regni Provincijs attuliſtis hoc bello.*
„ Quis enim fumantis Patriæ rogos ſiccis ſpectaret oculis? quis populorum
„ lachrymas innocentum, quæ pondera vocis habent, ſine intimo ſenſu ex-
„ audiret? gemunt ſub veſtro jugo geminæ Provinciæ, ſub tractatum pa-
„ cis inhumanâ vi ad graviſſima tributa coactæ, trahuntur immiti armorum
„ poteſtate ad fidelitatis præſtandum ſacramentum obviæ nobilitatis familiæ,
„ moventur ſedibus ſuis, quæ reſiſtunt, fumant domus populares veſtris igni-
„ bus, promoventur arma nemine repellente, eò, quòd vicinæ Litvaniæ vi-
„ res, quæ ſuos fines tueri inprimis poterant, civili diſſenſione diſtractæ, &
„ externæ copiæ, quæ primo aſſultu diſſlare has inſidias potuerunt, in ſpem
„ tractatûs pacis, edicto Regio admonitæ receptui cecinerunt; eo ſiquidem
„ proſpectabat Sereniſſimus noſter AUGUSTUS, cùm 12 millia armatorum
„ in Saxonia parata retinuit, ſpe deluſus pacis. Taceo auxiliares ſuppetias,

A.C.1701 „quæ in præcinctu fuerunt nobis. Habeatis neceſſe eſt fortunæ veſtræ gratiam, quòd tantæ hoſtilitatis augures nuſquam fuerimus. Nullus veſtrûm apertis oculis in Patriam rediiſſet, neque veſtigium Sveticæ in Livonia Poſſeſſionis legeretur hodie. Provocatum inprimis a vobis bellum, deinde jurato pactorum Sacramento, cœleſti providentiæ devotum, inſciâ Republicâ invitâque geri potuiſſe credas. Quis hactenus Sereniſſimum AUGUSTUM noſtrum à percuſſo cum Republ. fœdere, avulſa repetendi abſolvit? quæ lex circumſcripſit? fortè cogitas bellum hoc non ex comitiorum Regni præſcripto effuſum? quia nulla interea temporis conſilia occurrebant, quæ non ex Republ. æſtimarent bonæ viciniæ juribus inſiſtendum, & non tam belli, quam pacis artibus vigilandum. Invitum tamen non poteſt cogitari regnum, quod jusjurandum de repetendis avulſis Sereniſſimo Regi ſuo præſcripſit. Cur non huc referas bellum hoc, quo pacta Vielavienſia, Bydgoſtienſia, Olivenſia turbido Reipub. intervallo extorta potius, quàm compoſita. Hæc enim non expectatis Regni comitijs coaluêre, aliquot tantùm Senatorum aſſenſu Regijs partibus favente, neque interrogatâ prius Republicâ ſtetêre cum aperta & enormi læſione, reclamante toties magno illo Regni Pro-Cancellario, deinde Primate Regni meritiſſimo Andreâ Olſzowio. Legiſſes utinam illius ſuper ea re ſententiam in publicis dictam comitijs, poſtea in cenſura Candidatorum ſolidiſſimis firmatam deductionibus. Non omiſit ibidem præclarus Scriptor, oblatâ occaſione Pactorum cũ Polonia Sveticorum fidem ad temporum memoriam producere, quam tu in nobis imprudentiſſimè criminaris, videres, quis prior Sacroſanctam jurisjurandi Religionem violaverit? nolo tibi tot, tantiſque meditationibus obtento plura ſimul obtrudere; unum Joannem ex eodem codice oppono Sigiſmundi III parentem, qui promiſsâ inter conditiones de eligendo Eſthoniâ non erubuit denegare eam Provinciam, cauſarique à Carolo V & Maximiliano II Comitiolis Imperialibus commendã jure belli commiſſam. Cùm non minus Eſthonia pars noſtræ olim Livoniæ fuerit, quam Smolenſcum Litvaniæ &c. En Sveticæ fidei Religio, ſed concludo ſecundùm hoc punctum Criſpi Saluſtij reſponſo: Graviter & iniquo animo maledicta tua, ſi reſcirem, judicio magis, quàm morbo animi, petulantiâ iſtâ uti, ſed cùm in te neque modum, neque modeſtiam ullam animadverto, reſpondeo tibi, ut ſi quam voluptatem maledicentiæ cœpiſti, eam malè audiendo amittas.

3 *Speramus Eminentiæ Veſtræ haud levi fuiſſe lætitiæ ac delectamento, cùm inſignem inaudiverit, quam ab hoſte noſtro fœdifrago ſummi numinis auxilio, nuper reportavimus victoriam, quâ ita feliciter cæſus, fugatusq; hoſtis, ut incertum ſit, turpiorne fuga nunc ejus, an iniquior terrarum invaſio fuerit?*

„Quæ tibi frons aderat, cùm iſta effunderes, vel potiùs effutires? Bacchi credo temulenti. Sobrij enim calamus talia non auderet exarare. Eminentiſſimo Primati noſtro aliquam lætitiæ umbram de hoſtili Svecorum irruptione, qui vi fœderum eôdem nobiſcum vinculô tenebantur, tam publicè velle imponere, aut ſvadere, par impudentia orbis totius judicio confutanda. Quis enim ſanæ mentis talia præſumeret primo Regni Senatori, & ſacrorum Myſtæ etiam privatim inſinuare, quæ tu ita publicè non erubuiſti intimare, ut te caput ſimul cum fronte prius amiſiſſe demonſtrares. Præterea neſcimus hucuſque, quàm inſignem victoriam reportaveritis, duabus tantùm legionibus repreſſis, quæ jam à tergo fuêre Exercitus noſtri, aliò abeuntis, de Regis ſui mandato ad inſtantiam Reipublicæ & vota populorum militiam illam ita ordinantis. Certè non perinde eſt nume-

,munerari palmas, & mereri victorias. Nunquam fraudes in Capitolio tri- *A.C.*1701
,umpharunt. Malè tractatus pacis tam iniquo marte evincuntur, etſi ali-
,quando coaleſcant, non diu floret olea, quæ inter ignes Ma tios emicu-
,it, diu non poteſt alios ferre fructus, præter folia, ad cujuſvis auræ mo-
,tum inclinanda.

,Exercitum Regium in procinctu jam viæ deprehenſum, neque à te vi-
,ſum fuiſſe, aut impudenter appellâſti, aut nunquam alia Regum legitti
,mandata, quæ ſæpe Ducibus militiæ, ut interim conflictu abſtineant,
,tranſmittuntur. Anni ſuperioris aciem cum imaginaria hac victoria veſtra
,(prout tu illam quidem appellâſti) ritè compone, & à turpis fugæ no-
,mine abſtinebis. Neque Sereniſſimum Regem noſtrum terrarum invaſo-
,rem veſtrarum dices, ſi Provincias noſtras, quas rejecto pacis tractatu in-
,greſſi eſtis, probe reputaveris. Sed placuit conviciari. Malè de Rege no-
,ſtro AUGUSTO loqui didiciſti, cùm bene neſcias, Nunquam Cato, nun-
,quam Lælius talia de Cæſare, aut Pompejo ſcripſiſſet, armis utrinque flo-
,rentibus, irruptionem Sveticam inſignis victoriæ titulo donâſti Talpa fa-
,cilius deprehenditur, ubi plus terrarum foderit; Numina terrarum Reges
,Joves noſtri ſunt, non fulminantur, ſed fulminant, ubi ſuas nubes com-
,poſuerint. Diſce à calamo meo reverentiam Majeſtatis; non tango pupil-
,lam tui Domini: Tu utrique injurius es, cùm ita protervo ſtylo graſſaris
,in gloriam utriuſque. Tamen incertum eſt Europæ, turpiusne vos tracta-
,tum pacis rejeceritis, quàm miles Regius, mandato revocatus à cæde ve-
,ſtra abſtinuerit, cui non pridem inſueverat. Viciſſe vos tamen nuper fu-
,gâſſeque Sereniſſimo Regi noſtro præſenti libuit, non triumphare.

4. *Non ſolùm liberata eſt ſic incurſionibus ejus hoſtilibus, ſed etiam multum commodi & emolumenti veſtræ allatum Reipub, quippe quæ hinc ſpem certam concipere poteſt, ſe à multis magniſq; imminentibus periculis, nec non jura & libertatem ejus à minitante oppreſſionem ac interitum uſurpatione vindicare hac occaſione optimè poſſe.*

,Quis per verba hæc Cupreſſis virentibus ſimilia, minores Aquilæ
,Polonæ volucres illaqueari poſſe non crederet? ſi ita omnem impoſuiſ-
,ſes larvam, ne interior ex inſidijs vultus tuus appareret; nimirum poſt-
,quam palmares ſeminâſti injurias, gratias à nobis expectas, poſtquam fe-
,rali taxo adornâſti, aperuiſtique pericula, ſecuritatem polliceris. Riſu
,Sardonico credo correptus decantas liberatam hoſtilibus incurſionibus
,Livoniam, quam ibi fraudulenter invaſiſtis. Quem ergo hoſtem trium
,pene provinciarum appellabimus, ſi Regem noſtrum Seren: plùs, quam
,aggreſſorem dixiſti; Profectò niſi totius orbis judicio refutari malis, æ-
,quius eſt, ut miles Regis Poloniæ in ſui Regni tellure ſubſiſtat quam
,externus.

,Summam proinde injuriam, quam nobis attuliſtis, neſcias, ex quo
,nomenclatore multi commodi & emolumenti donâſti compellatione.
,Quod enim majus diſcrimen? quod damnum cogitari poteſt execrabili-
,us Reipub. quàm in profunda provinciarum illius viſcera ferro, & igne
,graſſari, ſub titulo & umbra, ſeu, ut tibi placet, ſub clypeo commodo-
,rum. Nempe fortunatas inſulas extra terras & maria promittis, infelici
,ſertorio per maxima pericula, ad majus navigaturo periculum. Pueris
,iſta in atrio, vel arenâ colludentibus, non Reipubl. proponenda. Spem
,certam concipere nos jubes, à multis magniſq; periculis hac occaſione
,vindicari poſſe. Hanc inter ſpatia imaginaria, vel inter ideas Platoni-
,cas ſub concavo lunæ repoſitam credo, ſervas. Cur enim tam grandia

A. C. 1701, pericula, quæ neſcio per quam Dioptram aſpexiſti, non recenſes? Ego
, verò crediderim non poſſe manifeſtius nobis imminere diſcrimen, quàm
, ſi Regni noſtri provinciæ ab alieno, non ab Electo Rege noſtro teneantur.
, tur. Eadem ſimul viâ jura & libertatem ſervari poſſe ingenioſiùs, quàm
, veriùs inſinuas, qui verum libertatis noſtræ guſtum nunquam habuiſti.
, Integram nobis per tot ſæcula adhuc ſupereſſe libertatem, nullus orbis
, non videt, nullus non invidet. Si nihilominus tantis majorum noſtrorũ
, impenſis comparatum hoc decus minus æſtimaremus, aut viles inter a-
, nimas rejecti quoquo modo mercaremur, profectò vicini Princi-
, pes vindicando adeſſent, etiam non invitati. Arcanum pando: Olim
, enim omnes hodie periclitarentur hac ſublatâ. Stamus adhuc ipſis ſuf-
, fulti caſibus Poloni, nondum nos infeſtè ſepulchro ſtamus, vireſq; nobis,
, animiq; viriq; ſuperſunt ad memoriam eorum, quæ nobis temporibus
, CASIMIRI III. inflixiſtis, refricandam.

5. *Perpendite, rogamus bellum hocce citra Reipub: conſenſum, ut credere fas eſt, ſuſceptum nec non aliorum conſilijs, quàm qui Reip. non bene cupiunt, decretum, geſtumq; eſſe, quin & Rex veſter ſecreta cum alijs poteſtatibus percuſſerat fœdera, & tractatus confecerat non paucos, quorum nec habuit notitiam Reſpub: nec bono publico, & ſcopo ejusdem ſalutari erant adæquata, pro libitu diſpoſuerat, quæ è diametro cum Senatûs Conſultis, & Reipub. pugnant conſtitutionibus pacta conventa eludere quovis modo, & artificio ſatagebat, curamq; adhibebat maximam, quo inter præcipua Regni Polonici membra, atq; concives diſcordias, & internecina odia concitaret, & aleret. Ex quibus omnibus, alijſq;, quibus ſuperſedendum nunc putamus, luce meridianâ evadit clarius nihil Regi veſtro fuiſſe deliberatius, quàm formidandas ſibi utrinq; acquirere vires, debilitare cives, & Regni incolas, eorumq; attrectare paulatim jura, conſtitutiones publicas perrumpere, ac deſtruere, & ſupremum tandem arripere cum Reipublicæ everſione arbitrium, atq; dominium.*

, Immortales tibi ageremus gratias, quas referre non poſſumus pro
, ſupplici hoc libello, quo nos tantopere rogas, ut mala noſtra perpenda-
, mus tempeſtivè. Si plùs ſolidæ probationis, quam nudæ aſſertionis at-
, tuliſſes. Lege, ſi tibi libet Senatûs Conſilij de hoc bello ſententias, quæ
, comitia Regni in tempore præceſſerunt; vel ſi hoc tibi non facile con-
, cedatur, expendas velim Magni Reipub: Mareſchalci S. R. I. Principis
, Staniſlai Lubomirij, ut ævo ita ſingulari experientiâ rerum eximij ſen-
, ſum publicis expreſſum typis, & de conſenſu, toties repetitam cramben,
, ſtomachanti palato non obtrudes. Seren: Regem noſtrum arcana cum
, Principibus percuſſiſſe fœdera ignorante Repub: perinde eſt conviciari,
, atq; non probare quando? & cum quibus? Profectò ſi vel umbram hujus
, veritatis latere inrta profundiſſima terrarum viſcera comperiſſes, tan-
, tus livor in publicum ſolem refudiſſet. Palàm quidem legerentur à no-
, bis nomina cunctorum Principum, omnibus conſtaret typographis,
, quando? & ubi hæc alea de Regni noſtri juribus & libertate jacta fue-
, rit? Tu certè non eam, ut clarè perſpicio, habes reverentiam AUGU-
, STI noſtri, tacueris, ut ſi non ignorares ipſe, cujus calamus talia
, promulgavit, quæ neque in octavi ſapientum Græciæ legantur ſo-
, mniis. Pharſalicam inter concives diſcordiàm ante electionem Ser: no-

ſtri

„ſtri Regis ex occaſione coæquationis jurium enatam bene novimus, ali- *A.C.* 1701
„ani hucuſq; penitùs ignoramus, de qua tu video, nuntium, neſcio, ex
„qua orbis plaga acceperis, veriſimilius tamen eſt nobis credere, qui hæc
„palpamus, ſpectamuſque in Patria, quam tibi, qui ex peregrinis foliis,
„tanquam de Nilo, maculoſo limo, ſtagnantibus oſtijs ſeptem hauſiſti, ut
„haberes, quod per otij licentiam effunderes. Pacta conventa ne elude-
„rentur, de repetendis avulſis, providit inprimis Seren: Rex noſter, pro-
„videbitq; ampiius, Divino numine aſpirante, & cauſæ meliori favente.

„Concludis projectis tot ubiq; criminationibus, & nuſquam probatis,
„quibus non tantùm Regiam Majeſtatem, ſed ipſa etiam folia Epiſtolæ
„tuæ fœdaſti, aſſerendo, luce meridianâ tibi clariùs apparere, quòd Se-
„reniſſimus AUGUSTUS noſter omnes eò curas verterit, ut effractis
„Regni legibus, in calcata civium colla ad abſolutum evadat Principa-
„tū. Scilicet tu centoculo oculatior Argo, vel bifronte Jano perſpicacior,
„ille præterita reſpiciebat tergo, & fronte venientia prævidebat, tu etiam
„illa introſpexiſti curioſe, quæ nunquam acciderunt, neque uno ſæculo poſ-
„ſunt tam facile advenire, quàm tu temere cogitaſti. Si fortè Elector Bran-
„deburgicus in meta tibi eſt, nobis nihil hucuſque compertum. Notant ta-
„men Aſtrologi ſub ortum Connæ flare ventos, & naſcentibus Imperijs
„procellas excitari, certum eſt, quia non deſunt animi ſemper præſentibus
„mœſti, & futurorum avidi, qui ſive evidentiâ, ſive metu, ſive lucri & ho-
„noris cupidine, ſive dolore contumeliæ, Principatum nondum hærentem
„ſibi, nondum alta radice firmatum, acrius percellunt. Si clementia Sere-
„niſſimi Regis, quam hucuſque adhibuit, in moderanda diſſenſione Litva-
„nicâ bilem tibi uni movit, aut obliquam injecit ſuſpicionem adverſæ con-
„niventiæ, fortè legiſti, quæ adjicio. Multa ſunt humanæ imbecillitati con-
„donanda, ignorantiæ multa, quædam etiam affectui, pœnitentiæ omnia.
„Multos ſervare oportet etiam inviſos, nec audiendi omnes, qui volunt pe-
„rire Quibuſdam error impoſuit, quibuſdam opinio fucum fecit: alios ma-
„gna conſilia peſſumdedêre. Sunt etiam, quibus ſola fortuna pro culpa eſt,
„Multos abſolvent, qui ſe à Deo cupient abſolvi. Nulla tā ſolers cura, nulla tā
„profuſa benignitas, quæ omnes motus poſſet amoliri. Res populi eſt, aut
„nulla eſſe bella civilia, aut citò finiri. Interrogare igitur prius debueras ju-
„dicij tui Areopagum, vel conſcientiam, licetne Regum præcipuè externo-
„rum, tantò minùs vicinorum, tam audacter intimum Capitolium, imò e-
„tiam cogitationes profundas ſubintrare; Reges divini in terris imperij vi-
„ces gerunt. Reverentius omni ævo viſum de actis Deorum credere, quàm
„ſcire, niſi ex illorum ſis numero; ut ſcias mane, quid Jupiter de nocte lo-
„cutus cum Junone? vel vices Ganimedis agas inter menſas Principum, inter
„Alexandrinos nuper pueros educatus. At non facile adducor, ut fidem ad-
„hibeam, ſi etiam omnes tabulas Poëtarum ſuperares, qui tamen novæ a-
„pud nos hiſtoriæ vis Author haberi. Itane verò nos lippos credis, ut plu-
„ra propius non videamus, quàm tu tot à nobis terrarum ſpatijs, & animo
„magis alienus. Crede mihi, ſi mereor aliquam apud te fidem, vel am-
„bio: aliena & nimis procul à vero recitaſti. Eum nacti ſumus Poloni Prin-
„cipem, quem optimus quiſque color decet, ut Ariſtippum, & nullius rei
„tantopere ſitientem, quàm gloriæ immortalis. Quomodo dilatare amiſſos
„Patriæ fines ita diligenter contenderet? ſi amaret, ut inquis, domi diſcor-
„dias, quomodo ſervaret ad bella cives, perdendo? non haberet profectò,
„cui tandem imPareret. Nulli, ſi memini, Regum ejuſmodi ratio dominan-
„di ſucceſſit hactenus. Neque Bohemia, neque Hungaria, omnes viros,
„vireſque amiſit, poſtquam novi habenas admiſit imperij. Formidandas tan-
dem

*A.C.*1701 ,dem contra Poloniam à Sereniſſimo Rege noſtro nihil minus cogitante ,conquiri vires, poſtquam buccinare non erubuiſti, unde? & per quæ terrarum ſpatia, vel per quem actorem in nos irrupturas, dicere omiſiſti ſapienter, cùm probe ignorares. Ad hoc tamen per compendium tibi repono, Nihil ita formidabile natura produxit, cui non viciſſim aliquid oppoſuerit formidandum. Meminiſti modò, quàm feliciter non ita pridem Poloniæ Regnum Svecis, Brandeburgicis, Moſchis, Coſacis, Hungaris, Scythis, & quod his difficilius fuit civilibus diſcordijs eodem ſimul bello reſtiterit. Poloni enim ita volente ſupremo Numine, fortius ſuis fluminibus, quàm cæteri halecum mari defenduntur. Quoties tamen ferventioribus ſolis radijs, vel nimij Martis æſtu ſiccantur, illa quàm primum affuſo ſangvine hoſtium attollimus.

6 Hocce immoderatum vaſti animi deſtinatum, nunc quidem noſtra victoria exiſtimari poteſt, quodammodo repreſſum, ſed artibus ejus non confidendum, tempeſtivis conſilijs, fortibus remedijs, & citâ executione opus eſt, ſi ſalva Regni jura, & incorruptam libertatem veſtram cupitis. Dubio enim caret, poſtquam in animum ſemel induxerat abſolutum regimen ſibi vendicare, ne conceptâ ſpe ſuâ, magnisque auſis excidat, nihil eum relicturum intentatum, quo illud perficiat, nihil penſi habens, ſi finis, quem ſibi propoſuit, obtinendi gratiâ, & totam Rempubl. & præcipua ejus membra noxæ & interitui immolaret.

,Hucuſque ignota omnibus tam vaſti animi deſtinata, quodammodo à vobis repreſſa, ne fidem quidem apud nos invenerunt, reprimi ſiquidem nequijt, quod nulli fuiſſe conſtat, præter opinionem tuam baculo ſuffultam arundineo. Quid verò Sereniſſimus AUGUSTUS noſter tacitâ mente agitet, proxima Regni comitia fortè evolvent, & ver imminens toti Europæ aperiet clarius. Polona ſiquidem Reſpublica geminos habet oculos, Senatorium ſcilicet ordinem, & Equeſtrem, quibus incumbentia juribus antiquis, & libertati procul videre poſſit pericula. Externâ ad præſentem, quam temere minaris procellam, non egemus perſpectivâ. Artibus Regum, quæ legibus noſtris hucuſque paruêre, nunquam Poloni rebelles fuimus. Imperito medico, tu interea ſimilis es, fortiaque, citaque ſvades remedia adhiberi, ubi nullus morbus adhuc apparuit, qui unâ dexterâ non poſſet in tempore diſſipari. Tu verò tantùm celerem ſvades executionem medicinæ, ut citiùs præcipitatis remedijs moriatur, qui nunquam ægrotavit. Nominare prius morbi præſentis cauſas debuiſti, non augurari, priuſquam remedia tam violenta præſcripſiſſes. Profectò inuſitatam hactenus artem imitaris, morbum advocare contendis remedijs, ſano adhuc, integroque corpore morem illorum ſecutus. qui rectè valentibus medicos ſvadent, ut lucrum capiant, morte improviſâ pœnitendum illi, qui valuerat. Libertas etiam noſtra nulli externorum carior eſt, quàm nobis, quibus tot, tantiſque non fortunarum modò, ſed ſangvinis quoque ſtetit impenſis. Aulæ, Regnique Miniſtros cenſeamus illos, quos orbis exempla docuêre: quid ſit innocentem, vel mercari Rempubl. Tam difficilem proinde abſoluti imperij cogitationem nemo Sereniſſimo Regi noſtro poterat injeciſſe, niſi reus Majeſtatis, & illius ſecuritati minus favens nec non tranquillitati publicæ in his præcipuè rerum terminis, qui nos circumſtant. Si tamen ſimilia tuo ſcripſiſſes nomine non Sveticæ Tit. Majeſtatis, non defuêre modi Reipubl. quibus petereris: interea ſub tanto clypeo ſalvus es. Abſolviſſes nihilominus non Polonos tantùm, ſed totam etiam poſteritatem, ita impor-

„importunâ clarâque malevolentiæ ſuæ ſuſpicione, ſi quid eorum probâſſes *A.C.*1701
„in particulari, quæ ſine ullo prorſus argumento, quaſi oracula neſcio ex
„cujus Apollinis tripode audita, vel in bicolli ſomniata Parnaſſo, ita palam
„protuliſti. Odio præterea plus quàm Vatiniano profeſſæ nuper fidei à Se-
„reniſſimo Rege noſtro, præcipua Reipubl. membra ad necem, & totum
„Regnum ad interitum deſtinari aſſeris. Inter Medos & Perſas tanta ma-
„lignitas ignoratur. Nunquã Nerones, nunquã Maxentios, Diocletianos, nun-
„quam Regũ Poloniæ ſolia per tot ſæcula conſpexere. Longè ſumus po-
„ſiti ab ævo illo infelici, quo Tyranni purpuram ſuam non tam oſtro
„Tyrio, quàm civium ſanguine imbuebant. Habemus gratiam Dijs Tute-
„laribus, quòd in hanc uſque diem illos Imperij noſtri cenſeamus modera-
„tores, ita pios & clementes, ut nullus civium illis Regnantibus pullam ve-
„ſtem induerit. AUGUSTI demum noſtri clementiam omnibus retrò ſæcu-
„lis prædicandam, & procul à tam immani feritate, quam tu impudentiſſi-
„me criminaris, nullus eſt, qui non videat, nullus, qui non amet. Utrum
„te illius gloriæ, ſolijque ſplendor ita exexcavit, ut ſol in aſſvetam ſuæ lu-
„ci palpebram meridianis ſolet radijs flagellare. Non ideo tamen ſydera Se-
„reniſſima non ſunt, non ideo mel non eſt dulce, quia ægris ſic videtur; ne-
„que ideo roſa non fragrat, quod mortem adferat ſcarabæo.

7. *Huic igitur malo maturè præſcindendo medium accommodatius vix adhiberi poteſt ullum, quàm ſi Rex iſte throno, quàm primùm dejiciatur. Quippe quo ſe infracta toties legum, & juratæ capitulationis fide, reddidit indignum. In quo cùm non minus Reipub: veſtræ, quam noſtra poſita ſit ſecuritas, non poſſumus non huic rei perficiendæ ſummoperè inſiſtere. Neq; quiſpiam rerum peritus Rempub: propterea iniquitatis accuſabit, accuſabit autem fortaſſis poſteritas, nimiæ lenitatis ac imprudentiæ, ſi id infectum reliquerit, nec nobis imputari poterit culpa, ſi neceſſitate adacti hoſtem noſtrum proſecuti fuerimus, ubicunq; ipſi ſecuritas & ſuſtentatio contingat præſtari; cùm ſatis, ſuperq; conſtet nobis nihil magis in votis eſſe, quàm ut quies duarum nationum, quas nativa quædam & perpetua communis utilitatis ratio propiori amicitiæ nexu conjunxit, quantum in nobis ſitum eſt, non perturbetur.*

„Dij boni! quantum priùs pulverem excitâſti, ut eò tandem demen-
„tiæ pervenires, quò nulla fatuitas auſa eſt Polonos ducere, nimirum
„quemadmodum onerati mero, non continent & cibum, & ſecretum,
„ſed quod ſuum, alienumq; eſt, pariter effundunt; ita tu neſcio quo li-
„vore in Seren: Regem noſtrum, ævo immortali dignum, tamdiu tortus
„aperuiſti mentem faſtis noſtris incognitam, & arcanum de exturbando
„Rege innocentiſſimo conſilium revelâſti. Huccine illæ omnes crimina-
„tiones, quibus Epiſtolam onerâſti, collimabant? ut tam fœdam tandem
„impietatem nobis perſvaderes, quibus omnia ſceptra ſacra ſunt & omnẽ
„purpuram adoramus. Putâſti ne Finlandis tuis aut Gothis ſcribere non
„Polonis? qui eò religioſiores in fide ſervanda, quò liberiores, & quibus
„illa eſt erga ſuos electos reverentia, ille Regum amor, ut gloriari omnes
„poſſint, ſe in cujuſvis civis ſinu dulciorem capere quietem, quàm in Re-
„gia. O ſolâ fortem garrulitate fecialem, qui nos more Andabatarum,
„cum armatis umbris, incertum, in quo campo Martio diſpoſitis omni-
„no jubet præliari. Scilicet illa nobis, illa vobis remedia præſcripſiſti Ga-
„lene Vandalice, quæ illùm Reipub: morbum adferri poſſint, ex quo nun-
quam

A. C. 1701, quam convaleſceret. Violatâ toties legum & juratæ capitulationis fide „indignum ſolij Poloni Majeſtate Regem, plùs, quàm prætoriano edicto „pronunciâſti, quem nemo te præter accuſavit. In hoc uno Areopagitas „imitatus, quod clauſis oculis, & ſubmota luce protuleris, ita crudelem „ſententiam. Maſſagetis iſta, vel barbaris obmurmurare poteras, apud „quos tot Reges non ſiccâ morte ad Cereris generum deſcenderunt, non „Polonis; qui etiam exulanti olim Regi ſuo Sileſiam ad vitæ alimenta „conceſſerunt, Boleſlaus audax ſponte ſe Regno exuit, non vi pulſus. Mie- „ciſlaum ſenem ſua throno exturbavit inertia, Chriſtinam impietas pe- „pulit, Leſzco albus Caſimiri filius, à Svetopelco Pomeraniæ Guberna- „tore interemptus, Premiſlaus II. à Marchionibus Brandeburgicis vitâ ſi- „mul & purpurâ per inſidias exutus eſt. Idem fatum Sigiſmundum III. „in Svecia expectabat, niſi ſe noſtræ felicitati diligentius ſervâſſet. Polo- „ni ergo nunquam in ſuos Reges ſurrexerunt, aut ſævierunt. Jam metire, „ſi potes, quantum hoc claſſico perfeceris, quod inflâſti. Exciviſti ſedi- „bus ſuis omnium Legatos provinciarum, qui vitam, fortunas, liberos & „ſangvinem ſui Sereniſſimi Regis ſecuritati nomine publico devoverunt. „Armâſti Regnum totum in prælia, non humili, exiguoq; ſangvine diri- „menda, dicam ſimul: Apes omnes pro Rege innocente ex alveari provo- „câſti, alcyonia domeſticæ tranquillitatis, quæ ex certiſſimæ pacis omina- „minabamur tractatu, & jam de littore proſpectabamus, infelici hâc tu- „bâ difflâſti. Quod velitis telam hanc aranearum, quam orſi eſtis perfi- „cere, nullatenus ambigo: ſed neq; hoc incertum, quòd Arachnam Mi- „nerva ſuperare poſſit. Ex Ceraunijs porrò Sveticis prius tu legeris pal- „mas, aut lilia, quàm Poloni publicæ inde gloriæ folium recipiant, ſi Regẽ „tantis Majoribus ortum, totque inſignem trophæis, throno in quo eum „non ita pridem poſuerunt, nullâ cauſâ, præter tua commenta, quæ tan- „tum apud nos conciliârunt fidei, quantum ubique probationis attuliſti, „movere contendant. Neq; ullam pro eo formidamus poſteritatem, quod „optimo Regi noſtro, juratam ſemel fidelitatem, & nunquam ante nos „violatam, illibatè, integreq; ſervaverimus. At veſtræ hoſtilitatis cul- „pam nullius unda Ponti ſatis eluet, ſi præter trium provinciarum uſur- „pationem amplius ſigna veſtra explicaveritis. Noveris quidem Polonos „didiciſſe ſub frigido quoq; Jove fortiter militare & Sarmaticas ferre hy- „emes procul tentorijs, procul foco. Satis nobis eſt ignis Pyrius, quo Mar- „tius ignis incaleſcat. Flumina nobis longo gelu glaciantur, non animi. „Non ita pridem haſtas poſuimus; non imparatos proinde deprehende- „tis, neq; inter jejunos focos oſcitantem militiam experiemini, ſi (quod „minaris) adveneritis. Quodcunq; enim membrum enſe recidendum vel „effodiendum eſt, ſi non bene conveniat ſuo corpori; univerſi nihilomi- „nus excipiunt medici, Theologiq; caput. Noſtræ veſtræq; Reipub: qui- „etem cordi vobis eſſe inprimis, & inter vota præcipua, nemo eſt, qui in- „telligat, poſtquam illam tribus provincijs exturbâſtis. Certè non iſtis „artibus Regni tranquillitas comparatur. Verùm, credat Judæus Apellæ, „ego tamen à fide hac tantùm abhorreo, quantùm tu diffides à Romana.

8. *De hac re tota in literis noſtris ad Rempub: perſcripſimus prolixiùs, quas opportuno tempore tradendas Eminentiæ Veſtræ commendamus, ſimulq; ab ea benevolè & amicè contendimus, ut ijsdem pondus authoritatis ſuæ, ſummamq;, quâ pollet, prudentiam, & conſiliorum dexteritatem adjungere non gravetur. Quod ſi fiat, nulli ambigemus, quin & vim habeant efficaciſſimam, & nobis optatum adveni-*

adveniat quantocius reſponſum. Si quid opis & auxilij à nobis deſideretur, lubentes promittimus nos præſente nunc exercitu noſtro, eidem Reipub. pro rei exigentia adfuturos, nec immemores erimus aut zeli & laboris ab Eminentia Veſtra præſtiti, aut teſtificationis erga eam, quacunq; occaſione grati animi Regiæq; noſtra benevolentiæ. De cætero Eminentiam Veſtram Divinæ tutelæ commendatam, & quàm diutiſſimè incolumen cupimus. Dabantur in Caſtris noſtris propè Bauskie die 30. Julij Anno 1701. A.C. 1701

,Inſolitum quidem hactenus apud nos fuerit, ut Primas Regni noſtri ,vices externi ad Rempub. tabellarii aliquando ageret, præcipuè ubi de ,ſumma rei & ſeditione civium ferebatur ſententia. Sed is menti tuæ ca-,lor incidit, ut non alteri libellum Regis Sueciæ, niſi Eminentiſſimo Car-,dinali comendares, ſimulque pondus & authoritatem conciliares epiſto-,læ. Dabis veniam, alibi imprudentiæ tam inſigni fiduciam conciliare, aut ,ſaltem quærere debuiſti, & priuſquam auderes, atrium indolis explorare: ,cuinam literas Uriæ porrigeres? Non placuit fortè interrogare orbis ,exempla, & ſæculorum memoriam, num fas eſſet ita palàm feralem ,flammam Regiæ injicere alienæ per primum Senatorem, & Regni pri-,mum Principem. Profectò tam præcoci conſilio felicem ſucceſſum pol-,liceri non poſſum. Errores impetu, conſilia morâ valeſcunt, ita feſti-,natæ ad Remp. literæ, procul Regni Comitiis, perſimiles arbitror ex-,citato culinæ foco, perdice adhuc per ignotas ſylvas, aut campos Ely-,ſios volitante. Summa præterea prudentia, & conſiliorum dexteritas, ,quâ Eminentiſſimus Primas pollet, ante alios id præſtabit, procul du-,bio ut ſe illis ſubducat, quos reos eſſe læſæ Mtatis tam clarè intelligit. ,Auxiliares nobis ſuppetias, ſi neceſſitas poſtulaverit, præſentemq; ex-,ercitum liberaliſſimè polliceris. Quodſi tamen Balenæ venter, aut lari ,guttur has tibi Reip. noſtræ tuendæ cogitationes peperit, & infeſſæ Re-,gni Provinciæ famem adhuc accendunt, noveris etiam vultures, Harpi-,aſque longam poſt inediam, eſcis, quas in ungvibus habent, minimè ,ſaturari, ſed aliorum nidoribus cadaverum inſuper inhiare. Leonem ,halecibus non ſatiabis; majorem ſitit prædam.

,In concluſione epiſtolæ ita peritè integri amici adornâſti imaginem, ,atque ſi Pyladem aliquando pinxiſſes, vel Oreſtem, grati animi ſigni-,ficationibus, eos colores addidiſti, quos neq; Apelles, neq; Protogenes ,adhibebat, Helenam expreſſurus, vel unam Gratiarum.

,Fruere igitur tam felici ingenio Scriptor Regie & egregie jamq; ,nervos animi tui, tot criminationum, fraudiumq; meditatione fatiga-,tos refice, & exiguo piperi, ſi ſapis, adde piper. At ne fortè ad imagi-,nem veritatis impotenti patientâ exardeſcas, laudo jam per omnia li-,terarum folia diffuſam artem ſolertiæ tuæ. Piſcatores peritos in tur-,bido diligentiſſimè laborantes, vel adulatores imitari voluiſti, qui ni-,hil potius meditantur, quàm quod putant gratiſſimum Auditoribus ,fore. Nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidi-,as oculis, auribuſque fecerint. Ne non amicâ manu exarata hæc pu-,tes, iterum iterumq; calamum tuum moneo, caveat, ne in Sereniſſimi ,AUGUSTI noſtri ſolium repetito auſu involet, Aliàs non crabrones ,tantùm, ſed carbones etiam Vulcani publici excitabit ulturos tam im-,pudentem paginam. Vale, ſi potes, & me, ſi vis ama. Oppoſitum enim: ,Oderunt ſpeculum deformes cernere vultus.

COPIA

A.C.1701 COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ, AD EMINENTISSIMUM REGNI PRIMATEM.

TRaditas eſſe Eminentiæ Veſtræ literas ad eam noſtras (ad quas adjunximus inclytæ Reipub: datas) eò minùs dubitamus, quòd nobis innotuerit priorum non ſolùm divulgata eſſe contenta, ſed etiam apud pleroſq; & ſcripta earum exemplaria reperiri. Declaravimus in ijs prolixè propenſionem noſtram, & deſiderium continuandæ cum Repub: veſtra ſinceræ amicitiæ, ſtabiliendæq; initorum pactorum fidei, quatenus injuſto ac perfido, quod nobis Rex Poloniæ intulerat, bello, ſeſe non immiſceat, ſimulq; à nobis rationibus perſpicuis evictum eſt, æquitati, & communi bono maximè congruum eſſe, ut Regi, qui contra nos pervicaci odio accenſus, Reipub: etiam jura audacter contempſit, habiti indignè Regni habenæ ſine temporis diſpendio eriperentur, militesq; ejus è Saxonia adducti Territorijs Polonicis exterminarentur, & alius Regni faſtigio dignus ſolio imponeretur, cum quo fida vicinia, pax & neceſſitudo tutò poſſet inſtitui, ac coli. Requiſivimus inſuper Remp: ut mentem ſuam circa hoc negotium vellet nobis ſincerè exponere, & ſignificavimus vobis, ſi aliter evenerit, haud nobis imputari debere, quod ipsâ rei neceſſitate exigente non poterimus non ulteriùs procedere, hoſtemq; infenſiſſimum ubicunque commorantem perſequi. Cùm verò nihil nobis ad hunc uſq; diem redditum ſit reſponſi, operæ pretium eſſe duximus dictæ propoſitioni noſtræ iteratâ vice inſiſtere non ambigentes, quin Remp: eam ipſam non modò æquitate ſuffultam, ſed & cum emolumento ſuo proprio convictam eſſe judicet. Hæc enim unica eſt via, quâ liberari Reſpub: facillimè poteſt ab exitio ſuo & Rege, qui præcipua ac primaria juratæ capitulationis momenta infringens temerè conatus eſt Reipub. libertatem ac inveterata jura convellere, durumq; liberæ genti imponere, affectatæ, illimitatæ potentiæ onus, cujus rei haud extare poſſunt documenta luculentiora iis, quæ ex actis omnibus ipſius Regis eluxerunt. Bellum graviſſimum inconſultâ Republicâ indixerat; Pacem Olivenſem Conſtitutionibus Regni & legum volumini inſertam, quæ longo temporis tractu magno utriuſq; Regni commodo culta pro tranquillitatis mutuæq; neceſſitatis præſidio, ac fulcro, cui innititur Reipub: ſalus, & incrementa ſemper habita temerè violaverat, quietem publicam turbaverat, excitandis undequaq; bellorum motibus operam impenderat, cum alijs poteſtatibus tecta, noxia conſilia implere ſatagebat, & omnimodam deniq; jurium veſtrorum & privilegiorum depoſitionem pro libitu attrectaverat, ejuſmodi inquietis, turbulentis, & pernicioſis deſtinatis intentus, opprimendæ Reipub: ejuſq; conſtitutionibus evertendis aptiſſima crediderat. Quantum ad nos attinet, haud ferendum exiſtimavimus, eum vicinæ Reipub: gubernando clavo aſſidere, qui protulit tot ſpretæ fidei, contemptiq; jurisjurandi experimenta, ut præmiſſis aſſecurationibus ejus de inſtauranda pactorum antiquorum integritate

tate nulla prorſus ſuperſtrui ſecuritas queat. Ut nobis igitur Illuſtris A.C.1701
Reſpub: quantocius animi ſui ſenſa explicet, Eminentia Veſtra mitte-re haud differat ampliùs, iterum iterumq, rogamus. De cætero ſicu-ti Eminentiam Veſtram Regio noſtro favore complectimur, præſtan-daq, ipſi grata mentis & exiſtimationis noſtræ indicia paratiſſimi, ita eandem Divinæ protectioni cõmendatam diu ſalvam, & incolumem cupimus. Dabantur in Caſtris noſtris Grobin die 19. Novembris. Anno 1701.

Eminentiæ Veſtræ benevolus amicus.

Carolus.

ECHO PRIMI RESPONSI AD AURES, OCULOSQUE COMpoſitoris Literarum Gothicarum, nomine Sereniſſimi Regis Sveciæ Eminentiſſimo Regni & M. D. L. Primati ſecundò ſcriptarum, directa & repercuſſa.

Adhuc ne telum Enceladus audax in Jovem torquet; neq;indomitus calor, ignes ſpargere noxios ceſſabit unquam? utinam tibi ſuperi mentem ingenio meliorem infudiſſent! abominandam etiam, ben, fortè caulibus enutritus calamus, iterum per leviſſima recoctæ, neq; , tamen adhuc probè digeſtæ Epiſtolæ folia impudentiſſimè repetit; in-, genuo palato regerendam. Ut ita probroſis criminationibus abſtineres, , publici Vulcani carbones tibi, tuiſque meditationibus per tot paginas , diffuſis, ſum prius comitatus,poſtquam ita petulanti ſtylo unctum Chri-, ſti petere, pungereq; auſus es.

, Non ita immemorem coronati ſui Capitis reputare Poloniam debuſti! , mente inprimis tuâ, deinde argento veſtro (quod fortè ſpargitis) ut inno-, centem Rempublicam trahatis ad interitum: purior eſt ſemper Polonis er-, ga ſuos Reges veneratio, & illibata fides, quàm Svecis, Gothis, Vandalis-, que. Datam ſemel Orthodoxo Principi fidem nunquam hactenus violâ-, runt. Duræ minus forent aures, ſi talia de Sereniſſimo ſuo Rege inflexæ , audirent, non averſæ. Duriores oculi, ſi legerent immoti, quæ de alio Re-, ge ſubrogando (fortè radio Caniculæ, cum primas literas exarares in ce-, rebro percuſſus) tam publicè inſinuâſti. Certè ſi nullam aliam haberemꝰ , agendi vobiſcum belli rationem, geminæ tuæ in repetitis literis, ex ver-, ſuto, ſed non verſato ingenio compoſitæ offenſiones ſatis eſſent ad claſſi-, cum, armis in vos immortalibus promovendum. Ob felem occiſam Ægy-, ptijs tot millia Romanorum periére; Tarentinam cladem Nauticoexortam , convicio faſti memorant. Gvilielmus Anglorum Domitor, de præpingvi , ſuo ventre Philippi Regis Galliarum jocum (ſinamus, inquit ille, puer-, peram decumbere partui, ut ex mole ventris apparet, jam vicinam) quot , cladibus Provinciarum Galliæ vindicavit, poſtquam ex morbo longlore con-, valuit? quot cædes populorum deriſus venter peperit, Regiæ levitati quot , Heroũ animæ parentârunt? Trojani belli flamma ex quàm humili ſcintilla , ſumpſerit exordiũ, referre vetat pudor. Toto decennio arſit Ilium, & mille , navibus quotidiano repetebatur periculo. Alexander Macedo ab Ariſto-, ſtotele puer adhuc admonitus, ut thuri largius profundendo parceret, , poſtquam adolevit, thuriferæ campos Arabiæ bello Immani petijt, ut ha-, beret Præceptor, quod amplius poſſet exprobrare. Recentes bellorum cau-, ſas non memoro, quas præſens bene experta ætas, inter Principes Euro-, pæos hodie uſque repugnantes. Tardè movenda ſunt fulmina quæ per-, culſi colant.

A.C.1701 „Tu Sereniſſimum Regem noſtrum tot convicijs ita publicè petiiſti, tu „Regnum Poloniæ ad ſeditionem mille artibus invitâſti; tu omnia Regni jura a Rege innocentiſſimo penitus violata (procul omni probatione) phanaticè pronuntiâſti; tu Auguſtum noſtrum hoſtem dixiſti infenſiſſimum, „qui tamen edicto Regio ſuam noviſſimè vetuit militiam, ne vos (in ipſam „facilius conciliandæ pacis) pari ut nuper Marte cæderet, fugaretque; tu „detritâ fronte in jura Cardinalia liberæ gentis, & Regum electionem inſolenti calamo involâſti, ac ſi ſuffragia Electoris populi a tua poteſtate dependerent, & pro tuo beneplacito poſſent revocari. Regem præterea noſtrum per ſuprema Europæ faſtigia, Regumque thronos, ab Auguſtiſſima Majorum ſuorum origine ad clavum Poloniæ pari omnibus Regibus „magnificentiâ deductum, unus Ardelio indignum ſolio Polono cenſuiſti. „Tu perfidum bellum hoc quod præcipuè ideo ſuſceptum fuit à provocatis, ut ſolidius firmarentur utriuſq; partis fœderum percuſſorum ſancita, & Religio de repetendis avulſis clariùs conſtaret irritatis ad Polongam. Interim nullæ à nobis in Svecia Provinciæ, perinde, atq; à vobis „noſtræ ita hoſtiliter ſunt occupatæ. Non enumero ſingula quia novæ „quotidiè accedunt læſiones, pariter nobis recenſendæ. Erit tempus omnes læſiones, excarnificationes nobilium & rabioſam ultionem, ac tot „flagitia, devaſtationem, alieni uſurpationem, rapinam, damna omnia „computandi, quæ per inſidias hoc bello ex arte compoſitas innocenti „Reipub: peperiſtis. Sinceræ amicitiæ, ſtabiliendæq; initorum nobiſcum „pactorum fidei, ſpem facis indubitatam, non memor interea, quam fœdum omnibus retrò ſæculis fœdus nuper cum quodam Principe percuſſeritis, ſi Joanni III. ad Viennam Auſtriæ liberandam caſtra moventi „non ita feliciter belli Turcici alea cecidiſſet. Prætereа non ignoramus, „quid cum alio vicino machinati fueritis, ſi Elbingam offenſivo Marte „vindicare Poloni voluiſſent. Scilicet hæc ſunt ſinceræ amicitiæ & firmandorum pactorum, fidei vera, ſolidaque documenta. Addo per compendium. Tu neſcio, quam epiſtolam nomine Tui principalis Eminen: „Primati commendâſti tradendam Reipubl, quæ tunc procul fuit, ut ad „generalia Regni totius comitia conveniret, quo tempore ſchedæ ejuſmodi (citra perduellionis diſcrimen) à nemine poſſunt exhiberi Reip. Unde tuo inprimis conſilio, deinde publicæ Eminen: Primatis gloriæ huc„uſq; apud nos integerrimæ, inſignem contumeliam attuliſti. Reſponſum „expectas? menti tuæ amenti conforme. Erras toto mari, neſcio quibus „Etheſijs illectus. Habebis Reſponſum ex Regni Comitijs, ſed non illud „cui nefas eſt privatam manum, ſigillumq; apponere in Polonia. Tu ubicunq; commorantem perſequi Seren: Regem noſtrum inſolentiſſimè minaris, quaſi invitatus. Hæccine eſt bonæ vicinitatis & ſinceræ amicitiæ „teſſera: Hæccine pactorum cum Regno Sveciæ fœderum perpetua Religio? Fortè credis nos ita inermes eſſe pro Rege noſtro ſemel electo, & „legitimè coronato. Noveris, velim, conviciorum inferendorum neſcios, „tolerandorum diu conſtantes contemptuum præſertim à talibus (qualis „tu es compoſitor) inter menſarum hilaria liberaliſſimos deriſores. Meminerunt enim non procul ſe ab alia fortiſſimi cæli plaga genitos eſſe, „de qua ſcriptum olim acceperunt. Vires animiq; ſuperſunt, jam prope „poſt animam, præcipuè ubi pro electo, & coronato jam Rege dimicandũ „eſt. Tu, durum affectatæ, illimitatæq; potentiæ liberæ genti onus, & „neſcio, quod jugum polliceris, de quo nemo fortaſſis mortalium, præter „te unum ſomniavit in Sveticarum Parnaſſo rupium noviſſimæ officina „tabulæ. Non unius ſæculi hoc negotium eſſe Hungaria clariſſimè demonſtra-

,monſtravit. Laphitarum hoc eſt & Centaurorum, nihil aliud bellando, *A.C.*1701
,quàm bellum quærere. Legimus Tiberianorum & Herodianorum exitus. Novimus ſubdolam mentem non alio niti comitatu, niſi ſpe lubricâ, certo quotidie metu, incertis conſilijs, poſteritate brevi, aut nullâ.
,Neque Athenæ Cecropem, neque Spartani Reges faſtigij ſui gloriâ laſcivientes diu tulere.

,Apud Polonos quoque nulla imperij diuturnitas ſecuritatem facit vitiorum. Illos eligimus, coronamusque Reges, qui ſecurè in omnium ſinu civium, cives pariter in corde Regum ſecurè poſſint hoſpitari.
,Tu primus utrosque illimitatæ potentiæ onere imaginario convicìaris.
,Neque poſſum facilè adduci (ut credam interea) ſincerè te odium abſoluti Principatûs nobis perſvadere velle, cui à tenero ungve ita fortiter aſſveviſti, niſi forte tibi placeat palmarem injuriam Sereniſſimo tuo Principi, abſoluto moderatori Regni & tuis contribulibus, libertatis noſtræ colore adſpergere. Fraus eſt ſoli cæco ignota. Parco reliquis juſti in Sveciam belli rationibus, & jam concludo punctum hoc. Profectò neque Ægyptiorum catus, neque Tarentinæ cædis, forte à calceis provocatio, neque thus Alexandri Magni, neque Philippi Regis Galliarum jocus, neque Aſiatica levitas, tam juſta merebatur arma, atq; tuæ geminis jam epiſtolis proclamatæ criminationes, aut ſcommata.
,Dixiſti prius: ideo Regis tui milites Regni noſtri viſcera ingreſſos, ut externum militem limitibus Polonis exturbarent, pacemque hoc modo conciliarent Reipublicæ. Iam pridem clementiſſimi Regis noſtri juſſu præfatus exercitus Patriæ ſuæ limina repetijt feliciſſimè. Quare tamen hucuſque Curlandiæ, Livoniæ, Samogitiæ, Litvaniæ hoſtilitate barbarâ imminetis? Cur ad tributa ferro cogitis populos innocentes? cur per tot exquiſita ſupplicia ſangvinem emungitis, inſignes nobiles ad furcam damnatis? cur electum & coronatum Regem noſtrum Sereniſſimum ſolio exturbare contenditis? latet angvis in herba. Itane bonæ viciniæ & ſinceræ amicitiæ fœdera, (quæ toties adducis) omniû moribus gentium obſervantur.

,Hactenus contra Majeſtatem Sereniſſimi AUGUSTI noſtri graviſſimè deliquiſti, ſed ne aliunde quoq; innocens appareres, poſtquam tot, tantarumque criminationum reus extitiſti, etiam toti Reipubl: non ferendum vulnus inflixiſti, prius inclytam, deinde verò illuſtrem appellando, cui nullus hactenus Regum in Europa Sereniſſimæ Reipubl. titulum detraxit te præter unum, omnis, ut lego, civilitatis & juſtitiæ publicæ penitus ignorantem.

,Regem ſolio contendis exturbare. AUGUSTUS II. non eſt Chriſtianus. Quàm feliciter vobis bellum contra Polonos regnante Joanne Caſimiro ceſſerit (præter conflictum Pragenſem aſſiſtentiâ Brandeburgici Electoris adornatum) velim, reputes. Omnes antea cæſi, ſemper fracti, vel fugati eſtis. Interroga ævo majores tuo, & diſces ſapere, nunquam enim forte numerâſti, quot Duces militiæ in Sveciam ex Polonia, multò minùs audîſti, quot milites redierunt integri, ſi non pigeret referre, numerarem reportatas continuâ ſerie armorum de Svecis victorias. Adducerem Carolum Chodkievicium, vix tria millia ſuorum in caſtris habentem, de cæſis tamen novem millibus Svecorum triumphantem, cùm Carolus Sudormanus Livoniam invaſiſſet. Lege ſi placet verba hiſtorici: Cùm ex Livonia nunciatur Carolum Sudermaniæ Principem infeſto exercitu eam provinciam ingreſſum ad obtinendam Regiam accingi, &c. Occupato per ſummum ſcelus Regno Sveciæ, mox Livo-

A.C.1701 , niam Regni Poloniæ provinciam latrocinij more infeſtans, aliquot ejus
, civitates interceperat, pronis nonnullorum Livonum, ut Lutheranæ ſe-
, ctæ, quâ tota Livonia infecta eſt, in eum ſtudijs, & ille, ubi vires Polo-
, norum ſuperveniſſent, ad naves confugere ſolitus nunquam pugnæ co-
, piam faciebat, ſed tum Polonorum paucitate contemptâ, quòd Carolus
, Chodkievicius M. D. L. exercituum Dux contractis in unum copiis, vix
, tria millia equitum, peditumque ſub ſignis haberet, oſtentare vires, &
, prælio Polonos laceſſere decernit. Ergo ſine mora præfatam cladem o-
, ctodecim Svecorum millia à tribus Polonorum nondum integris accepê-
, re. Repeterem memoriam, quomodo Svecus fugatus uno prælio ab Ele-
, ctore Brandeburgico è Marchia & hoſtis Imperij declaratus, ſed neq; li-
, cet, neq; decet, neq; expedit illa narrare publicè, quæ prius orbis novit
, Europæus. Hæc nihilominus attuli, ut tibi eximie Scriptor conſtet, poſ-
, ſe Polonos majus habere robur ad coercendam Sveciam, quam ad Jo-
, mandam habuerit olim Brandeburgicus, perpetuus Poloniæ fœderatus,
, & feudatarius. Prætereo inſinuare, cur Reges Daniæ tria pariter dia-
, demata ferant, atq; Reges Sveciæ? fortè commodiorem habiturus eâ
, de re ſcribendi olim occaſionem. Deinde quid contra ſuos Reges Sveci
, aliquando auſi ſunt, & cur à Polonis ſimilia expectant, poſtulantq;.

, Quare iterum, iterumq; amicè te convenio, cave ne qui ita auda-
, cter fumos inanes ſpargis in publicum, fumo cum tuis ſcriptis pereas in
, foro publico. Interea, ſi quid potes valere, vale.

XIII.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI, 30mâ Novembris.

Queritur de diſcordia in Litvania.

TRactatus Litvanæ, ut ſe vocat, Reipub. (cui ſicut Pòëtis licere videmus quidquid libet) cum Domo Sapiehana nullo modo finiri potuit Varſaviæ, nam cæca pectora, mentes Cimmerijs tenebris atriores invenimus, quibus vindicta tantum poteſt ſvadere malorum, quæque jam peperit ſcelerata, atque impia facta, pro quibus timendum, ne detur celeri victima tarda DEO. Notavimus multos ex Litvanis, quibus tanquam diſcipuli fortaſſe Anaxagoræ eſſent, nives atramentum fuerunt, atque eadem cæcitas erat, ut vero falſitatis, mendacio veritatis nomen imponere ſæpius auſi fuerint, timendum proinde, ne dum aures claudunt civibus precantibus, fores non aperiant hoſtibus. Proximus jam ardet Vcalegon, Samogitia a Sveco poſſeſſa, & illi, qui deberent pro defenſione Patriæ tranquilli eſſe, concordeſque, nituntur ſummâ diligentiâ in perditionem univerſi, utinam ſoli errare, ſoli deſipere velint, dum diem noctem vocant, ſolem tenebras. Quanta caligo, quanta tenebrarum & errorum nubes pectora eorum obduxit, qui, cùm ſe maximè pios putant maximè apparent impij. Diffidebant Senatui, qui non alliciebat, ut illi objectabant, ſed docebat quid faciendum, probabat quid timendum, pericula oſtendebat. Doceant nunc illi è converſo, ſi quæ illis fiducia veritatis eſt, loquantùr, hiſcant, audeant diſputare nobiſcum aliquid ejusmodi jam profectò cum damno publico ab aniculis quas contemnunt, & à pueris noſtratibus error illorum, & ſtultitia irridebitur, quam nos videmus, illi ſcientes neſcire ſe monſtrant; imò inſinuant ſe in mentes innocentis populi, & inſtigant neſcios in furorem repræſentantes, quòd tanquam aliquando Græcia alios Deos coluit, ut prodeſſent, alios ne nocerent, dominari ut poſſint, ſervire volunt.

Quare

Quare Rex obviando ſuſpicioni alicui, quæ juſto poteſt niti fundamen- *A.C.*1701
to, expedire aliquem in Litvaniam, iterum concordiam aliquam tentando, determinavit; utinam ſanè ſincera hæc ſit intentio & votum, & ne ſint hæc mella venenum tegentia. Utique quæ traduntur myſterijs, tandem latè patebunt. Verbis inſiſtendũ, quando de intentione legislatoris dubitatur.

Deſtinatus ad hocce negotium perficiendum par cuique difficillimo, magno, & excellenti ingenio vir Stanislaus Sczuka Pro-Cancellarius Litvaniæ, qui, quamvis eæ res infiniti ſint ponderis, & immenſi laboris, ut, ſi quis illas perficere, & exequi firmiſſimè velit, tanta illi difficultatum copia exuberet, ut nec operæ modum, nec finem reperiat; ac proinde licet, quidquid laboris poterat impendi contemptis omnibus & publicis & privatis offenſis ad perficiendum hoc ſæculorum opus omne ſtudium ſuum contulit, non tantùm futura præcinendo, ſed etiam cohærentia loquendo, & tam clara argumenta adferendo, lucidaque, ut magis mirum eſſe videatur, tam obſcuram viſam fuiſſe illis veritatem, qui ſapientes vulgò putantur, & tamen ab errore, quo ſunt implicati, ad rectiorem viam nullatenus poterant revocari, abruptum ergo negotium, cum Pro-Cancellarius cogitaverit, quòd qui narrat verbum non audienti ſimilis ſit ei, qui excitat dormientem de gravi ſomno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat furioſo pacata, quid ibi dixerit & ille, & Palatinus Siradienſis tanquam ex parte Sapieharum mediator, adnecto libenter, quoniam in verbis ſuis agnoſcitur vir, cum non ſtat per eum ad quem pertinet, ut aliquod mandatum impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impletum fuiſſet.

SERMO EXCELLENTISSIMI DOMINI STANISLAI SCZUKA PRO-CANCELLARII LITVANIÆ AD STATUS M.D.L. 12mâ Octobris Grodnæ.

Non terreſtris, cujus ego indignus vices ago, ſed Dominus cœli & terræ, à quo, ſicut vos Domini mei, regimen nunc tenetis (omnis enim à DEO poteſtas) ſtet in medio frequentiſſimi congreſſûs, & omni-
, potenti Sanctiſſimi Spiritûs inſtinctu in corda omnium veſtrûm inducat:
, pax vobis.

, Non hæc neceſſaria eſt? ſi voluntas Domini DEI noſtri, uti certum
, eſt conſtituit vos terræ Principes, quis dubitat, quòd non ideo, ut move-
, antur rerum cardines à Patribus noſtris conſtituti, reganturque cuncta
, ſine legum metu, quas arma vincunt. Nec pro excitando armorum ſtre-
, pitu, ſub quo temporalis tantùm timor, & non fundamentalis conſtitui-
, tur ordinatio; jus eſt in armis; opprimit leges timor, ſed ideo præcipuè, ut
, ſub ſua ſancta benedictione devia & aſpera in vias planas convertantur,
, deteſtandæ cœlo pauperis populi angariæ poſt ultimam expellantur Thu-
, len, civibus pax detur, Patriæ quies.

, Eſtis Domini in hoc portu; aſpicite circumquaque Patriam veſtram,
, quid videbitis? niſi miſerias, calamitates, anguſtias? lachrymæ ubique fun-
, duntur; nihil reſtat, niſi ut infeliciter ſubditâ tectis pace altus ſepultas ob-
, ruat gentes cinis. Introſpiciat quiſque profundo in cor proximi ſui oculo,
, nonne veritatem teſtabitur, & dicet; ipſa ſe metuit, oditque poteſtas. Ma-
, lum non tranſijt, ſed in pejus mutatum eſt, obviam iri non potuit, dee-
, rant tempus & media, cum violenter & vehementer malum augeri cœ-
, pit, non vacabat vetus odiſſe malum, dum ſemper oriebatur novum, nec
, unum in uno. Ex his infelicibus conſtellationibus (perſonam non tango
, quia digna, & mille honoranda coronis) apparuit nobis novus, nobis nun-
, quam clemens planeta; ex proprijs quidem noſtris vaporibus, ex hæredi-

A. C. 1701 ,tarla noſtra terra, ſed quid dico terra? ex humillato capite noſtro non ,tantùm ſimilis altiſſimo ſed ſuperior eſſe omnino optans. Nonnè dolere ,& inclamare debet Patria, vidi Regij capitis diadema cum capite raptum. ,Creditisne Domini, quòd hoc verendum gentibus noſtris ſidus non ute- ,tur (DEus avertat) ulteriori diſcordiâ noſtrâ, ad confitendum nomini ſuo, ,quis DEus eſſe velit? Creditiſne in tali conjunctura in cœlo noſtro ſuas non ,quæſiturum ſtellas, ſuasque Perſeus aureus ſtellas habet.

,Et Rex Sveciæ jura omnia religioſius illi, quàm fidelius proprio Do- ,mino à nobis ſuſtentata nomine amici polluens, poteſtne quid deſidera- ,bilius optare, quam umbram diſcordiæ noſtræ? non eget tenebris & fu- ,rijs, non debet contra nos imprecari, veniat inviſum ſcelus, ſuumque lam- ,bens ſangvinem impietas ferox, errorque, & in ſe armatus furor. Videt ,jã hoc,habet, quod optavit, & obſtante hoc diſſidio, etiamſi optimis & San- ,ctiſſimis ad nos influat, & ingrediatur intentionibus, mutabit eas celeri- ,ter, in uſus non noſtros & relinquet nobis ſerum cavendi tempus in me- ,dijs malis; nolo de alijs non bene Patriæ noſtræ affectis loqui vicinis, uni- ,ca illorum ſalus non eſſe nos ſalvos. Non audeo alia externa in memori- ,am revocare pericula, caſus noſtros ex utilitate ſua, aut humiliantium, ,aut exaltantium in pejus; ſufficit, quòd antiquas non ſunt obliti inſcri- ,ptiones: o vicini! o amici! ſemper infidi. Hoc tantùm unicum exprimere ,poteſt verus zelus, quòd ſcilicet, ſi omnes inimici noſtri & terreſtres & ,plane infernales in unum congregarentur, nullum alium rebus noſtris o- ,ptarent ſtatum, miſcete cuncta, rapite in exitium omnia. Non hoc eſt tu- ,um iter, ſtirps magna Palæmonia, glorioſa Litvaniæ natio: monſtrâſti in ,omnes æternitates, quid ſciat ſuper liberos & æquales ſpretum jus æqua- ,litatis. Duos ferrum æquales facit; aſſecuta es labore magis humano decus, ,caram, & à ſæculis exoptatam cum Regno Poloniæ jurium coæquationẽ, ,quid ergo tibi deeſt? pectora longis habetata malis jam ſollicitas ponite ,curas Hâc die, hâc horâ, hoc momento deponite ex cordibus veſtris, ,projicite ſub pedes cruci affixi Dei noſtri periculoſam ſatis teſſeram, tan- ,tùm poteſt, quantum odit; Reinducite ad omnes,majores & minores ex- ,optatam reintegration m inter cives, conſtituite ſecuritatem univerſi, mo- ,net id antiqvus Polonus Fredro; periculum eſt, ne, dum fiunt ſeditiones ,cordium, diſſecetur & corpus. Conſtituite in terrorem omnium inimico- ,rum, inite concordiam, inducite tam neceſſariam tranquillitatem domi, ,detur aliquando otium, quieſque feſſis.

,Exigunt & requirunt hoc ipſum omnes ſupra nominatæ conjectu- ,ræ, & gravia jam nobis ſuperimpendentia pericula; Nemo ſe tutò diu ,periculis offerre tam crebris poteſt. Neceſſitat hoſpitum adventus pa- ,cem reduci velle victori expedit. Requirit ipſe DEus, & Chriſtiana o- ,bligatio in ignoſcendis reciprocis offenſis, quodſi invicem mordetis, & ,comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini.

,Opus eſt, imò neceſſe eſt extinguere hunc ignem, penes quem tan- ,quam nix pauper populus liqueſcit, & cum illo totum Regnum, Domi- ,nus enim dicit; Exurgam propter gemitum pauperum. Non debet ti- ,mori eſſe ne cadat coæquatio jam confirmata, ſi cedere etiam de illa ,velletis, Regnum Poloniæ nonpermittet. Ordo jam ſtabilitus in pace per ,Tribunal coæquatum, & in bello per repartitionem conſtitutam, vin- ,dicta neq; eſſe, neq; apprehendi poteſt, quia idipſum cavebitur, nomi- ,ne publico ſub rei peractæ nullitate. In reliquo dato non conceſſo ,caſu, nonne hæc ipſa reget vos virtus & honeſtas? an tam citò poſt tot ,memoranda exempla extingvi poterit ferox DEORUM terra, quem Do-

minum

, minum times. Invenit nunc heroica veſtra reſolutio, & inpoſterum, ſi A.C. 1701
, neceſſe foret, inveniet viam, aut faciet. Credendũ item fortiter DEi effato,
, quia non derelinquet Dominꝰ virgã peccatorũ ſuper ſortẽ juſtorũ. Acce-
, dit ad extremũ Sacra R. M D. N. C. nõ poſtremo, loco ſed pro rerũ ponde-
, re circumſpicit õnes malas, & periculoſas undiq; conſequentias, moven-
, tes cuncta divinat, metuitq; caſus, mobiles rerum, dubiumq; tempus.
, Et hinc voce Domini vel demiſſo imperio, precatur vos per ſacra omnia,
, ſit irarum modus pudorve, rogat per ſacratum caput ſuum, ad quod his
, mali gradibus ſacrilega adjecit tentatio ad dethroniſandum, ad quod o-
, mnis malitia tanquam ad metam properat, tanquam Rex noſter aſſum-
, ptus amore & electione aliter non poſſet tenere coronam, niſi turbine
, civili, invidia factum ac ſermo propularis premit. Educite proindè Re-
, gem veſtrum ex tam peſſimis opinionibus, dando & ineundo internam
, pacem quam cum vita ſua & imperio æqualiter optat. Erubeſcat ini-
, mica & pudenda Regis externi invitatio, & fieri id poteſt ſine ferro, ab-
, ſcondendo illud in vaginam, mutando motus animi in vices concordiæ
, & amoris. Subſequetur pòſt ſecuriſſima perſonæ Regiæ contra omnia
, molimina defenſio, quia ſicut ſine unitate in campo electorali ſecurus
, eſſe non potuit, fraternis enim odijs Reges & Regna naufragantur, ſic
, in hac unione ſuam & Regnorum ſuorum deponit ſecuritatem: certus
, eſt immobilis ſemper glorioſiſſimæ nationis Litvanicæ affectus, & quod
, ex hoc ipſo congreſſu adinſtar Palatinatuum Regni vitam & ſangvinem
, pro integritate Regia offerentium eriget unitorum cordium umbonem,
, qui eſt Spartanorum more murus aheneus, præcipuum fidei & devoti-
, onis exemplar, quod nulla taceat ætas.

, Interponit verò S. R. M. ſe ipſum vadem negotijs feliciter confici-
, endis, quidquid hic & mutuo conſenſu conſtituetis, & ſcribetis, confir-
, mabitur publico applauſu, & pagina nunquam temeranda erit; ſi verò
, quiſpiam inveniretur (avertat Majeſtas divina) cui placeret ulterius diſ-
, ſenſionum ſpatium. Suggerit paterno & Regio monito, maturæ reflexio-
, ni præter omnes ſuperius nominatas peſſimas circumſtantias, quod nego-
, tium hoc, & diſſidia ſint inter vos ea, quæ tota Reſpublica veretur, me-
, tuit, &, (abſit verbo injuria) deteſtatur; negotium eſt cum his, quos jam
, viciſtis; dolendum id bellum gentis, in quo optimum eſt vinci. Ducit om-
, nes & conjurat, invitat omnes & quemvis ad idem ſecum ſentiendum, ad
, reciprocum amorem in publicum claris Apoſtoli verbis: implete gaudium
, meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipſum
, ſentientes.

, Quod reliqvum eſt, ponit ante oculos amorem filialem, repræſentat
, Patriam matrem, quæ lachrymabunda coram vobis comparet, & exem-
, plo flentis ad filium dicit matris: Patriam petendo perdis ut fiat tua, vis
, eſſe nullam. Interponit pro illa pias, juſtas, & jam ultimas Regias preces,
, uti ad proprios filios; Sancta, ſi pietas placet, donate matrem pace.

SERMO JOANNIS ODROWAZ PIENIAZEK PALATINI SIRADIENSIS IN SESSIONE GRODNENSI.

COmparens in medio moderni Conventûs, in hac Excellentiſſima Illuſtriſſima, & ampliſſima, Magnorum, Celſiſſimorum, Illuſtriſſimorum, Perilluſtrium, nominum coronâ aſſumo vocem & ſermonem meum
, inprimis ordior ab invocatione & adoratione ſupremi numinis Divini, In-
, vocatione hujus Domini Dei, qui licet, in magnitudine innumerabilium
, attributorum divinitatis ſuæ, habet innumerabiles titulos; attamen inter
alios

*A.C.*1701 , alios gaudet eo nomine. Dominus Deus exercituum, eſt nomen ejus, hu-
, jus Dei, qui potens eſt, ex lapidibus formare filios Abraham, cujus om-
, nipotentiæ omnia ſubiacent. Invocatione hujus, qui gravibus offenſis po-
, puli ſui electi & dilecti, excitatus ad iræ furorem in Synagogam, & cir-
, ca eam numeroſè, & turmatim ſtantes, devorantem immiſit de cœlo i-
, gnem, & Angelo ſuo ad internecionem delere juſſit, ſicuti in momento va-
, ſtator gladius, viginti millia hominum ſtravit Quo viſo Rectores & Duces
, populi DEI, duo Epiſcoporum, Moyſen & Aaron arrepto in ſe Ephot, hoc
, eſt Epiſcopali ornatu, acceptis in manus ſuas thuribulis, Igne ſacro, &
, thure impletis, immiſti medijs devorantis ignis flammis, impoſito thure
, in ſua thuribula exclamarunt ad Dominum DEUM ſuum, O DEUS! num-
, quid uno vel altero peccante, deſæviet furor tuus in omnes, aut parce,
, aut dele nos de libro viventium, ille zelus & amor erga concreditum ſi-
, bi à DEO populum ita placuit, & ligavit DEI miſericordiam, ut ignis cun-
, cta devorans, in momento extingveretur. Gladius vaſtator in vaginas ab
, Angelo impoſitus, & ſcribit ſcriptura DEI quòd ceſſavit plaga. Incipio ſer-
, monem meum, ab invocatione hujus Domini DEI, de quo Princeps Apo-
, ſtolorum & Doctor gentium, Paulus S. ſcripſit. Ipſe eſt primogenitus fi-
, lius DEI, Princeps Regum terræ, qui ex amica incomprehenſibili bonita-
, te ſua, nullo merito conditionis humanæ, per incarnationem naturæ di-
, vinæ in carnem humanam non tantùm extulit nos ex inferni potentiâ &
, fecit cohæredes Regni ſui, ſed quod magis, mancipia & ſervos iræ DEI,
, adoptavit in filios DEI. Huic ergo DEO Regi Regum & Domino Domi-
, nantium indignus humiliter ſupplico, ut vicariæ in terris ſuæ poteſtatis
, Sereniſſimi Regis Domini noſtri clementiſſimi curas, & ſollicitudines pro-
, bono pacis benedicat, ut zeloſa ejus interpoſitio in promovenda tranquil-
, litate publica, per magnum Oratorem ſuum digniſſimum Miniſtrum ſta-
, tûs hujus, M. D. Litvaniæ diſertiſſimo & ponderoſo ſermone inſinuata,
, animis, & pectoribus veſtris, ſuum deſideratum recipiat effectum, ut cha-
, racter Sereniſſimi Regis Domini noſtri Clementiſſimi, procurandæ ſalutis
, & tranquillitatis publicæ, magis radioſus, & lucidiſſimus ſupra pretioſos
, lapides, & clenodia decorantia diadema Regium, deſideratiſſimo votorum
, ejus ſucceſſu reſplendeat, & ſanctas ejus coronet intentiones. Quia ſicut
, S. R. Majeſtati Domino noſtro clementiſſimo obligamus ſubjectionem, ſub-
, miſſionem ita S. R. Majeſtas Dominus noſter clementiſſimus, jurato vin-
, culo huic Regno legibus & juribus illius ſe aſſecuravit, quòd pacem publi-
, cam & tranquillitatem, inter cives aſſeret, proteget, tuebitur, & defendet.
, Fervida pietas præſentium hic Reverendiſſimorum Epiſcoporum, ſicut A-
, aronum hunc ignem diſſidij civilis & animorum inſignis Provinciæ, non
, extinctum hucuſque, extingvat, ut amplius fraternus, & Chriſtianus ſan-
, gvis non ſcaturiat. Vaſtator gladius ut in vaginas immittatur, & ceſſet pla-
, ga. Et ſi illum præſidium Patriæ, evaginare juberet, ſatius mucronem ſu-
, um vertat in hoſtes, & ſclopeta, & omne genus armorum, quæ viden-
, tur in manibus malevolorum vicinorum, ad invidiam, elatis minari juribus
, immunitatibus vitæ, & fortunæ hujus Reipubl. extremum excidium, a-
, liquam prædominationem in diſcordijs civilibus & aliquomodo in hoc in-
, fortunio, ſubmerſionem Patriæ. Conciliet DEus ita corda veſtra, ut per
, mutuam concordiam, ſit bona pax, ſecura, honeſta, juribus Patrijs con-
, formis, adſerens cunctis, & ſingulis benedictionem, quibus plus offerre non
, valeo, tantùm ſincerum fidele, promptum ad obſequium cor, illibatam
, conſcientiam nullâ paria litate, & paſſione laborantem, ſed ſolum bonum
, & felicitatem communem, tam Regni, quam M. Ducatûs Litvaniæ, præ
, oculis habentem & promoventem. Dico in ea fiducia, dum ſpero, quòd
nemo

, nemo reperietur in hoc inſigni gremio veſtro, qui in pacificatione ab *A. C.*1701
, intra tam ſalutare non cupiat opus. Loquor in fiducia ſinceri animi,
, applicationis magnæ domûs, Sapieharum volentium reintegrationem,
, & ſtabilem conſtitutionem, dum per nos ad communem ſuam matrem,
, cum debita veneratione illius recurrunt, & in ſinum ejus reponunt
, hoc ſtudium, per nos ad hanc ſpartam mediationis petitos, quod abun-
, dè porpenſi, hoc obſequium ſuſcepimus. Compareo invicem cum Suc-
, camerario Chelmenſi, non alio inſignitus charactere tantùm ſub um-
, bra authoritatis Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clemen-
, tiſſimi, in charactere vocationis ex magna & emerita domo Sapieha-
, rum &, magnarum Domuum in col igatione, etiam vobiſcum exiſten-
, tium, ex charactere Senatorij Officij, quòd ſicut eſt intermedium in-
, ter ſtatus, ita illius eſt muneris, quotiescunque aliquæ d ffi entiæ, dif-
, ferentiæ, & diſſenſiones inter ſtatus interveniunt, intermedie haberi
, ad illos, mediare, & inter diſſonantiam illorum, ut conſona ſint, ope-
, rari, & ad felicem concordiæ, unionis adducere centrum. Quod tan-
, git alias propoſitiones, nullas habemus nobis commiſſas, niſi ut illos re-
, commendemus favorabili gratiæ veſtræ. Idem quod S. R. Majeſtas D.
, N. Clementiſſimus ex ſpecula prudentiæ & providentiæ ſuæ Regiæ,
, per Plenipotentem Commiſſarium & Miniſtrum ſtatûs vobis inſinuat,
, precamur, ut quodcunque diſcordia, internè in juribus & animis de-
, finivit, præſens actus ſolennitate reuniat. Ut hoc ſalutare opus felici-
, ter, & ſecurè procedat, pe imus ſecuritatem poſtæ & perſonarum illa-
, rum partium commanentium hic, vel euntium inde, & quomodo in
, hoc negotio ulterius volueritis progredi, propenſionem verò noſtram
, militantem ſub auſpicijs S, R. Majeſtatis Domini N. Clementiſſimi, ab
, illius Regiâ authoritate, noſtrum participantes derivamentum reſigna-
, mus gratioſis affectibus veſtris pleni ſpei, quod, non ſteriliter ex gra-
, tia veſtra recipietur, ſed honorem Regis, deſiderium legis & expecta-
, tionem totius Reipublicæ, & orbis ſuſpicientis in præſentem actum
, ſolabuntur, & contentabunt, ut tutò tota Patria hoc poſſit gloriari
, & laudare coram univerſo orbe, quod ex hoc feliciter finito congreſſu,
, in hoc inſigni Regno Poloniæ, & annexarum ad illud Provinciarum pax
, & juſtitia, oſculatæ ſunt, & Deus eſt in nobis,

PROJECTUM TRADITUM IN SESSIONE GRODNENSI, PER VICE-CANCELLARIUM M. D. L. AD ULTIMUM REMEDIUM CONCORDIÆ.

Cooperatione & gratiâ Domini DEI cui ſit æterna laus & gloria, authoritate Sac. R. Majeſtatis Domini N. Clementiſſimi, per Stanislaum Szczuka Procancellarium Litvaniæ, & Commiſſarium ſuum Plenipotentem, mediatione Sanctiſſimi Papæ Clementis XI per Reverendiſſimum Conſtantinum Brzoſtowski, Epiſcopum Vilnenſem, interpoſitione petitorum amicorum Illuſtriſſimi Domini Joannis Odrowąz Pieniązek Palatini Siradienſis, & Magnifici Domini Romanowski Succamerarij Culmenſis Capitanei Wiſzlunenſis, ad ſera tempora facta eſt immota nunquam gentis M. D. Lit. mediatio.

, Siquidem Domus Sapiehana ex perſonis ſuis, & amicorum omnium,
, ad ſe pertinentium, mutuæ charitatis, & publicæ quietis medijs per-
, penſis, ad gremium communis matris, Patriæ propriæ M. D. Litvaniæ
, ſicut inſignes & boni filij, redeunt, ergo amore & ſinu aperto, ejuſdem

matris,

A.C. 1701 „matris, ſuſcepti ad bona omnia ſua, cum amicis ſuis, pleno jure reſti-
„tuuntur, ad quæ reddenda à finito actu præſenti, poſt duas hebdoma-
„das Commiſſarij deſignantur NN.

„Iidem DD. Sapiehæ, cum amicis ſuis ad munia & honores geſtos
„in Patria, obſervatâ juxta leges Patrias ſecuritate admittuntur, ita ta-
„men ut propter invalidationem & inductionem debiti ordinis, juris co-
„æquationis, erectus exercitus, qui ex neceſſitatibus & circumſtantijs
„ſtatûs præſentis conſervari debet, & conſervatur, ad expirationem tem-
„poris conſtitutionis Olkienicenſis, ſub Regimine Generalis Colonelli M.
„Ducatûs Litvaniæ Principis Michaëlis Korybuth Wiſniowiecki Capita-
„nei Clinianſcenſis, Mareſchalci Tribunalis M. D. Litvaniæ cum debi-
„ta & omnimoda diſciplina militari, maneat ſine omni à quocunque &
„qualicunque modo, impedimento. Pro quo Palatinus Vilnenſis præbe-
„re debet conſenſum.

„Debita omnia & prætenſiones ad Domum Sapiehanam, ut eo ci-
„tiorem juſtitiæ ſanctæ viam habere poſſint, in tribunali M. D. Litva-
„niæ ex ſpeciali regeſtro, qualibet ſeptimana ſcilicet feriâ quartâ & fe-
„riâ quintâ judicari & diſquiri debent, termino peremptorio, cum in-
„dilatâ ſatisfactione, & executione, juxta legem coæquationis, circum-
„ſcriptâ cauſâ actûs, ut Sapiehæ, cum amicis ſuis ſecurè in judicio
„comparere poſſint, omnes proceſſus & condemnationes, in perſonis il-
„lorum, & amicorum ipſorum amoventur.

„Aſt quoniam inter has prætenſiones magni ponderis, & conſequen-
„tiæ, involvitur cauſa pupillaris, cum jure tutelæ cum alijs circumſtan-
„tijs Principis Caroli Radziwil Cancellarij M. D. Litvaniæ, tunc pro fi-
„nali pacificatione illius, deſignatur arbiter ſupremus Illuſtriſſimus &
„Reverendiſſimus Epiſcopus Vilnenſis cum duobus è gremio Deputa-
„tis, qui factâ obdeſtinatione, tam partium ad hoc pertinentium, quàm
„etiam præfatæ Principis Neuburgenſis Caroli Neoburgici Patris, ob-
„ſervatis juribus & ſtatutis M. D. Litvaniæ, quodcunque ſtatuent, pro
„firmo & inviolabili eſſe debet in perpetuum,

„Bona verò omnia, quæcunque Domus Sapiehana jure nullo poſſi-
„debat, & modò ſunt reſtituta proprietarijs, ita ut Czereia in debito
„theſauri, conſervantur circa legitimam ac debitam poſſeſſionem, ſalvâ
„tamen Domûs Sapiehanæ, ſi jus ſuum deducere poſſit in eodem tribu-
„nali M. Ducatûs Litvaniæ, & ex eodem regeſtro ordinariâ juris viâ,
„præcuſtodiâ. Contractus theſauri, ſicut & aſſignationes ex moderno ſta-
„tu promanantes ut nullum ſit obſtaculum, in ſalvo & integro conſer-
„vantur, cum debita omni ſatisfactione ad futura DEO dante comitia.

„Injuriæ & læſiones omnes ab utrinque, & quod hactenus factum,
„verè & Chriſtianè, ex cordibus ſuis ejectis, & ſub pedes Crucifixi Do-
„mini DEI depoſitis, & viciſſim ſibi donatis, æternâ oblivione & amni-
„ſtiâ, ſepeliuntur.

Securitas omnium invicem perſonarum reducitur, ad reintegratio-
„nem juris Patrij, & rigoris legum, ſi verò poſtliminio, qualicunque præ-
„textu vindicta, ad quamcunque perſonam (avertat DEUS) reſtitu-
„tâ primitate, & potentiâ oſtendi debeat, aut paciſcentiæ hujus in ali-
„quo læſio, & coæquationis repartitionis, ordinis ſanciti, læſio inſequa-
„tur, ergo hæc omnia reintegrare cavent ſibi ſtatus M. D. Litvaniæ,
„libero communis motûs congreſſu, pro quo Sacra Regia Majeſtas Do-
„minus N. Clementiſſimus, extradere dignabitur univerſales; & in ca-
„ſu talis mali (quod non putatur) vetant. Ad talem verò communem
motum

, motum, omnes ſpectabunt, ſub rigore legum, de expeditione bellica ir- *A.C.*1701
, remiſſibili.

,Quod ſancitum & pacificatio, utinam feliciter, pro firmitate rei
, peractæ, ad perpetuam legum obſervantiam, in comitijs futuris debet
, in volumen conſtitutionum inſeri, & exprimi typo. Et modo propter
, meliorem fidem, manibus omnium, ad ſtatum præſentem pertinenti-
, um ſubſcriptum eſt. Datum Grodnæ 25 Octob. 1701.

RESCRIPTUM AD INSRUCTIONEM SERENISSIMI REGIS Domini Noſtri Clementiſſimi, datam Illuſtriſſimo Domino Stanislao Szczuka Procancellario M. D. Litvaniæ, Lublinenſi, Warecenſi &c. Capitaneo Commiſſario Plenipotenti Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, à nobis ſtatibus M. D. Lit. in Conventu Grodnenſi congregatis die 28 Octob. Anno 1701

ATteſtamur fideles ſubditi Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi, quod ab apprehenſione ſceptri Polonici, ſinceram experimur applicationem, ad id ſolùm ut ſit bene omnibus. Do-
, cumenta adducere non eſt neceſſum, ipſa in propatulo palpantur, quo-
, modo pacato orientali bello, cum hoſte crucis ſanctæ, aſſiduæ coope-
, rationis exercentur, ut redeat huic Patriæ florida quies, civium con-
, cordia, & omne deſiderabile, quod cum Domino felici, benefico, cle-
, menti, bellaci fideles ſubditos manere poteſt. Ecce & modo experimur
, paternum S. R. Majeſtatis D. N. Clementiſſimi amorem, dum pro ſo-
, piendis differentijs, inter ſtatus M. Ducatûs Litvaniæ, & Dominos Sa-
, piehas cum charactere Plenipotentis Commiſſarij, delegavit in hunc
, congreſſum Illuſtriſſimum Dominum Pro-Cancellarium M. D. Litva-
, niæ, pro quo, ſicut humiles S. R. Majeſtati Domino Noſtro Clemen-
, tiſſimo ferimus gratiarum actiones, ita & affari debemus, ut quod po-
, tuit adinvenire melius prudentia conſummatiſſima, quod fingere ſoli-
, dius activitas incomparabilis, quod proponere ardentius perfectio ma-
, turiſſima, hoc omni Illuſtriſſimus Dominus Pro-Cancellarius M. D.
, Litvaniæ quaſi in unam compagem congeſto, vicit, & vinxit corda no-
, ſtra, ut in propoſitas perſvaſiones, videremur eſſe in portu intentorū
, ſanciorum S. R. Majeſtatis optatæ pacis, aſt adhuc videmus nos divi-
, na diſpoſitio, pro peccatis noſtris, in eodem voluit haberi ſtatu, quod
, quomodo actum, ſicut in fidiſſimam referimus nos Illuſtriſſimi Domi-
, ni Commiſſarij Plenipotentis relationem ita inſtantaneè de hoc ipſo Sa-
, cræ Regiæ Majeſtati Domino Noſtro Clementiſſimo deferendo, diſtin-
, ctam legationem, à congreſſu moderno expedimus.

,Penſionem Szawelſcenſem non ſolutam ſicut materiam ad comitia in- *Penſio Szawelſcenſis*
, tegra pertinentem ſiquidem modo nulla in magno Ducatu Litvaniæ ſunt
, lauda, quia ſeponere placet, patienter Sacram Regiam Majeſtatem Do-
, minum Noſtrum Clementiſſimum petimus expectare.

,Summa Teloniorum antiquorum M. D. Litvaniæ, pro duobus an- *Telonia*
, nis centum millia S. R. Majeſtatis menſæ debita quia hæc contributio,
, propter expenſas magnas pro exercitu M. D. Litvaniæ exolvi per Magni-
, ficos Dominos Adminiſtratores Teloniorum non potuit, petimus Sacram
, Regiam Majeſtatem gratioſum interſtitium, quod in altera currentia tri-
, buti exolvetur.

,Domini Leyman intereſſe, ita expeditur. Telonia S. R. Majeſtatis *Leyma Telonarius*
, ſunt jam apud Adminiſtratores, qui contractus ullatenus immutari non
, poteſt, ſummam datam pro contractu, poſt Olkienicenſem omnem perce-
pit,

*A.C.*1701, pit, & hoc tenendo ad Martium, primum ſemeſtre, quia verò ulterius, ,non detinuit, ipſe ſibi in culpa, dum contractui & reverſali à ſe dato non ,ſatisfecit, quia non confecit veſtimenta pro decem millibus imperialium, ,ultimis Martij, quæ ſe confecturũ appromiſerat, ſub nullitate contractûs. Jã ,ergo in hoc ſatisſit in pacto, ſine damno tamen Domino Leyman quod ,libet totum ſemeſtre ceſſit in ſortem pro recompenſa datæ ad rationem ,ſummæ.

,Debitum in Czereia jam fuit ſopitum, & habuit in poſſeſſione ſua *Leyman pretenſio in Czerejam.* ,Dominus Leyman traditam ſibi a Commiſſarijs & ſtatibus M. D. Litva-,niæ partem Czereiæ, ignotum quali modo aliquis alius occupavit, expul-,ſus ante omnia reſtituatur, nihil æquius, ad hoc vero Dominus Leyman ,devenire non poteſt, niſi viâ juris, per adcitationem ubi de jure competierit.

,Debitum Domini Leyman ab Illuſtriſſimo Domino Palatino Vilnen-,ſi, Mareſchalco Magno vindicari non poteſt per ſtatûs M. D. Litvaniæ; ,tantùm ut viâ ordinariâ in tribunali agat D. Leyman, & cum cæteris de-,bitoribus ad Poſſeſſionem bonorum veniat.

,Cætera ſicut probatæ prudentiæ Miniſtri ſtatûs, alto judicio, & fi-,deliſſimæ noſtræ erga Sacram Regiam Majeſtatem propenſionis, rela-,tioni committimus, ita ſinceritatem noſtram ſubjectam pro honore Re-,gio ſanguinem & ſalutem noſtram, & ſi quid his carius eſt, litare decla-,ramus. Datum Grodnæ ut ſupra.

INSTRUCTIO AD S. R. MAJESTATEM D. N. CLEMENT: à nobis inferius ſpecificatis, tam per conſtitutionem Generalem ſub Olkieniki deſignatis, quàm & modo, ex omnibus Palatinatibus & Diſtrictibus M. Ducatûs Litvaniæ Grodnam die 26ta pro conventu conſilij publici, authoritate Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi, approbato congregatis, data Magnificis Dominis Legatis Noſtris Perilluſtri Magnifico Domino Oginski Theſaurario Magni Ducatûs Litvaniæ, & Magnifico Domino Krajewski, Commiſſario Orſzanenſi.

NOn tantùm ad vocem Domini, non in tonitru, aut fulgure, aſt palàm lucem amoris experiendo, ſed etiam propriâ non declaratâ unquam, erga S. R. Mtem D. N. C. perciti virtute comparemus cum ,debita uncti Domini adoratione, ſimul etiam plena cordium purorum & ,intaminatorum, ac ſi coram Domino & Patre, claritate, quod dum ab ini-,tio Dominationis ſuæ S. R. Mtas D. N. C. verum Patrem gerit, & conſu-,lit cunctis inſomni ſemper circa bonum commune vigilantiâ, univerſorum ,redimit quietem, ſic eos magis modò Paterna amplectitur providentiâ quos ,jam opprimit malitia fati. Jam non tantùm feudalis provincia Regni S. R ,Mtis, Ducatus Curlandiæ gemit ſub armis Exercituum Sveticorum, dum ,in illo Nobiles diſarmant, tributa gravia extorquent, arces fortificant, obe-,dientiam Dominis debitam ſubditis inhibent, ſacra & profana violant, ſed ,etiam ipſa rabies dilatatur in viſcera Ducatus Litvaniæ, ſicut minora cli-,mata, & præcipuè Ducatus Samogitiæ, & Diſtrictus Braclavienſis, eandem ,patiuntur ſortem, & ulterius Magno Ducatui Litvaniæ proponunt. Pa-,terno S. R. Mtis D. N. C. inſinuabunt cordi Legati noſtri, & inſimul ne det ,gentem ſuam in prædam, & opprobrium externis gentibus exorabunt, ſal-,vis per omnia juribus unionis, & libertatis. Exprimient etiamnum profun-,dum in cordibus noſtris doloris ſenſum, quod ſic exceſſit modum furor Sve-,ticus, dum non tantùm fortunas liberorum civium, ſed etiam infractas Re-,ligioſas, ut eo ſtrictiores quo liberiores conſcientias violare præſumpſerat,

ex ve-

„ex veris cultoribus Domini ſui, volendo alienorum DEorum an etiam *A. C.* 1701
„ Idololatras efficere, ignominioſo ſibi, & non Polono Monarchæ, quem
„ tutatur amor civium, nocent ſtylo, pro cujus Majeſtate vitam & ſan-
„ gvinem immolare parati ſumus. Et ſicut in illo per paternas gratias &
„ ſolicitudines, vivimus omnes, & movemur, ita viciſſim S. R. Mtas D. N.
„ C. ſpiritus vitalis, menſque unica, Regum omnium vita, & vitam vivat,
„ hoſtes ſuos vincat, in Polonico perennet throno unanimi precamur voto.

„ Paternæ verò bonitatis S. R. Mtis D. N. C. notabilia documenta,
„ ſicut moderna tempora in ſtuporem rapiunt, ita feræ poſteritati ſol-
„ vent in præconia lingvas, quando volendo ut maximus, ſic optimus vi-
„ deri, hos etiã quos vanus impetus, ex malevola, & non juſta colliſione eliſit
„ è corpore gentis noſtræ, vult reunire corpori. Et quos vindicta ma-
„ nebat, deſperare vetat. Et poſſemus ne in aliquo magis ſequi juſſa Pa-
„ tris S. R. Mtis, quam inducentia armorum compagem, videndo hæc eſſe
„ duo fulcra, quibus maximæ innituntur Monarchiæ. Fortitudo in hoſtes
„ & domi concordia, & dum ſincerâ deſudamus applicatione, qualiter
„ tollere vitia, ſanare vitioſos, ecce animus meminiſſe horret, fidelium
„ ſubditorum ſæva inperniciem boni publici, & everſionem ſtatûs Sapieha-
„ rum intentio, magis aduritur nefas per authenticum documentum ma-
„ nibus proprijs illorum ſubſcriptum pro inductione Svecorum & ab-
„ renuntiatione homagij S. R. Mti D. N. C. formatum, & ſic quod exter-
„ ni Principis ferox levitas præconceperat, hoc inveterata & conſveta er-
„ ga Mtem Regiã & libertatẽ nobilitatis illorũ malitia adimplere ſtatuerat.
„ Et quamvis jam cum notatis crimine perduellionis actu ipſo comproba-
„ tæ diſſerere de fœdere pacis non liceret, tamen ſincerâ & vera coope-
„ ratione Illuſtriſſimi D. Procancellarij M. D. L., ſicut plenæ poteſtatis S.
„ R. Mtis Commiſſarij, repoſito hoc actu ad comitia, volendo repræſen-
„ tare orbi juſtè incipi & finiri bella, & quòd non ſaturamur hoc tur-
„ bine rerum, ad magna media, quæ tantùm reſtituere poſſent excuſſam
„ pacem orbi, hanc tamen ſecuram, ut eſſet pax non pretij, ſed virtutis,
„ & jam ſuſpenſis pœnis peculatûs, adhuc in pacifico ſtatu, per declara-
„ tiones in illis obtentis prætenſionibus, etiam uſurpatis injuſtè per tem-
„ pus miniſteriorum hybernis, poſſeſſis ſub tempus interregni Oecono-
„ mijs, converſis in uſum proprium Reipublicæ tributis, reſtitutionem
„ bonorum declaravimus, ſi concomitaretur ſatisfactio injuriatorum, ad-
„ æquat numerus octo milliones excepto debito creditorũ bona poſſidentiũ,
„ & adhuc non comparentium cum ſuis prætenſionibus Senatoriorum e-
„ tiam ſubſelliorum, plenam capacitatem non impediendo nec etiam præſ-
„ ſè depoſitionem Miniſteriorum, ſed tantùm ſeriam circumſcriptionem
„ regiminis illorum, & hoc ad tempus prætendendo, quod vitam & for-
„ tunas noſtras jugulare poſſet, & majora ſangvinis nobilis cauſare dilu-
„ via, & præſertim aperte videndo eorundem cum Sveco cointelligenti-
„ am, quia quisque ſaluti providet ſuæ, & quæ juvant petit, læſura for-
„ midat, in omnes tamen plenos charitatis deſcenſus cor induratum præ-
„ buerunt, in minimo publico nihil condonando bono in una tan-
„ tùm ambitione ſua, & externa collocando ſe protectione, volendo ve-
„ nire ad eum gradum potentiæ, ut tot ſæculis quæſitam, & ſub Augu-
„ ſto nomine S. R. M. D. N. C. vindicatam libertatem, & gloriam gen-
„ tis noſtræ, Majeſtati gloriæ amiciſſimè devinctam, optimo ordine con-
„ *ſtitutam*, diſrumpere & annihilare, liberas cervices nobilium ſub an-
„ *tiquo* jugo tenere, & ſangvine illarum poſſent ultrices implere iras, om-

A. C. 1701. , nes vias & media accommodata ad concordiam rejecerunt. Et ſic o-
, mniũ vota pacem clamantium in tædioſo reliquerunt ſtatu, ulteriorem
, ergo diſcordiæ ſtatum ſicut nobis nulla poteſt imputare criſis, ita, ut
, S. R. M. D. N. Clementiſſimus fidelibus ſuis ſubditis ſit præſidium, por-
, tus & aura favens, Magnifici Domini Legati ſupplici exorabunt cultu.

Gratia pro evacuatione militis , Et inprimis humiles deponent gratias, quòd populorum vota, civi-
, um coronavit deſideria per evacuationem ſine regreſſu exercituum exo-
, ticorum extra limites Regni, quia hæc eſt boni Patris & Domini effigi-
, es dum illi explicuiſſe & obtinuiſſe licet petita.

Diſtrictus Rzeicenſis vaſtatus , Immenſos dolores fratrum noſtrorum Diſtrictûs Rzeicenſis in ſi-
, num etiam S. R. Mtis D. N. C. jecimus, cujus curas ad hoc centrum
, directas videmus, ut quemlibet ex ſubditis dulcis, & tranquilla ſaturet
, quies. Neſcimus ergo, quo numine læſo, tranſeuntes Coſaci ſub Rigam,
, adeo huic Diſtrictui fuerunt graves, ut relicta veſtigia variarum vio-
, lentiarum, & oppreſſionum non hoſpites probent. In quo ut S. R. Mtis
, D. N. C. authoritas, non lædendæ publicæ tranquillitati ab hac gente
, & rebus medeatur læſis expoſtulabunt Legati.

Intereſſe Principis Jacobi , Non extincta ex dulcedine recordationis felicis Dominationis Sere-
, niſſimi Monarchæ d. m. Joannis III in cordibus noſtris, quàm ardentiſ-
, ſimè ad S. R. Mtem Dominum N. Clementiſſimum fundent vota, ut in-
, tereſſe Sereniſſimi Regij Principis Jacobi, pro juſtitia & dignitate Sereniſſimi
, Regis Domini N. C. poſſit eſſe totaliter acquietatus, per quod & com-
, tiorum facilitabuntur deſideria.

Aggravationes in Oeconomijs , Depoſita in medium S. R. Mtis D. N. C. per ſupplices libellos Ma-
, gnificorum Dominorum Donatariorum Grodnenſium, Mohilovienſium,
, Brzeſtenſium, Kobrynenſium, Olitcenſium, per Plec, & milites ejus Saxoni-
, cos, quod contra jus Diſpoſitionum Oeconomicarum, titulo requiſitionis,
, intereſſando ſe ſtatui Nobilitatis, impracticata, cum plebeijs æquando im-
, portant onera, hybernas & portiones, ſicut nunquam in praxi viventibꝰ
, Anteceſſoribus S. R. Mtis D. N. C. fuerunt, forti militari manu exigunt,
, Pro Commiſſarijs, luſtratoribus, ignota nomina Saxones, ad ſuperinten-
, dentiam inſtituunt, cum abrogatione juſtitiæ, aggravatione nobilitatis, de-
, ferent Legati, quàm humillimè exorabunt, ut S. R. Mtas D. N. C. ſtatũ
, Nobilitatis ab hoc onere liberare dignetur, & inſiſtendo pactis conventis,
, & conſtitutioni ultimæ conſiliarios & homines Saxonicos, à rebus & con-
, ſilijs Oeconomicis removeat, & Nobiles bene poſſeſſionatos aſſignet.

PP. Camedulorũ oppreſſio , Auget inſtantias & dolores noſtros in eadem Oeconomia Grodnenſi,
, gravis oppreſſio Patrum Camedulorum de occupatæ per Dominum Le-
, bnicž fundationis collatæ illis adhuc à Sereniſſimo Rege Sanctiſſimæ me-
, moriæ Caſimiro, conſtitutionibus, & commiſſionibus approbatæ, & non du-
, bitamus quòd tanget medullam cordis S. R. Mtis D. N. C. quem hucuſ-
, que omnes gentes videre pium, videre fidelem, in conſervandis juribus no-
, ſtris, in quo ſimul provida placentinorum exorbitavit curioſitas, ex bonis
, DEO conſecratis Oeconomiam amplificare volens, ignara legum Patriæ.
, Quod Oeconomiæ nec augeri nec minui debent, hoc S. R. Mtis, ſupre-
, ma corriget pietas, dum quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO,
, per inductionem expulſorum in bona, cum deſignatione ad hoc Commiſ-
, ſariorum reddere jubebit.

D. Stryinſki ſumma ne periclitetur , Probatam erga S. R. Mtem D. N. Clmum fidem, & inceſſantem non
, ſine diſcrimine ſalutis & fortunæ, Domini Stryinſki, Pincernæ Sanocen-
, ſis, pijſſimo pectori S. R. Mtis, Legati noſtri inſtabunt, ut non habeat
, in ſumma ſua per contractum, à S. R. Mte pro Oeconomia Grodnenſi,

& ad

, & adjunctis per judicium & jacturam, quam milites Saxonici devaſtarunt, *A.C.1701*
, deferent. Cætera fidei & dexteritati Legatorum committimus.

COPIA LITERARUM, AD PALATINATUS REGNI SCRIPTARUM EX SESSIONE GRODNENSI.

ET cuinam profunda vulnera Provinciæ noſtræ, in medelam aperire,
fiducialem prementium malorum facere communicationem, ſi non
filialibus & fraternis Veſtris pectoribus quæ tam ſtricte ſociavit u-
, nanimis virtus, ut in uno omnes lædamur; tam ſtabilia, in cardinibus
, jurium & libertatum mutuarum ſolidantur fœdera, ut proſpera & adver-
, ſa communia eſſe debeant, nec felices nec infelices nos, niſi invicem a-
, gnoſcere debeamus. His temporibus tamen, quaſi conjurata fata in preſ-
, ſuram gentis noſtræ, omnem exegerunt rabiem, ita ut finis unius mali gra-
, dus ſit alterius. Poſt receſſum Exercitûs Saxonici Sveticus ſine ulla in con-
, vulſionem pactorum datâ cauſâ non tantùm feudalem Provinciam Cur-
, landiam abſorpſit, & in illa arces fortificat, tributa gravia exigit, Nobi- *Gravamina à Suecis*
, les incinerat, ruſticis obedientiam Dominis ſuis debitam prohibet, ſanctu-
, aria DEI, quæ piorum in illis oris fundatorum plantavit pietas, in fœda,
, & horrendum dictu, loca transformat, ſed eandem ipſam tyrannidem in
, adjacentibus Palatinatibus & Diſtrictibus M. Ducatûs Litvaniæ, exerce-
, re incipit, præcipuè in Ducatu Samogitiæ & Diſtrictu Braclavienſi, nul-
, lo diſcrimine ſæviens in fortunas civium, ſolitâ fœdifragis animis normâ,
, quærente belli exitum non cauſam. Tam gravia inprimis pericula, dum
, nos jam premunt & terrent, vos conterreant, & ad tempeſtivum juva-
, men fratrum ſuorum commoveant, quia dum unos calamitas premit ma-
, nentibus in vicinia parem paſſis triſtitiam adferre debet, naturalis reflexio,
, poſſe idem pati, uti ſolita, in parvo neglecta principio, ſumere incendia vi-
, res, & totius in hoc Patriæ depaſcere corpus, ſicut etiam conjunctis u-
, triuſque gentis viribus, centum ſtipata favoribus bella perennibus ſunt fi-
, nita trophæis, dat ad hæc vulnera vulnus minax in perniciem Domino-
, rum Sapieharum, intentio hucuſque, nec ipſam S. R. Mtem, nec Rem-
, publicam quieſcere permittens, quia non bonum commune ſinceræ concor-
, diæ amore, ſed ſola æſtuans vindicta, quæritant quo ſit libertas, ferienda
, loco, illatas ultore DEO pœnas & in quas ipſi nemine impellente incur-
, rerunt, crudeli non parvo tempore, in capita & fortunas liberorum ci-
, vium oppreſſione totius Magni Ducatûs Litvaniæ perditione taliare ni-
, tuntur, ſperando ex cineribus noſtris, primævæ ſuæ ambitionis & poten- *Scriptum*
, tiæ renaturam felicitatem; certo hujus documento, ſcriptum authenticū, *pro dethro-*
, in moderno congreſſu noſtro proditum, manibus proprijs illorum ſubſcri- *nizatione*
, ptum, pro dethronizatione S. R. Mtis D. N. C. & pro conducendis Sve-
, cis formatum, cujus effectum patheticum videmus, dum Exercitus Sve-
, tici, in viſceribus Ducatûs Litvaniæ, pro libitu & licentia hoſtili graſſan-
, tur, & ſonoram Domui huic canunt protectionem, cujus ſcripti pro infor-
, matione copiam mittimus. Non tardabit fortè decorare nobis, aut ex-
, cuſare actiones ſuas, quæſitis coloribus falſa eorundem relatio, quamvis
, etiam compaſſio forti illorum poteſt eſſe animadverſio, quòd deſpera-
, ti ad deſperata devenire debent remedia. Quia qui rapitur fatis, quid
, præter fata requirit, ſed proteſtamur coram DEO, & tota Patria, ipſiſmet
, vobis, quod mediatione Sereniſſimi Regis D. N. C. ſincerâ & laborioſâ co-
, operatione Illuſt. D. Procancellarij M. D. L. ſicut Plenipotentiarij S. R.
, Mtis, & volendo ipſo ultro tranquillam & pacatam videre Remp. in mo-
, derno congreſſu noſtro Grodnenſi, omnia poſſibilia media, ad perfectam
, concordiam ex parte noſtra illis offerebamus, in his tantùm hærendo ter-

*A.C.*1701, minis, per quos ſecuritas vitæ, libertatis, & fortunarum noſtrarum ſub-
, ſiſtere poſſet. Inprimis eodem ipſo ſcripto perduellionis, actu ipſo jam ob-
Querela contra Sapiehas , probatæ, ad comitia dilato, ſuſpenſis pœnis peculatûs, adhuc in ſtatu pa-
, cifico, in illos per decreta deciſis, injuſte per tempus Miniſteriorum in hy-
, bernis percipiendis ſub tempus interregni in Oeconomijs, converſis in uſum
, proprium tributis Reipublicæ, reſtitutionem bonorum declaravimus, ut
, tantum concomitaretur, & ſatisfactio injuriatorum, & hoc prævio jura-
, mento in tribunali, quorum injurias adæquat numerus octo millionum,
, excepto, quando creditorum poſſidentium bona, & adhuc non comparen-
, tium cum ſuis prætenſionibus, Senatoriorum etiam ſubſelliorum, plenam
, capacitatem non impediendo, nec etiam preſſe depoſitionem miniſterio-
, rum, ſed tantùm ſeriam circumſcriptionem authoramenti illorum ad tem-
, pus prætendendo, quod vitam & fortunas noſtras jugulare poſſet, & ma-
, jora nobilis ſangvinis cauſare diluvia, præſertim apertam videndo eorun-
, dem cum Sveco cointelligentiam, in omnes tamen plenos charitatis de-
, ſcenſus, Sapiehæ cor duratum præbuerunt, in minimo puncto non con-
, donando bono publico, in ſola tantùm ambitione ſua, & exterorum pro-
, tectione ſolidando ſe, volentes venire ad eum gradum potentiæ, ut libe-
, ra colla nobilium ſub jugo antiquo & ultrice tenerentur ferro, omnes
, vias & media congrua ad concordiam rejecerunt, quamvis à victis accipi,
, à victoribus dari leges ſolitæ, & ſic omnium vota pacem clamantia, no-
, cendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, dominandi libido, ſævientes illorum
, animi, in tædioſo reliquerunt ſtatu; & hoc nobis ſicut nulla criſis adſcri-
, bere poteſt, ita habemus ſpem quia evincent nos ijdem Magnifici Do-
, mini cooperatores mediationis præteritæ, Illuſtriſſimus Dominus Procan-
, cellarius M. D. L. ſicut S. R. Mtis plenæ poteſtatis Commiſſarius, & Il-
, luſtriſſimus D. Palatinus Siradienſis, etiam Dominus Succamerarius Chel-
, menſis petiti Mediatores. Quò denique Magnificorum impulſi auſus, ut
, jam parietes noſtri flagrent. Omnium veſtrûm notitiæ, ſerijs reflexioni-
, bus tradendo, ſcribimus nos. Datum Grodnæ.

SERMO ILLUSTRISSIMI DOMINI ODROWAZ PIENIAZEK PALATINI SIRADIENSIS IN VALEDICTIONE CONGRESSUS GRODNENSIS.

QUicunq; imis introſpicit reflexionibus, in triſtem exitum con-
greſsûs moderni, qui ex tam infelici ſucceſſu futurorum negotio-
rum, triſtiſſimas imminentes conſequentias, afflictionem Patriæ, &
, omnes inundantes infelicitates, in hanc inſignē provinciam & totumRe-
, gnū mœſto corde perpendit, poteſt cum cive Romano deplorante ſtatum
, conturbatæ & mutatæ Reip: Romanæ exclamare. O dura fata! & inexo-
, rabilem ſortem! Qui verò ſpectabit, ad quem ſcopulum alliditur hic de-
, ſideratus à tota Republ: congreſſus in colliſiones & oppoſitiones parti-
, um ſecurè exclamare poteſt. Libertas libertate perit. Optavit S. R. Mtas
, D. N. C. & per ſuum Plenipotentem Cōmiſſarium omni poſſibili acti-
, vitate intendebat, ut res & diſſidia concluderentur cum concordia &
, pace, ad tam laudabilem intentionem Regiam, & noſtrum omnium me-
, diatorum, cæterorumq; in hac Repub: vota, ſtudia, conatus & poſtula-
, ta humilia, ad idem centrum expectatum, ac deſideratum à Domino &
, Patria, dirigebant negotium. Sed quando ad duo extrema devenit tra-
, ctatus, recipiendi, aut non recipiendi Olkienicenſe ſtatutum, omnes ra-
, tiones debuerunt ſuccumbere, dum rerum & fatorum, jura belli & pa-
, cis confuſa, nullum in illis admiſerunt temperamentum & lenimentū.

Video

,Video quòd hucusq; Divinæ juſtitiæ pro delictis noſtris non ſatisfactum, *A.C.* 1701
,quando cœptum proceſſum Oraculorum Divinorum, ſub Olkieniki in ,ſuſpenſo relinquendo, præſentem actum decretis clementiæ & miſeri-,cordiæ ſuæ non finivit. Jam ergo voluntati illius ſanctæ, cuncti parere ,debemus, & illius orare miſericordiam, ne in furore ſuo arguat nos, ,neq; in ira corripiat. Attamen DEus miſericors proſperabit, ut ſucce-,dentia comitia, in plenitudine authoritatis Reipubl: dura, & aſpera in ,plana convertant, emolliant malevolorum odia & inimicos in amicos ,coagulent affectus, neq; in finem iraſcetur nobis. Pro quo Divinæ ſup-,plicando Majeſtati, refero grates invicem cum Domino Succamerario ,Chelmenſi in humilitate noſtra, pro exhibitis favoribus gratiarum ,ſuarum, quæ bono loco poſitæ, ſpero, quòd producent fructus debi-,tæ gratitudinis, prompti, & fidelis obſequii in negotijs ſerviendi huic ,inſigni Provinciæ vinculatæ irretortis nexibus ſanctæ unionis cum Re-,gno Poloniæ, qui ut reintegrentur, quocunq; ſunt labefactati, hoc voto, ,hoc ſtudio concludo meas humiles gratias.

RESPONSUM S. R. Mtis D. N. CLEM. PRO INSTUCTIONE Statuum M. D. L. Generoſis Nicolao ex Kozielsko Oginſcio Theſaurario Minori M. D. L. Radoſzkovienſi Capitaneo, Colonello S. R. Mtis, & Hieronymo Ważynski Vice-Colonello S. R. Mtis, Legatis pro congreſſu Grodnenſi expeditis. Datum in Cancellaria Regni ob abſentiam M. D. L. Varſaviæ 28 Novemb.

NON primum hoc eſt probatum affectuum, expreſſæ & non fictæ erga Dominum propenſionis Præclarorum Palatinatuum M. D. L. argumentum, non hic primus, neq; ultimus erga ,Mtem conſtantiæ & fidei dies. Ab ipſa felici in thronum Polonicum ,inſtallatione S. R. Mtis D. N. C. per liberas liberarum gentium vo-,ces ſemper patherico præclaræ fidelitatis ſigno, & immotâ fide glo-,riatur celebris equitis propago. In nube ſemper videt amabili pe-,ctus ſerenum, ſonant adhuc in auribus Regiis ſonora in campo ele-,ctorali eligentium tripudia. Fama ante oculos laudabilis, virtus No-,bilium verus candor & probatus amor. Et ſuus in populi corde tri-,umphat amor. Præſentat & modò palàm M.D.L. conſtantem fidem, ,inextinctam audaciam, robur im̃otum, & inconcuſſa arma, ferendo ,devota capita in tutamen S.R. Mtis D.N.C. exprimit, plenis gratitu-,dinis, & adorationis labiis teneritudinem ſincerarum voluntatum ,ſuarum, & heroicæ reſolutionis, in tuitionem ſacratæ perſonæ Regiæ, ,cum tota ab hac anima populorum vita ſaluſq; pendeat.

,Hæc etenim eſt cordium ſincerorum magnificentia, hæc libero-,rum & ingenuorum civium innata qualitas, quò remotiores à ſervi-,tute eò promptiores ad obſequium Regum D. ſuorum. Muniant er-,go ſe alii Monarchæ inóppugnatis Caſtellis & numeroſis præcingant ,exercitibus; S.R. Mtas D.N.C. latus ſuum credit fidis civibus, & in pe-,ctoribus nobilium primarium ſuum collocat robur. Excipit pater-,no corde hanc ſinceram ingenuorum ſtatuum M. D. L. conteſtatio-,nem, invicem ſicut amans Pater, amorem amore rependit, & manen-,do ſupremus Cuſtos & portator hujus inæſtimabilis clenodii, jurium,

A. C. 1701 ,immunitatum & libertatum, declarat hæc cariſſima pignora æqua-
,liter cum vita geſtare.

,Et ſicut ex feroci inſultu, & ferreo ſtylo Regis Sueciæ, ſentit pro-
,funde illatum vulnus Dnus N. C. quia res inter Reges exemplum
,non habens, ita ex violenta irruptione & hucuſq; impune graſſantis,
,& intra viſcera Regni ſe dilatantis hoſtis, attonitus, & ſolicitus hæ-
,ret. Deferre hoc dignata eſt S. R. M. ſtatibus Reip. informavit per in-
,ſtructionem ſuam comitiola, antecomitiola, & ſi animadvertet Patria,
,qualiter illam ab ultimo Septemtione, excita gentium examina mo-
,leſtant, qualiter ruptis pactis Olivenſibus, non ſacro, non profano ab-
,ſtinent. Providebit inſignis gens Poloniæ, cum perpenderit penitus,
,quid cum illa agitur, quæ à ſæculo bellicâ ſtetit gloriâ. Quotquot do-
,mitis Marte ſecundo populis, quondam arma, ſimulque provida
,corda geſſit prompta ſemper in hoſtem.

,Igitur plena eſt ſpei S. R. Mtas vivido libertatis impetu, domabit
,hoſtiles intentiones, & ad hunc finem conſilia publica dirigere volet,
,ut manutentione S. R. Mtis D. N. C. juſtum ſit proviſum conſilium, in
,reprehenſionem hoſtium, & ordo domi bene compoſitus. In maxima
,infelicitatis ingluvie, & indomito ignis domeſtici incendio, vel maxi-
,mè feliciter dominanti purpuræ, aſperorum temporum auſteritates,
,& hi inteſtinæ diſcordiæ æſtus adurunt. Aurea rumpunt tecta quietē,
,vigileſq; trahit purpura noctes. Dura hæc in Patriam oracula Dei, fu-
,neſtus cordi Dni nuntius, non ſtetiſſe concordiam, & unionem civium
,metuendam inimicis, ſummopere neceſſariā Reip. diſunitam manere,
,& diſcordantes Cadmæo ſangvine fratres, inter ſe luctari. Unde quā
,fatales conſequentiæ, & ardua concordia, niſi fatuus intellectꝰ, & ob-
,duratū cor capere non poteſt. Illud ſanè vinculū, per quod Reſp. cohæ-
,ret, ille ſpiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa, per ſe futu-
,ra, ſi mens illa, & unio imperii ſubtrahatur. Agebat ex perſona ſua S.
,R. Mtas D. N. C. omnia, quæ bonus Dnus debebat. Non libenter per-
,mitteret aureis cum antiquitate labi temporibus, ſi hoc unicum domi
,non eſſet impedimentum. Hoc ſolùm felicitati ſuæ negatum dolet, &
,ſtupet, quando omnes Regiæ curæ, & paternæ ſollicitudines, quaſi in
,ventum diſſipatæ, ſuſceptæ difficultates, & tam magna applicatio di-
,gni Miniſtri Illuſt: Stanislai Antonij in Szczuczyn, & Radzyn Szczuka
,Pro Cancellarii M. D. L Commiſſarii plenæ poteſtatis, impenſi ſum-
,ptus, fatigationes, inſomnes noctes, dies conſumpti, in caſſum abiêre,
,nec iſta capit diſcordia finem. Jam igitur tempus pacatè non tantùm
,ſe, ſed inſimul totam Remp quæ eò ipſo graviter miſcetur & alteratur.
,Jam oporteret lachrymis, civilibuſq; armis ſecretum dare, ipſa atro-
,citas pendentium periculorum ſuper Poloniam movere deberet pe-
,ctora, longis hebetata malis. Non eſſet Suecus tam pertinax. Caderet
,cor horū omniū, qui mala machinantur, ſi ſcirent tam fortibus ab in-
,tra munimentis mutuæ concordiæ cuſtoditam Patriam. Quapropter
,S. R. Mtas D. N. C. videndo Remp. in limine fatorum, adhuc appo-
nit

„nit manum ſuam Regiam obligando non tantùm reverentiâ Ma- *A.C.* 1701
„jeſtatis, ſed & amore communis Patriæ, repræſentando ruituræ hu„jus pulcherrimæ molis, funeſtum exitium, obteſtatur per omnia ſa„cra, expreſſâ voluntate ſuâ publicè declarat, inclamat diligenter, „ferventer compellando, ut abjectis in partem omnibus paſſionibus „non difficultando ulterius pacem ſanctam, & ſalutare opus ullis ob„ſtaculis, ex toto corde concurrant ad concordiam, & cum tali pro „futuris comitiis conveniant facilitate, ut in ipſo principio ſine mo„ra optata fiat pacificatio, & ſicut veri amantes Patriæ filij, per hanc „diſcordiam cadere ei non permitterent, ponerent odia, in perniciem „itura, & quieta turbidis antehaberent. Hoc ſuſpirat dolens Eccleſia, „clamat afflicta Patria, ingemiſcunt concuſſæ Provinciæ & lacera „membra. Sacra Regia Mtas verò Dominus Noſter Clementiſſi„mꝰ parentali preſſus luctu ipſe ad excelſum hæc ingeminat vota: „Aufer cædis opus, redde quietis opes.

„Quod attinet intereſſe Sereniſſimi Principis Regij Jacobi; ſcit „benè Sacra Regia Majeſtas, quòd thronus Regius juſtitiâ firmatur, „& jam pridem pro cognata ſibi æquitate, omnes prætenſiones præ„fati Regii Principis Jacobi ſopire dignata eſt, pro quo ſunt apochæ, „& authentica documenta. *Principis Jacobi intereſſe*

„Tactus ſenſibiliter Diſtrictus Rzecicenſis tranſitu Coſacorum „Moſchoviticorum, reperit in corde Regio juſtam compaſſionem, & „volet S. R. Mtas D. N. Cl. ſeriò expoſtulare cum Czaro Moſchoviæ, „ut non tantùm debita ſuper hunc auſum ſit animadverſio, ſed da„mnorum illatorum plena ſatisfactio, quia hæc eſt unica cura & ſol„licitudo Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi, ut „creditarum ſibi à DEO gentium integritatem tueatur. *Diſtrictus Rzecicenſis*

„Non occulta cuilibet jura, & conſtitutiones publicæ, quæ in bo„nis Menſæ S. R. Mtis ſevero rigore præcluſerunt viam, ad qualem„cunq; poſſeſſionem, & tributa in Oeconomiis, quocunq; nomine, ti„tulo, & colore, ex ſingulari tamen reflexione in ſtatum Equeſtrem, „& innata bonitate ſua, S. R. Mtas, ſicut D. Clementiſſimus, apud quē „citiùs beneficium invenitur, quàm quæri poteſt, gratiosè huic indul„gere dignata eſt. Si verò hoc ſit juſtum, ut generoſi Donatarii tenen„do gratuitò & contra jura hanc portionem deberent auſugere æqua„lium onerum Oeconomicorum, & in pauperes tantùm ſubditos ma„gno cumulo dejicere hoc onus, tradit hoc juſtæ conſiderationi Sa„cra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus.

„Venerabilium Patrum Camedulorum Wygierſcenſium queri„monia innocenter extenditur ad Generoſū Lebnitz Venatorem Mi„norem M. D. Lit, dum hæc cauſa per Commiſſionem debito modo „dijudicata. Si tamen aliquod prætenditur gravamen, & præjudici„um fundationis Seren: Anteceſſoris S. R. Mtis D. N. Cl. declarat S. „R. Majeſtas, ex ſolita pietate, quòd tempore futurorum Comitio„rum, ad audiendam cauſam deſignare Commiſſarios dignabitur, *PP. Cameduli.*

ita,

A.C. 1701 ,ita, ut indemnitati Venerabilium Patrum Camedulorum, omni ,modo provideatur.

,Inſtantia Generoſi Stryinski Pincernæ Sanocenſis, reſpectu con- ,ſervationis ejuſdem, circa contractum pro Oeconomia Grodnenſi, & ,vulgò Leſnictwo, juſtam exigit reflexionem, & relegare dignatur S. ,R. Mtas D. N. Cl, hoc negotium, ad examen judiciorum theſauri, ,ut ſatisfiat juſtitiæ ſuum cuique tribuenti.

Cauſa Domini Strzyżmki.

,Inſignia in ſago & toga merita Generoſi Oginſcii Theſaurarij ,Minoris M. D Lit, S. R. Mtas D. N. Cl, ſicut ſummus æſtimator be- ,ne meritorum habet in diligenti oculo, & conſideratione, in quibus- ,libet occaſionibus gratiis ſuis decorare, & munificentiâ fulcire, nul- ,lum ſibi optando momentum aut beneficio ſterile, aut gratiâ.

Oginſcio ſavores Regij promittuntur.

,Et modo omnibus in univerſum, & cuilibet in particulari, gra- ,tias noſtras & favores Regios offerimus &c. &c.

XIV.

ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISC. PRINC VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI. 1. Decemb; Guttſtadiô.

Saxones Varmienſibus moleſti.

QUamvis deſidiæ me videris arguere, ea tamen accuſatio atq; querela magnum mihi cedit in bonum, eſt enim indicio, quanti me facias, nam qui modus eſt amoris, idem eſt & æſtimationis. Benevolentia enim tua, ita ſibi meum pridem adſtrinxit animum, ut ingratiſſimus ſim mortalium, niſi eam libens agnoſcam, quam hîc mereris, nunquã referam, habeo tamen, dum vivam. Scias autem, quòd nullas à te literas accepi, quibus pluribus verbis reſponſum non dederim, nec paterer unquam accuſari à te officium meum, verbis quibus tuæ ſcriptæ ſunt literæ, totidem penè verba rependo & ſemper optatis tuis diligenter occurro, & cùm quandoq; nihil, quod ſcribam, invenio, facio id, quod olim imperavit Attico Tullius, ut hoc etiam ſcribam, me nihil habere, quod ſcribam.

Non diu moratus ſum in Varmia, nam habitâ notitiâ Saxones tranſituros per Varmiam, ne dominiis premar iniquis, iter Varſaviam direxi, quo 15 Auguſti veni, literasq; Univerſales à Sua Mte habui, ut tranſeuntes diſcretè ſe gerant, utinam effectum ſuum ſortiantur. Longam conferentiam habui cum D. Przependowski Palatino Mariæburgenſi de Exercitu Saxonico, quem ad 40000 reductum dixit, in Poloniaq; hybernam abſoluturum, quod vix adduci poſſum, ut credam; ſed ſi verum eſt, impoſſibile eſt, ut id Reſpub: ferre poſſit. Venit etiam Cardinalis Primas, ſed ab illo nulla in publicum conſolatio, dummodo in particulari ſatisfactionẽ ſuam à Rege habeat, nihil de primo cogitat, & hæc non eſt ſumma tanti viri laudum.

Venit etiam 28 hujus epiſtola ferox & verè infamis contra Regem noſtrum Regis Sueciæ, tanquam fœdera, jusjurandum, fidem, pietatem, religionem nihil faciat, ſemper in ſpem novam prominens, inſtabilis, mobiliſq;, nec ſecundis rebus quietus, nec adverſarum patiens ſit.

Dum verò in craſtino veſperi in collatione fui apud Legatum Cæſareum, miſit ad me Dñum Succamerarium Regni Bielinski Rex, ut negotium Dñi Subdapiferi Lubomirski cum D. Epiſcopo Premislienſi Bokum componam (nihil prodeſt initia rei ſolidare, ſi præſumptio ordinata deſtruere valebit) & ut Regem videã. Feci primũ in craſtino, & ſunt reconciliati D. Epiſcopus, cum D. Subdapifero, unde cum uxore concordia ſub-

ſequi

ſequi debet (non aliter, quàm ſi arbor pomis gravida quæ ramos dimit- *A.C.* 1701
tit, & quaſi invitat ad carpendum) quam ego nolui omnino tractare materiam. nec viſo Rege abij & in Varmia adhuc Saxones inveni. Revertebantur hi expectatione multò citius ex Livonia, non facto modo turpi, ſed & famâ ſiniſtrâ laborantes. Si terribile eſt etiam abſentis cubi- *Sveci Dzwinam tranſeunt*
le Leonis, tum eo magis cum Rex Sveciæ in tam recenti teneraque ætate, occaſioni intentus ideoque feſtinans nihilque prius celeritate conſilij exequendi habens, circumductis copijs ante ad hoſtium caſtra in conſpectu eorum fluvium Dzwinam tranſiens appropinquavit, quam plane ab exercitu i lo, in quo magna ſpes & magna expectatio fuit, ſed nihil illo apparatu dignum egit, ſpectaculoque magis & oſtentationi quàm uſui fuit, videri, aut quid rei gereretur cognoſci poſſet, ſuperioresque fuerunt Sveci, qui non ſunt circa floſculos occupati, totus contextus illorum virilis eſt, & animi eorum excitati ad ſpem bene gerendæ rei, alienas virtutes & vel in hoſte fortitudinem video facile, & viſâ amo, ſucceſſu ſpei reſpondente, paucis ex ſuis amiſſis, pluribus ex Saxonibus cæſis (valentiori pabulum ſit minor) reliquos in confuſionem & fugam *Saxones ceſi fugantur*
ita conjecerunt, ut quamvis naturâ loci & neceſſitate quæ etiam ignavos excitare ſolet, fidentes impetum hoſtium ſuſtinere poterant, tamen mandata pigrè exequentes neque ſui colligendi, neque conſiſtendi facultatem dederunt, ſed ſtatim fugerunt, & poſt emenſa terrarum ſpatia fugiendo, & tanta detrimenta accepta, vix in Varmia reſpirarunt; & hoc multum eſt velle ſervari. Fugæ autem culpas in ductores conferebant. Generalis autem Stenau ut verbis illum, quibus laudari tunc dignus erat, laudem, vir malus alibi non erat, fortiſque & prudens audiebatur, ſed hic non pro ſpe negligens & (nævus eſt hujus ævi) bibax fuiſſe dicitur, unde ex forti timidus, ex ſolerti iners molliſque evaſit quanquam *Stenau Generalis Saxonum*
ſuâ culpâ, ut plerique, ſibi indulgebat. Sed quod virtute erat partum intemperantia corrupit. Quiviſque intellexit ejus vitium fuiſſe, quod ille dicebat rerum vel militum: Quia verò diverſa ij, qui ſcribunt, referunt, difficilè ad fidem eſt de exacto affirmare numero, ſed credere libet, neq; tantum fuiſſe numerum Svecorum, ut aſſerunt Saxones, neq; tam exiguum, ut ſecundi volunt. Ipſe fateor, propter confuſionem non mihi de omnibus conſtare, nec certi quidquam ſciri poteſt, quando aliquid eſt certi, ſtatim te facio certiorem. Videmus evidenter, nulli cui rapina fortiter ceſſit, gaudium rapti duraſſe inpoſterum, & certum eſt accidiſſe id lege Divina, qua univerſa procedunt in pœnam tantæ deſolationis quam faciunt in Polonia cum ſumma pauperis populi oppreſſione. Unde literas ſcripſi ad D. Commiſſarium Boſen, quarum tibi adnecto copias, ſed hæc nec lacrymas pauperum, nec damna reſtituent, *(Vide fol. 71)*
pœna ni culpis, premit quorum querelæ? Venit Dominus Szafzewſki Vicecolonellus Domini Palatini Caliſſienſis centum in comitatu habens homines meis impenſis conductos, cum quibus junctis meis Varmienſibus facere aliquid contra Saxones induxeram niſi prævenſſent abitu ſuo in Pruſſiam ulteriorem Polonam.

Ego autem excurri Tilſam ubi Eccleſiam novam ſub titulo S. Michaëlis conſecravi, plurimis contuli Sacramentum Confirmationis, & nundinas ſatis bonas vidi & tertiâ Octobris redij. *Conſecratio Eccleſiæ Tilſenſis.*

Reaſſumpta erat reconciliatio DD: Sapieharum Varſaviæ, ſed eum Rex omninò velit ut regimen armorum D. Palatino Vilnenſi accipiatur non credo id fieri unquam poſſe.

Interim venerat ad me Domina Palatina Culmenſis ad nuptias quas

Fratri

A.C.1701 Fratri Domini mei Archipresbyteri Heilsbergenſis Hattynſki cum filia Domini Burgrabij Reſſelienſis Hoſij feci, & pòſt ad celebrandum Jubilæum huc veni, ubi tui memoria erit ad altare, ut idem facias precor, memorq; noſtri, ſicut facis, vive, & in tuis ad DEum precibus, in quibus magnum mihi auxilium eſſe poſſe conſtituo, eum ores, non ut me divitijs locupletet, ſatis namq; ſuperq; largâ manu dedit, & opibus auxit, non ut honoribus ornet, jam pridem enim compertum habeo, quàm ſint hæc, quæ ſtultè vulgus admiratur, inania, atq; fragilia, ſed ne æternas à ſceleribus meis pœnas exigat, quæ in omni vita mea in Divinam illius Majeſtatem impiè nefarieq; commiſi.

XV.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. EIDEM 26tâ Decemb. Guttſtadiô

Sapiehas in Varmia ſolatur & conſulit.

EA eſt gratiæ, quâ me nuper in domo mea viſitans ornaſti, magnitudo, ut quibus verbis tibi gratias agam non reperiam, nam cum ea invenire ſtudeam, nulla occurrunt niſi vulgaria, niſi communia, per quæq; non perinde exprimam, quantum me tibi debere profiteor, atque ipſe cogitans ſentio, quantum gratiæ præſtiteris, optavi enim ſemper, ſed ut fatear parum ſperavi. Quoniam igitur favori huic non modò non referre, ſed nec agere quidem, ut par eſt, gratias poſſum, habebo quidem ſemper, & quando mihi ad remunerandum nihil ſuppetit præter voluntatem, & memoriam benevolentiæ tuæ, hæc omnia quoad vivam tibi præſtabo ut debeo.

Poſt abitum tuum continuavi reſidentiam meam in Collegiata Guttſtadienſi, veniebant enim undique proceſſiones ratione Jubilæi, quod in uno tantùm loco ibi abſolvebatur, cum qua occaſione (ut te præſente feceram) venientibus Sacramentum Confirmationis impertiebar. Comitiola ante-comitialia & in Pruſſia, & in magna Polonia ſunt rupta, quia inde generoſa conſilia prævidebantur.

22da Decemb. Dominus Palatinus Vilnenſis cum Domino Theſaurario Litvaniæ venerunt ad me, & dici poteſt hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, quorum miſerijs vehementius, quàm neſcio quâ meâ propriâ commoveor. Deducebant oculi eorum lachrymas, & palpebræ eorum defluebant aquis, ſtatus enim priſtinus rerum in deſiderium veniebat, nempe ſine dolore non amittitur, quod cum amore poſſidetur. Neque in eo eſſe potui ut mœrorem eorum juſtum culparem, cum tanta ſe pati dicerent ſine cauſa (ſi tamen ſine cauſa) ut nullum remedium perditis rebus ſuis cernant, & in tam turbatis eorum rebus, nec quid capiant conſilij, nec quid faciant, ſciunt. Inimici eorum ex bonis eorum locupletati ſunt, iidem & accuſatores & judices non dant requiem eis, magna jactura fortunæ totius domûs, & libido rehabendæ mole ſub alta curarum premit eos. Interim altera, ex fine alterius oritur reſolutio, more eorum qui fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur, ita illi varijs jactati cogitationibus, non res in ſuam accipiunt poteſtatem, ſed ſe ipſos rebus tribuunt, conſilium verò neque utile neque honeſtum eſt, quod à paſſione ſubminiſtratur, & ab ijs quos ſecum habebant, qui æſtuant, diſtringuntur, multas habere cupiunt manus, modò in illam reſpiciunt partem, non minùs hanc timentes, quàm illam dolentes, minùs tardè illis mitti videntur, quæ cupiditatem illorum irritant ad paucos perventura, & expectata omnibus. Conſtituendum ego ſvadebam quæ velint, & quæ velle deberent & in eo perſeve-

ſeverandum. Patriæ ſe committendum quid nobilius ad gloriam? quid certius ad ſalutem? quæ potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quæ peterent, per quam & quæcunq; habuerunt, acceperant omnia, & quæcunq; ſperant, accepturi ſunt. Et cum noviſſem novitatis fuco, & mangonio, & aëre externo infectos, jam aliquatenus & Sveticè magis loqui advertiſſem, feci quæ potui ad revocandos in viam planam, opponendo multa quæ dehortarentur, inſinuando quòd optimus erranti portus ſit, mutatio conſilij in melius, & quòd illorum intentio ſit, velut ſine remige puppis. Qui quò deſtinavit pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur, non ire illud, ſed errare eſt. Non properemus ante tempus, ne ceſſemus in tempore. Quod turpe, turpe eſt ſeu putes ſeu non putes. Prô dolor!. cælitus miſſum ut illud eſt malum, cum quis videt meliora, nec ſequitur tamen! nihil enim conſtitui poteſt contra Regem, contra Rempubl: quod non accidat in magnam aliquam difficultatem. Crudelitatem fati conſoletur æqualitas. Quidquid cœpit & deſinit. Revocent in memoriam præteritam fortunam (cum maximè ſol ſplendet, urit) quæ quia ad ſummum pervenerat, incremento non reliquit locum. Brevis eſt vita & ſi tota bonæ menti impendatur. Quid vana moliuntur mox magis caſuri? Mala incurſant, magni eſſe animi puto non commoveri, & ut maria navigantibus periculorum frequentia contemptum eorum tandem inducit, ſic cuique malorum ingruentium crebritas patientiam. Proinde fugienda callida nimis conſilia & tanquam de torculari ſpumantia, præſertim ſi ſunt contraria Regis & Reipub. bono. Igneos enim fere eventus flammasque calor hic dare ſolet, in Domini caput arſuras. Ergo ab ijs quæ malè decreverunt, deſiſtant, nec ea ſi quæ ſtatuerunt, exequantur, quanquam in hoc conjectura magis, quàm cognitio mea erat. Dicebam tamen illis amicè, & vere. Quid ſibi volunt altiores gemitus & fortiora inter lachrymas ſuſpiria, ô quantum eſt ſapere in loco? ut ea agant, ut omne ſit illorum, ut reſtituantur in integrum, non erit autem niſi illi, noſtrî hoc eſt Reipub. cœperint iterum, ſi deſtiterint, eſſe prius. Svadebam multis ijsque validiſſimis rationibus, ut ferant æquo animo & utantur tempore, quod ſors conceſſit, donec invicta felicitas finē malis imponat. Natura hic doloris recens ſuas fundat lachrymas, nam non ſentire mala ſua non eſt hominis, & homines illos eſſe ſcio, ſed quos ratio temperet, patientia leniat, pietas extergat. E vita migret oportet, qui nihil incommodi ferre velit, ſic enim habet natura rerum humanarum, ut nihil voluerit eſſe tam ſuave, quin aliquid aloes admiſcuerit, palmæ ſint ſimiles, quæ oneri non cedit, nec intra flectitur, ſed contra pondus aſſurgit; nauta in tempeſtate, & cum mors ante oculos, omnia tamen facit, fractoque etiam velo navigat, ſi cadit non cedit, ſi pici ardenti aquam affundas non extingvis illam, ſed accendis, ita inimicorum eorum irritati ſemel animi facilius accenduntur, quàm placantur. Suſpectum ergo habeant, quidquid ab eventu pendet. Malè incipit qui nimium properat. Interim ego in magna felicitatis parte id numarabo, ſi uſui illorum eſſe potero, nihilque prætermittam, quòd favori illorum ſerviat, aut honori, nec deero eorum cauſâ quæ adhuc in herba eſt, meſſem promovere. Amicitiam tantùm meam non ore & vultu ſed animo æſtiment, & illam demum veram credant, quæ ingenua, aperta, non fucata, non ſimulationum involucris obtecta. Abies (ſi naturæ ſpeculatoribus fides) adeo cohæret glutino, ut priùs ſcindatur quâ ſolida eſt, quàm quâ glutino ferruminata, ita arctius quos vinculum copulavit mutuæ amicitiæ, quàm quos natura conjunxit. In hac rerum cataſtrophe quid unquam dulcius eſſe poteſt iſtâ vitæ animâ amicitiâ? quæ contracta ſemel cum bonis perennat, & non ante nos deſtituit, quàm vita. Facilior erat ad agnoſcendum errorem Palatinus Vilnenſis, qui neque A.C. 1701

re,

*A.C.*1701 re, neque omnium opinione malus, neſciebat tamen ipſe quid volebat, magiſque ſe ad Regem redire velle, quàm poſſe oſtendebat, noſti enim eum quòd nullam rem uſque ad exitum deducere ſoleat, aliunde alio tranſiliens, & perſvadere illi idem eſt, ac ſi quis pondus paleis & plumis addere vellet.

Varſaviâ habui literas plenas peſſimi ominis, imminentium comitiorum, in quibus fortè bellum concludetur, ad quod & voluntas Reipubl. & vires deſunt, & melius eſſet ut Reſpubl. non ſit contenta remedia monſtrare, ſed admoveat. Quæ ante feſta immediate incepta dilata ſunt. Accepi verò inſtantiſſimas alias, ut ego quoque veniam Varſaviam, quamvis publica tangere penè formido, & ſummâ ope nitebar, ut his temporibus vitâ ſilentio tranſigere poſſim. Neque enim ille ſolus militat, qui in acie ſtat, & cornu dextrum lævumque defendit, ſed & qui portas tuetur, & ſtatione minùs periculoſa non onerosa tamen fungitur, vigiliaſque ſervat & armamentario præeſt. Quæ miniſteria quamvis incruenta ſunt in numerum ſtipendiorum veniunt. Dare operam volui, ut nullis in rebus Reſpublica ſtudium meum deſideraret, ſed nolui quodammodo propriâ libertate eſſe captivus, & quanquam latere voluiſſem & otium meum abſcondere, prodeſſe tamen cupiebam ſingulis & univerſis è longinquo, conſilio, auxilio, deteſtatus conſortium aulæ tendentis ad vitia & res ad perniciem Reipublicæ ducentis, hoc unum concupiſcens, nihil concupiſcere, ſed cum nec otium quidem nunc tutum ſit, abire debui Varſaviam, priùs tamen volui conſtituere cum Dominis Sapiehis, qui omnes & quidem cum magno numero etiam militum venerunt, quod mihi ſummum movebat dolorem videns morem eos Litvanum obſervare, hoc eſt abſque omni vivere diſcretione; expoſtulavi eo nomine cum Domino Palatino, ſed non niſi bona verba & promiſſiones pro reſponſo ferebam. Interim obligavi eos ad impetrandũ Jubilæum & excepto Domino Mareſchalco & Dominus Palatinus Vilnenſis, & D. Theſaurarius abſolverunt illud, ex qua occaſione multa illis inſinuavi quæ ob timorem DEI, ob amorem Patriæ vitare deberent, & quamvis conſtricti, ne ad illa violenta accederent, quæ & ipſis & toti Reipub. perniciem afferre infallibiliter debebunt. Quæ vult habet, qui velle quod ſatis eſt poteſt.

Sed jam finio, & peto à te, ut valeas, & conſtantem tuam erga me voluntatem conſerves. Impetra interea mihi à DEO his Chriſti Natalitijs, quæ tibi proſpera ac felicia evenire cupio, ut me corrigam nullaq; pravitate ac deformitate ſim diſtortus. Mitto tibi aliqua tarde quidem eo tamen quo ad manus meas venerunt tempore.

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ, AD PRIMATEM POLONIÆ.

NOS CAROLUS DEi gratiâ &c. Literas Eminentiæ Veſtræ die 14. Septembris ad Nos datas haud ita pridem Tabellarius paulò tardior attulit. Intelleximus ex ijſdem id præcipuè efflagitari, quòd cum toto Poloniæ Regno Saxonicus nunc ceſſerit miles, nobiſq; hoſtis, quem perſequamur, deſit, Noſtrum viciſſim exercitũ à finibus Reipub: revocemus, atq; ſic reſtaurandæ paci ſtudere dignemur, cui conſtituendæ Eminentia Veſtra præſentem addicit inclytæ Reipub: operam, laude equidem non vulgari ornanda, & patefacta in hoc, ut in multis alijs Eminentia Veſtra vigilis, & indefeſſa Patriæ ſuæ, ac boni publici cura; teſtari etiam poſſumus nos quoq; à parte noſtra commodis, & conſervationi Reipub, ſervandiſq; incorruptæ fœderũ

A.C. 1701

Cauſa cur exercitum nō poſſit reducere in Sveciam.

fœderum, quæ nobis cum ea interceſſerant, vinculis, omni intenſiori curâ & ſolicitudine incubuiſſe ſemper, nunc verò copias noſtras è Curlandia revocare adeo abſurdum eſt, ut longiùs cum ijsdem progredi præſens requirat neceſſitas; Nulla enim aut ſatisfactionis aut ſecuritatis ſpes erit, quousq; hoſtis noſter gaudio illatarum impunè injuriarum exultans, & intumeſcens facultatem occaſionemq; habuerit uſitato priùs artificio terras noſtras infeſtandi. Præterea factæ ſunt è Curlandia graviſſimæ irruptiones, hæc hoſti non ſolùm liberum tranſitum, & alimenta præbuit, hæc loca perſtruendæ ſecuritatis, erigendiſq; armamentariis, & ſervando commeatui apta ultro tradidit, hæc legendi militis, convocandæque ad bellicos uſus multitudinis veniam conceſſit; hæc prædonum naves noſtris infenſas ſuis partibus recipiendas ſtatuit. In hac confluxit ſociatorum colluvies hoſtium; Saxonum pariter & Czareorum, inter quos agitata ſunt conſilia, quibus nos potiſſimùm cladibus premerent. Nec tantùm magna vis incolarum & civium ſe ſe inimicis noſtris adjunxerat, ſed & ipſe Ducatûs Princeps & Rector hoſtium copiarum Dux, & anteſignanus extiterat, adeo, ut ex hac Regione ſeu ejusdem patrocinio ſinè arridente ſituationis commoditate, omnia terris noſtris invecta mala, & tanquam è promptuario ac officina congeſta ſint, in nos ſævi belli trahendi, ſufflammandiq; inſtrumenta, adeo ut pro hoſtili meritò haberi debeat. Rex inſuper Poloniæ tot prodidit fractæ fidei ſpretiq; juramenti documenta, ut ejus poſthac confidere verbis atq; promiſſis vel maximè ob nova exacerbatæ mentis, & acerbiſſimorum contra nos moliminum indicia non poſſimus. Nec dici poteſt deeſſe nobis in vicinia hoſtem, quamdiu ipſe belli non depoſiti Author, & ſcaturigo ibidem verſatur, & protegitur, ſummamq; conſiliorum dirigit, & favore Reipub: erectior iterandis hoſtilitatis actibus ſe ſe accingit, quod utiq; haud ferendum eſt. Tempori interim callidè inſerviens militem conducit, & magno numero auget, ut plures hoſtes, præſertim verò Rempub: bello implicet, atq; in deteſtandam impiorum armorum ſocietatem alliciat, ſummopere connititur; in quem finem non modò actiones noſtras in Reip: non minùs, quàm propriam noſtram ſecuritatem vergentes iniquâ ac inviſâ interpretatione præſtringit, verùm etiam operam ſedulè impendit, ciendis ejusmodi turbulentis factionibus, quibus credit vaſta ipſius deſtinata, colliſis, attritisq; Reip: viribus, faciliùs perfici poſſe, nec poteſt non in Reip: noſtrumque detrimentum cedere, quòd Tartaros ſollicitet, communemq; cum communi utriusq; hoſte, vel non amico magno Moſchorum Duce cauſam agat. Omni igitur dubio caret, quòd etiamſi Rex Poloniæ animi pacifici ſpeciem præſeferat, novis monſtris, novâ blandientis linguæ aſtutiâ præſidium quærens, nihil tamen ei optatius quidquam deliberatiusq; ſit, quàm conquiſitâ virium occaſione denuo nobis damna inferre, ſimulq; jura & libertatem Reipub: evertere, adeo, ut à ſubdolis machinationibus, quamdiu ſuperſtes ſit, throno impoſitus ſibi nunquam ſit temperaturus, nec favorabilior

A.C.1701 *u la ei affulgeret complendæ malevolentiæ occaſio, quàm ſi hac tempeſtate Exercitum noſtrum revocaremus, & anteactis contenti juſtam cauſam noſtram proſequi intermitteremus. Quapropter ab inclyta Repub: nomen ſervatæ integræ amicitiæ cultorumq; ritè pactorum mereri volentes, nobis jure pollicemur illam nobis haud velle ea invidere cōmoda, quæ hoſtibus noſtris, & pacis turbatoribus, aut connivendo, aut ex malorū anteuertendorū impotentia indulſerat. Quin nec jure poſſit Reſp: ſubſiſtente hocce perfectæ inter nos, & eam colendæ neceſſitudinis impedimento, remoram ullam injicere, quominùs aſſertum hoſtem noſtrum, ubicunq; commoretur, quæramus, ut vel ſic tandem omnia iſta, quæ tum noſtræ, tum præſertim Reipub: ſecuritati officiunt, è medio tollantur. Quam rem ſicuti maximè neceſſariam, ita nunc omnino perficiendam cenſemus, firmiſſimâ duraturæ inpoſterum fidæ amicitiæ teſſerâ; aliàs enim Rex Poloniæ, eâdem, quâ uſus eſt priùs, aut non diſſimili larvâ eandem protinus ſcenam, quaſi inſciâ & invitâ Rep: cuderet, & prælium ſi perderet, in Poloniam ſe ſe iterum recipiens juſtam vindictam, præſtandæq; ſatisfactionis debitum effugeret. Nam, qui ijs imbutus eſt artibus, ut non vereatur inconſultâ Repub: conglutinatum temporis diuturnitate & communis commodi ligamento fidæ amicitiæ nexum rumpere, anne poſſit eâdem larvâ ejus redintegrandi ſtudium eludere? Qui non verecundabatur nefarijs proditorum & perduellium ſuggeſtionibus irretitus, fidem ſub ſpe arctioris faciendi fœderis cautè pollicitam fallere, an tanti habiturus ſit factas à Repub: integræ viciniæ pollicitationes, ut eas ſuis in contrarium voluntatibus reddere nolit irritas. Nullâ re eum cohiberi poſſe creditur, apud quem dummodo ſumma imis miſceat pactorum rigor, ſanguinis reuerentia, juramenti vinculum, legum obligatio, & populi ſalus uileſcunt. Qui talia auſus eſt, is ſcilicet animi infenſi exuet uitia, ſtimulum præſertim addentibus ijs, qui noſtris libertatisq; Polonæ juribus inſidiantur. Examinet cordatus quiſque inſtitutos à Rege Poloniæ clam, palamq; tractatus, & inuolvendo bello Reipub. conſilia, indeque poſtea de internis deſtinatis judicet. Nos equidem nihil magis in votis habuimus, quàm ut pro ſingulari, quo Rempub. amplectimur affectu, cum eadem imminentibus periculis erectam firmare mutuam amicitiam, corroborareque utriuſque Regni emolumenta potuiſſemus, cui rei efficiendæ, uti præſentem occaſionem maximè idoneam judicauimus, ita eandem fortiter arripiendam ſuaſimus, rati, malorum haud eſſe certius, tutiusque remedium, quàm ſi cauſa eorum & radix reſcindatur. Quod ipſum ut à nobis efficiatur, ni uires ad id Reipub. ſuppetant, operā dabimus. Porrò quòd capta ab hoſte noſtro tormenta bellica attinet, haud perſpicere poſſumus, quo eadem jure aut titulo à nobis expeti poteſtis. Cùm enim inauditum, & incongruum ſit, ſeſe victoriæ præmijs ac ornamentis priuare, cordati cujusque dijudicationi relinquimus, cujus ſit hæc res momenti, & quid ex ejusmodi prætenſione poſſit concludi? quam quodſi potiùs à laudanda Reipub. æquanimitate*

mitate expectare debeamus, ut iſta ornamenta & apparatum bellicum, quem contra nos in bello hoc uſurpatum fugatus Regis Poloniæ exercitus ſecum in Regni Territorium adduxerat, tradere nobis, & exporrigere non detrectet. De cætero Eminentiam V. cum apprecatione omnigena proſperitatis ſoſpitem diu, & incolumem cupimus. Dabantur in præſidio Wargenenſi 10. Decembris Anno 1701. A.C. 1701

LITERÆ REGIS ANGLIÆ, AD REGEM SVECIÆ in puncto mediationis belli Livonici 10. Decembris, 1701.

GVILHELMUS III. DEI GRATIA REX ANGLIÆ &c. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Domino Carolo eâdem gratiâ Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regi, &c. Fratri, conſanguineo, amico, & fœderato noſtro ſalutem.

Cum primùm Mtas Veſtra fauſto omine conſcenderet majorum ſolium, facillimè comparuit Mti Veſtræ ineſſe magnanimitatis ac virtutum ſemina, quæ tantam deinceps non tam ex quæſita occaſione quàm impoſita rerum neceſſitate maturitatem aſſecuta ſunt, atq; admirationem omnibus mouerunt, quinimò gratiſſimum, & perjucundum nobis fuit quod nauales noſtræ copiæ, Ducesq; in partem & teſtimonium uenerint primæ ſuæ & glorioſiſſimæ expeditionis iſtius contra vicinum confectæ. His etiam controuerſijs à Mte Vra vix priùs impoſitus eſt finis, quàm in alterum illico uictoriarum campum euocetur, nihil impeditus exeuntis jam anni aduerſa militaribus tempeſtate, nihil copiarum numero ita ad bellum inſtructarum, ut ingruenti tanto hoſtium tumultui reſtitiſſe moramq; injeciſſe magnum aliquod, fauſtumq; alijs videretur. Sed majorem Mti V. animum addidit rerum difficultas, & inſtantis periculi gravitas cum Regiæ ſuæ perſonæ in prima acie pugnanti nulli hoſtium conatus, nulla militum pertinacia obſtare valuerint. Novus poſthac repente Mtis V. provincijs imminuit hoſtis, qui direptâ earum aliqua in dubium tuliſſet, niſi infracta Mtis V, & repulſæ neſcia virtus obviam iviſſet, & ſeparato interpoſitorum fluminum, militumq; adverſorum obice tam memorabilem reportâſſet victoriam. Ex quibus Mtis V. tam fortiter, tamq; auſpicatè geſtis ulteriores armorum ſucceſſus augurari non difficilè eſt, ſed prudentis eſt nonnunquam feliciſſimum reprimere impetum, nec non eximiæ animi ſui dotes, & curæ ſagaces alios procul dubio polliceantur fructus, non minùs ditionibus Mtis Veſtræ, ſubditisq; ſalutares, nomine dignos, & communi deniq; Chriſtiani orbis cauſæ accommodatos. Exigit enim præſens rerum conſtitutio, ut ea ineantur conſilia, quibus univerſa Europa ab immenſa, & ſummũ Imperium ambiente Gallorum potentia vindicari, atq; immunis præſtari poſſit. Cùm verò ad optatiſſimum illum finem nequaquam perveniendum eſſe exiſtimemus, niſi reſtauratâ primùm inter Mtem V, & partes belligerantes pace. Cumq; certiſſimum nobis ſit Mtem V. publicam Europæ ſalutem proprijs rationibus anteponere, non potuimus Svadet pacem.

K 2 *quin*

A.C.1701 *quin ſtudia noſtra Mti V. aperiamus, ipſamque, quantum perſuaſu noſtro, inductuq; poſſumus, ad pacem Reip: Chriſtianæ adeo neceſſariam invitemus, quo optimum deniq; triumphum cæteris facilè additura ſit. Tam certè is eſt præſens, rerum temporumq; habitus, ut eam non modò honeſtam ſecuramq; conciliare, ſed & ejusdem leges dare, & quaſi alijs imponere Mti V. liceat. Et ne quid ex parte noſtra deſideretur, quod ipſius rationibus & publicæ tranquillitati conducere poſſe videatur, operam noſtram in omnibus, ubi opus fuerit, amiciſſimè offerendam duximus, non dubitantes, quin oblata hiſce officia noſtra, æquo animo admiſſura ſit, & non nihil de juſta ſua ſatisfactione noſtri gratia libenter detrahi patiatur, quo pax illa communi Europæ utilitati, & Majeſtatis Veſtræ commodis gloriæq; conſentanea rogatu noſtro quodammodo impetrata videatur.*

SERMO IN POST-COMITIALI CONSILIO PALATINI LENCICIENSIS GENERALIS MAJORIS POLONIÆ Varſaviæ 18 Januarij habitus.

Felicia abiêre tempora Rex inclyte, quibus ſine interprete ſenſa ſua depromere licuit, ſimulque vitare maligna ſiniſtrè interpretantium ingenia quæ Dominum, cives, & Rempub. collidere aſſvevêre. Loquimur ejus duntaxat conſolationis intuitu, quòd ſi quando, tum modò præſentis hujus conſilij Reſpub. arbitra, ipſa uniuſcujuſque interpretabitur dicta, ponderabuntur non numerabuntur ſenſus.

,Loquar igitur, ſed non niſi probata & librâ affectus cordisque mei ,examinata, ejus ſcilicet cordis quo vix dum convaleſcens Cracoviam ad ,obſequia Majeſtatis V. adrepſi, & quo fidelem ſemper probavi operam, ,id ſolummodo pro objecto habens: ut dulci inter Majeſtatem & libertatem obſecundans harmoniæ, V. Majeſtatem, Rempub. & me ipſum minimè deciperem. Non aſſumo facundiæ ornamenta, quia flores non ,apparuerunt in terra noſtra: procedo ad puncta ante-comitialis conſilij, ,quod proh Deum! ſub Auguſto Majeſtatis nomine ſpinas non roſas fert, ,dum lauream ab exteris pro merito coronam, ſpinis in Repub. noſtra ,intertextam & alternatam videmus.

,Benè punctum primum explicat, quamvis de hoc pauca dicat; plus ,ita ſentit quàm dicere poſſit. Deteſtabilis non tantùm Reip. noſtræ, ,ſed etiam peregrinis nationibus caſus, nunquam ab ævo in terra noſtra ,auditus imperat claram ſupprimere vocem; ne poſteritas audiat, fiantq; ,iſta palàm & cupiant in acta referri populorum; apud quos nullo prævio argumento & ratione, jam de ſimilibus actibus, proh dolor! ſumus ,ſuſpecti. Stupet hæretque non tantùm Poloniæ ſed univerſæ Chriſtianitatis animus, totus attonitus ſuper eo, quòd in diebus noſtris, in Repub. noſtra factum eſt, nam quamvis M. D. Litvaniæ ſibi ſeparatam ,formet Rempub. mihi nihilominus una eſt, unum hoc corpus eſt Rex ,ſub Majeſtate V. ceu uno Capite. Et id primum eſt, quod altiſſimo Majeſtatis V. ſubjicio arbitrio: quid cum juribus Majeſtatis? quid cum authoritate Senatûs, quid cum officina legum hypocauſto Nuntiorum ,geſtum & peractum ſit? ſubverſum jus omne manu: unde non tantùm ,magno Ducatui Lit. ſed toti Reipub. ſuccurratur neceſſe eſt. Quis verò modus ea ſanandi vulnera ſit? mihi conſilium non ſuppetit: altiſſimi manus Domini tetigit nos; non niſi igitur Vicariæ poteſtatis eſ-

ſe

,ſe exiſtimavero, cui dat ſua dextera pondus, tantis malis mederi poſſe. Quia *A.C.*1701 ,nihilominùs ex vi Officij mihi conſulere incumbit; dico, quod ſentio. ,Ut verò ſecuriora ſequar, nec pro medicina venenum præſcribam, non ,meum ingenium, ſed morem legibus Patriæ munitum in conſilium advo-,co, danda utrique parti mandata cenſeo, quòd Remp. dum putant ſuam, ,tractant ut alienam. Hoc à Majeſtate V. efflagito; ut per id conſilium ,ſe oſtendat Dominum, Dominam autem Rempub. Non ea ſunt tempo-,ra Rex, quibus in ſciſſione plenum clementiæ bonitatisq; pectus, ne in ,libertatem impingat, titubare neceſſe ſit: nunc pro libertate & conſerva-,tione jurium Majeſtatem exardeſcere oportet, ne nobis in hoc conſilio,in ,cujus exitum totius Reipub. oculi converſi ſunt, congregatis illa affiga-,tur cenſura: qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet. Procul hinc jam ,aſſentatio, malum enim palpando alitur, juſtitiam noſtram expectantes ,conçives, ſi illa in executionem venerit, ingens inde ſument ſolatium. Hoc ,igitur opto; tanquam ſtrictiſſimam minimis dicti mei Patriæ & conſcien-,tiæ redditurus rationem, ut mandatis cum utraque parte agatur, Reipub. ,interim de ſenatûs conſilio quàm rigidiſſima ſecuritatis perſonarum, bo-,norum, & miniſteriorum remedia providebit, contributiones ſine Repub. ,ſancitæ, hujus ignis fomenta, annihilentur, exercitus uti novâ forma ex-,authoratus fuit, ita eâdem erectus, ne involvat Rempub. ad ulteriorem ,ejuſdem deciſionem, ſine qua nec exauthorare, nec authorare, nec in-,ducere licet, exauthoretur. Credat mihi innocuè Majeſtas V. tanto ma-,lo involvitur, ſimulque cum capite totum Reipub. corpus, quæ hoc prin-,cipali delicatiſſimo & fundamentaliſſimo jure gaudet. Ita jam olim Au-,guſti ferebant tempora; quibus in ejuſmodi occaſionibus non habebatur ,pro crimine amiſiſſe enſem; at graviſſimum cenſebatur ſcutum perdidiſ-,ſe,quo corpus tegeretur: quo velut per ſymbolum innuebatur, grandius ,in conſervatione momentum, quàm in aggreſſione præclariſſimorum & ,glorioſiſſimorum intentorum verti. His præmiſſis concluſa jure & præ-,ſentis ante-comitialis conſilij vigore ſuccedunt comitia; quæ dum in jure ,per expreſſum deſcripta video, ad nomen conſtitutionis venerabundus aſ-,ſurgo, & loqui contra eam erubeſco, ne Senator exiſtens meritò illâ, quâ ,miles ſago tenus non auſis confixus fuit, perſtringar criſi, quòd juſſa Du-,cis interpretaretur non ſequeretur. Nulla me de hoc dimoverit ratio vel ,circumſtantia, vel in partes traxerit reflexio. Feciſſent ſuperi! ut juxta con-,ſtitutionum ſancita locus fuiſſet comitijs; non vidiſſemus tam manifeſtam ,Reipub. cui extingvendæ utrum pares futuri ſimus, ignoramus, confla-,grationem: niſi forſan (quòd DEUS avertat) extremum illud tentemus, ,ut extingvamus ignibus ignes. Delicata magni illo; tempore Mareſchalci, ,modò autem Cancellarij manus adjuta clementiâ Regiæ Majeſtatis aſſe-,curatione & pacificatione Ordinum utriuſque gentis auſpicatò ſuccurrit, ,feliciterque abſolvit negotium; ut ceſſaverint venti & tempeſtates: verùm ,prudentiſſima Reſpub. quam corrigere non præſumo, nondum ſatis ha-,bens, ad perfectam reſpexit malaciam, primo vere comitia decernendo. ,Ea & ego deſidero, ea quàm demiſſiſſimè quantocius deſignari peto, tan-,quam is, qui nec Majeſtatem V. nec Rempub. in fraudem inducere vo-,lo. Major (avertat DEUS) Majeſtatis V. foret deceptio, tot actibus de-,clarata & intimata, nec tamen ſtetiſſe comitia quàm illa, quâ Heroicum ,Majeſtatis pectus inaniter forſan lactatur, malo, Rex, candidè proferre ,ſenſum; ut fidele probem obſequium, ne olim ſive coram Majeſtate, ſi-,ve Repub. ſive conſcientia mea erubeſcam.

,Alterum punctum eſt Rex importuniſſimè porrectum de coronatio-

A.C.1701, ne Electoris Brandeburgici; quia eo momento heſternâ luce, qua coronabatur admiſſum. Gladiatoris tantummodò eſt in arena ſumere conſilium, ejuſmodi verò actus vel maturè priuſquam fiant, proponendi ſunt, vel ubi jam facti fuerint, ſecuturis comitijs, tanquam delicatiſſima materia relinquenda. Obligationem meam erga Reginam viduam etiamnum recognoſco, ejuſque me fuiſſe ſervum glorior. Libenter aſſentior, ut hoc devotionis beneficium per ſenatûs conſilium concedatur. Quia nihilominus jura Reginæ à Repub. dependent; perfectè illorum ſecuritati conſulens, ad comitia remitto, nec eum periculo eorum per ſenatûs conſilium officioſus eſſe volo. Illatum ad Majeſtatem V. punctum à Caſtellano Vilnenſi meretur omnem tam Majeſtatis V. quam totius ſenatûs reflexionem, ac deinde deciſionem. Res ipſa loquitur, eò uſque acerbitatem fatorum M. D. Litvaniæ deſæviſſe; ut etiam in abſentes ſine ulla intimatione crudelem & abſolutam legem tulerit decernens: ut eorum bona, qui non juraſſent, confiſcarentur. Quemadmodum igitur Caſtellanus circa hoc juramentum, quod eſt vinculum iniquitatis, meritò ſcrupulum habet, ita juſtæ ejuſdē preces ſunt, ut authoritate ſenatûs conſilij per expreſſum ſecuritati bonorum caveatur, hocq; punctum decidatur: ne pro fide ſua erga V. Mtem totamq; Rempub. more Litvanico pœnas innocuus luat. In eadem mihi videtur navi navigare Pro-Cancellarius Litvaniæ, cui nec V. Mtas, nec totus ſenatus deeſſe poteſt: ſilere enim nefas, jam illatâ quæſtione, foret id dare jus iniquitati & approbare actus, quos uti videmus univerſus ſenatus abominatur & deteſtatur. Nunc vero Rex Sereniſſime precor; ut quemadmodum nóbis primitùs à Seren. domo Mtis V. collatam gratulamur coronam, & quemadmodum gratitudinis inſtinctu eâdem Auguſti Mtis V. tempora coronavimus, ita huic afflictæ Reipub. noſtræ ſub Sereniſſimo nomine Majeſtatis omnis menſis ſit Auguſtus.

LITERÆ PRINCIPIS WISNIOWIECKI AD PRIMATEM CARDINALEM. 20. Januarij.

CUm merita & debita me ſiſto Tibi ueneratione, cultum ferens obligatæ ſubmiſſionis meæ; ad quem me beneuolentiæ Tuæ gratia & candida ad ulteriora obſequia excitat propenſio. Sapiehæ non pridem innocui ſanguinis noſtri Vilnæ helluones, recenter autem tantæ Emathicæ cædis concinium ſuorum ad Leypunos Authores, & ibidem Equeſtris Ordinis aggreſſores, modo ad latus R. Mtis exiſtentes facundi exiſtimo ſunt, pro domo ſua Oratores. Mihi verò pro omni aſylo Tu unus es, de cujus gratia non dubito: uoles tam me, quem teſtata ſuprema Parentis mei mandata ſpeciali Tuæ commendatum noluêre protectioni, quàm totum Ducatum Lit. & tot malis orbatam Patriam Tuâ complecti beneuolentiâ & fouere. Nequeunt enim usquam alibi indagare aſylum, aut reperire conculcata per Lituaniam jura, legum contemptæ ſecuritates, effuſus nobilitatis cruor, madensq; ciuili ſanguine tellus; niſi apud unicam Primatialis purpuræ authoritatem, cui uni competit publicis mederi injurijs. Tuam igitur tam ex perſona mea, quàm totius Lituaniæ nomine, imploro gratiam; uelis tam recens authoratum exercitum tuâ fouere protectione, quàm me ipſum qui pro parta reputo gloria me Tuum eſſe &c.

P. S.

P. S. Legatio Olkinikis tam ad Regem, quàm ad te deſtinata tardavit hactenus; verùm intra breve tempus, ubi in lucem publicam inſtrumentum prodierit, feſtinabit ad exequendum munus ſuum. Mitto autem modo Tibi Copiam juramenti à Cancellario & alijs Colonellis Rozanæ peracti, item aſſecurationem ejuſdem Principis Cancellarij ratione tutelæ bonorum Principis Neoburgicæ, cujus originale apud me depoſitum eſt. A. C. 1701

FORMA JURAMENTI COMMUNIS MOTUS MAGNI DUCATUS LITVANIÆ.

EGo N. juro DEo Omnipotenti, uni in Trinitate ſuper hoc; quod quidquid anno præterito 1700 congregati per communem motum Ordines M. D. L. ad Olkinikos conſtituerunt, non tantùm ſuſcipiam id totum: ſed etiam propugnare, defendere, ab eo non recedere, illi ſubjacere non detrectaturus ſim, imò ad id obligatum me profiteor, promittoque: quòd nullis modis, factionibus, corruptionibus me decipi aut abſtrahi ſinam: item reſpectui omni, colligationi, conſangvinitati cum domo Sapiehana, quorum vi, illis opitulari deberem, renuntio, perpetuò ſincerè & candidè unum velle & nolle cum tota Repub: M.D.L. conſervaturus. Declaro etiam me obligatum futurum, & ubi id neceſſitas poſtulaverit, promptè ad defenſionem libertatis, jurium coæquationis, & præſentis ſanciti Generalis Reipub: pro communi motu accurſurum pariturumq; innoteſcentijs Principis Generalis Colonelli. Nulli ſciſſioni, ſi quæ prorumperet, me adjungam, non me avellam à Republ, nec auxilium, conſilium, præcautiones adverſantibus Reipub: ſuppeditabo, quidquid damnoſum imminere Reip: aliunde intellexero, maturè Principi Colonello intimabo, cum ſignis meis Mti & Reipub: fideliter & ſincerè deſerviam ſubordinatione Principis Generalis Colonelli; contra voluntatem & ordinationem Reipub. Milites meos & vexilla in exercitu non ſuſtinebo, quinimò ad primam concordem Palatinatuum & Diſtrictuum M. D. L. intimationem illa exauthorabo. Super his uti juſtè juro; ſic me DEus adjuvet, & ejus ſancta Paſſio.

ASSECURATIO PRINCIPIS CANCELLARII M. D. L. SUPER TUTELA BONORUM PRINCIPIS NEOBURGICÆ.

CArolus Staniſlaus Radziwil &c. Accommodando me Generali ſancito congregatorum Ordinum M. D. Lit. per communem motum Olkinikos, anno 1700, hanc do aſſecurationem: quòd recipiens in tutelam ex voluntate Reipub: Principem Neoburgicam Palatinidem Rheni, uti & bona ejuſdem Slucenſem, Kopylenſem, Birzenſem, Dubinenſem Ducatus & alia fortalitia, poſſeſſionesq; in M. D. L. ſitas, non alio modo, quàm qui publico inſtrumento Generalis ſanciti deſcriptus eſt, præfata bona titulo tutelæ dependenter à Regia Mte & Repub: inſimul tenebo, proventibus ex ijsdem in præjudiciũ libertatis & jurium coæquationis aliorumq; M. D. L. cum Regno Poloniæ non abutar, tantò magis nullos cum Principe Neoburgico contractus modo in Sapiehis à Repub: reprehenſo admittam, usq; ad deſponſationem prædictæ Principis. Gubernatores arcium bene poſſeſſiona-

A. C. 1701 *ſionatos ex Nobilitate Lituaniæ de amicitia vel cointelligentia cum Sapichis non ſuſpectos à Repub: deſignatos, & per Commiſſarios inſtitutos conservabo. Juramentum fidelitatis ab illis non aliter, quàm ſi à Rege & Repub: ſimul dependerent, exigam (ſaluo per omnia jure meo & inſcriptione in caſtro Varſauienſi anno 1669. 28. Junij recognitâ, uti & teſtamento defuncti Boguſlai Radziwilij Præfecti Stabuli M. D. L. item in integro ad nubiles annos ætatéq; competente prænominatæ Principis conſeruatione) ad quæ omnia manu tenenda, non tantùm hoc ſcripto à me in depoſitum Principis Michaëlis Seruatij Wiſniowecij &c: extradito, ſed etiam fide, honore, & conſcientiâ ſub amiſſione ejusdem tutelæ & reſtitutione illius ad diſpoſitionem Reipub. me obligo, volens hoc aſſecurationis inſtrumentum ejus valoris & ponderis eſſe, cujus eſſet, ſi actis authenticis fuiſſet roboratum, me manu propriâ inſuper ſigillo applicito ſubſcribo.*

Carolus Stanislaus Dux Radziwil
Cancellarius M. D. L.

ORATIO LUDOVICI POCIEY PRÆFECTI VIGILIARUM M. D. L. LEGATI à PALATINAT: & DISTRICTIBUS M. D. L. 15. Februarij habita in publica audientia.

SUB umbra Sarmaticæ Aquilæ & protectione Auguſtæ Mtis V. dexteræ, ſuaviter Polono orbe in pacis ſinu quieſcente; Magno Ducatui Lit. cruentus Mavors funeſta bella propinavit, quodque acerbius ad „dolorem eſt, per obſtinata hactenùs in ditionibus V. Mtis audita nun„quam odia, parricidali propriorũ Filiorum manu Parentis Patriæ ſeru„tatus viſcera, cumrharſalieis ſimulachris totius ſubire oculos coegit uni„verſi, Rex Sereniſſime. Indoluit ſimili fato ſuo nuper urbs orbis Domi„na Roma, & non jam leniendos ſed memorandos duntaxat ſeræ poſteri„tati conſignavit dolores, priſcoq; honore & libertatibus ſuis in funeſto „degenerũ filiorum cinere tumulatis ſuperſtite ſolũmodò expreſſit gemitu:

Heu quantum potuit terrâ pelagoq; parari
Hoc, quem ciuiles hauſerunt, ſanguine, dextra.

„Unica adhuc nobis affulget ſpes à Regali providentia, & paterna ſolici„tudine; quòd ingens hoc ultra non ſerpet malum, remittet furor, & „licentia ferri elata in commune nefas ad Patriæ hebeſcet jura, voletq; „recondi in vaginam. Hinc eſt, quòd hunc ſubierit eoque conſiſtat loco „Litvania, oculis Majeſtatis cruentum offerat ſpectaculum, inflictas ab „una domo ſupra omnem ſe ſe æqualitatem efferente cicatrices. Nume„rat illa coram Mte V. in pectore ſuo tot alta civilis vulnera dextræ, „quot nimia ejuſdem domûs licentia infregit libertates: non commemo„rat ſplendoribus ſuis nudatas, aut in favillam redactas Eccleſias; tacet „præpoſteræ pietatis opus, de raptis nimirum opibus, expilatis Regalibus „planè per Ducatum L. fundationibus, ex Auguſtiſſimis mœnibus ampliſ„ſima à prædicta familia excitata pauperum Noſocomia; nec illud dicen„dum exiſtimat, qualiter eadem vulpinis fraudibus protendens manus, „adorans vulgum, jaciens oſcula, omnia ſerviliter attentavit pro Domi„natione. Quantis dolis per Palatinatus & Diſtrictus ſuis illuſit illa con„civibus; ut tot bono publico inſtituta comitia confunderet, ſusdeq; ver„teret ſtatum hypocauſti Nuntiorum, dishonore Majeſtatem minueret,

Cardi-

, Cardinales leges infringeret, alienis opibus diteſceret, benè ſentientes *A.C.*1701
, ſed non faventes ſibi opprimeret, ſubſellia tolleret, eorumq; ſancita vi-
, olaret, cuncta paterent ſceleri & ipſum ſcelus pro virtute cenſeretur,
, ſiſteret deniq; vocem & liberam per comitiola activitatem in tantùm;
, ut rarâ temporum felicitate, ubi quæ velis ſentias, & quæ ſentis dice-
, re liceat. Præterit abuſus illos, quibus authorato ad defenſionem Reip:
, militi jus faſq; datum Patriam opprimendi, ut quod liberet, etiam eidem
, liceret. Non vult meminiſſe interverſos quadraginta propemodum mil-
, liones contributionum, & pro publico Reipub: deſtinatos, ab illa priva-
, tis uſibus addictos. Supprimit ſilentio toties extra Regnum iteratas pro-
, fectiones, contra jura, practicatasq; eum exoticis Principibus factiones,
, quò turbatâ Patriâ feliciùs ſua conſequeretur intenta. Silet & illud quòd
, inſciâ Repub: machinationes ſuas tot ab extraneis ſummis ſolvi ſibi per-
, miſerit, & ſupra æqualitatem titulos Principatus longaq; emolumenta
, cum detrimento Patriæ affectaverit, quod teſtantur victrici dextrâ Sve-
, tica ad Olkinikos inter ſpolia vindicata ſigilla. Denium non vult offen-
, dere aures mentione palmarij, quòd nec divino nec humano juri etiam
, in minimo puncto, quin violaret, pepercerit, quamvis nihil intactum
, eſt. Quid enim prodeſt enarrare ſcelera? in quorum vita momentis ſce-
, lus aut ruina crevit. Stat igitur duntaxat præ oculis Mtis V. Litvania,
, cruentum toties Concivium noſtrorúm profuſi ſangvinis exhibens ſpe-
, ctaculum: vocalis ille coram DEo, vocalis & coram poteſtate Mtis Ve-
, ſtræ, invocat vindictam, exſurgat quiſpiam de noſtris oſſibus ultor. Ge-
, munt cæſi ad Caunam, Jurburgum, Ziimoros, Roſienos, Oſmianam, Ol-
, kinikos: reſonat funeſta echo de ſub ſepulchrali tumba à peremptis Bo-
, kieis, Cedrowscijs, Białozoris, Oginski, cui ſolâ exceptâ morte non fui
, aſſociatus, de cætero nihil ſolam præter vitam mihi relictum eſt. Oſtentant
, altorum vulnerum meatus fuſumq; cruorem pro libera in comitiolis voce
, tot ab adductis Tartaris equitibusq, per Ducatum Samogitiæ, Orſenſem,
, Novogrodenſem, Breſtenſem, Oſmianenſem, Mſciſlavienſem aliosq; quà
, Palatinatus quà diſtrictus, mancipiorum inſtar imò hoſtium tractati. Præ-
, ſentat ſe ipſa violata ſecuritas tribunalium M. D. L. obſidione aliquot mil-
, lium peditum cincta in ordine; ut ejus tollatur authoritas, ijq; ſolummo-
, do, quos ipſi volunt, judices deſtinentur contra proteſtationes & rupta
, comitiola; ſiſtit inſuper Majeſtati Principis velut in ſinu ſuo duo lumina-
, ria ducatûs ſui Illuſtriſſimos Principes Wisniowecios, in proprij naufra-
, gos ſangvinis diluvio; cui inundaturo Caimi manus fontes & meatus reſe-
, ravit. Ingemiſcit ipſa indoletque tanto caſui videns eos, ex quorum nuper
, domo Regali indutum purpura Sereniſſimo inauguravit throno, nunc a-
, lio longè murice proprij videlicet cruoris Dibapha diro ad poſteros exem-
, plo inveſtitos.

Aſſyrias latio macularunt ſangvine Carras.

, Oſtendit quidem domus illa, prodiditque dolorem, ac ſi implo facinore
, moveretur; verùm id ſimulacrum Crocodili fuit: excuſavit ore, perſcelus
, corde patratum facinus, lachrymas non ſponte cadentes elicuit, gemitusq;
, dedit de pectore læto, demùm Sereniſſime Rex, quod vel ipſe univerſus or-
, bis manifeſtius hoſtilitatis in Patriam cenſere poteſt argumentum? quod
, inſolentis arrogantiæ & odij in propriæ matris furentis viſcera invisum
, magis unquam vidit ſpectaeulum? ae illud fuit: quando malè ominatis
, auſpicijs (domeſtici enim ululârunt in fata bubones) concivium ſuorum
, quos univerſalia V. Mtis ſecuritas limitum à Svecia providenda, meditata
, cum prædicta domo compoſitio & approbanda concordiæ puncta in eum
deſeri-

A.C. 1701 , deſcripta finem Vilnam evocaverant, & jam eo tendebant: nobili tinxerunt
, ſangvine campos, primum ad Oſmianam, nullâ causâ aut occaſione præ-
, via: poſt needum expletâ cruentâ ſiti tanquam triumphatores, aliquot mil-
, libus militum ſclopetariorum, totque tormentis inſtructi ad Leypunos
, primâ ſtatim fronte centenorum aliquot Nobilium corporibus inſtrave-
, runt agros, uti reſidua â fatis præfecti ſtabuli charta propriâ manu ejuſ-
, dem ſcripta denuncians Vilnam triumphum teſtatur. Quomodò non jam
, tum Palatinatus & diſtrictus tantâ ſaltem hoſtilitate expergiſcerentur?
, quomodo non moverentur tam ferali excidio? poterantne tolerare ampli-
, ùs ſangvinisq; inertes ſpectare diluvium, nec naturalem ipsisque brutis e-
, tiam mitiſſimis non inſolitam arripere defenſionem, expectarentne ultimũ
, jã jam jugulo imminens exitium quando jam ipſa bellica latè divulgârunt
, tormenta, declarâruntque tot mortibus fratrum illos Patriæ civiumque
, hoſtes. Coegerunt hæc Ducatum Litvaniæ perenni antenatorum ſuo-
, rum zelo ſtringere frameam in aggreſſores, ſeque tueri, debuit aheneum
, ex ſuorum pectoribus obtendere murum Litvania; ut vitæ fontem liber-
, tatem defenderet, debuit deſvetam manum, viresque in prælia exercere,
, rudemque juventam à triginta annis Martis neſciam ad arma vocare. Si
, ſæcula tantùm aurea Saturni memorant, & nulla recentis gratia virtutis,
, aude tamen alta pubes, mento caneſcant alij, nos mente, nos animo;
, facie, nos pectore: tempora certè virtutem non prima negant, non ulti-
, ma donant. Uti etiam factum eſt: benedixit juſtus DEUS, venit qui pro-
, bra ſuorum enſe pio redemit. Contrivit virtutem ſuperborum, altas ima-
, ginationes redegit ad nihilum, depoſuit potentes de ſede. Et ita jam Rex
, Sereniſſime his præmiſſis Litvania non adfert novos codices jurium in
, conſtituto ſuo; ſed antiquas leges ſat amplo ſtylo in perduelles latas ex-
, ſequitur. Non vult ut ſterileſcant leges, ubi ſcelera floruêre: neve deſi-
, nant, vel illis ipſis aſſentientibus, qui Patriæ manifeſtis factis inimici vo-
, ce quodãmodo faventes, proclamare non erubuerunt; Lit. ratificat, con-
, firmat, & pro lege inviolabili conſervare decernit. Offert igitur hæc ſta-
, tuta ſua, quæ non ante ſcripſit, quàm ſangvine proprio imbuiſſet, ad manus
, Mtis V. humiliter ſimul ſupplicans; ut ſicut ſuper omnia nobis juravit
, jura, ita & hæc, quandoquidem ſola in illis jurium executio eſt, dignetur
, manu tenere, Ducatum verò ipſum ijsdem glorioſis manibus, quibus do-
, mare gentes feroces non inſolens eſt Regiæ Majeſtati, ab ulterioribus de-
, fendere & protegere velit apertis ſive occultis hoſtium impetitionibus,
, ad plantas Domini exorat.

INSTRUCTIO STANISLAO SUCHORZEWSKI ET LUDOVICO GORZENSKI NUNTIJS AD REGEM EX COMITIOLIS SRZEDENSIBUS 14 Febr. data

SI illæ potiſſimum Regum Majeſtates pretioſum orbis rapiunt affectum,
quorum ſplendores ſors naſcendi magnificâ extollit baſi, multò hæc for-
tuna manifeſtius in V Majeſtatis ſupereminet perſona, in qua Cæſarũ
, de ſtirpe Ducale coruſcat genus, inſuper, quod difficillimum cenſere or-
, bis, Majeſtas verè V. ſupremum ingentis gloriæ debet reputare decus at-
, que ſolatium, liberis gentis Polonæ votis & vocibus tot inter inclytos
, coronæ hujus competitores in Regem & Dominum noſtrum eſt electa: in
, qua velut baſi quemadmodum invictum Regni noſtri fundavimus propu-
, gnaculum, tanti ſplendoris invidiâ exteris relictâ, ita certi hujus ſpei vi-
, vimus, quòd divinè qualificatus Princeps animos populorum Regij amo-
, ris illicio occupare, hoſtium Regni domare proterviam dignabitur, & quid-
quid

,quid Regi & legi debetur correlativâ ſympathiâ clementiſſimè moderari *A.C.* 1701
,volet, hoc modo infallibilem obedientiam, populorum harmoniam, Ma-
,jeſtati verò ſuæ tanto profundiorem reverentiam cauſatura, pro cujus
, Majeſtate uti univerſa Polonia, ita Palatinatus noſtri vitam ſangvinemq;
, vovent, & perennes immortalesque dies ab altiſſimo Rege Regum ſuppli-
, ci depoſcunt voto.

, Quoniam verò juxta ſtatuta Reipub. Noſtræ legibus eadem firma- *Poſtulata*
,tur ad diuturnitatem, & ſine his veluti corpus ſine anima conſiſtere & *ex comitiis Srze-*
, regi nequit: rogabunt nuntij Regiam Majeſtatem; ut circa hanc animam *denſibus*
, viventem Reſpub. noſtra conſervetur, præſertim, ſicut lex in comitijs no-
, viſſimè prolata obloquitur circa cautionem Mtis aſſecurantis Rempub. de
, eductione externi militis, & non futura impoſterùm reductione ejuſdem *Saxonum*
, in viſcera: qui nihilominus, quamvis lex vetet hactenus in Litvania diſtri *evacuatio*
, butus ſubſiſtit: unde nuntij noſtri apud Mtem humiliter inſtabunt, non *petitur*
, tantùm nuperrimæ legi, ſed etiam tot conſtitutionibus in ante-actum de
, copijs & corporalibus cuſtodijs externis ſub Anteceſſoribus Majeſtatis pro-
, latis; ut Reſpublica ab illis quantociùs evacuetur, quibus eductis Re- *Bellum*
, giæ Mti Nuntij noſtri ſupplicabunt; ut bellum Sveticum ad deciſionẽ *Sveticũ*
,Reipub. ſuſpendat, & quidquid conſtitutione noviſſimâ ſub prænomina-
,to titulo deſcriptum eſt, clementiſſimè ad Reip conſilium & conſenſum dif-
, ferre dignetur.

, Perſtringit Palatinatus noſtros attentata præter ſpem à Duce Brande-
, burgico Coronatio in Regem Pruſſiæ; quare quia hic titulus non tantùm *Titulus Re-*
, derogat Majeſtati, ſed etiam Reip. ex jure feudali Pruſſiæ, Nuntij no *gni Pruſſiæ*
, ſtri ſeriò inſtabunt apud Regem ne Cancellarii ullas expeditiones ad Prin-
, cipem Brandeburgicum faciat ſub titulo Regis. Non minùs noſtri Palati-
, natus eò affliguntur; quòd primus hujus Regni Ducatus, Litvania ſci- *Diſcordia*
, licet, bellis civilibus æſtuet, indiesque augeatur majores concipiens ex co- *Litvanica*
, gnato ſangvine flammas. Indolet plurimùm quòd illuſtria Ducatûs illius
, decora, totiuſque Reipub. Domus Sapiehana per ſuſcitata injuſtè bella
, in ruinam conciderit, & ſpes ampliſſima digniſſimæ Domûs, totiuſque Re-
, ipub. præmaturo ſucciſa fato in Præfecto ſtabuli Litvaniæ, ipſa togâ ſa-
, goque meritiſſima avitis ſpoliata fortunis, quodque maximum delicatiſ-
, ſimâ vitæ portione, emeritis ſit in Patria deſtituta honoribus. Quæ omnia
, patheticè Nuntij noſtri Regiæ Majeſtati proponendo, demiſſè ſupplicabunt;
, ut Regiâ authoritate & perſonâ motas procellas tranquillare velit, & tam
, grandem Ducatum in priſtinum ordinem & legum obſervantiam redigat,
, domum autem Sapiehanam ereptæ ſubſtantiæ, authoritati & juriſdictio-
, ni honoris reſtituat, inſimul ne benevolentes Reipub. vi & armis adacti
, ad hanc infelicem ſeceſſionem, ad indignum juramentum obligentur, quot-
, quot in prædicto Ducatu poſſeſſiones habent, uti Caſtellanus Vilnenſis, Pro-
, Cancellarius Litvaniæ, & Capitaneus Bobroyeenſis. Intereſt præterea Re-
, ipub. & Palatinatuum noſtrorum; quòd comitia norma Reipub. nexusque
, ſtatuum, præteritâ aſſecurata conſtitutione differantur. Quo ad hoc etiã *Comitia*
, per nuntios noſtros humillimas ad Mtem profundimus preces ut Ordi- *differenda*
, nes Reipublicæ tanto feliciùs per mutuam in comitijs cointelligentiam
, ſibi conſtare poſſint, cui ſubveniendo inſtabunt Nuntij noſtri urgebunt-
, que, quantociùs comitia deſignari. Actum Srzedæ 14 Febr. 1701.

Alexander Radomicki Mareſchalcus.

ORATIO

*A.C.*1701 ORATIO SUCHORZEWSCII NUNTII EX COMITIOLIS Srzedenſibus ad Regem 20. Martij Varſaviæ dicta.

AB ijs Palatinatibus, qui ſemper præ oculis & alta conſideratione Mtē ac libertatem in pectore habent, comparemus Rex Sereniſſime, pro Mte V. vitam, fortunas & ſangvinem ponere, pro juribus & li-, bertatibus noſtris, ſi quid vitâ charius & carius eſt opponere parati. In-, ſinuamus quàm delicatiſſimè Clementiſſimi Principis cordi; ut illud de-, licatâ gentium liberarum Dominatione delinitum, uberiora amoris in, eas & in bonum publicum ſolatia ferat, utq; V. Mtas ceu amantiſſimus, Pater, plura affectus ſui in nos & Rempub: meditetur argumenta; quàm, nos lacrymis noſtris facundi volumus perſuadere Oratores. Cùm leges, condantur, ut ferventur, conquerimur pleno fiduciâ pectore non tan-, tùm præteritorum Comitiorum ſancita executione fraudari; ſed etiam, ipſa Comitia per novellam legem aſſecurata, tot actibus inpracticato in, Polonia exemplo non tantùm differri, ſed videri auferri. Supplicamus, quàm demiſſiſſimè; ut Mtas V. quantociùs hoc ſpiraculum vitæ Reip:, indulgeat, ſine quo ſtatus noſter non niſi trahere vitam, non autem vi-, vere poteſt. Eorundem comitiorum conſtitutio de aſſecuratione Ordinū, Reipub. tanto cum rigore expreſſa, quoad eductionem, non inductio-, nem externi militis quid denotat aliud, niſi illibatum Polonoque ſangvi-, ni ab ævo congenitum in Principes ſuos candorem, unde quamvis illa, nobis non expleantur ſancita; non tamen (avertat DEUS) ad media, jure nobis, & ipſâ Regia Majeſtate V. aſſentiente conceſſa recurri-, mus, non gravamur etiam deinceps quàm demiſſiſſimis inſtare precibus, ut Regium Mtis cor armis hoſtium invictum, ſubditorum ſupplicibus, ſe vinci ſinat tandemq; copias peregrinas penitus ex Regno eductas ve-, lit. Anteceſſores ſanctos V. Mtis & feliciter nobis dominantes, non, ullum exercitûs robur, non grandia per urbes præſidia; ſed civium, tuebatur amor. Altiſſimo ſuo ijdem Principes arbitrati ſunt judicio, me-, liorem ſemper eſſe amatum, quàm armatum Principem. Promanat ex, hiſce inconvenientijs, ſiniſtro noſtro fato, bellum Sveticum; quod etſi, ignoraverit (ſe utpote inſciâ) inchoatum, illius tamen mala Reſpub., experitur. Meminiſſe velit quàm demiſſiſſimè precamur, ne ſe V. Mtas, heroici pectoris ſui impetu cordiſque Regalis magnanimitate ad recu-, peranda avulſa ſic abripi ſinat eaque cogitatione velut per extaſim oc-, cupari; ut interea inter Cardinaliſſimas leges illius potiſſimum fugi-, at memoria, quæ bellum ſine ſcitu Reipublicæ inchoare mutuo in-, ter Majeſtatem & Rempublicam contractu Principem vetat & reſtrin-, git. Supplicamus igitur; ut hic caſus etiam tenerrimæ conſcientiæ Ve-, ſtræ Majeſtatis, ad reſolutionem comitiorumOrdinumq; Reipub. ſuſpen-, datur, quia metus incutit profundiores noſtræ libertati, leges noſtræ, Rex inclyte, non in lapideis tabulis, quæ ad rupem alliſæ facilè in par-, tes diſſiliunt, inſculptæ ſunt, ſed papyro inſcriptæ multoque magis in, candore cordium, civiumque animis exaratæ. Iam autem cor primum, vivens eſt, & ultimum moriens: ita nos cum juribus noſtris viximus, ita, ijsdem immori volumus. Tragicus M. D. L. caſus triſtem illam nobis, accerſit cenſuram: vix patrem, novêre priùs jam funera matris: quan-, do in ipſo initio Regni V. Mtis cernimus pereuntem in Litvania Remp., non enim hoc civilia bella, ut vivamus, agunt, horror civilis ſangvinis, heroicum Mtis pectus moveat, compellat Reipub. huic deſponſus amor;, ut metuendum hoc ipſa magnitudine ſuâ ſupprimatur incendium. Com-

miſe-

„miſeratio & juſtitia tam emeritæ in Repub. domui Sapiehanæ debita, *A.C.*1701
„communisque dominantibus virtus reſtitutionem opum & honorum ju-
„risdictionemque evincat: hanc enim Rempub. noſtram opes magnorum
„civium, & Miniſteria æterno glutine firmant. Edunt argumentum Pala-
„tinatus noſtri doloris ſui, qui de inverſo illorum in Litvania ſtatu ſumpſit
„initium, quando obſecrant, ut Mtas V. in orbitam legum omnia reduce-
„re velit, efficaciterq; cavere, ne immunes ab hac confuſione cives, crimi-
„nis ejuſdem contagione involvantur, ſecuritatem fortunarum honorumq;
„Regia virtute provideat, néve verba jurantium dicant, quales potiſſimum
„ſunt Caſtellanus Vilnenſis Campidux Litvaniæ vir non tantùm in Duca-
„tu illo, ſed etiam in Regno ſago togâque meritiſſimus, Pro-Cancellarius
„Litvaniæ, Capitaneus Bobroyſcenſis,aliiq; &c. Hæc ſunt vota Palatinatu-
„um noſtrorum Sereniſſime Princeps, hæc exiſtimamus & populorum u-
„niverſæ Patriæ non privata quæpiam deſideria eſſe, ſed publica totius Re-
„ipub. ſuſpiria; ut quam à majoribus accepimus Rempub. eandem poſte-
„ris relinquamus. Gens libera ſumus, nemini ſervivimus unquam. In cujus
„argumentum ipſam legimus inſtructionem, quæ non tantùm pro decore
„Reipub. ſed etiam Sereniſſimi capitis Mtis V. ægrè fert uſurpationem ti-
„tuli in Pruſſiam. Ne autem in errorem major Cancellaria derogationis
„Mti V. & Reipub. impingat, humiliter ſupplicamus. Hanc igitur inſtru-
„ctionem ad plantas Mtis humiliter deponimus, non tamen animum ze-
„lantem pro eadem Mte juribus & libertatibus noſtris, quas ſangvine no-
„ſtro & majorum noſtrorum meritis partas, hactenusque conſervatas, ma-
„jori curâ impoſterum metuq; ſervamus ſervabimuſque.

RESPONSUM REGIS AD INSTRUCTIONEM NUNTIORUM PRÆDICTORUM EXTRADITUM EX CANCELLARIA Varſaviæ 23 Martij 1701.

INter alta AUGUSTI ſangvinis Sereniſſimæ Domûs decora, hoc ſupremum reponit Majeſtas Regia; quòd liberis Electoris populi vocibus auguſtum Poloniæ inſederit thronum; & ex eo tam dulci regimine domi-
„netur Princeps in cives ut parens in liberos. Quid enim ornando dignius?
„quid excelſo Principis genio congruentius? ac tanto gloriâ & libertate im-
„perare Regno; cujus limites herous ardor, invicta dextera, & glorioſa
„Sarmatarum virtus in tantùm ampliavit, ac diffuſas provincias, ſuiſque
„quondam abſoluto imperio Dominis parentes terras ſub unius ſceptri &
„coronæ collegit auſpicia. Vendicat id ipſum in ſortem triumphalis Regni
„ſui Majeſtas, paterno ſuſcipit animo tam gratam inclytorum Palatinatuū
„conteſtationem; nec fruſtrabitur per gratiam DEI expectationem, & amo-
„rem populi, ſed imò conjuncto conſilio & auxilio Equeſtris Ordinis glori-
„am & fortunam magnorum Regum ingentibus factis exæquabit. Prout ve-
„rò non aliud motivum Mtem ad præſentis belli impulit initia; niſi ſola
„militaris fortitudinis fama & obligatio juramenti Regij ſuper recuperan-
„da ea, quæ fatorum iniquitate à Repub. illicitè avulſa fuerant: faventibꝰ
„præſertim conjuncturis & occaſione inſuper datâ per violata pacta Oli-
„venſia, hoſtilitatisque attentatæ reſpectum (quæ omnia in univerſalibus
„Regijs ad omnes Palatinatus, terras, & diſtrictus in vim diplomatis de ag-
„gregandis Reipub. bello partis, ex ſenatus conſilio edictis expreſſa, Sveti-
„ticum perſvaſerunt bellum; mox in primo ſtatim ejuſdem exordio vindi-
„cata tantæ utilitatis fortalitia receptui canere & parta deſerere trophæa
„in ludibrium externorum prohibuerunt, ita non debuerant delicatos gloriæ-
„que affectu occupatos alterare animos, nec candida omniſque commodi
„vel privati ambitûs ſuſpicione prorſus libera Majeſtatis intentio varijs cen-

A. C. 1701, ſuris & interpretationibus ſubjici; ſed , otius meritam juſtamque in ge-
, nerosis invenire civium pectoribus recognitionem, cùm ipſimet conſcien-
, tiam Regiæ Mtis in campo Electorali ad id obligaverint. Locatio verò
, exercitûs Regij in confinijs intuitu tutelæ illarum partium defenſionisque
, ab incurſione hoſtili, ſi cui incommoda fuit, & Magno Ducatui Lit. injuria
, exiſtimat Mtas, ipsâ id neceſſitate excuſandum, & teneritudine ſinceri in
, Principem amoris affectuq; in commune bonum prorsus obliterandum &
, delendum: quòd ſcilicet, uti vitam, fortunas, caritates & decora ſua Rex
, ad bellicas operationes impendit, ita & has copias Reipub. uſui eouſque
, addixerit, quouſque illa in unam compagem collecta mentem Principis
, non reſolvet. Defendit igitur ſe Mtas contra invidiam puriſſimo cando-
, re regalis animi, & vero amore civium, tuetur ſacramento juratæ fidei,
, & ipsâ actionum ſuarum innocentiâ. Iam verò ne Mtas & libertas ulli-
, us obicis dividatur, & ſeparetur interventu, quinimò quàm arctiſſimo
, nexu in unum coaleſcat, & Reſp. de pijſſimis intentionibus Principis in-
, formata in tanta conjunctionum opportunitate conſilia & rationes inire,
, & cuncta ad decorem imperij componere poſſit; jam nuper ſub tempus
, itineris Birzanenſis generalibus Comitijs, quæ per ſenatûs conſilium in
, ſeptembrem dilata fuerant, ut vota populorum contentaret, pro 30ma
, Maji currentis anni Varſaviam promulgatis, una univerſalia Bierzis, al-
, tera Varſaviæ ex Cancellaria expediri mandavit: confidit interim Rex no-
, bili virtuti, & heroicis civium affectibus; quòd omnes ſiniſtras impreſſio-
, nes & diffidentias Reipub. fortunam morantes ſeponent, & quemadmo-
, dum Princeps Regium ducit conſervare jurata jura, & libertates recogno-
, ſcens, utpote totam fortunam ſuam & gloriam cum fortuna & gloria
, Reip. in eadem lance ab eodem pendere momento: ita non dubitat, e-
, queſtrem ordinem conſtanti zelo, perfectoque affectu pectora & devota
, capita Majeſtati Regiæ in quavis occaſione immolaturum.

, Coronationem Electoris Brandeburgici in Regem in Pruſſia à prima
, ſtatim notitia propoſuit Rex in ante-Comitiali conſilio; quæ ne juribus
, Reip quopiam præjudicet detrimento, ad futura ſuſpendit comitia: in ijs
, jam proximis ſecuritatis & indemnitatis jurium reſpectu, ſuberit deciſi-
, oni totius Reipub. Civiles motus & domeſtica vulnera M. D L. cujus ſi
, non Paternum Regis cor lancinent? ſiquidem poſt funeſtas cædes & tan-
, tùm ſangvinis diluvium, adhuc hic ignis ardet, internamque pacem & pu-
, blicam alterat fortunam; quæ unicâ hâc ſolidè ſubſiſtit baſi, fortitudine
, adverſus hoſtes, & mutuâ inter cives concordiâ. Occurrit Majeſtas im-
, penſo conatu ſuo, in auſpicatis his in publicum eventibus; novis curis Re-
, gium exercet caput, & jam interponit authoritatem ſuam, deſignato ter-
, mino pacificationis pro 21ma præſentis. Unde infallibiliter ſibi polliceri
, Palatinatus poſſunt, non defuturam Principis applicationem; quatenùs ad-
, juvante numine, quàm ociſſime inteſtina diſſidia componantur, ſileant
, venti, redeat tranquillitas magna. Si nihilominus Rex cum ſenatu præſen-
, te tam validum ex integro non determinaret negotium, tum adhibitâ in
, comitijs totâ Repub ei perficiendo intendet. Quod attinet ad Caſtella-
, num Vilnenſem, jam in ante-Comitiali conſilio in caſum impetitionis,
, reſpectu abſentiæ in conſilijs & negati juramenti, debitâ Rex perſonæ e-
, jus cavit ſecuritate, alijs etiam nominatis ſupra (ubi id opus fuerit) idē
, declarat. Nunc verò paternas Patriæ gratias tam omnibus in genere,
, quàm ſingulis in individuo, beneficos reſpectus, clementiam & favores
, Majeſtas offert.

VALE.

VALEDICTIO NUNTIORUM REGI

NOlumus auditâ verborum farragine turbatam Princ pis valetudinem diſtinere, qua ſalus univerſi ſubſiſtit, ſubmiſse duntaxat gratias perſolvimus, nos tandem aliquando admiſſos eſſe, in conſpectum Principis, reſponſumque tuliſſe, quod jam ad Palatinatus noſtros reportamus. Cum eo nihilominus puncto valedicimus, & hinc proficiſcimur; cum quo advenimus, primumque dicendo: Ave, denuntiavimus, demiſſiſſimè ſupplicantes S. R. Mti: ut ſerventur leges & cara libertas.

LITERÆ PRINCIPIS REGII JACOBI AD COMITIOLA
Olaviâ 5. Aprilis datæ.

PUpillæ domui noſtræ poſt fata piæ memoriæ Regis quid eſſe poteſt ſolatio? niſi hoc ſolum & unicum, quòd in protectione & tutela hujus inclytæ, ex qua incrementa ſumpſit, Reipub, ſpem reponat. Exulat illa quidem extra limites Patriæ conſtituta, at animo jugiter eidem præſens æquè bona ac mala ſentit, quæ huic dilectæ eveniunt Patriæ, gaudetq; proſperis, ac pro conſervatione libertatis eam, quam hauſit in illa vitam & ſangvinem fundere vovet. Viciſſim hâc ſpe erigitur, Rempub. ſuâ non defuturam ope, ſeu proſpera ſeu adverſa acciderint. Nec enim quidquam in tantum ambit, ac poſſe gloriari, quòd totius Reipub: inumbretur protectione, quam generoſa civium pectora minimè recuſare volent. Ceſſerant in hypothecam Divo Parenti noſtro per Conſtitutiones Regni Oeconomiæ Szaulenſis, Novodworſciana, & Pucenſis, cautumq; ſub tempus Electionis in pactis conventis erat; ut à Serem: Rege ſummæ nobis debitæ ſolverentur. Illatæ quidem diverſæ in hac materia proteſtationes fuêre; verùm ne in minimo Rex ejusmodi contrarius fuit redimibilitati. At modò contrarium cernimus: Oeconomia Szaulenſis per ſtativa exotici militis primùm ad incitas redacta, deinde per inſtrumentum Commiſſionis Regiæ nec præſentatâ ne dum realiter præſtitâ ſatisfactione tam originalis ſummæ, quàm etiam cenſuum partim antiquatorum, partim non ad plenum receptorum ſexennio, ob interregnum, tum conſiſtentiam biennio Saxonum, demum ſexto anno ob imperatam negationem proventuum poſtpoſitis Regni legibus, per Commiſſarios mihi eſt adempta, & in alienas manus reſignata. Idem Capitaneatui Pucenſi minatur exitium. Omnibus orphana domus noſtra contendit modis, quà mediationem Primatis & aliorum, quà authoritatem Cæſaris adhibendo; ut potuiſſet Capitalem ſummam & retentam proviſionem cenſusq; ac proventus vindicare, ſed irrita fuêre omnia. Prætenſio autem hæc eſt, inprimis ſumma capitalis in hypothecam pro Oeconomia Szaulenſi data, & lege publicâ aſſecurata centum millia imperialium ſunt, cenſus triennio retenti anno ſcilicet ante fata Divæ memoriæ Regis uno, duobus alijs poſt fata ad annum 1697. Computando igitur in ſingulos annos pro cenſu viginti millia imperialium, conſurget ſumma millia ſexaginta, item ab anno 1697 ad annum 1700 conſiſtente Saxonico milite in prædicta Oeconomia, ægrè tertia pars proventuum

A.C.1701 *perſoluta: reſtant igitur ad complementum quadraginta duo millia imperialium. Idem reſiduum retardatorum cenſuum vivente adhuc D. Parente noſtro ab anno 1681 ad annum 1689 liquidatum, & à Sculteis Oeconomiæ Szaulenſis recognitum ſubſcriptumq; facit ſummam 45815 imperialium. Huc pertinent expenſa ex occaſione impedimentorum collectionis cenſuum 20000 imperialium: ſumma ſummarum excurrit ad 273815 imperialium. In tantis igitur injurijs aliò recurſus eſſe nequit, niſi ad inclytam Rempub: deponendo hunc dolorem in pientiſſima veſtrûm omnium pectora, eâ fiduciâ, quod excitaturus ſit ſinceram erga nos compaſſionem & zeloſum in tam manifeſta aggravatione affectum, quò juſtam in recenſita prætenſione obtineamus cōpenſationem, quorū protectioni me commendans maneo. Olaviæ 5 Apr.*

LITERÆ CASTELLANI CRACOVIENSIS AD COMITIOLA.

Benedixit DEus populorum votis per determinata jam Comitia ultimam in tam manifeſto periculo naufragis, quam apprehendamus indulgens tabulam. Dubitare non licet hac ſpecialiſſimâ ſpei noſtræ anchorâ ſolidè Patriæ ſuſtinendas ſortes, præſumo inde non vanus augur labenti libertati Statorem Jovem, quod ipſum ſupremo exopto voto; quatenùs illa die 18. ſcilicet Aprilis, decora noſtra reflореſcant, & inſequentia Comitia agonizantibꝰ medelā afferant libertatibus. Abſtineo penitùs à proponendo, quod primū & principale veſtro congreſſui aſſumendum ſit objectum? in genere loquor Reipub: injuriæ civibus curæ ſunto, ne orbis videat quibus malis impares ſumus. Initium ſumo à proprijs functionis meæ obligationibus. Exercitus Reipub, ſine quo quamvis egrègia ſunt invalida, in quanta conſideratione eſſe debeat, ad cautelam de ſpecula concreditæ poteſtatis admoneo. Ad eam ille devenit calamitatem; ut obſequiorum ſuorum dies non niſi numeroſo bonorum ſuorum damno aut extremæ ſervitutis compedibus diſtingvat, ſive alto vulnerum charactere bellorum computet annos; non autem trimeſtrium exolutorum ſerie: complures ejusmodi ſunt, quorum jam ſub caſſide canuit ætas; & necdum hactenus communis Parentis Patriæ experiuntur reſpectum. Quot illa ſigna ſunt? nondum annoſis obſequijs in tædium & faſtidium ſterilis abrepta famulatûs? quæ meris multorum nominum regeſtis toties recognitis, tineas paſcunt inertes, ſe autem ſpe lactant inani. Et ſi tandem contingat cuipiam expectata per Palatinatus decerni ſtipendia; tum etiam innumera vexationum genera emeritum circumſtant militem, ut emere potiùs quàm recipere ſtipendia, nihilq; tam venale quàm publica merces videatur. Et jam nihil tantam difficultatem habet apud quæſtores & exactores (pace meliorum dixerim) ac pretia ſangvinis ſine nimia proviſione mereri. Quod quàm injuſtum & infra fas decusq; publicum ſit; deciſioni veſtræ & animadverſioni relinquo. Hibernorum annuorum, quàm langvidâ praxis & executio currat,

currat, explicatione non indiget: ſiunt iſta palàm. Commiſſio hiberno- A.C.1701
rum meritò dies diviſionis Apoſtolorum vocanda fuerit: quia ex illa in totam Poloniam miſſiones Deputatorum deſignantur, cum quantâ interim fraude & deceptione teſtantur aſſignationes in charta divites, re ipsâ vacuæ & inanes. Veſtrum & id eſt, nôſſe defectus hibernorum & proſpicere: ſiquidem illorum ſecuritati nupera non ad plenam providerunt comitia. In omnia enim expenſa conflagrationis, & ſolubilia ſalaria, quadraginta duntaxat millia reliquerunt, unde præterita duæ commiſſiones ad centum & aliquot decades millium ex poſſeſſoria ſumma neceſsè habuerunt contrahere debitorum cum publica ſponſione reflexionis. Tribunal Radomienſe tanta ſpei promontorium quantis circumſeptum ſit ſcopulis, ipſi Commiſſarij edocebunt. Iam quartâ vice non licuit ex illius emergere procellis, portumque tenere: cujuslibet limitationis hic rationes inſinuo. Prima motivum fuit, quòd nec Quæſtores cum duobus trimeſtribus juxta mentem conſtitutionis advenerant Radomiam, nec Palatinatus ullam contributionem decreverant. Acceſſit & illud non minus, quòd complures Palatinatus necdum Commiſſarios deputâſſent: placuit igitur differre commiſſionem ſimulque publico hypocauſti nomine deſignationem Comitiolorum à Rege petere in materia præmiſſorũ. Facta ſunt ea omnia, nec tamen vocem facta ſecuta. Reaſſumptioni ejuſdem tribunalis medijs Martij præter priores obices, tractatus Reipublicæ cum exercitu magnis motibus excitatus intervenit, magiſque arduam reddidit, intercurrebant enim ab utrinque inpracticabilia, poſſibilitaſque deerat combinandi controverſias Commiſſariorum, hinc non exiguâ claſſe hanc materiam ad Palatinatuum deciſionem ſuſpendente, Deputatis viciſsim aliquorum vexillorum ad ſua ſigna ſe referentibus. Ijs potiſſimum hæc optio placuit, qui majorum exorbitantiarum & prætenſionum nondum pacificatarum ſibi conſcij erant. Quia ergo in fundamento juris certi eramus primo vere ſecutura Comitia; viſum nobis eſt integram ſub judice litem relinquere & ad ante-Comitialia ſuſpendere Comitiola. Ex iiſdem rationibus & tertia limitatio orta eſt, quarta autem ex ſpe Comitiorum eſt ſubſecuta. Unde praſtolamur diem decretoriam veſtræ deciſionis, quæ dicti tribunalis facilitet tractum. Hic inſuper meminiſſe debeo quatuor & dimidij timeſtrium ante nonageſimum non ad plenum exolutorum, ob inſufficientiam ejuſdem nonageſimi declarationis; quorum ſatisfactionem ipſa promovet juſtitia. Stativorum militis jam prorsùs inane nomen eſt, ibi enim ſubſiſtit ubi ab aliquot decennijs abominatio deſolationis ſtetit, ſine avena & commeatu, toto cenſu vix prodigus emit exiguam Cererem, quodque acerbius eſt, ægrè precariò quo divertat habet, negantibus poſſeſſoribus in bonis ſuis diverſorium. Quare & id deliberandum vobis incumbit; ut de certa & meliore prouideatur locatione.

A. C.17[illegible] *Venio ad externam militiam, quæ planè ac ſi noſtra non eſſet, ſine ſtipendio, ſine ſupplemento, ſine conſiſtentia grande hactenus oſtendit patientiæ documentum, ſervavitque veteris diſciplinæ decus. Si quando per ſummam injuriam in diem aſſibus anima & corpus æſtimata fuêre; nunc profectò id in noſtro peditatu vidimus, & tamen nos quoque metiri noſtra Regna decet, nec tantùm fraudato habitu penſisque debitis accerſere opprobrium. Peditum ex colonis inſignia quondam ſubſidia jam prorsus ex indice militiæ ſua cuique eraſit utilitas; publico enim ij deſtinati obſequio, quà privatis modò uſibus poſſeſſorum deſerviunt, quà ipſorummet ſcultetorum in bellum jurata manus aulicum cogitur tractare aratrum; & tamen non tantùm apud exteros omne in pedite robur eſt, ſed etiam in noſtra Patria ab hac non raró militia ſumma rei belliq; momenta pendent. Intereſt veſtrâ ejuſmodi tollere abuſus, & prædicto peditatui veterem aſſerere formam. Camenecum Podoliæ, in pace decus, in bello præſidium, tanti ſangvinis nobilium & opum Reipubl. ſcopulus, quantâ ſepultum oblivione? deſolationis & ruinæ ejus oculi mei teſtes ſunt; niſi alia Reipubl. diſpoſitio acceſſerit, ubi ſteterunt pergama, fluctuabunt ariſtæ, vel (avertant ſuperi) per ejusmodi viciniam noviſſima fient pejora prioribus. Quia autem ad meum etiam ſpectat officium meritorum cenſura; veſtro reſpectui commendo candidatos ad indigenatum & prærogativam nobilitatis, quorum virtus longo ferri ſplendeſcit ab uſu. Conſtet orbi apud nos etiam eſſe virtuti locum, nec ſolam duci ab origine laudem. Hanc viam majorum noſtrorum trivêre veſtigia, hâc poſterorum generoſitas ſtimuletur ad fortia. Paley Colonellus Coſacorum, cui imaginariè multus in pectore vano Chmielnicki fervet, qui toties belli ſervilis prætulit facem, jam hactenùs me annitente diri fulminis ictu, ſuique capitis cæde ſopiſſet Vcrainiam; verùm quid agerem? ipſo Regiam protectionem pro ſcuto obtendente. Exſpecto igitur veſtram reſolutionem, quis ulterior modus eundi per ejuſmodi cinerem doloſum? Et hæc eſt propenſionis meæ materia, nunc itero vota mea, ut quidquid indulgentiâ fortunæ pravisque magiſtris didicit audetque Reipublicæ fatum, præſentis conſilij remedia in intentis ſuis ſiſtant prohibeantque malum. Si quis autem poſt pignora tanta Pompejo locus, explicatis publicis, reſpectui & gratiæ veſtræ exactam per obſequia publica ætatem meam inſinuo, & quadraginta aliquot annorum pro Patria laborum expeto memoriam. Erit id ſeris ſæculis ad bene merendum illicium, meque firmiùs obſtringet ut reſiduum vitæ meæ uſibus Reipublicæ cedat in victimam, eandem obligationem profiteor cuilibet veſtrûm manens &c.*

Proteſt.

Proteſtantur Nuntij terreſtres Palatinatus Sandomirienſis contra A.C. 1701
indebitam Sereniſſimi Electoris Brandeburgici coronationem.

ACTUM IN CURIA REGIA VARSAVIENSI SABBATHO
in craſtino feſti Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. Anno 1701.

AD officium & acta præſentia Caſtrenſia Capitanealia Varſavienſia
perſonaliter venientes Magnifici Stanislaus in Jaſieniec Chometo-
wski Radomienſis Złotorienſis, Adamus de Czekarſevice Tarło Sta-
, zycenſis Capitanei, Gaſpar Theodorus à Siemianow Siemianowski Ve-
, xillifer Generalis & Judex Caſtrenſis Sandomirienſis, Sventoslaus de ma-
, gna Skrzynno Dunin Dapifer Sandomirienſis & Judex Caſtrenſis Ra-
, domienſis, Joannes de Konarij Firley Konarski Camerarius Granetialis
, Pilznenſis & Judex Caſtrenſis Neokorczynenſis, Stanislaus Joſephus de
, Szczeczno Borek Caſtellanides Radomienſis, Nuntij terreſtres Palatina-
, tûs Sandomirienſis, nomine ejuſdem Palatinatûs ſui, & totius Reipublicæ
, Polonæ in & contra Sereniſſimum Fridericum III Marchionem & Electo-
, nem Brandeburgicum proteſtati ſunt, idq; ideo, quia idem Sereniſſimꝰ
, Marchio & Elector Brandeburgenſis exiſtens partis Pruſſiæ, quæ modo
, Ducalis vocatur, jure feudi cum titulo Ducis in Pruſſia ad proprietatem
, & directum Dominium Sereniſſimorum Regum & Reipub. Polonæ ſpe-
, ctantis Poſſeſſor, non attento eo quòd Provincia totalis Pruſſiæ uberrimo
, Polonorum à Crucigeris multis & diuturnis bellorum conflictibus totali-
, ter debellatis vindicata in proprietatem & directum Dominium Polonorū
, tranſijt, poſtque conceſſum & extinctum cum familia ac linea Anſpachi-
, ana Feudum eadem Ducalis Pruſſia ad directum & utile Dominium Se-
, reniſſimorum Regum & Reipub. Polonæ jam dudum recidit, ſola tan-
, tummodo benevolentia ejuſdem Reip. ad familiam & perſonam Sereniſſi-
, mi Electoris moderni Brandeburgici ſine tamen perpetua alienatione Feu-
, di à Repub. Polona devoluta eſt, in caſu namq; deficientium maſculo-
, rum ex linea legitima Sereniſſimi Electoris ſupra memorati deſcendentium
, Sereniſſimis Regibus & Reipub. Polonæ jus integrum in præfatum Duca-
, tum juxta obloquentiam pactorum & præſertim ultimariorum Bidgoſtien-
, ſium in anno 1557. die 19 Septemb. confectorum, eſt reſervatum & tali
, pacto præfatus Ducatus à Repub. Polona avelli non poteſt; interim ve-
, rò pro recognitione directi Dominij Reipub. Polonæ ad eundem Ducatū
, quoties novum aliquod bellum contra Sereniſſimum Regem & Rempub.
, Polonam oriri contigerit, ſua Serenitas Electoralis ejuſque deſcendentes
, mille quingentos pedites & quingentos equites Sereniſſimo Regi ac Reip.
, ſubminiſtrare eiſdem pactis ultimarijs eſt adſtricta, majores verò obliga-
, tiones & conditiones Feudi ejuſdem utpote penſionem annuam triginta
, millium florenorum Polonicalium, cum verò tributum in Regno Poloniæ
, ſancitum fuerit, ſexaginta millium florenorum Polonicalium ex Ducatu
, eodem ad theſaurum Reipubl. mediante quietatione theſaurarij Regni pen-
, dendorum, Sereniſſimus Parens Electoris moderni dignæ memoriæ Fride-
, ricus Wilhelmus Marchio & Elector Brandeburgenſis partim non adim-
, plevit, partim denegatione proventuum ex portu Pillavienſi per Ducem
, uſurpato & ex telonijs Maris Baltici, Sereniſſimis Regibus & Reipublicæ
, Polonæ debitorum, nec Duci Pruſſiæ conceſſorum. Nec non uſurpatione
, ſub nova civitate in fundo Reip. per Viſtulam trajectus, ſubſequenter con-
, junctione armorum cum Svecis Regni Poloniæ hoſtibus, & apertis armis
, fuſo ſub Varſavia benefici populi ſangvine cœlo ſoloq; Feudalis munifi-
, centiæ magnitudinem exprobrante manifeſte irritavit, tandemq; verſa jā
, in deterius fortuna Svetica libertatem à Vaſſallagij ejuſdem nexu & con-

ditionibus

A. C. 1701, ditionibus omnibus in legibus primitivi Feudi ejuſdem pro parte Reipubl. , expreſſis & præcuſtoditis per injunola Reip. pacta Bidgoſtienſia difficillimis Reipubl. temporibus inſcia nec informata Republica de contextu & , obloquentia pactorum eorundem (ſiquidem in volumine legum Regni in , hactenus non extant) obtinuit, atque pro conjunctione perpetuo ac irrevocabili fœdere Sereniſſimo Regi ac Reipub. Polonæ per quod utriuſq; , partis ſtabiliretur ſecuritas in perpetuum juxta obloquentiam pactorum , eorundem, commutavit, aliaque præjudicia ingratitudinem fœderati Principis convincentia & damna Reipubl. Polonæ ſuo loco & tempore deducenda Sereniſſimus olim parens Electoris moderni Brandeburgici intulit. , His non contentus Sereniſſimus Elector modernus Brandeburgicus quinimo in exemplum & ſequelam auſuum majorum contra Rempub. Polonam aſſumptis nec non ratione privatæ per ſemetipſum interceptionis Elbingæ nuperrimè ſub tempus expeditionis Reipublicæ contra Sanctæ fidei , Chriſtianæ hoſtes nondum reconciliatâ Republicâ honorem Sereniſſimi , Poloniæ Regis & privationem Reipublicæ partis ejuſdem Pruſſiæ attentare præſumpſit, dum ſibi coronam ac ſi Regni Pruſſiæ quæ non niſi Ducatus nomine inſignitur procurare & imponere nuper ſine ſcitu & conſenſu Sereniſſimi Regis & Reip. Polonæ auſus & paſſus eſt. Quapropter ſupraſcripti proteſtantes nomine Palatinatus Sandomirienſis & , totius Reipub. ab eodem Sereniſſimo Electore graviter læſæ præcavendo indemnitati honoris & juris Majeſtatici S. R. Majeſtatis Poloniæ , Domini ſui Clementiſſimi, qui exiſtens ſolus Magnus Dux Pruſſiæ Regẽ , in Pruſſia pati nec debet nec poteſt. Indemnitati quoque juris & directi dominij Reipublicæ ad totalem Pruſſiam, conſulendo, ne alienatio perpetua à Repub. Feudi ejuſdem ſubſequi & prætendi exinde videatur, , de nullitate uſurpatæ coronationis ejuſdem ac tituli Regij indebite & , cum læſione juris Reipubl. Polonæ affectati ſolenniter coram officio, & , actis præſentibus Caſtrenſibus Capitanealibus Varſavienſibus & corã , univerſo orbe Chriſtiano proteſtantur, declarando Palatinatum Sandomirienſem cum tota Republica læſa jura S. R. Mtis & totius Reip. , Polonæ quomodo & quando juſſum fuerit vindicaturos. Relationẽ quoque legationis ad prænominatum Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum per quem & cum quibus contentis legationis expedita eſt , iidem nuntij terreſtres nomine Palatinatus Sandomirienſis & totius Reipub. etiam mediante mandato S. R. Mtis eo nomine extradendo in , comitijs Generalibus Regni Varſavienſibus proximè & immediate incidentibus faciendam ex commiſſo Palatinatus ejuſdem præcuſtodiunt & , reſervant.

SERMO PONTIFICIS IN CONSISTORIO die 29 Septembris 1701 habitus

Mors Jacobi Regis Britanniæ

VEnerabiles Fratres. Acerbiſſimum ac verè luctuoſum clariſſimæ memoriæ JACOBI Magnæ Britanniæ Regis obitum, quem ſinè maximo paterni cordis noſtri mœrore audire non potuimus, ſuſpiria inter & lachrymas vobis nuntiamus, nec ſanè nobis dubium ullum eſſe poteſt, quin animos æquè veſtros ingenti dolore afficiat graviſſima hæc Chriſtianæ Reipublicæ iactura, quam in amiſſo verè Chriſtiano Principe, verè Eccleſiæ filio, veræ fidei defenſore impenſiſſimè deflemus. Verùm quia juxta monitum Apoſtoli contriſtari de dormientibus non debemus, ſicut & cæteri, qui ſpem

ſpem non habent; iubet nos præclara defuncti Regis pietas, quam *A.C.*1701
nulla unquam ætas delebit, nulla ſeræ poſteritatis extingvet oblivio, jubet heroicus illius ac univerſo terrarum orbi notiſſimus rerum omnium humanarum pro Orthodoxa Religione contemptus, quippe cui Rex optimus, patriam, opes, regnum & vitam ipſam poſthabere non dubitavit, jubet demum mors ab eo religioſiſſimô ac conſtanti animô obita, prout luculentiùs teſtimonijs comprobari percepimus, iuſtè nos ſperare debere, illum à Deo Opt: Max: ſicut dum viveret, tanquam aurum in fornace probatum, ita poſt mortem quaſi hoſtiam acceptam eſſe. Noſtras nihilominùs pro animo Regio, & de hac Apoſtolica Sede optimè merito, ad Deum preces atq; ſuffragia deeſſe charitatis ratio non patitur. Id & privatim hactenus Nos ipſi agere non omiſimus, & publicis quoque in Pontificio noſtro Sacello exequijs Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplô ſuo tempore præſtituri ſumus.

Cæterùm eximiam & Regis planè ejus animo dignam Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri LUDOVICI Francorum Regis Chriſtianiſſimi virtutem hâc occaſione ſilere non poſſumus, qui, quemadmodum ob eundem JACOBUM Regem è regno nefariè deturbatum cum Regia Conjuge & Nato magnificè & liberaliſſimè exceperat, ita ei ſemper omnibus benevolentiæ & humanitatis officijs uſquè ad extremum adſtitit, &, quod illuſtrius eſt, ſuperſtitem illius Filium à Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Maria Regina ejus Matre ad paternarum virtutum æmulationem piiſſimè educatū benignè complexus, uti verum Britannici regni hæredem omni prorſus proprij commodi ratione neglectâ palam agnovit, eumq; in Catholicæ fidei, quâcunque demum adveniente fortunâ, fortiter aſſerendæ propoſito egregiè confirmavit. Quâ ſanè in re cum ipſius Chriſtianiſſimi Regis zelus, & animi magnitudo, magnificè eluceant noſtræ, & omnium veſtrum laudes ei meritò debentur, quas quidem uberrimas poſteri omnes illi reddent, dum pulchri facti memoriam recolent nunquam interituram.

Hæc etſi vobis vel ipſo rumore publico nuntiante innotuiſſe iam credimus, nuperrimè tamen ad Nos per celerem curſorem à Venerabili Fratre Philippo Antonio Archi-Epiſcopo Athenarum, noſtro & hujus Apoſtolicæ Sedis apud eundem Chriſtianiſſimū Regem Nuntio, qui omnia cognovit & vidit fideliter allata, confeſtim ex loco hoc referre opportunè duximus, ut ſcribantur in generatione altera, novumque hinc paternæ noſtræ erga vos charitatis augmentum accedat.

Venerabiles Fratres fortibus veſtris humeris, pijsque votis impoſitum infirmitati noſtræ onus, quod his afflictis turbidiſque temporibus gravius ſemper indies experimur, levatum confidimus.

ORA-

A.C. 1701 ORATIO HABITA A CLEMENTE XI IN CONSISTORIO die Lunæ 5. Decemb.

Venerabiles Fratres, ſpeculatores Domûs Iſrael ſuper Cathedram Principis Apoſtolorum inſcrutabili Divinæ Providentiæ arcano conſtituti non modo graviſſima Eccleſiarum omnium ſollicitudine premimur, ſed ad univerſam, quæ ſub cœlo eſt, ex omni tribu & lingva, & populo, & natione, gentium multitudinem, mentis noſtræ oculos jugiter circumferimus. Quantum ſiquidem in nobis eſt, à ſolis ortu uſque ad occaſum, laudari nomen Domini ſummopere cupimus, adeóque etiam ad remotiſſimas ab hac S. Sede Regiones Paſtoralis vigilantiæ noſtræ curam extendimus, ut ibidem Chriſtiana Religio, quotidianâ fidelium acceſſione latiùs propagetur, & quo recens inducta fuit, magis in dies benedicente Domino ſtabiliatur. Paternum tamen præ cæteris animum pulſat, ſtudiumque noſtrum excitat, & impellit ampliſſimum Sinarum Imperium, in quo ſtrenuâ Evangelicorum Miniſtrorum operâ à multis jam annis Chriſtus annunciatur, & colitur; majoresque inde fructus, Deo incrementum dante expectari meritò poſſunt. Verùm quia in latiſſimis illis Regionibus, quæ albæ ſunt jam ad meſſem, inimicus homo ab aliquot annis multipliciter zizania ſuperſeminare non ceſſat, ne Chriſtianæ fidei ſeges, quæ, ut audivimus, ab Ethnicis illarum partium poteſtatibus creſcere ſinitur (ejus profectò ope, qui ſuſcitavit ſpiritum Cyri Regis Perſarum, ut juberet prædicari in univerſo Regno ſuo) etiam per ſcripturam Apoſtolicorum Miniſtrorum, quod maximè deflendũ eſt, in diverſa tendentium velut ſpinis ſuffocetur, & pereat; utque ſimul pluribus, varijsq; vaſtiſſimæ illius miſſionis neceſſitatibus proſpiciatur, ejuſdemq; ſtatus, ac in ea laborantium operariorum ſtudia huic S. Sedi fideliter innoteſcant, divino priùs per nos diuturnis, atque accuratis precibus implorato præſidio, ut mentem noſtram lumine ſuæ claritatis inſtrueret, habitaq; ſuper præmiſſis cum quibuſdam de fraternitatibus veſtris, nempe cum particulari Congregatione Cardinaliũ negotjis propagandæ fidei præpoſitorũ deliberatione maturâ virũ aliquẽ morũ integritate, doctrinâ atq; prudentiâ cõmendatũ, Viſitatorem Apoſtolicum, cum poteſtate Legati de latere ad præfatum Sinarum, aliaque finitima Indiarum Orientalium Regna, unà cum congruo Miſſionariorum comitatu in nomine Domini mittere conſtituimus. Quo verò is majori cum honorificentia ad DEI gloriam, animarumque pretioſiſſimô unigeniti DEI Filij Domini noſtri Jeſu Chriſti ſangvine redemptarum ſalutem, fungi valeat miniſteriô Patriarchali cum titulo Antiochenæ Eccleſiæ de præſenti vacantis decorare intendimus. Opportunum ſcilicet ducimus, ut, qui ad novos Chriſti fideles mittendus eſt, ejus potiſſimum civitatis Paſtor exiſtat, ubi, ut in Apoſtolorum actibus habemus, primùm cognominati ſunt diſcipuli Chriſtiani. Vacat igitur Eccleſia Patriarchalis Antiochena per obitum Michaëlis Angeli Matthæi ultimi illius Patriarchæ; Antiochena

chena civitas inter Regias Syriæ urbes primariâ dignitate non minùs *A.C.*1701
quàm magnitudine celeberrima, nunc penè inhabitata ſub Turcarum tyrannide reperitur: Ideo illius ſtatum defleri magis, quàm enarrari congruum eſt.

Eidem Eccleſiæ Patriarchali præficere intendimus eum, quem, uti diximus, uti viſitatorem Apoſtolicum cum poteſtate etiam legati de latere ad Synarum aliaque Indiarum Orientalium Regna mittere decrevimus; videlicet dilectum Filium Carolum Thomam Mailer de Touron ex Catholicis & nobilibus parentibus in civitate Taurinenſi ortum, Juris utriuſque Doctorem, Sacræ Theologiæ Magiſtrū in Sacro Presbyteratûs ordine à pluribus annis conſtitutum, ac cubicularium noſtrum honoris nuncupatum, virum ſanè quemadmodum etiam familiari experientiâ novimus, pietate, doctrinâ & prudentiâ longè præſtantem.

Quid vobis videtur?

Authoritate Omnipotentis DEI, Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtrâ providemus Eccleſiæ Patriarchali Antiochenæ de perſona præfati Caroli Thomæ præficientes eum in Patriarcham, & Paſtorem cum retentione omnium, & quorumcunque quæ obtinet. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

COPIA LITERARUM CASTELLANI LIVONIÆ AD PRIMATEM CARDINALEM 22 Auguſti.

Reduci Varſaviâ ea quà domi, quà foris occurrit rerum facies, quam illinc abiens nunquam ominari aut metuere potui. Saxones à Svecis 19 Julij prorſùs fuſi, authorem cladis taceo, referent ſi volent, illum Regiæ Majeſtati fideliores Saxones. Mihi ingens & irreparabile damnum illatum Regi intimâſſe ſuffecerit. Amiſſa ſunt omnia, apparatus bellicus, victualia, veſtitus univerſo exercitui deſtinatus. Exercitu Moſchovitico ſatis amplo pro ea actione uti non licuit. Etiam quoad id meum non putavi arguere proceſſum: pro informatione duntaxat tua mitto typis editam à Suecis relationē. Hic finis grandium meditatorum & arcanorum Regis conſiliorum inconſultâ Repub. non ſine noſtra pernicie: Nam & ditionibus noſtris per novas de induſtria exactiones, inauditasq; portiones illata vaſtitas, Ducatus Curlandiæ, Semigalliæ, Diſtrictusq; Piltinenſis cum Livonia in prædam conceſſus Suecis; qui nullo præſidio inſeſſa fortalitia Mitaviam, Guldingam, Bauskum, Grobinum, Schrondum, Dublinum, Libaviam, aliasq; civitates & portus nullo negotio occupârunt. Agit ergo Rex Sueciæ triumphum de exercitu Saxonico, & inſuper gloriatur de lucro tot Provinciarum Reip. noſtræ; quas nullatenus cedere cogitat obtendens, ab hujatibus violata pacta dum anno priore Regi aſſiſterent. Unde & bona mea hæreditaria Szemberg dicta, in quibus geminæ Eccleſiæ Catholicæ unicæ in his locis fidei noſtræ propugnacula exſtant expeditis in ea aliquot centenis equitibus in prædā & di-

A.C.1701 *& direptionem abſtulerunt, nec aulis nec ſubditis parſum, pecora & aliquot centeni abacti equi, opes & ſplendores mei expilati, hoſtilesq; exercita violentia. Ita in exemplum hoſtilis animi Regis Sveciæ ad extremam redactus ſum paupertatem, calamitoſusq; exul alieno lare me tegere cogor; cùm in proprio nullam videam ſecuritatem, captivatis ultra 80 colonis & patribusfamilias.*

Difficulter explicuerim, quæ & quantæ ubiq; per has terras exactiones ſint: ex quovis manſo tres equos, totidem boves, 12 modos hujatis menſuræ avenæ, 10 Imperiales, quinq; cados cereviſiæ, arietes & quodvis aliud frumentum in magna quantitate ſub ſpoliatione bonorum imperant: quæ ſi ad calculum deducantur, impoſſibile ut provinciæ ſufficiant. Unde conſequens eſt infallibiliter jus dandum rapinæ & vaſtationi, indeque non tantùm Rigam egregiè commeatu muniendam, ſed etiam illata à Saxonibus damna decuplo Regi Sveciæ reſarcienda. Hæc tibi tanquam Supremo Principi & Primati Patriq; Patriæ ex vi obligationis Senatoriæ intimanda duxi; ut cognoſcas afflictam fortunam noſtram per conſilia exterorum, qui inhiantes ſubſtantiæ noſtræ, noſtras opes, nos, & provincias hactenus ab Othomanica incurſione divinâ ſervatas gratiâ in ultimam præcipitârunt ruinam, ipſimet Principi inſuper exitioſi. Non placuit neque dignata Majeſtas patrios & indigetes in conſilium bellicum adhibere conſules; forſan ſi id feciſſet, prædicta expeditio non tam calamitoſo eventu fuiſſet coronata; nunc ſuis ſuorumq; intimorum, qui noſtris in immenſum aucti ſubſtantijs, tanta imputet infortonia. Tantis defeſſa malis Livonia, Curlandia, Semigallia, & ſummæ æſtimationis diſtrictus Piltinenſis ſub inexplicabili fatiſcens jugo, ad te ceu ſupremum Principem & Primatem Reip. noſtræ unicumq; columen, atq; ſolatium in tam afflictis recurrit rebus, inſimul ad Sereniſſimam confugit Rempub. ceu amantiſſimam matrem, per amorem Dei ejusque Eccleſiarum, ac fidei ſanctæ Catholicæ, deniq; per viſcera materni cordis cum lachrymis ſupplex: ne perditas prædictas Provincias & à corpore Reipub. Noſtræ velimus reſciſſas, cum infinita ignominia nominis & gentis noſtræ, cui jam adeo Sveci inſultant, unice cupidi has provincias per ſummum dedecus à Repub. alienandi ſibiq; aſſerendi: ac ſi hoc fulmine Svetico attonitis jam prorſus vires aut etiam vita defeciſſet. Arbitrare periculum manifeſtum ampliſſimarum prouinciarum, quas iiſdem artibus Sueci tentant auellere à corpore uniuerſi, quibus & Saxones obtendentes eas (ex quo carent activâ voce in Comitiolis) non incorporatas eſſe Reipub. Unde omnino expedire mihi videtur, ut equeſtris ordo prænominatorum Ducatuum activâ gaudeat voce; cui ſalutari operi in nuperis comitijs quæ fine caruerunt omnem meum conatum conſecraui. Compluribus ita explicato præſente harum Prouinciarum ſtatu, nihil nobis relictum eſt, præter ſpem in tuo præſidio. Quare ſuccurres pupillis, tegeſq; orphanos, inculcabis Reip. ne per negligentiam oſcitanter agat de præfatis terris,

quas

quas facilè amiſſas arduum aliquando recuperare erit. Sub hæc me A.C.1701
gratiæ tuæ commendo.

VNIVERSALE REGIS AUGUSTI AD PALATINATUS ET DISTRICTUS die Auguſti

AUGUSTUS II

OMnibus & ſingulis &c. Quandoquidem ſic viſum Reipubl. intenta noſtra de recuperandis avulſis Livoniæ, quorum glorioſa initia jam publica latè vulgavit fama, terræ quodammodo affligere; coacti ſumus necdum in altum provecti, velut ex ſpontaneo naufragio ad litus appellere, ſumptibus noſtris, conatibus, laboribus, honore, & reputatione prædictæ publicæ immolatis voluntati: quæ uti finium ſuorum quà augendorum, quà vindicandorum, ita progreſſuum noſtrorum pleno gaudet arbitrio & diſpoſitione. Humiliatis igitur glorioſiſſimis conatibus noſtris, per obedientiam dedecore terminatis, ſub plantas Altiſſimæ Mtis, ſupremæ noſtræ in comitijs ſatisfacientes declarationi mandavimus exercitui noſtro Saxonico, relictis omnibus ſuam repetere Saxoniam, & jam ad hoc uſq; tempus firmo verbo Regio aſſecuramus, præfatas copias ultimos Poloniæ attigiſſe fines. Spei interim hujus fuimus, quòd ſicut Reſpub. nullatenùs de hujus belli complicitate ſuſpecta eſt, ita ditiones illius ſecuritatem habituræ à contactu hoſtili, & perſona noſtra Regia tutelam ſub ejus umbra nemini tangendam & ſacram inventura eſſet: cùm contra inaudito hactenus exemplo Regem Sveciæ agere per literas ad Primatem datas, totamq; Rempub. comperimus, quibus eos concitat (horret animus) ad dethronizationem noſtram, qui nos inthronizârunt, & pro Mte noſtra non tantùm ſacris pactorum conventorum, ſed etiam noviſſimorum comitiorum vinculis ſanguinem & vitam ſe profuſuros obligârunt. In hoc nunquam præſumpto caſu, cùm nos per prænominatam publicam voluntatem proprijs noſtris viribus & copijs nos exuerimus, dum Reſpub. plùs æquo forſan prædicti Monarchæ confidit amicitiæ, ipſo interim contra ſacratam perſonam noſtram cuncta omni loco declarante molimina, omneſque hujus inclytæ Patriæ filios, quâ neſcimus fiduciâ invitante ad nunquam practicatam in his liberis gentibus turpem perfidiam erga Principes ſuos (uti manifeſtiùs conſtabit ex copijs earundem literarum à Primatiali Cancellaria communicatarum) nos fidelitatibus & charitatibus veſtris hunc auſum deferimus, certi exiſtentes, quòd nos opus liberæ Electionis veſtræ, arbitrio & diſcretioni hoſtis criminoſa liberrimis velut jure captis ciuibus ſuadentis, non permittetis. Aperite ſenſus veſtros hic & nunc; quo tuta munimine noſtra eſſe perſona poſſit contra tales inſidias? quidve conſilij contra ejusmodi vetitos excitatores ſit capiendum? Veſtræ igitur tot ſæculis laudatæ Sarmaticæ uirtuti & juratæ fidei toti innixi, prout nos propriâ noſtrâ uoluntate circa id bellum exuimus; ita in publicam uoluntatem reſignati non ullam ſpei noſtræ (quam ſuperi auertant) fruſtrationem, ſed fida & prom-

A.C.1701 *pta ſecuritatis perſonæ Noſtræ, limitumque Patriæ expectamus remedia. Nunc verò felicem & optimam à Deo vobis precamur valetudinem. Univerſale hoc noſtrum ut eò citiùs omnibus innoteſcat, per caſtra, Parochias & loca conſueta publicari volumus; cui ad meliorem fidem nos noſtrâ manu ſubſcripſimus ſigillumq; apprimi mandavimus.*

COPIA LITERARUM REGIS AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM VARSAVIA DATARUM 25 Auguſt. 1701

AUGUSTUS II &c.

E*tiamſi vellemus, per reſpectum nihilominùs interpretationis & cenſuræ aliorum ſupprimere ſilentio impoſſibile eſt; quando poſt egreſſum exercitûs noſtri Saxonici ex finibus Litvaniæ & jam in Pruſſiæ limitibus exiſtentis, Sveticæ copiæ in Curlandia nomine amicorum tantùm ſibi indulgent; quantum nec manifeſta hoſtilitas ſibi concedendum exiſtimaret. Mitaviam, Bauskum, cum alijs alicujus momenti locis uiolentâ manu occupata fortificant, contributiones pecuniarias & commeatus ſupra modum imperant, bona complurium in particulari ſubditorum Reip. ſub prætextu quòd minùs ſibi faveant, incendunt & vaſtant, orationibus inſuper diuinis pro nobis & Principibus illius terræ fieri ſolitis, velut criminalibus inhibitis, jam Jurborgum uerſus & Liuoniam noſtram intendunt, quæ omnia tibi manifeſtiora ſunt. Nihil jam nobis relictum eſt, quod ibi perdamus: judicabit ſecutura poſteritas, an tam violenter erepta depoſita noſtra in hæreditate inclytæ hujus Patriæ, cachinno levi excipi uel diſſimulatione præteriri debuerint. Jam deeſt & hoſti, quod amplius ſub titulo noſtro quærat. Hoc quod ſoleâ equi ſui calcat, quod per contributiones ſibi uendicat, quod ſub haſtam uindictæ mittit, quod meditatur, totum id fundus & authoritas Reipub. eſt. Verendum (de quo te pro Regia obligatione tanquam armatum Reip. Cuſtodem iteratò admonemus) ne ſub hoc uenditato nomine amici polluantur omnia jura, & tum priùs tam ſpecioſi nominis aſſumptam deponat laruam; quando noſtro neruo robuſtior ex conſcientia jurium ſuarum hoſtilem ſe ſumere poſſe faciem confidet: præſertim, cùm nunquam prætextus occaſionis amicitiã in inimicitiam transformandi deeſſe poſſit. Voles igitur his omnibus meritò perpenſis, maturè proſpicere, ne ſerum ſequatur pœnitere. Quibus intimè commendatis bonam tibi precamur valetudinem. Datum Varſaviæ 25 Auguſt. 1701*

RESPONSUM CASTELLANI AD PRÆDICTAS LITERAS MARIANOPOLI 31 Auguſti 1701

I*Am ad primas literas in materia ingreſſûs Regis Sveciæ in ditiones Majeſtatis Veſtræ reſpondi, in quibus ſignificavi literas Majeſtatis jam dimiſſo ex caſtris exercitu ad hiberna in manus meas deveniſſe, rationeſq; facti reddidi, quas jam antè ultimariè profecturus Varſaviâ Majeſtati Veſtræ intimaveram: ubi neceſſitatē dimiſſio-*

nis

nis in Auguſto exercitûs eam attuli; ut miles ſibi per hæc deſerta ſtativa habiturus, maturè de fœno & alijs victualibus proſpiceret. De actione verò copiarum Veſtræ Majeſtatis cum Sueticis ſub Riga altum hic ſilentium ſemper fuit, nemoque infeliciorem eventũ ſibi perſuadere potuit. Varſavienſis enim poſta conſtanter ſemper aſſerebat, Suecum imparem Narvam uerſus contra Moſchum moviſſe. Quamvis verò exercitum ad ſtatiua ſua dimiſerim; tali nihilominus mandato caui, ne non tantùm Officiales, ſed nec etiam Commilitones à ſignis ſuis ſeſe auellere & elongare præſumerent, poſt uerò etiam recentibus uniuerſalibus egi, ut ſemper ad iter parati eſſent. Mitto unum ex illis ad manus Procancellarij Magni Ducatûs Lituaniæ. Dignetur Veſtra Majeſtas mihi mandare; ut hic & nunc maturè proſpiciam, ne ſerum ſequatur pœnitere, actionéſque præſentes Sueticas perpendam. Aliquot annorum decennia in obſequio Anteceſſorum Veſtræ Majeſtatis & Reipublicæ totius conſumpſi, non defui unquam muneri & obligationi meæ, & modò paratus ſum, dummodo neruus belli non deſit, qui ne deficiat, Reipublicæ intereſt providere. Ea uerò qualiter conſueuerit ſuos nutrire exercitus, jam & Veſtra Majeſtas ſub tempus Regni ſui abundè edocta eſt. Quomodò ordinatæ & completæ copiæ ſint? deficiente præmio & mercede: jam tot annorum ſpatio hiberna ſoluta non ſunt, & conſiſtentiæ hyemales negatæ. Certiſſima hic Reipublicæ ſecuritas exſpectatur à Comitijs. Jam breui expeditio bellica finiatur oportet, comitia in proximo ſunt: ſi hodie moveret ex conſiſtentia ſua exercitus; crediderim vix intra quatuor hebdomadas in limitibus Livoniæ conſtiturum. Quomodò verò ibi hiberna ſumeret? quæ exercitui Litvaniæ debentur. Mihi ſatis exiſtimo eſſe promptitudinem ad obſequia paratumque animum tam Majeſtati Veſtræ, quàm Reipublicæ declarare: ad Majeſtatem verò Veſtram ſpectat in id incumbere; ut Reſpublica debitè exercitum ad bellum expediat. Exoſculor ſub hac clementiſſimi Principis manum. Marianopoli 31 Auguſti 1701. A.C.1701

COPIA LITERARUM EMINENTISSIMI CARDINALIS AD REGEM SVECIÆ

die 14 Septembris.

SACRA REGIA MAJESTAS.

Recepi literas Majeſtatis Veſtræ de data 30mâ Julij, ad quas tardiùs reſpondeo, cùm ad anteriores meas ſub data vigeſima ſexta Menſis ad Majeſtatem Veſtram ſcriptas reſponſum præſtolari & materiæ gravitas ſuadebat.

A.C.1701 *& Polonorum ſuſpirabat anxietas, communicanda inſuper erat Statibus & Ordinibus Regni eadem epiſtola, quæ non priùs, quàm 12ma præſentis per loca Comitiolis Provincialibus celebrandis ſolita innoteſcere valuit; ſcripſeram cùm militares Majeſtatis Veſtræ acies limitibus Reipub. noſtræ viciniores inaudiueram, metuens, ne proſperiori flante Boreâ tumida fortunæ vela Martialem Majeſtatis Veſtræ animum ultra gradivi metas evehant, amicæque viciniæ armorum inuehant fragorem. Prauiſum hoc quidem non tamen prouiſum celeriori Majeſtatis Veſtræ curſu, quàm opinione noſtrâ, cùm non modo occupatam, ſed & armis ac milite inſeſſam Curlandiam inaudiuimus.*

Sed cum obliquâ interpretatione Mtis V. geſta premere conſtans hucuſq; amicitia, ac bona vicinitatis cultura non præſumat, facilè apud nos excuſatum dum Saxonicus miles vicinior oberraret, & militari Mtis Veſtræ prudentiæ adſcripta cautela.

Cùm verò eundem jam non modo è ditionibus Litvaniæ, ſed & toto Regno ceſſiſſe, & ad propria rediiſſe; Mtis V. verò militem graviùs Provinciæ incumbentem conſtet; cùm jam Mti V. hoſtis deſit, uti Mti V. in perſequendo, ita & Reip. noſtræ in ſuſtinendo omnem ceſſare debere moleſtiam crediderim; promptiorem hunc receſſum præteriti publici noſtri congreſſus evicit deliberatio, alimentum quippe provectiori flammæ adimere operæ pretium ducebat, & non alius continuandorum conſiliorum noſtrorum in præteritis comitijs fuit obex quàm externo milite gravata Regio pacatioribus conſilijs obnoxia.

Cùm verò reaſſumenda prope diem eadem conſilia publica, conſona quæq; ac placida requirant, placebit Mti V. Rempubl. internis jam ſolutam curis, etiam externis liberare, non modo à finium ejusdem receſſu, ſed & ſeria pacis cogitatione, cujus nunquam ſpes major, quàm ſparſa per cædes ira.

Obliviſci incipit præteritorum Reſp. amore hucuſq; ac obſequio, nunquam odio in Principes ſuos ſpectabilis meliorum ſpe, & ſi quid dilatandorum finium ac gloriæ ſtimulo inconſultâ eâdem à Seren. D. noſtro cœptum diſplicuit, authoritati ejuſdem ceſſum, facilè compenſatur. Et hinc inauditum hucuſque dethroniſationis vocabulum quod vel ipâ cogitatione 12 ſæculorum gloriam enervaret, laborioſius reſtaurandum, quàm damna, delicatioris gentis noſtræ aures non tantùm permovit, ſed & teneritudinem auxit, quæ devia, ſi quæ in Principe invenirentur, privilegio libertatis corrigere, non extremis ſanare Religioni hactenus duxit.

Eandem moderationem excelſo Majeſtatis Veſtræ animo uti ſacrorum myſta omni inſinuo veneratione, ad eandem tanquam ſupremum gloriæ culmen hortor, non deerit Reipublicæ ſtudium in reducenda Sereniſſimi Domini noſtri priſtina cum Majeſtate Veſtra amicitia, & peraget tranquilla poteſtas, ut rupta eadem firmiori nexu coaleſcant.

Eſt

Eſt quod adhuc Mtem V. nomine publico humiliter exorem, ut videlicet rem tormentariam ſub Electorali Regiæ Poloniarum Mtis ſtemmate exiſtentem, & omnem bellicum apparatum, ceu in caſtris repertum, ceu alibi reperiendum bellicis ſpolijs annumerare non dignetur. Donata hæc quippe ſolenni inſtrumento ſtatibus ac ordinibus Reipub. in perpetuum monumentū extincto bello Turcico, ſub data 18 menſis Auguſti Anno Dni 1699 brevem ac indemnem ejuſdem contra Mtem V. uſum citra Reip. placitum nec ex ejuſdem armamentario adcitum credat, gravioris quippe ſenſus publico foret, damnum tam inſigne alienâ offenſâ pati. Hoc juſtitiæ in amicam gentem Mtis V documentum, incorruptæ gratitudinis trophæum ære perennius poſteritati erit. Cui longævam ætatem, nunquam morituram gloriam exoptans humillimâ inclinor veneratione. A.C.1701

XVI.

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. BENEDICTO SAPIEHÆ THESAURARIO M. D. LITVANIÆ

Varſaviâ 24 Decembris.

Refert acta in comitijs Varſaviæ.

POſteaquam vos reliquiſſem, & aliquomodo priſtinæ ſaluti poſt gravem infirmitatem reſtitutus fuiſſem, inveni Varſaviæ jam comitia benè cœpta, quibus dies 22da Decembris initium dedit; prædicavit Pater Koſuchovius Regius concionator in Votiva de Spiritu Sancto probavitque quòd Rex verè ut pater amans filios ſuos. Præſentes ſunt multi Senatores & ex Equeſtri Ordine Nuntij.

In conclavi Nuntiorum prima die Przyluſcius multa in favorem & laudem veſtram locutus, quòd ſcilicet quamdiu ſtabit Litvania, maximis domûs veſtræ ſublevata laboribus, impleta victorijs, exornata trophæis memoriam veſtrî nunquam deponet, & ante omnia concordiam Litvaniæ perficiendam ſvaſit, ſine qua non amplius continuanda hæc comitia, ſed compeſtria indicenda; nec ullam unquam permiſſurum ſe dixit materiam, niſi prius hæc finiretur. Petitus fuit Mieceliſcius Subjudex Siradienſis, ut tanquam ex Provincia Majoris Poloniæ Nuntius Primus Scipionem elevaret, qui gratijs actis Regi, quòd deſiderijs Reipub. ſatisfecerit in relegando Saxonico exercitu jam ad eum honorem capeſſendum aggreſſus erat, ſed Puzyna Capitaneus Viſnenſis contrario erat aſſerens alternatam eſſe pro Ducatu Mazoviæ, ſed petitus ab alijs Nuntijs receſſit à propoſito ſuo, itaque Subjudex Siradienſis precatus DEUM, ut conſilia dirigat ad utilitatem Reip. & eliberet à tantis periculis imminentibus. Ordinem conclavis Nuntiorum incepit; Multi non acceſſuros ſe ad ulla conſilia affirmabant, nec quidem ad Electionem novi Directoris, niſi priùs in Ducatu Litvaniæ concordia concluderetur, cui Zaranek etiam cum diſpendio comitiorum contradicebat, aſſeverans, quòd domus veſtra apertiſſimi ſint hoſtes Patriæ, dum & nunc invocatâ protectione Sveticâ inducitis Regem Sveciæ in viſcera Ducatus Samogitiæ, & quòd id de manu veſtra factum fuerit. Quod patere dixit ex ſcripto combinationis à vobis clàm factæ cum Capitaneo Samogitiæ, in quo hoc punctum expreſſum eſt, ut exercitus Litvanicus jungeretur cum exercitu Regni & Svetico, ut Status fidelitate & obedientiâ Regnantis exuerentur, exercitus Saxoniæ gravis protunc Litvaniæ oppugnaretur,

Przyluski perorat pro Sapiehis

Mieciel ski vice-Mareſchalcus

Zaranek contra Sapiehas

A. C. 1701 gnaretur, & deleretur, cum igitur nota ſint authentica documenta contra vos, judicium petijt, nec concordiam ineundam permittebat, reproducens eo nomine inſtructionem ſuam, quòd ſcilicet, ſi nuntij ejus Ducatus id permittere auderent, vitâ & fortunis privari deberent. Murmur erat contra talem illationem à Nuntijs Regni illum ipſum magis inculpando motorem, quòd ſcilicet operibus attendentes agnoſcant quis eſſet artifex, jam averteret à ſe culpam & in alios omnem transferret, cum ipſe Svecos exacerbaverat ſine ullo conſenſu Reip. unde eſt reus judicij, & conſequenter ſupplicij, & quòd diſſidia inteſtina toties moveret, quoties è re ejus eſt. Deventum eſt pòſt ad verba contentioſa, quòd ſcilicet Litvania, vi & armis opprimat alios, qui bene ſentiunt pro libertate; ſi in veſperum dies non declinâſſet, quæ & ſolutionem Seſſionis ſvaſit, potuiſſet ſieri aliquod inconveniens. In craſtino hoc eſt 23tia ſvadebat Subjudex ut ea inciperent, quæ terrori hoſti, Reip. utilitati eſſe poſſent, utque de fructu ſuæ proſperitatis cogitarent. Quæſivit proinde, utrum non eſſet conveniens, ut quantocius concordia Litvanica ineunda, de Deputatione ad Regem Sveciæ deſtinanda conveniretur Rex; Mlocius Zakrocimenſis Nuntius multis rationibus deducebat concordiam Litvaniæ eſſe neceſſariam bono publico, ſcandalizari ſe intulit ex inſtructione Samogitiæ, quæ prohibebat concordiam, & ſcripta eſt, tanquam aliquis famoſus libellus cum magnis nominibus & bene meritis de Repub. parcendum erat, quorum vel ſola nomina ad calculum revocare panegyres texere eſt, quia ſi aliquis illorum exceſſit, ſatis amplam egerunt pœnitentiam, & nunc novo infelicitatis eventu, ſit dedecus Sapieharum ſcelus alienum & peſſimus ad ſummos etiam conſcendit honores, quamdiu multis ærarium publicum patuit de regimine, nunquam conqueſti ſunt. Promovebat igitur concordiam Litvaniæ, quam & Referendarius Regni Szembek ſvadebat; Multi contra inſtructionem Samogitiæ tanquam aliquem famoſum libellum inſurgebant, nec inſtructio illa, quam rationem haberet, videbant.

Mockiſva det concordiam

Jaroſalski pro Sapiehis

Defenſionem honoris veſtri fortiter egit Jeroſalſcius aſſerendo quòd arma juris non furoris adhiberi deberent, quòd illi ipſi ſint infames, & hoſtes Patriæ, qui concordiam impediunt.

In authorē belli inquiritur

Etiam hodie, hoc eſt in Vigilia Nativitatis Domini Seſſio erat, cumque de authore belli cum Svecis incepti conclave Nuntiorū diligentius quæreret, unus ex Siradienſi Palatinatu Nuntius non diu quærendum dicebat, cùm ipſe Rex illud motu proprio abſq; ullo Reip. conſenſu inceperit. Zeloſiſſimè iterùm in favorem concordiæ Litvanicæ Mlocius dicebat, allegabatq; quod ad ſupervacua ſudatur, & ſyrtes interni diſſidij non conſideramus, cum res diſſidijs & ſeditione laborant, lethalis morbus eſt poſt vulnera nolle ſanari, ut tandem Litvani, quibus appropinquat malum, reflectant ſe, & nullâ interpoſita morâ concordiam ineant; abſit omnis querela & ſi alius alium offendit, viciſſim alter alteri largiatur. Svaſitque ut omnes adirent Regem, unanimiq; voce concordiam hanc implorarent, ut ſcilicet per authoritatem ſuæ Mtis quantocius inciperet, perficereturq;, ne malum ſerpat & ſit ſupra remedium. Venerant etiam literæ à fratre tuo Palatino Vilnenſi, ſed ne legerentur, Litvani impediebant, quamvis Rzevuſcius Chelmenſis Capitaneus deducebat, quòd hic querelandi locus, & ſtatuendi leges, licet unicuique injurias ſuas deferre, quis ſcit an literæ hæ ſubmiſsè ſcriptæ media pacis non proponant, utiq; & ex carceribus ſupplices libelli ſcribuntur, cur fratres fraternam recipere non debemus compellationem.

Mlocki iterato pro concordia

Rzewuski literas Palatini Viln. legendas urget

Volebat Sližen impedire lectionem literarum ſed objecta citatio ſeu manda-

mandatum à leroſalſcio, cujus judicium ad novam directionem differebat, cùm verò quæreretur, quonam ſigillo illud mandatum fuerit ſigillatum, cumque reſponſum fuiſſet, quòd terræ Branſcenſis, allegavit conſtitutionem anni milleſimi ſexcenteſimi noni, quòd Reſpub. jam ſuſtulit illum favorem, quem terræ Branſcenſi durantibus tantùm duobus annis conceſſerat, ac proinde illæ citationes ſunt nullitatis. Contradixit itaque Slizenius, & lectioni literarum, & propoſitioni, ut omnes adirent Regem, quia hæc eſſet novitas ſine praxi, poſſet Rex indignari, & publicam aggreſſionem interpretari, ita ut quondam Henricus Rex, qui ad arma quoque proſilijt contra inſperatas expoſtulationes. Precari verò Regem, ut ſeriò ſe ad hanc concordiam applicet, quid eſt aliud niſi exprobrare, quòd hactenùs id minùs ſincere fecerit. Electionem proinde novi Directoris perſvadebat, qui ultra ſex ſeptimanas nullatenus dilationem comitiorum permittere poterant; Replicavit ad hæc Gąſowſcius majorem novitatem allegans in ſtatutis Olkinenſibus, in quibus ſacra jura unionis non obſervata. Magna ſcilicet novitas, ut inſimul Nuntij omnes adeant Regem, ut humiliter precentur Mtem ſuam, quatenus velit partes inter ſe concordare! Alexandrovicius urgebat, ut, quandoquidem univerſales literæ pro congreganda nobilitate in Litvania comparuerint, idq; factum eſſe ex ſenatus conſilio allegabatur, ne tranſiret in uſum quòd conſtat eſſe prohibitum, inquirendum omnino, qui protunc Senatores conſilio illi aderant, petebant alij rationem à Pro-Cancellario Litvaniæ Sczuka in quo puncto ſcilicet concordia Grodnæ rupta erat. Et hæc ſunt, quæ hactenus acta. Vellem interim Regi, Primati & nuntijs ſcribatis, ſed fiat id fortiter & ſvaviter, ſcribo tibi ſciens ut id quod dico faciatis non quomodo ſuperetis, ſed quomodo vincatis inquirendum.

A.C.1701

Slizen contra dicit

Gąſowski huic ſe opponit

XVII

A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. MAGISTRATUI GEDANENSI 30 Decemb.

Suadet indictam contributionem pendendam

Quod privatis literis toties impetrare contendebam à Prænobilibus Dominationibus veſtris, ut aſſignatam à theſauro terrarum Pruſſiæ ſummâ tributariam ſine longiori mora ærarium Gedanenſe Excellen. Domino Caſtellano Cracovienſi numeraret, idē præſentibus oro, imò (ſi quid ratio mea poteſt) etiam perſvadere unicè deſidero. Jam non privato, ſed publico nomine Provincialis Pruſſiæ ſenatus, qui heſternâ die, poſt factam in ædibus meis ea de re conferentiã, id munus ſcribendi, à me ita conſtanter, fortiterq; poſtulavit, ut excuſare non potuerim. Quanquam, ſi non eſſent inſtantiales ullæ, meretur profectò tanti Senatoris dignitas, & officium, non tantùm ævo, ſed immortalibus & continuis in Remp. promeritis inſigne, non tantùm apud Nobilem Magiſtratum Gedanenſem, ſed etiam apud orbem univerſum invenire illum reſpectum, ne diutiùs à conſulatu veſtro mortificari cujuſdam politicæ eluſionis ſpecie videatur. Mereatur neceſſe eſt reverentiam, & amorem ſuorum civium, quem toties fortunas populorum invicto pectore propugnantem, tuentemq; ipſe hoſtis barbarus ſemper eſt veneratus. Certè nunquam deeſſe poſſunt media Generaliſſimo Exercituum Duci, quibus aut civilitatem exhibitam regratificari, aut negatam egregiè vindicare valeat, & honoris ſui punctum eò dignitatis reponere, quo ſemper fuerat, aſſequi debet. Proinde me, quemadmodum primi in Regno Poloniæ Senatoris reverentia, ita & nobiliſſimæ urbis veſtræ ſingularis movet propenſio, ut fortiſſimè deſiderē perſvadere, ne tamdiu otioſam, ſterilemq; Illuſt. Inciſoris Regni patiamini

aſſigna-

*A.C.*1701 aſſignationem, præcipuè tam turbulento Regni tempore, & liberiore militia propter negata ſibi ſtipendia. Si quid ergo mereri excellentiſſimus Dominus Caſtellanus Cracov. ſi quid ego favoris & reſpectûs habeo, oro atq; obteſtor præſentibus, nolite hoc agendi modo digniſſimum immortali ævo Senatorem contriſtari, aut ad juſtas vindicias læſi honoris provocare, Nolite tam moroſâ procraſtinatione deſtinatæ contributionis ad importunam hanc ambiguitatem, me quoq; veſtrum ſemper amicum perducere, ut dubitare incipiam aliquando, quòd ſim &c.

XVIII
A. C. ZALUSKI PRINCEPS EPISCOPUS VARM. ET SAMB. GODOFREDO WERNERO ABLEGATO SEREN. REGIS IN PRUSSIA 31 Decemb.

In negotio Religionis

NOn comittam, quod tu ſoles, ut argumenti me inopia deterreat à ſcribendo; ſæpiùs & ore, & calamo provocas me, cogiſq; ut tibi fuſius reſpondeam taleſq; rationes opinioni tuæ opponam, quas ſolvere minimè poteris, & ſicut in alijs fidei punctis frequentiùs convictus manes, ita & in hoc, quid reſpondere deberes, non habebis. Si materiam ſatis amplam dictis minùs æquavero, ſufficiet mihi modicam dicendi vim in magno conſumpſiſſe argumento.

Dico ergo quod nemo alius præter Eccleſiam decidere debeat difficultates, & ambiguitates Sacræ Scripturæ, & imprimis, ſi ejus verbis uti velimus, illi dicendi poteſtas eſt, qui præeſt loco Domini Princeps Sacerdotum, qualis erat, qui olim præſidebat Levitis.

Omnes rationes, quas tibi afferam, in primo DEI præcepto, quod extat Deuteron. cap. XVII fundabuntur. Ubi hæc verba extant; *Si quid difficile & ambiguum in lege perſpexeris, ſurge & aſcende ad Sacerdotes Levitici generis, & Judicem qui fuerit eo tempore. Qui tibi judicabunt judicij veritatem, & docebunt te juxta legem, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Hoc præceptum ſancitum eſt cum addita inobedientium pœna (quod conſiderari peto) *Qui,* (inquit DEUS) *ſuperbierit, & noluerit obedire Imperio Sacerdotis* (notandum quòd in ſingulari loquitur hic DEUS) *qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferetur malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.*

Jure in conſiderationem venit cur omnipotens DEUS voluerit cultum ſuî dependere ab authoritate & Præſide ſacrorum. Nulla ejus rei fuit cauſa, quàm hæc, quòd ſicut ſunt varia & ingenia, & judicia humana, ita variarent pariter interpretationes, ac per conſequens nullus certus foret cultus, ſublatâ certitudine cultûs tolleretur certitudo meriti, ſublatâ certitudine meriti, tolleretur certitudo gratiæ, ſublatâ certitudine gratiæ tolleretur certitudo beatitudinis & felicitatis æternæ, ad quem unum ſcopum & finem bonitas divina hominem creavit, ut nimirum eſſet creatura rationalis, & intelligens, quæ recognoſceret beneficia DEI, & frueretur illis. Atq; ideo ſcriptura vocat ſupremum malum in Iſrael, quod & morte vult vindicari; ſchiſma ſcilicet per quod tolleretur certitudo cultûs, tolleretur ſimul ſcopus, & finis creationis divinæ; quod eſt extremum malum. Idcirco etiam toties in ſcriptura iteratur præſcriptum illud; *Cuſtodite ceremonias meas non declinando* (ſic enim ſonant verba mandati) *ad dextram, neque ad ſiniſtram.* Id nempe fit propter conſervationem unitatis cultûs, qui ſecundùm præſcriptum Præſidis ſacrorum obſervari debet, nam alioquin tolleretur certitudo cultûs.

Atque hæc eſt cauſa, ob quam S. Paulus non modò hortatur, ſed rogat, imò

imò per DEUM immortalem obteſtatur; ne ſint inter vos Schiſmata, ut nimirum conſervaretur unitas dogmatis; Etſi enim inter Apoſtolos non erat dogma differens, inoleverat tamen inter novos Chriſtianos mos compellandi ſeu nominandi ſe ſecundùm titulos Apoſtolorum, à quibus baptizati ſeu evangelizati erant, hoc eſt Jacobini, Paulini &c. Non erat ibi differentia dogmatis, ſed titulorum, ac ſubſequenti tempore facilè inde occaſio nata eſſet ad differentiam dogmatum, ſicque cultus Divinus non Catholicus, ſeu univerſalis, ſed particularis fuiſſet. Itaque S. Paulus zeloſè rem hanc agit non ob ſchiſma in dogmate, quod nondum tunc erat, ſed ob occaſionem ad ſchiſma, quod manifeſtè repugnat voluntati DEI, qui vult unitatem cultûs nominis ſui Sanctiſſimi, unitatem ceremoniarum ſeu rituum, unitatem dogmatis ſine omni ſchiſmate. Nam ſine illa unitate dogma non eſſet Catholicum, ſeu univerſale, non eſſet unum ovile Chriſti, nec unꝰ Paſtor. *A.C.* 1701

Pariter S. Jacobus ſcrupuloſiſſimè præcipit obſervare unitatem dogmatis cum ait; qui in uno deliquit, hoc eſt in ritu, in cultu, ceremonijs, omnium eſt reus. Nec ſanè alius ullus conſervandæ unitatis modus eſt, quam hic, quem aſſerimus.

Ideoque ſolus ſacrorum Præſes cum ſua aſſiſtentia debet decidere omnes difficultates & ambiguitates legis.

Reſpiciamus exemplum Apoſtolorum, videamuſque, quam viam illi in ſimilibus occaſionibus tenuerint. Orta erat tempore Apoſtolorū controverſia de circumciſione, utrum ea Paganis ad Evangelium accedentibus eſſet neceſſaria, cùm in lege DEI expreſſiſſimè præcepta eſſet, & Chriſtus ipſe eam ſuſtinuiſſet, quamvis & baptiſmi legem ſubijt; ſed quia ſub lege natus erat, legem obſervare non recuſavit. Quia verò in mundum venerat, ut legem gratiæ conſtitueret, id quod per baptiſmum fieri voluit, non damnavit quidem legem DEI, ſed novâ lege conſtitutâ veterem reddidit non obligatoriam, eo quòd una lex conſtituta per verum Meſſiam ſufficiebat cultui divino. Ad hæc nova lex erat, lex gratiæ, quia ſuſtulit peccatum originale, quam gratiam circumciſio non habebat. Ingens itaque anſa ſcrupulandi erat tum DEI præceptum, tum exemplum Chriſti quorum utrūque favere videbatur circumciſioni. Convenerunt Apoſtoli ſuper verbo hoc, ut ſcriptura loquitur.

In eo concilio Apoſtolico primus erat S. Petrus, qui dabat ſententiam ſuam ſtylo Primatiali his verbis: *Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus DEUS in nobis elegit per os meum audire gentes, verbum Evangelij, & credere.* Cur non dicit per nos, ſed tantùm *per os meum* ſcilicet Petri habentis jus petræ, in qua fundata erat juriſdictio Eccleſiæ Chriſti.

In eodem concilio & aliud notandum, dicitur enim ibidem; *Et tacuit omnis multitudo.* Patet manifeſtè multitudinem Eccleſiæ ad audiendas deciſiones à Magiſtratu Eccleſiæ factas non ad diſputationes conveniſſe. Equidē locuti ſunt ibi etiam alij Apoſtoli, præcipuè S. Jacobus, qui ſermone ſuo approbavit ſententiam Petri, & aliqua puncta addidit, uti de contaminatione ſimulacrorum, de fornicatione, de ſangvine & ſuffocatis. Omnia hæc approbata ſunt in iſto concilio, in quo Jacobus locutus eſt, ut Apoſtolus.

Sed accedamus ad ipſum decretum Apoſtolorum in hoc concilio pronuntiatum his verbis; *Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus &c.* Verba hæc examinare fas eſt, primo conſiderandum fateri Apoſtolos Authores dogmatis de neceſſitate Circumciſionis fuiſſe diſcipulos Apoſtolorum, nimirum primi fideles, qui ad doctrinam Apoſtolorum acceſſerant, ſeducti à Phariſæis, uſurpaverant ſibi deciſionem dogmatis,

& in-

A.C.1701 & interpretationem difficultatis ſcripturæ, cùm ab Apoſtolis ad id non eſſent miſſi, ideoq; non ſolùm reprehenſi, ſed & pro hæreticis declarati ſunt ab Apoſtolis talibus verbis: *Turbaverunt vos verbis*. Hoc ſignum reprehenſionis, *evertentes animas veſtras*, hæc eſt declaratio hæreſeos; qui enim evertit per dogma animas hominum, eſt hæreticus.

Conſiderandum quoque, quod ſequitur, *quibus non mandavimus*. Inde patet ſolos Apoſtolos debuiſſe deciſores eſſe difficultatum, & ambiguitatum ſcripturæ, non eorum diſcipulos. Hoc exemplo patet Apoſtolos fuiſſe in poſſeſſione & uſu decreti DEi ex libro Deuteronomij ſuperiùs allati, nimirum ſolùm Præſidem ſacrorum cum alijs ſenioribus decidere debere difficultates & ambiguitates ſcripturæ. Liceat mihi interrogare te, & tuos, & omnes, quotquot ſectarij in orbe ſunt, num habeant tam apparentem rationem ſeceſſionis ab Eccleſia & damnandi Eccleſiam in dogmatibus ſuis, quam habuerunt diſcipuli Apoſtolorum, qui ſe fundabant ſuper lege DEi, & exemplo Chriſti, quia tamen ab Apoſtolis ad promulgandum hoc dogma non erant miſſi, ideo non modò reprehenſi, ſed & hæretici declarati ſunt, uti vidimus; Ipſe temet judices, & tui reputeſque cum illis qualem ſententiam ab Eccleſia reportare mereamini, cùm inprimis nec ipſi inter vos conſentiatis. Nam ſi concordes eſſetis in dogmatibus, ſpeciem aliquam, quantumvis levem habere videremini, ſed diſſidetis graviſſimè, vos ipſos mutuò damnatis, quia nulla inter vos certitudo cultûs eſt. Hæ nimirum ſunt portæ inferi, uti Chriſtus ipſe appellat. Inter vos diſſentitis, & tamen damnatis Eccleſiam Catholicam. At hoc ipſum eſt ſignum infallibile veræ Eccleſiæ ab eodem S. Petro petitum, quando is Ananiam interogavit; Num omnem ſubſtantiam ſuam, quam verbis obtulerat, dediſſet communitati Eccleſiæ. Non erat hic ad tantam liberalitatem obligatus nam non omnes hoc faciebaut, non peccavit malitiâ, quia nemini fecit injuriam, ſed peccavit vanitate & oſtentatione. Nihilominus ſeverè punitus pro tuenda Eccleſiæ authoritate dignis conſideratione verbis increpitus, *mentitus es Spiritui Sancto*. Unde patet in Congregatione Eccleſiæ legitimæ præſidere Spiritum Sanctum, nec aliunde natum illud Concilij Hieroſolymitani Decretum; *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. Neq; mirum ita eos loqui, cùm non modò multas promiſſiones, & ſponſiones Chriſti haberent perpetuæ Spiritûs Sancti aſſiſtentiæ. *Ille vos docebit, & ſuggeret omnia*, neque ſolùm promiſſa, ſed & rem ipſam obtinuerant. Neque in ullum alium Spiritus Sanctus viſibiliter deſcendit, quàm in Apoſtolos, idq; in lingvis ardentibus. Infallibile hoc documentum eſt, ſolos Apoſtolos habere jus decidendi dogmata, & difficultates, poſt Apoſtolos autem Succeſſores eorum, non diſcipulos ex quibus nati ſunt tot ſectarij. Quin hi olim in gremio Eccleſiæ fuerint, negari non poteſt, ſed non erant miſſi à Senioribus ad pronuntianda nova dogmata. Oſtendatis vos aut miſſionem à Præſide, aut gratiam viſibilem Spiritus ad promulganda nova dogmata, & quod maximum inter ſe differentia, quâ ratione tollitur certitudo cultûs, & Religionis ac per conſequens certitudo beatitudinis æternæ, ut dictum ſuperius. Sed accedamus ad exempla, & cauſas Seceſſionis ſectariorum, non tamen ſingulos hos excutiemus. Id enim nimis longum foret. Sed ſufficiat exemplum Lutheri tui, qui inter alios Seceſſionis prætextus & cauſas habuit impoſſibilitatem ſervandæ caſtitatis. Dilemmaticè ex ipſo quæri potuit; ſitne poſſibile ſervare caſtitatem an non? an impoſſibile ſit, probavit & oſtendit id ipſe in perſona ſua, cùm in clauſtro eſſet

voto

voto caſtitatis obligatus. Non ſuffecit itaque ipſe voto ſuo implendo. Hoc poſito iterum quærere licet, quomodo per impuritatem vitæ ſuæ potuerit mereri gratiam Spiritûs S. qua ad confirmandam Eccleſiam opus habuit. A.C.1701

Sed ne injurioſus in illum videar, ex conſequentijs eum damnando impuritatis: ponamus vixiſſe ipſum convenienter ſecundùm regulam profeſſionis & voti ſui. Si ita vixit, ergo fuit poſſibile ſervare caſtitatem, cùm id ipſe ſuo exemplo demonſtraverit honeſtè vivens in clauſtro.

Falſum igitur dogma docuit, cum impoſſibile eſſe docuit, quod ipſe in perſona ſua probavit eſſe poſſibile, malè docuit cum ſoluit votum, cùm monialem pariter voto obligatam duxit, Nonne pariter non ſolùm S. Petrus,ſed quilibet dicere potuit de Luthero: Mentitus eſt cum uxore ſua Spiritui Sancto vota rumpendo, quæ DEUS ſcrupuloſiſſimè ſervari juſſit; ſed notandum adhuc diſcrimen eſt in hoc puncto poſſibilitatis, & impoſſibilitatis ſervandi voti caſtitatis. Qui contra votum hoc peccat ex ſua ſolummodo perſona, committit peccatum fragilitatis,ſed qui con ra votum peccat per dogma, committit peccatum extremæ & ſupremæ malitiæ. Nam eſt hoc peccatum multitu linis, hoc eſt multos ita peccare facit, multis etiam per falſum dogma adimit beatitudinem æternam. Attendamus ad deciſionem ipſius Chriſti, videamusq;, quid de ſervanda caſtitate ſentiat.Verba Servatoris apud S. Matthæi cap. 19 ita ſonant: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, qui poteſt capere capiat.* Tria in iſto dogmate nota expreſſiſſe Chriſtum *imo* quæſtio ſta de Eunuchis non poteſt aliter intelligi, quàm de cœlibatu votivo. *2do* Chriſtus agnoſcit rei difficultatem, ſed non impoſſibilitatem. *3tio* Tamen ſvadet cœlibatum Chriſtus, cùm dicit: qui poteſt capere, capiat.

In fundamento doctrinæ Chriſti innixus S. Paulus ait; *Qui matrimonio jungit filiam ſuam, bene facit; qui non jungit melius facit 1. Cor. 7.* In æſtimatione fuit & eſſe debet caſtitas ex doctrina Chriſti & Apoſtolorum.

Sed hæc omnia ſubvertit doctrina Lutheri, qui non ſolùm juſſit frangere vota, ſed ipſe etiam fregit, tanquam impoſſibilia; laxavit ita habenas licentiæ in omnem impuritatem cum injuria omnium Ordinum ſeu Statuũ. Certè Status virginum per hoc dogma patitur Injuriam, quia omnes illæ ita fiunt, & debent fieri ſuſpectæ ob impoſſibilitatem, quam hi ſtatuunt, conſervandæ caſtitatis. Injuriam patitur Status Maritalis in abſentia maritorum propter eandem impoſſibilitatis opinionem; nam nemo ad impoſſibilia obligatur; patitur injuriam ſtatus viduus ob eandem cauſam; quid multa? patitur injuriam quilibet honeſtè vivens.

Et dogma hoc Lutheri eſt manifeſtè contra dogma Chriſti,& Apoſtolorum. Reſtat unum adhuc punctum tibi diſcutiendum. Soles multa verbis ad invidiam conceptis objicere Pontifici, & Catholicis imputas, quaſi credamus ab arbitrio Pontificis ſalutem generis humani dependere, & huic fundamento ſuperſtruis alias blaſphemias contra Pontificem, quas non memoro; ſunt enim tibi melius notæ. Ad has vanitates nunc non reſpondebo, quia toties tibi ore reſpondi, & pro certo habeo Pontifici competere jus indicendi concilia, jus approbandi deciſiones concilij, quia dictum eſt Petro, & in perſona Petri Succeſſoribus ejus. Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quidquid ligaveris, & ſolveris in terris, id ſolutum & ligatum erit in cœlis. Hoc maximè in te miror, cur quod in Pontifice damnas id ſibi ſumunt tui Miniſtri pari voluntate, non pari, quâ Pontifices authoritate, quando nimirum jus ſibi vendicant, non ſolùm Pontificem cum tota Eccleſia damnandi, ſed & ſe ipſos mutuò damnant, & per conſequens, quando

*A.C.*1701 do damnant, eo ipſo cogunt alios ad ſuum dogma, cum aſſerunt non eſſe in aliorum dogmatibus ſalutem ſperandam. At hoc faciunt omnes ſectarum authores, quorum magnus eſt numerus, & ut opinor, excedit centenarium, & omnes tamen ſunt diverſorum dogmatum.

Quæro jam quâ authoritate ſectarij licentiam ſibi uſurpant ſolvendi unitatem cultûs divini, ſolvendi unitatem dogmatis in cultu unius DEI. Secundò fingunt tot Eccleſias quot ſectas, eaſq; in ſolo privato judicio & conſcientiæ ſuæ dictamine depravato, ſeu potiùs inſcitia ſua.

Ad injurioſas Pontifici objectiones non reſpondeo, ſed tantùm jam de certitudine dogmatũ ago. Certitudo dogmatũ haberi non poteſt, niſi à certitudine aſſiſtẽtiæ Spiritûs S. qualem habet Pontifex, quod probatur his rationib9.

Prima eſt promiſſio Chriſti; cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis, ille vos docebit & ſuggeret omnia.

Secunda eſt promiſſi adimpletio, quando Spiritus S. deſcendit viſibiliter ſuper capita Apoſtolorum in lingvis ardentibus deſcendit ſuper ſolos Apoſtolos: nam his debebat ſuggerere, & docere neceſſaria ad cultum DEI.

Tertia eſt miſſio; ſolis enim Apoſtolis dictum eſt; ite in univerſum orbem, & prædicate Evangelium.

Quarta poſſeſſio authoritatis & aſſiſtentiæ Spiritus Sancti, ut ante demonſtratum in concilio Apoſtolorum Hieroſolymitano, cujus titulo pronuntiatum decretum eſt; viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.

Quinta ſpecimen datum in congregatione fidelium, quando Ananias ad interrogationẽ primatialem, falſũ cõmiſit, dũ dictũ eſt ei; mentit9 eſt Spiritui S.

Sexta ſucceſſio ab ipſis Apoſtolis, quam Pontifices probare poſſunt ad hodiernum diem in unitate dogmatum, unitate cultûs divini, & authoritate convictoriâ, quâ damnârunt omnes hæreticos ac ſectarios, idque exemplo Apoſtolorum in concilio Hieroſolymitano.

Oſtendas tu cum tuis iſtas notas certitudinis in tuis dogmatibus, & ſectis; non poteris, quia obeſt differentia dogmatum.

Damnant quidem tui à tuis dogmatibus diſſidentes, Pontificem, cum Eccleſia, & alios omnes ab ipſis diſcrepantes cœtus; interim jus non habent concilij Oecumenici indicendi, ut ejus concilij authoritate poſſint alios damnare. Damnant ſe mutuò, ſed privatorum non tam authoritate, nam & hac non poſſunt, ſed præſumptione.

Succeſſionẽ ab Apoſtolis oſtendere nunquã potuerunt, nec poterunt. Monſtrant quidẽ ſectarios, qui ante Lutherũ fuêre, ſed eos diverſorũ à Luthero dogmatũ. Fuit Arius ante Lutherũ, fuêre alij multi infandi nominis, & tempore Lutheri Calvin9 alteri9 Sectæ Author exſurrexit, & nũc uſq; indies novæ ſuboleſcunt ſectæ. Provenit hoc ex licentia ſentiendi, quã Lutherus profuturã rat9, promovit, ſed obfuit ipſi, quia cõfuſionẽ illa licẽtia peperit nõ certitudinẽ.

Tuti9 itaq; credere doctrinæ Pontificis, tanquã Præſidis Eccleſiæ, quia ille habet certitudinẽ aſſiſtentiæ Spiritûs Sancti, qui ipſum docet, & ſuggerit ei omnia. Tuti9, inquã, huic credere, quàm ingenijs, & inventionib9 privatorũ.

Accipe ergo hæc ab amico, qui animam tuam amat ſincerè, calamo, & crede, quòd humile adverſæ gloriæ faſtigium verborum eſt ſubſidium; ſi dicantur, ſonus ſunt, hoc eſt nihil, atra ſepia, ſi ſcribantur, ſed dum verba ſcripturæ S. allegantur, magnum eſt ad convincendum momentum; illud ergo meminiſſe deberes, quòd divinæ voluntati nos aſſentiri deceat, cui plus æquò dolendo modo adverſaris, de quo nunquam dubitare deberes, cum deprehenſis tenebris clara oculis lux pateat, & quòd nullus pudor ſit ad meliora tranſire. Simplicis & mali eſt ad imitandum non optima quæque ſibi proponere.

ANNUS

ANNUS 1702.

XIX

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS VARM. ET SAMB.

ALEXANDRO ZALUSKI PALATINO RAVENSI FRATRI SUO

17 Januarij Varſaviâ

Conſilia variorum in negotio Sapieharum.

GRatias corde habeo, calamo dico, pro illis, quæ mihi in fraterna defers confidentia, nec potuiſti magis ſcopum tangere ſagittâ certiore, ego pariter pauca, quæ habeo, ſcribere tibi non intermitto, ex quibus non ſpes, ſed dolor eſt major. Nam novo quodam morbo Reſpub. laborare videtur, & cùm omnes ea, quæ aguntur, improbent, querantur, doleant, varietas in re nulla eſt, apertè loquuntur, clarè gemunt, attamen medicina nulla affertur, & in primis literas quas DD. Sapiehæ Regi, Primati & Nuntijs ſcripſerunt, tibi adnecto, ex quibus intelliges illos aggreſſuros, quidquid ſors obtulerit, unde Patriæ infallibile & novum calamitatis genus, jactabimur ſcilicet ſine ſpe portûs. Addo quoq; quod Rex illis reſponſum dedit. Multum in ordine ad concordiam tractabatur, multi multa dixerunt, uti & circa exercitum Palatino Vilnenſi tradendum, vel non tradendum, cùm alij novam & juſtam quidem ſuſpicionem formaverint, de aliqua in Svecos inclinatione. Juramentum quidam à Palatino Vilnenſi explendum proponebant. Alij ut major pars exercitûs minori Duci obediret. Alij ut totus Generali Regni Exercituum Duci ſubeſſet. Reduxit in memoriam Procancellarius Litvaniæ Szczuka confœderationem Tiſiovecenſem, qua durante exercitus per annos aliquot Duci magno non ſuberat, & Palatino Vilnenſi minùs uno anno expectandum erit ad recipiendum ſub obedientiam ſuam exercitum, nec juramentum à Palatino faciendum approbavit, quanquam inde eſſet plus dedecoris in fuma, quàm doloris in vulnere, nec Commiſſarios aſſignandos in diminutionem authoritatis Ducalis credidit. Diviſio exercitûs inter duos Duces non arriſit, adæquatum eſſe credebat medium, ut exercitus Litvaniæ Regni Exercituum Duci obediat ſecundùm præjudicatum per conſtitutionem regiminis Pacoviani. Addidit medium exauthorandi militis Litvanici, quamvis id appareat eſſe difficile. Cardinalis verò ſvadebat, ut ad fraternos amplexus redirent, cùm ſcilicet nihil ſit, quod opponi poſſit Sapiehis. Opponebatur ante perduellio metu magis, quàm ex ſcientia, cùm Sveci neque cogitarant ingreſſum per Curlandiam in Samogitiam, & ita vulgato arcano patuit dolus cùm ex privata cauſa ſcelus publicum factum, unde atrocior injuria eſt, quàm ut ferri poſſit; ſilentio tranſmitti nequit tanta calumnia. Oppreſſa clamant & queruntur, nec laurus ſine ſtrepitu ardet, nec viri boni injurioſè ſecum agi ſine clamore patiuntur. Securitas verò concordiæ propoſita, ut ſcilicet Rex & Senatus & exercitus Polonus guarrantiam offerat, & manuteneat, & ſuper hoc fundamento inita & finita concordia eſt, ſecundùm adnexum exemplar. Interim venerant literæ ad Regem Svecos relictâ certâ parte exercitûs Caunæ, aliam miſiſſe Vilnam, ſed his alij credunt, alij, ut fieri ſolet, non credunt, quamvis præſentibus graviora metuuntur.

*A.C.*1702

COPIA LITERARUM DD. SAPIEHA AD REGEM
Reſſelio 25 Decembris.

QUI fortunâ, ſalute, conſiliô, manu & pectore, authoritatem, nomen, honorem Majeſtatis veſtræ defendebamus, ornabamus, tuebamur, in profundo nunc calamitatum ſubmerſi abyſſo flebili cantu Mtem veſtram compellamus. Excluſerunt nos ex domeſticis laribus, fortunis, & ſubſtantijs noſtris, livor, invidia, alieni appetitus, arcent à comparatione Varſaviæ novæ diffidentiæ, terriculamenta, inſidiæ. Et quod non ſit ex vano metus, authentica in manibus noſtris exſtant documenta, quæ utilitas proinde in ſanguine noſtro Rex Sereniſſime, quomodo reliquum ſanitatis evidenti periculo exponere poſſumus: privilegio ab ipſo Deo fulti, ſi perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Non acceptamus, adhuc tamen eam conjuncturam, quo deſperationis procella impellere ſolet: vivimus adhuc in hac tempeſtate, in Patrio littore, projicimus in eodem anchoram ſpei, & expectamus compaſſionem Mtis veſtræ, cujus vicaria in terris poteſtas etiam ventis imperare debet. Judica Domine, in quo peccavimus, & ſi hi ſunt laude digni, morum correctores ſine Rege, ſine lege, ſine charitate operantes, qui in ſe aſſumptis Magiſtratuum nominibus pro libitu & libidine, ferro, rapinis, impune graſſando jus omne confundunt manu, liceat tantummodo reſpondere miſeris ac oppreſſis, quibus nihil nobiſcum commune fiat, examen, cujus ſpolia, & in quo lucent & comparent, mirabitur futura ætas quomodo hæc ferri poſſunt, & tamen diſſimulantur, neceſſe curæ ſecuritatem noſtram eſſe ultionem. Et quoniam facilius aliena fortunâ & ſubſtantiâ illudere poſſunt tam authoritati Mtis veſtræ, ſicut & publicæ tranquillitati, quàm nobis ex omnibus rebus ſpoliatis diutius patientes eſſe, ſupplicamus Mti veſtræ, ut ſupplices preces reſpectum & miſericordiam apud Mtem Veſtram inveniant, & hæ literæ, in quibus lachrymas effundimus, tanquam folium non areſcant, quas negligere prorſus, qui Pater es, non potes. Manus interim Mtis veſtræ humiliter exoſculamur.

EORUNDEM AD CARDINALEM PRIMATEM.

TAM longa gratia & efficacis ſuper innocentia & oppreſſione noſtra Sereniſſimi Regis & Reipub. compaſſionis detenti expectatione, cùm gravioribus ſemper adverſæ partis aſſultibus premimur, recurrimus adhuc cum doloribus & anguſtijs noſtris trito ad gratiam & protectionem tuam itinere, bene conſcij, quod ſicut totius Patriæ, curæq; libertatis manutentio in ſuprema tua repoſita eſt ſollicitudine, ita injuriæ in evidentes pro conſervatione libertatis, afflictiones noſtræ, diligenti tua animadverſione vindicari poſſunt. Propoſueramus non hæſitantes in præſenti Comitiorum comparere conſilio, ex obligatione Miniſteriorum noſtrorum, cupientes audire ordinationem Reip. & ecce livor, qui hactenus fortunas, decora, famam indelebilem, in Patriam candorem & innocentiam noſtram cum honoribus ſine minimo noſtro demerito carpebat, aggreſſus etiam enormem audaciam, dolendo, quòd in præteritis Comitijs illud ad executionem non perduxit, quod nunc effectuare intendit, ut ſcilicet omnibus nobis vitam adimere, omnino Varſaviæ velit. Exhorruimus aliquomodo ſuper iſtas præcuſtoditiones & tanto magis abominati ſumus, non Chriſtianam, non Polonam, quia antiquæ honeſtati ejus contrariam reſolutionem, conſiderando,

derando, quòd ereptis nobis, honore, fortunâ, omnibusq́ bonis, unicum A. C. 1702
id, quod per gratiã Dei ſupereſt, vitæ ſpiraculum, incomprehenſibilis per ſicarios adimere conſtituit. Sumpſeramus nihilominus animum, reſolutique eramus innocentiâ noſtrâ Deo redditâ, terriculamenta hæc contemnere: ſed cùm in dies certiora & à conjuratis in patriæ ruinam, & innocentis Domûs noſtræ depreſſionem malevolorum conſpiratione ex certis locis veniant præcuſtoditiones, & extenuata per continuas expilationes & rapinas fortuna noſtra media ad ſecuram Varſaviæ ſubſiſtentiam providere non poterat, retinere aliquatenus deſideria noſtra cogimur, & ad tutiora divertere. Manemus proinde in pacificis Reipub. ditionibus in Varmiâ ab Epiſcopo loci reclinatorio nobis proviſo, ſalutemq́; noſtram utcunq́ conſervamus, tanquam ultimas infortunij noſtri tabulas, indefeſſis Domino exercituum humiliantes nos ſuſpirijs, ut conſilijs publicis aſſiſtricem prudentiam aſpirare dignetur, ad finem feliciſſimi conſiliorum publicorum exitûs. Non ceſſamus noſtram quinimo totius Litvaniæ oppreſſionem & ruinam à ſtudioſis contra antiquas libertates Poloniæ conatibus in dies auctas inſinuare, tibi Primatiali dignitate & authoritate inſignito, ut S. R. Mtem precari & diſponere non dedigneris, ut tandem bene ſit Patriæ, ut inſolens perditionem Patriæ cogitantium licentia abbreviari poſſit, ut pax publica & ſecuritas genti liberæ redeat, ut ſubſellia & Miniſteria ex cardinibus ſuis excluſa redintegrentur. Ut Palatinatus, Diſtrictus, & totus Equeſter Ordo libertatibus ſuis ſpoliatus ſub dictaturam quinqueviratus deſpoticè ſubditus ad antiqua redeat decora, ut gemitus & lachrymæ populorum, quæ cœlos penetrant, & vindictam deſuper invocant, juſtitiâ ſanctâ leniri poſſint. Et ut nos etiam & tot, tantiq́ in M. D. Litvaniæ injuriati ad bona, honores, ſubſtantias noſtras actu redeamus, & in tam magnis damnis, oppreſſionibus, violentijs, depopulationibus, ſine ulterioribus nocivis procraſtinationibus nobis ſatisfiat. Adimplebit hæc omnia, dum ſincerè volet authoritas Mtis Regiæ, dum ulterius depopulatoribus terrarum non indulgebit, ad priſtinam orbitam ordines & Provincias M. D. Litv. reducendo. Quod cum tædio in viſceribus Reipublicæ innocui ex Patrijs laribus exules expectamus. In quantum verò & nunc juſtitia nobis non adminiſtrabitur, & Regia protectio in tam gravibus damnis ſincerè nobis non aderit, inviti exclamabimus: vim patimur, & publicam ſuper has violentias manifeſtationem ſolenniſſimè Reipub. & toti orbi Chriſtiano deferemus, quòd neq́ juſtitiam neque judicium, neq́ tranquillitatem Litvaniæ ſuppliciter exorare & habere per tot annos poſſimus, cogamurq́ ad extremum aggredi obſervata in ſimilibus injuſtitijs remedia. Cœlum interim & mundus judicabit, & evincet innocentiam noſtram, quòd tam gravi ruinâ, tam ingenti injuſtitiâ, continuâ pro tuitione libertatis perſecutione violentiſſimè aggravati & conſtricti ſic, & non aliter juvare nos, noſtraq́ debuimus, juſta quippe eſt defenſio, cùm opprimitur innocentia. Quod dum tibi cum ſolita exprimimus obſervantia.

EORUNDEM AD CONCLAVE NUNTIORUM.

CUm fideli in charam Patriam, cum debita pro integritate Reipub. cum devota in congregatos vos ſubmiſſione compareamus per præſentes noſtri vicarias, loqui liceat, aut ſaltem, quando vox interdicitur, liceat ſcripto monſtrare innocentiam, & palàm facere, quàm iniqua in nos poſtulatio eſt, vel ideo, quòd nobis execrabilis

A.C.1702 bilis aliquot perſonarum ſuper totam Lithvaniæ Provinciam prædomi-nantium, jus vitæ & necis violenter ſibi vendicantium ſupina malitia liberum & ſecurum ad vos concives concivibus præſentaneum non admittit acceſſum, omnia itinera & recurſus noſtros intereſſata implet potentia, & apertis publicoq; notis aſſultibus contra ſancita majorum, & tacitis, ſecretisq; machinationibus, caras libertates Reipub. hujus aggrediuntur. Probatis inſuper omnibus molimihibus antecedenter fortunis exuere, nunc & vitâ privare conſtituit. In aliquot perſonis Dictaturam M. D. L. aſſumpſerunt, per quam ex Patrimonijs, hæreditatibus, decoribus & fortunis noſtris ſine omni demerito ſpoliati violentiſſimè nunc ad extremum per diſpoſitas inſidias ac ſicariatus capita noſtra petuntur, ut tollantur. Confugiebamus ſemper afflicti contra jus ad infractam veſtram protectionem ad quam & nunc venerabundi recurrimus ſupplices, petendo: Date modum lacrymis, date præjudicijs, date juſto vindictam ſangvini: non inclinamus adhuc ad extremos terminos, quia hic recurſus & macula in virtute, honeſtate, & conſervata in Majeſtates & Rempub. fidelitate, Domus noſtra nunquam infecta. Sed per Deum oppreſſæ innocentiæ noſtræ vindicias à vobis quàm demiſſiſſimè petimus, ut injurijs, violentijs, & injuſtitijs nobis factis juſtitiam & ſatisfactionem & ſimul publicam tranquillitatem Provinciæ M. D. L. authoritate veſtra impertiri tandem dignemini, non claudite oſtium, ſed aperite. In quantum autem id & nunc per interpoſitionem veſtram aſſequi non valeremus, actum eſt de ſpebus noſtris in reſpectu veſtro irradicatis, etſi in caſum fundatæ bonæ ſpei amovebuntur nobis remedia, quonam injuſtè & violenter fortunis, honoribus, ſubſtantijs ſpoliati recurrere debeamus, velitis, ſi non præſcribere, ſaltem innuere, ne ſuperet patientiam deſperatio. Quod ſicuti non optamus, ita eò ardentius ſecundùm datas citationes aliquibus, qui Provinciam Litvaniæ, quam nos tanquam communem Matrem veneramur propter privatam ambitionem turbant & devaſtant. Dulciſſimo juſtitiæ & protectionis veſtræ refrigerio contenti eſſe deſiderantes, manemus.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD DD. SAPIEHAS.

I. Januarij.

IN tam gravi innumeræ infelicitatis caſu & durantis domeſtici ignis in Litvania vix Paternum noſtrum non fatiſcit cor, vix ſufficit caput inter tot faſtidia laborum & alterationum, quæ vires noſtras exhauriunt. Dies & horas Regni noſtri triſtibus his poſſemus diſtingvere curis. Si vobis gravis & inſupportabilis eſſe debet hæc novercantis fortunæ adverſitas, atq; ſuos patientia queſtus exonerat, certè & nos ſenſibiliter ingemiſcimus, penitius conſiderando, quòd per hanc ad intra diſunionem non tantùm Ætas noſtra in opprobrio eſt hoſtibus, ſed decora, immunitates, & gloria gentium noſtrarum in deriſu eſt, & contemptu exteris, ita ut dicere queamus; Fine quo ſtabunt mala? Et hinc ab initio infelicium harum colliſionum, quæ utinam nunquam apud nos fuiſſent, occurrebamus omnimoda applicatione illis, faciebamus ea omnia, quæ tantùm humanitus fieri poterant, omnia media & gradus poſ-

ſibi-

ſibiles & in libera gente practicabiles pertentavimus. Nihil intentatum omiſimus, quæ huic melius nota patent, qui profunda cordium noſtrorum penetrat. Et nunc in eo deſudant omnes curæ & ſollicitudines noſtræ, conjunctis ſtudijs cum Senatu & Conclavi Nuntiorum, ad eum finem maximis collimamus conatibus, quatenus hanc molem ſalutiferi operis ad ultimam reducamus determinationem. Non dubiam ſpem in DEI bonitate habentes, quòd benedicet operi ſancto, & concordem voluntatem, unanime cor, & felicem animorum combinationem in defenſionem Patriæ. Agnoſcant tantum ita verè, ut eſt ſincera applicatio noſtra, recedant ſiniſtræ interpretationes, neceſſariam in nos non evertant confidentiam, quia hæc ſolita infelicitas innocenter actiones noſtras ſub alio palliat colore, & rectiſſimas intentiones ſemper carpere ſolet monſtrando in perſona noſtra duo difficillima Principatus, prodeſſe Reipublicæ & placere. Verbo igitur Regio Sinceritates Veſtras ſecuras reddimus, de firmiſſima manutentione hujus concordiæ ſanctæ, hoc unicum deſideramus, ut quantocius ſine mora ulla huc acceleretis, ubi cuivis ex publico jure ad latus noſtrum omnimoda proviſa ſecuritas. Et dum veneritis, ſpes & vota omnium adimpleturos nos non dubitamus. A.C. 1702

PACIFICATIO M. D. Lit. facta Varſaviæ 16. Januarij.

EX particulari Domini DEi noſtri in Patriam gratia & providentia, cùm jam ipſa ab intra & ab extra ex diſcordia M. D. Litv. provenientia, & in immenſum aucta pericula, & tædium malorum ac calamitatum omnium admonere cœperunt veteris & priſci moris, & quò ſunt majora, eò ferventiora excitare vota ad concordiam & ad averſionem ab his omnibus inconvenientijs, quæ per aliquot annos in hac gente ſtatum Reipubl: turbarunt ad præſidium legum. Status Regni ex mente S. R. Mtis Dñi Noſtri ſub tempus Comitiorum Generalium Varſavien: per deputationem deſtinati, & per partes determinati ſub præſidentia Eminen: Cardinalis Radzieiowski Archiepiſcopi Gneſnenſis Primatis Regni hæc mala & diſſidia talibus terminarunt & terminant medijs in ævum.

Sciendo Status Regni, quòd ad bona malaq; Gentis Litvaniæ pertineant, idem tanquam indiviſibilis Reſpublica non tantùm ex vinculo unionis, ſed etiam ex novella conſtitutione coæquationis Jurium ejus cum Regno Poloniæ repetito velut nexu unum & indiviſum corpus, ac omnibus quibusq; ſeparatis conſilijs ad unam compagem & orbitam legum pertinentes communicatione ſecuritatis & legum ſuarum cavent, & quidquid ex orbita illorum diſſenſiones & diſguſtus domeſtici extraxerunt, illud omne ad jus antiquum & obſervantiam legum debitam reducunt. Dignitates omnes, munia, miniſteria, officia in ſuis prærogativis antiquis ſecundùm jus priſcum & recentem coæquationis ordinem in omnibus perſonis majoris & minoris ſubſellij inviolabiliter manere debent, & liberum illorum exerciti-

A.C. 1702 citium ſine ullo eſſe debet impedimento. Telonia tamen antiqua Ruſſiæ ad menſam S. R. Mtis ex antiquo pertinentia circa antiquum uſum inviolabiliter conſervantur. Exercitum præſentem ſecundùm coæquationem cum Regno abrogandum declarando, ſi non erit neceſſarius.

Bona quæcunque in hoc turbine domeſtico injuſtè erepta ad priores redeant poſſeſſores, ſtatimq; in effectu reddi debent. Officia Terreſtria ſeu Caſtrenſia locorum, ubi bona conſiſtunt authoritate Reipub. deputantur condeſcenſura ad requiſitionem partis cui debentur. Omnes in hac gente ſive potentiâ Domûs, ſive fortunâ fulti, ſive ſuperioritatis beneficio elati, ſive popularibus gratijs aucti, ſub communi lege, judicio & pœna in æqualitate vivere debent, & terreſtri tranquillitati, indemnitatibus nobilitatis, publicis conſultationibus graves eſſe non debent in omnibus prætenſionibus & differentijs, & jure mediante non vi experientur. Et in eo Magiſtratus omnium ſubſelliorum & judiciorum comonentur, ut in judiciis iuſtitiam cuivis ſine reſpectu quovis ſecundùm legem & juramentum adminiſtrent. Contra aggreſſores & contemptores legum, & rebelles juri publico, procedendo ſecundùm antiqua jura in volumine legum expreſſa, obviando ſimilibus in hac Repub. in futurum exoriundis motibus.

Ut verò (avertat DEUS) eò non deveniat, hic & nunc omnes ſtatus, ſive perſonæ injuriatæ & contrariæ omnes offenſas inter ſe mutuas corde, honeſtate, & Chriſtiano verò debito inter ſe condonando reciprocè, & in ſæcula ſæculorum extingvunt ad invicem, & æternæ oblivioni reddunt, tam in civilibus, quàm in criminalibus, non præiudicando quidpiam negotio in foro ſpirituali incepto de morte piæ memoriæ Stabuli Præfecti M. D. L. Si quis autem privatam vindictam ex his occaſionibus in futurum apertè vel ſecretò per ſe ſive media ſubordinatâ moliretur, tanquam comunis pacis violator, & authoritatis legum contemptor, juri publico rebellis, & nocens ſubeſſe debet, ſine ullo perſonarum reſpectu rigori legum.

Nihilominus tamen actiones & prætenſiones inſcriptæ ſuper bonis ad Domum Sapiehanam, vel è converſo ab aliis in vigore ſuo reſtare debent, imò propter celeriorem ſatisfactionem in Tribunalibus M. D. Litv. agitari & finiri debent non obſtantibus nec operantibus quidquam proceſſibus ſtante diſcordiarum motu à Novembri anni 1700 uſque ad hodiernum terminum obtentis, imò in toto remotis manent de integro, & liberæ ſunt omnes perſonæ, quæcunq; ſtante hac civilis motus tempeſtate in judiciis comparere non poterant, & ex hac occaſione proceſſibus juris innodatæ ſunt, ſi id legitimè deduxerint. Quibus ſimiles proceſſus Juridici, decreta, & condemnationes obeſſe non poſſunt, & ſemotis iiſdem actiones eorum in negotio Principali pro exigentia juris & iuſtitiæ iudicari debent in foro competenti.

In negotio inter Palatinum Vilnenſem filioſq; ejus & Principem Radzivillium M. D. L. Cancellarium ratione bonorum Principis Neoburgicæ tutelæ prætenſæ, utraq; pars committit ſe judicio compromiſſoriali, deſtinando pro ſuperarbitro Cardinale Primate; quatuor autem amicos ex alterutra parte quicunq; videbuntur, & id intra determinationem horum Comitiorum determinabunt; quod judicium quidquid decernet, pro firmo & rato acceptare, & hac deciſione contentari, & tanquam finalem ſententiam ſuſcipere & obſervare declarant.

Quæ omnia ut eò firmius ſint conſtituta, authoritas S. R. Mtis D.

N.

N. Clmi, Senatûs & Equeſtris Ordinis utriuſque Provinciæ Regni & *A.C.* 1702
Magnificorum Generalium Regni Ducum ex conſenſu Provinciæ M. D. Litv. in Gvarrantiam præſentis Tractatûs acceptatur maximè verò quoad perſonarum ſecuritatem.

In reliquo propter ſtrictiorem inter gentes confidentiam omnia unionis jura & vincula, quibus ab utrinque obligamur in ſecuritatem comunium fortunarum matris hujus indiviſibilis Reipub. in mutuam defenſionem invadiamus, & propter æternam hujus concordiæ manutentionem manibus noſtris ſubſcribimus, qui tractatus inter conſtitutiones Regni ſine ulla contradictione, & in quantum iniquioribus (avertat DEUS) prementibus fatis Comitia præſentia non finirentur, ad acta metrices Regni & M. D. Litv. in vim perpetuitatis inſeri debent, antequam alia Comitia feliciter non finiemus. Datum ut ſupra.

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM A CARDINALE PRIMATE ET SUPREMO EXERCITUS REGNI POLONIÆ DUCE AD STATUS LITVANIÆ Poſt factam concordiam expeditarum.

POST *titulos*. Eſt unde Patria lætetur noſtra & futuræ felicitatis reſumat ſpem non dubiam, quòd tam magnum opus pacificationis M. D. L. diutius votis populorum exoptatum, toties incaſſum prolatum propter malitiam horum, quibus in turbido maligna meſſis, ex particulari gratia DEI, & ſincera cooperatione horum, quorum corda unicus boni publici poſſedit amor, tandem feliciter ad effectum venit per finitum inter M. D. L. & Domum Sapiehanam tractatum, non in debili, & ad evertendum prompto fundamento, ſed in vim perpetuitatis ſtabilitum tali conditione, quòd etiamſi fato aliquo minus propitio Comitia rumpi deberent, tractatus nihilominus caſui huic ſubjacere non debet, imò in eodem appoſitum eſt hoc punctum, ut indilatè ad metricas Regni & M. D. L. ingroſſaretur, & poſtea in Comitijs, quæcunque demum feliciter finientur, in volumen legum & conſtitutionum inſereretur, & quicunque vellet per machinationes aliquas tam ſanctum impedire opus, & novas excitare turbas, hic ſecundùm tenorem verborum in tractatu expreſſorum, tanquam publicæ pacis violator, & authoritatis legum contemptor, juri publico rebellis, & reus ſubjacere debet ſine ullo perſonarum reſpectu, rigori legum. Quod verò id non fuerit poſitum in ludificationem propter majorem ſecuritatem executionis, authoritas Regia, Senatûs & Statuum utriuſq; Provinciæ in Gvarrantiam hujus tractatûs veniunt. Cùm ergo his medijs permiſit DEUS ex bonitate ſua, aſpera in vias planas reducere, obliqua in recta dirigere, quis non crediđiſſet, quod omnes manibus & animis gratè datam hanc cœlitus quietem recipere debuiſſent, & tamen areſcit cor audiendo, quòd inveniantur tam imiſericordes in hanc Patriam filij, quibus magis placet tumultum ex tumultu, ex bello bellum ſerere, quàm tranquillam propriam videre Patriam, & tempora, quæ prima mortales ducunt felicia, pertinaci in malum ingenio deteriora curant facere, hunc felicem annihilando tractatum ſub prætextu, quòd ſub antiquo fuerit factum id conclavis Nuntiorum regimine, & jam poſt rupta Comitia ad executionem eſt deducta. Infert hanc paritatem, quod uno ſimili ſubſiſtente actu ruere non poteſt & alter, & præcipuè cùm aliquid in vim præcipuitatis ex conſenſu utriuſque partis eſt peractum. Quomodo ſemel placita non debent perennare. Adhuc non impleverunt menſuram malitiæ, cùm poſtliminio has diſcordias quærunt,

A. C. 1702 runt, monſtrando diſcordantis Patriæ miſerabiles fructus, domeſtici hactenus belli triſtes victorias, toties effuſum ſangvinem, tot omiſſas occaſiones vincendi hoſtis.

Inducti in limites Litvaniæ Moſchi cum Coſacis, Sveci inconſultâ animoſitate exacerbati in titulo hujus aggreſſionis fundus innocens Reipub. tanquam perſequendo inimicum aggreſſus, ruina Provinciarum irreparabili, externarum nationum excidia innocentis plebis, omnia hæc in ruinam ſuam malitiæ perfectæ ſunt effectus. Sed & nunc recenter poſt proclamatum tractatum tumultuariis copijs Bichovia in circumferentia ſua circumvallata & combuſta. Moſchus iterato damno Reipub. inductus, & ſicuti ex illis partibus veniunt informationes non tantum non ceſſant hoſtilia, ſed ſemper magis in vigore horrenda hæc civilis belli furia augetur. Proinde nos, quibus ex obligatione noſtra, qui titulo Quarrantiæ ad firmitudinem iſtius tractatus comprêhenſi ſumus, videndo quod univerſales S. R. Mtis in averſionem & retentionem hujus licentiæ ad M. D. Litv. extraditæ, nullum hactenus effectum adferant, volentes maturè occurrere exitio univerſi, hac denuntiatione noſtrâ in ſubſidium authoritatis S. R. Mtis omnes illos, quicunque demum motores, authores, vel contemptores inveniuntur, & tumultus ad hoſtilitatem provocant ad obſervantiam jurium de comuni pace expreſſorum præmonemus, & quantumvis ſtatim ad rigorem legum contra tales violatores ſeverè extenſum poſſemus deſcendere in fundamento roboris ejus tractatûs & tot conſtitutionum de Guerris, de tumultibus, de violatoribus pacis publicæ, de bellis inſciâ Republicâ voluntariorum, & de abuſu in extradendis literis univerſalibus pro convocatione nobilitatis, ſicut & laudatione tributorum, Juriſdictione generoſâ ſcriptarum, nolendo nihilominus omnes gradus, quicunque tantùm inveniri poſſunt in tranquilla poteſtate omittere, præmonemus benignè, quòd ſi hæ turbæ non ceſſaverint, ſi non ſucceſſerit celeriter tranquillitas, præcipuè nunc cum legato ad Regem Sveciæ per hæc hoſtilia impediri poteſt, tum infallibiliter ad poteſtatem Guarrantiæ recurremus, & omnes delinquentes ſecundùm rigorem legum de nomine & cognomine ſubſequentibus literis, rebelles, contemptores jurium, & tractatûs violatores declarabimus. Quæ quia non credimus fore, ita per amorem Patriæ & legum reverentiam obteſtamur, ut ad hæc extrema non deveniatur. Ut verò id notum ſit omnibus &c. &c.

INSTRUCTIO ORDINUM & STATUUM REGNI & M. D. L. AD SEREN: REGEM SVECIÆ.

Excellentiſſimis, Illuſtribus ac Magnificis Felici Comiti in Lipie Lipski Caliſſienſi, Andreæ Caſimiro à Kirchenſtein Kryſzpin Vitepſcenſi Palatino, Staniſlao Comiti in Melſztein Tarlo ſupremo Culinæ Regni Præfecto, Joſepho Potocki Halicienſi, Staniſlavovienſi, Caſimiro Oginski Gordovienſi, Capitaneis & Alexandro Myciels ski Subjudici Territorij Siradienſi, legatis ex Senatu & Ordine Equeſtri ordinatis de data ſub tempus Comitiorum Regni Generalium Varſavienſium 6. Februarij.

Laborabunt omni curâ & diligentiâ, ut ſuperatis omnium itinerum difficultatibus quantocius in conſpectum S. R. Mtis Sveciæ, ubicunq; demum præveniri poterit, ſiſtere ſe valeant, ibidemq; ſervato

ſervato præſentis honore ſolennitateq; legatis debitâ adhibitâ, ubi ad congruam ſibi audientiam & portanda muneris ſui verba admiſſi fuerint, tali vel non abſimili ſerie rem ſuam conſono modeſtiæ juxta ac generoſitati Polonæ ſenſu ordientur. *A. C.* 1702

Dedêre Stat⁹ & Ordines Regni & M. D. L. non obſcura nec ambigua amicitiarum & obſervantiæ pactorum cum Regia Mte Sveciæ, Regnoq; ejus documenta, dum acto nuper in Litvania per Saxonicam militiam bello maluit bonorum ſubditorum erga proprium Regem, quàm bonorum vicinorum partibus erga alienum in ſervandis fœderibus deeſſe; veritatis hujus liquida adeſſe argumenta non modò ex convocato grandi conſilio, quo rationes belli Svetici ſatis abundè productæ, recuſatæ, verùm etiam præteritis immediatè comitijs non acceptatis, eo vel maximè motivo, ne ijsdem rationibus Status & Ordines Regni ad bellum nunquam meditatum afficerentur. Quantum inde rebus Sveticis emolumenti acceſſerit, vel tacente Polonorum modeſtiâ, mirabitur Poſteritas, quòd eo tempore, quo conſpiraſſe fata videbantur ad infortunia Svetica, maluerint victrices ſuas aquilas hybernare æſtivo tempore per Pokuciam & Podoliam, quàm occaſionibus ſuis ex infelicitate aliena, ut aſſolet ſemper infeſta vicinia invigilare. Pares vel ſaltem reciprocas his præſtitis Status & Ordines Regni non experiri vices à S. R. Mte Sveciæ, ubi loco gratiarum, quòd ſuo Regi ſe excuſarent à bello, quòd militiam ejus Saxonicam eò usq; deprecati fuerint, donec extra fines Regni amandaretur, quòd tam adamantinum pectus oppoſuerint ad illecebras rehabendarum Provinciarum ſolito amore inviolabiliter ſervandæ cum vicinis amicitiæ, ubi, inquã, loco gratiarum S. R. Mtis Sveciæ amico quidem nomine, ſed infeſtis ſignis Ducatum Curlandiæ, aliasq; contiguas Provincias à menſe Julio anni elapſi inundaverit, portionibusq; militaribus, & mille gravaminibus agrum & terras Reipub: innocuas & nihil demeritas hucusq; liberè premat, præcipuis fortalitijs ejusdem Ducatûs Curlandiæ in morem hoſtilem captis, fortificatione præpropera reparatis, & milite ſuo Præſidiario infeſſis infauſta omnia contra tam ſolidos & bonos amicos ominari videatur. Hinc eſt quòd ijdem Status & Ordines Regni, ubi primùm congregati fuerant, plurimum hiſce perturbarentur, non prius tamen ſe ad juſtum naturalis defenſionis tutamen proripiant, donec S. R. Mtas Sveciæ amicæ requiſitionis à Statibus & Ordinibus Regni, præſenti habitâ per legatos inſinuatione, etiam mentem ſuam ijsdem Statibus & Ordinibus Regni repræſentet. Hæc verò puri & non vitiati titulo amici nequaquam repræſentari poterit, niſi eadem S. R. Mtas protinus arma & copias ſuas ex omnibus fortalitiis, civitatibus, atq; locis Ducatûs Curlandiæ, aliisq; Provincijs M. D. Lit. egredi faciat, taliterq; confinia Regni & M. D. L. ſecura & tranquilla ex debito Pactorum tum veterum tum recentium reddat & ſinat in ſtatu, in quo Pacta Olivenſia limites Provinciarum Reipubl. conſtituerunt & aſſecurarunt.

Non poſſe eo loci adduci quampiam ultionem & prætenſionem damnorum ad S. R. Mtem Poloniæ D. N. Cl. Iniquum enim & præter omnem rationem id per titulum Regis Poloniæ, à Provincijs Poloniæ innocuis prætendere, quòd ex titulo Ducis Saxoniæ, ſi quidpiam eſt commemorandum & agendum venit.

Literas S. R. Mtis Sveciæ ad Status & Ordines Regni datas, in præſenti congreſſu lectas fuiſſe, quibus omiſſâ mentione militarium copi-

A.C. 1702 copiarum in Terras Reipub: inductarum in eo ſolùm vis & baſis amicitiæ teſtari videtur, ſi Status & Ordines Regni ad eligendum novum Regem animos converterent. Quo ipſo jus omne Regni confundi, primasq; & Cardinales leges Reipub. everti. Scire enim deberet S. R. Mtas Sveciæ in Statutis Majorum Patriæ noſtræ ſimilia meditamina ſtante vitâ Regis, æquè ac graviſſime piacula offendendæ libertatis prohibita eſſe, utpotè cùm electio novi Regis non vacuo Throno non poſſit eſſe, niſi perniciofiſſima integræ Reipub. Præterea ſcire deberet eadem Mtas illa etiam ipſa tempora, quibus vacante Throno de ſuccollando novo Rege venit deliberatio, eſſe Statibus & Ordinibus Regni adeò moleſta & impropitia, ut ex communi dolentis Patriæ vocabulo vocentur Kaptur, id eſt velut cucullo ad pœnitendum confecto, unô verbô, lugubria nimirum appellentur, inde naſci, & manere ſemper in animis & cordibus Polonorum erga ſuos Reges heroicum votum, ut homines licet & mortales eligantur, ſemper tamen Numinum inſtar illos colant, & diuturnos ſaltem, ſi immortales eſſe non poſſint, verè & ſincerè cupiant. Ex his colligere dignabitur S. R. Mtas Sveciæ literas ſuas taliter, ut præmiſſum eſt, ſcriptas, ut etiam ex Epiſtola Primatiali cognoſcere potuit, in populo Cardinalibus legibus contra electionem Regum extra tempus obfirmato, ac tandem ſuo etiam tempore nimis perhorreſcente nihil aliud produxiſſe, quàm innatam & congenitam amoris erga ſuos Reges conteſtationē; vitam & ſangvinem ſe potiùs pro Rege ſuo vivente fuſuros, quàm de fatis ejus adverſis ante diem non filiorum, ſed privignorum more inquiſituros.

Nec eam filialem erga Regem ſuum conteſtationem venire poſſe in aures S. R. Mtis Sveciæ, inſuetam ac gravem, ſalvo Rege, ſalvis legibus amicitiæ cum eadem Mte & Regno ejuſdem inviolabili, juxta vetera & recentia Pacta Olivenſia coli & reſervari, dummodo ipſam & S. R. Mtas Sveciæ æquam ſe præbeat tam juſtis & tam æquis cum eorundem Ordinum & Statuum amicitiarum cultibus.

Offerre illos etiamnum amore ſvadente & reſtabiliendæ vicinæ tranquillitatis propriam inter ſuas Seren: Regis noſtri & Sveciæ Mtes mediationem, quâ unicè laboraturos ſe appromittunt, ut pax æterna inter amicos Reges & vicina Regna ſecurè & perfectè colantur. His tamen prius ſuppoſitis & evictis, antequam locus & tempus prædictæ mediationi, in quantum acceptata fuerit, deſtinetur conditionibus.

Imo. Ut Copiæ Sveticæ ex locis & Præſidiis omnibus Curlandiæ & Provinciarum M. D. Lit. ut ſupra dictum eſt, cum ſponſione juſtæ reſarcitionis damnorum ijsdem Provincijs & locis illatorum, quantocius amoveantur & educantur.

2do Ut tormenta & mortaria ænea, totamq; rem tormentariam Saxonicam Reipubl: per S. R. Mtem Poloniæ perpetuò donatam, recenter verò in rehabito Dinamindæ fortalitio, ac ante in arce Birzenſi interceptam S. R. Mtas Sveciæ Reipub. Polonæ integrè reſtituat. Rationem abuſus dictæ Artileriæ, ſi adferatur, non poſſe admitti; cùm enim eadem Artileria per S. R. Mtem Poloniæ D. N. Cl, ut videre eſt ex authentico ejuſdem Diplomate, ex actis Metrices Regni deprompto, in manus legatorum tradito donata fuerit Reipub. cum reſervato advitali Regio uſu, Rempub. uti proprietariam ejuſdem Artileriæ excuſatam à bello Svetico nequaquam demeruiſſe, quæ per alienum factum, utpotè Ducis Saxonici proprietatem Regni Poloniæ perdat.

Super quæ omnia puncta legati categoricam poſitivam declara-

tio-

tionem recepturi ſunt, & ubi primum receperint, feſtinanter, feſtinantius per expreſſum Curſorē Status & Ordines Regni certiores reddi faciant, non omittentes de primis etiam progreſſibus ſuis, & quid ſperandum conceperint, eosdem Status & Ordines Regni continuò notificant. Quodſi verò cognoverint ludificari, vel differri reſponſa, taliterq; ſpem Reipub: de juſtitia S. R. Mtis Sveciæ & reciproca æquanimitate conceptam eludi, extunc Status & Ordines Regni, etſi ipſos legatos ultra morari contigerit, genuinè & ſincerè omni meliori modo & via informare ſatagent & annitentur; Ultra verò hæc commiſſa nihil amplius auſuri, vel uſurpaturi ſunt ſibi poteſtatis legati, quinimò eadem omnia juratæ fidei Legatorum obligatæ, in publicum, prudentiæ & dexteritati nunquam demerendæ committuntur. *A.C.* 1702

Lectum & probatum 27 Januarij Anno 1702.

Michaël Cardinalis Radzieiowski Primas Regni.
Joannes Szembek Referendarius Regni & Mareſchalcus Comitiorum.

PLENIPOTENTIA
Illmis Excell. Illuſt. Mag. DD. Deputatis à Statibus & Ord. Regni Pol. AD SEREN: REGEM SVECIÆ.

NOS Status & Ordines Regni Poloniæ & M. D. Lit. univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quolibet modo intereſſe poterit, ad notitiam deducimus. Quia nos inhærendo unanimi conſenſui & beneplacito Seren: Reipub. ſub tempus Comitiorum Regni Varſaviæ die 22 menſis Dec. Anno 1701 celebratorum congregatæ Illrmis & Excell: Felici Comiti in Lipie Lipski Palatino Caliſſienſi, ac alijs ſupra in Inſtructione noſtra ſpecificatis in Legatos ad Inſtructionem iisdem in Comitijs Generalibus datam & manibus noſtris ſubſcriptam, electis, Deputatis unius duorumve abſentia non obſtante cum S. R. Mte Sveciæ, ad omne intereſſe, bonum, commodum, & utile Ser: Reipub. Poloniæ & M. D. L, Provinciarumq; eis annexarum ut & Ducatus Curlandiæ, Semigalliæ, & Diſtrictus Piltinenſis, in quo fidem, conſcientiam & amorem erga Patriam ipſorum obligamus, tractandum omni meliori modo perficiendum & concludendum, plenariam poteſtatem damus & tribuimus, promittentes, quòd nos Reipubl. Regni Poloniæ & M. D. L. Provinciarumq; eis annexarum id totum, quodcunq; vigore & tenore Inſtructionis ex re, commodo: & utili Reipub. per eosdem perficietur & concludetur, gratum & firmum habebimus & obſervabimus, & fidei cauſâ haſce præſentes manibus noſtris ſubſcribimus & ſigillis muniri fecimus. Dat. Varſaviæ

Michaël Card. Radzieiowski Primas Regni & M. D. L.
Joannes Szembek Referendarius Regni Mareſchalcus Ord. Equeſtris.

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ AD PRIMATEM REGNI POLONIÆ 6 Ianuarij.

NOS Carolus. Quoniam Colonellus de Saubre occaſione ad has oras delatus Varſaviam diſcedere iterum conſtituit tam egregiam prætermittere noluimus occaſionem, quin ſingularem noſtrum

A.C. 1702 ſtrum erga Eminentiam Veſtram affectum, ſincerumq; & ardens promovendi boni comunis ſtudium teſtaremur. Eminentiam Veſtram facilè perſpecturam confidimus quantas nos longo intervallo perpeſſi ſumus injurias, quantumq; Reipub. accelerari potuiſſet incomodi, ex machinationibus iſtis & hoſtilitatibus, quas & Rex Poloniæ, & ejus inſtigationibus concitatus Oginſcius nobis temerè nimis ac perfidè inferre auſi ſunt. Ipsâ igitur neceſſitate non minus, quàm intolerabilibus minis compulſi tot è militibus noſtris obviàm tumultuanti iſti turbæ miſimus, quot eidem retundendæ, arcendæq; ſuffecturos iudicavimus. Haud enim credibile eſt, Oginſcium tam horrendum facinus propriâ authoritate ſuſcepiſſe, quin & perſvaſi ſumus abuſum fuiſſe hoſtem noſtrum lenitate, bonitateq; Eminent. Vræ, quoniam percipimus talia ab Eminent. Vra expeti, quæ cum æquitate ipſa, ſecuritateq; & Reipubl. ipſius utilitate è diametro pugnare videntur. Curlandiam deſerere eò minus à nobis poſtulari debet, quò evidentius eſt ijs, quos pœnitere commiſſorum criminum oporteret, unde occaſionem ſuppeditari ſuperaddendi ſceleri ſcelus, faciliuſq; perficiendi fabricata contra nos infeſti animi molimina. Speramus itaque à congregata nunc in Comitiis Republica juſtis deſideriis noſtris ſatisfactum iri. Quòd ſi diutius differri contingat, nobiſq; ſic rei alibi bene gerendæ occaſio eripiatur, judicet Eminentia Vra ipſa, an non uberem doloris materiam ſimus habituri, utinam Reſpub. aurem vellet præbere ijs, quæ nos ad firmandam utriuſque Regni tranquillitatem proponimus. Certum planè eſt, quodlibet conſilium abhorrens, infra hujus pretium ſubſiſtere, ſucceſſus tanti operis, cui Reipub. ſalus innititur, gloriam Eminentiæ Vræ conciliaret nunquam intermorituram, & quæ ab Eminentia Vra eidem negotio perficiendo impenditur opera, benevolentiâ noſtrâ & efficaci gratæ mentis teſtificatione abundè eam rependemus. De cætero Eminentiam Vram diu ſalvam & incolumem cupimus. Dab. in Prædio Wargen. 6 Januarij.

Eminentiæ Veſtræ benevolus amicus.

XX.
AMICO CONFIDENTI, ANDREAS &c.

Varſaviâ 1. Februarij.

De Comitijs Varſavienſibus.

UT tibi (primas hoc anno ſcribens) gratuler, & vitam inoffenſam, fortunam proſperam, placidam ſenectam, mortem ſeram, cum ſumma animi devotione precer, voveamq;, & ut Annus tibi feliciter atq; ex ſententia ſuccedat, jubet officij mei ratio, urget affectus inter nos mutuus, impellit humanitas, ac benevolentia, quæ omnia ut in te ſumma ſunt, ita me ſummè movent, ut id faciam, & ſi negem mihi ad hoc animum fuiſſe, mentior. Et quamvis varijs nunc curis non detrahor ſolùm, ſed importuno penè eorum laniatu diſcerpor, ſcribo tamen, ut officium meum impleam, & ne te diutiùs ſuſpenſum teneam, quid mecum & imprimis quid cum Repub. agatur? Sexta igitur currentis facta ordinatione ut Domini Sapiehæ Reſſelij ubi locum reſidentiæ eorum deſtinavi, habeant omnem ex poſſibili commoditatem, eundo Varſaviam ad Comitia jam incepta in via Seburgi morbo correptus ſum, ita ut calculi dolores penè ad confinia mortis deduxerint, ætas mea, cur diſſimu-

ſimulem, paulatim labitur, & vergit ad occaſum. Senex ſum, multa audivi, multa etiam meis oculis vidi, quæ mihi apertè demonſtrant, vim varietatemq; fortunæ, rerum humanarum inconſtantiam, varios incertosq; caſus, inanes hominum labores, & contentiones, ac proinde bona eſt mors homini, vitæ quæ extingvit mala; Aliquot ibi diebus imbecillis valetudo morari coëgit, tandem tamen 11. Jan: movi acceptâ Varſaviâ notitiâ, concordiæ cum Sapiehis conciliandæ ſpem affulgere optimam, cujus ipſos quoq; feci certiores. *A.C.* 1702

14tâ Jan. veni Varſaviam ubi res expectatione mea pacatiores inveni, ſed non benevolè ab aula ſum acceptus, quamobrem ego quoq; à crebra ejus frequentatione abſtinui. Fatis ceſſit Joſephus Sluſzka Caſtellanus Vilnenſis, qui ſub finem dierum ſuorum tenui ac nullâ fermè erat valetudine, nihilq; ei tam familiare fuit, quàm ægrotare. Non pingimus Panegyres, ſed animi cujusq; vultum, qui aliquâ laude præſtiterit, calamo tanquam penicillo deſcribimus. Prodeſſet non tantùm quales ſoleant eſſe magni viri dicere, formam eorum & lineamenta deducere, ſed quales fuerint narrare ac exponere. Sed non in hoc caſu. Tranſeo iſtos quorum fama cum vita extincta eſt. Hic Caſtellanus filius fuit famoſæ illius Annæ Potocka, quam jure Cybelem id eſt Matrem Deorum in una mea oratione nuptiali nominavi, quidquid enim magni ſangvinis in Polonia & Litvania invenitur conſangvinitate & affinitate complexa eſt. Vacabat à fatis ejus Generalatus minor Exercitus Litvanici, quem prætendit Princeps Michaël Wiſniowiecki, quem ut obtineret ex via ſemitam faciebat, Aulæ autem parùm res noſtras curanti grata ſunt quæ facimus, quæq; fecimus omnia; omnia enim negligit, & nihili ducit. Itaq; ex concilio apud Card. Primatem formato Inductus eſt idem Princeps ad dandum certum ſcriptum ad manus ſuæ Eminentiæ, quod & corporali juramento confirmavit, amicum ſe fore Domui Sapiehanæ; ſed vereor ut honor hic nullâ non arte ab alijs petitus aliquando excruciet, grave ſiquidem tormentum eſt debere cum nolis. Aliquot igitur diebus omni conatu deſudavimus ut concordia optatum ſortiretur finem. Habui in domo mea aliquot cum Principe Radzivilio & Viſniowiecciis Principibus & Dño Pociey conferentias, & tandem 17. elapſi menſis concluſus erat tractatus gravi mole, ſummâ difficultate, & maximis laboribus, quem & ſubſcripſimus & *Te DEum* in Eccleſia cantatum, quanquam ego, qui profundiùs rem conſiderabam notavi non bono animo id factum fuiſſe, & timeo ut hæc publica ſolemnitas eò pejus adferat periculum rebus publicis, nullus adhuc eorum malorum certus finis, nulla judicio meo pacis & compoſitionis ſpes, ſed contrà majorum incommodorum metus oſtenditur, & non ex vano timeo, ut ſicut ſementem fecimus, ita metamus, & poſtliminio nos facti pœniteat, vereorq; ut etiam præſens cautio, atq; promiſſio in ſummum diſcrimen omnia præcipitet, quanquam audiam frequenter Card. Primatem exclamantem ſæpius: pulchrè, benè, rectè, non potuit melius, ipſe tamen primus ut erat, haberi cupiens, à multis, neſcio quid perverſi in eo notantibus poſtponebatur paſſimq; jactabatur, monſtroſa res eſt, ſedes prima, & vita ima, gradus ſupremus, & ſtatus infimus, quis ut ſeditionem leniat, turbat Rempubl.? Quæ magis animum meum movent, quàm delectant. Pacis cum videam tantùm nomen extrinſecus retineri, ſed intùs in corde utriusq; ſeditiones ac tumultus maximos adverto incluſos, qui nullam nobis certè partem quietis ac otij indulgebunt. DEus

Joſephus Sluſzka moritur

Pacificatio Sapiehar͞u.

*A.C.*1702 avertat mala, nec ſinat me vatem fieri.

Principi ergo Michaëli Wiſniowiecki ceſſit regimen & Generalatus campeſtris Exercitus Litvaniæ; Caſtellanatus Vilnen. ex vi Conſtitutionis, ne duo miniſteria in una ſint Domo, Principi Wiſniowiecki majori natu, Mareſchalco curiæ Litvaniæ. Mareſchalcatus verò ad inſtantiam Principis Radziwił Cancellarij, Principi Sanguſzko, cui non plùs juris aderat, ſed plùs commendationis (etiam abolita ſæculis nomina per ſucceſſores novos fulgent) cum ſummo dolore Domini Pociey qui operis tanti pars non vilis, qui promiſſum ſibi hoc officium jam habuit, ſed cùm prævaluiſſent inſtantiæ, priori ceſſit. Nec pingvior ſors aut gratia Regis deſtituet Dominum Pocey quæ nunc præteriit pôſt auctior redibit.

Collatio dignitatum.

Die verò 18 in Conclavi Nuntiorum magnus fuit ſtrepitus, & niſi unus ſolus Nuntius ex M. D. Litv. obſtitiſſet. turmatim ſe omnes ad Regem contuliſſent cum ſolenni inſtantia, & manifeſtatione in favorem Dñi Equitis Maltenſis Pac, qui Mareſchalcatum hunc jam à Rege ſubſcriptum & ſigillo M. D. L. ſigillatum habuit, quod magnam difficultatem Comitijs ne adferat timeo, metuo, formido.

Origo tumultuum inter Nuntios.

Diſputabatur itidem in Conclavi Nuntiorum, an legatio ad Regem Sveciæ quæ jam eſt concluſa ſub regimine antiquo mitti debeat, an expectari nova Mareſchalci Electio? cujus erat magna difficultas ſtante concurrentiâ præter alios Dñi Referendarij Szembek, & Dñi Stephani Potocki fratris Epiſcopi Culmenſis, cui Rex poſitivè promiſerat deſerturum ſe partes primas Dñi Referendarij & domui ejus gratiam exhibiturum, modò omnes ad bonum concurrant finem Comitiorum tam neceſſariorum, quanquam hoc promiſſum evanuit. Proteſtatus fuit D. Eques Pac, & exierat cum proteſtatione, ſed revocatus rediit. Inſtantia etiam fuit ſolennis ut Dñus Bechlinck primus Saxoniæ Miniſter relegaretur, quod ex parte promiſſum erat, ſed ut cætera, dilatum. Volebat Princeps Radzivilius ut Regi reconciliarer, ego illi aſſentiebar, ejusq; arbitrij eſſe volebam, nec pugnabam, quidquid debeo, nolle non poſſum. Nec difficilis fui edoctus injurias ferre, & gratias agere. Paratus eram & ad beneficia accipienda, ſi benignè reconciliatus mihi ante fuerit, & ſi adhuc iraſceretur ob accepta damna ad deprecandum, ſed tamen imperari dolori ſilentium non poterat, ob Præpoſituram Plocenſem prius Fratri meo Suffraganeo Plocenſi, & pôſt Dño Epiſcopo Kijovienſi ſubſcriptam. Nulli alij nunc formantur diſcurſus Varſaviæ, quàm de hac quotidiana in conferendis officijs & dignitatibus ex inſtinctu quorundam Aulicorum mutatione, cum nemo ſit unquam ſecurus gratiæ receptæ. Nulla quippe fiducia, & ideo aſſidua mutatio, & jam tam nota illorum ſuſurronum inſinceritas, ut nemo ſine ſponſione credat, quia conſuetudo quæ rebus affert conſtantiam, hoc vitium in ſe quotidie altius figit, quod illi in ſe non ignorant, ſed amant. O ſi aſſueſcerent hi ſuſurrones & dicere verum, & audire, quia ſinè fine multa ſpondent, pauca præſtant, bonitatis verba imitari, major malitia eſt, & in hoc ut in aliis multis ipſi decipiuntur, id ideo contingit, quod alieno ſæpè judicio de unoquoq; ſtatuitur. Sed moderatè & æquo animo hujusmodi querelas ferre in vitio ponunt minimè curando, quæ de illis judicia poſteritatis futura ſunt.

Joannes Gomolinski.

Fuit etiam petitio Nuntiorum, ut Rex in Senatu permitteret colloquium ſe abſente Senatui & Nuntiis, quod jam erat permiſſum, ſed hâc conditione ut hæc conferentia in conclavi alio non in Senatu fieret, & ut

& ut ſolus Mareſchalcus Nuntiorum cum aliquot eſſet deputatis, ſed hæc contra Regem inſtructa petitio verſa eſt contra Cardinalem, qui fodit foveam, incidit in eam, convertitur in eos pulvis, à quibus excitatus. Interim lecta eſt nobis epiſtola propè atrocior credita, quàm Regium erat, Regis Sveciæ contra noſtrum quæ magnum irarum irritamentum, magna odij fax erat, & hæc cauſa fomitem miniſtrabit. At nos interim vitioſi non ceſſamus peccata peccatis addendo, DEUM nobis, quàm maximè infeſtum & inimicum reddere, quid enim aliud revera niſi peccata noſtra nobis vires, & animum minuent, hoſtibus augebunt. Palàm verbiſq; ſpecioſiſſimis non nemini pax & concordia cordi eſſe videtur, ſed intrinſecus ac re ipſâ nihil magis eſt odio; id ideo fit, quòd non æquitas, non ratio in nobis viget, ſed pravitas, iniquitas, cupiditas, peſſimi conſultores dominantur, ut maximam gloriam Cardinalis Primas habeat. Facta pòſt requiſitio in conclavi Nuntiorum, ut etiam ipſis legatur hæc epiſtola Regis Sveciæ, ſed tandem denegatum, interim conceſſum ut eligerentur indè Deputati ad eam audiendam non jam à Dño Mareſchalco ut moris eſt ſemper electi, ſed à primo ex Provincijs. Hac eâdem die hoc eſt 25. comparuit cum ſatis magna aſſiſtentia Dominus Caſtellanus Cracovienſis & Domini Sapiehæ.

A. C. 1702

Stanisl. Jablonowski.

26ta. in Camera ut nunc vocatur mediatorum, volebat Dñus Procancellarius Regni Tarlo diſſuadere legationem ad Regem uti ſtatui contrariam cum hæc (dicebat) legatio niſi viâ quâdam proceſſerit in multos neceſſe eſt labatur errores, & unamquamq; rem ex cauſis concludere oporteret, expeditio hæc multò plus mœroris Reip. quàm reditu ſuo lætitiæ ſecum omnibus adferet &c. Sed nòn potuit evincere, & ſic concluſum ut apud Cardinalem Primatem ſcriberetur inſtructio legenda Senatui & Equeſtri Ordini. Quæ à Dño Procancellario Litvaniæ ſcripta placuit omnibus, ad electionem tamen novi Mareſchalci accedere nullatenus volebant, uſq; dum primo nominarentur hi, qui ablegandi eſſent ad Regem Sveciæ.

Legatio ad Regem Sveciæ.

Stanislaus Sczuka.

Tandem 28va electus fuit in Mareſchalcum Dñus Szembek Referendarius, jam majora ſperans, quàm illo ſæculo, quiſquam ſperare poteſt. Præſens felicitas bonam ſpem etiam futurorum injiciebat, ſed ex hac electione parùm aut nihil lucri in publicum redundaturum licebat conjectare, cùm enim omnis expectatio noſtra in his Comitijs fundetur, ſi felicem ſortientur exitum, incertum autem eſt, an expleturus ſis omnem expectationem, cum multos habeat ſibi adverſantes. Ego illi pro affectu diſſuadebam ominans, & timens partem eam quæ ſpe hoc honore potiundi defraudata, pudore quàm damno miſerior, ad rupturam Comitiorum contributuram; cum tremore enim, & timore ſalus Reipub. operanda eſſet. Hâc eâdem die ſalutavit Regem idem Mareſchalcus in pauciſſimo Senatorum numero.

Mareſchalci electio.

Tres interim ultimos dies menſis hujus impenderunt Nuntij connotandis vacantijs. Epiſcopus Præmislienſis ſummo ſtudio ad ſigillum Regni concurrit, jamq; habet in promiſſis, quamvis Epiſcopus Kijovienſis in ſcripto & ſigillato privilegio.

Bokum.

Gomolinski

Hodie tandem Cancellarius Princeps Radzivilius, in cujus arbitrium voluntatem meam rejiciebam, à quo ne latum quidem ungvem recedere mihi fas eſſe ducebam, me ſecum ad Regem aſſumpſit, quem dudum vitæ ratio atque exacta ætas ab omni ambitione prorſus abſtraxit, & qui ſtatui poſt hæc Comitia meum otium, in Diœceſi tantùm quæ DEI ſunt laborans eligere, ut virtus tacita conſeneſcat, ne dum

A.C. 1702 ſtudioſius obſequio Regis conſulo, indigentiùs de mea ſalute cogitem, ſucceſſit reconciliatio ad votum & contentationem. Hoc te ſcire volui ut quo loco ſervi tui ſint res, minimè te lateat. Fui pòſt apud Cardinalem Primatem, ubi Caſtellanum Cracovienſem inveni, video aliqua molientes ex inſtinctu Theſaurarij Litvaniæ, ſed necdum quid ſit ſcire poſſum, ille par ubiq; ſibi & mœſto corde fremens, nihil cogitat, niſi ut ſibi ſit benè, & ut tanquam mercedem rerum geſtarum in turbido conſequatur. Quid cogitat ſcit nemo, ſed quid faciat, patet, verùm hæc mala principia finem non bonum ſortientur. Has enim aſtutias quaſi velum ſuæ impudentiæ appendit, ſed alius erit de iſto dicendi locus. Craſtina enim feſtivitas non permittit plura.

XXI.

EIDEM AMICO IDEM 7. Februarij Varſaviâ.

QUoties ad me ſcribis, ſemper illud aſſequeris, ut nemo mihi melius ſcripſiſſe exiſtimetur. Quid hoc literario commercio dulcius? quibus moleſtiſſimis & meis & tuis occupationibus animum aliquantulum relaxas. Ingratiſſimus proinde ſim mortalium niſi ejusmodi officiis provocatus, me tibi plurimum debere teſtificer. Cùm præcipuè me amicè ac perhumaniter admones, ne cuncter, ne tempus elabi, ne commodas & opportunas è manibus occaſiones effugere ſinam. Vellem etiam ad imitationem & exemplo tuarum ſic ſcribere, ac tales lacinias dictionis adhibere, quæ Tullianam ut tuæ ſpirent elegantiam, veteriſq; Latij puritatem haud affectatam, ut habeant docti quæ facilè cognoſcant, indocti quæ condiſcant & admirentur, in illis enim video & quod vincat antiquitatem, & quod vinci à vicinioribus non poſſit. Vellem ut dictio mea ſicut tua ſimplex, nativa, facilis, ne ſit Sybillinis folijs obſcurior (verbaq; ipſis vix exaudita Cethegis) in ore nata, plus docens, quàm dicens, & quæ ſi fieri poſſet quid ſentiat oſtendere, quàm loqui mallet, elegantiam ſuam habens & aliena ab ijs qui ſeſquipedalia verba in populum projiciunt, & ampullas. Verùm id tu ſemper optabis, nunquam aſſequeris. Noſti enim impatientiam meam, quæ non permittit, ut cogitem quid ſcribam, ſed quidquid in ſalivam, quidquid in calamum venerit, extrudo potiùs, quàm ſcribo. Inſuper variis gravibuſque ſæpius urgeor occupationibus, & iniquitate temporis impedior. Sed veniamus ad id quod hic Varſaviæ agitur.

3tiâ Februarij litigabant de verbis quaſi jam de rebus judicatum ſit, & diſputabatur in Senatu multis palàm reſiſtentibus, multis occultè inſidiantibus, à quo eſſet incipiendum? an à diſtributione vacantiarum, an verò à lectione literarum Regis Sveciæ ad Cardinalem Primatem plenarum contra Regem contumeliarum. Accepta pro more voce comemoravi modum in ſimilibus rerum gerendarum, & rogavi Regem ut ſecundùm uſum, & antiquam conſvetudinem, quoties ſimiles interveniunt quæſtiones ſua Majeſtas determinet à throno, quid ſit faciendum. Nec fefellit conſilium ex determinatione enim Regis acceſſit, & non ægrè id quòd petebat obtinuit Mareſchalcus ad legendas vacantias, vel potiùs recomendationes multorum à conclavi Nuntiorum, quibus finitis accedere volebant ad lectionem literarum, ſed hoc non eſt permiſſum faciendaq; erat ſolutio Seſſionis, non ejuſdem eſt magna excitare mala, & compeſcere.

4tâ itidem diſputatum de legendis literis, tempuſq; extractum, & cum

cum prolongatio nonniſi ad hunc diem fuerit conceſſa, petitus à Rege ut eam proponerem, feci, & planè omnes conſenſerant. Sed Dñus Eques Pac (acerrima oratio eſt, quam impetus animi & ultima neceſſitas excutit, facit enim indignatio verſum) dicitur tamen id feciſſe ex inſtinctu & informatione Sapiehana, acceptâ voce quidquid per totum tempus Regni videbatur erratum contra leges, uſus, conſvetudines, parato ſermone dixit, & exaggeravit, ſcilicet plurimum voluntati permiſſum eſſe, legibus minimum. Ad quid verò leges conſtituendæ, ſi effectu careant. Cogitanda potiùs ſunt alia, & animus adverſùs ea quæ poſſunt evenire formandus firmioribus remediis. Quid futurum ſit neſcimus, quid fieri poſſit, & quid fiat ſcimus. Facta cernuntur, animus non videtur, quæque latent majora putantur, nam quemadmodum videm⁹ tanta contra leges Patrias accidere, ſic ſperemus & non utique ut deſiderantur caſura. Incrementa prò bono Reipub. lentè exeunt, feſtinatur in damnũ, & mala undè minimè expectari deberent, erumpunt &c. *A.C. 1702* *Pac Eques rumpere vult comitia*

Notataſq; omnes læſiones Relpub. in ſcripto Dño Mareſchalco relinquens, exire voluit, ſed clauſam ubiq; ianuam inveniens non potuit. Ita Philippus Macedo à procaci proſciſſus, non permiſit exilio mulctare calumniatorem, ſubjectâ ratione ne inquit oberrans apud plures de nobis malè loquatur. Quamvis verò exire prohibitus, tamen pro more qui recentior eſt, nec ſequi eum deberet Reſpub. ſtitit activitatem, nec loqui permittebat, & ſic ſub dubio, cum ſpe tamen proſequendorum ulterius Comitiorum ſoluta Seſſio, etſi aliqui approbabant eum benè locutum, arguebant tamen peſſimè facere quod Comitia rumpere vellet.

Ob Dominicam incidentem quintâ die vacabat conſiliũ, interim per Epiſcopum Culmenſem tractabatur cum Caſtellano Cracovienſi, ut aulæ velit eſſe amicus, ſed hic conſilia providè impertiri aſſuetus, imitatur præſtantiſſima majorum noſtrorum exempla, qui Patriæ comodis nihil antiquiùs aut juſtiùs habuerunt. Moles & multitudo calamitatum quæ tum in Regnum inciderunt, magnum hunc virum eſſe ingentique valore animi præditum demonſtrant, qui non patitur ſe de ſuis conſilijs depelli, & in tota Repub. eſt vir optimus judicatus, gravitatem & conſtantiam habens cum manſvetudine conjunctam, ſed ſuper omnia Patriæ eſt amantiſſimus, utque eſt in efficiendo eo, quod ſemel conat⁹ eſt ſtrenuus, ita cunctanter, & timidè rem ſæpius aggreditur.

6tâ die langvida adhuc ſe ſpes quædam Comitiorum oſtendebat, diſputaturque utrum abſente Nuntio qui proteſtatus eſt, proſequi poſſimus Comitia, cogitando & quidquid in ſimilibus ſolet, & quidquid poteſt fieri, affirmante poſſe continuari Comitia Epiſcopo Vladislavienſi ob intereſſe fratris ſui Mareſchalci, & alijs non ad præſcriptum legum euntibus, & his diſputationibus pro & contra, extractum tempus. Interim quærebatur Dominus Pac jamq; inventus apud Nuntium Apoſtolicum fuerat, & ſcripſit declarationem ſuam Dño Mareſchalco maximè attonito, quòd paratus ſit reſtituere activitatem, ſed certis conditionibus publicum concernentibus, quæ conditiones, quia tangebant aulam, præcipuè de bello Svetico, de libertate à principatu in tantum diſcrimen non adducenda, de oppreſſione Domus Sapiehanæ, de amovendo Bechleng, de caſſando exercitio Lutheranico in tot domibus publico, & de aliis exorbitantijs, ſupprimendam hanc ſchedulam credidit Mareſchalcus nec propalandam. *Stanislaus Szembek*

Scriberem plura ſed temporis anguſtiâ intercludor, & etiam ne prolixitas nimia faſtidium pariat, & ne tædioſâ te demorer epiſtolâ, aliunde plus nimio diſtractum plura non addo & finio.

O 3 PUN-

A. C. 1702

PUNCTA AD CONSILIUM POSTCOMITIALE 14 Februarij.

Imo. Quomodo poſt rupta Comitia Provincijs Litvaniæ, Curlandiæ, Semigalliæ, & Diſtrictûs Piltinenſis ſub Contributionibus exercitûs Svetici ſuccurrere non tantùm ex nexu ſacræ & antiquæ unionis, ſed etiam ex vinculo recentis Guarrantiæ Statuum Regni interpoſitæ inſtrumento Pacificationis M. D. Lit.

2do An ſufficiens eſt remedium expeditio legationis concluſæ ad Regem Sveciæ, ſive etiam, an aliquod occurrit medium efficacius & certius.

3tio Si iſta legatio concludetur, unde pro illa ſumptus, quantum cuique dandum, & quot perſonæ expediendæ ex Senatu & Equeſtri Ordine?

4to Ablegatus Czari Moſchovitici continuò rogat, ut aliquis ad Principalem ejus expediatur, qui omninò vult aperire mentem ſuam Reipub. cum amicis & utilibus propoſitionibus ad concludendam optimam, & ſtrictiſſimam amicitiam, & eo nomine dictus Ablegatus publicam petit audientiam.

5tò Quid faciendum, ſi Exercitus Sveticus ulteriùs verſùs limites Poloniæ procedet, & quis modus ſecuritatis, ſicuti Sacræ Regiæ Majeſtatis, ita totius Reipublicæ?

6tò Artilleria Regni, quamvis & in pace egeat ſemper, providendum quoquè & fortalitium Cameneci, & Ssmæ Trinitatis, & quoniam ordinaria Quarta, cùm ſit præcipuè impunctualis, ſufficere nequit; petitur proinde ſupplementum.

7timo An Titulus Regius Electori Brandeburgico ſit dandus, cui, cùm trecenta millia Talerorum pro Elbingenſi prætenſione debentur, quoniam Comitia rupta ſunt intra 12 ſeptimanas exſolutio ſummæ hujus imminet, aliàs Territorium Elbingenſe in periculo. Optat proinde Sua Mtas, ut huic obvietur, & medium aliquod inveniatur.

8vo Tam magni ſumptus Ducum Regni merentur juſtam reflexionem, ut ad rationem liquidationum ſuarum debitam recipiant conſolationem ſicuti & Nuntij Exercitûs conſvetam gratitudinem.

DECLARATIO S. R. Mtis D. N. C. IN SENATUS-CONSILIO POSTCOMITIALI FACTA 27 Februarij

RES exigit ut propoſitioni jam factæ plura ex utilitate & neceſſitate publica ſuperaddamus. Notum eſt Sinceritatibus V, qualem exitum proxima Comitia habuerint, utpote quæ mero propriæ utilitatis ſtudio infectis rebus diſſoluta ſunt, poſthabitâ ac neglecta de promovendis noſtris Reipublicæq; commodis curâ, quæ tamen omnium potiſſima eſſe debebat, cùm interea Rex Sveciæ in dies pergat, literis minimè Regiis, Regeq; prorſus indignis nobis inſultare, & poſt infeſſam hoſtiliter Curlandiam cum Semigallia & Diſtrictu Piltinenſi progreſſus ſuos in Litvania proferre, eamq; magis ac magis pervaſtare, idq; adeò impunè, ut nec arma contra ipſum ferantur, nec ſaltem de remediis, quibus eidem obviàm iri poſſit, cogitetur, quin potiùs magna lætitia undiq; videatur, & invaſori in opprimendis innocentibus, & juſtificandis reis leges ferre impunè quaſi permittatur. Deplo-

plorandum ſanè eſt, quòd non ſic videatur vigere ardor iſte, qualis e- A.C 1701
rat Polonæ Gentis tempore Majorum veſtrorum, noſtrorum autem Prædeceſſorum, indeq; ſatis luculenter apparet DEum vitiis, atq; peccatis hujus Reip. iratum, omnes bonos influxus avertere, quos Nobis ſincera virtutis atq; æquitatis æmulatio aliàs promittebat, cùm nunc nonniſi injuſtitia undiq; exaudiatur, delicta planè maneant impunita, nullusq; reſpectus & recognitio rectè factorum habeatur. Atq; id eſt, quod in præſenti rerum ſtatu tantò magis nos movet, & adigit ut Sinceritatibus V. exponamus, quantæ neceſſitatis ſit, ut poſt Reip. incolumitatem, noſtra quoq; ſecuritas ſtabiliatur. Non recenſemus longâ ſerie, quæ noſtra erga hoc Regnum hucusq; ſint merita, cùm certò perſvaſi ſimus Nos curam hanc honoris, & ſecuritatis noſtræ tantò majori jure à Sinceritatibus V. requirere, quantò magis per orbem univerſum conſtat, quomodo nullis hactenus ſumptibus pepercimus, nulla pericula horruimus, quin potius omnia fecimus, ut votis & expectationi Reip. de nobis in Electione noſtri in Regem conceptæ ſatisfacere poſſemus, Regnoq; huic priſtinum ſplendorem, atq; magnitudinem redintegrare valeremus. Juramenti vinculo adſtricti fuimus, & per pacta conventa obligati, ut avulſa Reipub. recuperare curaremus, atque per hoc nos obligatos exiſtimavimus, ut vinculo Juramenti quocunque modo ſatisfaceremus, reſtitutaq; Podoliâ, & Cameneco ulteriùs progrederemur, & operi magis profuturo nos accingeremus. In ea ſemper opinione fuimus, & adhuc ſumus, articulum iſtum de recuperandis avulſis vel maximè ad noſtram ſolam perſonam ſpectare, onusque effectuandi articuli iſtius nobis ipſis incumbere. Etenim ſi dicatur rem eſſe, quam conſenſu Reipub. inchoari oportebat, in vanum certè eſt, quòd illa pactis conventis inſerta fuit, cùm alijs Generalium factis nos conformare; ſed, cùm ita ſit, uti præmiſimus, quòd peculiari & ſolenni juramento adſtricti fuimus, certè nemo nobis vitio vertere poterit, quòd operam dederimus, quomodo nos ipſi promiſſis noſtris ſtare poſſemus. Teſtati ſumus hoc ipſo bonam noſtram intentionem, & fuimus perſuaſi neminem inveniri potuiſſe, cui juſta cauſa eſſe potuiſſet, nobis aliquid inde iniqui imputandi, cùm potiùs optemus, ut omnes in Regno noſtro fidei juramento confirmatæ memores ſint, & muneri ſuo ac legibus eodem modo ſatisfaciant. Parati fuimus, & ſumus juſtificare omnes noſtras actiones in facie totius Reipub.; ſed poſtquam vidimus, quot & qnanta impedimenta noſtris progreſſibus opponerentur, & quàm iniquè noſtra bona intentio in pejus torqueretur; Non omiſimus, ut tam per publicam noſtram declarationem de ineunda pace honeſta quam per reductionem copiarum noſtrarum in Saxoniam malevolos eò meliùs convinceremus, eoſque tantò pleniùs perſuaſos redderemus, de noſtro ſincero propoſito, dum omnibus lucris, commodis, & emolumentis, quæ de hoſte obtinueramus, libentiſſimè renuntiavimus, & incerto rerum eventui nos ipſos commiſimus. Sed illud nunquam credidiſſemus hanc noſtram indulgentiam, & ad vota populorum accommodatam promptitudinem, tam periculoſos & faſtidioſos effectus producturam, & quòd inde occaſio emanare debuiſſet, hoſti ea concedendi, ad quæ nos tanquam Rex aſpirare neque præſumeremus quidem, quamvis ea omnia Reipub. commodum, atque utilitatem pro ſcopo haberent. Nihil igitur reſtat, quàm ut nunc Sinceritatibus veſtris modis omnibus commendemus, quatenus omnes cogitationes ſuas huic negotio intendant, & remedia efficacia inveniant,

qui-

A. C. 1702 quibus & perſona noſtra Regia ab omnibus inſultibus tuta præſtari, & ipſius Reipub. inde dependens ſalus promoveri poſſit. Nos ſanè proteſtamur coram DEO & toto mundo nullas nos partes habituros ignominiæ, & certiſſimæ ruinæ Regni noſtri, quæ ſine dubio ſubſequi poteſt, modum tractandi hactenus aſſuetum, niſi adhuc malo huic ſerpenti tempeſtivè occurratur, remediaq; ſufficientia eidem adhibeantur, ad quem finem pro facilitando negotio offerimus nos pro duobus Quartualibus Exercitui Reipub. ſtipendia proviſuros, & exſoluturos, quàm primùm in loco Caſtrorum deſtinato proximo finibus M. D. L. inſtructus comparebit, quandoquidem in Comitiis præteritis cura ſolutionis ejuſdem planè neglecta fuit.

Volumuſq; perſuaſas eſſe ſinceritates veſtras, nullatenus à nobis intendi, ut Reſpub. per hoc, bello quodam involvatur, ſed ut fines illius ab omni ulteriori irruptione tuti, & im̃unes efficiantur, & defendantur. Nulli dubitamus fiduciam hanc noſtram, quam uti ſemper in amore huic nationi erga Regem ſuum & Patriam innato, & unde talem nominis gloriam conſecuta eſt, poſuimus; Ita & nunc eandem in ſalutaribus ſinceritatum veſtrarum conſiliis habemus non fore fruſtraneam, ſed tales effectus producturam eſſe, ut nullum ampliùs momentum prætermittatur, quin ſinceritates veſtræ honori, & ſecuritati Regis, & totius Reipub. firmandæ idonea ac præſentia remedia inveniant, cùm aliàs nobis nihil aliud ſupereſſet, quàm ut characterem Regium, quo fulgemus, integritatemq; totius Reipub. omni meliori modo tueri anniteremur, quorſum enim omnia tam naturæ, quàm gentium jura pro nobis militantia haberemus. Id igitur à Sinceritatibus veſtris jure meritò requirimus, ut omnes cogitationes ſuas huic rei ſeriò intendant, neque patiantur vanâ ſpe nos, totamq; Rempub. ulteriùs duci, & protrahi, cùm urgens neceſſitas, & præſentia molimina omnem moram reſpuant, & prompta atque parata remedia exquirant.

SERMO EPISCOPI VARMIENSIS IN CONSILIO SUPER præmiſſa puncta 18 Februarij habitus.

INfauſtus præſentium Comitiorum finis, verendum Sereniſſime Rex, ne ſit omnimodæ infelicitatis noſtræ initium, quivis enim noſtrorum hoſtium nobiſcum aget juxta placitum ſuum, cum Nos non agemus ea, quæ noſtræ ſunt obligationis. Diffidia noſtra inimicorum ſunt lucra, & ſicut in his Comitiis fructibus neglectis occupati cortice nec boni intellectum nec mali curam habuimus, ita poteſtas conſulendi cum ingenti libertatis jactura ad duos Ordines eſt tranſlata. In evidentibus periculis ſi procedere volumus, ut debemus, trito à Majoribus noſtris itinere ire nequimus. Loqui hoc tempore difficile eſt, quando veniunt occaſiones, quæ facta magis quàm verba poſtulant, & conſulere quis poterit? quando omnibus reſolutionibus ruptura Comitiorum obicem poſuit. Sentimus certiſſimum dolorem, qui Nos ferit, ſed invenire difficile remedium, quod leniat. Demittere animum tamen non licet, manus adhibere per Senatus-conſilium non eſt modus. Omnis proinde infelicitas Patriæ, clades ejuſdem cadat ſuper hunc, qui Comitia rupit, & ſuper hos, qui ad id contribuerunt cum peſſima illa intentione, ut pro libera Repub. habeamus nullam.

Legi porrecta ex Cancellaria Vræ Mtis puncta, & vidi majorem eorum partem non ad Nos, ſed ad totam Remp. pertinentem. Hæret proin-

proinde mens, & ingenium, quid dicendum, quid non dicendum? Se- *A. C. 1702*
natûs-conſilia noſtra quamvis ſint aut innocentiſſima, aut ea, ſuprà quæ in Repub. nihil melius excogitari poſſet, tamen apud hos, in quorum conſpectu ſtellæ non ſunt mundæ, ſiniſtræ ſubſunt interpretationi. Nemo ergo miretur, quòd in his materijs in quibus vix cavet, etiamſi quis caviſſe ratus eſt; multa ſilentio ſunt involvenda, & non tantùm ſcrupuloſè, ſed & timidè loquendum.

Scio ego Rex Sereniſſime, quid debeamus ex vi unionis M. Ducatui L.; Gens enim una ſumus. Non tantùm convenit, ſed & ex vi obligationis tenemur non ſolùm compati, ſed & ſuccurrere Fratribus noſtris. Obſtringit ad id, & novus nexus in ultimo Tractatu expreſſus, ut ſecuritati dependentibus ab Imperio Mtis V. Provinciis provideatur. Sed, cùm ſuper eo puncto cogitarem, præſentius medium non invenio præter illud, quod provida rebus ſuis integra exiſtens reperit Reſpub, hoc eſt expeditionem legationis ad Regem Sveciæ. Inſtructio prudentiſſimè, & pro dignitate Mtis, & pro æquanimitate Reip. ſcripta, de quantitate Legatorum ex Senatu, quidq; dandum viris, conferemus apud Card. Primatem, quantitatem verò Legatorum ex Equeſtri Ordine non eſt noſtrûm aut diminuere, aut augere, quoniam id jam Conclave Nuntiorum determinavit. Quandoquidem verò video, aliquot ex electis ſe non tantùm excuſaſſe, ſed & abiviſſe, cumque Inſtructio etiam ſonet unius vel plurium abſentiâ non obſtante, commodè id pro Republ. fiet, & inopia theſauri, quæ frequentiùs optima conſtituta retardat, quia, ſi alicubi, certè in Polonia nihil magis fatigat, quàm pecuniæ conquiſitio. Si ſumptu ſuo aliqui ire volunt; ſicuti in Conclavi Nuntiorum publicè declaraverunt, optarem illos ex ſenſu meo quàm plurimos. Si autem ſumptu Reipub. quàm pauciſſimos. Cùm etiam non deſit præjudicatum quòd in magno itidem negotio Reip. pro receptione ſcilicet homagij eventualis unus tantùm ex Senatu Magnus Theſaurarius Regni; alter ex Equeſtri Ordine Procancellarius nunc Litvaniæ, tunc Referendarius Regni erant deſtinati Regiomontum, qui fortiter & magnificè pro Republica, glorioſè pro ſe negotium egerunt. Ego credo quòd & emollitus ferocior animus legatione noſtrâ, & perſvaſione Colligatorum, qui in illa pace ſuum prætendunt intereſſe non irritabit amplius & Perſonam Mtis V. & Remp. vehementiùs, quàm juſtiùs non exacerbabit; In omnem nihilominus caſum pro defenſione, quæ cuivis naturalis, crederem primas Reſtium literas expediendas ad vocandam Nobilitatem tanquam robur Reipublicæ invincibile, hoc præcauto ut quàm prudentiſſimè ſcribantur palàm faciendo, id, quòd, ſicut non provocamus bellum ita nec timemus, & quod pacem nunc voluntas, bellum illo tempore deberet habere neceſſitas. Interim, cùm Reſpublica exiſtens integra reliquit ſibi jus belli, & pacis, quod dependet ex bono vel adverſo hujus legationis eventu, quoniam expreſſè determinavit, ut relatio ejus in Comitiis fiat, deliberando ſolùm, utrum Comitia limitari, an alia nova à Majeſtate veſtra evinci precibus deberent. Limitatio per rupta Comitia eſſe non poteſt, ergo conſequens eſt, ne diſquiramus, utrum Comitia eſſe debeant, ſed illa tanquam ordinarium in ſimilibus conjuncturis remedium humiliter à Majeſtate veſtra petere debemus, in quibus ex reſponſo legatis noſtris dando, & ex re, ulteriora in rem Reipub. formabuntur conſilia. Firmiſſimum verò medium crederem, mutuam confidentiam; ubi charitas abeſt, nihil boni ſperari poteſt. Fecit jam

Hieronymus Lubomirski Stanislaus Sczuka.

A. C. 1702 jam Mtas veſtra ad illam gradum, per lectum immediatè ſcriptum, in quo effudiſti cor tuum Domine, deponendo in ſinum præſentis conſilii, & perſonæ tuæ, & honoris tui ſecuritatem. Declarare dignatur Mtas veſtra Exercitui noſtro conſolationem, non ideo, ut bellum incipiant, quia hoc ſine pleno conſenſu totius Reipub. cujus ſervi ſunt, incipere non poſſunt, ſed ut tantùm in limitibus pro defenſione & oſtentatione maneant, quod & ego credo conceſſibile, & cum legibus noſtris conveniens, ut ſcilicet Exercitus in excubiis ex illa ſit parte, ubi eſt maximum periculum. Fecit etiam Mtas veſtra in eo gradum, quando nos ab externo milite liberâvit, & in pectoribus fidelium ſubditorum non tantùm ſecuritatem perſonæ ſuæ Regiæ, ſed & honorem ſuum, quo nihil homo delicatius habet, repoſuit. Non dubitet Mtas veſtra, quòd confidentia in nobis eſt mutuæ felicitatis maximum fundamentum, eſt lapis angularis, ſuper quo fortuna noſtra manutenebitur, quando talis erit, qualis eſſe debet, inter Patrem & filios, inter Dominum & ſubditos. Divulſio membrorum à capite utriuſq; eſt ruina. Debemus Mti veſtræ non tantùm fidem, ut ſubditi, ſed & amorem, ut diligentes Patrem filii. Cùm ergo Patris non Domini ritu agere nobiſcum dignabitur, fortiùs certè, quàm, per, neſcio quam etiam fortiſſimam potentiam, gratam in cordibus noſtris quietem, ſecurum in affectu noſtro imperium aget. De nobis nullum debet eſſe dubium. Non ſeducemus expectationem Mtis veſtræ, quia hæc eſt inter primas Gentis noſtræ gloria, quòd Regibus noſtris ſervamus fidem, ſangvine proprio ſalutem & ſecuritatem eorum providere ſolemus. Dum nihil à te Rex timebimus, id teſtari debemus, quod debemus Domino; verbo, dum diliges, facies, quod vis. Dum enim verus & ſincerus erit amor, tunc nihil adverſi contra Rempub. tentabit. Ad ſtabiliendam proinde Rex Sereniſſime, & ſolidè fundandam confidentiam duas res cum reſpectu debito opto, peto, precor. Prima eſt, ut auxiliares copiæ nunquam ampliùs ſecundùm recenter conſtitutam legem in viſcera Regni intrent, quia hæ plus ad perſonam Regiam diffidentiarum in Regno adferunt, & adferre poſſunt plus damni, plus & in Religione, & in libertate præjudicii, quàm comodi & gloriæ Mtis veſtræ. Ita & Romani talia bella ſuſcipiebant, quæ proprio milite geri poterant, eo addito; in re Romana, Romanis magis credimus, quàm Græcis. Sit Mtas veſtra plus quàm ſecura, quòd inveniet in affectu, & fortitudine Polona tantum animi & virium, quantum ad dandam reſiſtentiam cuivis inimico ſatis erit. Disjuncti debiles, conjuncti erimus pro defenſione Mtis veſtræ, & Reipublicæ fortiſſimi.

Aliud eſt, quod petere audeo, & vellem in hac materia per lingvam effundere cor meum, ut pro ſtrictiori ſtabilienda confidentia velut ſecuros redderet Status Reipub. quòd certi eſſe debeant jurium & libertatum ſuarum, quòd amplius non inducetur per interpretationem pactorum conventorum Cardinalia jura evertentem ad id, ut aliquando bellum aliquod incipere velit inconſultâ hac Republicâ, quæ nunquam Regibus ſuis juſta denegare ſolet. Si verò credidit veſtra Mtas, quòd conſcientia ejus Regia in juramento de recuperandis avulſis eſt invadiata, liberabitur ab eo aut explicatione ſaniori, aut ad extremum, ſi Mtas veſtra in hoc ſuppoſito juravit, & diſpenſatione ad repellendos quoſvis ſcrupulos. Probabit verò fidem, excuſabit pro bonitate ſua libertatem illorum, qui ex obligatione jurata hanc ſecuritatem humiliter expectant. Hæc eſt natura Rex Sereniſſime liberæ gentis noſtræ, quòd Dominos noſtros, & amare & timere ſolemus. Diligimus pariter, pari-

pariterq; timemus. Quò majores re & nomine Reges in hiſtoriis noſtris invenimus, & legimus, eò cautior ſemper erat cum illis Reſpub. Non ita id ex perſona Mtis veſtræ requirimus, quia videndo per experientiam, quàm ſimilia ſeducunt conſilia, conſilium futuri ex præterito veniet, ſed id curamus, quòd Reſpublica, cùm ſit iṁortalis, incidere poſſit poſt ſera fata Mtis veſtræ in talem Regem, qui animi ſpiritù magis forti, quàm prudente incipere vellet ex præjudicato cum aliquo vicino bellum, & aut ad periculum ultimum Rempub. aut ad ruinam inducere. Ac proinde meliùs cavere ſemel quàm pavere ſemper. Dabis Sereniſſime Rex documentum ejus bonitatis, quæ omnes res difficillimas faciles reddit, & eris per hanc generoſam & heroicam actionem gloriâ æternus, nomine iṁortalis. Faciet autem prudens, & cauta Mtis veſtræ Cancellaria eo modo, & tales inveniet terminos, quod illud ipſum loco dishonoris, quem avertat DEUS, cedet in gloriam, & interea devincet eò magis jam ſibi devota corda. Amari, coli, diligi, majus imperio eſt. Optarem autem ex rationibus Status, quas dicere nolo in tanta arbitrorum frequentia, quia quandoq; incautus Confeſſarius peccare docet, ut hanc ſecuritatem in authentica forma ſumant ſecum hi, qui ad Regem Sveciæ deſtinantur, & pro opportunitate, ſi neceſſe fuerit, illam producant; producent autem, & pro gloria clementiæ, & affectûs Mtis veſtræ in Rempub. & pro meliùs pacandis rebus. *A. C. 1702*

Ablegatum Czari Moſchoviæ audiendum credo, ſed an expediat mittere aliquem in Moſchoviam ſubeſt dubium. Si mitteretur aliquis deberet ei dari gradus ad tractandum, ſed poteſtne hoc ſine Comitiis fieri, ab omnibus cognoſci debet, quod omnes tangit.

Artilleria Regni accuſat ſemper in Comitiis, & in conſiliis indigentiam ſuam, quia nunquam in juſtiſſimis deſideriis ſatisfactionem habet. Facit Palatinus Kijovienſis Generalis Artilleriæ, quæcunq; poteſt, cui debitas ex ſtatione mea refero grates, quòd ex praxi continua circumſpectè ſatis tam tenui in Artilleriam deſignato utatur ſumptu, &, qui judicio orbis non tantùm apud Mtem veſtram celerem & realem reſpectum, ſed & apud totam Rempub. meretur. Facit ille, quæ poteſt, ſed ex nihilo non poteſt eſſe niſi nihil; toties in Comitiis, & in conſiliis optabamus, ut duo Capitaneatus ex melioribus, & ex primis vacantiis ad Artilleriam applicarentur, & adjungerentur; quia per id & Mtas veſtra ab ulteriori & frequenti impetitione libera eſſet, & neceſſitatibus tam prægnantibus provideretur. Quia verò nimis longinquum hoc videtur mihi medium, convenientius crederem id, quod in manibus Mtis veſtræ lex poſuit, hoc eſt ut refractarii in exſolvenda quarta ad Artilleriam pertinente puniantur per datum ab ipſa lege medium. Sit porrò certa Mtas veſtra, dum unus & alter privatione punietur, pœna ad unum, metus erit ad omnes. Quia verò Camenecum decus & robur noſtrum in tanta invenietur neceſſitate, quantâ major eſſe non poteſt, ſequor viam, quam lex demonſtrat; quæ dum neceſſitates Artilleriæ quartâ novâ ſupplementabat, expreſſè id addidit, quòd ſi aliquid pro neceſſitate Artilleriæ ultra illam deſtinatam deeſſet Quartam, tunc theſaurus Regni ſupplere debet. Cùm proinde neceſſitas hæc ſupra omnem neceſſitatem ſit, audeo fraternè compellare Theſaurarium Regni, ut, quamvis cum moleſtia id fieri deberet, ſuppeditet hujus fortalitij neceſſitatibus, etiam ultra id, quod facere poſſet. Quia, ſi aliquid adverſi, (quod DEUS avertat fortalitio huic accideret) damnum eſſet nunquam compenſabile. *Martinus K. cki*

A.C.1702 Inter alias rationes, quæ affligere debent animam, quòd Comitia rupta ſint, id etiam auget dolorem, quòd nobis non eſt conceſſum, ut Reipub. integræ perfectam de Elbinga eliberata, & Reipub. reſtituta faceremus relationem. Quia inſultus à quibuſdam vel ignaris, vel malitioſis, & interpretationes ſiniſtræ meliori & evidentiori relatione monſtrando, quòd eſt, non quod videtur facillimè retundi potuiſſent. Sit ſecura Mtas veſtra, fide jubeo & pro collegis meis tam inſignibus in Repub. viris, & pro me ipſo, quòd in eo loco & honori Mtis veſtræ,& integritati Reipub. ita ſervivimus, ut nihil excuſandum habeamus. Si DEUS indulſerit vitam, & relatio fieri poterit in Comitiis, agnoſcet quivis, quòd quæ nunc dico, ſim probaturus. Medium propinatum à Cardinale Primate ad retinendum Electorem Brandeburgicum, ne ſit rigoroſus exactor, eſt tale; ſupra quod melius apud me non invenio; ut Senatus libertatem habeat, titulum Regium ipſi impertiri, quandoquidem ſuper id publicum Reip. non anteceſſit beneplacitum, invenire ſatis juſtam cauſam non poſſum; quoniam verò Mtas veſtra ex rationibus ſuis jam iſtum titulum conceſſit, poteſt eadem Mtas veſtra, quod ex ſtatione mea humiliter precor, authoritate ſuâ evincere, ut patientiam habeat ſuper nos. Non dubito facturam id ſuam Serenitatem Electoralem, ſeu ut credo, indiſpenſabiliter pro me dici poſſe, Mtem Regiam facturam id, pro conſervatione veteris devinctionis ulterioriſque Reipub. affectûs. Prodeunt aliqui & ſe offerunt ad dandam eandem ſum̃am juribus præſentibus Electoris ut tantùm gaudere poſſint, ad feliciora tempora ſatisfactionem à Repub. expectaturi. Non extinctus adhuc ille affectus, quem experti ſumus, imò augeri videtur inter ardores Italici cœli in corde Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Caſimiræ, quæ offert ſum̃am pecuniarum in numerato pro tam urgenti Reipub. neceſſitate. Cur ergo proviſionaliter in omnem caſum, ſi debiti hujus exſolutio urgebitur, tractare non debemus cum Plenipotentiariis ad deciſionem Reipublicæ?

Quoniam verò ex hac occaſione Sereniſſima Regina duplex deſiderium præſenti conſilio proponit: unum ut diutiùs Romæ com̃orarari poſſit ſalvis omnibus ſuis juribus, quod eſt conceſſibile. Aliud ut proventus eidem ordinati realiter pro præterito perſolvantur, in futurum omni meliori modo aſſecurentur, quod eſt juſtiſſimum. Digna eſt Regina hæc non tantùm ob memoriam magni Regis, & tanti Reipub. totius benefactoris, ſed & ex perſona ſua propria, quia nemo inficias ire poteſt, quòd Patriam hanc tenerrimè dilexerit, & in deliciis planè habuerit. Concernit ergo debita eandem gratitudo, & tenemur omnes ad Mtem veſtram, quàm ardentiſſimè inſtare, ut in juſtis & in diſpenſabilibus ſuis prætenſionibus ſine ulteriori mora realem & effectivam ſatisfactionem habere queat. Quod & ego non tantùm ex obligationibus meis, quas nunquam ſatis exſolvere poſſum, ſed & ex juſtitia humillimè peto.

Ducibus Regni ex debita gratitudine juſtas perſolvi in Comitiis gratias, nunc com̃endo reſpectui Mtis V. cui currenti affectui ſuo in viros militares non addo calcar, & Nobis ut Theſaurarium Regni rogemus, quatenus ad rationem liquidationum notabili aliquâ ſummâ neceſſitates eorum præſentes, & continuas ſublevare velit, quia, ut ibi dixi, non tantùm hoc fieri poteſt, ſed & debet. Quando verò fato noſtro per rupta Comitia ſatisfacere Exercitui non poſſumus, audeo precari Mtem V. ut ſaltem Nuntiis Exercitûs pro meritis eorũ gratitudinem teſtari

ſtari poſſimus, & ne permittamus, ut extenuati tam ingentibus ſumptibus cum dolore ſine conſolatione revertantur ad caſtra murmurantes. Quoties feliciter finiuntur Comitia, ex more & uſu mille florenos quisq; ex theſauro recipit. Cum verò ruptis Comitiis ſpes mercedis in ulteriora tempora protracta, publicum ſaltem dolorem privata in duplo leniamus conſolatione. A.C 1702

Ad alia puncta nihil dicere volo, nec audeo quidem. Nonnulla jam ſunt tam benè tractata, & non libenter dico id, quod jam eſt ante me dictum. Alia non ad Senatûs-conſilium, ſed ad Comitia pertinent. Ad concordiam tantùm M. Ducatus Litv. verbum addo, gratias referens Card. Primati, quòd in negotio tam difficili & intricato toties incepto nec finito pro munere ſuo, & ſolito in publicum zelo ſudavit & alſit. Compenſabit Dominus DEus labores bonâ ſanitate, Reſpubl: gratitudine, videns plùs realis candoris in corde, quàm purpuræ in corpore. Nunc oportet ac neceſſe eſt Rex Sereniſſime, ut Mtas V. gratiâ & protectione ſuâ confirmare dignetur, quod operata eſt; Det gloriam nomini ſuo, & confirmare velit authoritate, quod tanto evicit labore.

Intereſſe Principis Curlandiæ, & preces ejus videntur eſſe juſtæ, ſupplico proinde ex loco meo, ut id authoritate Suâ Mtas V. fulcire, manutenere, & finire dignetur. Interim voto magis quàm eloquio finio; & Dominum DEum cum tota Diœceſi precabor, ut Mtas Vra ſicut bella conficere ſolet fortiter, ita pacem poſſit fundare glorioſè.

XXII.

AMICO CONFIDENTI ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS VARM. Seburgo 4. Martij.

NUllæ tuæ ad me literæ, ſed meæ ad te ſemper. Tu taces, ego ſcribo, affectum meum erga te vides & tuum non declaras, de te non ſpero mutuum, ſed habeo certum, & proinde credo majora te habere quæ cures, quàm quæ ſcribas. Tu ſcis quâ lætitiâ impleor, quo gaudio exulto, quantâ voluptate perfundor, quoties optatam ad te ſcribendi occaſionem mihi in ſinum delatam aſpicio, & quàm libenter ea verè & fideliter tibi defero, quamvis & mihi ſcribenti, & tibi legenti dolorem injiciunt juſtum, quæ gerantur in hac infelici nunc, & fortè (avertat DEus omen) in dies infeliciori noſtra Patria. Audiviſti ante aliquot menſes decus Regni noſtri per mortem ſublatum, quæ more ſuo fecit dum ſemper unumquemq; quod eſt belliſſimum (ut dicit ille) carpit. Stanislaum nempè Lubomirski ſupremum Regni Mareſchalcum virum prudentiſſimum, & Catonem Polonum, qui ita eô perduxerat affectu animum, ut non tantùm malus eſſe Civis noluerit, ſed nec potuerit. Diem ſuam finiens atque concludens illud Solonis acclamationis loco addere potuit: mors mea non caret lachrymis, linquamus amicis mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu. Vir citra omnem oſtentationem exquiſitè doctus, & quod in eruditis quoq; rarum eſt, emunctæ naris, exactiq; judicij. Non ſocordem ſe, ſed rerum affectibus vacuum, non timidum, ſed cautum. non tardum, & in quacunque re ſuſcipienda ſegnem, ſed gravem eſſe atque conſtantem demonſtravit, eâque erat ætate, quo adhuc conſiliis animi robur corporis reſpondebat, ſed mors ejus celerior, quàm meruerat, videtur, potuiſſet enim diutiùs vivere & debuiſſet. Varſavia imo tota Polonia perpetu- *Mors Stanislai Lubomirski*

A.C. 1702 am ipſius meritorum memoriam colet. Iracundum quidem illum, nunquam iratum, ſed leniter aliquando dicunt, qui viderunt, & timidum non fuiſſe, aliquando tamen timuiſſe, id eſt vitio timoris caruiſſe non affectu. Nihil ei defuit omnium quæ ad felicitatem requiri cenſemus. Ita ſe ſemper componebat, ut conveniens erat fortunæ ſuæ. Feliciſſim' eſt, qui felicitate non habet opus, potentiſſimus qui ſe habet in poteſtate. Habuit ingenium & grande & virile, tot libris & ſacris (quis non movebitur ad compunctionem verſibus illis de Paſſione Chriſti Domini, & quorundam Pſalmorum explicatione) & prophanis, quis non erudietur in Politica ab his quæ legimus hoc authore, quibus ſe in memoriam nobis dedit. Quiete quidem ſe recreare, quàm laboribus conficere malebat, ſcripſit tamen multa, unde non nihil vita ejus qualis fuerit intelligi poteſt. Dicta ejus conciſa, erudita, & ſemper plus ſonantia. Mors ejus eum honorem, ac decus quæ vitæ reſponderent invenit. Eo tamen tempore vitam amiſit, quo maximè eum ſalvum eſſe, & Reip. ſervire attinebat. Nec eſt in populo quiſquam cui non dolorem mors hæc adferat, crudelitatemque fati horrere omnibus ſubit, quod non puduiſſet tantum luctum domui, gloriæ, & famæ bonæ plenæ immittere. Omnium enim fermè hominum deberet eſſe hoſtis, qui ejus fuiſſet inimicus. Ex qua occaſione difficultas, nec parva quidem in his Comitiis incidit, ratione vacantis Mareſchalcalis officii, quod ceſſit minori Domino Joſepho Lubomirski, & minorem habere volebat Dñus Palatinus

Leſzczynski Palatinus Lencicienſis Lencicienſis Leſzczynski, vir magnus cujus admirationi ne hoc quidem obſtat, quòd noſtro ſæculo natus eſt, vir impiger animoq; ad omnia conſilia obverſo, nihil intentatum relinquens, nec cunctatione in regerenda, nec audaciâ in ſe promovendo, neq; magnum ſubterfugiens laborem neque parvum pro conſequenda votorum ſuorum meta, indignum ſe ducens, ſed non aſſecuta ſua ſtudia voti terminum, jam enim ut Succamerariatus Regni cederet Domino Subdapifero, aſcendere debuit Dominus Caſimirus Bielinski Succamerarius hunc dignitatis quo certe dignus eſt gradum. Spe ergo lactatus inani, perpetuò hæc mala ſuo ſub corde volutans, manens in ſtatu ſuo conſtans, ut ſolet, & quidquid evenit in ſuum colorem trahens, tanquam nihil intereſſet inter Catonis Præturam & repulſam, noluit amplius cauſas doloris ſui accerſere, nec levia hæc incom̃oda indignando cumulare, ſalubrius & honeſtius ratus contemnere, quàm utiliter quærere. Poſt tot labores ergo irritos factus piger, multa efficaci voluit proloqui compendio, tanquam aliorum ſecundis rebus non invideret, acceptâ publicâ in Senatu voce, dum diſputabatur utrum Comitia poſſint ſubſiſtere innatâ ſuâ eloquentiâ felicitatem Patriæ quam ſemper optabat, dum ſperare vix unquam audeat, tranquillo tempore avidè domi frui, ſe velle, quia quamdiu hoc contingere poteſt, incertum eſt, ſecunda expectare malis paratum eſſe, ſicut nec ampliùs eas ambire dignitates in animo habeat, ac proindè deſiſtere ſe à concurrentia.

8va. Hunc reſuſcitare volumus Lazarum, & reædificare Jericho, & an poſſit aliquid agi, an non poſſit ſtante proteſtatione in Comitiis diſputavimus, tandem negatum ulterius procedere, & nomine publico Dñus Mareſchalcus aliquot dierum, ſimul dignitatem hanc & incipere & finire viſus, valedixit nunc poſtremò dolens, quòd noluerit ſequi conſilium amicorum. Habui in domo mea 13tia Seſſionem terrarum Pruſſiæ, ubi aliqua in favorem Dñi Caſtellani Cracovienſis erant concluſa, & omnes pòſt pranderunt apud me. In craſtino verò compoſui negoti-

goti-

gotium Dñi Suffraganei Plocenſis cum Domino Epiſcopo Kijovienſi circa Præpoſituram Plocenſem, quæ tandem per concordiam ceſſit fratri meo. *A.C.* 1702

1614. Incepit Senatûs conſilium poſt Comitiale, ubi Rex legi juſſit certum ſcriptum, cujus copiam tibi adnecto, quo ſe committit Reipub. utque concorditer ſecum agat requirit, duo ſe quartualia exercitui promittit ſoluturum. Poſt factam propoſitionem à Procancellario Regni, habuit votum ad concordiam mutuam frigidè invitans, ad materiam incipientis incendii nihil, quod maluit ſpectare quàm extingvere Cardinalis Primas, in obſequia Regis non tantùm paratum ſe, ſed obvium monſtrans nihil pro Repub. neque pro ſpe, quia notius erat, quàm ut narrari debeat, quòd ſperabat Succamerariatum Regni ſe habiturum pro ſuo nepote Tovianski. Omnes autem conveniebant, ut quamtocius legatio mitteretur ad Regem Sveciæ, ut Comitia extraordinaria indicerentur cum publicatione literarum, ut vocant reſtium, hoc eſt convocationis totius nobilitatis. Dominus Sczuka Procancellarius non eſt oblitus Regem Pruſſiæ allegans illud; dat veniam facilis, cui veniâ multâ opus eſt.

Tractabatur interim quis deberet mitti? Dominus Felix Lipski Palatinus Caliſſienſis, cum Domino Kryſpin Palatino Vitebſcenſi, cum alijs ex Equeſtri Ordine nominati & expediti cum inſtructione publica. DEUM veneror, & precibus oro, ut conatus hos noſtros pro ſtabilienda pace ſecundet, & ferente aura in portum votorum noſtrorum ſiſtat, utque concordiæ paciſque DEUS diſperſa colligat, disjuncta uniat, & denſis diſſidiorum iſtorum nebulis diſſipatis (hinc enim illæ lachrymæ) ſerenum & lætum tranquillitatis ſolem nobis redonet, in quo tanquam Palladio ſecuritatis apricari nobis liceat.

Ego interim non videns ulteriorem præſentiæ meæ Varſaviæ neceſſitatem, veni huc continuaturus ea quæ ad bonum Eccleſiæ meæ pertinere reor.

COPIA LITERARUM LEGATORUM
Poloniæ ad D. Piper.

MAgnis paſſibus nec minori deſiderio properavimus, ut quantò citiùs S. R. Mtem Sueticam debitis vicinæ fœderatæque gentis Polonæ venerari officiis poſſemus, quod quidem procul dubio perfeciſſemus, niſi nos Domini Sakin præcurſoris noſtri remorata fuiſſet innoteſcentia; ubinam S. R. Mtas conveniri poſſit. Sed cùm non ſine dolore ingenti ab eodem heſternâ die perceperimus à S. R. Mte Suetica audientiam noſtram differri, nec tempus determinatum præfigi, è re duximus eſſe Dominum Secretarium Legationis expedire, ut primas modernis junctas præſeferens expetat audientiæ noſtræ locum & tempus ſine mora declaratum poſſit deportare. Multum enim Reipub. noſtræ intereſt (ut ex rationibus ex coram referendis conſtabit) deſideria ejuſdem per ſuos Legatos S. R. Mti Sueciæ, antequam ultra progrediatur, proponendi copia concedatur. Quapropter Excellentiam veſtram enixè obteſtamur, ut præmiſſa dè S. Mte Suetica gratioſè obtinere valeamus, favorem hunc juri gentium, & voto populorum conſonum quibuſvis officiis promereri obligabimur, prout ad præſens manemus in Olecko 30 Martii. *Petitio audientiæ*

COPIA RESPONSI à DOMINO PIPER

Grodna determinatur pro audientia.

REdditæ mihi ſunt à Domino Secretario Legationis, Excellentiæ veſtræ literæ, &, cùm ex ijs perceperim ab Illuſtriſſimis Dominis audientiam ad S. R. Mtem Dnum meum Clementiſſimum Legationi Præfectis magnopere deſiderari, ut tempus locusq; deſignetur, ubi poſſint ad dictum S. R. Mtis colloquium admitti, non poſſum non Excellentiam veſtram hiſce facere certiorem, S. R. Mtem primo quidem deſiderio Magnificis & Illuſtriſſimis Legationis facilè annuentem, Caunam ei rei maximè idoneam reputâſſe Dominoque de Saken ſignificâſſe, ut id Illmis, & Magnificis Legationis Miniſtris notum faceret, poſtquam verò accidit, quòd D. Princeps Viſniowiecki Copias S. R. M. haud procul Caunâ adortus ſit, hancce mutandam neceſſariò ſententiam cenſuit S. R. Mtas, quæ opinione citiùs, aliâque viâ Exercitum nunc motura Caunam vix eſt aditura; ideoq; prænominato Dno Saken mox exponi curavit, quibus rationibus inducta recipiendæ legationi alium jam locum, & quidem Grodnam deſtinare oportuit; quò cùm pergat S. R. Mtas ſpero Excellentiam veſtram quantociùs voto ſuo potituram, mihique eo ipſo optatam acceleratum iri occaſionem, quâ prolixius mea erga illam paratiſſima officia teſtari queam. Jurgenburgi 24 Martij.

COPIA LITERARUM AD D. COMITEM PIPER.

Quæritur de loco audientiæ tranſlato

SPerabam me meliora per Dominũ Secretariũ Legationis perceptu-rum, interea ipſe non procul Jurgenburgo expectavi, ut in conſpectum S. R. Mis Sveciæ admiſſus negotium Reipubl. quantociùs ad mentem inſtructionis ab eadem datæ expedirem, difficultatemque intervenientem ex parte Excellentiſſimi Principis Viſniowiecii, ut in ſuis ad me reſponſorialibus, quarum copiam in latinum translatam adjungo exaravit, laceſſiti facilitarem, ſed dum invidentibus fatis audientia noſtra Grodnam uſq; dilata & ego non ſine moleſtia regredi cogor, attonitus hæreo, quo ſenſu Reſpublica noſtra ulteriores copiarum Sueticarum in viſcera ſua progreſſus interpretabitur, cujus tamen conſtans votum & propoſitum erat, ut ex fundo Provinciarum ſuarum indilatè educerentur, & pax firma & perpetua ſtabiliri poſſit. Confidebat enim confœderatæ per pacta Olivenſia, & nunquam per ſe violatæ amicitiæ, ut ejuſdem S. R. Mtas non immemor benignas ſine mora præberet aures; quoniam autem ex incidenti ſecus factum, Excellentiam veſtram enixè obteſtor, ut S. R. Mti non obſcurè enucleare velit, Remp. noſtram ſemper Regno Sueciæ amicam fuiſſe, nec diſparem à dicto Regno expectare amicitiam; unde gratioſè S. R. Mti intimare placebit, ut mutatâ, ſi poſſibile eſt, declaratione, audire legatos, & reſponſo inſtructos Regio, antequam Grodnam veniat, expedire ad Rempub. dignetur. Si verò aliter fieri nequiverit ſaltem dies certa Grodnæ præfigatur, & deſignetur, & Exercitus ab ulteriore in Provincias noſtras progreſſu detineatur. Spem concipio firmam de æqua Excellentiæ veſtræ mente, & efficaci conſilio, quod ſæpius nominatam apud S. R. Mtem efficiet audientiam, & Regem amicum, ac pacificum, à vicinæ, amicæ, pacificæq; gentis Legatis, debitâ ſalutari veneratione procurabit, quàm, dum avidiſſimè expecto, benevolentiæ ipſius me recommendatum volo. Datum in Stolupian 6 April.

CO-

COPIA LITERARUM PER PALATINUM VILNENSEM MISSARUM

Literas Excellentiæ veſtræ 6 hujus Menſis Stolupæ accepi, ad quas ſine circuitione, ſed amico animo reſpondendum duxi, anticipari tempus locumq; audientiæ Illmis Dominis, qui publico nomine miſſi ſunt, deſtinatum vel hac de cauſa minimè poſſe, quòd feſtinatis itineribus Exercitum ſuum Grodnam uſque ducere S. R. Mtas cogatur, ob ſummam ubiq; commeatus inopiam, quæ uno in loco diutiùs hærentem non parùm affligeret. Ut autem certus dies præfigatur, quo in conſpectum S. R. M. admittendi ſunt, eò minùs poſſe fieri Excellentia veſtra facilè judicabit, quò major copiarum ratio habenda eſt, ut commodè ſpatium hujus itineris emetiantur. Certò tamen perſuaſum ſibi eſſe velit Excellentia veſtra, quàm primùm S. R. Mtas propiùs Grodnam acceſſerit, diem admiſſionis indicandam eſſe. Cùm verò eo animo Litvaniam ingreſſa ſit S. R. Mtas, non ut ſuas tantùm injurias in fœdifrago hoſte ulciſcatur, verùm etiam oppreſſa ab eo Reipub. Jura vindicet, eandem priſtinæ aſſerat libertati, non exiſtimat S. R. Mtas inclytam Rempub. in ſiniſtram partem accepturam eſſe, ſi eouſque progrediatur, donec ſalubre hoc propoſitum, atque utrique genti utiliſſimum effectui detur, quanquam & maturius, quàm initio conſtituit, & Exercitum hibernis educeret, latere Excellentiam veſtram non poteſt temerariis Principis Viſnioviecii incurſionibus S. R. Mtem permotam eſſe, cujus Ducis nefaria intentio, qualemcunq; illi colorem obducere ſatagat, vel inde manifeſtè cognoſcitur, quòd ne nunc quidem, quibuſcunq; modis poſſit Sueticas copias laceſſere, ac infeſtare ceſſaverit. De cætero officia, quæcunque à me proficiſci poſſint, paratiſſima ſibi Excellentia veſtra inveniet, quam etiam diutiſſimè ſoſpitem, florentemque eſſe ex animo opto. In caſtris Regiis ad Olitam 6 April.

SERMO PALATINI CALISSIENSIS AD REGEM SVECIÆ 4. Maji habitus.

Sereniſſime Rex, *Seculorum numerando ævo felix ſemper. Sereniſſima Reſpub. noſtra in conſpectu Mtis V. comparet, quæ etſi ſupremi Numinis propitiam experitur gratiam, & favore illius nativo robore, fæcundâ ubiq; gloriatur fortunâ, ut teſtantur ſine faſtu noſtro victorioſa prælia, florentes prædicant lauri, approbant fortunatam illam exiſtere felices cum formidanda Europæ potentia ſucceſſus, attamen licet ſuis in penetralibus commoranti æquanimem Mti V. præbet venerationem; cùm tanti Regis ſenſum, & animum noverit, qui teneritudine ſuâ placidus in amorem & tranquillitatem propendet, ſola frui cupiens magnanimitate. Eam igitur generoſi pectoris ſui præbet conteſtationem, ut quò civilior extat, eò uberiorem & humaniorem actus Regni experiantur effectum, non eam per lentas mortes depopuletur, egeſtas, fames non enecet, non obruat calamitas. Horum enim non indiga, nam optat excutere cauſam. Juſtiſſimè tamen Rex candorem Statuum, ac ordinem Seren: hujus Reipub. perpende, ſacra inviolabiliter conſervata, penſa fœdera, & alto decide ſenſu, an innocuarum Provinciarum*

*A.C.*1702 *querimonia, non ſolùm hoſpitalitate inductus excipere, verùm etiam fouere, & alere debeat legiones. Nonne luculentiſſima producit illa candidi animi Mti V. documenta, ſiquidem animoſos faventis Martis deſeruit conatus, nec allicienti adfuit fortunæ, ſuumque præbuit aſſenſum colendum perferendo fœdus. Circa quod eundum & nunc in corde fovet candorem, noſtroq; profitetur, quòd implacabilem non gerat animum, nec feritatem bellandi, libidinemq; ultra fas dominandi. Quapropter ſolas vernantes prætendimus olivas, ne illas bellorum obruat ſævities, ſed circa hos ramos pax & juſtitia invicem ſe oſculentur. Si hæc vota noſtra, nullas enim credimus animis cæleſtibus iras. Cur ergo claſſicum, nonne junctis rebus fortunatior eventus, antequam ſcintillæ eventilentur, quæ in magna excreſcere ſueverunt incendia. Suffocanda horum malorum ſemina, jurgiorum præſcindendæ occaſiones. Invenias profectò prudentiſſime Rex, faciliùs arma ponere, quàm temperare, & per hos etiam armorum ſtrepitus, cùm nos centaurorum non gerimus animos, bellando quærere bellum, propera ad juſtitiam, æquanimitatem, ac concordiam, arma paci lites; quo obtento unanimi precabimur voto, ut Seren: Regiam Mtem V. quam nunc incolumem ſalutamus, ſuperſtitem fœderato Regno Superi foveant, Reipublicæq; noſtræ ſemper amicum conſervent. Cæteris verò firmis ſtabiliendis, depoſcimus locum & tempus conferendi commodum, utq; Officiales & Domeſtici noſtri ad oſculum Regiæ manus gratioſè valeant admitti.*

SERMO M. D. CULINÆ PRÆFECTI LEGATI AB EQUESTRI Ordine ad Seren: Regem Sveciæ.

Miratur orbis Chriſtianus Mtis V. Sereniſſimæ innumeris aſſuetum triumphis nomen, ſtupet eò quòd innocua Reſpub. noſtra Mtem V. hic usq; in ſua victrici converſum viſcera dextera. Non tamen illam ad juſtum naturalis defenſionis tutamen promptiorem, quàm vicinæ & amicæ fidei tenacem experiri placeat. Emitet itaq; Seren: Reipub. ſtrictior pactorum obſervantia, demonſtratur eò tenerior vicinæ & amicæ fidei & tranquillitatis ſolicitudo, quò magis potens ipſa ſibi videtur, & pluribus munimentis inſiſtere. Sed & Mtem V. Seren: probè nobis cognitam habemus, & quamvis bellicis innutritam laudibus, pacis amantem, cùm & profectò nulla fortuna tam dedita ſit, ut plurima tentantibus ubiq; reſpondeat. Quapropter magnitudini ſuæ modum facere debet Mtas V. Seren: dum fortuna non facit, pareſq; ac reciprocas Reipub. noſtræ gratitudinis vinculo tenetur reddere vices, & quem ob fidem Pactorum renuit Polonia experiri hoſtem, videat extra fines amicum & diuturnum Regem.

RES.

RESPONSUM A REGE SVECIÆ.

Sacræ Regiæ Mti D. meo Clmõ perquam grata ſunt, quæ Inclyta Reſpub: Polona interprete hac Illuſtri legatione de amicitia ſua teſtari voluit. Sacra Regia Mtas etiam initorum fœderum ſemper fuit obſervantiſſima, ut eadem in poſterum ſervare illibata cogitat; quæ autem hactenus ſuſcepta erant, non ſolùm neceſſitas impulit, ſed & Jura Gentium ſinunt. Non tamen alium S. R. Mtas ſibi propoſuit finem, quàm ut ademptâ aggreſſori licentiâ conſtringi validiùs mutuæ neceſſitudinis vinculum, & ſtabiliri communis ſecuritas poſſit, nulla dubitans, quin & Inclyta Reſpub: pari zelo, operam ſuam perficiendo negotio tam ſalutari impendere velit. De cætero S. R. Mtas Commiſſarios nominabit, qui cum Excell: V. conferent, de iis, quæ earum fidei commiſſa ſunt, perſonasq́, Excellentiarum V. favore ſingulari, & Regiâ benevolentiâ proſequitur.

REGIS SVECIÆ COMMISSARIORUM RESPONSUM ad ea, quæ Legati Poloni Protocollo inſerenda propoſuerunt Tikocinii 10 Maji.

Speramus Excellentias veſtras eò minùs in malam accepturas partem, quòd ulterior S. R. Mtis declaratio hoc in loco dari nequeat, cùm non ſolùm ipſâ neceſſitate, & rerum circumſtantijs id jam ſuſpendi contingat, ſed & facilitas in Excellentiis veſtris condigno honore excipiendis, ac teſtata toties S. R. M. ſingularis erga Rempublicam propenſio, ſatis doceant, id ipſum faſtidioſo neutiquam, aut deſtinato evenìſſe animo. Evadet idem clariùs, ſi Excellentiæ veſtræ rei totius ſeriem in memoriam revocare non graventur. In primo enim, quem habuimus congreſſu, dixerunt, ipſa porrecta tunc puncta perſpicaciori egere enucleatione, antequam declaratio ad illa S. R. Mtis ultima ſubſequeretur. Alterâ poſt die illam punctorum ſatis gravium explicationem deſideravimus, quam tamen Excellentiæ veſtræ dare recuſarunt, donec ſuper eadem mentem noſtram ratiocinando indicaviſſemus. Cùm deinde initium feciſſemus traditorum punctorum capita coràm examinandi, receſſerunt Excellentiæ veſtræ, quoniam de iis, quæ ad ſingula momenta reponi deberent, inter ipſas ante deliberationem convenire non poſſet; præſtare, ut feriùs res ageretur. Hoc quoque facto & demonſtratis, quæ in punctis quieſcerent, rerum difficultatibus, loco præmiſſæ primùm elucidationis alia & nova inſuper expetitur declaratio, quæ circa totum negotium jam dudum fortaſſis haberi potuiſſet prolixior, ſi ea, quæ Excellentiæ veſtræ præſeferebant, in receſſu ſeſe habere, ſine mora fuiſſent prolata, atque adeo quanquam ex mandato nihil nunc dici nobis poſſit, affirmare tamen ſuſtinemus has difficultates, quæ circa poſtulata Excellentiarum veſtrarum, in primo reſponſo noſtro motæ ſunt, etiamnum æquioribus propoſitionibus non mollitas ſubſiſtere, nunc verò, cùm ob improviſam S. R. Mtis profectionem, quàm interea ad diſturbanda adverſæ partis, & rebellium conſilia noſtros tranſitu Bugi prohibere volentium neceſſariò ſuſcepiſſe comperimus. Tum 2do ob Excellentiarum veſtrarum inſtantiam, ut huc loci tandem copiam revertendi habeant, ſiquidem caſtra S. R. M. ulteriùs comitari non reputa-

A. C. 1702 reputaverunt. Et tertiò deniq; cùm ob penuriam commeatûs uno in loco ultra biduum exercitus commorari nequeat, ſed cogatur longiùs progredi, præſertim quòd incolæ, qui propiùs viam degunt parcè admodùm ad loca præſtituta annonam convexerint, remotiores verò nil omnino ad ſuſtinendum amicum militem exhibuerint, S. R. M. quoque, ne anſa querelis præbeatur, tum quoque ut quiſque Indigenarum inturbatus, & ſine metu in Domibus ſuis manere queat, conſtituerat per militum extorſiones annonam non cogere, dummodo tenus quoq; victus copiis haberi poſſit. Ideo ſperamus, quòd Excellentiæ veſtræ ob colloquium hoc dilatum meliùs quàm abruptum perſuadeant, hoc pacto ſinceræ, quâ S. R. M. inclytam Remp. Poloniæ proſequitur, amicitiæ nihil detractum iri, & ſi hæc non interveniſſent, aut ſi Excellentiæ veſtræ, ſicut S. R. Mtas ſperaverat, reditum ſuum in caſtra præſtolari utile duxiſſent, illas omni gratiâ, debitiſq; honoribus fuiſſe dimittendas, & quoniam probè nobis conſtat S. R. Mtem firmiter ſibi propoſuiſſe illæſam, fidamq; amicitiam cum hac Repub. ſervare, quamdiu ipſa nullas partes in impiis Regis Poloniæ deſtinatis ſibi ſumat, ſed antiqua fœdera & pacta, quæ Regno Sveciæ cum Polonia intercedunt, integra ſervet. Eapropter tantò fidentiùs aſſecurare poſſumus, quòd S. R. M. in ſincero erga Rempub. affectu, quem tot modis hactenus ſervare declaraverat, perſiſtet, neque ab illo niſi coacta & invita diſcedet, quemadmodum certam quoq; de Reipub. candore fiduciam habet, quòd non tantùm impiis Regis hujus deſtinatis ſeſe non immiſceat, verùm etiam levitatem ejus, ne dicamus, perfidiam, quàm Reſpub. non minùs quàm S. R. M. toties eſt experta, abominetur, atq; adeo tantò fortiora conſilia capiat, ſaluti ſuæ proſpiciendi, ut cauſâ malorum omnium amotâ Regem quemcunq; alium pro libitu & ex liberis ſuffragiis eligat, cùm pro S. R. M. non modò veterem amicitiam renovare, & corroborare, ſed etiam percuſſo arctiori fœdere illam poſſit inire rationem, quâ utrique Regno inſignis limitum acceſſio fieri, nec non communis ſecuritas, & Reipub. immunitates ac jura, quæ jam conculcata ſunt, in omne ævum firmari, ac ſtabiliri poſſint. De hoc S. R. M. inſtituto eò minùs dubitare convenit, quò luculentiora erga Status, ordineſq; Reipub. conſtantiæ, & integerrimi animi documenta nuper quoque dederat, cùm oblatas ſecretò lautiſſimas privatæ pacificationis conditiones acceptare noluerit. Non opus eſt de atrociſſimis injuriis S. R. Mti illatis, deque violatis toties à Rege Poloniæ Reipub. Juribus multa hic loqui, demonſtrata hæc alibi ſunt, & nemini Reipub. Civi non nota, ſed hoc paucis memorandum judicamus, quòd, cùm Rex Poloniæ plenam fidem propoſitionibus, dictiſq; Comitiſſæ Konigsmarchiæ & D. Fixtuni adhiberi voluiſſet, & non ſolùm efflagitaverint, ut de pace clam Reip. tractaretur, verùm etiam aſſecuraverint S. R. M. nunquam tot, tamq; inſignes Regni ſui acceſſiones habituram, ſi cum Rep. egerit, quin & id anxiè petitum eſt, ut Fixtunius neutiquam in manus hujus Legationis, cui maximè diffidebat, extraderetur, magnanima inſuper & generoſa Polonæ gentis gravioribus Comitiis promiſſa, quæ hic repetere foret decorum, ſed ex his Orthographicis legere præſtaret. Conſtat exinde, quæ Regis ſit erga Remp. mens, atque fiducia, & quâ intentione Saxonicas copias in Regnum revocare tantopere cupiat, atque ideo non dubitandum videtur, quin & ordines celeberrimi hujus Regni ſuæ saluti viciſſim conſulentes præſentem firmandorum jurium, ſtabiliendæ ſecuritatis occaſionem arripiant, & ex tenore pactorum conventorum contra

tra

tra violatorem libertatis procedant. De hiſce omnibus alio in loco, de A.C. 1702 quo conventum fuerit, ſi Excellentiæ veſtræ nunc diſceſſerint, facultas ulteriùs agendi dabitur.

COPIA LITERARUM EMINENT: CARD. RADZIEIOWSKI PRIMATIS REGNI AD REGEM SVECIÆ.

Sacra Regia Majeſtas.

Bonis amicis & vicinis nunquam non fida, non amica Reſp: præſtitit etiam Sacræ Regiæ Mti V. clara teneritudinis ſuæ documenta, dum maluit animoſos Principis ſui deſerere conatus, quàm illa inſcia ſuſceptum ab eo complecti bellum, quod inoffenſæ Regni hujus cum Regno Sueciæ amicitiæ, & inito ab utrinq; S. fœderi è diametro repugnabat. Non prætermittit & nunc omnes humanitatis, innatæ æquanimitatis ſuæ gradus, cum non attenta ratione inductarum in Provincias Regno huic annexas S. R. Mt.s V. copiarum, non vult infenſa cogitare, ſed potiùs de injuria ſua, quàm innocens Reipub: hujus fundus ex aliena præcipitantia patitur. Conqueſtum ſuos ad S. R. Mtem V, Illuſtriſſimum ac Excell. Alexandrum Felicem Comitem in Lipie Lipski Palatinum Caliſſienſem, Raven. Medicen. Rzeczycen. Capitaneum; Andream à Kirlzenſtein Palatinum Vitepſcenſem Comitem in Rawdan, Tarlo ſupremum Culinæ Regiæ Præfectum, Caſimirum de Rozielsk, Oginski Capitaneum Gorzden. ex utroq; Ordine & Gente Legatos mittit, & efflagitat, ut intemeratam Reipubl. hujus in obſervandis hucusq; Pactis Religionem S.R. Mtas V. non penſi habeat, nihilq; inimicum operanti reciproco affectu reſpondere non dedignetur. Plura exponent DD. Legati, quibus favorabilem S. R. Mtis V. aurem efflagitamus, cunctosq; optatos legationis hujus precamur ſucceſſus tam in utriusq; Regni commodum, quàm in majorem renovandæ amicitiæ noſtræ confirmationem. In reliquo votum eſt, ut Dominus Exercituum ardua quæq; in vias planas convertens S. R. Mtem V. omni incolumitate &c. Datum Varſaviæ 10 Martij.

COPIA LITERARUM REGIS POLONIÆ AD AUGUSTISS. ROMANORUM IMPERATOREM SCRIPTARUM.

Qualiter obligati precibus univerſæ Reipub: & votis populorum annuendo ſincerè mentem noſtram ad pacis ſtudium, & deprimendum bellum in Livonia juſtis de cauſis motum fleximus, minimè latere dubitamus Mtem V. cùm hoc ipſum luculentiſſima poſt eductum exercitum noſtrum extra fines Regni, & recentia bonæ voluntatis & omnigenæ æquanimitatis loquantur documenta. Aſt nobis tam facilè ad complectendam pacem propendentibus, tum innocenti Reipub: religiosè colenti, & ſanctè cuſtodienti Pactorum Olivenſium fœdera, non eâdem lance rependit Rex Suecia

A.C. 1702 *cia, poſtquam transgreſſus limites Regni cum valido exercitu ſub ſpecie hoſpitis, & amici ea facit, quæ hoſti placent. Quandoquidem verò in proximè præterito Poſt-Comitiali conſilio concluſum eſt de his omnibus attentatis, ad ſtipulatores & evictores Pacis Oliuenſis vigore Generalis Guarantiæ præſcribere, tantoq; vulneri medelam quærere. Proinde Præfato Senatûs conſilio, & ipſis tabulis prædicti fœderis, manifeſtamus coram Mte V, cui tam auitum tueri fœdera, ut pro ſtipulatoria authoritate ſua his omnibus maturè prouidere, & tam reſtabiliendæ Pactorum Olivenſium integritati, quàm in poſterum firmandæ ſecuritati omni meliori modo ſubuenire velit. Quod inſtantiſſimè V. Mti inſinuantes, eandem non defuturam congenitæ pietati ſuæ, imò æquum cauſæ noſtræ & Reipub: delaturam, plenâ ſpe confidimus, cui ad præſens firmam à DEo valetudinem, & longiſſimam prolixioris æui ſeriem, & fluentes ex voto ſucceſſus animitus precamur. Dabantur Varſauiæ die 6. menſis Martij Anno 1702 Regni verò Noſtri Aõ V.*

EJUSDEM AD REGEM GALLIÆ.

Tranquillitatem retroactis temporibus Oliuæ Pactis, Regnum noſtrum ope, ſtudio & mediatione Mtis V. & in præſenti caſu inuaſionis Sueticæ interpoſitam Guarrantiam, & tuitionem Mtis V, ex præſcripto Pactorum Oliuenſium, ac nuper concluſo Poſt-Comitiali Conſilio, per præſentes noſtras literas poſtulat, & requirit. Quo animo ſit Rex Sueciæ, liquet è factis ejus, & grauiſſimis attentatis contra Nos & Remp, quæ in religioſa Pactorum Oliuenſium obſeruatione, belliq; declinatione præſtitis fidei magnum; ſed triſte documentum, nihilq; in ea nocentiùs culpari poteſt, quàm ipſa innocentia. Porrò à Nobis ipſis, quàm procliue fuerat pacem ſuadere, ſat ſuperq; compertum Mti V. exiſtimamus, quam tamen tam impensè deſideratam minimè obtinere potuimus, cum primis fortunatis auſpicijs nemine reſiſtente elatus Rex Sueciæ, eò ſecuriùs vaſtas cogitationes ſuas extenderet, quò faciliùs cuncta ſibi obviam palàm patuêre. Apprehendit profundiùs hæc proximè præteritũ Poſt Comitiale Senatus-Conſilium, neq; dubitat, quin Mtas V. benè perpenſis omnibus circumſtantijs, & grauiſſimis Reipub. injurijs tam ſuæ mediatrici authoritati, quàm noſtræ ac Reip. indemnitati, violatæq; ſecuritati optimè mederi, ac juxta ſtipulatoriam declarationem Articuli XXXVI. inconcuſſam Pactorum Oliuenſium perpetuitatem ſeruare velit. Quod dum à Rege Seren: Chriſtianiſſimoq; Chriſtianitatis propugnaculum expectat, & Nos pro certo Nobis pollicemur, eidem Mti V. inter proſperos rerum omnium ſucceſſus, diuturnum à DEO Maximo precamur valetudinem. Dabantur Varſauiæ 6tâ Martij.

CO-

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD PALATINATUS MAJORIS POLONIÆ. 16 Martij. A.C. 1702

APparet poſt rupta (dolendum!) Comitia præſentia, & dejecto in terram in tam opportuno tempore, publico conſilio, quòd ſicuti decora & libera ingenia Palatinatuum Majoris Poloniæ ſunt ſemper re & nomine magno Patriæ hujus auxilio, ita econtra Nuntiorum eorum abſentia non poteſt eſſe niſi dolenda & damnoſa Reip. Totum enim tempus in ſolo partu Directoris extractum, reliquum ejus, & id minus modicum ceſſit conſiliis publicis. Noluimus nihilominus otioſi & infructuoſi in hoc conſiliorum amphitheatro ſedere, ſed in eo, in quo antecedentia Comitia disjuncta ſunt, penes ſinceram & particularem Nuntiorum Majoris Poloniæ circa jura & immunitates Patriæ zelum, hoc inprimis præhabuimus, ſcilicet pacificationem Litvaniæ, omnium fomitem, fontemq; malorum. Benedixit Dominus dominans diligentiſſimæ noſtræ applicationi, quandoquidem ſub caſu etiam ruptorum Comitiorum exoptatus hic ſtetit Tractatus ſine caſu, quia in vim perpetuitatis. Sed quandoquidem M. Ducatui Lit. placuit civilis diſcordiæ fructus, itaq; arriſit palato, ut etiamſi omnes amaritudinem & acrimoniam eorum nauſeant, nonnulli nihilominus falſo & vitiato guſtu illas arripiant, & conſtitutam magno nimis & moleſto labore, authoritate totius Reipubl. concordiam, tanquam veſtem inconſutilem, quia in ævum dividi non poteſt, malitiosè diſſuere, & diſcindere ſatagunt. Propterea nos cum Caſtellano Cracovienſi, ſupremo Exercitûs Poloni Duce, tanquam in hoc Tractatu poſiti Guarrantæ, conſiderantes, quod Regiæ Univerſales literæ pro pacificatione illorum tumultuum ad M. D. L. extraditæ, neſcitur, quo fato, magìsne adverſo, an arcano, nullum expectatum adferunt effectum, recurrimus ad id, quod in manibus noſtris eſt, ſolo calamo ſcribendo, & vovendo ſalutem Reipub. per literas noſtras eo nomine expeditas, quas per copiam communicando vobis, ita conſtantis in affectibus veſtris erga nos, & in propriis conſcientiis ſumus fidei, quòd verum noſtrum pro quiete publica zelum, & hoc adinventum medium admonendi tumultuantes non reprobabitis. Si verò verba & monita noſtra ita excreſcentis in magnitudine ſua & ſeipſam vix capientis non movebunt licentiam, nec hoc malum acquieſcet; jam de ulterioribus cogitandum erit remediis, & ad vos recurrimus, ut malum hoc peſtilenti contactu ſuo ſerpere non ſinatis in Poloniam. Conſulite vobis, proſpicite Patriæ Et cùm non tantùm interna, ſed & externa indies viciniora ſunt pericula, & continuus nos terret rumor, propinquaq; majora minatur. Si aliquid ſubſequi deberet, quod DEus avertat, veſtrûm erit proſpicere, veſtrûm conſulere, à vobis expecto tanquam ex Cortyna Themidis

A.C. 1702 midis reſponſum & voluntatem veſtram, quorum me affectibus recommendo &c.

COPIA LITERARUM EXCELLENTISSIMI D. PIPER AD ILLUSRISSIMUM D. PALATINUM CALISSIENSEM.

HAud parùm miror priores literas meas Olitæ 6 hujus datas Excellentiæ veſtræ non eſſe, traditas cùm eaſdem tamen Illuſtriſſimo Comiti Sapieha Supremo Exercituum Litvaniæ Duci transmittendas comendaveram, nullus dubitans, quin eas certo cuidam homini Grodnam perferendas dederit. Teſtatus ſum in iis ſatis prolixè S. R. Mtis Domini mei Clementiſſimi ſinceram, quâ inclytam Rempublicam proſequitur, propenſionem ſimulq; indicavi rationes, quibus præpedita S. R. Mtas, nec anticipare tempus, locumq;, nec diem adhuc audientiæ, quam Excellentia veſtra deſiderat, præfigere poſſit, ut id ex adjuncto dictæ epiſtolæ apographo elucet amplius, quæ ipſa obſtacula cùm etiamnum ſubſiſtunt, hiſce Excellentiæ veſtræ ulteriùs affirmare poſſum, S. R. M. quàm primùm eò pervenerit, ut diem certum in rei perficiendæ præſtituere ac nominare poſſit, cùm idipſum, quâ fertur erga Majeſtatem hanc legationem inſigni benevolentiâ absq; mora facturum. De cætero Excellentiam veſtram Divinæ tutelæ comendatam obteſtor, ut de ſincero erga ſeſe ſtudio meo, ſummaq;, quâ eam amplector æſtimatione perſuaſa eſſe velit. Dabantur Leypaniæ 15 April.

LITERÆ D. PIPER IN CASTRIS AD OLITAM 16 April.

LIteras Excellentiæ veſtræ 6 hujus menſis Stolupæ ſcriptas accepi, ad quas ſine circuitione ſed amico animo reſpondendum duxi, anticipari tempus, locumq; audientiæ Illuſtriſſimis Dominis, qui publico nomine miſſi ſunt, deſtinatum, vel hac de cauſa minimè poſſe, quòd feſtinatis itineribus Exercitum ſuum Grodnam usq; ducere S. R. Mtas cogatur, ob ſummam ubiq; comeatûs inopiam, quæ uno in loco diutiùs hærentem non parùm affligeret; ut autem certus dies præfigatur, quo in conſpectum S. R. Mtis admittendi ſunt, eò minùs poſſe fieri Excellentia veſtra facilè judicabit, quò major copiarum ratio habenda eſt, ut commodè ſpatium hujus itineris emetiantur. Certò tamen perſuaſum ſibi eſſe velit Excellentia veſtra, quàm primùm S. R. Mtas propiùs Grodnam acceſſerit, diem admiſſionis indicandam eſſe. Cùm verò eo animo Litvaniam intraverit S. R. Mtas, non ut ſuas tantùm injurias in fœdifrago hoſte ulciſcatur, verùm etiam oppreſſa ab eo Reipub. jura vindicet, eandem priſtinæ afferat libertati, non exiſtimat S. R. Mtas inclytam Rempub. in ſiniſtram partem accepturam eſſe, ſi eousq; progrediatur, donec ſalubre hoc propoſitum, atque utriq; genti utiliſſimum effectui detur, quanquam & maturiùs, quàm initio conſtituiſſet, & exercitum hybernis educeret, latere Excellentiam veſtram non poteſt, temerariis Principis Wiſnioviecii incurſionibus S. R. Mtem permotam eſſe, cujus Ducis nefaria intentio, qualemcunq; illi colorem obducere ſatagat, vel inde manifeſtè cognoſcitur, quòd ne nunc quidem quibuſcunque modis poſſit copias Sueticas laceſſere, ac infeſtare ceſſaverit. De cætero officia, quæcunq; à me proficiſci poſſunt, paratiſſima ſibi Excellentia veſtra inveniet, quam etiam diutiſſimè ſoſpitem, florentemq; eſſe ex animo opto.

ANDRE-

A. C. 1702

XXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. VARM. ET SAMB. MAGISTRATUI GEDANENSI 18. Aprilis.

Petitio deſervitorum pro Duce.

PUblica de præmaturo fato primi Reipub: noſtræ Senatoris & Ducis calamitas, ſicut omnium Patriæ benevolentium perſtrinxit corda, ita minimè dubito Prænobilem Magiſtratum, ſi benè jacturam hanc conſideraverit, in partem communis doloris jam iviſſe. Cùm verò non tantùm luctu nunquam ſatis dolendam hanc mortem proſequi, ſed & memoriam tantorum in Rempub. meritorum habere teneamur, non poſſum cum lacrymis continere calamum, quin ex publica obligatione in favorem Magni hujus in Republ: Civis, & relictorum ætate non virtutibus minorum ſcribam ſucceſſorum. Habuit Prænobilis Magiſtratus fortè usq; ad importunitatem toties à me repetitas inſtantias, ut debitis ac deſervitis ſupremi hujus Ducis ſtipendiis per exſolutionem ſummæ ad ſe per theſaurum Terrarum Pruſſiæ directæ ſatisfieret. Dederunt favorabile Prænobiles DD. Vræ ultimatè reſponſum, & proinde eò audaciùs, quò juſtiùs nunc compello, ut affličtiſſimæ huic Domui afflictio non addatur retinentiâ debitæ ſatisfactionis, hæc enim cum Perſona extingvi nullatenus poteſt, cùm certò & liquidè conſtet omnem ſatis amplam ſubſtantiam pro zelo & affectu in Patriam ingenito non ſine præjudicio privatæ Domus magnū hunc virum pro publico conſumpſiſſe. Facient Prænobiles DD. Vræ rem ſe nobiliſſimaq; ſuâ urbe dignam, dum eum affectum, quem vivo teſtatæ ſunt, & teſtari adhuc ulteriùs deſtinabant, demortuo conſervabunt, & quod quisq; in particulari ſibi poſt mortem fieri vellet, hoc ex publico præſtare non intermittent. Accepit in fidem fiduciâ vicinæ ſatisfactionis D. Colonellus Kamienski cum notitia & fortè beneplacito Prænobilis Magiſtratûs à quibusdam mercatoribus certam ſumam, pro qua nunc ab iisdem tanquam ſpe in longius protractâ impetitur, crederem ego æquitati conſonum, & idipſum flagrantiſſimis precibus à Prænobilibus DD. Vris expeto, ut interim ſecuros eosdem mercatores de expoſita hac ſumma reddant, & in reliquo de ulteriori, quam propoſuerant cogitare diligenter velint exſolutione. Quod dum inſtanter, inſtantiùs à Prænobilibus DD. VV. efflagito, de meo omnes & ſingulos non immutando unquam affectu ſecuras reddo.

COPIA LITERARUM PALATINI CALISSIENSIS EPISCOPO VARMIENSI Grodnâ 27 Aprilis.

Queritur de impedimentis Legationis ſuæ

MAgno mihi fuiſſet ſolatio, ſi tranſire Varmiam licuiſſet loci Dominum veneraturus, aſt zelus boni publici recto ſuaſit eundum itinere, ne omiſſionis peccato me involverem, ſed dolendum, nos operam luſiſſe, deſideriaq; noſtra ac ſpes deluſas. Et ſi enim ex reſponſo Sakini mihi pateret, negotia procraſtinanda, attamen Secretarium meum expedivi cum literis ad Dnum Piper, urgendo quàm citiſſimè audientiam, verùm absq; effectu, imo, loco Caunæ Grodnam facta dilatio, cum injuria juris gentium & quod majus in oppreſſionem Regionis, & in illa gementis populi. Hac proinde habita declaratione cum Stolupæ appropinquaremus, iterato compellavi Dnum Piper ex-

A. C. 1702 ponendo rationes urgentes celeriorem expeditionem noſtram, ſcripſi Cardinali repræſentando nocivas procraſtinationes & meditationes nobis adverſas, quas video, bona verba non avertent quia res jam aliter diſpoſitæ. Reſpondebunt DEO, & Patriæ, qui illam, & me ſeduxerunt, quia video aliud in titulo, aliud in pyxide. Promiſſum erat, quòd legatio corriget errores, & generoſos impetus & ecce itur in contrarium, dum legiones in viſcera tendunt, & jam Vilnæ dominantur, diſpartitiones faciunt, omnem exercent hoſtilitatem, quam oculatus vidit, qui à me miſſus erat; abominabiles deferendo deſolationes; redire proinde debuimus expectantes reſponſum à Cardinale & Miniſtris, quid facto opus ſit, quia evidenter ludimur, nec quidquam inermes, coram armato agemus Marte, unde vix ſalus ſperari poteſt. Mittere volui expreſſum ad te, requirendo tuum ſenſum, ſi progredientibus armis peragenda eſt legatio an Reſpub. de fato ſuo informanda, cum jam de certa ſcientia conſtet, noſtra haud valitura carmina, quia ſicut noſtra puncta, totius inſtructionis nobis datæ, jam ſunt apud illos vulgata, quantas inde audio blaſphemias, præ dolore exprimere nequeo, utinam miſericors DEus innocuam conſervet Rempub. in vias planas ardua quæque convertat. Eſt mihi quædam in miſericordia DEI ſpes, quòd devotio in Diœceſi tua cum ſupplicationibus deſtinata (Utinam exemplo tuo cuncti hæc faciant, pro quo particulares refero gratias. & in publicum, zelum tuum deprædicabo ſemper) propitium reddet Numen.

CARDINALLIS PRIMATIS AD PALATINUM CALISSIENSEM Literæ 30 Aprilis.

Sueci limites transgrediuntur

Regulariter mihi literæ tuæ deferuntur de malis ac triſtibus informatoriæ. Ego quoq; plurimas ſcripſi, & ut credebam, ſat ſecurâ viâ expedivi, video tamen ſuum eas non attigiſſe terminum, cauſam conjicio in mutatas ſæpius ſtationes veſtras aut in interceptionem mearum literarum, quòd ſummo mihi præjudicio & damno eſt, hinc conſilia in vanum cecidére, quibus fors his malis fuiſſet obviatum, quæ ubi tantùm invaluêre, curatu ſunt difficiliora, maximè nos perculit ultima à te notitia, Regem Sueciæ deſtinata exequi, limites Regni transgredi. Licuit eum hucuſq; ut hoſpitem venerari, cùm autem in viſceribus ſit Patriæ, & veſter videtur cadere character, & inſtructio exinaniri, quia miſſi eſtis, ut hunc gradivum, ante limites detineretis Poloniæ, evincere id non potuiſtis, cum hic, qui oculis vidit de præſentibus jam Tikocini Suecis, cum dolore & ſtupore, omnium relationem fecerit. De Sapieha Theſaurario Litvaniæ varij varia, hoc tamen certum, quòd non ex integro bonum arripuerit conſilium, cujus finis domui ejus fatalis eſſe poteſt. Non reſpiciunt video iſti Domini finem, nec credunt, ſub ſpecie boni extremum malum latere. Actio hæc in quam eos paſſio egit præcipites, Reipub. adferet calamitatem illis ultimam minatur ruinam, ſequacibus autem horum conſiliorum minimum aut nullum fortè pariet ſolatium, quid hîc ſtatuetur brevi habebis, literas tuas in manus Regis Sueciæ non incidiſſe, fortunæ adſcribo, magnum enim faceſſiviſſent negotium, & fortè minus gratè tractati fuiſſetis. Cautiùs proinde ſcribendum, ne liberior ſtylus, aliquod & characteri veſtro, & perſonis adferat exitium. Ego etiam ad ſonum hujus claſſici, non abibo in longinquiora, ſed manebo hic, ut è viciniori commodè redeuntes vos videam cum illisq; confidenter conferre queam. Scriberem plura, ſed periculum poſtæ comprimit calamum &c.

CO-

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM.

AUGUSTUS REX &c.

EXpeditis nuper literis Univerſalibus primâ pro duabus vicibus, Nobilium convocantibus, credebamus, quod Civilibus diſſidiis quaſſata, irruptione Regis Sueciæ in Curlandiam Semigalliam & Diſtrictum Piltinenſem attrita, quieſcere aliquatenus potuit Reſpub, quæ non pridem deſideratâ pace, per nos ab Oriente donata eſt. Et ecce ſævior à Septentrione adverſam libertati, immunitatibus & Provinciis ejus parat tempeſtatem. Pertinax enim Regis Sueciæ intentio, primo faſtuoſo titulo amici decorata, & ſub hac grata facie, periculoſa abſcondendo venena, gratioſis Rempub. demulcebat verbis, ſed nunc jam levato velo, hoc, quod intendit, demonſtrat, rem ſeriò aggrediendo. Non enim contentus invaſione Curlandiæ, Semigalliæ, & Diſtrictûs Piltinenſis, ubi nihil omiſſum, quidquid violenta poſſeſſio permiſit, aut plena ferocis Imperij poteſtas ſuaſit, fidem ponit, gementi ſub contributione Samogitiæ, ubi animus horret, & liberum cor, vix audire poteſt, quomodo diſarmata Nobilitas, tam pecuniarias contributiones, quàm & victualia advehere cogitur. Promotꝰ ulteriꝰ, furentiq; animo procedens vel non ſentientis mala ſua Reip. inductus occaſione, vel publico infortunio privata medicantium excitatus inſuſurratione, ſuper quos ſuſpicax Patriæ amor, reflexionem facere debebit, Litv. aggreſſus, ubi nihil intactum reliquit, expilata enim laſciuientis militis manu, domꝰ militaribꝰ contributionibus extenuatæ. Non retinuit legatio noſtra, & teſtificatio ſinceri affectus Reipub. non promovit: Volentes enim auſpicijs & conſilijs tranquillitatem, quàm telis & manibus parare, & inſimul ſitienti Reip. procurare pacem, euntibus à Repub. legatis, ne ex perſona noſtra aliquod occurreret impedimentum, voluimus publicam legationem, privatâ noſtrâ præcedere. Sed nec hoc bene acceptum, imò in convicia mutatum, innocentem conſcientiam noſtram, verbis non rebus, quia nulla, quæ lædant, producent documenta Fictomij pro informatione impreſſa palàm facit, & promulgatas confundet impoſturas, quorum refutatione non moramur, innocentiam noſtram congregatæ Reipub. per falſitatem probrorum in nos conjectorum, demonſtraturi, ſicuti & declaratio noſtra, in Poſt-Comitiali Senatûs-Conſilio lecta, & Senatui producta, & nunc pro informatione Reip., impreſſa, candorem, amorem, & curas noſtras erga bonum publicum, pleno corde explicat. Nunc verò & ipſa legatio Reip. cum dishonore Gentis, & quod majus eſt innocentis, ſub prætextu adinvento Caunâ Grodnam, Grodnâ ad longam Villam pro libitu tanquam in dominijs ſuis translata, & ibi ceremonialiter audientiâ expeditâ limites Regni tranſivit, univerſalibus literis ſuis, ad caſtra Regni miſſis, contributiones ſolvere jubet, monſtrando fronte pacem, & arcano ubere bella lactans. Con-

A.C.1702 *ſiderent proinde omnes, ſi aliquid plena livore malitia, intacta noſtra objicit conſcientia, ipſa in ſe evidentia non demonſtrat documenta, non dicendo ſed faciendo; Et hoc non ſufficit, ſed impleto læſionibus honoris noſtri calamo, famam noſtram proſcindendo, ad novam quandam inuſitato exemplo, & inaudito ſtante vivâ Principis electionem invitat, & per calcatas Cardinales liberæ electionis leges, quæ non tantùm in campo Electorali, ſed in comitijs pacificationis confirmata, reſiduo libertatis retia tendit, & in libera Gente, ſervilia, quia armatâ preſſa manu proponit ſuffragia, ſed potens eſt DEus, à quo inconſulti impetus, cœpta initijs valida ſpatio langveſcunt, cum præcipuè ſciamus quòd majorum ſangvine partam, ab avis atavisq; præferendo fortitudinem pro DEO, fide Catholica, pro corona & defenſione Regia, & legum, immunitatum, & libertatum fortia & invincibilia opponere non intermittetis pectora. Et quamvis conſtitueramus tertias reſtium expedire literas, ſed ex Conſilio Senatûs nuper habito habentes reſpectum ſangvinis nobilitaris magnis actionibus glorioſi, & conſiderato eo, quòd jam nonnulli Palatinatus, hoc ferocientis animi Regis Sueciæ incendio circumdati, non tantùm venire & in unum convenire non poſſunt, ſed etiam ſubſiſtentiæ propriæ, ſecuritatiq; domuum attendere debeant, & alia domeſticarum curarum conſiderando negotia, expeditionem ex Palatinatibus ad proportionem, tot jam præjudicatis viribus confirmatam proponimus, ultimas vires pro ultimis conſervando periculis; damus hoc ipſum libero veſtro arbitrio, quia credimus quod conſiderabitis nihil eſſe glorioſum, niſi & tutum, & ſicut fortitudini veſtræ ſalutem & integritatem noſtram committimus, ita hoc ipſum cum libertatibus conſilio veſtro reddimus & eo fine comitiola vobis indicimus, ubi firmiter credimus, quòd æquali nobiſcũ zelo ad defenſionem charæ Patriæ media adhibebitis. Si verò hoc ſaluandæ Reip. in his conjuncturis non videbitur medium, tunc demum ad defenſionem boni publici, integritatem Patriæ & conſeruationis noſtræ tertias literas Uniuerſales Reſtium expediemus. Et nunc fauſtos meditantium fortia conſiliorum exitus apprecando, ordinatas ad ſalutem publicam expectamus expeditiones.*

COPIA LITERARũ CARDINALIS PRIMATIS AD FELICEM Potocki Palatinum Cracovien: Campiductorem Regni 29. April.

Mors Palatini Cracovienſis

INductus literis Regijs Varſaviam in publicæ conſternationis, etſi non poſſum ſine gravi animi ſenſu hanc Reip. ferre calamitatem, tamen literis tuis ad me ſcriptis, plenis affectûs & confidentiæ recreatus particulariter maneo. Mors Caſtellani Cracovienſis magni amici colligati, & collegæ tui, credo quod ſummam attulit tibi afflictionem quo ſenſibilior eſſe videtur, ex tot amiſſis in uno caſu titulis, & ſolatjis jactura, præcipuè in præſenti Reipublicæ ſtatu, importuniſſi-

niſſima tanti viri fata non poſſunt in cordibus noſtris proportionatam doloribus ponere metam. Ita ingens materia luctûs excedit modum lugendi. Sed quia hoc voluntati Divinæ, ſub cujus nutu omnes ſumus, placuit, Patientia. Nunc verò cùm transfertur utraq; poteſtas, majoris clavæ, & Senatoris primarij ſubſellij ad te, ſincerè apprecor, ut ad hos heroicos labores, addat Dñus DEus, vires, ſanitatem, & longam vitam, ut duplici ſpiritu pro te & defuncto in ſalutem hujus Putriæ longævus ſpirando videre poſſis in diebus tuis omnia gloriosa, omnia pacata & proſpera. Quod verò attinet ad excubias, quæ integritati Reip. debentur, in præſenti periculorum farragine diſpenſat ipſum officium, & miniſterium, lexq; ordinaria, à cuſtidia limitum permittit, ubicunq; ex re videtur, ut loces ex neceſſitate caſtra, ſicuti ad modernum timorē importuni hoſpitis potes prudentiſſimè omnia hæc agere, & ſic caſtra locare, ut Sueci potiùs hoc adſcribant cautelæ noſtræ, quàm hoſtilitati. In reliquo felicia feſta reciprocè apprecor, cum reſurgente Chriſto, omnimodas in ævum conſolationes voveo. *A.C. 1702*

COPIA LITERARUM A SENATORIBUS ET MINISTRIS Statûs penes Regem Reſidentibus ad Card. Primatem 12 Aprilis.

TAM infauſti ſucceſſus Legationis noſtræ ad Regem Sueciæ ſicuti cor Regium perſtrinxerunt, ita Reſidentes ad præſens ad latus Regium congregarunt pro conſilio Senatores, qui ſumus omnes ſenſibiliter adverſo hoc fato tacti, quia quid ultra ſupereſt? dum loco eductionis exercitûs Suetici, Grodnæ tantùm audientia deſtinata, & Rex Sueciæ ſemper profundiùs in viſcera Regni progreditur. Occaſiones autem non acceptatæ, ut decet, Legationis hujus, Miniſtri Suetici allegant, expeditionem imprimis Fictomii Regij domeſtici, & aggreſſionem nuperam à Principe Wiſnioviecio partis Sueticæ. Quantum ad primum comunicavit nobis Rex inſtrumentum inſtructionis dicti Fictomii, in qua præter ſinceram propenſionem ad concordiam & pacem, & omnimodam æquanimitatem Regiam nihil aliud invenitur, quàm malignitas humana, & fama malum quo non velocius ullum ſiniſtrè interpretatur non ſine injuria innocentiæ Regis illata. Non deberet etiam aggreſſio, aut, ut melius exprimamus, coërtio quæ graſſantis licentiæ Sueticæ igne & gladio partes illas ruinantes ſiſtere voluit, & Legationem Reipub. difficultare, quia ipſum jus naturalis defenſionis ad id movit, induxitq; queſtus, & gemitus oppreſſorum Principem Wiſnioviecium, ſicuti in literis ſuis exprimit; undè, quoniam Rex Sueciæ, accepto hoc prætextu difficultates novas reperit, ut declinet admiſſionem Legatorum noſtrorum differendo illos Grodnam, ac, dum Palatinus Caliſſienſis cum Collegis ſuis in his circumſtantijs quàm celerrimam exigit reſolutionem, quæ cum à ſua Majeſtate, qui in illa Legatione nullam partem activam habet, eſſe non poſſit, & tota vis in humeris tuis poſita, integraque authoritas hiſce remediis ſervata. Recurrimus proinde ad te inſtantiſſimè rogando, ut pro ſummo, quod Dij dedêre judicio, Legatos noſtros ſine mora reſolvere velis, & ad exoptatam determinationem adoptatis mediis ſubvenire, & in omnem caſum, ſi Legatio hæc ulterius difficultari, aut quoquo modo trahi & eludi deberet, nec votis Reipub. & unanimi zelo penes integritatem Regiæ Mtis reſponderet. Ulteriores gradus conformes inſtructioni ſtatus Reipub. ſuggerere digneris, in quo non dubitamus, quòd prudentia tua rerum *Legationis Suetica retardatio*

A.C. 1702 ſatis major omnes applanando difficultates, efficacia inveniet media cujus nos gratiæ.

CONTENTA INSTRUCTIONIS S. R. Mtis POLONIARUM Cubiculario & Stabuli Præfecto Fictomio vice Domino ab Ecrſtedt datæ.

Articulus I. & II.

COmmendat accelerationem itineris, continetque, ſimul inſtructionem Generalem ratione negotii commiſſi relinquendo vice Domini arbitrio, utrum literas ad Regem Sueciæ acceptas tradere conſultum ſit? nec ne?

Articulus III.

Quod ſi traditio harum literarum neceſſaria foret, tunc ipſi injungitur Aulæ Præfectum de Dulen imprimis adire, ut per hunc apud Generalem de Rehnſchieldt introducatur, quem de hinc de gratia & propenſione Regia certiorem facere, ipſique inſimul fiduciam S. R. Mtis exponere debet, quàm in ipſius auxilio circa promovendum hoc utriq; Regi maximè ſalutare negotium poneret, & vi cujus prædictus vice Dominus in mandatis haberet, conſiliis ejus ſe conformare.

Articulus IV.

Quod ſi modò dictus Generalis inſtitutum hoc approbaverit, ſuamque mentem circa modum tractandi expoſuerit, tunc nominatus vice-Dominus jubetur traditis Regi Sueciæ literis Regiis oretenus ſimul declarare. Cùm S. R. Mtas initium interrupti cum Rege Sueciæ commercii, idque eò magis, cùm non tantùm comunis ſangvinis nexus id maximè ſuadeat, ſed etiam utriuſq; Regis comodum inſigniter inde promoveatur, & ne alii tam vicini, quàm ſubditi propriis comodis hac parte inſervientes occaſionem ulteriorem habeant, ex alieno damno & diſſidio lucrum captandi. Cui addendum ſit S. R. Mtem reſtitutâ cum Rege Sueciæ priori amicitiâ non intermiſſuram eſſe, quin ſinceram ſuam intentionem ipſis rerum argumentis probatam det.

Articulus V.

Traditione & expeditione ita factâ ſæpius memorati vice-Domini judicio relinquitur, utrum mox reverti velit, nec ne? ipſique poſteriori caſu, ſi diutiùs ibi commorari conſultum foret, injungitur, per certum Nuntium referre, quæ circa hoc negotium acta ſint, & quale reſponſum à Rege Sueciæ tulerit.

Articulus VI.

Sin circa unum alterúmve varias ipſi quæſtiones movere contingeret, tunc eidem in mandatis datur, ut cum modeſtia ad omnia reſpondeat, & in ejuſmodi terminis, uti comodum S. R. Mtis id poſtulare viſum fuerit. In primis circa materiam Succeſſionis Hiſpanicæ interrogatus, declarare debet Sacram quidem R. Mtem eo in loco eſſe, ut iſtius acceſſio maximum momentum cauſæ decidendæ afferre poſſit, eam tamen certi aliquid haud facilè decreturam eſſe, antequam cum Rege Sueciæ res ita compoſitæ ſint, ut cum eodem conformibus conſiliis hac parte agi poſſet.

Articulus VII.

Iis, quoſquos apud Regem Sueciæ præ aliis valere, & intentioni Regiæ imprimis favere poſſe videbit, vice-Dominus poſt certiorationem gratiæ Regiæ certas pecuniæ ſummas, aliaque munera & dona ipſis grata

&

& accepta futura offerre debet.

Articulus VIII.

Tandem ſæpiùs dicto vice-Domino comendatur omni opere eò anniti, quò apud Regem Sueciæ ejuſque Miniſtros ſe inſinuare, eoſque ſibi devincire poſſit, quorſum ipſe monetur, ut nihil loquatur, aut proferat, unde offenſionis occaſio ſumi poſſit, cæteris omnibus ejuſdem prudentiæ & dexteritati relictis. Varſaviæ 6ta Januarij.

RESPONSUM CARDINALIS AD LITERAS SUPERIORES.

14. Aprilis.

IPſâ die patientis Chriſti legi literas veſtras, & vidi tanquam in Veronica repræſentatam Regni noſtri Paſſionem, quod ne in minus fauſtum tranſeat omen, DEum precor, utq; ab hac die, quâ ſol obſcuratus eſt, quâ petræ ſciſſæ ſunt, reddat nobis ſoles clarius nitentes, largiatur ſoliditatem conſilij, & neceſſariam inter ſtatus confidentiam, tanquam petram inſciſſibilem. Sub eadem data, hoc eſt quintâ præſentis habui literas à Palatino Caliſſienſi, quòd aſſignatam imprimis Caunæ audientiam diſtulerit Rex Sueciæ Grodnam, irritatus conflictu & fervore Principis Wiſniowieccij, quod ego maximè verebar, dum de hoc prælio inaudivi, quod ſcilicet ſtante ſolenni legatione non erat pro remedio, ſed magis incendio, & quòd hæc præſens læſio facilè ſumi debebat opportuno obtentui in dilationem audientiæ legatorum. Fictomij ad Regem Sueciæ expeditio omnibus jam eſt nota, ſed quòd Rex Sueciæ argumentum ex illa offenſionis contra nos ſumere deberet, eſt hoc extra ſcientiam & captum meum. Ad Regem autem noſtrum, ſi nihil eſt Reip. obliquum præter id quod Cancellaria Regia conſilia communicavit & vos mihi, res non eſt, nec ad capturam hominis, nec ad captionem innocentis populi.

Accedo ad id, quod eſt eſſentiale reſponſi. Audientia, ubicunque demum ſivè Caunæ, ſivè Grodnæ aſſignabitur, credo acceptandam; & in hoc caſu ſinuanda vela, ut tempeſtas jubet; quia ſive propiùs vel longinquiùs, utrobiq; ingens ſolicitudo eſſet, quòd nobis apud nos audientiam deſtinet. Alterum eſt, quod ex hac audientia jam aperietur mens hactenus abſcondita Regis Sueciæ, qui nomine amici non invitatus ſemper profundiùs in viſcera Regni hujus procedit. Ad extremum poſt omnes humanitatis gradus nihil ſupererit, niſi quòd Rex Sueciæ detrahere debebit veritati & intentionibus ſuis, ſi quod eſt ſimulacrum; unde ſolidum concludi poterit conſilium, ſi, & in quantum diutiùs, & profundiùs continuare deberet hunc Atticum inquilinum. Quantum ex me facio quæ poſſum, ſine tuba, non ut meritum habeã, quia pretium illorum hâc ætate attenuatum, ſicuti frumentorum Gedani. Scripſi Palatino Caliſſienſi, ſicuti ex Sakino ea, quæ ex re, & utili Reip. eſſe credidi, infelix malitia, ſuſpicio, invidia omne operatum invertit. Si Rex Sueciæ eam confidentiam in me haberet, quam malevoli promulgant, & in novis imprimi faciunt exoticis, melius ſervire poſſem, & ſi minor eſſet aulæ ad fabulas attendentia, confidentiùs conſulerem, ſed in tali caſu cum campanis hodiernis obmuteſco. Vobis pro hac confidentia gratias ago, felicia feſta gratulor, cum voto, ut reſurgant omnia proſpera, ruant & diſſipentur adverſa. *Felix Potocki.*

COPIA

A.C.1702 COPIA LITERARUM REGIARUM ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPO PRINCIPI VARMIENSI & SAMBIEN.

14 Aprilis.

Suetica aggravationes

JAM non incertus rumor, ſed ipſa veritas, quia genuina Legatorū Reipub. ad Regem Sueciæ expeditorum abundè confirmat relatio; quòd illos dolor ad irritum cadentis ſpei ſummè affligat, audientia prius Caunæ determinata, poſt Grodnam quæſito prætextu ſine apparentia ullius in publicum fructûs, ſub ſtrepitu circumſtantium armorum translata, ita ut hi, qui præceſſerant, jam nunc Regem Sueciæ retrò ſequi cogantur; Sed & ipſa evidentia ex omnibus circumſtantiis pericula profundè incepta, domeſtica mala, & factiones, & nullo coërcita modo malitia humana, & abſconditæ obſcuræq; intentiones funeſtum ruituræ Patriæ repræſentant exitium. Adimit nunc hanc larvam ſimulatæ amicitiæ ille tam bonus vicinus, quem hactenus ſub nomine amici & hoſpitis benevolentes vocabant, & jam eò ſecurius & audacius tribus viis ſpirans minarum, usq; ſub ipſam Varſaviam extendit greſſus ſuos, tanquam tam projectæ patientiæ eſſemus, ut reſiſtere nequeamus, aut nolimus, aut tanquam robur & arma perdiderimus. Gemit ſub gravi jugo Gothicæ ſervitutis Curlandica, Samogitica, & Livonica Nobilitas, premit M. Ducatum Lit. vaſtator gladius, ita ut vocales lacrymæ, quæ cælum penetrant, & Chriſtiana deberent movere corda, templa DEi, aræ Dñi in abominabilem eant deſolationem; cunt in orbem ad contemptum Gentis Polonæ turpes relationes, & impreſſa nova per externas Regiones, quomodo per univerſales inprimis Regis Sueciæ literas congregata Nobilitas in Samogitia, primo diſarmata pòſt coacta ad ſciſcendum tributum per 8. Taleros ex fumo, ſangvinem quaſi fundit, cùm crudeliter emungitur, & ad hæc præſtanda adigitur, quæ jubere conſueverat. Ergo, dum præſentium periculorum magnitudo præſens invocat conſilium, ut ſine auxilio & conſilio inermem hujus Reipub. cervicem non inclinemus ad ictum lethalem, diligenter & ferventer à te exigimus, ut magnis paſſibus huc Varſaviam vel ubi ſubſtiterimus, accelerare, & validô conſiliô ad ſalutem publicam concurrere non negligas; cui bonam valetudinem.

EJUSDEM EPISCOPI VARMIENSIS JOANNI SZEMBEK REFERENDARIO REGNI Smolanijs 20 Aprilis.

AD literas Sereniſſimi Regis Domini mei non reſpondeo, quia non reſponſum ſed mandatorum executionem ſimiles literæ in tam evidenti Reipub. neceſſitate requirunt. Nec ego ſoleo excuſare me ubicunq; mandatum prævenit Mtis ſuæ, nec ſoleo evitare obſequium, quod præſtare Patriæ poſſum, ſcis non venire me, niſi vocer, vocatum præſtò adeſſe. Et ſi ſcirem quòd præſentia mea eſſet neceſſaria Varſaviæ, recederem etiam à medicamentis, quæ incepi, & ad nutum Regium more meo celeriter me expedirém; ſed quia inceptum etiam quoddam obſequium pro intereſſe ipſiuſmet Mtis indiſpenſabiliter manere me obligat, precor, ut idipſum pro affectu ſuæ Majeſtati velis repræſentare; utique licet DEum propter DEum relinquere, poſtquam deliberâſſem ubi major obligatio, ubi magis neceſſaria ad efficax obſequium ratio. Non morabor ego, & perſeverans in conſtanti quocunque demùm caſu, fidelitate, & non ceſſante unquam, quamvis repellar

affe-

affectu, ita in eo zelo, quem debeo & ex fide, & ex infinitis obligationibus; ſpem non dubiam habeo, quòd hanc parvam moram benignè apud Regem interpretaberis, & poſt confidenter, ſi quis mei uſus, docebis facere voluntatem Domini mei; quia ego omnes greſſus, ſtudia, & conatus eò dirigere deſidero, quò evidens & Regi & Patriæ, quia hæc apud me indiviſibilia, vocat obſequium. *A.C.* 1702

XXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINCEPS VARM: & SAMB. KONOPACIO CASTELLANO CULMENSI. 16 April.

CUM ad hos terminos infelicitas Patriæ devenerit, ut ſi prompta conſilia curſu infortunij non retinuerint, celeris ruina & publico & privatis iminere debeat; non licet mihi ex motivo conſcientiæ, & ex amore in Patriã quaſi demiſſis otiari manibus & tacere. Præmiſſã proinde ſolitã meâ Perſonæ tuæ veneratione paucis te compello recentiſſima mittens nova, quæ ab Epiſcopo Samogitiæ hic in Principatu meo degente accepi; quod in ejus Epiſcopatu non ſatis gratus hoſpes Patremfamilias agit. Adnecto etiam ea, quæ à Palatino Caliſſienſi habeo; Factâ proinde maturè ſuper præſentem nunc in Litvania nobis brevi imminentem ſtatum, & pericula, concludas, ſi unquam nunc certè conſilio efficaci opus Nos habere. Poſſem ego quidem divinare, quid facto opus ſit, & quæ ſecuturis malis inveniri deberent remedia, ſed quia exquiſita malitia hactenus os & manus ligat, intra vota manendum eſt. Cùm tamen in ea incidimus tempora, in quibus, ſi nos ipſi de nobis non cogitabimus, poteſt aliquis, ſim falſus Vates, de nobis cogitare. Offero proinde obſequia mea prompta, & toti Provinciæ, & tibi in particulari, enixè rogando, ut pro amore tuo in hanc Provinciam & authoritate ea mediteris media, quæ nos ſalvare poſſunt, quæ non ſunt ita difficilia inventu, modò velimus; Ego omnes vires quaſcunq; in Provincia mea habeo, pro conſervatione & integritate totius Pruſſiæ convertere paratus, modò ab ipſiſmet vobis tale conſilium habeam, quod me ad efficaciter agendum incitare poſſit. Certus verò ſis, quòd ſicut nunquam alius in me erat ambitus, niſi ut pro munere meo ſincerè & diligenter inclytæ huic Provinciæ ſervirem, ſic & nunc in tam ingentibus periculis nihil magis exopto, niſi ut me in victimam publici immolem obſequij. Privatum verò deſiderium id in me manet, ut tibi promptam offeram alacritatem corde magis, quàm manu illam inſcribendo &c.

COPIA LITERARUM EPISCOPI SAMOGITIÆ EPISCOPO VARMIENSI.

ORdinaria Samogitiæ Poſta ingraveſcentia attulit mala, quamvis Sueci Grodnam verſùs moverint, reliquerunt tamen duas legiones ſub Rozanis ubi ad conſtruendam fortificationem ſubditos noſtros impellunt, ſpecialiter meos, qui jam non ſufficiunt exſolutioni impoſitorum onerum. Alternat & noſter noviter conductus Exercitus, qui contra novellam Conſtitutionem & juramentum conſtitutæ immunitatis Eccleſiæ à Palatino Vilnenſi immittitur. Quærere deberem, nunquid redditur malum pro bono? Timendum eſt, ne ad recidivam cogamur, ne poſthac is ſit in alios, qui in me fuit; Qui præmefero præclarum illud ulciſcendorum inimicorum genus, ut pro iis Numen

A. C. 1702 men placare, & benignè facere ſtudeamus; DEus ipſe vicem noſtram ulciſcetur, pœnasq; ab eis repetet, omnium opinione majores, quod utinam ſecus eveniat. Dulces mihi ſunt hæ cordis amaritudines ſub favore & protectione tua, quam immeritus experior; DEus, qui charitas eſt, optimam reddat benedictionibus ſuis talionem, & in fœdus gratitudinis &c.

XXV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISCOPUS VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI TEATINO THEOLOGO ET MINISTRO REGIO Romam 20 Aprilis.

QUanti humaniſſimam tuam compellationem & affectum tuum literarium, faciam faciliùs ſentio, quàm exprimo, nunquam mihi grata eveniant, ſi non gratæ ſemper epiſtolæ tuæ obveniunt. Unum tantùm amicè queror, quòd injuſtiùs, quàm veriùs in laudes meas te ire video, quas, quia non tam ratio tibi ſuggerit, quàm affectus, hunc plenò pectoris oſtio admitto, illas non niſi ſemiclauſo, ut proculos ſuos blandientes futuræ ſponſæ ſolent. Multi laudes ſuas eò proniùs accipiunt, quò faciliùs credunt. Sui ipſius verò nimium admirator non honeſtatis ſtudioſus eſt ille, qui ſe ipſum ubique optimum ac præſtantiſſimum judicat, quòd eſt à meo alienum ingenio, præterquam quòd non ſum ille quem me facis, ſed eſſe conor, & hæc tua encomia, non tanquam indicia admitto, ſed ad virtutem ſtimulos, atque adhortamenta, in quibus utinam ſic aliis, & mihi ipſi, ut tibi videtur, ſed ſicut per aquam qui videt majora omnia judicat, ſic qui per favorem; at verò quanquam ab ambitione alienior, gaudeo tamen, vel teſtimoniô, vel benevolentiâ, quæ utraque tam liberaliter erga me promis.

Accepi literas Varſaviâ & gaudeo me abiviſſe, execranda enim non vanæ mihi author rei ſcribit, quæ diebus ultimis Bacchanaliorum ſunt acta, planè ac ſi non eſſet DEUS, qui jam videtur eſſe in cordibus eorum mortuus, & tamen videt hæc & audit.

Excurri Fraumburgum ad videndum utrum ea decreta reformationis quæ cum tanta cura, & labore obſervanda tranſmiſi, ſint in uſu, & aliquot dies ibidem impendi, ubi notitiam habui à Domino Palatino Czernichovienſi mortuum eſſe Dönhoff Epiſcopum Cracovienſem, ſuadetur mihi ut concurram quantocius, ſed renuo; fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum contentus Epiſcopatu meo, quem non ambitu vel gratia, ſed virtutum ſtudiis quæſivi, quinimo non intelligo, quod adeo Divina pietas parvitatem noſtram, & addam etiam pravitatem extulerit, non vitæ bonitas hæc meruit quæ habeo. Cognoſco imperfectum meum, & me ipſum ſæpe cogitans non extollor, primas cathedras non appeto, aſcenſiones ex corde meo expello, & magis his quæ poſſideo per DEI gratiam erubeſco, & confundor timens utrum officio meo (quamvis in DEI gratia ſpem repono) ſatisfacere queam: ſcis me vera hæc proferre, & in nulla me unquam laude jactaſſe. Minuit enim quodammodo ſe probantis conſcientiæ ſecretum, quoties oſtentando quis factum recipit famæ pretium, & ut ait S. Ambroſius, abundat ſibi ſatis locuples teſtis conſcientia.

Mors Dönhoff Epiſcopi Cracovienſis

Dum 23tia Maji Eccleſiam novæ civitatis Brunsbergenſis conſecravi, venit notitia, datum eſſe Epiſcopatum Cracovienſem Epiſcopo Præmiſlienſi.

Conſecratio Eccleſiæ novæ civitatis Brunsbergenſis

In craſtino conſecravi alteram Eccleſiam uno & medio à Fraumburgo

burgo diſtante milliari. *A.C* 1702

2da Aprilis conſecravi Eccleſiam in Lichnau, 3tia itidem Eccleſiam in Peterswald, ubi venerunt nova de morte Guielmi Regis Angliæ, *& aliarum* & de promulgatione Annæ Filiæ Regis Jacobi, cum Principe Georgio Daniæ maritata. Accepi literas à Dño Palatino Caliſſienſi iter ſuum proſequente ad Regem Sueciæ, cui reſcripſi im̃ediatè & fortiſſima motiva ad pacem concludendam attuli, prævideo enim peſſimè nobiſcum actũ iri, ſi DEus non miſerebitur. Neſcio ſi habes inſtructionis & plenipotentiæ copiam, ergo illam adjungo cum Senatus conſilio Varſaviæ die 2da Maji habito.

9na in quam incidebat Dominica Palmarum, conſecravi Joachimum Skirmont Suffraganeum Samogitiæ in aſſiſtentia Epiſcopi Samogitiæ, & Suffraganei Varmienſis in Collegiata Guttſtadienſi. Quod reliquum eſt, rogo ferijs iſtis Chriſto Dño dira & acerba ſupplicia pro nobis paſſo, ſacris atque ſolennibus, tuis mihi à DEO precibus impetra, ut in eadem cruce, quâ ille diem ſupremum obivit, carnem meam cum vitiis ac concupiſcentiis habeam timoris vel potiùs amoris ſui clavo defixam, quo unà cum illo in ſempiternam, ac ſecluſis malis affluentem bonis omnibus vitam evadam &c. *Conſecratio Joachimi Skirmont*

CONCLUSUM SENATUS-CONSILII 2. Maji CELEBRATI.

Ad primum. Indolet S. R. Mtas Dñus N. Cl. huic Reipubl, quòd intentiones ſuæ Pacis ex Tractatu Legatorum obtinendæ optatum hactenus nequeunt ſortiri effectum & finem. Quippe Rex Sueciæ conſiderata imbecillitate publica virium & diſpoſitionibus ſubjectorum ſtudia provehentium excuſſis eò audaciùs progreditur, quò certior eſt de mediis in defenſionem S. R. Mtis & Reipubl. efficacibus nondum eſſe conſultum. Itaq; cenſet S. R. Mtas ſine cunctatione valida ſecuritatis arripienda media, nec efficaciùs quidquam fore putat, quàm Exercitũ Regni huic negotio accommodatum, ut Palatinus Cracovienſis Campiductor, eundem jam quantociùs in loco determinato ſiſtat; unde Exercitui Suetico opportunè opponi, progreſſusq; ejusdem Suetici Exercitûs in viſcera Regni reprimi poſſit. Cùm verò Exercitus Regni authoramenti externi propter defectum ſupplementorum, & aliorum neceſſariorum, tam citò uſui neq; ad operationes ſuas ſiſti poſſit, igitur in caſum hunc, ſi Tractatus effectum ſortitus non fuerit, & Rex Sueciæ ultra progredi, neq; exercitum ſuum ex M. D. Lit. Curlandia, Semigallia, & Diſtrictu Piltinenſi educere decreverit, S. R. Mtas D. N. Cl. innitendo exhibitioni circa pacta conventa declaratæ pro ſumma neceſſitate ſui, ac Reipub. defenſionis promittit legiones ſuas proprias ſub pleno regimine Illuſt: Regni Ducum Exercitui Suetico opponendas ſe adducturum, cum ea conditione, quòd easdem legiones proprio ſumptu ſuſtentare, & pace ac tranquillitate Reip. reddita easdem legiones è Ditionibus Reipub. educere tenebitur ſub vigore Conſtitutionis anni 1699.

Ad 2dum. Quoad publicam belli expeditionem exiſtimat S. R. Mtas Dñus N. Cl. ex facultatibus promptiorem & commodiorem fore. Et ad eum finem Comitiola Palatinatibus & Diſtrictibus Regni, atq; M. D. Lit. ex nunc indicenda & in literis univerſalibus idipſum proponendum eſſe cenſet. Quodſi verò urgens neceſſitas poſtulaverit in tali tum demum caſu ſecundùm leges expeditis ejusmodi ex Perſonis neceſſa-

riò

*A.C.*1702 riò ſtatui debet, & extraditionem literarum Reſtium tertiarum pro ultima neceſſitate S. R. Mtas Dñus N. Cl. reſervat. Quæ quidem copiæ ex facultatibus congregatæ in Regno, lateri S. R. Mtis aſſiſtent. Copiæ verò Litvanicæ locum in univerſalibus Sacræ R. Mtis capeſſent deſignandum.

Ad 3tium Siquidem S. R. Mtas Dñus N. Cl. literas ad Seren. Principes mediatores & evictores pro manutentione pactorum Olivenſiũ ſcripſit, & expediri jam pridem curavit, idem repetere adhuc non deſinet, quibus literis ſuis annectendas eſſe, Illuſtriſſimi & Rñdmi Primatis Regni, & M. D. L. cenſet.

Ad 4tum Tractatum non minùs opportunum, quàm & neceſſariũ cum Seren: Electore Brandeburgico S. R. Mtas Dñus N. Cl. ex intereſſe Reip. & præſenti rerum ſtatu eſſe judicat; Sed ne magnum huic operi ex aſſumpto titulo Regis in Pruſſia oboriatur impedimentum; idcirco conferentiam Illmi ac Rñdmi Primatis Regni, & M. D. Lit. & perſonis à nobis deputandis cum Ablegato Brandeburgico Varſaviæ commorante aptam eſſe cenſet; Si quid & hoc conceſſo titulo commodi & utilitatis Reip. eveniat, tum ſi illæſa jura & ſancita Reip. manere poſſint. Poſt quam conferentiam peractam S. R. Mtas Dñus N. Cl. expediendam eſſe ad prænominatum Seren: Electorem Brandeburgicum legationem neceſſarium eſſe videt; ubi non prius titulum hunc Legatus declarare debebit, niſi in anteceſſum provideat non ſolùm ſecuritati jurium Reip, ſed & aliquod inſigne ex hoc conceſſo titulo eliciatur commodum tam ad præſens, quàm in futurum. Quapropter expeditionem ad præfatum Tractatum S. R. Mtas Cancellariæ Regni præparare ordinabit.

Ad 5tum. Cum legato Moſchovitico conferentia determinabitur, ubi mentem Principalis ſui declarabit, & commoda utilitatesq; Reip. ex acceptanda colligatione profluentia ediſſeret, poſt quam conferentiam reſponſum & reſolutio ex re dabitur.

Ad 6tum. De augendis Copiis: hoc S. R. Mtas D. N. Cl. & ad Comitiola Palatinatuum & Diſtrictuum remittit, ubi per literas ſuas hocce negotium exponet. Quod verà attinet dislimitationem cum fulgida Porta, illam non omittendam eſſe S. R. Mtas D. N. Cl. in tempore determinato cenſet, etſi copiæ ad conducendos Commiſſarios ex ordinationib9 Oſtroviana Zamoyſciana & Myſzohviana in tempore congregari poſſunt easdem Sacra R. Mtas deſignat, ſin min9 ut ex copiis Reip. dentur; Diminutionem verò per hoc Exercitûs Regni copiæ ex ordinationibus ſuppleant, S.R. Mtas Magnifico Campiduci commendabit.

Ad ultimum Ratione ſecuritatis Civitatis & Arcis Varſavienſis, cùm hoc ad Generoſum Capitaneum loci iſtius vi legis, & nexu Juramenti pertineat, hoc idem negotium S. R. Mtas eidem commendabit; ſin verò aliquod impedimentum commorari illi non permittet, alium idoneum S. R. Mtas Dñus N. Clementiſſimus ordinare dignabitur.

Michàël Card. Radzieiowski Primas Regni & M. D. L. Nicolaus Swięcicki Epiſc. Poſnan. excepto puncto Tractatus Brandeb. Nicolaus Wyzicki Epiſc. Chelmenſis mpp. Raphaël Leſzcynſki W. L. G. W. mpp. F. Z. Gałecki Palat. Inowr. Staniſl: Morſztyn Palat. de Maſovia mpp. J. Prebendowski Palat. Mariæb mpp. Franc. Grzybowski Caſtell. Inovlad. Nicodemus Zaboklicki Caſt. Camenecen:

necen: mpp. Adam Naramowski Caſtell. Szrzemski. Carol: Tarlo Procancell. Regni Stanisl: Szczuka Procancell: M. D. Lit. Hieron: Lubomirski Supremus Regni Theſaurarius. *A.C.* 1702

XXVI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. FELICI POTOCKI CASTELLANO CRACOVIENSI, SUPREMO EXERCITUUM REGNI DUCI 2 Maji.

Perdidimus tam magnum, cui lux æterna luceat, re & nomine Ducem Stanislaum Jablonovium, ſed non potuit melius tam ingens Reipub. reparari ruina, niſi & in prima curuli, & in primo Exercitûs Poloni miniſterio tu ſuccederes. Eo proinde in plauſum cum tota Patria, quod dignitates hæ, quæ alibi hoſpitantur, in domo tua planè hæreditariæ ſunt, & ad te poſtliminio redeunt. Particularem verò & ſingularem, ut conſtans & obſervantiſſimus nominis tui teſtor ſatisfactionem, paucis his verbis vota fundo, ut fortunæ huic, dum non poteſt perpetuitas, addatur diuturnitas, minimè dubitans, quòd & tu affectum meum, quem ſemper es expertus, ulterius mihi, Diœceſique meæ teſtaberis, cujus ſum perpetuus cultor &c. *Appretiatio dignitatis*

IDEM HIERONYMO LUBOMIRSKI PALATINO CRACOVIENSI, CAMPESTRI EXERCITUUM DUCI.

Quod pridem meritis tuis, neceſſitati afflictæ Patriæ debebatur, hoc nunc alibi benefica, hic æquè & juſta dextera Regis noſtri adimplet. Poſſúmne ego ab antiquo, & imutabiliter amans te frater continere calamum. Non tantùm ergo ex privata mea ſatisfactione, ſed ex publico intereſſe: mihi gaudeo, tibi gratulor. Et cum magis ſemper factis, quàm verbis gloriari ſoleo, DEum precabor, ut firmam valetudinem, antiquum vigorem, hæreditarium in Patriam zelum, quem ſemper habuiſti, publico bono augeat, & mihi occaſiones, impertiatur, qui ſum perpetuus cultor tuæ dignitatis, ut tibi ſervire valeam &c.

IDEM ALEXANDRO SALLAROLLI MINISTRO REGIO Romam 8 Maji.

Quod ſemper ad me ſcribere, atque adeo ſcriptitare non intermittas, gaudeo, ſed injuſtè ſubaccuſas, quòd antè per rarò, poſtea verò nihil prorſus literarum dederim, imò nec ſcribenti tibi reſponderim. Libenter tibi ſcribo, dum vacat, quia ſincerè amo, ſi verò quæris, quid agam, nonne ſcis Epiſcopum me eſſe, ac proinde à labore nec eſſe, nec debere eſſe omnino vacuum. Cæterum dicerem tibi, quòd Horatius Pòëta egregius, laudans vitam ſuam, ſcribit ſe in urbe Roma omnium celeberrima ſolitum obambulare forum, percunctantem, quanti olus aut far emeretur, ſed gloriari otio iners ambitio eſt. Ad nova; poſt diuturnam & tædioſam Legatorum noſtrorum expectationem, poſt tot dilationes & moras, tandem reſolvit Rex Sueciæ in conſpectum ſuum cum votis Reipub. Legatos admittere, & quamvis id Grodnæ eſſe deberet, quod avidiſſimè expectabatur, venit tamen alia mutatio & in Rozanyſtok tribus milliaribus Grodnâ diſſitum prædium die ipſâ Inventionis Sanctiſſimæ Crucis, auſpicatiſſimo omine deſtinata eſt. Sine mora proinde Legati ex conſilio unanimi ſecundâ præ- *Legatio ad Regem Sueciæ*

A.C. 1702 ſentis ad Haraſzymowice, ubi conſiſtentia illis deſtinata erat, moverunt. Rex verò Sueciæ ob commoditatem meliorem ſui exercitûs in Rozanyſtok ad œconomiam Regiam pertinente villa ſubſtitit. Hac eâdem die miſerunt noſtri Legati ad Comitem Piper Secretarium Legationis, ut de ceremonialibus admiſſionis ſequentia proponeret puncta. *1mo.* Ut Rex Sueciæ perſonam qualificatam ex Senatoribus ſuis præſentibus cum curru Regio uſq; ad conſiſtentiam Legatorum mitteret. *2do.* Ut Legati in conſpectum Regium cum debito honore reciperentur, & ut præſentantibus arma cuſtodibus corporis, vexillis expanſis, reſonantibus tympanis, & muſicâ introducerentur, & tectis capitibus ad Regem venirent; tandem trinis inclinationibus factis, tectis capitibus cum Rege ſederent. *3tio.* Ut iiſdem honoribus & gradibus reverterentur, ut erant introducti. Poſt hæc propoſita puncta Comes Piper multis in favorem Reipub. dictis, ad referendum Regi accepit, ſolitum ceremoniale reaſſumendum promiſit, in craſtinum reſolutionem. Tertiâ currentis ſecundùm datum verbum literis primum compellati tandem oretenus à Domino Cederlein primo Cancellariæ Secretario talem acceperunt reſolutionem. Quoniam Rex Sueciæ unum ſolùm Senatorem, eumq; à ſe indiviſibilem Comitem Piper ad latus ſuum habet, tunc primum ex generalibus locum tenentibus Miniſtrum ſtatûs deputabit & quoniam currus tanquam in caſtris exiſtenti deſunt, equos ſuos mittere declaravit & Legatos cum debito honore, qui exhiberi ſolet maximorum Principum Legatis extraordinariis recipere in majorem Reipub. Polonæ amicitiæ conteſtationem, promittit, omnia conformiter & ſine ulla difficultate concedendo, quæ concedi poſſunt, & monſtrando antiquum ceremoniale. Dum ergo venit deſtinatum audientiæ tempus, miſſus eſt Dominus Lieben Generalis locotenens Gubernator Viſmarienſis cùm 30, vel 40, Officialibus ex Primoribus & 120 Drabantibus; cùm verò præmiſiſſet duos Officiales, de ſuo ſignificans nomine Regis ſalutaturus adventu, & ad deſtinatam invitaturus audientiam, reſponſum; quòd expectaretur: venit ergo dictus Generalis ornatiſſimè, & deſcendens ex equo ſalutatus à Secretario Legationis, & pòſt in atrio à Legatis exceptus, & in alio cubiculo dextram habens Suetico idioma-
Felix Lipski te nomine Regis Sueciæ explicante Wachtſchlagerio, Salutavit Legatos. Reſpondit Palatinus Caliſſienſis cum debita reciprocæ amicitiæ conteſtatione; cùm verò hora immineret, conſcenderunt equos, Generali dexteram Legatis noſtris cedente. Præcedebant Drabantes in numero 120 ſelecti militis, nemo enim niſi ex Capitaneis in numerum eorum recipitur, & Rex ipſe eorum eſt Capitaneus. Sequebantur varii Colonelli, pòſt Generalis Lieben, & tandem Legati noſtri, quos 20 vel plures Officiales comitabantur à parte utraque numeroſiſſima Legatorum procedebat aſſiſtentia, claudebant agmen Equites Suetici, eoque ordine procedebatur; dumque viciniores eſſent omnes cuſtodes corporis expanſis vexillis, ſonantibus tympanis & inſtrumentis muſicalibus arma præſentabant. Paratum erat tentorium non quidem Regium, quia illud deerat, ſed cujuſdam Officialis, in cujus primo limine Mareſchalcus Curiæ expectans Legatos, uſq; ad ipſas cubiculi Regii duxit fores; exivit interim Mareſchalcus Magnus ad audientiam Regis invitando, ingrediebantur ergo Legati noſtri tectis capitibus, & dum primam faciebant inclinationem, ſedendo Rex pileum depoſuit; ad ſecundam ſurrexit; poſt tertiam præmiſſo titulo ſuo caput texit, &, ut Legati idem
Felix Lipski facerent, indicavit. Orſus proinde Palatinus Caliſſienſis modeſtis verbis

bis ſermonem ſuum, generoſitati tamen Polonæ correſpondentibus, inſtructioni conformibus, cætera ad conferentiam habendam diſtulit. Secundo loco ab Ordine Equeſtri peroravit Tarlo Culinæ Regni Præfectus ſtylo & verbis generoſis fortunam Regis Sueciæ extollentibus, modum tamen ponere debere inſinuantibus; copiam utriuſque adjungo: ad utrumq; ſermonem Comes Piper breviter generalibus terminis amicitiam Reipub. magnificando, reciprocam pactorum ſancitorum obſervantiam inviolabilem aſſecurando; nihil aliud Regem Sueciæ ſummis exoptare votis dixit, niſi id, quod è re, & utili utriuſq; Regni eſſe poſſet. Poſt datum reſponſum Palatinus Caliſſienſis literas credentiales Regi ad manus reddidit, utque ad oſculum dexteræ Regiæ Officiales & Domeſtici admitterentur, petiit, quod Comes gratiosè fieri poſſe reſpondit. Tandem poſt finitas ſolennitates prædictas, Comes Piper benevolentiam Regis Sueciæ in perſonas Legatorum intimavit, de reſolutione & tempore conferentiæ notitiam ſe daturum promiſit, poſtea iiſdem ceremonialibus & ordine Legati, quo inducti erant, ad conſiſtentiam reducti, ubi Generales & Officiales optimè & lautiſſimè tractati, & pari humanitate cumulati, dimiſſi ſunt. Veſperi autem Secretarius Cancellariæ cum hac declaratione venit, quod in craſtino horâ nonâ ad conferentiam expectabuntur, quam & quintâ Maji habuerunt primum locum habentes, quæ reſolutio ſubſequetur, videbimus. Interim Rex ad expeditionem ex Palatinatibus proportionatam literis ſuis, quarum mitto copiam, excitat, utinam non fruſtra. Tu verò in expreſſione affectûs tui, noli eſſe verbis multus, mihi enim, qui de voluntate tua æquè certus ſum, ſupervacanea iſta videntur apud ſic amantem ſic amans peccat. A.C. 1702

PATRI SALLAROLLI MINISTRO REGIO
6tâ Maji.

NON es primus, qui mireris, quòd ærarium Sueciæ hactenus non nimis amplum tantis ſufficere poſſit impenſis; ſed tamen, ut ſcias longè eſſe nunc, quàm præteritis temporibus amplius, breviter te informabo, unde fuerit notabiliter auctum.

In primis in memoriam tibi revoco; ſcio enim legiſſe te multa, nec ignorare quòd Regnum Sueciæ compoſitum ſit ex 4. Statibus, hoc eſt, Nobilitate, Clero, Civitatibus & Ruſticis. Quilibet ex his Statibus admittebatur ad ſeſſiones, & vocem deliberativam in Comitiis Generalibus habebat, quos Rex Sueciæ, ut quolibet anno convocaret, legibus obligabatur, ut ſcilicet illos Status de negotiis publicis informaret, conſilium ab eis peteret, & ſuccurſum neceſſarium in neceſſitatibus Regnum prementibus. Sed ab eo tempore, à quo Corona Sueciæ facta eſt hæreditaria in deſcendentibus Guſtavi Vaſa & pòſt in Familia Carolina cum honore imperandi abſolutè; Rex ſecundùm conſuetudines antiquas convocat quidem aliquando Status ad informandos de ſuis intentionibus, ſed nullam aliam partem in eo habent, niſi executionem, & honorem approbandorum mandatorum ſui Domini per conſenſum Generalem. *Ærarium Regis Sueciæ*

Interea differentia negotia illorum Statuum magnas cauſârunt in Suecia revolutiones, & non deſcendendo ad antiquiora, legimus, quòd Guſtavus Vaſa habens bellum cum Vicinis Potentiis, & occupatus ſad intra, ad humiliandam ambitionem Cleri, quæ omnia ejus impediebat propoſita, obligatus erat devincire ſibi Nobilitatem magnis donis, &

A. C. 1702 gratificationibus extraordinariis. Unde factum quòd magna pars bonorum Regni intra manus Magnatum Regni hæſerit.

Reges Succeſſores Vaſæ modum agendi ejus pro ratione Status, &, ut ajunt, Maxima regnandi acceperunt. Non videndo ſolidius & efficacius medium, ut ſecuros ſe redderent fidelitatis ſubditorum ſuorum, ut ſe manutenerent contra rebelliones, & contra diffidia, quæ inimici Regni illius, cum cura ſæpius excitabant.

Hæc Maxima non poterat ſemper practicari, & propterea etiam Regina Chriſtina continuando eundem modum omnes planè reditus Coronæ abſorptos vidit. Omnia bona regalia, aut data, aut ad tempus conceſſa Magnatibus Aulæ fuerunt. Ita ut Succeſſor ejus Carolus Guſtavus Rex factus tam ſe deſtitutum omnibus invenerit, quæ erant neceſſaria ad ſuſtinendum decorem, & magnitudinem Coronæ, ſicut etiam pro manutenendo Imperio Statûs, ut voluiſſet immediatè abdicare, ſi Clerus, Civitates, & ruſticæ villæ non dediſſent tanta ſubſidia extraordinaria ad exequendas intentiones, quas formaverat contra Poloniam. Miſeria publica eò major erat, quòd Nobilitas nihil contribuere volebat, & eam diminuere; nullas audiendo Propoſitiones concordiæ, nec cogitando unquam de concurrendo cum aliis Statibus in ſolatium malorum, quæ reddebant Imperium tædioſum & infelix. Rex iſte frequentius dicere ſolebat, quod remedium in neceſſitatibus ejus hoc poſſet eſſe efficax, & præſentaneum, ſi recuperarentur à Nobilitate omnia ea bona, quæ Reges ſui Prædeceſſores illi dederant, ſed impeditus bello Danico & Polonico; ſub idem fermè tempus magna erat difficultas in exequendo, quod propoſuerat.

Filius ejus Carolus XI finivit feliciter bellum Danicum, ſed terribiles difficultates habuit in conquiſitione pecuniæ, quæ in omni deerat occaſione, & quibus nemo eum juvare volebat, non obſtantibus ardentiſſimis precibus Senatui factis, & Statibus Regni ſui; quòd illū tantò magis animavit in reditu Stockolmiam, ut omnem curam eò verteret, quatenus reditus ſtabilire Coronæ poſſet, per idque evitaret illa extrema, ex quibus cum tanta difficultate eluctatus eſt.

Clerus, Civitates, & Ruſtici non poſſidendo ulla bona Coronæ immediatè diſpoſiti erant, ad approbandas intentiones, quas Rex habebat, reuniendi omnia bona, & terras, quæ Reges & Prædeceſſores ejus alienaverant, ſuſtinendo, quòd unicum medium hoc eſſet ad relevandam potentiam Regni, quæ ſemper vergit ad diminutionem, quamdiu bona publica manent in poſſeſſione particularium, & quamdiu pauperes ruſtici obligati erunt ad dandas faciendasq; omnes pro Statu neceſſarias expenſas.

Omnes curas & ſolicitudines eò vertit Nobilitas, nihilq; intermiſit, ut averteret terribilem hunc ictum; Sed Rex Sueciæ ita benè res omnes ordinavit pro executione intentionis ſuæ, ut tandem feliciter ad deſideratam attigerit metam, eoq; juſtius fieri hæc poſſe conſtituit, quod integrè id conformaretur Conſtitutionibus Regni. Convocatis proinde quatuor Statibus Stockolmiam pro Comitiis Generalibus præſentari fecit Statui Nobilitatis leges Regni, quærendo ſenſus ejus ſuper ſtatutum, cujus hæc erat ſubſtantia: Quòd Rex Sueciæ legitimè electus, & conſecratus, poteſt, ſi vult, alienare, & donare quidquid voluerit ex ſuis bonis, ſed ejus Succeſſor poteſt illa retrahere, & reunire quoties voluerit. Deputati Nobilitatis facilè divinârunt intentiones Regias, & malas conſequentias, quæ minabantur toti corpori Nobilitatis;

tis; interea non erat modus nec medium declinandi in ſiniſtram ſuper reſponſum dandum, quod Rex exigebat. Propoſitio erat tam clara ex ſeipſa, ut Nobilitas non auderet, ſe opponere illis, quæ prævidebat, nec poſſet publicum aſſenſum præbere, quòd leges Sueciæ dederint Regi poteſtatem illimitatam agendi, & faciendi ſecundùm ſuum placitum in omnibus his, quæ concernunt reunionem bonorum alienatorum. *A.C.* 170?

Nobilitas tamen per conſenſum poteſtatem dedit Regi Generalem & unanimem ad executionem intentionis. Immediatè proinde Rex duas Cameras abſolutas conſtituit, quæ cognoſcerent ſuper negotium hoc importantiſſimum ſub directione Comitis Gillenborgk, qui illis præſidebat. Una ex his vocatur Camera Reductionis, quia ibi fiunt Decreta, quæ reuniunt ad Fiſcum Regium omnia bona, quæ ab illo erant alienata. Altera Camera vocatur liquidationis, quia hæc examinat prætenſiones, & rationes particularium, qui poſſident bona regalia, aut pro numerata pecunia, aut in virtute alicujus Regiæ obligationis.

Sicut Nobilitas in hac liquidatione ſuum non reperit commodum, ita nunquam ceſſabit contra iſtam Cameram querulari, tanquam contra fontem omnis injuſtitiæ, quam credit ſibi fieri, & omnium malorum, quæ probat.

Verum tamen eſt, quòd omnes Creditores Coronæ præſentatis rationibus & Regeſtris huic Cameræ, & demonſtratis ei juſtis prætenſionibus non tantùm perdiderunt bona quæ illis fuerant conceſſa, ſed etiam condemnati ſunt ad ſolvendas conſiderabiles Regi ſummas. Et ideo per totam divulgatum erat Sueciam, quòd illud Tribunal non occupabatur alio, niſi in facienda injuſtitia Creditoribus publicis, & in ſpoliandis illis omni fortuna.

Interea tamen propiùs res examinando, & cum æquitate apparebat, quòd alia Camera ſequebatur regulā à Rege præſcriptā ſecundùm leges procedendo ad iſtam liquidationem, & quòd non faciebat injuriam bonis particularium, ſi non erant debitores Coronæ aliquarum ſummarū, quas ſolvere cogebantur. Quia quando illa Camera aggrediebatur aliquem Nobilem, ad recuperanda ex ejus manibus bona Coronæ, quæ poſſidebat per emptionem, aut in aliqua ſumma, quam dedit, offertur illi per actum liquidatum pretium, quod dedit, & obligatur ad recipiendum. Sed quia ſuper hunc articulum non ſemper convenitur, ideo datur occaſio querulandi, quia valor monetæ in ultimis temporibus multùm auctus eſt. Creditor alterius ſæculi ſummæ alicujus notabilis recipit nunc ſumam ſatis mediocrem, & id campum aperit incuſandi judicii Cameræ non factâ reflexione, quòd ſi redderetur illi ſub valore ſpecierum, quas dedit, multò plura haberet, quàm dederat.

Illi qui præſtiterunt Summas Regi, & eo nomine aliqua bona Domini poſſederunt, non ſuum quoque inveniunt commodum in examine ſuarum prætenſionnm. Quia, quando præſentant ſua memorialia Cameræ, examinat illa, utrum ſint juſta, ſive quòd illi Nobiles mutuò dederint Regi aliquas pecunias, ſive quòd munitiones belli ſuppeditaverint, ſub conditione gaudendi uſque ad integram ſatisfactionem de reditibus certarum terrarum à Camera deſtinatarum, Liquidationis Tribunal adjudicat illis has prætenſiones ſinè ulla diminutione, modò non plus ex illis terris jam receperint fructuum, quàm illa ſumma importat. Sed ſi inveniuntur malâ fide agentes, & quòd impoſuerint gabellas, ad quas non pertinebant, & quod frequentiùs accidit, tunc Tribunal

*A.C.*1702 Liquidationis illa ab illis percepta numerat, & diminuit ſuper illud, quod illis debetur. Quod frequentiùs tam ingens auxit pretium, ut non tantùm æquaverit principale capitale, ſed illud etiam ſuperaverit, & Creditor notabiles ſummas Regi reddere tenebatur.

Hinc eſt, quòd illa Nobilitas Suetica in his ultimis temporibus valde ſe humiliatam ſenſit, & reditus Coronæ conſiderabiliter aucti per imenſos theſauros, qui ex eo proceſſerunt tempore. Si inveniuntur aliquæ familiæ potentes, & antiquæ in Suecia, apparet, quòd particulares illarum familiarum, qui reddebant aliqua obſequia, quocunque demum modo ſtatui, ſciebant bene leges Regni, & ideo à Principe pecuniam numerârunt, quæ non ſubeſt liquidationi, & non poſſidendo quidquam ad Dominum pertinens tranquilli manent.

Et hæc ſunt, quæ ex omnium bene ſcientium habui relatione, nec difficile ſanè eſt paucorum hominum pravè ſentientium redarguere mendacia, teſtimonio proborum in hac re non diſſentientium.

LITERÆ UNIVERSALES REGIS SVECIÆ AD PALATINATUS TENISINI 8. Maji.

NOS CAROLUS XII. Significamus &c. Poſtquam nobis delatum plurimos Reipub: Polonæ Senatores, Dignitarios, Nobiles, Incolas terreri & apprehendere hoſtilitatem Exercitûs noſtri, quem Curia Polona Regia, & ſequaces ejus ſiniſtrè detulerunt, nimis inſoleſcere, bona Nobilium & Eccleſiaſtica, quod nunquam probari poteſt, deprædari, ac extorſionibus gravem eſſe, hæc autem fama ad hunc finem formata, ut mens Reipub. his apprehendendis intenſa, de primis authoribus belli, inſciâ Repub. moti, aliorumq; præjudiciorum & malorum Reipub. cauſatorum, non recordaretur, neq; ipſorum molimina inveſtigaret. Quapropter ne præoccupatio animorum invaleſcat, iteratis præſentibus Univerſalibus noſtris literis omnibus notum eſſe volumus. Quia dum Seren: Fridericus Auguſtus Dux Saxoniæ, uti in Regem Poloniæ per ſciſſionem Reipub. electus, hocce inclytum Poloniæ Regnum per violatum jus ejus libertatis Cardinale, in unius nobilis contradicentis voce conſiſtens, coactione & oppreſſione plurium, non tam liberè electus, adeptus eſt, ſed verius cum exercitu ſuo exotico invaſit, & violenter occupavit. Ita violentum continuando Regimen, Exercitum ſuum non requiſito Reipubl. conſenſu, in viſcera Regni induxit, graviſſimas ſtativas extorſit, Ordini Equeſtri, & Conſtitutioni Comitiali ejuſdem Ordinis, eo nomine ſancitæ, & conſentiendo, & illud cogitando & faciendo illuſit. In nullo puncto Pacta Conventa & fidem juratam Reip. eidem ſervavit nec adimplevit, inſuper omnia juxta ſuum beneplacitū ſibi tanquā in abſoluto Dominio liberè præſumens ac ſenſim abſolutū ſe efficere ſatagens, bellum injuſtum ſine ſcitu, & conſenſu Reipub. ſine ulla juſta cauſa nobis cum hac Repub. Polona, pacem, concordiam, & amicitiam Pactis Olivenſibus ac juramento partis utriusq; firmatam ſacroſanctè obſervavimus, Rep. Polonâ, tam diuturno bello Turcico defatigatâ pacem ſuſpirante, ad pacem diſpoſita induxit, Ditiones noſtras ac Dominia cum exercitu ſuo hoſtiliter invaſit ac devaſtavit, cum Czaro Moſchorum Reip. ſatis injurioſo, privatim contra libertates Polonas conſpiravit, ut quò potentior eſſet, eò validius & facilius mutationem Reip. in abſolutum Dominium perficeret. Unde omnia in Republ. diſturbata diſcordiis ac diſſenſionibus ple-

plena, in omnem licentiam diſſoluta, omnia peſſumdata, ac ipſa Civium excidia, ſeu potius latrocinia, & quævis crimina impunita oriri, ac manere, & ipſam juſtitiam legum ſine quovis præſidio invalidam excitare procuravit, ac abominabilem Provinciæ M. D.L. deſolationem cauſavit, ſed numina propter injurias & gemitum pauperum exigentia, libertati verò Polonæ ſingulariter providentia & opitulantia, atq; bellis ac machinationibus injuſtis nunquam propitia properaverunt, impias memorati Ducis Saxoniæ, contra fidem juratam intentiones, & ſuperbam ejus de ſua potentia præſumptionem attriverunt, & alliſerunt, per debellatum à nobis, diſperſum atq; ex finibus Reipub. præſentibus propulſatum Exercitum Saxoniæ. Ut itaq; Seren: Reſpub. hoc Exercitu Saxonum, per noſtram victoriam ac fortunam evacuata, etiam à metu graviſſimi Regis perſonæ, plurimos ex ſuo privato utili, partim ex animo libertatibus Polonis intento faventes, ac ſequaces ſuos habentes libera eſſe, & in perfecto libertatis primitivæ ſtatu conſtituta de læſionibus jurium ſuorum, idque inhærendo legibus, de non præſtanda obedientia ſancitis conſulere, & ex documentis moliminum Regis, quæ ad evertendum Reipub. ſtatum, idem Rex per fœminam Königsmarck, nuncupatam, & Fixton intimum ſuum aulicum, utpote perſonas exoticas tacitè expeditas, cum præjudicio Legatorum ad nos à Repub. expeditorum, in diſcrimen Reipub. attentaverat, quæ per nos Reipub. demonſtrata patefient, fidem ejuſdem ſui Regis cognoſcere, & in judicium juſtum cum illo, & cum ſequacibus ejus intrare valeat ex nexu amicitiæ inter hæc Regna Poloniæ, & Sueciæ obſervatæ, ex amore jurium Reipub. Polonæ, quæ ut primum per Jagiellonicam Domum, de ſangvine Anteceſſorum noſtrorum Regum Sueciæ ad ſceptra ejuſdem Regni inclyti aſſumptam plantata ſunt, & communibus ex commutatione ſtatûs ejuſdem Reipub. Polonæ, ſequentibus incommodis obviando, dum nos ipſemet idem Rex, prius per Saxonicum Exercitum, poſtea per Oginſcium, & Viſnioviecium ad id provocavit, & provocat, ipſius Saxonicum, tanquam hoſtem noſtrum perſequendo, cum robore exercitûs noſtri huc in Poloniam advenimus. Ubi præſentibus manifeſtamur, & virtute noſtrâ Regiâ, in qua totam, & perpetuam nominis noſtri gloriam, opusq; fundamus, atteſtamur & profitemur, quòd nihil hoſtilitatis Reipub. nec perſonis militaribus, nec bonis eorundem, juribus, ac libertatibus inferre, neque Regnum Poloniæ, aut minimam ejus partem affectare, neque aliam quampiam perſonam, in Regem Poloniæ proponere eligendam, & promovere meditamur, intendimns, vel cogitamus, ſed tantum ut hoc Sereniſſima Reſpub. gravi ſibi & juribus ſuis Dominio, ſe liberare, obedientiam perjuro ac fœdifrago Regi renuntiare, & alium, quem voluerit Regem, liberis concordibus votis, juxta ſuum beneplacitum eligere, Leges & conſuetudines de libera Regis electione læſas, & alia jura, ſub regimine præſenti infracta reſtaurare, juſtitiam exulantem revocare, ejuſque Adminiſtrationem, ut ejus Patriæ cives non vi, nec cædibus, ſed jure mediante inter ſe experiantur ad praxim antiquam reducere queat & valeat. Quàm primùm id perfectum fuerit, ex tunc nos ſine ulla prætenſione, cum exercitu noſtrò ex finibus Reipub. ad noſtra Dominia ire parati erimus, hoc unico præcuſtodito, quatenus annona pro ſuſtentando milite noſtro tranſituro, vel ſubſiſtente concedatur, convehatur, & miles ad procurandum & accipiendum vitæ alimentum, ex indeque ad dandam occaſionem, violentiam, & querimoniam non neceſſitetur. Quâ ordinatione interveniente

*A.C.*1702 ente, pro modeſtia militiæ noſtræ, quæ rigoroſis mandatis noſtris coërcita eſt, cavemus. In quorum omnium pleniorem fidem, præſentes ad quoſvis Palatinatus, & Diſtrictus, & terras tranſmittendo, manu noſtrâ ſubſcribimus, & ſigillo noſtro communiri mandavimus.

COPIA LITERARUM CARD. PRIMATIS AD REGEM SVECIÆ. Radzieiovicijs 10 Maji.

CElleriores S. R. Mtis V. greſſus imperfecto licet opere reditum DD. Legatis noſtris ſuaſerunt, pro facienda legationis relatione ſumendoq; conſilio, quid facto opus, ne forte inſtructionis limites transgreſſos Reſpub. in ijsdem argueret. Apparuerunt hic nuper Illuſt: & Excell. Dñi, & totius legationis ſeriem expoſuerunt, quâ perpensâ cùm & in reſcripto S. R. Mtis V. dilati, non abrupti Tractatus clauſulam obſervaverimus, & quod magis obſervandum, nec valedictionis adhuc facultatem DD. Legati obtinuerint, commiſſa ijsdem DD. conſummandi operis cura, & ceu regreſſus, ubi Majeſtatem reperire poſſint, ceu ante Rubriconis tranſitum Vræ Mti occurſus iisdem ſuaſus. Placeat ergo Mti V. Martis cogitatione tantiſper ſepoſitâ ad ea, quæ pacis ſunt, animum convertere, & utriusq; Gentis quieti ac ſecuritati operam dare, ut omnis deprædicet ætas S. R. Mti Vræ æquè ex pacis olea ac Martiali lauro poſſe enaſci perennes gloriæ fructus. Cui dum longævam ac perennantem precor valetudinem, humillimâ Mti V. inclinor veneratione.

RESPONSUM REGIS SVECIÆ 23 Maji.

CUM ad poſtulata illa, quæ ab Illuſtri legatione propoſita ſunt, per Commiſſarios noſtros ante ſufficienter reſponſum ſit, arbitramur Eminentiã V. pro ſua prudentia facilè perſpicere eadẽ, neq; ullo poſthac fructu ulterius ventilare poſſe, nec eſſe huic tempori accommodata, poſtquam rerum facies tantopere mutata eſt. Nam præterquam quod non alijs mandatis, quàm quæ dudum circa eorum habitum, acceſſerant, Illmi DD. Legati jam inſtructi eſſe poſſunt, etiam Rex Poloniæ interea plura infeſti animi documenta dederat, cùm non tantùm novos hoſtes primos concitare allaboraverat, ſed etiam Jura Gentium in familia Reſidentis noſtri, qui ad Remp. ſimul fuerat miſſus violato, veteres injurias prona jam cumulaverat, quin & poſtmodum quædam Reipub. Polonæ valde pernicioſa clam molitus eſt. Quapropter conſultius longè videtur, ut Inclyta Reſpubl. ad alia conſilia, quæ tollendis his, & vobis magis idonea fuerint, cogitationes ſuas convertat, de quibus cùm Varſaviam venerimus, commodior erit agendi locus. Interea Eminentiam V. Divinæ tutelæ commendatam, diu ſalvam, & ſoſpitem cupimus. Dab. in Stativis noſtris ad Radziminiam.

COPIA LITERARUM REGIS SVECIÆ AD CARDINALEM RADZIEIOWSKI. Pragæ 24 Maji.

QUibus cauſis permoti cum exercitu noſtro hucusq; Varſaviam acceſſerimus, confidimus Eminentiam V. tantò minus latere poſſe, quantò pluribus antea documentis intentionem

noſtrã

noſtram expoſuimus. Jam autem nobis quanquam nihil magis in votis eſt, quàm ut maturari poſſint illa conſilia, quæ ad ſalutem noſtri, Poloniæque Regni ſtabiliendam pertinent, cùm tamen videamus hunc ſcopum non poſſe attingi, ſed inſtabile, & imperfectum opus eſſe, quamdiu à Capite Reſpub. gubernatur, quod fœdere inter nos renovando non poſſit comprehendi. Ideo deſideramus, ut convocatâ Repub. liberis ſuffragiis quantocius Rex eligatur, cum quo ſimul, atq; univerſis Regni Ordinibus priſtinam redintegrare amicitiam poſſimus, de ijs rebus tractare, unde uberrima in utrumq; Regnum commoda redundatura certi ſumus. De qua re Eminentiæ V. quamprimùm reſponſum poſtulamus, ut conſilia deinceps tempori accommodata poſſint capi. Interea Eminentiam Veſtram Divinæ gratiæ commendatam quàm proſperrimè vivere optamus. Eminentiæ Veſtræ *A.C.1702*

Benevolus Amicus *Carolus*

RESPONSUM CARDINALIS. Lovicij 26. Maji.

PRæter credentiales S. R. Mtis V. quibus inſignitus G. D. Wachslager hîc comparuit, reddidit in tractu colloquij diſtrictas S. R. Mtis literas quas ſecundiùs ſecundo omine cuperem, ut ſcilicet in tanto rerum diſcrimine, quæ initio dura, & graviora ſucceſſivè molleſcant, intellexi luculenter rationes, tam rofundi S. Regiæ Mtis V. cum copiis ingreſſûs, ſtudio & intento novum caput parti utrique acceptum ex liberis Gentis hujus ſuffragijs Regno aptandi, atq; eo fine in unum locum & animum univerſa confluat Nobilitas, indilatum ejus facti deſiderium. Ad quæ primâ ſtatim apprehenſione menti attonitæ arduum licet ſit in promptu reſponſum, ſeriò tamen & quantum ſeries conſequentiarum depoſcebat, contuli cum eodem Dño Reſidente, hinc inde rationes ſcrupuloſè librando, quidve poſſit eſſe utriq; Regno ſalutarius ac ſecurius exponendo; cùm autem hic eadem recenſere prolixum eſſet, & legenti fors tædioſum, ex ore memorati D. Reſidentis ſingula diſcurſûs noſtri puncta, & expunctiones fideliter patebunt S. R. Mtis V, cui longævos æquè ac proſperrimos vovendo ſucceſſus, humillimâ inclinor veneratione.

LICENTIA A REGE SVECIÆ DATA LEGATIS POL. AD ABEUNDUM Pragæ 22 Junij.

NON ita pridem nos Stativa Brozovlcijs habentes adierunt Illmi & Excell. ex utroq; Ordine Legati, Dñi Felix Comes in Lipie Lipski Caliſſien: Palatinus, Medien: Involoden: Rzeczycen: Stanislavien: Capitaneus. Andreas Caſimirus à Kirſzenſtein Kryſzpin Witepſcen. Palatinus, Szcznovien. Capitaneus, Stanisl. Comes in Mielſtyn Tarlo Supremus Præfectus Culinæ Regni, Caſimirus Oginski Gordovien. Capitaneus, & Caſimirus à Kirſzenſtein Kryſzpin Plungianen: Capitaneus, quos ob inclytæ Reip. Polonæ poſtulata ad nos præferentes debito honore & benevolentiâ excepimus. Datis mox Commiſſarijs qui cum illis de negotijs ad utriusq; Regni ſalutem pertinentibus agerent. Digreſſis verò illis ad rationem eorum, quæ apud nos acta

A.C. 1702 acta Reipub. ſunt, reddendam. Cur nos interea cum exercitu noſtro Varſaviam profecti cauſas ſtatim indicavimus. Quare cum ipſa Rep. potius agendum cenſuerimus, ita prædictos DD. Legatos cum bona gratia dimittere hiſce volumus, atque etiam hac laude ornare, quòd illa, quæ ipſorum fidei commiſſa fuerunt, ſummâ diligentiâ expoſuerint. Quamobrem ùt ſperamus prolixè illis conſtare de propenſo in Inclytam Rempub. animo, quamdiu culpæ Regis participem ſe non fecerit, ſic pariter confidimus illos de integerrima hac intentione eo candore relaturos, quo Remp. in perpetuo erga nos amore, ac immoto fœdera & pacta conſervandi propoſito perſiſtere ipſis nobis aſſeverârunt. De cætero Eminentiam V. cum univerſa Rep. quàm diutiſſimè ſoſpitem eſſe ac vigentem ex animo vovemus.

MANIFESTATIO DOMUS SAPIEHANÆ IN CASTRO BRANSCENSI facta die 6 Martij.

CORam DEO, urbe, Rege, Senatu, & Equeſtri Ordine Regni Poloniæ, & M. D. L. tanquam ſtatibus totius, indiviſæ Reipub. manifeſtamur, & quàm ſolenniſſimè proteſtamur. Quòd nos poſt exortas quorundam ambitioſo ſuggeſtu in M. D. L. concitatorum contra domum noſtram, de Regibus totaq; Repub. (abſit arrogantia verbis) à tot ſæculis optimè meritam, ex privato rancore & odio machinationes, nolentes per repreſſalia publicos augere tumultus. verùm potius communem Reipub. in conſideratione habentes, & intendentes tranquillitatem, omnes injurias & oppreſſiones cum omni æquanimitate, toleravimus, & quàm civiliſſimis mediis, pro poſſibilitate noſtra, cum noſtro bono infenſis egimus, verùm cum oppreſſiones, & injuriæ omnem civilem & humanum modum excedebant, præjudiciaq; præjudiciis, & violentiæ violentiis ex parte eorum contra nos accumulabantur, adeo ut in honores miniſteriorumq; noſtrorum dignitates, nobis ab Anteceſſoribus moderni Regnantis collatas, & ad hæc uſque tempora, in bonum Reipub. ſub tot tantisque aſſultibus, ac preſſuris conſervatas, imò & contra nos ipſos, vitamq; noſtram uſq; ad internecionem inſurrexerint, non alibi, malorum noſtrorum remedium & medelam, quàm ſub Regia protectione, Senatus, Primatiſq; Cardinalis tutela, Equeſtris Ordinis defenſione, ac totius indiviſæ Reipub. commiſeratione quærere voluimus, vulnera, injurias, damna, præjudicia ac oppreſſiones noſtras in ſinum communis Matris Patriæ reponentes, dolores noſtros & afflictiones providæ ejus animadverſioni commiſimus. Ex comitialibus etiam Reipub. conſilijs extrema adacti neceſſitate, propter ſtructas vitæ noſtræ inſidias ad tutiores Regni receſſus ſalutem periculis ſubducentes, totius Reipub. in his turbinibus medelam, & deciſionem votis omnibus precibusq; expetebamus. Dum verò authoritate Regia, mediatione inclyti Senatûs & Equeſtris Ordinis, ſub tempus generalium Regni Poloniæ & M. D. L. Comitiorum Varſaviæ tractatorum, tam per Legatos Terreſtres, Regni Poloniæ & M. D. L. ex ſpeciali ſuper afflictam hanc Patriam DEI miſericordia, & providentia, ac per deputationem ex mandato Regio, parteſque impetratorum, qua Senatorii, qua Equeſtris Ordinis Mediatorum, ſub præſidentia Michaëlis Radziejowski S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Regni Poloniæ, & M. D. L. interna mala, & diſſidia, quæ ab aliquot annis in hac inclyta gente ſtatus Reipub. inquietabant, civilibus, & adæquatis

tis mediis, ut eo nomine glorioſiſſimè concluſus tractatus, & pacificatio *A.C* 1702
perpetua M. D. L. abunde exprimit; ſunt ſopita, & quidquid ex orbita legum unionis M D. L. & novellæ legis coæquationis jurium M. D. L. cum Regno Poloniæ, diſſenſiones & ſimultates internæ, dimoverunt, totum ad jus antiquum & priſtinam legum obſervantiam revocatum; Regimina omnia, authoritates & poteſtates, munia, miniſteria & officia, in ſuis prærogativis, juxta antiquas, & novellam legem coæquationis jurium relicta, illorum uſus & diſpoſitio, ſine ullo impedimento relicta, bona ſi cuipiam hoc tempore internorum motuum, violenter ac tumultuosè erepta erant, ut ex nunc per officia Terreſtria & Caſtrenſia, Palatinatuum, & Diſtrictuum, in quibus bona conſiſtunt, ad requiſitionem partium, ad quas pertinent, efficaciter reſtituerentur, authoritate Reipub. injunctum & imperatum decreta omnia in Tribunali aliiſque ſubſelliis M. D. L. contra nos alioſque in eodem Ducatu injuriatos, in contumaciam civilis diſſidii lata, cum omnibus pertinentiis ac gravaminibus abrogata & caſſata: ſibi mutuo infenſæ Palatinatuum & Diſtrictuum M. D. L. perſonæ, ut invicem in perpetuum Chriſtiano pectore, virtute & obligatione, ſibi condonando, tam in criminalibus, quàm in civilibus (ſalvo tamen jure vindicandi necem Præfecti ſtabuli M. D. L.) ut omnia odia & diſſidia extinguerent, ſancitum. Cum eo verò, qui, novos inchoare, antiquos fovere & concitare auderet tumultus, quiq; privatas vindictas his de cauſis ſive apertè, ſive occultè moliri attentaret tanquam cum violatore communis tranquillitatis & authoratis legum contemptore, juri publico rebelli, ſecundùm rigorem legum ſine ullo reſpectu perſonarum, procedere declaratum, jura & prætenſiones privatæ mutuò intervenientes, ut in Tribunali M. D. L. dijudicarentur, judiciaq; & deciſiones in eis acceptarentur, roboratum.

Propter meliorem verò & diuturniorem partium ad invicem ſecuritatem, authoritas Regis, Primatis Cardinalis, Senatus utriuſq; gentis, & Ducum Exercituum Poloniæ poteſtas in guarrantiam, ſeu mediationem nominati pacificationis tractatûs interpoſita, & ut ſine ulla contradictione facta hæc M. D. L. complanatio in volumen legum, ſi comitia concluſa fuerint, in caſum verò rumpendorum comitiorum, ut in acta metricæ Regni propter perennem valorem inſereretur, & publicaretur, providè cautum, utq; Varſaviam tanquam ad publicum conſiliorũ locum veniremus; eadem authoritas & protectio totius indiviſæ Reip. nos vocavit, aſſecuravitq; & perſuaſit, id, quod tractabitur, interpoſitâ publicâ fide, fore firmum, ſtabile & inviolabile; venimus Varſaviam & conformando nos concluſioni tractatûs & pacificationi in omnibus, modò ſit bene Patriæ, offenſas noſtras, quaſcunq; ex occaſione injuriarum & oppreſſionum illatarum adverſus quempiam habuimus, Chriſtiano pectore, animo, & obligatione, tam in civilibus, quàm in criminalibus donavimus, & penitus extinximus, ſalvo ſolummodo jure vindicandi necem præfecti ſtabuli M. D. L. ut ſupra nominatum, in omnibus cavendo, & allaborando, ne Reſpubl. ulteriorum tumultuum incommoda pateretur, & ad ultimam (quod Superi avertant) ruinam perveniret; in omnibus hanc pacificationẽ & complanationẽ acceptavimus, illique nomina noſtra, propter firmiorem, melioremve certitudinem, ſubſcripſimus. Dum verò efficacem hujus tractatûs executionem, & effectum, invicem à parte adverſa expectamus, ut illi in omnibus punctis fiat ſatisfactio, poteſtas, dignitates, munia, miniſteria, & officia reſtituantur, bona noſtra hæreditaria & œconomiæ, officia Terreſtria & Ca-

A. C. 1702 & Caſtrenſia, Palatinatuum, & Diſtrictuum M. D. L. juxta obloquentiam perpetuæ pacificationis, nobis, aliisq; injuriatis in poſſeſſionem reddantur, ut in omnibus pacificationis tractatui ſatisfiat; ſpem, & expectationem noſtram luſam eſſe, accepta probavit notitia affirmans, in aliquorum Diſtrictuum actis, contra hanc pacificationem, authoritate Regis, & totius Reipub. roboratam, proteſtationes, à quibuſdam, interitum M. D. L. intendentibus, eſſe factas. Unde, univerſalia Regis, Palatinatibus & Diſtrictibus M. D. L. hanc pacificationem denunciantia, in actis publicari, non permiſſa, ad valuas Eccleſiarum per Diœceſes & Parochias M. D. L. affixa, abripiebantur & ſupprimebantur, & ne Palatinatibus & Diſtrictibus M. D. L. innoteſcerent, omnibus modis impediebantur, & hactenus impediuntur, Officia Terreſtria & Caſtrenſia, metu durantis hactenus in malè cœptis obſtinationis, perterrita, authoritati & deciſioni totius Reipub. ſatisfacere renuunt, nec Exercitum M. D. L. poteſtati Ducali majoris clavæ tradere volunt, verùm pro libitu privato, ultra conſenſum totius Reipub. ſupra eum ſibi uſurpant poteſtatem; dumq; Equeſtris Ordo M. D. L. tempeſtivè hanc pacificationem acceptare vellet, id facere, per quoſdam Colonellos non permiſſus, à quibus hac occaſione bona Nobilium invaſionibus, contributionibus, & ſub prætextu contributionum rapinis funditus ſunt vaſtata, idem factum Regalibus, Spiritualibus & Terreſtribus bonis, violentâ manu expilatis. Non ceſſant hactenus iidem adverſarii totum M. D. L. opprimere, ad ulteriores ſtatuum Reipub. colliſiones & tumultus viam ſternentes. Jam poſt factam & vulgatam hanc M. D. L. pacificationem, bona, Rozana dicta, prius contributionibus, conſiſtentiis, rapinisque vaſtata, tandem per eos incinerata; iidem in Ruſſia, in Bychovienſem comitatum aliaq; hæreditaria bona igne & ferro hoſtiliter ſæviunt, vocatis in ſubſidium 25000 Moſchorum fortalitium Bychovienſe expugnare nituntur, arma Reipub. non contra hoſtem, ſed in civile excidium vertunt. Alia complura bona ſuper quæ ante unionem, ſummas lege publica domus noſtra habet aſſecuratas, hactenus tenentes vaſtant, ultimiſque ruinis Rempublicam, & domum noſtram ſepeliunt. De tanta igitur eluſione, & convulſione authoritatis Regiæ, inclyti Senatûs, Equeſtris Ordinis, totiuſq; indiviſæ Reipub. & de violatione concluſæ, DEI miſeratione & providentiâ, tam laudabilis pacificationis, conſequenter de enormi præjudicio, oppreſſione, & aggravatione noſtra, manifeſtamus nos quàm ſolenniſſimè contra vaſtantes domum noſtram privato auſu, & authoritatem Reipub. poſtponentes; cum ea declaratione, quòd, ſicut ſemel, quidquid authoritate Regis, mediatione Senatûs, Equeſtris Ordinis, & totius indiviſæ Reipub. ſub tempus generalium, ſex ſeptimanarum, comitiorum Varſavienſium, per Legatorum Terreſtrium utriuſq; gentis, interpoſitionem concluſum eſt, plenè ſuſcepimus, & ad ſatisfactionem in toto, nos ſubmiſimus, ita, in quantum, per non ceſſantes hactenus oppreſſiones, violentias, rapinas, depopulationes bonorum noſtrornm, per violationem jurium & libertatis, ſtructas demum vitæ noſtræ inſidias, laſſata patientia noſtra, inviti planeq; impulſi hiſce violentiis, & adacti, aliqua defenſionis noſtræ arripere neceſſitabimur media, manifeſtamus nos, & proteſtamur, ſolenniſſimè coram DEO, cœlo, Rege, inclyto Senatu; omnibuſq; Statibus totius indiviſæ Reipub. nos non fore eorum cauſam, ſi quæ in aliquali defenſione libertatis & noſtri ipſorum intervenerint. Charam tamen Patriam præcavemus, quod quocunq; tandem Divina nos voluerit ordinare providentia,

dentia, libertates, jura Reipub. conſervare, & tueri adnitemur, pro eorumq; integritate, ſangvinem, vitam, fortunas noſtras Patriæ conſecramus. Huicq; manifeſtationi manu propriâ nomina noſtra ſubſcribimus. *A.C. 1702*

Caſimirus Sapieha Palatinus Vilnenſis, Magnus Dux Exercituum M.D.L.
Benedictus Sapieha, Theſaurarius M. D. L.
Michaël Sapieha Notarius Campeſtris M. D. L.
Alexander Sapieha Mareſchalcus M. D. L.
Georgius Sapieha, Dapifer M. D. L.

(L.S.)

XXVII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINCEPS VARM. & SAMB. THOMÆ DZIAŁYNSKI PALATINO CULMENSI.

24. Junij.

CUM jam ultimæ Varſaviâ literæ prævifam quidem, ſed fato Reipub. non averſam adferunt nobis infelicitatem, deferendo, quòd jam ſecuris ad radicem poſita, quòdq; pons unus ſub Wyskovia extructus, alter ſub Pultovia dejectus, quodq; ulterius Rex Sueciæ progrediatur, quem non terreant ſecutura? non licet & per conſcientiam, & per amorem communis Patriæ dormire, imò convenit omni conatu prævenire pericula, ne ab illis præveniamur. Sed quid agendum? quid incipiendum? ego in tenui meo intellectu efficacia non invenio media. Ad primam notitiam à Legatis ad Regem Sueciæ miſſis, quòd modica ſpes vel nulla eſſet publicæ tranquillitatis, viſum eſt mihi renuntiando hæc exquirere ſenſus multorum, quibus cura incumbit hujus; expetij conſilium, ſed non ſum inventus dignus, ut mihi reſponderetur. Etiamſi proinde iteratò promptum meum offerrem animum in commune obſequium, certè eandem vereor & timeo ſortem. Ad te tamen in eo puncto recurro, fraternum & confidentialem exquirens ſenſum; ſi verò, uti ex præmiſſis conjectura ſumi debet, habebis in promptu ea conſilia, quæ etiam ſine me Provinciæ ſalutaria, & in omnem caſum ſecura ſunt, facias me certiorem, ut etiam ego, dum in communi conſulere non licet, privatæ Epiſcopatûs mei provideam defenſioni. Sufficit, quòd me offeram, tanquam ille bos, ſive ad aram, ſive ad aratrum, paratus & immolari pro publico obſequio, promptus & privatim ad aras coram Divina humiliari Majeſtate, & de meis ovibus ſeparatim cogitare. Docete ergo me viam mandatorum veſtrorū, aggredior propter privata mea negotia verſus Gedanum iter, ſi te 29. currentis Mariæburgi invenirem, quod etiam Epiſcopo noſtro Culmenſi propono, illuc deflecterem & pro eo termino ſcriberem libens ad alios, quia in ſimilibus occaſionibus opportunè, importunè urgendum eſt. Sed neſciens odióne an gratiâ ſim dignus, ſatius credo te precari, ut velis hos ad communem conferentiam invitare, à quorum conſiliis ſalus publica dependere debet. Quod iterum, iterumq; amore Patriæ teſtando &c. *Inquirit conſilium*

COPIA UNIVERSALIS EPISCOPI VARMIEN. TERRARŪ Pruſſiæ Præſidis ad Palatinatus Pruſſiæ 29 Maji Mariæb.

POſt tit. Quamvis hactenus ab hac activitate obſequij Provinciæ Pruſſiæ nos Epiſcopi arcemur, ad quod ſicuti conſtat clarè ex Traditionibus Prædeceſſores noſtri invitabantur, nihilominus non licet nobis promptitudinem noſtram deferere, ubi circumſtantia tempo-

*A.C.*1702 ris publica exigit conſilia ubi occaſio bene merendi de hac inclyta Provincia campum aperit, & invitat. Cum proinde fortuna potiùs, quàm caſu cum Epiſcopo Culmenſi, & multis aliis Senatoribus & Conſiliariis Provinciæ hujus in hoc loco comparuerimus, & acceptâ in reflexionem debitam ſtupendâ vertentium temporum Patriæ noſtræ vice, non licuit ex obligatione & amore in communem matrem, quando nulla ſpes Comitiorum noſtrorum Generalium, usq; dum affulget, inſimul conſulere, & ex communi conſenſu concludere, quomodo præſentibus mederi, futuris, & proximis cavere debeamus periculis. Cùm autem omnis nociva eſt mora, quando malum adauget hora, inſiſtendo laudo anni 1699 quod ſede utraq; Epiſcopali vacante concluſum erat, compulſus à prædictis Senatoribus & Conſiliariis ſum, & quia jam antecedenter publico nomine Palatinatûs Culmenſis ad comunem defenſionem compellati ſumus Epiſcopi in fundamento laudi hujus ex officio Præſidentiali Palatinatibus Culmen. Mariæburgenſi & Pomeraniæ denuntiarem, ut per alienos caſus prudenter providere Provinciæ, & rebus aptare poſſimus conſilia. Morem proinde gero neceſſitati ingruenti, deſideriisq; tantorum nominum, & non præjudicando quidquam juribus inclytæ hujus Provinciæ, per amorem Matris hujus, cui vitam, fortunas, & quidquid demum carum eſſe poteſt, debemus, obteſtor ut pro 13 Junij Mariæburgum pro generali conſilio conveniatis, & quod quisq; faceret, ſi ædes ejus arderent hoc in publico & vicino incendio facere non recuſetis. In hoc verò generali conſilio dum pro Cynoſura, ſcopo, & polo unicè habebimus, ſalutem publicam ſecuritatemq; Provinciæ, omnia bona, quæcunq; è re & in rem Provinciæ videbuntur cum auxilio Domini Exercituum, & mutua unione in defenſionem noſtram conſtituemus. Ut ergo ſine mora pro termino & loco nominato compareatis, precor, ne tardiora ſint remedia, quàm mala; dum tempus habemus, operemur bonum; quod ut ſecuriùs innoteſcat, ad omnia Palatinatuum caſtra mitto. &c.

NICOLAO SVIECICKI EPISCOPO POSNANIENSI
Mariæburgô 29 Maji.

QUàm ſit miſerandus Reipub. noſtræ ſtatus, ſentimus omnes, & utinam amplius non ſentiamus! & proinde infelicitates noſtras non numero, potiùs confidenter ad te recurro, deferoq;, quòd comparens hic cum multis Senatoribus, & harum Pruſſiæ Terrarum Conſiliariis compellatus ſum ab illis, ut pro officio meo Præſidentiali, cùm nulla ſpes Comitiorum affulgeat, convocarem omnes ex nobilitate, & pro more ex Majoribus Civitatibus ad conſilium 13 Junij hîc indictum. Quia verò libenter illud cum communi aliorum Palatinatuũ ſenſu jungere vellemus, ſciens pro certo manere te nunc Poſnaniæ, cũ omni fiducia ad te, cui amor & zelus publici boni ineſt, recurro, ut me velis informare, quæ ſint meditationes, quæ diſpoſitiones illis Palatinatibus, à quibus plerumq; alij regulam ſumere ſolent, ut rebus conſilia aptando, eò melius accommodando ſenſus noſtros ad vota veſtra, & nos hic præſentibus mederi, futuris poſſimus cavere periculis. Facies rem gratam huic Provinciæ, publico bono perutilem, quando ſenſu tuo, & aliorum Majoris Poloniæ Civiũ futura noſtra illuminabis conſilia. Si verò ex limitatione Comitiola ibi erunt, vellem informari de tempore, ut pro communicandis conſiliis ibi per Ablegatos compare-

re

re poſſimus: Spem firmam in Deo habeo, quòd non permittet adhuc A. C. 1702 propter tot bonas animas perditionem noſtram; & modò confidenter ſenſus & manus vicini ſaltem Palatinatus jungant non deerunt media cum auxilio Divino ſalvandæ Reip. Expectando proinde hanc, quam iterum, iterumq́ expecto gratiam, maneo cum indebili charactere. &c.

MAGISTRATIBUS CIVITATUM. Mariæburgi 29 Maji.

QUàm ſit miſerandus præſens Reip. noſtræ Status magis omnibus patet, quàm ut verbis explicari queat, & nota loquerer ſcientibus, ſi eum pluribus deſcribere vellem. Stupendam hanc vertentium temporum Reip. vicem fortunâ potiùs, quàm caſu cum multis Excell. RR. Senatoribus, & Illmis Provinciæ hujus Conſiliariis Mariæburgi inventis, non tam conſiderantibus, quàm deflentibus propiores fuimus. Cùm verò & præſentibus mederi, & futuris interſit cavere periculis, & nulla interim ſpes comitiorum ſolitorum & Generalis congreſſûs affulgeat, viſum eſt omni malum adaugente horâ inſiſtendo laudo anni 1699. 29 Maji ſede utraque Epiſcopali tunc vacante concluſo compellare me, ut in fundamento ejuſdem laudi ex officio Præſidentiali Culmenſem, Mariæb. & Pomeraniæ Palatinatus pro die 13 Junij ad Generale invitarem conſilium Mariæburgum, ut eo die & loco per alienos caſus prudenter Provinciæ providendo, conſilia rebus aptemus. Morem proinde gerens neceſſitati ingruenti deſideriisque prædictorum Excell. RR. & Illmorum non præjudicando juribus Provinciæ id jam executus ſum. Cùm verò & inſtituta Majorum, & tenor hujus nominati laudi vocandas quoq́ majores civitates jubeat, uti libens Prænobiles ac Spect. DD. Veſtras pro hoc deſtinato tempore invito; ſic minimè ambigo illud, quod quiſq́ ſi ædes ejus conflagrarent, pro ſe faceret, id in publico & vicino hoc totius Regni incendio, facere non recuſabunt, ut omnes dum tempus habemus, operemur bonum. Quod dum iterum, iterumq́ nomine publico à Præn. & Spect. DD. Veſtris requiro, particularem meum, nec unquam immutandum in nobiliſſimam Veſtram Civitatem conteſtor & profiteor affectum.

CONCLUSIO CONSILII MARIÆBURGI HABITI. 17 Junij

NOS Dignitarij, Officiales, totusq́ Equeſtris Ordo Terrarum Pruſſiæ Univerſalibus literis Celſiſſimi Principis Andreæ Załuski Epiſcopi Varmien. & Samb. Præſidentis noſtri ex conſilio & compellatione noſtra ſub 29 Maji expediti, congregati. Videndo, quòd Patria noſtra ex cardinibus jurium & libertatum commota, & ad caſum vix eluctabilem ſub mole malorum inclinata jam fatiſcit, cum evidenti aureæ libertatis periculo, cum fatis luctatur, non obliviſcimur ea, quæ in cordibus noſtris innatus in libertatem zelus, in Patriam amor, ſolita & inſita Polonæ Genti penes integritatem R. Majeſtatis feliciter Regnantis fides, & naturalis in defenſionem Provinciæ hujus inclinatio & debitum; excitat obligationes noſtras, dum pro præſenti conſilio comparentes, & præſentiſſima, quæ jam ſunt proxima pericula, conſiderantes, ne nos eò magis involverent, quò minus paratos invenirent, quandoquidem comitiola, quæ ad omnes Palatinatus ſunt expe-

A. C. 1702 dita, nos habere non poſſumus, talia arripimus remedia, rogamus & obſtringimus Principem Epiſcopum Varmienſem, ut urgentiſſimè Regi ſupplicet pro expeditione Univerſalium literarum pro commotione Reip. ad tuitionem limitum Provinciæ, & deſtinationem Generalium Terrarum Pruſſiæ Comitiorum juxta cadentiam hic Mariæburgi in decurſu trium ſeptimanarum. Pro quibus ſi expeditio non fuerit expedita, vel fato aliquo Comitia non finirentur, tunc vigore laudi ſecuritatis anni 1699 nolendo videre Provinciam in tam gravibus periculis ſine conſilio, & defenſione determinamus nobis congreſſum generalẽ hic Mariæburgi 10 Julij, pro quo uti omnes hic præſentes amore boni publici conveniemus, ita omnes Fratres domi manentes, ſicut etiam majores Civitates, quas Princeps Varmien. particularibus invitabit literis, ad mutuum hoc expectamus conſilium non aliam ejus metam interponendo niſi tuitionem Mtis, libertatis, & internæ hujus Provinciæ ſecuritatis, & quoniam in præſentibus tam periculoſis conjuncturis unio animorum, activitas & uſus prærogativarum DD. Senatorum ſuper omnia eſt neceſſaria, præcipuè cum Dñi Epiſcopi amore publici boni & Provinciæ ſubſidia declarant, tunc petimus dictos Dños Epiſcopos & Palatinum Culmenſem, ut pro præfixo conſilij termino veniant, & prævio juramento communi, ope & operâ Provinciæ adeſſe velint. Petimus etiam Dños Ductores Diſtrictuum, ut per univerſales literas ſuas omnes fratres in periculis præſentibus & imminentibus admoneant ad omnia præparamenta conſcendendi equos, & movendi ſe illam in partem, quo neceſſitas publica feret, animare non negligant. Quod ut melius omnibus pateat. &c.

XXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. MAGISTRATIBUS CIVITATUM Mariæburgi die 17 Junij.

IN nuperno conſilij Provincialis Mariæburgi incepti termino eò magis Prænobiles ac Spectabiles Dominationes Veſtræ meæ nomine publico delatæ interpellationi reſponſuras, & è gremio ſui Ablegatos ſubmiſſuras, ſperabam; quò majorum eorundem in publicum bonum Patriæ & hujus inclytæ Provinciæ ſtudiorum, vel ipſe conſcius ſum, legum obſervantia tum viget, dum ipſæ leges, ſed ubi præſentia Reip. pericula expoſcunt, etiam ea remedia capeſſenda, quæ pacatis aliàs temporibus minus valerent. Quòd aliud medium Provincia eo tempore, dum quibuſvis Palatinatibus & Terris Regni Poloniæ Comitiola & Conventus ex Cancellaria Regni extradita, & ſoli Pruſſiæ ſubtracta ſunt, opportunius arripere potuit, quàm dum præſto Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum harum terrarum Senatorum & Dignitariorum conſilio, calamo Præſidentiali Generale conſilium indixit, quò minùs reſpiciendo mala, quæ totam Remp. involvendo, vix nobis eluctabilia cenſentur, pro Mte, libertate, & ſecuritate harum Terrarum conſilia conferret. Multum obfuit abſentia Prænobilum, ac Spectabilium Dominationũ Veſtrarum, quatenus finem ſuum debitum aſſequeretur congreſſus ille Provincialis. Alio tempore Sanctimonia ſancitorum ſervari & obſervari deberet, non eo, dum piæ leges præſentiſſimo unà cum libertate expoſitæ ſunt periculo. Pluribus non diſtraho cùm ea omnia, quæ noviſſimè Mariæburgi interceſſerunt Prænobilibus ac Spectabilibus Dominationibus Veſtris prolixius enarraturus ſit D. Secretarius.

us. Quod unum & ſolum ſalvandarum rerum noſtrarum ſuperfuit, concluſum, ut pro expeditione ad conventum Generalem harum terrarum S. R. Mtem D. N. Clementiſſimum nomine publico interpellarem, quæ ſi non venerit, Status & Ordines Pruſſiæ pro die 10 Junij iterum Mariæburgum pro ineundo in moderno, ſat ſuperq; periculoſo rerum modernarum ſtatu, conſilio convocarem. Satisfacio publico voto, & Prænobilibus ac Spectabilibus Dominationibus Veſtris tam de præterito conſilio rationem, quàm de futuro notitiam reddo, urgentiſſimè inſtando, quatenus Prænobiles ac Spectabiles Dominationes Vræ ſe bono publico, & ſibi ſubtrahere nolint, ac pro futuro Generalis conſilij termino, ſive expeditio ex Cancellaria Regni pro Conventu Generali venerit, ſive eâ expeditâ fato aliquo idem Conventus Generalis non ſit ſubſtiturus, per Ablegatos ſuos compareant: nihil ſe prorſus Ordinariis conſvetudinibus derogaturas ratæ, ubi cum fatis luctanti Patriæ, ac in caſum præſentiſſimum inclinatæ Provinciæ Terrarum Pruſſiæ conſilio & auxilio præſtò fuerint, utrumq; viciſſim à reliquis ſtatibus harum Terrarum in caſu prægnantis neceſſitatis experturæ. Hoc dum à Prænobilibus ac Spectabilibus Dominationibus Veſtris eo, quo poſſum vigore & favore deſidero, pariter amica ſtudia mea ejſdem ex animo defero & maneo. *A.C. 1702*

FRANCISCO PIGNIATELLI EPISCOPO TARENTINO, NUNTIO APOSTOLICO Mariæburgi 18 Junij.

HOdie primum accepi honorem benigniſſimarum literarum Excell. Vræ Cracoviæ 31 Maji exaratarum, in quibus conſtantem ſuum teſtari affectum benevolè mihi dignatur. Certa ſit Excellentia Vra antiquis meis iiſque perennibus obligationibus hanc novam acceſſiſſe, & deſiderium meum, quo ſemper feror, eò magis augeri creſcereque ad demerendam ulteriorem gratiam, ad ſerviendumq;, ſi id liceret, & occaſio ab ipſamet Excell. Vra benignè & confidenter daretur. Literas Sereniſſimi Regis Domini mei, de quibus mentionem Excell. Vra in ſuis facere dignatur, non vidi, non licuit mihi eſſe tam beatum. Venirem nihilominus, & neceſſitate tantâ miſerandi Reip. ſtatûs compulſus, & mandatô Excell. Vræ excitatus, ſi expediret deſerere gregem, quem nunc vel maximè, neſciens à qua parte venire poſſit malum, cuſtodire obligor. Accedit, quòd Cracoviæ modicus mei uſus, hic major pro meliori Mtis ſuæ ſervitio. Non ſegniter nihilominus, non obſtantibus quibusvis in contrarium rationibus accurram, poſt 10 Junij Comitijs Pruthenicis deſtinatam, à quibus pro officio meo nullatenus abſens eſſe poſſum, ſi venerit Regium mandatum, cui ſervire & obedire honoris imò debiti mei duco. De continuis in Diœceſi mea ad DEUM precibus non dubitet Excell. Vra, ſicut de ſincera ad quævis mandata ejuſdem mea voluntate, & quòd cum debita veneratione ſim perpetuo cultu. *Cur non poſſit ire Cracoviam*

COPIA LITERARUM AD ELECTOREM BRANDEBURGICũ CARDINALIS PRIMATIS REGNI Lovicij 29 Maji.

QUod jam volitans per orbem fama ſparſit, ſeu proſpera, ſeu adverſa partium in Livonia, tædioſus forem, ſi quæ diſtinctius Serenitati Vræ Electorali patent, repeterem. Bellum ne hoc, an levius in vicinia diſſidium appellem, quidquid ſit, ſollicitudinem Paternam, curam, ac vigilantiam meam provocat, ne quid ex inopinato ad- *Petit ne tranſitum det Suecis per Pomeraniam*

*A.C.*1702 verſi Reip. eveniat & hinc fidæ & amicæ compellationis meæ occaſio, non vanus rumor Suecos per Pomeraniam hoſtilia arma Majoris Poloniæ meditari, id metuere ſtante valido Serenitatis Vræ Electoralis robore & quod validius ſtante fœdere, ac tot conſtantis in Remp. amicitiæ documentis, idem eſſet, quod de ejuſdem affectu dubitare. Si tamen vel vi, vel tractatu aliquo ille à Suecis tranſitus tentaretur, id ſuam Serenitatem Electoralem non modò impedituram, imò opportunè Remp. præmonituram, nullus dubito, ſecus, ſi quæ auxiliares copiæ in ſubſidium Reipub. vocatæ, tranſitum per ditiones Serenitatis Vræ Electoralis expeterent, mutuo pactorum fœdere, non denegaturam, & in hoc omnem viciniæ illic ſecuritatem locans Serenitatem Vram obnixè rogo, ut candoris ſui in Rempub. continuata documenta orbi miranda producat. Cujus benevolentiæ me ipſum comendans, maneo in cultu ac veneratione.

Serenitatis Electoralis
Affectus & Obſequentiſſimus Servitor.

BENEDICTO SAPIEHA THESAURARIO LITVANIÆ A CARD. PRIMATE 31 Maji.

Dethronizationē diſſuadet

EX literis tuis intelligo te Varſaviam veniſſe, de adventu tuo gaudeo, de conſortio Suetico affligor. Spes quam de adventu meo Varſaviam concepiſti, falli poſſet, niſi tractatus reconciliationis mihi foret incitamento, quanquam & hunc effectu ſuo cariturum prævideo, audiens fremitum in omnibus pene Palatinatibus obortum propter appropinquantem Regem Sueciæ.

Gaudebam aurâ populi defendendo pro virili bellum, & illius principium negando, ſed nunc hæc cythara in luctum verſa, dum limitibus Litvaniæ, jam egreſſi in Polonia hoſpitantur Sueci, & qui antea compatiebantur vobis, nunc exclamant; Contra me prius hoſanna, nunc auditur crucifige, tanquam ego Suecos vobiſcum in Poloniam induxiſſem, à quo ſemper abhorrui, uti id tempeſtivè vobis denuntiavi, & dehortabar, ut has intentiones deponeretis ex quibus non alius expectari poteſt triumphus, niſi vaſtitas & deſolatio Reipub. veſtri ultima ruina, & triſtis nominum veſtrorum memoria. Nonne recordaris dum nobiſcum te ſeparabas, quòd omnes cum Caſtellano p. m. Cracovienſi & Generali Majoris Poloniæ per omnia ſacra à vobis petiimus, ne ad Suecos tranſiretis, qui nihil magis deſiderabant, quàm aliquem ex vobis penes ſe habere; Certè in hanc horam non auſus fuiſſet Rex Sueciæ limites Regni tranſire, ſi ita feciſſetis, uti conſuluimus. Dethroniſatio eſt res impracticabilis, nec ullum inveniri poteſt conſilium, ut Nobilitas in illam conſentiat; Prævideo quod & cogi non poterit, præcipuè ſi deſperatio acceſſerit, ſuperior erit repellendo, & inde ex utroq; perditio veſtra. Opto proinde & per omnia ſacra precor, ut reaſſumptionem Tractatus cum Rege Sueciæ ſuadeatis, hic verò non poteſt incipi, niſi ſublato Dethroniſationis Siſthemate, quo ſublato firmam in DEo ſpem habeo, quod cuncta è voto Reip. cedent. In maturam proinde accipe id, quod peto, reflexionem. Dum Tractatus fiet, & Regnum, & M. D. Lit. de pleno pacificari debent, ac proinde & Perſonarum Veſtrarum, & fortunarum ſecuritati providebitur; Executio autem horum certior & celerior erit, quàm à Comitiis facta con-

Staniſl. Jablonowski. Raphaël Leſczynski

concordia; Hæc pro affectu & metu peſſimarum in publicum conſequentiarum &c. A.C 1702

XXIX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. & SAMB. AMICO CONFIDENTI 2dâ Junij.

NON doleo, quòd dederim occaſionem dulci tuo calamo, quia vix tetigi fontem ſapientiæ, & ecce haurio vivas aquas omnis veritatis, quæ in his circumſtantiis miſeræ Patriæ pro refrigerio mihi ſunt. Agnoſco cum aliis imò præ aliis, quòd ruinæ noſtræ factores ſumus; ambulavimus per abrupta & obliqua, & proinde nunc tanquam errantes oves quibus in terris ſimus, ipſi ignoramus. Et ſupremus Paſtor à nobis in oblivione relictus, fortè mutuæ oblivionis vicem reddit. Clamandum tamen voce magnâ & cælum ſuſpirijs & gemitibus pulſandum: Solve vincla reis, profer lumen cæcis.

Varſaviâ mihi ſcribitur, quòd D. Wachtſchlager iterum adivit Primatem nomine Regis Sueciæ invitando Varſaviam, neſcitur an veniet; Rex Sueciæ verſùs Cracoviam cogitat perſiſtens ſemper in cogitatione dethroniſationis. Interim confluxus quotidianus exercitûs, & in dies augetur, victualia providentur, ſed non ſine gravi Suetica executione. Protectio Primatialis nihil juvat; dicunt enim Sueci vento exercitum vivere non poſſe, cur vocâſtis nos in defenſionem libertatũ veſtrarum? Judicibus Caſtren. Varſavien. indictum eſt, ut ſub nomine Regis Sueciæ judicia abſolvant, aliàs in locum eorum alia ſubjecta ſubſtituenda; quamvis Aloyſius Łoski Pocillator Zakrocimenſis Subjudex Caſtrenſis Varſavienſis, generoſiſſimè reſponderit, nullũ ex Polonis auſurum locum ſuum ſumere; externos verò ſtatutum Regni non intelligere. Theſaurarius Litvaniæ vult bene, ut ſcribitur, ſed nõ valet, omnes dicunt, quòd, dum Artilleria venerit, ſtatim verſùs Cracoviam movebunt. Aula noſtra ſine viribus, aſſiſtentiæ curta ſupellex, Cracoviâ omnes fugiunt. Interim literæ Cracoviâ à Rege noſtro ad Senatores veniunt, quorum tibi copiam adnecto.

COPIA LITERARUM REGIS POLONIÆ AD SENATORES Cracoviâ 30 Maji.

IN oculis totius mundi, & apud exteras Nationes in admiratione effuſa ferocia Suecorum contra nos, quòd ſcilicet in dies profundiùs procedendo omnium Provinciarum poſſeſſionem recipit; & jam noviſſimè in Regia noſtra reſidentia dominatur, quaſi hæc inclyta Patria ſuis ſervata triumphis, imperioque foret, ſub pallio & veſte ſimulati amici, & hoſpitis nunquam invitati à tota Repub. libero pede procedit, & virulentiæ ſuæ potentiam ſub ſuavis veneni ſpecie trahit ad ſe Regnum, quòd à Majoribus noſtris, ſine aliena dependentia proprijs regebatur, & florebat legibus, & ſub unum ſceptrum tot ingentes congregabat Provincias. Et nunc tutelam, neſcimus qualem, vel curatelam ſibi uſurpant, utque ſtatum evertant, libertatis ſpeciem præſeferunt, quem ſi perverterint, libertatem ipſam aggredientur, pernicioſâ deſtinante & apparenti ea ſuperveſtiente prætextu. Afferit ſe exacerbatum eſſe ab exercitu Litvaniæ, & ad ulteriores progreſſus neceſſitatum, ſed facilè ex fructibus ejus cognoſcitur, quia non tantùm primo armorum impetu poſſedit Curlandiam, Semigalliam, & Diſtrictum Piltinenſem,

ſine

A.C. 1702 ſine ulla data cauſa ultro quærendo occaſiones per manuductionem adhærentium ſuorum in viſcera Litvaniæ intravit, cui quod eo tempore tanquam invaſori, & fortiter graſſanti, cum aggravatione bonorum noſtrorum Regalium, Spiritualium, & Nobilitarium aliqua pars Exercitûs Litvanici reſtitit, & arma naturalis defenſionis oppoſuit, queritur, quaſi innocentem Patriæ cervicem ad lethalem ictum inclinare debuiſſet; unde inſolitâ inter Reges praxi, & indiſcreto ſtylo, cum atrociſſimis in publicum prodit injurijs, ut nos eo modo ab amore civium ſeparet. Expeditionem Fictomij noſtri cum civiliſſima conteſtatione ad emolliendum ferocitatis, ut abundè præſenti Senatui Varſaviæ deduximus, ſiniſtrè interpretantur, & novum contra nos eruunt commentum. Sed agnoſcet veritatem claram perſpicax aquilæ Polonæ pupilla, agnoſcet non depravatus guſtus ſub melle venenum, quia nec hoc in mente & cogitatione noſtrâ unquam fuit, ut antiquâ libertate inclytam hanc gentem privare vellemus, quæ nos liberis vocibus, & concordiâ ſenſuum in hoc ſtabiliverunt throno, & penes integritatem noſtram per legem publicam pacificationis Comitiorum firmiter agere ſe obligarunt; ſicuti ad primum Nuntium inauditæ hujus dethroniſationis per externam poteſtatem generoſa pectora in præteritis Comitiolis laudabilem ſenſum monſtrarunt, ſangvinem proprium effundere, fortunas & vitas proprias impendere declararunt. Quomodo id cor noſtrum non ſentiat, quomodo tam ferventia in nos ſtudia Nobilitati non recompenſemus, & gratos nos exhibeamus, quinimò ſi aliquid ex orbita jurium Patriorum exiit, ſi in aliquo antiquæ libertates augeri poſſunt, prompti & parati ſumus alacriter, & grato id facere corde certi, quòd Status Reip. agnoſcent id, quòd in libera Repub. cives Regi debent, cujus Majeſtas fulciri ſolet amore, veneratione & obſequio in omnes partes inimicas nobilia opponendo pectora. Proprio ille palleat pudore, aut potiùs ſangvine rubeat, qui nobis libertates adimit, & per tam graves calumnias coram DEO, & mundo inſupportabilem facit injuriam. Accipiet Sueticas intentiones & attentata in examen Reſpub. & quivis, quicunque ea bene conſideraverit, inveniet unicum in illis exitium, omnium civium ſub nomine legum, dum per domeſticas factiones crudelium in Matrem filiorum proditio & Suetica hoſtilitas altiùs ad intima penetrat. Monſtrat ſe arroganter Rex Sueciæ aſſertorem libertatis, & cardines liberæ electionis, & ſacroſanctè cuſtoditas leges à fundamentis commovet, & evertit, dum non tantùm Ratisbonæ in Comitiis Germanicis per Legatum ſuum declaravit, quòd intret in Poloniam à magna parte Procerum requiſitus, ut novum conſtituat Regem, ſed & recenter nunc Viennæ per ſuum quoque Ablegatum duos Imperatori propoſuit candidatos, Principem ſcilicet Jacobum, & Principem Carolum Neoburgum, ut unum ex his Imperator eligeret, & illi infimul junctis viribus aſſiſteret. Tantum facinus quæ diluet ætas? Gloriatur jactabundè, quòd venit ad liberandam liberam gentem à gravi noſtra dominatione, & nos teſte cœlo & terrâ nemini vel minimam feciſſe nos agnoſcimus injuriam. Mundam in hoc puncto habentes conſcientiam, & ſi ad recuperanda avulſa & propagandos Patriæ hujus fines ex nexu juramenti noſtri prætendebamus, utique dum id Reipub. non videbatur, non tantùm bellum, ſed & omnia bello parata abjecimus, honorem noſtrum, expenſas, damna, beneplacito publico ſacrificantes è converſo ſub innumerabilibus Sueticis aggravationibus patitur Status noſter Regius ſpiritualis & ſæcularis. Gemunt pauperes & oppreſſi, & quod

quod contumelioſiùs, liberis gentibus ad arma natis indicuntur tributa, quæ jubere conſueverunt. Convertit in hoc tota Patria oculos, gemit juſtitia ſine vindicta, levant manus iam ſub jugum coactæ Provinciæ, aliæ in limite fatorum ultimam expectant ruinam, dum pro libitu hoſtis leges imponit, & cuncta obſervantur. Cecidit ſpes expeditæ Legationis à Statibus Reip. quæ poſt longas colliſiones, cum ſumma indignitate Reipub. tandem à Miniſtro Sueciæ ad majorem contemptum reſponſum accepit, quòd Regi Sueciæ per pompam Legationis, & has ambages negotia non videantur pertractanda, cùm eouſque cum exercitu proceſſerit. *A.C.* 1702

Horret animus cogitare, calamus ſcribere ea, quæ ſequuntur, quando univerſales literæ parantur ad Palatinatus, quaſi alienis juſtis obnoxia Reſpub. audire debeat externi Principis juſſa, & tentationes ad flagitioſam perfidiam, & mandato ejus comparere debeat ad parendum, quæ omnia non alio fine tam luculenter deferimus vobis, quàm ut ſcilicet quivis plenam præmiſſorum habeat notitiam, & concivibus ante imminentia Comitiola debitam faciat remonſtrationem, nos verò dolore victi ſolatia conquirimus in cordibus Senatorum diligenter, & ferventer optando, ut ſine mora ad latus noſtrum compareas, & inter hæc Reipub. vulnera & tumultus præſenti conſilio nobis adeſſe velis. Ad quod faciendum non tantùm generoſus ſangvis excitabit, ſed etiam ipſa impendentis periculi magnitudo movebit, cui bonam valetudinē &c.

SEREN: REGI AUGUSTO NOMINE TERRARUM PRUSSIÆ Mariæburgô 18 Junij.

NON permittit primum paſſum Provincia Pruſſiæ in ea quæ eſt toti Genti Poloniæ connaturalis in Reges ſuos fidelitate, ſed pleno zelo comparet, & comparere vult pro defenſione Mtis V, quod ut non verbis, ſed re ipſâ eo clarius teſtari queat, commiſit mihi ut ſupplicarem Mti V. quatenus tertias reſtium literas Univerſales expedire, nobisq; Generalia Pruſſiæ Comitia, ex Cancellaria Regia expediri faciat; Quod dum cum debita Nominis Regij veneratione, & ſincero affectu exequor, DEum inceſſanter cum tota Diœceſi precabor, ut ſalutem Mtis V. conſervet, taliaq; ſuppeditet conſilia, quæ aſpera in vias planas deducere, & nos fideles ſubditos hac poſſint beare felicitate, ut quàm citiùs videre poſſimus in eo ſtatu Mtis Veſtræ Perſonam in quo eſſe debet.

XXX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM: & SAMB. AMICO CONFIDENTI 4. Junij Guttſtadiô.

GRata mihi per literas compellatio tua Laconica quidem, ſed plena prolixi in me affectus, hoc habet ingrati, quod adhuc ab ægro: Et quòd quamvis jam febri liberatus, vires tamen quas illa ſecum abſtulit, adhuc recipere non valeas. Labores tui continui, certò morbi hujus cauſa fuerunt; nunquid fortitudo lapidum fortitudo tua? nunquid caro tua ænea eſt? Ex omnibus amicitiæ vinculo devinctis, quos tuus nuper iſte morbus tam atrox, tamq; anceps habuit anxios, atq; ſolicitos, præcipuo quodam animi dolore metuq; me fuiſſe diſtractum, facilè tibi perſuadebis, ſi tua in me merita, ſi meus in te affectus venerint in mentem. Quod tibi non per Epiſtolam ſcriptum,

ſed

A. C. 1702 ſed velut per ſyngrapham conſignatum vellem.

Mors Jablonowſcij Ducis Triſtem Nuntium Leopoli habui, de cujus morbo neſcivimus, audivimus de morte Stanislai Jablonowski Caſtellani Cracovien. ſupremi Exercituum Ducis. In morte neceſſitas, ordo non eſt. Ivit quò 1-mus omnes (non ſine aliqua ſuſpicione veneni) nec meta ſed tempus nos ſecernit, & futuris ſæculis non interituram memoriam reliquit.

Non eſt mei ingenij, quenquam laude merita fraudare, ut nec perſonæ ſtudio laudem improbanda, nec odio damnem quæ laudem promerentur, non raptim relinquitur magnus Vir, & cum cura dicendus. Vellem potiùs imitari pictores, qui facie & vultu, ex quibus potiſſimum natura hominis apparet, ſimilitudines exprimunt, minimâ reliquarum partium habitâ ratione, ita & ego deſiderarem, ut ſigna animi colligens iisq; vitam hujus viri depingens, aliis magnitudinem factorum relinquam, commemorans tantum ſtrictum vinculum trium virtutum, fortitudinis, prudentiæ, & humanitatis. Vir fuit ut alia omittam (non enim hiſtoriam ſcribo ſed epiſtolam) bellicis ſine dubio laudibus plurimum excellens, cujus ſive animus, ſive egregia rei militaris ſcientia, quanti momenti fuerit ex actionibus ejus factisq; prudenti maximis conſilio, facilè intelligi poteſt, vir manuum promptitudine audaciâq; bellica inſignis, ad hæc conſilij de rebus maximis prudentis? Magnus honor generis, magnus honor Patriæ. Quam fortibus & placidis conducto tempore mortem Parca ferat. Erat ille non rebus modo magnis utilis, ſed & per otium Regi p. m. JOANNI III. (authenticum, & magnum maximarum qualitatum quippe teſtimonium) grata ejus erat, & ſuavis, ut nullius aliàs conſuetudo, & ille etiam non vivum tantum ſummâ coluit, & obſervavit conſtantiâ, ſed mortui quoq; neceſſariorum curam fideliter, & quantum potuit geſſit. Quod ſi egregij ſit Imperatoris non ſolùm præſentia rectè agere, ſed & futura proſpicere, in eo ille multum erravit, nam non rectè futura proſpexit, ut calamitas Patriæ teſtatur, in hoc eum uno longiſſimè aberraſſe à ſcopo infelicitas noſtra arguit, ſæpiùs gloriam ſuam, quòd in id malorum conjecerit miſeratus quaſi multis certaminibus, bellisq; auctam famam unius actionis, & planè unius horæ momento amiſiſſe viſus fuerit. Erat inſuper ille benignus in audiendo, facundus in reſpondendo, in conciliandis hominibus egregius artifex, & in conſuetudine colendoq; alios accuratus, amans quietis animus, & amicis bonus. Toties demonſtravit quanta ſibi virtus, quantaq; animi magnitudo eſſet, conſilio neq; induſtria neq; audacia deerat. Vigilare, feſtinare, cuncta obire, quæ aut ſtrenuo milite aut egregio Imperatore digna videbantur. Quanquam inerat in animo ejus naturalis quædam cunctatio, vulgò lenitudo putabatur. Neminem quemquam privatarum injuriarum cauſâ offendit, injuſta certamina, quæ ſunt bonis moribus inimica, non eum delectabant. Commune eſt cunctis in ſuis imperiis prædicari, ſed illud erat omnino in eo ſingulare, quòd in extranea gente laudes proprias inveniret. Ibi ſunt vera indicia, ubi neminem comprimit vera timiditas, ſed cur me diffundo? pridem enim tibi ejus viri actiones accuratiſſime cognitas ſcio. Mors ei non calamitas, ſed liberatio à malis, & ſalus accidit quod unum inter tot mala ſuperat & in laborante quidem, ſed adhuc libera Patria expiraſſet, cum deſiderio tamen Tulliano, quod illi major gloria à DEo dari non potuiſſet, quàm ſi moriens Patriam ſuam liberam relinqueret, quanquam de divino ſperamus auxilio, & quæ ſemper fuit libera nullius inſidiantis decolorabitur injuria.

AN-

A.C. 1702

XXXI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. AMICO CONFIDENTI Smolanijs 28 Junij.

LEgo in tuis & gaudeo per orationes noſtras donatum te nobis, bene jam valere, & quòd auget lætitiam meam nec mediocriter, quòd excurſionem ad nos minaris, & quando hæc? anni mihi dies, & nihil hoc videtur longiùs, & tardè ire horas queror, deſiderium enim tui ferre non poſſum qui te ut animam meam diligo, ac proinde vola, dum ſanitas permittit, non ſine diu hanc ſpem ferre tui. Nam quod deficientibus aqua frigida, hoc mihi ſub mole afflictionum laboranti, præſentia tua, & alloquium, quo teſtor conſcientiæ meæ fidem, nihil mihi optatius, amplius non invito, ne invitum, imò non invito ne urſiſſe videar. Quanquam eò adducor tamen, ut non ſine affectu dicã, cum illo veni, & viam vora, impatienti quippè deſiderio, non ſatis feſtinatur. Et quamvis expectem hic aliquos, eoſque gratos hoſpites, tamen erit nemo, quî cum ſim libentius, quàm tecum, & pauci quibus cum æquè libenter. Quod ego non modò de me tibi ſpondere poſſim, ſed de te etiam mihi.

Peſſima nova Varſaviâ, manus amici, qui mihi ſcribit torpere videtur, & vix ut ait calamum potuit ſumere. Perſuade tibi præter culpam, & peccatum quo carere debemus, nihil nobis accidere poſſe, quod ſit magis horribile, aut pertimeſcendum, Sueci iam vicini, quid hoc ſignificat? niſi ruinam, & deſolationem Patriæ vicinam? exercitus more fluminis, dum irrigat, opprimit. Hoc ſenſus oſtendit, animus credit, quomodocunq; res ceſſura eſt, rebus ad eum ſtatum perductis, Patria noſtra in ſervitutem, aut cadet, aut ibit. Ego ea quæ ſunt obligationis curo, & ne quid potiùs agerem habens, imò neglectis cæteris rebus omnibus in hoc unum toto animo, & libens intentus ſum, ut appareat, maxima cura Diœceſis, quam ſummâ caritate complector, & honeſtum in cura Paſtorali otij mei oblectamentum quæro, in qua fructuoſius meum tempus contererem, nec ſollicitudo animi quâ angor, premor, vel conficior aliter, vel faciliùs diminui, vel juſtius allevari poteſt, quàm hac mihi ſemper votivâ occupatione. *Sueci ruina Patriæ*

VII. Ego conſecravi Eccleſiam in Suburbio Reſſelienſi, & pòſt ivi obviam Domino Epiſcopo Culmenſi, qui XVI. venit, ſatis diu expectatus, & aliquot dies moratus eſt, ſed infauſta notitia de morte Domini Felicis Potocki noviter declarati Caſtellani Cracovienſis, & exercituum Supremi Ducis, qui in ore famæ ferebatur, & quanquam adhuc incerta putabatur, ad calamitatem tamen quilibet rumor valet, afflixit proindè ſummopere hoſpitem meum, & me, cum præcipuè non diu circa verum errabatur, & brevî certo conſtitit defacto, cui mortuo omnia bona omnes boni precari ſummo iure debent. Celeriùs multò, quàm Reip. opus fuerat, finem vivendi fecit, nam ſi diutius huius uſuram lucis uſurpare potuiſſet, meliore loco res noſtræ, quàm nunc eſſe poſſunt, eſſent; ſic clarorum virorum fata parem iacturæ luctum efflagitant, virtus ubi quis moritur non extingvitur, ſed viva manet etiam poſt fata, at ſi quis malus intereat ejus cuncta ſub terram cadunt, ac proindè ſerius mori, vel ocius parum intereſt, benè mori aut malè hic labor hoc opus eſt, benè autem mori eſt effugere malè vivendi periculum. Vicit ergo mœror publicus privatam lætitiam communiſq; Poloniæ luctus, hilaritatem noſtram ſeriò impedivit. Sciebam dolori Domini Epiſcopi occurren- *Mors Ducis Potocki*

A.C.1702 currendum non eſſe, ne ipſum ſolatia irritarent, & accenderent. Nam in morbis quoq; nihil eſt magis periculoſum, nec pernicioſum, quàm immatura medicina. Expectabam dum ipſe vires ſuas frangeret, & ad ſuſtinenda remedia morâ fatigatus, mitigatuſq; tangi ſe, ac tractari pateretur. Verebarq; ne hæc non conſolatio eſſet, ſed exulceratio. Conſolabar nihilominus ſuaviter, & lacrymas ejus ſi ſupprimere non poteram, abſtergebam, ſua cuiq; calamitas tanquam ars aſſignatur. Alium alio tempore fata comprehendent, neminem præteribunt. Non ſentire mala ſua non eſt hominis, & nō ferre nō eſt viri, flere, queri, gemere, à natura deſciſcere eſt, fruges quoq; maturitatē ſpectato tempore expectant, quanquam omne tempus Clodios non omne Catones ferat. Mortem tamen ejus eodem animo ferendam judicet, quo expectat ſuam.

Venit etiam alter rumor de morte Dominæ Mareſchalcæ Magnæ Lubomirska de Domo Dönhoffiorum; quæ 13 obiit, & de Suecis quod in Wyſzkow, neq; expectantibus pontem erigant, unde de bello ſcribere horret animus, nam ſpes pacis excluſa. Vocatus ſum interea maximis inſtantiis Mariæburgum, ad conſulendum quid facto opus ſit in his circumſtantijs, nec potui reſiſtere tot repetitis inſtantiis, ſciens arrogantiam ſolitudinis eſſe ſociam, ubi reperi jam D. Epiſcopum, & Palatinum Culmenſes, tandem ex communi illorum, qui convenerant conſilio, expedivi literas meas ad convocandos Status Pruſſiæ pro 13. Junij (cum miſerior res unquam accidit, tum nec deliberatio quidem difficilior) ut ſalvis rebus colloqui poſſimus inter nos, & aliquid opis laboranti Provinciæ ferre, & erat ſincera mea intentio, ut non negligentes omnino rei faciendæ videat Provincia, non ut malignitas Cracoviæ divulgavit, ut me redderet aulæ odioſum. Periculoſum eſt, in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere. Quod armorum genus homines ſub invidiæ telis tutari poterunt? Quod tutamen adverſus invidiam, cum omnia invidiâ plena comperiamus, invidiæ filij ſumus, cum invidia naſcimur, cum invidia morimur. Non ſanum tamen conſilium arbitror, ut effugiatur invidia, à virtute velle illi inimica ſecedere. Ipſi odores, quò magis conteruntur, eò ſuaviùs redolent. Si Cracovia de mea benevolentia, aut aula aliquid ſuſpicatur facta me mea ob omni hujusmodi impetione tuebuntur. Teſtis eſt mihi DEus, quomodo concupiſcam omnes in viſceribus Regis, & ut ſtent in uno ſpiritu unanimes. Hoc prædicavi præſens ſermone, abſens continuis literis, ſimilis Demoſtheni, qui ſolitus erat ſuis dicere: Vos Athenienſes Conſultorem me vel inviti habebitis, calumniatorem autem nunquam, utcunq; cupiatis. Et contrarium qui dicere velit, inſignis eſt calumniæ, ſed livoris dentem, qui vult effugere, contemnat. Devorandum ſtrenuè quidquid ſiniſtrarum relationum ſeſe offert in hoc concurſu, magno excipiendo animo, quæ vitari non poſſunt, etiam lingva mala laſſari ſolet, & calamitas. DEus reſpicit veritatem, non præſumptionem, ſed moris eſt noſtri, in ſententia optima accuſare id, quod eſt optimum. Alia hæc ætas, alia quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet, nunc exiſtimatio hominum dubia ſemper eſt, & in partem utramq; dividitur. Fruſtra ergo timebat aula congreſſus hos noſtros, qui ex agentium intentione, cum nihil prætermittamus, quod ex uſu Provinciæ putamus, & publicæ utilitatis ratione commoniti (quæ me cura libenter ſemper onerat) ad ea conſilia procedamus, quæ neceſſitas excuſat, ratio ſublevat, tum pericula imminentia jubent, cui nemo ſuccenſere poteſt, qui & rei conditionem conſiderabit & factorum rationem audiet, malè facere

cere non potuerunt, ſed bene. *A.C.* 1702

3. Junij habui literas à Rege Sueciæ, ſed eas non aperui, nec aperiam intactoq; ſigillo ſuo tempore Regi reddam. Habui etiam à Domino Theſaurario Litvaniæ Sapieha invitatorias Varſaviam, ubi brevi expectabatur Cardinalis Primas, cur? nec ſcio nec ſi ſciam, dicere auſim. Tandem pro 13 deſtinata veni Mariæburgum in pompis à Dño Palatino introductus, ubi & proceſſionem Corporis Chriſti à Domino loci Ordinario invitatus abſolvi. Interim difficultas fuit circa indigenatum noſtrum, vel potius juramentum, ad quod niſi certô pretiô admittere nos nolebant, ſcilicet Dñum Epiſcopum & Palatinum Culmenſes, & me, quod nos indignum putantes recuſavimus.

Interim ne minimo rationis dictamine Dñus Kczewski Capitaneus cum proteſtatione contra actum exivit Ego ſeriò ſatagebam omneſque aliàs cogitationes relictas habebam præ cura Provinciæ. Quid poſſim neſcio, vel potiùs me parum poſſe ſentio, illud tamen polliceri de me poſſum, quæcunq; ſaluti & bono publico conducere arbitror, tanto ſtudio facio, quanto ſemper feci, convocatis Senatoribus, & nobilitati tantum tribui, quantum non mihi arrogavi, certò quòd nos comuni ſententia ſtatuiſſemus, id omnes probaſſent. Videmus omninò tanquam ex ſpecula, & proſpicimus proximam tempeſtatem futuram, quare hunc conſeſſum non mea ſponte ſed multis monentibus, imò quaſi cogentibus convocavi, ſed de pluribus paucorum hominum contentio optimas intentiones calliditatibus eorum illaqueatas evertit. Ita tricena vulpium ſi forte millia in unum contraxeris locum, erit per omnes unus ingenij tenor, & inter homines, quot ſunt numero corpora, totidem videre eſt ſtudia, & ſentiendi diverſos modos. Ita nec profutura liberum eſt conſulere, victa cedit Provincia intereſſatis, & peccantibus illis in favorem aulæ injuſtè apprehendentis, & non minori ſtudio, quàm periculo Provinciæ ſe opponentis, periclitatur ſalus ubi peiores vicere bonos, & zeloſos Patriæ cives, quænam hoc modo ſubſiſtere Patria poteſt? Videbunt quàm latus eſt iſte error ipſorum, ſi error potiùs quàm malitia appellanda eſt, cum ſcientes quid ſibi ſit conducibile non agnoſcunt, & in errores ipſi ſe injiciunt, præteritorum obliviſcuntur, præſentia negligunt, de futuro non timent, nec rationem patiuntur, nec æquitate mitigantur, nec ulla prece flectuntur. Meminiſſe debent qui authoritatem & conſilium noſtrum ſequi noluerunt, ſuâ pertinaciâ perituros cum noſtra prudentia ſalvi eſſe potuiſſent, & fallet eos, quod plurimos.

Utinam liceat aliquando, aliquo Reipub. ſtatu nos frui, dum non licet inter nos conferre ſolicitudines noſtras, & perferre conſilia, timidi nunc putamur, quia quæ dicimus futura, infallibiliter fient. Nihil intendebamus, niſi ut lumen aliquod cæteris daremus in his circumſtantijs, utq; prævidendo infallibilia provideamus imminentibus jam jam periculis, quod licuit, ſemper licebit pro defenſione Provinciæ. Quia verò ex propoſito deſtinata non fluxerunt, limitavimus actum pro 10 Julij, 20 Junij redij domum, ubi inveni meum Pleſzewſcium, de ulteriori Suecorum intentione nihil cognoſci, nihil præcipi, nihil certi ſciri poſſe dixit, retulit tamen, quòd ſcilicet Rex Sueciæ non tantùm habeat vincendi votum, ſed etiam adverſarij creditur quærere detrimentum, & qualem in corde geſtet voluntatem, oſtendit, dum audiens ſe præparare Regem noſtrum contra illum, dixerit ut quondam Pompejus adero, & contra eos, qui gladios minantur, cum clypeo gladium quoq; afferam, proſequendo Regem noſtrum verſus Craco-

A.C. 1702 viam, ſed quæ ibi aguntur cum ad te perferantur arbitror tibi eſſe melius nota quàm mihi.

10. hujus tanta fuit tempeſtas ut 30 fulmina ceciderint intra ſpatium duarum horarum, & horrea in ſuburbio Heilsbergenſi combuſſerint.

Mariæburgo habui, quòd malè habeat nobilitas, quòd non fuerim pro 10 Julij, & ego conſultò id evitavi, cum ut dixi Cracoviæ non benè audiantur noſtri congreſſus, quanquam revera non ſunt niſi in ordine ad capiendum conſilium in omni ſubitaneo caſu, & nihil planè contra Regiam Mtem noſtram, quanquam non deſint ſiniſtræ aliquorū interpretationes.

Habuimus autem Cracoviâ Caſtellanatum Cracovienſem, & ſupremum regimen armorum translatum in Hieronymum Lubomirski cui nuper minor clava ceſſerat, hæc nunc ad illius inſtantiam translata in Palatinum Belzenſem Sieniawski nepti ſuæ ex ſorore matrimonio junctum.

XXXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLLI REGIO MINISTRO Romam 13 Julij.

POſtulatis tuis pridem ſatisfeciſſem, niſi intervenientes obſtitiſſent occupationes & niſi magna foret congeries geſtorum, à te, ut intelligo ſummo Pontifici referendorum, quæ in epitomen redigere, ardui eſt laboris. Sincerè tibi fateor, libenter publicis negotijs Nuntium remitterem. Scio enim minimè convenire ijs, qui ſacris addicti ſunt, diutius publicis immorari, eorum officium eſt ſalutem hominum procurare, eaſq; inire rationes, quibus quàm plurimi ad rectam virtutis pietatiſq; viam reduci poſſint. Sed jam lege quod deſiderare videris.

Videns Rex Sueciæ, Rempub. non libenter arma Regi ſuo juncturam, formare dicitur intentionem dethronizandi Regis, & idipſum Reipub. proponendi ſcribendo, ut conſervando libertates ſuas ad electionem alterius Regis accedant, ſecuroſq; reddit validi ſuccurſus ad ſuſtinendum hocce opus, acſi non illaturus injuriam, ſed redditurus, & manum ſuppoſiturus, cùm Poloni ſuam oppoſuerint, quanquam ego credam firmiter, difficile futurum tot millibus perſuadere, ut quod prius ædificârunt, deſtruant, & adducant ſemetipſos in prævaricationem.

Interim Moſchus ſub favore abſentiæ Regis Sueciæ Livoniam invaſerat, quamvis ſub Sawnicz duo millia Suecorum, ita viginti millia Moſchorum ceciderint ducente Schlittenbachio, ut in confuſione ultra ſedecim tormenta perdiderint. Sub hoc idem tempus exacerbaverat Oginſcius Regem Sueciæ, dum cum aliquot millibus Domûs Sapiehanæ bona ruinabat, ſed, dum Sueci apparuerunt, ille diſparuit.

Venerat Rex Sueciæ uſq; Caunam cum mille octingentis Equitibus. Interim Duhneminda recepta erat, ubi ultra munitiones belli 60 tormenta ex armamentario Dreſdenſi introducta invenerunt Sueci.

Miſſus erat Baro de Saken ad Regem Sueciæ nomine Reipub. nuntians, quòd Legati magni ab eadem deſtinati venirent, quorum propoſitiones ſciens Rex Sueciæ, videnſq; nihil aliud quæri præter dilationes quas nolens indulgere Rex Sueciæ Legatis noſtris, non niſi ſedecim milliaribus Varſaviâ audientiam dedit, quid in ea dictum jam habuiſti. Poſt hæc venit Rex Sueciæ Varſaviam, Rex autem noſter Sereniſſim⁹ movit Cracoviâ, ibique iterùm ſuas legationes cum Polono exercitu congregabat.

Inte-

Interim Rex Sueciæ intentionem conſtantem habens aggrediendi Regis noſtri Guldenſtierno in Pomerania degenti, ut cum duodecim millibus & Mareſchalco campi Mernero in vicinia Vilnæ exiſtenti, ut cum ſex millibus quantocius properaret in mandatis dedit. Rebus ſic diſpoſitis procedebat Rex Sueciæ contra noſtrum verſùs Cracoviam, quem non tantùm pede firmo noſter expectare, ſed etiam aggredi omninò volebat, ſcriptis literis ad Cardinalem, quòd ſatis virium haberet, comprimendæ inſolentiæ Suecorum, & certè multum confidebat numero & valori legionum ſuarum, felicem omninò, ſi Generali acie conflictum fuiſſet. Innotuit Saxonibus cum ſex millibus verſùs Cracoviam Regem Sueciæ procedere, expectareque tam ex Pomerania, quàm ex Litvania ſuccurſum, prævenire eorum adventum volendo, omnino prælium tentarunt. *A.C.* 1702

Cùm verò 8vâ Julij Rex Sueciæ Kliſſowiam veniſſet, medio milliari tantùm diſtantem exercitum Saxonicum reperit. De quo informatus Rex noſter miſit mille & octingentos Equites ad recognoſcendum Exercitum Sueticum, ſed exploratoribus captis nulla certa notitia de numero Suecorum haberi potuit, Rex verò Sueciæ ex captivis Saxonibus intellexit, exercitum Regis noſtri ſedecim millibus Saxonum conſtare, in momenta octo millia Polonorum expectari. Miſerat in occurſum Mernero mandatum, ut quantociùs appropinquaret. Et in craſtino 9na Julij Rex Sueciæ non expectato aliunde ſuccurſu verſùs Saxones proceſſit, dumq; eos vidiſſet, inclinare fariſſas vexillaq; juſſit, ne quantitas militum dignoſceretur, ipſe dexteræ, Dux Holſtainenſis lævæ alæ præfuturus.

Rex noſter ſciens Regem Sueciæ dexteræ alæ præeſſe, fortiſſimas & optimas legiones oppoſuit, ut etiam ipſemet eum tantò facilius ferens Regium in pericula caput oppugnare potuiſſet. Sed cùm ingens lutum impediviſſet Regem Sueciæ, quin frontem Regis noſtri aggrederetur, Ducem Holſteinenſem ad dexteram tranſpoſuit, ipſe ad ſiniſtram pugnaturus. Jam pugna inceperat ſatis fervens, aggreſſi ſunt Saxones ſatis audacter, & cum clamoribus, Sueci verò tam fortem & violentum ignem contra Equites Polonos dirigebant, ut etiamſi aliquoties eoſdem aggrederentur, nihilominus tamen ſuſtinere non poſſent. Volebat Rex noſter terga inimici petere tranſeundo pontem, in eum finem erectum, dum alij faciem eorum aggrederentur, ſed antequam id efficeret, apparuerunt in facie Sueci, coactique Saxones cedere. Prælium hoc duravit à prima hora pomerediana, uſq; ad 5tam, cum ſufficienti pertinacia & valore utriusq; exercitus. Cæſi Saxonum duo millia, mille quingenti fuerunt capti, & Regimen Generalis Steinau ſe ſubdidit, Artileria victori ceſſit. Suecorum dicuntur quingenti cæſi, ſexcenti vulnerati, victoriæ ſuæ pæana ceciniſſent Sueci, niſi nænias expreſſiſſet mors Ducis Holſteinenſis, qui dicitur manu Katcij Palatini Kijovienſis Generalis Artilleriæ noſtræ tormentum contra Suecos dirigentis cecidiſſe. Magnum virum & fortem hunc Principem fuiſſe conſtat, audivi multos eum laudantes, & virtutes ejus in arctum retrahendo dicentes, aut naſci nunquam, aut ſemper vivere eum debuiſſe.

A. C. 1702 UNIVERSALES LITERÆ REGIS POLONIÆ 5. Junij Cracoviâ expeditæ,

AUGUSTUS II. &c.

POſt tit. *Poſt expeditas primas pro duabus Univerſalibus Reſtium pro communi motu Nobilitatis, dum intractabilis malitia nec moderatione noſtrâ, nec omnimodâ æquanimitate, nec legatione à Statibus Reipub. ullatenus emolita, indies arma & cædes madentes, crudeleſque manus extendit, & deſtinatam prius Caunæ audientiam pòſt Grodnam, & in alia loca quæſito prætextu diſtulit, & Legatos noſtros retrogrado paſſu cum ſumma indignitate Reip. infectis rebus expedivit, Varſaviæ ſpretâ mediatione Reip. & contemptâ ejus legatione omnem ademit ſpem exoptatæ pacis. Quando poſt ereptas Provincias primo impetu irruptionis Curlandiæ, Semigalliæ, & Diſtrictûs Piltinenſis, poſſeſsâ Livoniâ noſtrâ, poſtquam Univerſalibus Sueticis congregata Nobilitas diſarmata in contemptum Statûs Nobilitatis, & poſt adacta ad contributiones, tracta ſub obedientiam magna pars M. D. Lit. jam in meditullio Regni Varſaviæ impunè hoſpitatur, & inde Cracoviã dirigit greſſus ſuos novum pro continuatione belli per mare Stetino in Poloniam conducit exercitum, liberæ Genti pecuniam & victualia abſolutâ authoritate per contributiones imponit, & militari extorquet executione, & concluſis ſecretis quibusdam cum malè animatis civibus Patriæ factionibus & ſcriptis per abſtruſa molimina per calcatam Patriam inceptas ad effectum deducere intendit intentiones, nunquam à tota Rep. eo nomine invitata. Cùm verò ad reprimendam furientis hoſtis potentiam, & compeſcendum inteſtinũ malum celerius & efficaciùs medium, nec ſecurius perſonæ noſtræ præſidium inveniamus præter communem motum, & generoſa fortium Civium pectora; nam expeditæ legationis & Tractatuum jam omnis evanuit ſpes. Inſuper & conteſtatio noſtra in terminis amicis bonæ in futurum amicitiæ & optimæ correſpondentiæ per expeditum Fictomium expreſſa indignè recepta & adhuc ſiniſtrè ad famam publicam divulgata, ut falsò & callidè vulgata temerè crederetur. In DEo proinde Optimo & exercituum fortiſſimo Domino omni ſpe imò & fiduciâ collocatâ, & innocentis Reip. injuſteque patientis juſtâ vindictâ ſequendo ſenſum & concluſionem Poſtcomitialis Conſilij in numeroſo Senatu congregati, ſatisfaciendo publicis deſideriis tot Palatinatuum ad nos in Comitiis, & nunc recentiſſimè per expeditas legationes illatis jam tertias & ultimas Univerſales Reſtium literas expedimus plenâ fiduciâ liberum, bellatoremq; populum in arma vocamus. Gloriam DEI, fidem ſanctam Catholicam, coronam & caput noſtrum Regium, defenſionem charæ Patriæ, curam jurium, legum, immunitatum, antiquæ Polonæ* virtu-

virtuti, & non debilitatæ fortitudini reddimus, & quàm fervenstiſſimè exigimus per ſalutem Patriæ, & quidquid ſacrum in ea, ut tanquam non degeneres avorum, atavorumq; veſtrorum ſucceſſores ad conſervationem Patriæ, more militari in debito ordine ſecundùm leges, & ſecundùm quantitatem bonorum & redituum veſtrorum conformiter conformando res ad conſtitutionem 1621 pro 19 Julij ſub Korczyn indilatè compareatis, ubi & nos in perſona noſtra aderimus. Quoniam verò in Palatinatibus plerisq; expeditio militaris jam indicta, & ordo belli jam conſtitutus eſt, tunc tantùm Palatinatibus & Terris ad faciendum eum ordinem in locis conſuetis pro quinta præſentis comitiola indicimus. Pro eo proinde termino & loco viritim accelerabitis, & congregati omnes contra illos, qui obliti DEI & Patriæ, nobisq; jurata fidelitatis partes Regis Sueciæ ſequuntur, aut ejus protectionem ſuſceperunt, ut privata vulnera Reipub. operirent malis, iuſtam habebitis animadverſionem. In quantum verò, avertat DEus ad Generalem congreſſum inſperato aggreſſu aliquos Palatinatus occupare deberet, ut ſaltem Nuntios mittat; ſi verò aliquis favore Univerſalium Sueticarum vellet inter nos motus ciere, tunc cum illo tanquam cum hoſte Patriæ & rebelli in rigore communis legis agetis. Quia verò per non ceſſantes impoſturas pro avertendis cordibus Nobilium id ad implendas populi aures latum & ſonans commentum ſpargitur, quòd nobiscum ſeorſivus ſine Repub. fiat pacis Tractatus, quod uti nunquam cogitavimus, nec id in cor noſtrum unquam aſcendit, ita coram DEO & Orbe univerſo proteſtamur, quòd nullos unquam ſine Repub. privatos Tractatus faciemus, quamvis id cum maximo noſtro fieri poſſet commodo & utilitate. In quo juratam Regiam Statibus Reip. invadiamus fidem. Quæ Univerſales literæ ut melius pateant, publicari eas in ſolitis locis jubemus, &c.

A.C 1702

XXXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. & SAMB. CAPITULO VARMIENSI Smolanijs 24 Junij.

NON opus eſt verbis ad indigitanda pericula, quæ orbi univerſo patent. Perilluſtribus DD. Veſtris incognita non poſſunt eſſe mala, quæ totam Remp. involvunt, nobis quoq; vix eluctabilia cenſenda ſunt. Nihil utilium curarum, quæ in me humanitus inveniri poſſunt, ſubtraho, quò minus à grege mihi cælitus credito extremā ſaltem ruinam, ſi non totale malum avertam; ſed ſine nervo vix id practicari poſſe, vel ipſæ Perill. Dñes V. cognoſcent. Unde Statibus & Ordinibus hujus Epiſcopatûs contributionem hybernalem ad normam agrariarum 24 indicendam tempeſtivè cenſeo, ac idipſum Perill. DD. Veſtris fraternè propono, ut licet ad ærarium Diœceſanum pecunia non inferatur, ſaltem ad omnem caſum ſubitaneæ neceſſitatis in Cameratibus & Civitatibus parata ſit: Ne deinde fatalitas, quam DEus omnipotens avertat, diutiùs nos teneat, quæ celeri redemptione fortè

*A.C.*1702 cito abigeretur. Quod dum Perill. DD. Veſtris paternè inſinuo, pariter maneo. Dab. ut ſuprà.

CARDINALIS PRIMAS ALEXANDRO ZALUSKI PALATINO RAVENSI. 28 Julij.

Literas tuas ex caſtris ſcriptas omni gratitudine recipio, quòd in hac vicinia memoriam perſonæ meæ habeas. Eductum ſub ſignis Inclytum hunc Palatinatum concomitetur omnis fortuna & gloria, profluens etiam in te Ductorem, ex animo opto. In præſentibus indies diverſis, & toties mutantibus ſe novis, & caſibus, difficile eſt uni adhærere conſilio. Mutatur rerum ſiſthema, mutantur conſilia. Congreſſûs proinde veſtri continuas approbo limitationes. Melius enim eſt & ſecurius habere ſemper limitatum ad contingentia congreſſum, & præſens exercitûs Saxonici clades multos ita perſtrinxit, ut apprehenſio ejus cuncta reddat difficilia ad ſolvendum. Rex Seren: reliquias exercitûs ſui colligati vult ſub Korczyno jungere cum exercitu noſtro & nobilitate congregata. Rex verò Seciæ de Pinſzow movit copias 26 præſentis, volens communicationem impedire hujus conjunctionis. Octo Regimenta quæ Regi noſtro in ſuccurſum eunt, jam tranſierunt Vratislaviam, ſed ex illa parte occurrere vult etiam exercitus Sueticus ex Pomerania, per limites Sileſiæ procedens, cum hac intentione, ut hoc ſubſidium Saxonicum impediat. Si ibi res deveniret ad conflictum, & ſimilis clades Saxonibus accideret, neſcio, qualia ſupereſſent media juvandi Regis noſtri. Precor te, ut ulteriorem ad me habeas confidentiam, cujus ſum voto & obſequio.

P. S. Literas Caſtellani Cracovienſis, & reſponſum meum mitto tibi ad conſiderationem eventuum & mediorum in ſubſequentibus. Habeo notitiam quòd Rex expediverit univerſales literas, quarũ etiam copiam adjungo, invitando accelerationem ad latus ſuum. Æquum proinde puto, ut veſtra moveatis caſtra.

COPIA LITERARUM CASTELLANI CRACOVIENSIS HIEronymi Lubomirski ad Cardinalem. 22 Julij ſub Korczyn.

Prælii ſub Pinczovia.

Vix comparui hic cum exercitu, optabam lætiorem habere materiam literarum mearum ad te, ſed quia iniquo fato in his terminis res ſunt conſtitutæ, ne mendax fama ſiniſtra deferat & affligat cor tuum de ſalute publica, genuinam hanc in compendio perditi prælij cum Suecis facio relationem. Cùm comparuiſſem ſub Pinczow in vicinia Caſtrorum Regiorum, appropinquavi cum exercitu cum hac ſola intentione, ut nos Regi præſentaremus, ſed ſtatim ex tempore ſignificatum eſt nobis, quòd exercitus Sueticus appropinquaret jam ordinatus contra exercitum Saxonicum. Obligatus proinde fui non præmeditatè, nec formatô conſiliô bellicô de diſpoſitione & ordine ire in ſuccurſum Regi, ubi ad dexteram alam Saxonici exercitûs conſiſtens, inveni maximum Sueticum ignem, quia ibi fortiſſimus peditatus cum armatura fortium erat, non licuit per honorem Gentis ſtationem deſerere & retrocedere. Aggreſſus ergo cum meis, & cohorte Huſſarica Principis Alexandri dictum Peditatum, ubi in calido ab utrinq; prælio quindecim Equites principaliores, cum duobus loci tenentibus Kroſznovio ſcilicet Vexillifero Podolienſi & Præremſcio ceci-

cide-

ciderunt. Nullæ cohortes in prælio hoc fuerunt, ac propterea nullum damnum ſenſerunt; ſub illud fermè tempus Equites & Deſultorij Saxonici conflictui initium dederant, ſed Sueci in ultima acie ita confuderunt Saxones, ut ad præcipitem inclinantes fugam, magnam hoſti ceſſerint victoriam perdendo aliquot millia hominum; noſter verò exercitus videns Saxonum fugam, bono ordine receſſit ſine minimo damno, quia etiam exercitus Sueticus contra nos non movit. Plures Pedites, quàm Equites ex Saxonibus perierunt, & Artilleria omnis Regia Victori ceſſit. Habui & ego parva tormenta mecum, ordinante ea Palatino Cracovienſi K.ncio, quæ & ex prælio integrè educta præter parvum unum tormentum ob occiſos equos ibi relictum. Hæc eò fine & integrâ fide tibi deſcribo, ut ex ſiniſtris relationibus, quæ pro partialitate augeri ſolent, de Rep. non deſperes, quia exercitus eſt in eodem ſtatu capax juvandæ Reip: deſideratur tantum id, ut tu tanquam primus Nauclerus eò conſilia publica dirigas, ut ex hoc naufragio eam educas, & mihi quid facto opus ſit, inſinuare velis, cùm ego debitâ veneratione omne conſilium tuum ad effectum deducendum curabo. Maneo hic cum Palatinatu Sendomirienſi & aliis in vicinia Cracovienſi, cum quibus acceptâ informatione tuâ agam, ſi cogitatio Tractatûs redire poſſet. Hoc enim efficaciſſimum medium credo celerioris Reipub. tranquillitatis, ſed prudentia tua perfectius hæc ponderabit, nec dubito talia te propinaturum conſilia, quæ poterunt pacificare Remp. ad quod ego pariter concurrere ex perſona mea non intermittam. *A.C.*1702

RESPONSUM à CARDINALE EIDEM 24 Julij.

FAteor ſupra modum me miratum fuiſſe, quòd cùm habuiſſem per tam longum tempus culturam amicitiæ tecum, datis documentis affectûs, æſtimationis & curæ commodorum tuorum fui, quaſi in neglectu ab abitu tuo Varſaviâ, nec habui occaſionem gratulandi tibi primas in Repub. tam in Senatu, quàm in Exercitu dignitates, quæ ante officium etiam Theſaurariatûs te ſpectare debebant, cùm perſona tua habilior ad clavam, quàm ad claves videretur. Cùm ergo occaſio publicæ calamitatis veteris amicitiæ ac ſtyli literam ad me expreſſit, gratulatus tibi imprimis dignitatem & gratiam Regiam, cujus, ut ſicut Anteceſſores hujus officij, im̃ortalia nomina augeas, magnitudinem, uſum ejus glorioſum æquè ac longævum, devoto apprecor corde.

Memorandæ cladis opinione celerior ad me venit notitia; ingemui ſuper ſortem Patriæ noſtræ, quæ inſons ac innocens fraternorum odiorum theatrum, cognati ſangvinis facta eſt receptaculum. Non habui uſque in hanc horam quidquam de exercitu nec veram relationẽ, lætatus ſum literis tuis, quibus & ſalutem Principis defers, & Aquilas ſalvas.

Volantem ac currentem per Poloniam famam tempus tantum ipsũ retinere poteſt, nobis tantùm rem ipſam curare convenit, & fata in melius vertere. Et quoniam in præſenti conjunctura ſenſum meum exploras, qui is eſt. Stet Mars in gradu ſuo, Palatinatus in deſtinatum locum conveniant, exercitus penes ipſos maneat, legatio ab ipſis expediatur tam ad noſtrum, quàm ad Sueciæ Regem pacem ſuadendo, mediationem partibus offerendo. Accedat etiam declaratio, quòd quæcunq; pars honeſtis ac æquis acquieſcere nollet mediis, tunc contra eam Reſpub. ſe declarabit, habendo aſſumptam ex ipſo Rege Sueciæ declarationem,

qui

*A.C.*1702 qui id ex Litvania Legatis, & mihi cum magno Theſaurario Regni perſuadentibus hoc repoſuit, quod cum tota Repub. tractare paratus erit. Mediatio Angliæ & Hollandiæ, bellum Danicum & Holſtienenſe ſedavit. Cogitare autem, ut reciprocum reddatur, nec tutum, nec conſultũ. Tormenta, pulverem, proviſionemq; bellicam non habemus. Peditatus diminutus, & rarior factus, qui autem fugerant, non ſunt numerandi, numerus enim erunt, non viri. Suecus ſpoliis auctus & robore, exercitûs pars ex Pomerania venit; exponere proinde Palatinatus & exercitum in aciem quid eſt? niſi jacere aleam de libertate Polona, quæ non reſurgeret poſt ruinam. Hoc pro fide mea ac amore in publicum inſinuo, per ſacra hortando, ut longius proſpicias, & ita res dirigas, ne ruina hæc ſit ſub manu tua. Si Rex Sueciæ eſſet in limitibus, aliter conſulerem, ſed eſt in medio florentiſſimarum Provinciarum, quod ſat ſapienti.

Raphaël Leſczynski

COPIA LITERARUM SEREN: REGIS AD CARDINALEM PRIMATEM. 18 Julij.

EXiſtimo jam per famam publicã innotuiſſe meam cum exercitu Suetico infelicem transactionem. Clades quidem non tanta (nam quà cæſorum, quà captivorum, & vulneratorum, non niſi mille ducentos amiſimus, prætereaq; mille pedites) ſed ſequelæ longè majores, ut ex relatione latoris plenius informaberis. Sincerè dicendo, culpa tota in inſinceritate, & metu panico meæ dexteræ alæ cauſato per inſperatam deſertionem exercitûs Poloni, qui primi ignis & impetûs hoſtilis impatiens opinione citius de ſtatione receſſit, timentibus interim meis magis deſertores, quàm hoſtes; quòd putarent ſe à tergo circumveniendos: unde non tam ante ſe exiſtentem inimicum reſpiciebant, quàm poſt ſua terga. Poloni verò ajunt ſibi perſuaſum fuiſſe, ac ſi Sueci & Saxones ex condicto perniciem illis inferre ſimul & ſemel voluiſſent. Hæc diffidentia mutua utriusq; partis prædictam cauſavit cladem; in qua maximum eſt, nos omnia mobilia & tormenta bellica amiſiſſe ob vada & teſqua, quæ illis tranſitum negabant. Modò iterum legiones noſtras colligimus, quæ duplici viâ ſibi conſulere nolentes diſſipatæ fuerant, verſusq; communem motum iter intenderant. Generalis Rubren cum octo nouis legionibus approximat Craconiæ. Interea exiſtimo, ſi te interpoſueris, junctâ manu cum tota nobilitate communi motu conuocata citius hoc incendium extingui poſſe, antequam uniuerſa Respub. in ſuo ſanguine naufraget. Perſuaſi ſumus te honeſti rationem eam habiturum, ut debiliorem non deſeras, & oppreſſum, & innixi tibi expectamus eam ab actiuitate tua efficaciam, qualem æſtimatione noſtra præconcepimus.

Auguſtus Rex.

AMICO CONFIDENTI. 20 Auguſti.

Staniſ. Jablonowski mors.

AUdiviſti, quòd non ſine ingenti animi dolore ego legi accidiſſe fortuitum caſum Metatori caſtrorum Regni, eumq; illi ſupremũ, quia

quia inter venandum 30. Julij ipſâ Dominicâ die ſuo fato ſuccubuit. *A.C.* 1702
Præceſſerunt malorum prodromi, ſi mens non læva fuiſſet: nam die S. Jacobi unus ex honorariis cervice fractâ imminenti prælulit calamitati. Die verò S. Annæ ſubditus ad caſſes conſtitutus pro fera ipſemet propria manu occidit. Monitor inſuper acceſſit unus ex Patribus Trinitariis, obtendens profanationem feſti, ſed fruſtra monita fuerunt. *Prodromi mortis.*

Poſta Cracovienſis de data 5. Auguſti hoc nobis attulit, Regem Sueciæ inter Breſtam & Uſcium Viſtulam tranſmiſiſſe, poſtquam jam antè ſecundâ præſentis ſex millia ſuorum contra Saxonicas copias tranſportâſſet, & ex altera ripa Viſtulæ collocâſſet. Notitiâ de his acceptâ Rex noſter die proximè ſequente univerſis ſuis, tam qui recenter à Tarnovienſibus montibus in ſuccurſum venerant, quàm etiam, quos Cracoviam induxerat, decrevit iter, & duobus pontibus, quibus fluvium junxerat, trajecit eâ mente; ut alteri parti exercitûs trans Viſtulam exiſtenti ſuccurreret, & cum Suecis congrederetur. Tam præceps Cracoviâ egreſſus Saxonici peditatûs fuit, ut trium horarum ſpatio ex tot nec unus ſuperfuerit, ægris etiam & captivis, quos diverſis excurſionibus circumventos ceperant ſecum ductis. Moverunt etiam Polonica vexilla levioris armaturæ, quæ ſub Cracoviam & Pinczoviam venerant paulò antè adventum copiarum Regni ſub Opatowiec. Sereniſſimus Rex eâdem & tertiâ præſentis ſecutus eſt exercitum, in comitatu ſuo habens Illuſtriſſimum Nuntium Spada, qui per poſtam illuc inſperatiſſimè advenerat Pſzczynâ, tumque optabat quàm citiſſimis paſſibus Varſaviam verſùs movere, unde in hunc finem ſuo Auditori aliiſq; demandaverat, Pſzczynâ Czenſtochoviam contenderent.

Fama hæc receſſûs Regis cum exercitibus Cracoviâ commovit, turbavitq; comuni motu congregatam Nobilitatem. Verùm, dum præcedenti in magno numero peditatui, per caſtra noſtra numeroſæ ſupra 20 millia Equitum ſubſequi cernerentur catervæ, non amplius timebant cauſam, finemq; tam remoti diſceſſûs, relictâ Cracoviâ prius ignorantes. Venit ergo cum exercitu Rex ſub Sandomiriam 13 præſentis; ibidem intra octo dierum ſpatium habiturus conſilium, convocatis ad illud vicinioribus Palatinatibus, Cracovienſi ſcilicet, Sendomirienſi, Wolhinienſi, Lublinenſi, Terrâ Chelmenſi &c. Tranſiens ad Palatinatum Lublinenſem congregatum, & militari locatum ordine, luſtravit militem, divertere voluit ad tentoria Pro-Cancellarij M. D. L. ſed ductu ſuſuq; cujuſpiam ex aulicis alio vertit iter. *Stanislaus Szczuka*

Motum hunc retrogrado paſſu in Poloniam Sereniſſimi tot comitantur, præeuntq; diverſi ſenſus & Judicia, quot vulgi capita, quibusdam in Pruſſiam, alijs in Litvaniam dirigenda ab eo pro hybernis caſtra, ſuſpicantibus: utrumq; extremo non minus judicio, formidat populus à Suetico, Saxonico, domeſticoq; exercitu, & à tranſeunte illac communi motu, ad incitas redactus.

Expeditionis auxiliarium copiarum adverſus Sueticam potentiam, licet jam extructus pons eſt, nulla prorſus affulget ſpes. Sueci verò alteram Viſtulæ partem petierunt 11 præſentis. Frequentes ab exercitu noſtro ad hoſtilem non ſine felici ſucceſſu fiunt excurſiones, qui etiamnum cum reditu Palatini Kijovienſis non infortunatus ſperatur. *Potocki*

Numeroſi interim non ſine debito ſplendore & ordine jam comparent Palatinatus, ut Cracovienſis cum Ducatu Zatorienſi & Oſwiecimenſi, Sandomirienſis, Ruſſiæ, Belzenſis, Lublinenſis, Wolhinienſis, Terra Chelmenſis & Halicienſis, Palatinatus Siradienſis, Ravenſis, Lencicien-

A.C. 1702 cicienſis, compluresq; alij. Convolant indies variæ ex varijs ad Sereniſſimum cum denuntiatione fidelitatis, legationes, deſignationem militaris circuli ab eo poſtulantes, cui in altera Viſtulæ parte celebrando dies 22 determinata; intra breve id temporis ſpatium confici prætenditur, factâ more militari mutuâ, quò ad armorum, animorumq; unionem conjuratione, ad normam Tyſzovicienſis ſub Rege Caſimiro confœderationis, fient quoq; feriæ animadverſiones & diſquiſitiones in adhærentes partibus Sueticis, ut fomes ulteriorum in Repub. turbinum reſtingvatur. Palatinatus Sendomirienſis in conſcriptam cum omni rigore jurium confœderationem contra rebelles, & hoſtes Patriæ, jam juravit, cui alii accedunt Palatinatus, ut in generali circulo nihil tractetur amplius, niſi determinatio, quò ad ulteriores progreſſus bellicos. Summus hic contra certarum proditionem intentionum, & interceptionem literarum fremitus, quod non ſine animi ſenſu cernit Sereniſſimus, cùm civilia incendi videat odia, qui ad communem ſolummodo defenſionem ſubditorum ſuorum corda incendere vellet. Fautorum & Adhærentium Sueticorum, arcanarumq; machinationum inveſtigationem, pacatioribus relinquendo temporibus. Invitati ad Generalem circulum Duces Exercituum, ſelecti quidam de militibus Seniores Veterani, ut concernentia bellum eò ſecretiùs tractentur, quò perniciofius ſæpe eſt vulgari facienda, priuſquam fiant. Cracoviâ verò ſcribitur, quòd pro iminutione injūcti ad valla conficienda lytri, ſupplicavit civitas ſupremo Generali Steinbock. Sed in ventum inanes ivêre preces, irremiſſibiliter injunctā juſſit, ſub ſeveritatis interminatione, extradi ſummam, dumq; nec ad Regem Sueciæ acceſſus patuiſſet, nec D. Theſaurarius M. D. L. pro loc ſuppliciter interpellatus ſuccurrere potuiſſet, civitas cum plebe, & omnis conditionis, ſtatusq; populi ingentem numeraverunt pecuniam. Capitulum præter alia decora domûs DEI ſubtracta, grandis pretij & miræ pulchritudinis argenteas ſanctorum præſulum ſtatuas dedit. Academia tum pecuniâ, tum argento redemit vexam. Eadem infelicitas tetigit tenuitq; Religioſorum clauſtra, civium ſuburbia, graves ſupra modum cenſus in argento (cui enim tantum pecuniæ ſuppetere potuit) etiam Eccleſiaſtico ſolvere juſſa. Kleparz Suburbium in dies ſinguos 200 cereviſiæ tonnas, præter alium in victualibus commeatum ad caſtra mittere debet. Expulſus à Cathedrali Eccleſia Clerus, duobus non niſi relictis Sacerdotibus, omnia reviſa Sacella, ſepulchra & ſcrinia & alia argenti & rerum Eccleſiaſticarum receptacula ſuccedente reviſioni appenſione ſigilli, & militari cuſtodiâ, uſque ad deciſionem Regis. Poſt hæc, omnes lapideæ Capituli reviſæ, collocatis in eis Officialibus, D. Suffraganeo, Decano, Archidiacono, omnia ablata frumenta, idem actum civibus præcipuis, idem nobilium depoſitis. Multa mala ibi recurrunt, vix injunctam exſolverunt, pro nova contributione ad ſuſtentandum equitatum, mandatum exiit. Præter acceptas ex civitate ſummis, ſoli ſpirituales & Religioſi ducenta quinquaginta ſolverunt millia. Cracovia, præter innumera alia, dare juſſa decem millia ſolearum, tabaci decem millia pondo, carnium millia ſexaginta pondo, panis totiden, lardi pondo duodecim millia. Materias item ad cervicalia pro infirmis, ſyndones, & alia ſine numero. Triſtia ſcribo, cùm læta non occurrant, dolenda hæc & erubeſcenda ſunt. Quis nunc dicet Polonos collum non habere, quod jugo ſupponant ſervitutis? Poloni enſes non ad defendendum. Nobilem ſangvinem, ſed ad opprimendum populum amplius acuuntur. Pœnas ſuo utinam det denique damno, qui horum cauſa ma-

lorum

lorum. Nonne eſt metuendum, ut Rex Sueciæ faciliora perficiat, qui *A.C.* 1702
jam difficiliora perfecit &c.

EXPOSITIO FACTA SANCTISSIMO D. N. CLEMENTI XI. in publico Conſiſtorio die Jovis 20 Julij à Carolo Cardinale Barberino redeunte à ſua Legatione ad Philippum V. Hiſpaniarum Regem Catholicum Neapolim appulſum.

Beatiſſime Pater.

PErfunctus munere quod Sanctitas Vra eximiâ in me clementiâ immerenti licet imponere dignata eſt; ſiſtor Ssmis pedibus tuis, quibus, quâ par eſt, demiſſione advolutus, quod unum profiteri veriſſimè poſſum, hoc eſt ſacroſanctam Apoſtolicam dexteram tuam ſuſcepiſſe me, ac in virtute tua deduxiſſe me, eandemque cum gaudio reduxiſſe me, adeò, ut exploratum planè ſit votorum tuorum pretium extitiſſe obedientiæ meæ, in exequendis mandatis tuis complementum.

Quæ autem Ssme Pater Catholico Hiſpaniarum Regi Philippo V. de tenerrimi amoris tui paternæque benevolentiæ, ac intimæ Pontificiæ charitatis ſenſu expoſui, longè minora fuerunt eloquio tuo præexilitate ſermonis mei. Quæ verò repoſuit Rex pietate ac zelo præclarus, de ſua filiali devotione, parataque obedientia in Sanctitatem Vram, ac in Apoſtolicam Sedem, quos ambos Parentes ſuos amantiſſimos iteratò compellavit ſignanter, dum exciperet auream Dñi crucem gemmis, terrenis atque cœleſtibus pretioſiſſimam ditatam, ipſemet à Sanctitate Vra dono miſſam; hæc inquam majora profectò ſunt, quàm ego verbis ullis valeam explicare.

Reliquum eſt, ut meum eſſe dignoſcam, in quibus aut defecerim, aut defuerim veniam humillimè ac obnixè deprecari; tuum deinde fuerit Beatiſſime Pater, ingenti, quâ unicè polles, animi magnitudine benigniſſimè ignoviſſe, ac Apoſtolicâ largitate condonâſſe.

RESPONSIO SANCTISSIMI D. N. AD VERBA D. CARDINALIS BARBERINI LEGATI.

INjunctum tibi munus dilecti Fili noſter tam præclarè geſſiſti, votis ac expectationi de te noſtris tam cumulatè, ac prorſus ex hujus Sanctæ Sedis dignitate reſpondiſti, ut merito tibi nunc à peracta Legatione feliciter redeunti Pontificiæ laudes, collegarum plauſus ac univerſæ planè urbis gratulationes debeantur. Cæterum quæ de eximia chariſſimi in Chriſto Filii Nri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici pietate, filialiq; in nos & Apoſtolicam Sedem obſervantia retuliſti, tametſi nobis plurimorum literis, & ſermone, imò etiam famâ ipſâ nuntiante jam pridem innotuerint, à te tamen hoc loco commemorari libenter audivimus; hinc ſiquidem omnium, quotquot hic adſunt, preces excitare confidimus, ad Divinam bonitatem exorandam, ut cor Regis indies roboret, ad ea peragenda, quæ Chriſtianæ Reipub. ac Catholicæ Eccleſiæ læta eſſe poſſunt, & ſalutaria, inter quæ illud ſanè præcipuum eſſe omnes intelligunt, ut tam ipſe, quàm reliqui Chriſtiani Principes translatis in infidelium terras iiſdemmet, quibus inter ſe digladiantur, armis, non alia in poſterum, quàm prælia Domini prælientur.

BREVE

A.C. 1702

BREVE APOSTOLICUM
VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGNI POLONIÆ ac M. D. L.

CLEMENS PP. XI.

Venerabiles Fratres ſalutem &c. Afflictum inclytæ hujus Reipub. ſtatum, & parata adverſus eandem, ut videre eſt, Divinæ iræ flagella paternis oculis non ſine intimo dolore ſpectantes, moresq; quanto olim zelo fidelium iſtorum præſertim verò Eccleſiaſticorum corda incenderentur, ubi vel in minimum diſcrimen cum Patriæ tranquillitate Catholicæ Religionis cultum adduci viderent; perpendentes verò viciſſim, quàm in præſens eorundem charitas in communi iſto ac graviſſimo periculo refrigeſcere videatur, poſtquam diu, multumq; præſentium malorum cauſas nobiſcum perſcrutati ſumus, fateri coacti ſumus diem tandem adveniſſe, quò DEUS ſtatuit viſitare in verberibus peccatà populorum, eò, quòd dereliquerint legem ejus, & mandata ipſius non cuſtodierint. Porrò licet hæc ipſa cogitatio amaritudinem animæ noſtræ ſupra modum cumularet, de miſericordia tamen illius, qui propitiabilis eſt ſuper malitia hominum, merito confiſi vigilantiam ac zelum veſtrum Venerabiles Fratres adjungere ſolicitudini noſtræ decrevimus, quatenus fideles curæ noſtræ crediti, Paſtorali veſtrâ voce admoniti intelligant adeundum ſibi thronum Omnipotentis clementiæ ad exorandam imprimis peccatorum veniam, mox etiam ad implorandam Regni iſtius neceſſitatibus cœleſtem opem, ſine qua fruſtra ſemper conſilia humana laborant; verùm quia nemo magis hortatione ſuâ proficit, fructumque uberiorem colligit, quàm qui cæteris ſuo exemplo præire non renuit, pertinet in primis ad uniuſcujuſque veſtrûm officium ad eam morum pietatem atque integritatem vos ipſos conformare, quæ eos, qui authoritati veſtræ ſubſunt vel ſolo intuitu erudire, & per viam ſalutis poſt ipſa veſtra veſtigia facilè perducere poſſit. Quòd ſi hac occaſione omnes zeli veſtri partes implere non ſatagetis, earum calamitatum, quibus Regnum iſtud in præſens tam vehementer impetitur, illarumq; etiam, quæ impendere eidem facilè poſſent, Authores quodammodo dicemini, multò acriùs, multóque æquiùs hanc notam ſubituri, ubi quis veſtrûm (quod DEUS perpetuò avertat) zizania ſuperſeminantibus adſtipulari quoquo modo videretur. Quod ne cogitare quidem de ullo eorum, qui Venerabili iſti Ordini adſcribuntur, patitur virtus veſtra & charitas, quâ Fraternitates veſtras in Domino complectimur, ſed imò commune bonum ſingulis cordi fore confidimus, & vos inſimul curaturos eſſe, ut in hunc ſcopum populorum omnium ſtudia, preces ac vota dirigantur. Hinc ad incendendos eò magis eoſdem Regni Poloniæ, & M. D. L. populos, ad conquirendam per ſalutarem pœnitentiam opportuna in his urgentiſſimis neceſſitatibus Divina ejus remedia cœleſtium gratiarum diſpoſitioni noſtræ divinitus creditarum Theſauris largâ manu proferre decrevimus, quemadmodum ex alio diplomate, quod expediri juſſimus agnoſcent Fraternitates veſtræ, quarum interim partes erunt, greges ſibi commiſſos hortari, ut hujusmodi Theſauros lucrandi, occaſionem non dimittant; nosq; idem à DEO humiliter aſſiduis precibus expoſtulabimus, & Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Romæ 28 Octob.

(*L S*) Annulus Piſcatoris) Fr. Oliverius.

COPIA

COPIA LITERARUM LEGATI REGIS GALLIÆ Ad COMITEM PIPER 20. Julij.

INdolere cogor repulſæ factæ à Rege Sueciæ, non permittere ſecum mihi in caſtris colloquium, quo pleniùs informari poſſim de obtenta victoria; rem plurimùm gratam Regi meo facerem datâ ſufficienti relatione tam validi conflictûs, cujus ſucceſſus non minùs Regi meo gratus accidet, quàm tuo Regi fuit optabilis. Deferas velim Regi tuo ingentem mœrorem Domini mei habendum ſuper fata Principis Holſatiæ, ut primum de eis reſciverit, inde maximè, quòd exultans aliàs tam inſigni victoriâ, & inter prodigia fortitudinis & prudentiæ orbis judicio numerata cor Regis tui illis angatur, & turbetur. Fauſtum hoc exordium omen ſit, eritq; & augurium ulteriorum ſucceſſuum bellicorum. Innui nuper me libenter velle ſub ſignis Regis tui militare, nunc idem, ne ſim moleſtus, non repeto; ſi tamen id Regi tuo placuerit, paratum inveniet. Graviter tuli me de publicis negotiis tecum & cum Rege tuo non tractâſſe, cum quo Rex Dominus meus deſiderat renovare antiquæ amicitiæ fœdera, cum Anteceſſoribus ejus conſervata, aſſumereq; efficaciores, & convenientiores modos promovendorum ejus negotiorum. Copia literarum D. N. ad D. N, ad Regem meum miſſa conturbabit non dubito, Regem meum; quanquam jam illi nuntiavi me aliud non quod illæ ſonant literæ, tecum tractâſſe. Tibi quoq; eandem communico Epiſtolam, ut mihi ſignifices, quid tibi & Regi de contentis ejus videbitur. Conſideratâ immutabilitate Domini, nec meum animum ſubire potuit, Regem Sueciæ, vel Principem Holſatiæ potuiſſe habere vel momentum ejus judicij, de quo dictus Dominus ſcribit. Certum utiq; & manifeſtum eſt, Cæſarem tractâſſe cum hoſtibus Regis Sueciæ, promiſiſſe illis ſubſidia; conceſſiſſe exercitibus eorum tranſitum per dominia ſua, vendidiſſe captivos Gallos, ut contra Regem Sueciæ militarent, permiſiſſe, ut tranſirent Regiones ejus, ab ipſa Vienna ad limites uſq; Poloniæ, & niſi exercitus Cæſariani in Italia, & circa Rhenum diſtraherentur, belloq;, quod Rex meus gerit cum Cæſare, diſtinerentur, totum pridem impetum verteret contra Regem Sveciæ; hoc quoq; bellum, quod Rex Sueciæ coactus gerit, non exiguam facit hoſtium diverſionem in gratiam Regis Domini mei, ſicq; de ſe mutuò merentur Reges, licet de hoc inter ſe non contulerint, quantò jam agerent confidentiùs? ſi conferrent. Non dubito Regem Sveciæ, ubi libertatem Polonam ſtabiliverit, iturum in Germaniam ad vindicandas illorum Principum libertates. Scripſi ad Duces Exercituum Poloniæ, tanquam legatus illius Regis, qui eſt Pactorum Olivenſium Mediator.

COPIA LITERARUM LEGATI REGIS GALLIÆ Ad THESAURARIUM M. D. L. 20 Julij

EX Cracovienſi poſta innotuit nobis infortunium exercitûs Saxonici, aliquot diebus, antequam tuus ad me expreſſus veniſſet; ſummè gratulor Te & Notarium M. D. L. de tam valido conflictu evaſiſſe incolumes; pro cujus exacta relatione ago gratias. Scire anhelant omnes, quidnam ampliùs poſt tantam fortunam intendat Rex Sueciæ: ſi quando, nunc certè illi, probati adhibendi eſſent Conſiliarij. Probè nôſti, ut nemo melius ingenium Polonorum; non illos latet, neutra-

A.C 1702 neutralitatem, quam hactenus coluerunt, Regi Sueciæ dediſſe campũ, obtinendæ tam inſignis victoriæ. Timendum, ne, ubi Rex Poloniæ iverit in Ruſſiam, poſt eumq; Rex Sueciæ, Poloni preſſi exercitibus, heroicas aſſumant reſolutiones. Ordo exigendi commeatum, & ſeveriſſima licet diſciplina militaris minimè evincent, quominus ſentiatur onus à populo. Nemo, quàm tu meliùs novit heroica Polonorum pectora, qui nimiùm preſſi de potentiſſimis triumphare nôrunt hoſtibus, etiam in medio Poloniæ hoſpitantibus. Tuum erit perſuadere Regi Sueciæ, ne nimis eos premendo laceſſat exactionibus, aliàs læſa eorũ patientia facilè degenerabit in furorem. Meo judicio præter duo hæc Rex Sueciæ optare nequit; ſcilicet vel coronam detrahere Regi Poloniæ, vel illi pro arbitrio & placito ſuo porrigere conditiones, ut alterutrum eorum fiat, adimenda ſunt omnino ſubſidia, quæ ex Saxonia haberi poſſunt; quò, ſi Rex Sueciæ iret cum exercitu; hæc diviſio, quam habet in hoc Regno Rex Poloniæ nullâ morâ ab eo recederet, quo facto Rex alibi extra Regnum quærere aſylum cogeretur. Non diffiteor hac profectione in Saxoniam Regem Sueciæ multùm promoturum intereſſe Regis Dñi mei, ſed non minùs ſuum, maximè verò hujus Reipublicæ, & domûs tuæ. Gratum mihi Regiq; meo faceres, ſi inter eum & Regem Sueciæ illam renovares amicitiã, quam cum ejus anteceſſoribus Rex meus habuit. Hæc renovatio amicitiæ plurimùm eſſet Reipubl. utilis, tuæq; perſonæ. Vterq; enim Monarcha in conſervationem modis omnibus libertatis Polonæ in honorum & fortunarum tuarum reſtitutionem, damnorum illatorum compenſationẽ conſpiraret. Non graveris ſeriam impendere operam, conciliandæ tam optatæ unionis, quam ubi feceris, utrumq; Regem ad magnam gratitudinem obligabis. Ingentia acta, quibus ſinè ullo colligatorum auxilio orbi innotuit Rex Sueciæ, nullius eum operâ indigere demonſtrant, ad perficienda ea, quæ intendit. Certior tamen, magiſq; indubitata ejus foret intentionum executio, ſi circa eam ageret unitâ virtute cum ſibi ſincerè faventibus. Si tractandum fuerit de pace inter Regem Poloniæ & Sueciæ, quam non ſpero, mediationis honor mihi pertinere videretur ad Regem Galliæ, cùm manifeſtè Cæſar pro parte Polonorum ſe ſe declaraverit.

COPIA LITERARũ à PALATINATIB9 MAJORIS POLONIÆ AD CASTELLANUM CRACOVIEN. 30 Julij.

JAM cum gratiâ Divinâ ad Szrzedam armati pro luſtratione ſubſiſtebamus & ulteriora intuitu expeditionis bellicæ internæq; ſecuritatis promebamus conſilia: cum interim allatum nobis eſt à civitate univerſale Guldenſternij Suetici Generalis, in quo civitatibus intimat, ſe noſtros transgreſſum limites in interiora Provinciæ progredi, ibidemque imperat, ut de commeatu provideant, eum congregent ac extradant, hinc jure meritò aſſentire juſſis ejus indebitum putavimus tanquam gens libera quidque nemini ſervivimus unquam, conſtituim⁹ exnunc militari more proficiſci ſub Poſnaniam ad protegendas partes illas tamdiu; dum tertia innoteſcentia à Regia Mte, aliunde (nam hactenus nullam in noſtris caſtris habuimus) evocaverit. Quia verò limitibus Provinciæ noſtræ & civitatibus non minus neceſſaria ſecuritas eſt; præſentibus Caſtellanum Cracovienſem rogatum volumus, ut Generalem Brandt ad repartitionem noſtram pertinentem miſſô mandatô expediat, jubeatque ut quantocius acceleret cum copiis ſuis ad Palati-

natus

natus noſtros & in abſentia noſtra limitibus attendat, peditatum etiam noſtrum ex poſſeſſionibus & bonis lectum ſub directione Zlotnicki Magiſtri Equitum exiſtentem hactenus Poſnaniæ pro præſidio uti & alios milites noſtros eidem committimus, ſimulq; declaramus, nos ubi exercitûs fidelitatem in Remp. & generoſitatem adverterimus, ſtipendia debita repartitionis noſtræ libenter exſoluturos. Szrzedæ 30 Julij *A. C. 1702*

Adamus Zychlinski PCFK.
Mareſchalcus Circuli Equeſtris Comitiolorum Palatinatuum Majoris Poloniæ

COPIA LITERARUM à D. BRUN SCRIPTARUM
Chorzelevio 17 Octob.

EX caſtris Regni fui expeditus ad Regem Sueciæ, ut ultimatum acciperem reſponſum, quid ſperare velit Remp. redivi cum reſponſo non admodum grato; aſſerit enim Rex Sueciæ ſe pro mediatrice non poſſe habere Rempub. quæ ſe ream fecit, Ducibus non inhibendo infeſtationem Suecorum: unde deſiderat, ſi ſe ream non agnoſcit Reſpub. ut Duces puniat, aliosq; infeſtantes: quo ipſo ſignificant Sueci, ut liberè illis graſſandi licentiam & pro libito agendi omnia concedamus; hoc illorum votum eſt, ut contributiones exigant, arces, civitates, pagos exurant, nobis interim ſilentiariis nec ſenſu doloris relicto, imò gratiis velut pro beneficio & re benè geſta imperatis. Commiſſarios non agnoſcunt eſſe legitimos, per reſpectum; quia Major Polonia non adfuit actui, ſolusq; Caſtellanus Ihovroclavienſis in vim ratihabitionis ſubſcripſit volens Capitaneũ Oſtrzeſzovienſẽ hoc munere defungi: itaq; concluditur ab illis non ſuſcipi modernam Legationem, quia illam remittunt ad reſolvenda puncta poſita ſuperius. Interea tempus Sueci habebunt, exigendi graviſſimas contributiones, & commeatus; præpediendique ne ſibi conſulat Reſpub. Jam Rex Sueciæ hodie conſtiturus erat cum univerſo exercitu ſub Opatovia, illicq; forſan aliquantum morabitur imminutis aquis navigationem cum tormentis retardantibus. Hactenus non trajecit in alterum litus tantumq; auditur verſus Caſimiriam proficiſci velle, eo intento: ut hiberna ſtativa Janovci, Lublini, Zamoſci, & in Volinia Generali Maidel aggregati ſortiantur. Regi noſtro ejuſque copiis in Pruſſia hyematuris infeſti eſſe nolunt, verùm timendum ne decipiant ſub hac larva: ajunt nec Varſaviæ ſe futuros, nihilominus quivis ſuæ ſecuritati & rebus ſuis conſulat.

Legatio & mediatio Reip. non admiſſa

Legatus Cæſareus ſpem facit pacis intra duos menſes, verùm non credendum, conſultiùs eſt eſſe paratum ad omnem eventum.

Galli autem omnem movent lapidem ut in eo ſtatu ſuſtineant Septemtrionem. Rex Sueciæ ſiniſtrum ſolummodo pedem ſupra genua fregit, & cuticulam de naſo amiſit: non id illi nocebit, exercitus ipſius paratus omnimodo ſubſiſtit pauperibus ubiq; gravis, hoc ſolo & uno miſericors, quòd vitæ & ignibus parcant. Valachi noſtri illis accenſi ad majorem deſolationem præclarè manus accommodant. Copiæ Regni hodie verſùs Provorſcum abierunt, illinc Sendziſzoviam verſùs Caſtellaniam Sendomirien. ituræ, ut Ruſſiæ partes objectu ſui ab incurſione tueantur. Quantumvis flos militiæ loricati Equites de inopia querantur; patiendum illis nihilominus eſt, & dilatio duarum hebdomadarum illis acceptanda, quod ſpem faciant ſtipendiorum Dñi Commiſſarij.

In Caſtris feci relationem DD. Ducibus, ſpem nullam tractatûs ſupereſſe: quod minimè terruit tam Duces quàm etiam milites, fortia

A.C. 1702 & hi & illi clamârunt. Vellet modò Nobilitas, poſſet illa jugum excutere: verùm dum opinionibus laboratur, vix credibile, ut ſe ſalvare velint. Conveniunt ſecum valdè benè concordesq; ſunt Duces & exercitus, ſolus Præfectus vigiliarum Regni aliquid attentare auſus eſt, ſed nequaquã id potuit; contumacia illi malè vertit. Citatus enim in jus dũ jam jam decretali ſententia obruendus eſſet, revocavit perperam dicta, inculpando potiſſimùm ebrietatem, quo inclinatus læſus Dux pro illo interceſſit, & ſic miſericordiam reus obtinuit. Hodie nihilominus ex apprehenſione febri laborare cœpit. Generalis Maidel cum Palatino Vilnenſi jam conſtitiſſe ad Craſnoſtavum dicuntur ſicq; videmus indies plures & plures ſuccedere, fruges conſumere natos, ac ſi priores non ſuffeciſſent.

Suaſum à Commiſſariis & Ducibus, ut proximè ab adventu Varſaviam ex nunc legatio ad Reges Pruſſiæ & Daniæ, item ad Carum Moſchoviæ expediretur, invitando illos in ſocietateem armorum.

XXXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. SIGISMUNDO STANISLAWSCIO JUDICI VARMIENSI.

1. Novemb.

POſſibile non eſt, ut capias afflictionem cordis mei nunquam ceſſantem; quia inceſſanter aut legere aut audire querelas cogor, ſimiles huic in literis tuis expreſſæ. Nollem diſcooperire unum altare, ut alterum cooperiatur. Nollem ut unus gaudeat ſe liberatum eſſe, alter lamentetur ſe ſub onere fatiſcere, perdifficilis res eſt, hoc tã calamitoſo tempore ſex millium nongentarum viginti quinq; portionum exdiviſio; quibus ea res commiſſa eſt, vellent neſcire literas pro ut ipſi ſcribunt. Libenter ſi poſſibile foret omnes liberarem ab hoc onere, utq; ipſi immunes eſſent, per mea diſpendia agerẽ; quin jam mandavi, remandavi, expectavi reexpectavi, videns verò me nihil proficere, ipſe me in proximo accingam itineri Thorunium, ſupplicaturus Regiæ Mti pro populo, qui certò ſuccumbet ſi non miſerebitur Dnus. Quæſivi hactenus media & quæro adhuc, ut allevietur onus, quo omnibus præſertim tibi ſincerè mihi dilecto levamen aliquod contingat. His delatis ſum &c.

CONFOEDERATIO VEXILLORUM IN MAJORE POLONIA CONSISTENTIUM

IN NOMINE Ss. TRINITATIS

NOta ſit orbi, iterata jam, utrobique injuſta à Suetico Exercitu facta, Patriæ noſtræ invaſio, noſtra verò moderatio & in extremis etiam infortunijs conſtans erga Monarchas liberæ gentis fidelitas. Arbitrabamur hactenus, Regem Sueciæ, velut nullas ad Rempub. habentem prætenſiones, pacta, juraque noſtra in integro ſervaturum; verùm contrarium, per biennalem ejus in Regno noſtro commorationem, experti ſumus; quòd ſcilicet, per omnia hoſtis non hoſpes venit; fruſtraque nomen inane Protectoris, in tot univerſalibus ſibi uſurpans, re oppreſſor & hoſtis, nihil hactenus egit, niſi in noſtri confuſionem & oppreſſionem, everſionem jurium & libertatum, perniciem Regni & Majeſtatis. Poſt infelicem enim ſub Kliſzovia, propter arcanas Exercitûs Saxonici ſeditiones, diſperſionem; Metropolim Regni, Cracoviam

am doloſè occupavit, ab Eccleſijs & civitate ingentia extorſit lytra, ex A.C.1702 armamentario omnes abſtulit amunitiones, depoſita Nobiliũ, etiã ſepulchra mortuorum ſcrutatus, eripuit; ærarium Regni, ſpe auferendæ coronæ, devaſtavit; & quod ſumma inter damna cenſendum eſt, ſacratam Regum Poloniæ ſedem, toti Europæ nota antiquitatis pergama, Heroſtraticis buſtis incineravit: inde toto diffuſus Regno, cum ſummo Nobilitatis gravamine, contributiones comminationibus ignis & ferri extorquebat, in caſu non extraditæ minimæ portionis, oppida & pagos incendebat, in Nobilium domibus ſtativa Exercitui ſtatuebat, violentias & rapinas in eis fieri permittebat, tot noſtros fratres domibus expulit, fortunis ſpoliavit, depoſita variis in locis abſcondita ſine reſpectu privilegiati loci, diripuit, quoſdam captivavit, quoſdam premi fame, alios morti adjudicari juſſit, penecꝫ nomen Nobilitatis cum juribus, boniſcꝫ eorum, delere contendit; Thorunii fortalitium, poſt diuturnam obſidionem, fide illi non ſervatâ, ſolo æquavit, portas, turreſque cuniculis dejecit, amunitiones & depoſita nobilium abſtulit, templa omnibus ſplendoribus ſpoliavit, etiam campanis ex eis ablatis: quam violentiam & oppreſſiones omnibus civitatibus tam Caſtrenſibus, quàm aliis munitioribus in Regno Poloniæ, præſertim verò in Pruſſia, contra Regiam aſſecurationem intúlit; Gedano quoque, ultimo Regni Poloniæ fortalitio, licet ingenti lytro toties redimenti vexam, hactenus vim inferre meditatur, templa in toto pene Regno ſplendoribus ſpoliata, in granaria & ferè ſtabula convertit, Sacerdotes, aliaſcꝫ ſpirituales perſonas longa incarceratione preſſit, montem Częſtochovienſem, tot prodigiis clarum, dicata DEO & Matri ejus Gazophylacia expilaturus, ſuo cinctum Exercitu, aliquot ſeptimanis tenuit, vexilla noſtra conſiſtentiis pepulit, alia ſuſtulit, totque fratres noſtros, cum depreſſione Poloni, heroicꝫ nominis, in captivitatem abduxit. Denicꝫ per abominabilem cum quibuſdam Principalioribus, in everſionem ſtatûs, oppreſſionem Nobilitatis, conſpirationem,in eam deſperationem, & ſervitutem quoſdam filiorum hujus Patriæ induxit, ut ad illius univerſalium promulgationem arma capeſſere, prohibita legibus conventicula, ſub prætextu confœderationis, cogere non dubitaverint, ultra verò eos per abrupta ducens, dulcedine tractatûs, bienniô propoſiti, illectos, falſiſque promiſſionibus, alleviandarum contributionum deceptos, ita dementavit; ut legitimum Regem Auguſtum ſecundum, ruptô vinculô juramenti, in Comitiis pacificationis ſuper præſtanda illi fidelitate, facti, dethronizare, interregnum & novi Principis electionem proclamare, omneſque Reipub. cives, pernicioſis eorum intentionibus contrarios, pro hoſtibus Patriæ declarare auſi fuerint: per quod domeſticorum turbinum, belli Moſchovitici, & Coſatici, deteſtanda jecit ſemina, ut menſurã impleret hoſtilitatis,Avi ſui,nondum obductæ cicatrici atrociora vulnera ſuperinducens. Quapropter nos militaris Ordo Regni Poloniæ, à Ladiſlao Biernacki Enſifero Wſchovienſi noſtrorũ regiminũ Præfecto cõvocati, univerſalibus Regis, de proximo interitu, communis matris noſtræ Patriæ, præmoniti, practicata ſub Tyſzowciis in ſimilibus Patriæ infortuniis, media defenſionis, arripere ſtatuimus. Hinc proteſtamur corã DEo, toto univerſo, ſtatibuſcꝫ Reipub, quòd non propter ullum privatum intereſſe, nec contra Remp. molimina, aut fovendas ſub prætextu libertatis alienas intentiones, nec propter exigendas portiones, quibus juxta conſtitutionem comitiorum Lublinenſium contenti eſſe debebimus, nec denicꝫ propter repetendam, deſervitam obſequiis mercedem

A.C. 1702 cedem, quam in ſinum fratrum, donec pacificetur Patria, reponimus; verùm ad naturalem hujus Patriæ noſtriq; ipſorum defenſionem, Nos reſolventes, confœderationem Majoris Poloniæ, ejusq; pernicioſos progreſſus deteſtamur, non ideo ſolùm, quia confœderatio in ſciſſionibus formata, hoſtem per comitia declaratum, in Protectorem ſuſcipit, atrocia bella in viſcera Regni inducit, liberam electionem tollit, nec exercitui ſtipendia aſſecurare poteſt; verùm etiam ex ratione perjurij, DEo & hominibus deteſtandi: Tarnopoli enim, elapſo anno, inſtinctu & exemplo Ducum circa fidem S., jura, libertatem, dignitatemq; AUGUSTI II. Regis noſtri, facto totus exercitus juramento; in contrarium jurare nequit. Econtra verò panſis animis & affectibus, confœderationem Palatinatûs Sendomirienſis, in omnibus comitiolis, omnium votis promotam, & per electionem Mareſchalci, Stanislai Comitis Dönhoff Venatoris M. D. L. finitam, amplectimur; pro evictione perſonarum noſtrarum & aſſecuratione mutuæ confidentiæ, unionisq; tam armorum, quàm conſiliorum, referimus gratias quódve ab hinc velut unum corpus, & unus ſpiritus cum inclyto hoc Palatinatu futuri ſimus, declaramus; mutuam dantes ſponſionem, quòd ad defenſionem, tam totius Reipub, quàm hujus Palatinatûs, ſangvinem & vitam impendemus; nec eum in adverſis deſerêmus; Conſiliarios noſtros juratos ad latus Mareſchalci Confœderationis, ad gremium ejus conſiliariorum deſignamus, hacq; mutuâ cum Palatinatu & tota Repub. fundatâ confidentiâ, omnibus modis, vitæ non parcentes & ſangvini, armati cives, Patriam hanc ab hoſtilibus oppreſſionibus liberare deſideramus; AUGUSTUM verò II, ſicut pro Rege agnoſcimus; ita dignitatis ejus defenſioni, ſangvinem & vitam immolare parati ſumus; nomen Nobilitatis, non tantùm in filijs Regni hujus profanatum, verùm etiam ex Livonia à Regno avulſa, unà cum fide ſancta Catholica, contra pacta Olivenſia ejectum, vindicare & conſervare appromittimus, hocq; fine, ejurantes Ducalem ſuper nos poteſtatem, & obedientiam, donec, tam ab intra, quàm ab extra pacificetur Reſpub, hoc ſalutare militaris confœderationis opus, velut efficaciſſimum ſalutis publicæ medium, aſſumimus, ad quod omnes, jure nobilitatis gaudentes ſub amiſſione hujus nominis, & characteris, univerſalibus Mareſchalci noſtri invitamus, & convocamus. In Mareſchalcum verò Confœderationis noſtræ; Stanislaum Chomentowski, Radomicenſem, Złotorienſemq; Capitaneum, eligimus; cui obedientiam, juxta leges Ducales, militaresq; articulos, ſacroſanctè præſtandam, appromittimus, ſciſſionem nullam facere, & ne à quopiam fiat, præcavere, declaramus, & conjuramus, non prius evinculationem facturi, quàm in toto pacificetur Respub. Mareſchalcus quoque, mutuo ſeſe Nobis obſtringet juramento; quòd in omnibus, integritatem S. Fidei Catholicæ, jura, libertates nobilitatis, dignitatem Regis AUGUSTI II. ſit conſervaturus, nomen Nobilitatis vindicaturus, omnia puncta Confœderationis hujus obſervaturus, hoſtem, non fictis conatibus, pro viribus Exercitûs, infeſtaturus, nec cum eo, aut ejus adhærentibus, ullas cointelligentias & correſpondentias ſit habiturus, nec ulli alteri directionem Exercitûs commiſſurus, in omnibus verò præſentium ad latus ſuum Conſiliariorum ſit ſecuturus conſilia.

ACTUS

SIne viribus, unione, conſiliis, penéq; ſuis fatis permiſſam cernens Rempub. Cardinalis Primas, extremamq; ejus ruinam, è ſuæ poteſtatis ſpecula contemplans, in tam gravibus civium preſſuris & emunctionibus, ubi, alij per orbem diſperſi, alii boni communis prorſus incurii, omnes ſtudia in contraria ſciſſi, ſui & Reipub. immemores, ſe Patriamq; exinaniri ſinunt, unicè ob defectum unionis & confidentiæ, cujus reinducendæ nullum adæquatius & efficacius adinveniens medium Cardinalis Primas, ſcripſit circulares ad Senatores Regni & M. D. L. convocando eos, Varſaviam pro 15 Februarij, ut ij, quorum prima ordine & dignitate vox in conſiliis, adinvenirent media pacificandæ & ſalvandæ Reipub. Quò pro præfixo termino quidam Senatores convenerunt, in exordio Senatûs conſilij Cardinalis Primas tales fecit propoſitiones.

1mo. Utrum in hac calamitate, ubi jam Patria in extremum ruit interitum, confidentia civium exulat, quemque ſuum rapit ſtudium, in tanto diſordine preſſis, & emunctis Regni Provinciis, fuerit neceſſaria determinatio hujus, planè confidentialis conſilii, licet illud, extortis quorundam perſuaſione revocatoriis, Cancellaria, privati conventiculi nomine appellavit?

2do. Quia, poſt tam longas primatis Cardinalis perſuaſiones & ſolicitationes, opportunè tandem venerunt literæ à Rege Sueciæ, indicantes ejus ad quietem inclinationem, ita tamen, ut hoc, independens eſſe, & in loco libero, poſſit tractari, negotium: Quid in hoc puncto agendum?

3tio. Congreſſus hic, ad quod, & quantum tempus limitandus ſit, ſiquidem in his occurrentiis, ubi pacificationis erumpunt indicia, tempus, & Palatinatuum reſolutio ſunt neceſſaria?

CONCLUSUM.

Ad primum. Quicunque huic Patriæ bene vovet & favet, alterius ſenſûs eſſe nequit, quàm juſtè Candinalem Primatem, ſcripſiſſe literas, præſentem convocaſſe Senatum, gratiâ capiendi conſilii in ordine ad invenienda media, pacificandæ, extremè turbatæ & confuſæ Reipubl.

Quia verò Cancellaria proprii forſan fœcunditate ingenij, congreſſum hunc privatum vocavit conventiculum, indolet huic nomenclaturæ præſens Senatus, vultq; deferri Palatinatibus & terris Primatialem per hoc, & Senatûs authoritatem, cum magna ejus injuria tam indignum incidiſſe vocabulum.

Ad ſecundum. Votis omnium tamdiu deſideratum intereſſe pacificationis totius Reipubl. quia invenit ſui amplexum in pectore Regis Sueciæ hactenus ad id ſummè difficili, hocq; factum eſt curâ, & perſuaſione Primatis Cardinalis, cui tanti meriti, in poſterorum cordibus perenne inde ſit Mnemoſinon, viſum eſt præſenti conſilio, opportunum eſſe, ut eas literas, copiatim in ſequentibus Comitiolis Nobilitati Primas communicaret, ſuis ſimul literis invitando, ut huc ſuos Legatos ex Palatinatibus & terris expedirent. Et quia Rex Sueciæ exigit, ut hoc negotium à libera, & non coacta Republ. ſine metu & ſciſſione inſtituatur, præcavendo inſuper apertè, quòd nulla conſilia & tractatus in ordine ad pacificationem in præſentia Regis Poloniæ acceptare velit, ideo, ſi eſt verum in Principe tranquillitatis Reipub. hujus, deſiderium, uti ſpes eſt, quod & ipſe Rex noſter propter ſolatium univerſi in eam

ſit

A.C. 1702 ſit conſenſurus, ita, ut in hac materia, Cardinalis Primas literas illi ſcriberet, eſt concluſum.

Ad tertium. Limitationis congreſſus terminus opportunè deſignatus eſt, die 27 Martij ut præcedens Thorunij 16 ejuſdem, conſilium, ex præſentibus comitiolis literiſque Regis Sueciæ de intentionibus ejus informatum, ſuum addere poſſet momentum, ſecuturo huic ex limitatione conſilio.

COPIA LITERARŨ D. TWORZYANSKI AD PALATInum Maſoviæ in Octobri ſcriptarum.

Acta apud Suecos & Sapiehas

POſt tot ſollicitationes Regis Sueciæ abruptâ fere ſpe tractatûs, ulteriores forſan Reipub. in tam deplorabili ſtatu aſſumendæ erunt meditationes. Ex nunc poſt meum huc adventum reddidi literas Comiti Piper, additô complementô, Regem Sueciæ jam nullum in negotio Tractatûs ſcrupulum habiturum, me nunc ab omnibus tribus Provincijs unitis, & mediationem amplectentibus, adveniente nomine Commiſſariorum; qui in proximo exiſtentes ruere exoptant in Regis conſpectum, tamq; ſanctum opus inchoare. Unionis hujus Provinciarum documenta me habere aſſerui, petendo inſuper, ut quemadmodum à principio oſtendebat ſe propendere in publicam tranquillitatem, ita nunc ab eadem procuranda non deſiſteret, ad quæ omnia ſat affabili reſponſo dato, me remiſit ad Wachtſchlager, cum documentis, quæ illi reddidi; ſcilicet limitationem Magni Conſilij, Excerptum laudi Ducatûs Maſoviæ, & literas Generalis, nomine publico ſcriptas: copias laudorum Srzedenſis & aliorum vix relegi, ex nunc Secretarij ſtatûs præſentes apud Wachtſchlager aſſeruerunt, ſciſſiones eſſe & ſimultates in Polonia. Ad hæc replicui, hos, qui dicuntur eſſe in ſciſſione, nihil certi adhuc concluſiſſe, ſed actum cum toto ſuo effectu, in aliud tempus limitâſſe, ſatiſq; eſſe, quòd non contraveniant Sendomirienſi ſancito. His aliiſq;, quæ ex re & opportunitate occurrerunt expoſitis, ivi ad locum mihi pro conſiſtentia aſſignatum. In via deflexi ad habitantes in proximo pago Sapiehas, ubi majores difficultates, fereq; impoſſibilitates hujus negotij inveni. Scimus, inquiunt, quæ aguntur Varſaviæ, quæ in Litvania, non nos latet, de Majore Polonia, quantæ ibi non tam in ſenſibus ſciſſiones, quàm usq; in lanienam contra juſtè proteſtantes, conſpirationes, liberæ vocis oppreſſiones. Dum verò in contra relationẽ comitioliorũ & Generalis ſub circulo Conſilij opponerem, nullatenus aſſertis invenire potui fidem uno præcipuè aulico Boboryſcenſis Capitanei omnia à me dicta, falſa eſſe, eo probante, quòd nunc ex Majore Polonia redux omnia ibi contraria vidiſſet & audiſſet, aſſerens, nulla in tota Polonia fuiſſe comitiola ſine ſciſſione & reclamationibus. Ex his inferre poteris, quantas exprobrationes & convicia contra innocuum præſertim Principem audiverim. Replicui ſatis omnibus ex rationibus, quas ſenſûs rectitudo ſuppeditare potuit, circa zelum pereuntis propter privatũ quorundam intereſſe, Poloniæ, ſed nihil profuêre obſtinatæ in perverſis ſuis intentionibus malitiæ. His itaq; fortè eorum impreſſionibus præoccupata aula Suetica, ad meam ſollicitam requiſitionem, nuper cadente ſole, miſit ad me ut venirem pro reſponſo, parui, veni, & priusquam reſponſum apud Wachtſchlager, inveni redargutiones, quas præcipuè ab hac cœpit quæſtione: Quare Rex Cardinalem expectare noluit? plura huic adjecta ſunt de ſciſſionibus in Polonia. Quibus dum iterum replicui, nihil in Poſnanienſi

nienſi

nienſi & Caliſſienſi Palatinatibus actum eſſe contra mediationem, dato *A.C.1702*
tamen quòd aliquid contra fuerit ; duo Palatinatus non conſtituunt Provinciam, utiq; etiam in Comitiis, licet aliquod ſupra 10 comitiola rupta fuerint in Provinciis, modò tamen aliqui Palatinatus per Legatos repræſentent Provinciam, agenda aguntur, & concluduntur, abſentesq; partes non integritati comitiorum, aut Corpori Reipubl, ſed ſibi nocent. Sed mea hæc aſſertio ſub diſtinctione acceptata eſt.

Aliud inquiunt eſt in levioribus materiis, at hic, ubi de re tanti momenti agitur, quæ ſapit perpetuitatem, omnino neceſſarius eſt conformis omnium, ſine contradictione & ſciſſione, aſſenſus. His, aliisq; aſſertionibus, datâ pro exigentia negotij replicatione, ivi ad Comitem Piper, à quo acceptis literis, poſt aliquantum diſcurſum & valedictionem, iterum cum ardentiore zelo ivi ad Theſaurarium M. D. L.; cui, inter valedicendum, demonſtrando, deplorandum innocentis Poloniæ, ex eorum occaſione ſtatum, ea dixi, quæ æquitas cauſæ, & juſtus furor ex læſa prorumpens patientia, ſuggeſſit. Explicato itaq; præſenti rerũ ſtatu; tam publicæ ſorti, quàm magno Characteri Collegij veſtri compatior, qui ultra authoritatem vos demittendo, poſt tantas ſollicitationes ad tractatum, intuitu publicæ tranquillitatis, eam habere felicitatem non potuiſtis, ut pacis Authores diceremini: Judicet eos DEus, qui tanto operi obicem poſuerunt. Inter prima pacis obſtacula, conſervatio eſt Sapieharum, cujus modum in hunc usq; diem, invenire non poſſunt. Hæc ego infelicis negotij Nuntius defero, & cum concludendi Tractatus ſpes non affulgeat, declaratione obſequiorum concludo epiſtolam.

COPIA LITERARUM DUCUM EXERCITUUM REGNI POLONIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM.

EXercitûs univerſi, ſimulq; noſtri officij cauſam ante te ſtatuimus, *Locatio militis externi*
ut excelſo tuo judicio, utriuſque præjudicium pateat, & injuria, ex eiſq; ſecuturis inconvenientiis, è ſpecula Primatialis gradûs obſtacula tempeſtivè prævideantur, & ſubmoveantur. Inter tot infortunia & calamitates publicas, etiam hoc non poſtremo eſt ponendum loco, quod ex rationibus injuriarum, & juſtis querimoniis Exercitûs noſtri elicitur, cujus conſiſtentiarum ſpatia per Exercitum externum circum circa ex diſpoſitione locatum, ita anguſtiata ſunt, ut in uno pene angulo ad confinia Hungariæ arctentur, hincque promptitudo ad obſequia Reipublicæ ita conſtringitur, ut ob infrequentiam millitum ſub vexillis, non ſit, quod invaleſcenti Coſaticæ opponamus rebellioni, nomenque planè Exercitûs non corpus, illas in partes moveamus. Non exiguum certè id eſt Reipub. intereſſe, ut noſtri miniſterii jura manuteneat, quæ per dictam externi Exercitus diſpoſitionem vim patiuntur. Exponi ergo per te Sereniſſimo Regi petimus, noſtras & Exercitûs injurias, ut juſto eius dolori ſatisfiat, totiuſque Reipub. ſitum in Exercitûs iniuriis intereſſe, tua authoritate promoveri. Nec hoc tuam latere volumus notitiam, quòd Generali Steinbock non tantùm per iteratas *Extraditio Succorum captorum.*
nomine Regis Sueciæ literas, & per invaſionem oppreſſionemq; omnium bonorum Rzeſzovienſium, omnino urgente reſtitutionem militum Suecorum in præterita expeditione captorum, vel refuſionem pro quovis Equite trecentorum, pro Pedite ducentorum Imperialium, verùm etiam ſub Leopolim tendere, (pro quo jam habet ordinationem Regi-

am)

A.C. 1702 am) intendente propter eliberationem dictorum militum, occurrendo ruinæ totius Ruſſiæ, reſolverimus nos in nupera ſeſſione, non expectatâ totius Reipub. deciſione, (quæ eſſe tam citò nequit, aliunde verò rumpere moras inſtantia cogunt pericula) reſtituere nominatos captivos pretio conſervationis, non tantùm fortunarum noſtrarum, verùm etiam tam magnæ Provinciæ Ruſſiæ, habito tamen ad id aſſenſu magnorum nominum, nobiſcum in eadem conferentia præſentium, ut ex copia datæ nobis aſſecurationis patebit. Tuam quoque authoritatem obſecramus & obteſtamur, ut inevitabilem eiuſmodi facti neceſſitatem, explicare Reipub. ubi opus fuerit, non graveris. Ex eadem prætacta copia, ſenſum hic præſentium intelliges hujuſmodi, ut ſcilicet ad ſopiendos tumultus Ucrainenſium, expediatur Legatus ad Imperatorē Tartarorum pro ſubſidio. Ut verò id majore pondere fiat, & efficaciâ, petimus à te perſuaderi Regi, ut ad eundem Imperatorem, ea de re literas ſcribat, tuque tuas adjungas. Alteravit nos non mediocriter notitia illatæ, contra jura gentium, characteri Legati Galliæ Regis, violentiæ inde enim, quantum periculum ultionis tam potentis Monarchæ, tua conſummata id profundius penetrabit prudentia? Viſum ergo etiam in hoc puncto, ſi res concordat cum fama publica, proponere, ut tui interpoſitione conſilii, Rex cogitet, de mediis ſatisfactionis Miniſtro huic pro injuria illata. Præterea, quia ex intereſſe totius Reipub. omnino videtur neceſſarium, juſtificari nos coram Rege Galliæ, exponendo per ſeorſivas, exceſſum hunc ultra omnem notitiam Reipub. contigiſſe, id ut pro tua ſtatione & zelo in bonum publicum te facturum, minimè dubitamus, ſic conjunctis ſenſibus & precibus poſtulamus.

Violentia Legato Gallico illata

COPIA RESPONSI PRIMATIS CARDINALIS DATA DUCIBUS

Literæ veſtræ, erga me confidentiæ, erga Patriam filialis amoris, erga veſtra officia vigilis ſolicitudinis, indices, evincunt à me diſtinctas tribus hiſce functionibus venerationes, non in ternario tamen, verùm ultra milleno gratiarum actionum numero. Dum enim altiore volvo conſideratione, tam unanimem veſtrum, circa bonum publicum, zelum, bonum mihi reſultat omen, hanc Rempub. tantos fortitam Duces, ex præſentibus tenebris, ſine errore prodituram in lucem, clariuſq; nitentes ſoles. Quidquam ne optabilius aut iuſtius in tantis tumultibus, à duobus pene titionibus incenſæ Reipub. eſſe poteſt? quàm ut exemplô inclytæ Provinciæ Ruſſiæ, etiam alij Palatinatus invicem ſecum conferant, cum tota ſimul Reſpub. nequeat de mediis ſuæ ſalutis agere & conſulere, quo fit, ut diſperſi omnes, cæcâ nocte premantur & nec convocare ſe poſſint, nec habere in promptu conſilia. Detuli Regi inevitabilem neceſſitatem Sueticos extradendi captivos, non dubito, etiam in illo conſilio conformem fore reſolutionem illi, quæ vobiſcum in extraditione eorum diſpenſavit: quantum enim fieri poteſt vitari convenit mala non provocare, nec hi captivi tantæ ſunt conſiderationis, ut propter eos Regio illa ire debeat ſub caſum vindictæ & deſolationis. Propoſui quoq; Regi, per injuſtè occupatas ab externo milite conſiſtentias, grandem Exercitui Polono, veſtræq; juriſdictioni fieri injuriam, permoturumq; id totam Rempublicam, cujus ſalus & integritas, vi & authoritate veſtrâ, velut firmiſſima baſi ſuſtentatur: quid ad hæc aula dicet; audiemus. Triſte factum & omni genti ſcandaloſum, violenta Legati Galliæ Regis interceptio, novorum Reipub. infortuniorum,

orum, juſta formido eſt, & meditatio. Quis enim ignorat longas Regibus eſſe manus, huncq; tam potentem Monarcham, diſſitus quantumvis à nobis ſit, terràq; mariq;, extendere poſſe, manum ſuam, & fulminis inſtar, unde minimè ſperabimus, ferire. Ne tamen Achivorum caſu innocens pro delicto hoc patiatur Reſpub. quod præter ejus mentē & notitiam, tam infamis, juris gentium, facta ſit violatio; præviâ in publicum Manifeſtatione ſcribam de hoc Galliæ Regi, tam delicatè & nervosè, ut non ſtatuat nobis hoc peccatum, quo ſe abſolutè Reſpubl: non polluit.

Rebellionis Coſaticæ magis indies invaleſcens Gigantomachia, quia per Briaræos ſuos & Centimanos ferè caput ingerit aſtris, nihil juſtius, quàm ut ad ſupprimendum barbarum hunc furorem; cum extinguendo propriis viribus non ſufficiamus, Scythia nobis adſit ſubſidio, & pro tot agnitis Reipub. beneficiis, ſuis nunc aſſiſtat officiis. Ut Rex hoc in puncto ſcribat ad Imperatorem Tartarorum, minimè id literis meis gravabor proponere, id tamen facturum ex multis rationibus, quæ ex interceptis literis conſtare poterunt, vix ſuppono: ego interim nomine Reipub. ad eundem ſcribo Imperatorem, vobiſq; literas communico. Quidquid ergo in vim gratitudinis pro hoc ſuccurſu illis promiſeritis, licet cum ſummo gravamine ærarium Reipub. totum tenebitur reportare.

DEUS interim ſecundet, & benedicat, glorioſos greſſus conatuſq; veſtros, & ſub auſpiciis eorum conferat quàm fortunatiſſimos Exercitui ſucceſſus, ut pacatis hac hyeme illis partibus, pro æſtate valeat uſibus Reipub. quæ, ut procul dubio labores, incom̃oda & fortes heroum auſus grato imprimet pectori, ita, ubi occaſio fuerit, ego veſtris non deero commodis, quin eorum ſuavem mihi & voluptuoſam magnorum nominum culturam commendem Reipub. non minus, ac me nunc veſtro affectui.

CARDINALIS PRIMAS ALEXANDRO ZALUSKI PALATINO RAVENSI. 2dâ Auguſti.

Literas tuas cum tanto accipio affectu, qualis convenit candidæ tuæ in me propenſioni. Hic, qui temulenter, vel pervicaciter honorem meum aggreditur, habebit conſolationem ex morſu non ex vulnere. Agit hoc aliorum malitia, nonnullorum ſtultitia. Divinare tamen facilè poſſum, quis ſit ille Zoilus alienam lacerans fama, facilè eſſet aut vindicias agere, niſi mallem contemnere in eo exiſtens ſtatu, in quo ceſpitare nequeo.

Communico tibi, quod Regi noſtro novus venerit ſuccurſus 8000 ſub Generali Revel. Rex Sueciæ poſt nuperam victoriam 14000 hominum numerat, expectat ex Pomerania venientem ſuccurſum; cogitabat Rex noſter de reciproco reddendo, ſed benè menſuratis viribus deſeruit has cogitationes, & vult ſe jungere cum Exercitu noſtro, & Nobilitate congregata; Exercitus ex Pomerania veniens, jam eſt defacto in Polonia &c.

COPIA LITERARUM D. REFERENDARII AD CARDINALEM PRIMATEM. 13 Auguſti.

IN ipſo Cracoviâ motu Rex tibi miſit Epiſtolam, adjungente me com̃endatitias Palatinæ Lencicienſi celeriorem urgentium literarum curſum evicturas. Expedivit cum ea ſpecialiter ad id lectum è plu-

A.C. 1702 è pluribus, hinc redditam tibi non ambigo, in caſum tamen, ſi fuerit intercepta, breviter quæ continebant innuo. Ad pacem quæ eſt omnium bellorum finis, ex parte utriusque tam ſcilicet Poloniæ, quàm Sueciæ, Regnantis magnam eſſe diſpoſitionem, quædam conjuncturæ, & certæ docent præcautiones. Hæc tamen cupita diu pax optima rerum, aliter nequit, niſi per te coaleſcere, ad hocq; tam ſalutare Reip. negotium, prius ad te datis invitabaris. Alium enim præter te Sueciæ Rex adhiberi ad Tractatum non vult, tanquam ſuper arbitrum à Rege noſtro vel inde ſummè contento, quòd te eligat, cujus illibato candori, juratæ fidelitati, alto, pariq; orbis negotijs judicio, incomparabili rerum experientiæ, fidit unicè. Utroq; ergo id in te negotij devolvente, Monarcha brevi, dubio procul, profanatis malè pulſa terris, & ſalûs & pax, niveis reviſet oppida bigis. Nemo enim eſt, qui te omiſſurum hanc optimè merendi de Rep. putet occaſionem, quin indubitanter cenſeat, illi ſeriò admoturam manum negotio, quod fortunatè concluſum, coram DEo, meritorum cumulum, apud utrumq; Regnantem & Remp. obligationem, coram orbe gloriæ faciet acceſſionẽ, & perennem ſecuturis ſæculis relinquet memoriam. Cras hinc movemus, verſùs Sendomiriam, quo venturos ſperamus Palatinatus, utinã cum eis Angelos pacis habeamus &c.

COPIA REGIARUM LITERARUM. Ex Caſtris ſub Sendomiria. 14 Aug.

POſt tit. Primâ accepta notitiâ de tranſitu Suecorum in hanc partem Viſtulæ ſub Uſcie & ex alia deprehenſis eorum molíminibus, quibus nos à Palatinatibus reſcindere & ſeparare à Corpore Reip. intendebant, judicavimus, relicto ſub Cracovia ſitu obviàm eundum eſſe communi motui, atq; ſic ope Numinis, Sueticas prætergreſſi Legiones, cuncta feliciter ſuperavimus pericula, jamq; hic cum auxiliari milite noſtro conſiſtimus, ubi quorundam congregatorum Palatinatuum, aliorumq; proximè adventantium diu deſiderato fruemur conſpectu, anhelis præſtolantes votis, in unione cordium & animorum ſolidum Reip. conſilium, juſtum præſidium. Hunc in finem, in hanc Viſtulæ partem univerſali motu venimus, locumq; ſub Sendomiria circulari conſilio pro die 22 Auguſti deſignavimus, quod aliàs celebrandum erat ſub Korcino, niſi in hoc usq; tempus, quorundam tarditas Palatinatuum diſtuliſſet. Invitamus itaq; omnes, celeremq; ad præfixum locum in tempore præſtolamur adventum, quorum illibato candori & zelo, tam Regiam noſtram dignitatem, quàm pupillam libertatis commendamus, ſperantes indubiè in unita Civium concordia, ac animorum invicto robore, totam Rempub. fidem Catholicam, Majeſtatem cũ libertate firmiſſimum inventuram propugnaculum. Concordia eſt vinculum, quo cohæret ſpiritus; quo vivit Reſpub, nihil per ſe futura, ſi unio ſubtrahatur. Vindicabit DEus ex altiore ruinæ abyſſo, in qua pridem interiiſſet non una fatorum clade ſepulta, concordem

dem Remp. Exurget etiamnum in adjutorium vindex & ultor oppreſſionis inſontis Patriæ, modò conjunctis viribus, auſu imperterrito, invicto robore, inclyta hæroum corda concurrant, ad tuendã ſalutem publicam, ad quod dum ingenita promptitudo & ardens accendet in prælia virtus; Nos tædioſè adventum Veſtrum expectantes, incolumitatem cælitus, & omnia fauſta precamur &c. *A.C.*1702

CONFOEDERATIO SENDOMIRIENSIS Facta 22 Auguſti

IN NOMINE Ss. TRINITATIS

AUGUSTUS II. DEI gratiâ Rex Poloniæ Poſt titulos. Deferimus omnibus & ſingulis, quorum intereſt, quòd ubi cum exercitibus noſtris approximaverimus ad Palatinatus ſub Sendomiria congregatos, ut eò copioſiùs illis, & liberis gentibus, quibus nos Divinâ providentia, liberis eorum ſuffragantibus votis, Regio ſceptro præeſſe fecit, amorem, & clementiam, in libertate ſentiendi teſtaremur, nullam ex parte noſtra facientes propoſitionem, prius conceſſimus in circulo generali pro die 22da Aug. deſtinato, liberrimis arbitriis de fortuna præſentis Reip. decernere, & quidquid ex utilitate ſalutis univerſæ videbitur, proponere, deinde traditis eorum beneplacito & plenæ diſpoſitioni auxiliaribus exercitibus noſtris, per nos introductis, ut de illis ex meliori uſu ſuo diſponerent, aſſecuravimus ſtatus, ſub nexu jurisjurandi, de conſervandis inviolabiliter liberæ gentis legibus, libertatibus, & prærogativis, de manutenendis pactis, & fœderibus cum vicinis Principibus, de non ineundis, cum iiſdem vicinis, ſeorſivis, ſine Rep. tractatibus, de non inferendo iiſdem bello, ſine ſcitu & conſenſu Ordinum, de relegandis conſiliariis exoticis, de cogendis quàm primum, poſt concludendam pacem cum Rege Sueciæ, equeſtribus exorbitantiarum Comitiis, additâ cautione, quòd nullatenus per Senatûs conſilium ſint invalidanda, ut id fuſius ſeorſivo diplomate aſſecurationi noſtræ inſerto, & poſt depoſitum utrinque juramentum, à nobis ſubſcribendo & in Cancellaria Regni & M. D. L. ad Archivum conſignando, & ad acta publica porrigendo, exprimimus & roboramus. Poſt hujusmodi itaque roborationem factâ prius inter ſe per Palatinatus cointelligentiâ, quamvis optaverint præſtolari confratres, cæterorum remotiorum Palatinatuum, in tractu ad eandem Patriæ defenſionem exiſtentes, verùm quia matura urgent pericula, factâ proteſtatione coram DEo & cœlo, de non violato unquam per ſe pactorum Olivenſium fœdere, & jurejurando, imò in hanc uſque horam, in ſtatu innocenti conſervato; ſterilibus per tot ſcripta publicatæ amicitiæ, Regis Sueciæ, promiſſionibus poſthabitis pro fidei Catholicæ Eccleſiæ, noſtræque contra propoſitam dethronizationem, dignitatis defenſione, pro integritate legum, & libertatis ſuæ ſangvinem & vitam conſecrando, ſupradictis omnibus roboraturi fidem, heroicam aſſumunt reſolutionem, & acceptâ à nobis per prænominatã aſſecurationem legum, & libertatum ſuarum firmitudine, daturi, non degeneris à Majoribus, virtutis documenta inclytæ hujus Reip. ſtatûs, nectuntur concordi pectore, animo, voluntate, circa fidem, Majeſtatem, & libertatem tuendas, habitâ quàm primum notitiâ, de non acceptatis à Rege Sueciæ conditionibus pacis, conjurabunt, in caſtris propriis, vel publicis tenore ſequeti.

Ego N. juro Omnipotenti DEO, me fidem Catholicam, dignitatem

A.C. 1702 tem Regis AUGUSTI II, libertatem noſtram, & totius Reip. fortunis, ſangvine & vitâ defenſurum, pro poſſibilitate virium facultatumq; mearum. Et quicunque Sueciæ Regi, quocunq; modo, ratione & prætextu aſſiſtere, arcanas machinationes moliri attentaret, hocq; commune Reip. vinculum vellet diſſolvere, talem pro hoſte Patriæ declaro, & obligo me habiturum, in ejus juxta leges, condemnationem conſenſurũ, bonaq; illius delaturum Sereniſſimo Regi & confiſcationem in bene meritos.

Nos quoque ſupra prænominatum Diploma coram deſignatis Palatinatuum & terrarum Plenipotentiariis, viciſſim juramentum deponemus, idemq; diploma typo prius mandatum, ad Cancellarias utriuſque gentis, porrigi curabimus, ex nuncq; iidem Plenipotentiarii nomine Palatinatuum & terrarum ſuarum, nobis ſeſe juramento adſtringent, juxta votum ut ſupra.

Ut orbi fiat palàm, generoſitatem Polonam licet innutritam bellis, nunquam tamen cum vicinis & fœderatis Principibus gerere bella, niſi laceſſitam, & quidem poſt toleratam omnium mediorum pacis patientiam. Congregati nunc ſtatûs, de medio ſui deputant, Commiſſarios Reip. ex Senatorio ordine Stanislaum de Raciborzk Morſztin, Palatinum Mazoviæ, ex equeſtri verò ordine, ex Provincia Minoris Poloniæ, Andream de Zydow Zydowski, Vexilliferum Cracovienſem, ex Majori Polonia Stephanum Leſzczynski, Capitaneum Oſtrzeſzovienſem, ex M. D. L. Chriſtophorum Komorowski Præfectum Culinæ, M. D. L. Capitaneum Lukovienſem, & Wolkovienſem eam illis concedentes facultatem, ut in quantum Rex Sueciæ, pro ea, quam tot diplomatibus declaravit, erga Remp. amicitiâ propoſuerit, vel acceptaverit honeſta & adæquata pacis media, acceptato tractatu, ad priſtinam, juxta pacta Olivenſia, utramque hanc inclytam gentem, reducant amicitiam, ita tamen ut Rex Sueciæ, præferens amicitiam Reip. privato reſpectui eorum, qui Reip. refractarii belli huius cauſa fuêre, judicio ejuſdem Reip. relinquat, quæ utpote juris ſui Domina, decernet de eis ex juſtitia & æquitate. Quo nomine comittunt Regni Poloniæ ſtatus Cancellariis, & Procancellariis utriuſque gentis expeditionem, ad hæc pertinentium inſtrumentorum. Ad hæc ut iidem Commiſſarii Reip. ad tractandum deſignati, promptas in omnibus caſibus poſſint habere reſolutiones, deſignant & deligunt Palatinatus & terræ, ad normam Deputatorum pro tribunali Regni, non accidendo tamen numerum, duos Plenipotentes, qui condicto Varſaviam, vel ubi placuerit conſilii loco, convenire debebunt pro 22 Septemb. ibiq; poſt depoſitum juramentum, habere abſolutam reſolvendi & concludendi facultatem, in omnibus ſive bellum ſive pacem concernentibus negotiis, per pluralitatem votorum, hoc placito ut in nullas avulſiones Provinciarum Reip. & nec particularum ejus, aut in præjudicium & detrimentum jurium, & dominiorum Reip. conſentiant, Plenipotentiarii verò ex Palatinatibus qui ad hoc conſilium pertinebunt, hâc formâ deponent, juramentum. Ego N. juro Omnipotenti DEO, me muneri meo, mihi, in generali circulo ſub Sandomiria à Palatinatibus impoſito, ſatisfacturum, juxta poſſibilitatem & obligationem meam, in conſilio ſenſuque meo quem proponam juxta conſcientiam meam, legesq; publicas, nec ullos fructus, aut commoda privata quæram, amicitiâ, aut inimicitiâ, nec ullis ducar promiſſionib⁹, in nullo ullas faciam machinationes, ſed in omnibus conſiliis, negotiisq; Reip. commune bonum procurabo, conſcientiæ meæ judicium ſecutus,

cutus, arcana conſilia nemini revelabo; ſic me DEUS adjuvet & innocens CHriſti paſſio. Iiſdem Commiſſariis Reip. cum Plenipotentiariis, à Palatinatibus ſupra deſignatis, dat Reſpub. facultatem, ex re & occaſione boni publici, in præſentia Cancellariorum & Miniſtrorum ſtatûs utriuſque gentis, decernendi legationes ad Principes vicinos, & fœderatos, de ineunda armorum conjunctione, cum ſpeciali tamen cautione, ut hæc ſit per diverſionem, non introducendo exercitus Colligatorum, in viſcera Reip. Hoc quoque præcavendo, ne quid detrimenti Reſp. per has legationes patiatur. Ut itaque unita virtus fortius agat, invitant congregati Reip. Status, tam ſeipſos, quàm Palatinatus abſentes, vinculô unionis conjunctæ Reip. ſimulq; virtute jurium de communi motu, ſine diviſione belli, quatenus omnes, ut communis Matris filij, proviſa ad defenſionem ejus media acceptare, illaq; unanimiter ad effectum deducere velint, & conentur. Ea propter de medio delegerunt Legatos, ſcilicet ad Provinciam Majoris Poloniæ Caſimirum Ligęza Caſtellanum Chelmenſem, Wybranowski Vexilliferum Podoliæ, ad M. D. L. in Ryſzki Ryſzkowski Pocillatorem terræ Lucovienſis, & Caſimirum Bilski Pincernam Varſavienſem Notarium Caſtrenſem Lublinenſem. Eodem vinculo etiam exercitus Regni tenebuntur, qui ut eò promptiores ſint, ad operationes bellicas, omnes unanimiter Palatinatus illos, ceu ejuſdem matris filios aſſecurent, quartualia ſtipendia, quàm primum poterunt ſe perſoluturos. Ut ergo eò majores Reſpub. vires habere poſſit, ſtatuunt Palatinatus auctionem exercitûs, juxta repartitionem anni 1690 à 1 Auguſti, anni præſentis pro 4 quartualibus ſtipendium toti exercitui promittentes, ita ut pars una veterano, altera æqualis evocando noviter militi in ſtipendium cedat, quod fieri, intra ſpatium ſex ſeptimanarum debebit; Palatinatus tamen Sandomirienſis, ſi quidem per laudum alium modum augendarum virium Reip. conſtituit, circa idem laudum conſervatur, ad ulteriorem ejuſdem Palatinatûs diſpoſitionem, hic verò auctualis exercitus, ad ſummum poſt 3 Septimanas, ad operationes bellicas, comparere debebit. Et quoniam plurimum Reip. intereſt, quàm ordinatiſſima conſervatio, œconomiarum, & bonorum menſæ Regiæ, quæ non exiguum inde patiuntur detrimentum, quod ſine ſcitu Theſaurarii Curiæ Regni, ſub Adminiſtrationibus & tenutis, etiam exoticarum perſonarum, contra omnia jura hærent, præſenti in perpetuum cavetur conſtitutione, ne ab hinc dictas œconomias, & bona menſæ Regiæ, ullus audeat diſtribuere ad tenutas, & Adminiſtrationes, præter ſolum Theſaurarium Regni, contractusq; ſi qui cum quocunq; circa hoc conſcripti fuerint, nullitati ſubeſſe debebunt. A potiori verò, ſi perſona plebeiæ conditionis, etiam ſub nomine alieno, in adminiſtrationem & tenutam bonorum huiusmodi ſeſe intruſerit, confiſcationi bonorum, & rigori ſubjacebit. Et quia ex ultima neceſſitate, latè graſſante in Dominiis noſtris cum ſuis exercitibus Rege Sueciæ occupatâ Regni Metropoli, eò deventum eſt, ut Reſp. directionis circuli præſentis, & publicorum conſiliorum tempus abbreviando Caſtellanum Cracovienſem, pro hac ſola vice petierit, id in ſequelam in poſterum nullatenus trahi debet, nec prærogativis detrahi ſtatus equeſtris. In quantum verò DEus pacis huic mediationi benedixerit, rebus tranquillis ſtipendium pro 4 quartualibus, exercitui declaratum numerari debebit, ex ſumma pro antiquioribus meritis debita. Duces verò exercitunm ex nunc ad computum in quo nunc eſt, exercitum reducere debebunt, ſimiliter etiam nos auxiliares

*A.C.*1702 xiliares exercitus noſtros, in Saxoniam relegare declaramus. Plenipotentiarii ſimiliter, ex nunc poſt tranſactionem abſtinebunt à legatione & ipſo facto excharacteriſatos ſe ſe cenſere debebunt, & ſicut ad hunc locum convenimus pro tuitione ſanctuariorum, Mtis, & libertatis, ita nobis invicem appromittimus, quod quicunque poſt præſentem congreſſum noſtrum vel in partes Sueticas abierit, vel qualicunque modo, arcanas cum eis correſpondentias habuerit, talem per formam judicii convictum pro hoſte Patriæ declaramus, ut verò peditatus actu in caſtris exiſtens, habeat quo in obſequiis Reip. ſubſiſtat, deſignamus & committimus, ut ærarium Reip. ex ordinariis proventibus, ex nunc provideat & numeret ſummam 40000, quæ æquali proportione in regimina pedeſtria, aliaq; more exteri militis militantium pro hebdomadaria ſuſtentatione partienda erit, juxta diſpoſitionem & diſpartimentum Ducum. Armamentarium quoque Regni, quia ex proventibus ordinariis, vix tempore pacis ſufficientibus, hoc tempore nequit ſubſiſtere ſine ſupplemento pecuniario, pro augendis ex neceſſitate belli tormentis, & amunitionibus, ideo ex eodem ærario Regni, in ejus ſubſidium numerari debet ſumma 30000 pro fundendis tormentis & amunitionibus pro hac expeditione. Duces quoque Exercituum quia in tam longa & operoſa expeditione magnos fundunt ſumptus, & impenſas pro publico, ideo idem ærarium Regni obligatur, ut ſine mora Caſtellano Cracovienſi Magno Duci exercituum Regni provideat ſumam 40000, Palatino verò Belſenſi, Campeſtri exercituum Duci 20000 ad rationem liquidationis, quæ omnia Reſp. in rationibus ex ærario computabit: deſideria Palatinatuum omnia ad Comitia equeſtria exorbitantiarum reſervat Reſp.

Siquidem Palatinatus aliqui hic præſentes ſicut etiam & abſentes non elegerunt Plenipotentiarios ſupra nominatos vel electos hic non denuntiârunt, ideo tam electi, quàm eligendi credentiales debebunt à Colonellis Palatinatuum & terrarum ſuarum habere ferreque ad Collegium ſuum, quibus productis, & facto juxta rotam juramento activitatem habebunt, illi verò qui hic conſcripti ſunt, credentialibus non indigebunt.

Electi ergo ſunt ex Palatinatu Sendomirienſi Michaël Tyminski Judex terreſtris, & Thomas de Rzechow Rzechowski, Capitaneus Drohzovienſis, ex Palatinatûs Ruſſiæ terra Leopolienſi, Georgius Dziduſzycki Zydaczevienſis, ex terra Przemyslienſi Alexander Cetner Capitaneus Szczurovienſis, ex terra Sanocenſi Generalis Artilleriæ M. D. L. ex terra Chelmenſi Joannes Romanowski Succamerarius Generalis ejuſdem terræ, Capitaneus Viſtinenſis. Ex terra Halicienſi, Stephanus de Potock Potocki, Capitaneus Circaſſienſis, ex Palatinatu Kijovienſi Vladislaus Terzyſzkowski Capitaneus Vlodzimirienſis, & Adamus Olyzar Wloſzkiewicz Dapifer Volhiniæ. Ex Palatinatu Volhiniæ, Venceslaus Wielohurski Succamerarius Vlodzimirienſis, & Stanislaus Duchowski Succamerarius Terzeminicenſis. Ex Palatinatu Podoliæ Franciſcus Makowiecki Pocillator Podoliæ & Adalbertus de Brzeza Lanckoronski Theſaurarius Podoliæ. Ex Palatinatûs Lublinenſis terra Lukovienſi Joannes Męczyrski Vexillifer Lukovienſis & Joannes de Nowoſzelic Nowoſielski Capitaneus Lukovienſis, ex Palatinatu Belzenſi Antonius Glogowski Dapifer Belzenſis, & Antonius Draminski Vexillifer Chorodolenſis. Ex Palatinatu Braclavienſi, Joannes Wyzycki Vexillifer Kijovienſis, Capitaneus Braclavienſis, & Caſimirus Dulzewski Pocillator

tor Chelmenſis Capitaneus Chocimenſis. Ex Palatinatu Czernichovienſi Athanaſius in Miączyn Miączynski Theſaurarius Curiæ Regni Luceorienſis, Terzepicienſis, Loſicenſis Capitaneus, & Nicolaus Olſzanski Vexillifer Volhiniæ. *A. C.* 1702

Terminus pro Comitiolis relationis Palatinatibus deſignatur, in craſtinum poſt Comitiola Deputatorum, Palatinatibus verò & Terris hactenus in campo demorantibus duabus ſeptimanis poſt Comitiola Deputatorum, ut & terris Ducatûs Maſoviæ.

In quantum verò Proſzevicijs aliquod impedimentum intervenerit, locus & tempus deſignandum conceditur per innoteſcentias Colonelli Palatinatûs ejuſdem.

Palatinatus Podoliæ quia ob diſtantiam loci Camenecum conveniре nequit, ideo pro Comitiolis relationis deſignat ſibi diem in craſtinum poſt feſtum S. Franciſci.

Hanc verò confœderationem Statuum Reip. in vim naturalis defenſionis conſcriptam, declaratam, roboratam à Deputatis ex Palatinatibus & à multis Senatoribus ſubſcriptam typis mandandam, ut omnibus innoteſcat ad acta Caſtrenſia mittendam, Cancellariis Regni & M. D. L. committimus. Actum die ut ſupra.

ALEXANDRO SALLAROLLI TEATINO REGIO MINIſtro Romæ degenti, 30 Auguſti.

Minimè gravor, ſcitu digna referre, qui ſi centimanus eſſem, agere ea non deſiſterem, quibus diſcere poſſis, quod verum eſt, quódve falſum, ea enim nunc iniquitas temporum eſt, ut vel ipſæ notitiæ, majorem pareant incertitudinem, quàm ſcientiam. Graviter tuli, duabus hebdomadis nullam me ab aula habuiſſe notitiam, nunc tantæ remoræ didici cauſam, Regiæ poſtæ, quæ inter bidui ſpatium, mihi ſemper ſcienda ferebat, liberum paſſum eſſe interceptum, nec niſi extraordinaria curſoria, id, quod tibi defero, habere potui. Hactenus nihil poſitivè concluſum, in circulari Statuum conſilio, multi impenſi dies diſceptationi, de nomine, quonam appellanda ſint, quæ concludentur, utrum ſcilicet Confœderationis, an ſtatuti ſtatuum Reip. communi motu congregatorum. Projectum in ordine ad tractanda & concludenda in conſilio hæc puncta continet. *1mo.* Rex ſeorſivo Diplomate faciet aſſecurationem Reipub. ſe ejus omnia jura conſervaturum. Status verò Reip. deputabunt de medio ſui Legatos, cum interponenda mediatione Reipubl, inter Mtem Poloniæ & Sueciæ, puncta antiqua & recentia declarantes, & ſponſionem toti Reipubl. facientes. Regem illis integrè ſatisfacturum; in ordine ad quod, inſtrumenta Cancellaria Regni, cum omni cautela, conſervandæ integritatis, jurium liberæ Electionis & finium Regni Poloniæ, & M. D. L, annexarumque Provinciarum exactè conficiet, & deſtinatos à Statibus hic & nunc ad latus Primatis Cardinalis in aſſiſtentia Cancellariorum, utriusq; Gentis expediet, cum ardenti Statuum expoſtulatione, quatenus eâ, quâ pollet authoritate, ſic bonum publicum concernentia moderetur, ut ſuo nomini immortalem relinquat memoriam. *2do.* Ut Plenipotentiarij ad concludendos tractatus pacis ſint jurati. *3tio.* Ut auctio exercitûs ſit ea quæ in antepenultimis comitijs eſt conſtituta, utq; pro eodem exercitu contribuendi quartualis ſalarij, modi in particularibus comitiolis provideantur, quibus ex nunc terminum Rex deſignabit. *4to.* Diſpen-

Puncta tractanda in conſilio.

A.C. 1702 ſatio fiat communis motus, & in ejus locum expeditio ex Palatinatibus, & Terris. *5to.* In caſum non concludendi Tractatûs, decernendæ legationes ad vicinos Principes, invitando ad conjunctionem armorũ. *6to.* Si fuerit Tractatus concluſus, auxiliares exercitus ex nunc extra limites relegandi. *7mo.* Adhærentes Regi Sueciæ, niſi in ſpatio quatuor ſeptimanarum deſtiterint à malè cœptis, pro hoſtibus Patriæ declarandi, bonis eorum confiſcationi ſubjectis, econtra verò redeuntibus ad Dominum, omnibus ab eo & Repub: declaranda ſecuritas. *8vo* Si concludentur Tractatus, ſumma deſtinata evocato ſub ſigna, pro auctione exercitûs, militi cedet in quartuale ſtipendium veteranorum militum, fietq; reductio exercitûs, ad numerum præſentem, noviter expeditis, ad propria redeuntibus. Dum hæc in medio congregatorum, die 26 præſentis legerentur, puncto legationis ad Regem Sueciæ, & mediationis, unus ex Palatinatu Sendomirienſi contradixit, tandem tamẽ in ſeſſione in præſentia Caſtellani Cracovienſis, Cancellariorum utriusq; Gentis & Deputatorum inclinatus ad conſenſum utriq; puncto, hac conditione, ut Palatinatus omnes viritim evocentur ſub Cracoviam, indeq; legati expediantur, ut in præſentia Reip. tractatus fiat.

Velitationes variæ Princeps Wiſniowieccius conflixit cum Suecis, & Domino Boryczewski, utrinque non exiguâ clade, nocte pugnantes dirimente. D. Palatinus Vilnenſis ivit in Samogitiam, ſociaturus ſigna Generali Maydel, quos D. Zaranek, aliquot incurſionibus infeſtavit. Sub Bichovia D. Bildzuikiewicz ſuperavit Dñum Caſtellanum Vitebſcenſem, aliquot centenis ejus commilitonibus proſtratis in acie, Caſtellano verò pedibus ſe ſalvante.

Cracovia in ſummo metu 5 Auguſti fuit, à Sueco expugnationem urbis intentante. Cardinalis Primas, dicitur puncta Tractatûs miſiſſe à *Puncta tractatus* Rege Sueciæ; ſunt verò hæc, quamvis ego omnino id credere nequeo. *1mo.* Ut Electoratum Rex cedat Filio. *2do* Ut Regi Sueciæ numeret 6. milliones, pro illatis ſub Riga damnis. *3tio* Ut primo Vere contra Moſchum, ſimul cum Republ. bellum moveat, quidquid eo occupaverit Reip. redditurus, exceptâ Livoniâ & Curlandiâ. *4to* Ut Rex juret ſuper pactis conventis. *5to* Ut DD. Sapiehas penes habitos honores relinquat & conſervet. *6to* Ut Regi Sueciæ liberum concedat paſſum per Cracoviam in Hungariam, inde in Sileſiam. *7mo* Ut ultimis Auguſti, ſuum Exercitu releget in Saxoniam.

Exercitus Poloniæ in dies, augetur. Palatinus Kijovienſis, cum 11. vexillis. Dñus quoq; Zamoyski magnâ comitante catervâ comparuit.

Tandem venit notitia, Suecum, occupatâ Cracoviâ, magnum populo metum intuliſſe, & terrorem: Contributionum jam imperatarũ, *Cracovia occupatur* miſeranda neceſſitas. Rex noſter retrogrado paſſu, ſeſe cum exercitu recepturus eſt in Poloniam.

COPIA LITERARũ CASTELLANI CRACOVIEN. AD PAlatinatus. Ex Caſtris 8. Aug.

CReſcit ad obſequia Reip. animus & obligatio, dum tam evidens Regis noſtri, Veſtris in pectoribus, meum in Remp. candorem, *Nunciat acta ab utraque parte* reſpectus & gratia comitatur, ut eò promptiùs veſtris correſpondeam votis, & expectationi. Eas inter anguſtias redacta eſt fortuna publica, ut ruinæ proxima ſit, niſi comuni conſilio & fœderatâ manu ſuſtineatur, cui, ut promptam feratis opem, impigros greſſus, eas in partes

tes dirigite, ubi ſine mora, Palatinatus Minoris Poloniæ comparebunt, A.C. 1702
ut quantocius formetur conſilium, & certa methodus ſalvandæ Patriæ. In quo verò ſtatu res ſunt hujus Climatis, pro veſtra informatione innuo per compendium. Rex vitando conflictum cum hoſte, ex intentione conferendi prius, & cointelligendi cum Rep. receſſit cum Exercitibus Cracoviâ ſub Tarnoviam, Exercitus verò Sueticus, ſubſiſtit adhuc circa Bochniam. Divinare difficilè, quo ſuas eſt directurus intentiones. Ego majoris aptitudinis gratiâ ad obſequia publica, curribus alioq; graviore apparatu directis aliò, cum levioribus equitum copiis, movebo verſùs hoſtilem exercitum, ad ulteriores greſſus ejus impediendos, pro capacitate virium noſtrarum. Toto hoc tempore continuis incurſionibus, non ceſſavi incommodare caſtra hoſtilia, non infelici ſucceſſu, quod famâ publicâ omnibus delatum eſſe nòn ambigo. Unicum ſupereſt ut ad concludendam ſummam rei, veſtram quantocius operam apponatis, conſilioq; & auxilio noſtros conatus roboretis. Ego ad omnium nutum arbitriumq; paratus, etiam vitam eorum tuitioni conſecrabo.

COPIA LITERARUM A PALATINATIBUS AD CASTELlanum Cracovienſem. II. Auguſti.

NON deſtitit tutrix Regnorum Numinis providentia, etiam in deſperatis caſibus hanc erigere Remp, dum etiamnum in tanto æſtu, & motu publico, diſſolutas ruptasq; ejus compages, unitate ſenſuum velut indiſſolubili nectit vinculo, hinc expreſſio benevolæ in Palatinatus noſtros tuæ propenſionis, ut urgentiùs, ad ſubveniendum unanimi ſubſidio infelicitati publicæ nos ſtimulat; ita ad fundendas pro candore in Remp. urget gratias. Nec nos ſegni manu agenda in defenſionem aggredimur, qui communia omnibus Palatinatibus iminentia pericula, comuni ſuccurſu juvare ſtatuimus, & quia geminatis ad celeriorem defenſionem ejus, Regis noſtri literis accendimur, ruptâ morâ, greſſus noſtros in ultimam viam proſperitatis, dirigemus, in loco congreſſui deſignato, paribus votis & ſtudiis ad obſequia tua & Reip. comparituri, quodſi ſubitum quid, hiſce in partibus, cum aliquo earum periculo eruperit, minimè gravabimur tibi communicare, mutuam, hac in parte à te vicem, præſtolantes ſimulq; voluntatis tuæ intimationem, quonam vias noſtras ſimus directuri? cui omnia noſtra ſtudia & ad obſequia promptitudinem deferimus.

COPIA LITERARUM DUCIS EXERCITUUM REGNI AD EPISCOPUM VARMIENSEM 28 Auguſti.

IN hac tempeſtate rerum, prementibus nos undiq; malis, magnam mihi ſolatiorum acceſſionem, gratia, & affectus tuus erga me fecit ſimulq; ad reciprocas obſequiorum vices, quantum in me virium erit, obligavit. Non dubito me etiam in ijs regionibus vapulâſſe à malevolis, cui, quia tu obſtructo ore loquentium iniqua cum apologeticis adfuiſti verbis, ſummas cum obſequiis refero grates. Hæc ſemper mihi per vitæ meæ tempora fortuna eſt, ut cum omnia bene fecerim, ſervus audiam inutilis, fuſâq; in uſus publicos, extremâ etiam guttâ ſangvinis, omnia, minimè vitiata agendo intentione, mille ſiniſtris ſubſim interpretationibus: juxta ſuas quovis ſentiente paſſiones. Sed diſcernet cauſas omnium, qui ſolus ſcrutatur corda hominum juſtus Judex. Quanto enim etiamnum conatu, utile quidpiam pro com-

muni

A.C 1702 muni bono agere & concludere laboraverim, quisquis recti continens eſt, appello fidem, ſed moribus antiquis Poloniæ, lentâ manu fiunt omnia, ſuſpenſo gradu procedimus, ac ſi in alta pace viveremus. Septimanam inſumpſimus inaniter, diu de vocabuli ſcripti, quo ſecuritati publicæ providendum erit, diſputatum, aliis illud confœderationis, exemplo antiquiorum, aliis, ſtatuti, ſeu uniformis conſtitutionis; quibusdam: defenſionis fidei, legum & libertatis, nomine compellantibus, pro, & contra rationibus diſceptatum, poſt longa verborum certamina, concluſum magnum nihil, hacq; de cauſa tuum hucusq; tenui Ablegatum, quòd ante concluſionem Conſilij nihil dignum fuerat, quod referret, quo nondum concluſo, deferat, quod occurrit, ſpero tamen ſequenti biduo, nos tandem ad finem perventuros, tuncq; concluſa noſtra denuntiare non omittam. Exercitus Saxonicus, quem Reip. placito tradebat Rex, hinc movit verſus Caſimiriam, varij variorum de eo ſenſus erant, aliis in toto relinquendum, aliis partiendum, quibusdam per diverſionem, alias in partes dirigendum eſſe judicantibus. Ab Ukraina continuis percellimur literis, Samus Coſacum, Ducem quondam Zaporovienſem rebellionem cudere perhibentibus. Jamq; Boguslaviā, & Curſunum civitates, Catholicosq; in eis, & Judæos dediſſe excidio ſolis Ruthenis relictâ vitâ. Hæc ſcilicet ſunt ſolatia noſtra, niſi DEus viſitet repleatq; melioribus. Ab exteris correſpondentibus intercepto paſſu Cracovienſis poſtæ, nulla habeo nova; abundare te eis non ambigo. Vicini noſtri, utrum non aliquid in perniciem noſtrî, jam jam aliunde imminentem machinantur? à te erudiri cupio, utq; pro innato in bonum publicum amore, pro tua agendi dexteritate, & pro ea, quà polles etiam à longè præſciente ſecutura circumſpectione, pericula, ſi quæ apparent, præcaveas, obnixè poſtulo. Eò loci conſiſto, ubi quà privatis, quà publicis expenſis, de meis facultatibus impar, promiſſum ſubſidium ſummis accenſebo gratiis. Non minus, opulentam hac largitate fortunam, meas verò ad obſequendum, in omni paſſu eo cumulatiùs augebis obligationes, quo citiùs promiſſam, præſtabis gratiam. Non fui hoc in puncto aliis gravis Diœceſibus, ſufficit mihi gratia, cui ſemper vivam obligatus &c.

COPIA LITERARUM LEGATI GALLIÆ AD D. REFERENDARIUM REGNI. 26 Aug.

PLena Varſavia ſcriptorum, quæ mera paſſio aut effrænis furor, & tenebris digna, ſeminandi, Regem inter Galliæ & Remp. diſcordias, intentio, in lucem publicam protruſit, inſigniverunt ea Authores Illuſtri tuo & D. Kczewski, Vexilliferi Mariæburgenſis nomine, ut Majorem in populo captarent fidem. Verùm vos utpote ſummæ apud Regem admiſſionis, & confidentiæ, nôſtis optimè, quomodo Principalis meus, tam cum Rege Poloniæ, quàm cum Rep. ab ipſis belli huius primordiis proceſſerit, veſter verò honeſti amor, certè nullatenus ſineret genti Polonæ huiuſmodi ideas imprimi, quæ cum probata veſtra fide minimè conveniunt. Non minùs mihi, quàm vobis notum, non alio me fine, in has Legatum veniſſe partes, niſi ut id perſuaderem Regi Poloniæ, quatenus ab incepto deſiſteret bello, Reſp. verò illi minimè immiſceretur. Nec hoc ignotum eſſe arbitror, quibus modis tractaverim cum Senatoribus, quos in adventu meo congregatos inveni, pro Senatûs conſilio, quantáſve curas adhibuerim, ut Regem à præme-

ditato

ditato in Livoniam itinere, reducerem. Non ſatis mihi erat, datas à Rege rationes ab eo retrahentes propoſuiſſe, toties eas Palatino Mariæburgenſi inculcavi. Revocet ſibi in memoriam, quomodo acceptâ notitiâ concluſi tractatûs Travendalenſis ſuadere Regi auſus fuerim, ut illi ſe ſuumque nomen curaret imponere. Vidiſti ſatis & audiſti tam frequentes à me factas de expreſſo Domini mei mandato, inſtantias, quibus id unicè evincere adnitebar, ut antiqua amicitia inter Poloniæ & Sueciæ Majeſtates renovaretur. Jamque in ea conſenſerat Rex Poloniæ, quæ Domino meo porrigebant modos, quietandarum differentiarum, inter hos Monarchas intervenientium. Niſi Regi Poloniæ placuiſſet poſtea ſuum mutare ſenſum, tractareque Bierzis cum Czaro Moſchoviæ, cujus tractatûs acceptâ notitiâ, non tantùm Regi Sueciæ in ſuſpicionem venit, intentiones Regis Poloniæ, ſed etiam Officialibus Regis Galliæ, jam eum pro partiſante habentibus. Interea dum M. Legatus Domini mei, in aula Suetica degens, inceſſanter diſponeret Regem Sueciæ, ad ineundam pacem, petiit me, ut proponerem Regi Poloniæ, utrum non placeret, concredere illi plenipotentiam ſuam, quâ uti poſſet, ubi proximè viderit diſpoſitionem aliquam ad pacem in Rege Sueciæ. Diſpoſitiones Regis Poloniæ, ad conjunctionem armorum, cum hoſtibus Chriſtianiſſimi Regis, nullam cauſârunt, in Domino meo mutationem, nec imminuerunt ejus deſiderium agendi, circa finem imponendum bello, quod foret Polonis graviſſimum. Quæ licet Domino meo certè innotuerit, commiſerat tamen mihi, ut in ultimis Comitiis offerrem Reip. ſummam ducentorum millium imperialium, ut de ea diſponere poſſet, in favorem Regis Sueciæ illique aliquali eſſe ſatisfactioni, genuinã dedi de hoc Regi Poloniæ informationem teſtatus & Reip. amicitiam erga eam Domini mei, eoque puriorem ejus candorem, hoc argumento comprobando, quo liberaliùs, ſine ulla conditione, id mihi commiſſum habueram, niſi ruptio Comitiorum, externorum Legatorum audientiam impediviſſet. Hæc particularitas, fors tibi hactenus ignota fuit, poteris, ſi velis, de ea informari, Rege ipſo Poloniæ, ejus veritatem tibi manifeſtante, ut manifeſtavit Procancellario M. D. L. me id ab illo poſtulante, ut de ea curaret, ab ipſo Rege informationem. Non hæc eſſe deberet Reip. erga Regem Dominum meum obligatio, qui eo fine prænominatam ſummam, ejus utilitatibus voluit ſacrificare, ut pacatis, quos ei nunquam optaverat, tumultibus pacem conciliaret, maluitque aliquantiſper ſuſtinere inſultus Saxonum, ne eorum reditus eſſet nimium Polonis oneroſus; obteſtabar, & perſuadebam Regi Poloniæ, uſus ad hoc terminis quàm exquiſitiſſimis, quatenus authoritatem ſuam, ad ſtabiliendam tranquillitatem, & unionem interponeret, ut bene nôſti me de hoc tecum tractâſſe. Minimè ſupervacaneum duxi, revocare in mentem quaſdam, non minùs tibi, quàm mihi notas circumſtantias, ut ex eis intelligas, aliiſque proponas, intelligendum, utrum vel minima fuerit apparentia, Dominum meum cauſam fuiſſe inchoati belli in Livonia, aut illi fomitem addidiſſe? non te latet, cuinam tribui debeat ejus exordium, & continuatio, meum non eſt indigitare. Non tibi ignotum eſt, quàm prudenter proceſſerit Rex Dominus meus, ab eo tempore, quo facta ſciſſio Regem inter Poloniæ, & Sueciæ, hæcque notitia formabit tibi, non dubito, ſenſuum ideas, ab eis differentes, quibus non ita affectus Domini mei in Poloniam perſpectus eſt, nec ita de eo, ut tu, ſunt inſtructi, quem obnixè peto, & obteſtor, ut æquiorem habens de Domino meo opinionem, informes eos, præcaveaſve, qui ſcri-

A. C. 1702

Joannes Przipedowski.

A.C. 1702 ſcriptis magno tuo nomine authoritatis ſeduci poſſent. Authores eorum convenerunt equidem, quo ad intentionem ſatis faciendi paſſioni ſuæ, contra Galliam, non tamen ſatis concentrârunt modos intentionibus ſervituros. Quidam enim ſcribunt: Domini Comitis Piper interceptas eſſe literas, ſcriptas ad Legatum Regis Sueciæ; alij affirmant eaſdem literas fuiſſe ſcriptas per eundem Legatum ad D. Piper. Scripta eorum nemini perſuadebunt, Galliam aliquas in Polonia feciſſe factiones, nec ullus Polonorum aſſerere audebit, ejus Legatum aliquid ſibi inſinuâſſe, cum ijs conveniens quæ dicti Authores calumniosè innuunt. Fallet eos non dubito vana ſpes, paſſioque eorum nihil evincet à Repub. niſi gratitudinem pro ijs, quæ ei Rex Dominus meus præſtat, & præſtare intendit. Concluſâ pace erat Rex Dñus meus, in eo ſtatu, in quo electionem Principis de Conti armis firmare potuerat, maluit nihilominus eo privari honore, qui ei à potiore Reip. parte deferebatur, quàm aggredi bellum, quod effundendi ſangvinis, plurimorúmve aliorum infortuniorum eſſet cauſa, quæ, ut etiamnum vitet Polonia, Rex Dominus meus ope non deerit. Literas has Dño Kczewski, communicari plurimùm deſidero. Utriuſque affectui me commendo.

COPIA LITERARUM THESAURARII AD SERENISSIMUM REGEM. 30 Auguſti.

Apologetica

INcubuit acerbiſſimum & mihi fatum, quale fideliſſimis & zeloſiſſimis in obſequio Dominorum ſuorum famulis conſuevit: qui benè de illis meriti pro præmio victimæ cadunt furoris Dñi. Subeat animum S. R. Mtis miſeratio mei, meminerit Coronationis ſuæ, reputet in Regali corde, quid actum poſtea? quâ fidelitate inſervierim? nonne de genibus precatus ſum in principio turbarum Litvanicarum Bielanos me conferendo eâ mente, ut quantocius hanc flammam extingverem? nonne in ſupremis Comitiis idem à me non fruſtra tentatum coactis planè ad reditum DD. Sapiehis. Ipſa S. Regia Mtas ex ſua benevolentia meum id opus fuiſſe confeſſa eſt, quòd in deſperationem præcipites prædictos DD. retraxerim, in qua modo perſiſtunt. Nonne cum Eminent. Cardinale feliciter apud Regem Sueciæ laboravi? ut poſthabitis odioſis propoſitionibus ſuis per manifeſta declaratis contrario illis ſtylo procederet, & in omnibus conferentiis S. R. Mtem nominaret Regem. Præmium hujus obſequij non aliud, quàm quòd in eodem puncto, in quo laboravi per ſummam fraudem & calumniam ad Sacram Regiam Majeſtatem delatus ſim; me portam Suecis in patriam aperuiſſe, me cum illis correſpondiſſe. Hoc aſſerit Palatinus Mariæburgenſis: pro argumento ejus authoritas, pro ratione fraus & dolus. Occupavit aures Palatinatuum, jactat luce clariora contra me haberi documenta, me interim ſilentiario parenteq; divulgare ipſumet cardinem, & primum mobile, omnium turbarum eſſe, quibus cũ Rege Regnum hactenus involvitur. Dignetur S. Regia Mtas mea & illius conferre, & diſtingvere conſilia, profectò deprehendet, quis fraudi faverit. Nunquam mea conſilia ejuſmodi fuiſſe comperiet, quibus modernus Status Regis & Regni poſſit imputari. Velit me meis literis convincere, unis à Generali Guldenſtern, ad quem meâ vitâ nec ſcripſi, nec cum eodem locutus ſum, nec ſimile officium ab eodem expectavi; alteris quas ad Dominam Palatinam Lencicienſem dedi. Judicet S. R. M. an crimen ſit à me ſcriptum: mihi non videri, ut impares viribus aggrederemur Suecos. Nonne hic ſenſus etiam Regis fuit? memi-

memini Imperij, ne per terras euntem Suecum laceſſerem. Hæc ſunt *A.C.*1702 crimina mea, quæ utinam publica facerent! verùm malunt, ut clanculariis inſuſurrationibus plures contra me creſcant calumniæ. Tragicum exemplum Palatini Caliſſienſis; triſtes & falſæ reſpectûs mei circumſtantiæ mihi receſſum imperant tantiſper, donec in facie univerſæ Reip. tutè comparere liceat, ibi mundabo me à labe, quam non contraxi, etſi mihi imputetur. Appello judicem & vindicem DEUM, ad conſcientiam Regiam provoco; poteſtne non jam condemnare me, ſed vel ſuſpicari de me ejusmodi tot argumentis & probationibus me etiam à ſuſpicione abſolventibus. Excedo cum filio meo, non ut conſulam calamitoſæ vitæ ſecuritati, quia miſerâ Repub. etiam vivere miſerum eſt, ſed ut mori intaminatè liceat, ut me illi tempori ſervem, quo palàm toti Reip. noſtram innocentiam probem, exemplumq́ eidem conſignem, non ſufficere traduci, culpari, & deferri hominem. Aſſecuro nihilominus S.R.Mtem tam ſtudioſum me eſſe honoris mei, ut nulla me etiam juſta in transverſum actura ſit deſperatio, quæ illibatam fidelitatem meam vel minimâ labe dehoneſtare perſuadeat. Juſtè DEus! hæcne ſub Auguſto Imperio Mtis V. timere potui? tot obſequiis eximius, non tamen exemptus ab hoc calice indignationis. Supplico S.R.Mti parcat meæ in ſcribendo brevitati. Quò mihi honeſtas potior præ omnibus, eò majora patior. Jam exul Patriâ, in tenebris expecto lucem, quæ totam illuminet Rempublicam. Sum interim S. R. Mtis &c.

COPIA RESPONSI REGII AD SUPERIORES LITERAS dati. 6 Septemb. Pulaviis.

Redditæ nobis ſunt literæ tuæ, ſeu manifeſtum in Polonicum verſum, & totâ latè Poloniâ ſparſum in ipſo præcinctu itineris. Judicio id tuo committimus, quis ab ipſis Regni noſtri auſpiciis foverit diſſidia, turbasq; Litvaniæ? revocet ſibi quoties inſtiterit cum defuncto Caſtellano Vilnenſi, quantis odiis in Domum Sapiehanam arſerit, donec tandem contrariis in ſe ſtudiis incenſæ partes his triſtibus conſequentiis aperirent originem. Non negamus te mutatâ mente, translatoq; in Domum Sapiehanam affectu ſub tempus præteritorum Comitiorum plurimùm deſudâſſe, ut Varſaviam venirent Sapiehæ, ſed etiam multi teſtes ſunt noſtrorum conatuum, quanta ſinceritate egerimus circa Tractatus illorum, ſperantes hac viâ tranquillitatem ex Litvanicis turbis nos conſecuturos. Et procul dubio reſpondiſſet ſucceſſus intentionibus noſtris, niſi Domus Sapiehana noſtras ſat benignas propoſitiones abnuiſſet, mediationem Reip. etiam reſpuiſſet, jam palàm protectioni Regis Sueciæ ſe committendo, quam fortiſſimè jam necdum incepto Tractatu clam ſuſceperat. Non diffitemur etiam te eò profectum cum ſcitu noſtro, & ad id opus deſignatione. Quòd Rex Sueciæ in omnibus conferentiis titulum nobis Regium non negaverit, tantopere exaggerandum nobis non eſt; hoc enim cardine tractatus vertebantur, aliàs nec inchoandi, nec continuandi. Literæ Generalis Guldenſtern, in quibus exactam relationem præſentis Statûs annotavit,

in

A. C. 1702 in manibus noſtris ſunt, & in illis Perſonam tuam iis exprimit terminis, ex quibus clarè patet amicitiam fuiſſe reciprocam. Præterea habemus literas ad Palatinam Lencicienſem datas, & Palatinæ ad Theſaurarium Litvaniæ, in quibus prædicta Palatina bene meritum te de Rege Sueciæ oſtendit, & quòd amici tui tam fideliter & exactè in majore Polonia ipſi deſerviêrint. Felicis ex gratia DEI adhuc ſumus memoriæ, nec tamen meminimus imperatum à Nobis, ut pertranſeuntibus Suecis parceretur. Imò diſtingvendæ & examinandæ circumſtantiæ temporis erant: quia tecum non niſi ante Tractatum contulimus, quo tempore Cardinalis Primas, & defunctus Caſtellanus Cracovien: univerſalia pro Litvania ediderunt impediendo omnes actus hoſtilitatis contra Suecos, verùm rupto, & non concluſo Tractatu omnia aliter verti debuerant. Nec tum quidem recordamur, à nobis vetitum, ne quis quidquam attentaret in Suecos: recordamur autem Nos mandâſſe, ne ex vi officij ut Generalis Majoris Poloniæ convocaret Nobilitatem ante triplicem innoteſcentiam noſtram. Injuria eſt Palatino Mariæburgenſi inſimulando illum dati conſilij de ſuſcipiendo bello contra Suecos, quinimò pluribus rationibus ſuaſit, ne id attentaremus; Nobis verò pro omni ratione purus zelus fuit, ut Poloniam priſtino flori reſtitueremus, pactis conventis ad hoc Nos obligantibus, & tot Senatoribus in Senatûs conſilio idipſum ſubſcripto nomine approbantibus. Credimus ſucceſſiſſet id votis noſtris magno Reipub inde incremento, niſi Rex Sueciæ tot fulcra & amicos in Polonia reperîſſet, adauctus inſuper partiſantibus Gallicis, qui invigilabant; ut nos impedirent à ſuccurſu dando Cæſari vi Electoratûs Saxonici. Elapſi hic ſunt aliquot dies, ex quo Vallachi Capitanei Craſnoſtavienſis captivum Belecki nomine præſentârunt, miſſum à Capitaneo Bobroyſcenſi ad Theſaurarium Litvaniæ, cum literis, quibus precatur, ut pacis curam ſuſcipiat, quod niſi fiat, periculum vitæ ſuæ, ruinam verò toti Domui Sapiehanæ imminere. Hic ad Częſtochoviam captus eam nobis relationem fecit, quæ fucatam multorum ſinceritatem ſatis probaret, & à literis diverſam, quibus nobis perſuadere conantur integerrimâ mente ſe nobiſcum agere, quidquid agunt. In reliquo plurimùm dolemus te hic & nunc tanta pati, quibus omnibus feliciùs mederi non poteris, niſi ſincerè allaborando, ut redeat tranquillitas nobis animitùs exoptata, cui omnem impendimus operam &c.

XXXV.

ANDREAS C. ZAŁUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. LUDOVICO ZAŁUSKI EPISCOPO PŁOCENSI FRATRI SUO

30 Auguſti.

HOdie venit ex Caſtris poſta ſed utinam non veniſſet, aut tuliſſet fauſtiora, tulit enim funeſta, ea tamen, quæ pridem conſtante omine à communi motu metuebamus. Accipe genuinam eorum narra-

narrationem, ex Caſtris ſub Sendomiria 23 Auguſti, ſecundâ (ſed infelicitlimâ) feriâ præteritâ, hoc eſt die 21 præſentis ſub Vieruſzna factum eſt funeſtum in necem Palatini Caliſſienſis attentatum, præmiſſâ ejus inſimulatione cointelligentiæ cum Suecis. Cujus evidentem falſitatem, non ſolùm integrâ fide exhibitum Regnanti in publica legationis functione obſequium, poſtpoſitis ſaluti Patriæ largioribus promiſſis, verum etiam illud maximè probat, & evincit, quòd cum Domino Theſaurario M. D. L. & Miniſtris Regis Sueciæ, acri ſermone decertaverit, zelando contra irruptionem in Poloniam, quibus tamen glorioſè peractis, factus innocens victima furori publico. Fugit in Sendomirienſem Palatinatum captaturus amorem populi, viſitandi gratiâ, ubi invento circulari exercitûs conſilio, vix ſubſellium occupavit, immaturis & ipſe fatis occupatur, Nobiles enim quidam (niſi nomen ignobili facinore vitiaſſent) Wolski alteri, alteri Chlewicki nomen, privato rancore ſimul & furiis acti, hunc eſſe conſiliarium, hunc ductorem in Poloniam Sueci inclamant, idem crepant, fremuntque eorum adhærentes, fit ingens tumultus ratione nulla (hujus enim locum furor occupaverat) nulla perſuaſione placabilis, in quo evaginatis gladiis tam crudeliter dilaniato Palatino, à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt relicta ſanitas. Semivivus delatus eſt ad tentorium à Radomenſi, & Malogoſtenſi Caſtellanis, ſub prætextu confeſſionis ſacræque communionis miniſtrandæ, ac conficiendi teſtamenti, ut ſaltem pietatis obtentu effrœnatæ tyrannidis impetus mitigaretur. Ex nunc interea miſit Rex doctorem medicinæ & chirurgos pro cura, lethaliter tot ictibus ſauciati, ſed id nullatenus permittentis, in hoc ſtetit rabies licentiæ, ut unus omnino pro populo moreretur. Scripſit dein Rex dolore plenus, ſuper hoc tragico caſu. Dumque tandem deferveſcente furore populi, regali teſtimonio non eſſe Palatinum Suecis fœderatum perſuaſiſſet, & eviciſſet, miſit Epiſcopum Chelmenſem, qui ſedatâ procellâ tumultuantium, ad Regale habitaculum, proprio natantem ſangvine; vixque extremos trahentem ſpiritus, rhedâ vexit Palatinum. Traditus curæ Regiorum medicorum, & chirurgorum, à lecto nec paſſu, ſic volente Rege, recedentium, modica tamen ſpes, reſtituendæ ſanitatis affulget, oculus profundè ſaucius, jam effluxit, pes ferè totaliter reſectus, in viam ægrum diſponit æternitatis, in capite, reliquóve corpore, vulnera ſine numero, totidem portas pandunt animæ, brevi ſors de corpore, vix ſibi cohærente egreſſuræ. Die 22 poſt Votivam in templo Corzycenſi auditam, agente Rege cum Senatu & Equeſtri Ordine, de modis pacificandæ Reip. reprimendæ hoſtilis potentiæ, auctione exercitûs, ejuſq; ſtipendio, venerunt Legati Palatinatûs Cracovienſis, reduces à Rege Sueciæ, quem nullatenus, ab intenta dethronizatione, velle deſiſtere retulerunt, omninoq; perſuaſum, eo ſe Remp. adacturum, ut hoc dethronizato novum ſibi Regnantem eligat. Palatinatus Majoris Poloniæ huc accelerant, excitatus in ijs fuerat tumultus, contra Palatinum Poſnanienſem, & Generalem Majoris Poloniæ qui niſi ſe frementi Nobilitati ſubduxiſſent, ſub jam evaginatorum tribus millibus gladiorum, animas poſuiſſent, poſt magnas tamen Sueticæ factionis ejurationes reſtituti. Hæc pro affectus teſſera habe relata, adnecto copiam literarum, quas moribundus ſcripſit. Inchoatum verò nuper conſilium circulare, Senatorum & Equitum, magna ex parte coaleſcere cœpit conſtitutis medi-is ad reaſſumendos tractatus, ſaltem ad ſpeciem, donec vires exercitûs augeantur, minimè à communi motu congregatis, ſperandæ, præſertim,

A.C. 1702

*A.C.*1702 quo ad peditatum. Primò enim declaraverat Rex ſuum auxiliarem militem Ducum regimini ſubdendum eſſe, ſed pòſt ex certis rationibus mutata mente, partem exercitûs pedeſtris ordinavit ad Breſtenſem œconomiam. Electi bini ex quovis Palatinatu deputati, ad conſcribenda puncta, & legati ad Regem, ratione exercitûs Saxonici, qui ab eo reduces eandem, quam Varſaviæ in Senatûs conſilio fecerat, retulerunt declarationem, ſcilicet tandem reſolutum eſſe Regem, ut ſubjiceretur regimini Ducum Poloniæ, miles Saxonicus, modò illi ſubminiſtretur à Palatinatibus commeatus.

Puncta conſcripta à Deputatis. *imo.* Exercitus Saxonici finito bello relegandi. *2do.* Conſiliarij Saxonici nullatenus admittendi. *3tio.* Fœdera cum Principibus externis ſine ſcitu Reip. non tractanda. *4to.* Fœdera, ſi quæ facta ſunt, inſciâ Rep. cum externis præſcindenda. *5to.* Cum Sueco nihil tractandum inſciâ Repub. *6to.* Exercitui promiſſa implenda. *7mo.* Summæ tum antea tum nunc tempore belli Suetici erogatæ nec per ſe, nec per ſubordinatas perſonas nec per Succeſſores, à Rege vindicandæ. *8vo.* Comitia Equeſtria, ſine mora cogenda. *9no.* Authores belli Suetici prodendi.

Deſideria Exercitûs Poloniæ à Magno Duce propoſita. *imo.* Aſſecurandum ſervitium militibus. *2do.* Stipendium providendum. *3tio.* Quartualis ſaltem ſolutio hic & nunc providenda ad alliciendum militem. *4to.* Reſpectus habendus hactenus ſolutione carentium regiminum, ut illis hebdomadaria penſio (vulgò Lenungi) pro victu provideatur.

COPIA LITERARUM PALATINI CALISSIENSIS, POST lethalem ſui dilaniationem ad congregatos pro Circulari Conſilio. 24 Auguſti.

A primis meæ ætatis annis, nunquam non in publico, ut ſemper intemeratam fidem Regnantibus, ſic innatum Patriæ amorē, conſervandārum libertatum, legumq; Reip. non frigidum cordi habui zelum ipsâ id tranquillitate conſcientiæ, innocentiæ ſecuritate atteſtante. Utiq; ſemper uſibus ſervivi publicis, ſic non alio fine legationis, ad Regem Sueciæ, ſuſcepi functionem, niſi ut averſo ſævientis hoſtis gladio, bene per me eſſet Patriæ. Fui, ſumptibus propriis, paternam in matris Patriæ commoda, non illiberali manu fundens ſubſtantiam, usq; intra limites Samogitiæ in occurſum Regi Sueciæ, nihilq; curarum intermiſi, ad audientiam tamen cum collegis non admiſſus, ex uno ad alium trahebar loco, & ludebar, ad ipſam uſq; ſic inani paſſu reductus Varſaviam. Feci fidam non Regi ſolùm, ſed & Primati, omnium relationem, qui mihi nullatenus, niſi confectis rebus, abitum ſuaſit, nullâ licet ſpe ſecuturi affectûs affulgente. Nam manifeſtè & authoritas immutata Reip. datis mihi, cum intitulatione, non ad eam ſed ad ſolùm Cardinalem Primatem Recredentialibus. Pro quo quanto zelo fervoreq; certaverim? non ambigo, publicâ omnibus eſſe delatum famâ. Redux ergo peractâ irrito licet conatu, expeditione, ad latus Domini, expectabam, totius congreſſum Reip. ut non erubeſcendam actorum & impoſiti, à Senatorio Equiſtrique ordine, in generali circulo facerem relationem. Verùm puram intentionem, iniqua vis fatorum impedivit; poſitus enim in portis mortis, non jam voce, ſed gemitu lamentabili nomen opemq; invocare cogor matris Patriæ, cujus non degener filius Monarchæ judicio in Curuli locatus Senator, opprobriis nuper contumelioſè ſaturatus, proprio ſangvini, de cœlo

cœlo vindictam inclamanti, à quibuſdam, neſcio quâ furiâ motis immerſus jaceo. Sic nocet innocuo nocuus, cauſamque nocendi invenit. Calamus, & lingva deficit, deſuntq; verba, quibus doloris exprimatur magnitudo. Non accuſatus, non convictus, factus ſum innocens victima. Confiſus innocentiæ, rectè factorum conſcius. Ille Legatus, qui facultatibus meis publicam quæſivi felicitatem. Comparui in Generali Circulo Palatinatûs Sendomirienſis, ad id à congregatis concivibus requiſitus; ex nunc iniquis, nec unquam ſuppoſitis, nullo documento, aut ratione probandis impetor, objectionibus infenſorum honori meo, & implacabili ſævitie, in necem meam conjuratorum, Suecum à me introductum eſſe iniquè calumniantium. Ita nocuit fuiſſe innoxium, quo jura DEûm, quo leges cecidêre poli, iſta tuta omnia in libero hoc Chriſtiano Regno, neminem, etiam abjectiſſimæ ſortis hominem, captivare, niſi jure convictum jubent. At ego, tam in perſona mea, quàm in antenatis, nullius criminis reus, nulla unquam notatus labe, hoc publicæ legis carui beneficio: tædet vivere etiam extrema hæc momenta vitæ, ſi uno jam pede inſiſtens ſepulchro, omni ſpoliatus honore, deſcenſurus ſum ad tumulum inglorius. Supplices ergo per viſcera Chriſti fundo preces, ut mihi inſtantaneè in generali congreſſu probetur perduellio, hâcq; oſtensâ, qui cœperunt, ipſi conſummant me, hocq; vix jã pendulũ è collo caput ultimo ſubjiciant ictui, quod ſi probando defecerint, Chriſtianã tot hiantib⁹ vulneribus invoco compaſſionem, exoro protectionem, ſit jus adverſus injurioſos, ſit miſericordia cum ſupplicante, fingentibusq; ſcelera aut non credant homines, aut non agnoſcant. Benedicet DEus hæroicis Veſtris intentionibus, ſi juſtitiæ locum vos inter dederitis, quæ in me vindictam cœlitùs, à vobis pro me implorat opem, qui etiamnum hanc dulcedinem ſolatii, à clementia expecto matris Patriæ, quo in fidis Fratrum reperto pectoribus, reliquas vitæ horas eorum conſecrabo obſequijs. *A. C. 1702*

XXXVI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. & SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI THEATINO REGIO MINISTRO. 4. Septemb.

VAria nunc multa, certa pauca ſcribuntur, quæ habeo, tibi communico, penes authores, qui ſcribunt ad me, fidem relinquendo. Reſiſtere ab initio copijs Sueticis Viſtulam trajicientibus Palatinatum Cracovienſem voluiſſe dicunt, verùm conſideratâ potentiâ Suetica, ne temeritatis pœnas lueret, recepiſſe ſe verſùs Viſniczum. Decreti inde Legati ad Regem Sueciæ, electiq; Zydowski, & Dembinski Vexilliferi Cracovienſis & Oſwiecimenſis cum punctis, qua de cauſa ad ipſam Metropolim Regni Cracoviam proximè acceſſerit? Item cur tantis contributionibus Palatinatum aggravet? Requirere etiam juſſi ut quantocius finibus Regni excederet, nec cogitaret, inpoſterum de dethronizatione Regis, pro cujus Majeſtate Palatinatus Cracovienſis quemadmodum primus eidem in campo electorali adſcripſiſſet ſuffragia; ſic primus vitam & ſangvinem litare paratus eſſet. Et quia tanquam ad hoſtem ea legatio deſtinabatur, præmiſſus eſt tubicen ad Comitem Piperum ad literas liberi paſſus impetrandas: quæ an conceſſæ fuerint, poſtea videbimus. Quòd verò ad Seren: Regem attinet, is priuſquam moveret Cracoviâ, ejusdem ſecuritati proviſurus, manda- *Legatio à Palatinatu Cracovienſi ad Sueciæ Regem*

*A.C.*1702 verat peditatui, lineam novam duceret, in quem finem per univerſalia ad pagos, oppida, & ſuburbia Cracovienſia imparatæ angariæ ſtetitq; intra paucos dies à Viſtula inter Dembium & Patrum Carmelitarum Novitiatum, aduſq; Eccleſiam S. Floriani novum utcunq; vallum, verùm id ipſum mutatâ Principis voluntate mox deſertum milite educto, operisq; dilapſis, remanſit imperfectum. Nec juſtum quidem præſidium Urbi Regiæ tuendæ impoſitum, trecenti enim tantùm pedites, quibusThauſch vice-colonellus Capitanei Cracovienſis præeſſet, relicti. Publicatum interim edictum ultimâ Julij, ut quivis Cracoviæ incola annonam trium menſium paratam haberet, vel cederet civitate.

Sub idem tempus deprehenſus Cubicularius Principis Olſtinenſis nuper in prælio cæſi, & ad Regem cum literis adductus eſt, cum quibus expeditus fuerat Stockholmiâ. In ijs hæc contenta fuerunt, deſcripta pugna ſub Kliſzovo, ſpecificatio adhærentium Coronæ Sueciæ, quòd Chriſtianiſſimo Galliæ promiſſa implebit, & Principem de Conti inthronizabit in throno Poloniæ. Præſentati etiam tredecim captivi Sueci, quos inter duo inſigniores Officiales, quos Palatinus Kijovienſis in arce novæ civitatis expugnata paucis cæſis vivos in ſuam poteſtatem redegerat.

Literæ interceptæ

Potocki

2dâ Auguſti evenit aliquid Principi cœlitus malè ominatum. Vix enim ex templo PP. Bernardinorum Stradomiæ exceſſerat, cum luſtraret militem, qui recenter cùm Generali Reblen advenerat cum valida tempeſtate aër inſonuit, fulmine copula templi prædicti tacta, majoris altaris coronæ pluresq; ſtatuæ aliorum altarium violenter diſſipatæ, vela flammis conſumpta; quibus effectis per feneſtram in hortũ malum delatum eſt. 3tiâ Auguſti interceptus cum literis Stockholmiam datis Zawadzki, hactenus ſub cuſtodia habitus, dum cum aliis captivis poſt exercitum ducitur, præteriens templum Bernardinorum, ſe ſalvare volens, ad illud confugit; verùm fruſtra id tentatum ab illo fuit, extraditus enim fortem aliorum captivorum ſubire debuit ad caſtra cum illis deductus. In exercitu Regio cenſa cum recente ſuccurſu 24 millia. Hæc in minore Polonia.

Fulmen.

Literæ interceptæ

Ex Litvania fama attulit, ſub Kamionka in Diſtrictu Grodnenſi ducentos de nobilitate, centum de vulgari milite Principis Wiſniowieccij cecidiſſe, quos inter inſignior de Principalibus unus D. Wołowicz, item Officiales Schreider & Reimer.

Cædes inLivonia.

Ex Livonia habetur eam centum millibus Moſchorum à Pleſcoviæ partibus inundatam, hos exigere contributiones, prædas agere, Suecis interim, quia numero, & viribus impares ſunt, ex Fortalitiis calamitatem provinciæ non niſi miſerantibus. Evenit nihilominus aliquid, quod victores victis ſimiles fecit. Navis Suetica ſub Pokoſſarum tendens, nec obtinere valens portum, ob contrarios ventos in brevibus hæſit. Hanc ut ſuam facerent Moſchi lintribus (vulgò Czayki) eam invaſerunt, jamq; ſuæ poteſtatis factam cauſa curioſitatis eam luſtraturi ingreſſi, octoginta numero, uno non niſi de ſuis in quovis lintre relicto, tractati à Capitaneo Pulverflut dicto mox pernicie ſuâ tractationem ſoluturi. Nam ſub tempus infelicium epularum pyrio pulveri admoto fomite ſe cum hoſpitibus momento in mari eſca piſcibus futurus ejecit.

Epulæ funeſtæ.

Palatinatus Ruſſiæ 17mâ Julij ſtatione Rzeſzoviæ ſub Łonka delectâ renuit juramentum quòd Princeps Cancellarius M. D. L. tanquã Capitaneus Premiſlienſis propoſuerat eâ mente, ut confœderationem no-

Carolus Radziwill.

novam pro tuenda Majeſtate conficeret. Unde etſi ipſe præiſſet exemplo, juramentô coram imagine Crucifixi editô; nullo Magnatum Ruſſiæ ſecundante, infectis rebus cum aliquot vexillis ſuorum ex comitiolis verſùs Cracoviam ſe recipere coactus eſt. *A. C.* 1702

Ultimis Julij caſtra Regni ſub Polanka, Cracovienſis Palatinatus ad Wyſniczum, Sendomirienſis ad Soleciam, Lublinenſis ad Sieciechoviam, Voliniæ ad Sami ripam, ubi Viſtulam ingreditur, Ruſſiæ ad Lonkam propè Rzeczovium, Halicienſis verò terra propè Leopolim conſtiterunt Zubræ.

Comes Zincendorf pro extraordinario Ablegato à Cæſare ad Regem Sueciæ miſſus mediationem offerendo & ſiſtendo arma, ex Principalis ſui mandato domum redire debuit negotiô nec inceptô quidem. Hic ante prælium Kliſſovienſe Malogoſcij exiſtens, quamvis impenſè audientiam Kelcijs poſtularet, ſemper tamen à Rege Sueciæ rejectus, audaci conſilio ſtudioſè obvius Regi Sueciæ credentiales reddidit, quas ille quidem recepit, ſed additâ cenſurâ id fieri non debuiſſe ſine licentia obtenta: quare nec audientiâ nec reſponsô dignatum meritô, Cæſar Miniſtrum ſuum revocavit. Nec meliore fortunâ Comes Stratman ejusdem Cæſaris apud Regem noſtrum Legatus ſuum abſolvit munus. Hic Pſzczyna per poſtam ad Regem delatus privatâ obtentâ audientiâ eidem expoſuit querelas contra Saxones Sileſiam in tranſitu damnificantes, requirendo ſatisfactionem. Item ſuaſit non iterandum cum Suecis prælium ſimulq; declaravit Cæſarem pro hac vice renuntiare Saxonicis auxiliis, quæ aliàs per pacta Saxonica imperio deberet, eo reſpectu, ut vice verſa Cæſar ad præſens non teneretur ſuis ſuccurrere auxiliis. Dum res ſeriò ageretur non ad placitum reſponſo Principis irritatus Legatus, nec dicto vale exceſſit Cracoviâ. *LegatioCæſaris.*

Ex Litvania adfertur inter Republicantes plures comparere pecunias Moſchoviticas. Putatur pro ſeſqui millione Moſcho Bychovia, Dombrownam, Hory-Horki, & alias poſſeſſiones ad limites Moſcoviticos jacentes oppignoratas eſſe; alij exiſtimant Vitebſcenſem & Mciſlavienſem Palatinatus his pecuniis ceſſuros. Veritatem tempus docebit. Poſnania ſcribitur, quòd 9 Auguſti certò communis motus Majoris Poloniæ ad Caliſſium conſtitit, eò quòd jam egreſſus ſit exercitus Sueticus ex eo Palatinatu, & ingreſſus Siradienſem, qui ante prælium Kliſſovienſe agni ſpeciem gerebat, nunc gerit lupi, rapit, contributionibus premit, vix domus tutæ.

Ex Curlandia habetur à Generali Stuarlo Gubernatore illius Provinciæ in quemlibet manſum imperatam contributionem 30 flor.

Ab eodem emanavit edictum, ut ex nunc nobilitas intra ſpatium menſis Auguſti ad bona ſua rediret ſub pœna in contumaces confiſcationis bonorum.

XXXVII.

EIDEM IDEM 9nâ Septembris.

QUod habeo Varſaviâ fideliter communico, quòd Rex non benè valeat Varſaviæ, nec die Dominico in publico comparuit, etiam ſacrificio miſſæ non niſi in privato interfuit, diciturq; ingenti eum laborare catharro. Venerat eo die Epiſcopus Culmenſis, ſed fruſtra expectavit audientiam, quæ illi non niſi circa veſperam conceſſa eſt. Procancellarius Litvaniæ literis Sereniſſimum admonuit imminere Sueticum Generalem Maidel dictum Varſaviæ, jamq; poſt devaſtatam poſſeſſio- *Stanislaus Szczuka.*

*A.C.*1702 ſeſſionem ſuam Szydram nominatam, eò rectâ tendere, quam ob cauſam Rex ex nunc ſex millia ſuorum verſùs Lukoviam expedivit, immediatè ante præmiſſis ad explorandum aliquot centenis Walachorum.

Thorunium pro cenſiſtentia quatuor millia peditum Saxonicorum deſtinantur. Cardinalis Varſaviæ comparuit, & in arce cum Epiſcopo Culmenſi, Palatino Lencicienſi, & Pocillatore Regni fuit, ibiq; ſolus in conclavi Regio cum Sereniſſimo moratus eſt, ante eius abitum invitatus Culmenſis Epiſcopus breviſſimo tempore, quo vix tria Pater noſter recitari poſſent abſolutus à Sereniſſimo eſt. Suadent aliqui Regi iterandum cum Suecis prælium pro nominis ſui gloria gentisque Polonæ: ſed hæc propoſitio ex multis rationibus vix acceptabilis Principi. Capitaneus Inovroclavienſis ſcripſit ad Sereniſſimum Majoris Poloniæ Palatinatus conſenſiſſe in confœderationem, ſeque electum ſuffragante calculo fratrum in Mareſchalcum. Verùm longè aliter ſe res habet ut Caſtellanus Szrzembski, & mox eventus edocuit. Nam ipſe Mareſchalcus vix de ſuo evaſit ſubſellio ſciſſis in partes ſtudiis & affectibus Palatinatûs Lencicienſis Majorisq; Poloniæ, certatum acriter ab utrinq; conviciјs, ſeceſſum ab invicem, inculpatus Palatinatus Majoris Poloniæ partium Sueticarum, comminatoriæ auditæ ab iiſdem, ituros ſe Lovicium ad Comitia generalia continuanda. Verùm ex tanta tempeſtate nihil ſecutum, redeuntibus omnibus in tabernacula ſua, ſolus prædictus Mareſchalcus cum ſuis adhærentibus ad Serñmum profectus ſperans ſe Regni exercitum ad Varſaviam inventurum. Legatus Cæſaris aſſiduus apud Regem conferendo cum eodem.

Terræ Viſenſis nobilitas ſummâ modeſtiâ & ordine verſus Lublinum perrexerat, cui perſuaſus reditus à Procancellario Litvaniæ, unde compoſitis ſignis contenderunt privatim Varſaviam ad generalia Comitia Deputatorum. Palatinatus Majoris Poloniæ abnuunt acceptare deciſionem confœderationis Sendomirienſis, unde nulla ſpes Comitiolorũ jam deſignatorum. Sereniſſimus Sendomiriâ profectus & Procancellarium Litvaniæ aſſecutus eundem apprehenſum per manum ſecum adegit diſcedere aliquot milliaria variјs diſcurſibus cum illo tempus fallendo. Proximè ad Pulaviam Nuntiis Palatinatûs Ravenſis audientiam dedit, (ibi enim tantiſper ſubſtiterat) Semonos Procancellariј aſſecutus illorum ſe muſicâ recreans quærentibus Nuntiјs quid ſibi agendum foret? reſpondit: vel acceptanda concluſa ſub Sendomiria, vel melius aliquid faciendum. Nuntiјs Maſoviæ nullum adhuc reſponſum redditum, nec citiùs reddetur, quàm Nuntiј Majoris Poloniæ advenerint, ut uno reſponſo omnes abſolvantur.

COPIA LITERARUM PROCANCELLARIORUM REGNI ET M. D. L. AD REGEM SUECIÆ 4 Septemb.

NOS Status & Ordines Regni & Magni Ducatus Lituaniæ ſalutem & continuum amicitiarum incrementum.

Congregata Reſpubl. noſtra Generali bellicâ expeditione nunquam docta, rationes belli offenſivi ſumere, hucuſque ſolùm ad promiſſorum tot ſcriptis publicis S. R. Mtis Vræ inſtauratâ legatione noſtrâ ultimariè accedere, ac ſi quidpiam cauſarum & originis ad hæc inſperata Patriæ noſtræ mala de inſontibus Nobis emerſit, intelligere; ſin verò alienis condemnamur factis, juſtitiam ejuſdem,

quâ

quâ prædicatur, probare, & denique, ſi venturum aliquid ex atten- *A.C.* 1702
tatis metuitur toti Reip. Noſtræ S. R. Mtem Nram inter & Ve-
ſtram mediatione intercedere, atque non modò vetera & antiqua
fœdera reddere firma, ſed nova etiam omnino ſtrictiori mutuæ a-
micitiæ nexu inter amica Regna S. R. Mtis & noſtrum ad invidiam
ſæculorum pangere. Inſtructos proinde eo nomine mediante ad id
operâ Eminentiſſimi & Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Mi-
chàëlis S. R. E. Cardinalis Radziejowski Archiepiſcopi Gneſ-
nenſis, Legati Nati, Primatis, primique Principis Regni Poloniæ &
M. D. Litv. magnos & extraordinarios Commiſſarios Noſtros Illu-
ſtriſſimos, Excellentiſſimos, Magnificos, Stanislaum de Raciborsko
Morſztyn Palatinum Maſoviæ, Joannem de Zydow Zydowski Ve-
xilliferum Generalem Palatinatûs Cracoviæ, Stephanum Comitem
de Leſzno Leſzczynski Oſtriſſovienſem Capitaneum, Chriſtophorum
Komorowski Magiſtrum Culinæ M. D. Litv. Capitaneum Wokovi-
enſem, ex Senatu & Ordine Equeſtri deſignatos dignabitur S. R.
Mtas Vra benignè audire, ſeque verum amicum probare in ijs, quæ
deſiderant amici, & ſine quibus Reſp. Noſtra nec libera, nec ſalva
eſſe poteſt. Hæc experti viciſſim in certamen mutuæ amicitiæ ac
perpetui fœderis clara daturi ſumus documenta. In præſentiarum ve-
rò S. R. Mtem Vram optimè valere nominique ſuo proſperrimam
parare immortalitatem cupimus. Dabantur in campo congreſſus no-
ſtri Generalis ad Sendomiriam.

Sacræ Regiæ Mtis ad obſequia paratiſſimi
Carolus Tarlo Procancellarius Regni
Stanislaus Szczuka Procancellarius M. D. L.

PLENIPOTENTIA DATA ILLUSTRISSIMIS COMMISSARIIS ad Tractatum cum Rege Sueciæ ab Ordinibus Reipublicæ ſub Sendomiria.

NOS Status & Ordines Reipublicæ Polonæ Generali bellicâ expeditione congregati, quorum intereſt, univerſis & ſingulis per præſentes notum, teſtatumque facimus. Quia Nos habitâ informatione, quòd mediatio Sereniſſimæ Reipub. noſtræ inter S. R. Mtem Poloniæ Dñum Noſtrum Clementiſſimum ab una, & S. R. Mtem Sueciæ ab altera parte, interpoſitâ operâ Eminentiſſimi & Rndmi in Chriſto Patris Michàëlis S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopi Gneſnenſis Legati Nati, Primatis primique Principis Regni & M. D. L. motos & excitatos quovis modo inter memoratas Sacras R. Mtes inimicitiarum poſſit componere & terminare tumultus, ad eandem mediationem ocyus inſtruendam deſignavimus de medio noſtri ex Senatu & Ordine Equeſtri magnos extraordinarios Commiſſarios Illuſtriſſimos, Excellentiſſimos, Magnificos, Stanislaum de Raciborsko Morſztyn Palatinum Generalem Terrarum Maſoviæ, Joannem de Zydow Zydowski Vexilliferum Generalem Palatinatus Cracovienſis, Stephanum de Leſzno Comitem Leſzczynski Oſtrziſzovienſem Capitaneum, Chriſtophorum Komorowski Magiſtrum Culinæ M. D. L. Capitaneum Volkovienſem, dantes, & concedentes ipſis plenariam & omnimodam facultatem juxta præſcriptum inſtru-

A. C. 1702 inſtructionis ſuæ opus hoc ſibi præmiſſum peragendi, tractandi, concludendi, in tabulas mutuorum inſtrumentorum referendi, ſubſcribendi, atque ſigillis muniendi, ita, ut quidquid per ipſos taliter, ut præmiſſum eſt, geſtum, concluſum, ſubſcriptum, ſigillis munitum fuerit; nos in perpetuum pro rato, grato, & firmo habituri ſimus. In quorum ſidem præſentes ex mandato Statuum & Ordinum Reipublicæ manibus Cancellariæ Miniſtrorum Statûs utriuſque gentis ſubſcriptæ ſunt, ſigilliſq; illorum communitæ. Dabantur ut ſupra &c.

Carolus de Tenczyn Tarlo Procancellarius Regni
Stanislaus Szczuka Procancellarius M. D. Litv.

INSTRUCTIO
STATUUM ET ORDINUM REIPUBLICÆ POLONÆ

expeditione bellicâ in Congreſſu Generali Congregatorum, ad Seren: & Potent: Principem Carolum Regem Sueciæ Illrmis Excell: ac Magnificis DD. Stanislao de Raciborsko Morſztyn Palatino Generali Terrarum Maſoviæ, Joanni Andreæ de Zydow Zydowski Vexillifero Generali Palatinatûs Cracovienſis, Stephano Comiti de Leſzno Leſzczynski Oſtrzeſſovienſi Capitaneo, Chriſtophoro Komorowski Magiſtro Culinæ M. D. L junctâ operâ Eminen. & Rndmi in Chriſto Patris D. Michäëlis S. R. E. Cardinalis Radzieiowski A. Gn. Legati nati, Primatis primiq; Principis Regni, & M. D. Lit. Extraordinarijs Magnis Commiſſarijs data in Campo ad Sandomiriam die 4. menſis Sept.

Acceptâ quàmprimùm Illuſt. Excell. M. Dñi Commiſſarij ex Cancellaria expeditione denuntiabunt inſtantaneè S. R. Mti Sueciæ vel ſuis Miniſtris Reipubl. mediationem S. R. Mtem Poloniæ D. ſuum Clement. inter, & Sueciæ, deſiderabuntq; operationes bellicas, & hoſtilitatem mutuam ſine motu armorum, prout ſunt in gradu ſtare, & aliquo temporis ſpatio limitare, donec limitationis oblatæ propoſitio reſolvatur. Ipſi verò confeſtim ad Emin. & Rñdmum in Chriſto Patrem D. Michäëlem Card. Primatem Regni properabunt, ibidemq; junctâ manu & conſilio, de modo, loco, circumſtantijs inſtaurandæ negotiationis per Tractatum mediationis Reipubl. maturè decernent, & concludent unà cum Deputatis Palatinatuum & Terrarum ex præſenti congreſſu deſignatis.

Quòd ſi ita viſum fuerit ex collato Conſilio, ut Commiſſariis magnis extraordinariis interſit facere, ad Seren: Regiam Mtem Sueciæ curabunt ſine mora deſcendere comitatu modeſto & decoro, ſervatis debitis ſolennitatibus, & honore Gentis Polonæ.

Habitâ ad audientiam admiſſione S. R. Mtem Sueciæ nomine Seren: Reipub. Polonæ congruis verbis & ſermone amicè ſalutabunt, reiq; negotium vel ibidem tangent, vel in congreſſu cum Miniſtris impetrando, ordientur hoc vel ſimili ſenſu; Remp. Polonam eòuſq; Pactorũ & fœderũ cum S. R. M. Sueciæ memorẽ & tenacem eſſe, ut nec S. R. Mtis D. ſui Clementiſſimi, ab hoc vel præmiſſis, imò & ipſius ad initia arridentis fortunæ illecebris ad communionem incepti belli, ſe inducere permiſerit, nec ad illata ſigna cum jure & onere militari S. R. Mtis Sueciæ innocuis Reipubl. Terris & Provincijs juſtam naturalem opponere defenſionem ad ſolam ejuſdem S. R. Mtis Sueciæ teſtificationem

onem venire illam, uti verum amicum, & in uſum ſervandis decoribus *A.C.* 1702
liberæ Gentis hucusq; anſa fuerit, donec congregatâ in unum expeditione bellicâ in eum finem ſumptâ, tum ut cauſas & principia rerum perſcrutaretur, tũ ut pollicita ſub ſuavi amicitiarum nomine S. R. Mtis Sueciæ intimius penetraret.

Et hinc eſt, quòd in tam arduis & ambiguis, ubi populorũ erumpit gemitus & amicitiæ promiſſæ nondum guſtatur dulcedo, initô maturô conſiliô inſtauratum eſt magnæ legationis munus, cum offerenda totius Reipubl. amicâ mediatione pro æternitatis Sueciæ inter & Poloniæ Regna pactis & fœderibus.

Si enim S. R. Mtas Sueciæ ex compilatis nuper Saxonico milite & conſilio, ac fortè quorundam Patriotarum belli rationibus providè veretur, ne ſimilia in futurum eveniant in Republ. imprimis renovationem fœderum omnium cum optima voluntate Regnorum Poloniæ ac Sueciæ contra mutuos hoſtes conjunctionis; deinde eandem offerre Jus vadimonij, & mediationem propriam inter S. R. Mtem D. ſuum Cl. ab una, & S. R. Mtem Sueciæ ab altera parte tali nempe vinculo, ut ſi (quod Superi avertant, nec timetur unquam) S. R. Mtas D. ſuus Cl. excitare vellet, adhuc quocunq; modo infractionem pactorum & fœderum cum Regno Sueciæ exnunc Reipub. declarare ſe per legum vigorem in partes fœderum cum S. R. Mte Sueciæ tuendas.

Quâ fixâ omni meliori modo firmitudine dicent Legati exinaniri impoſitionem dethroniſationis. Hæc enim in tantum per Status & Ordines Regni crederetur à S. R. Mte Sueciæ urgenda, in quantum poſſet dubitare de certitudine manutenendæ pacis & quietis populorum, aſt cum ipſa Reſpub. ponat ſe vadem pro ſuo Rege, nullum amplius reſtare poteſt dubium infringendæ aliquando ſic ſtabilitæ mutuæ pacis, præcipuè cùm hæc eadem Reſpub. ad hanc deſcendens mediationem, donec & ipſa novâ ſolenni ſponſione per publicum diploma contra exotica aulæ conſilia in præmiſſis omnibus atq; juribus ſuis cardinalibus muniretur.

Cùm itaq; à proprio Rege repetita ſit in Juribus cardinalibus obligatio, quidni S. R. Mti Sueciæ eodem promiſſarum non vanè amicitiarum titulo ſe obligare liceat, ut, ſi verum & candidũ, prout non dubitatur, Reip. Polonæ profitetur amicum, deſinat illam propoſito novæ Electionis ſtante Regis negotio onerare, cùm ea ſit contra prima principia Juris cardinalis, & deniq; contra totam eſſet libertatem, juſſam Poloniam in campum Electoralem deſcendere; quod etſi vellet præſtare, jam hoc ipſo, quia jubetur, vel dicitur, non poteſt; Si enim ad unum Principis amicum licet nutum præſtaret, jam perpetuò aliorum Principum ſimile exemplum ſequentium periculoſiſſimis exponeretur Imperijs, & hoc ſolo admiſſo tot ſæculorum opus libera Gens & Reſpub. periret, vel in jus cujuſpiam potentiſſimi tranſiret.

Si proinde S. R. Mtas, uti dictum, amicam ſe probat, ab amicis ea contendat, quæ ipſos ſalvant, non jugulent, amicis gratias, non injurias adferat, ab amicis honorificam excipiat mediationem, cum amicis paciſcatur, amicorum tot damna, tot incommoda Regiâ juſtitiâ comprehendat, cum amicis amicus perpetuus æternum pangat fœdus, nullâ relictâ amaritudinis memoriâ, ac deniq; ut nullus injuſtitiæ ac querelæ relinquatur locus reſtitutis omnibus Patriis & Saxonicis donatis Reipub. tormentis & machinis, Exercitûs ſui copias quantocius ex Regno & M. D. Litv. ac in univerſum ex omnibus Provincijs ad Remp.

per-

A.C. 1702 pertinentibus compendioſo tractu & ſine omni populorum moleſtia amovere & educere faciat; Juxta quæ præſcripta deſideria & ſenſum punctorum curabunt Legati perficere, & extendere Tractatum.

Quod ſi verò ad eum ſpem dubiam vel prorſus abruptam cognoverit, extunc belli Ducibus denunciare curabit, tum & Deputatis à Terris & Palatinatibus deſignatis, ubicunq; tunc cum Primate Regni ad latus S. R. Mtis Dñi Clementiſſimi congregati fuerint.

Si autem difficultates inſperatæ aliquæ ad Tractatum intervenerint, in iis reſolvendis promptam à conſilio Primatiali & Deputatorũ capient expeditionem, ſemper tamen excluſâ omni prætenſione, cujuscunq; avulſionis & electionis novæ. Cætera prudentiæ, dexteritati & fidei Deputatorum, quæ per ſacroſanctum noſtri DEI & Patriæ obligatur, plenariè committuntur.

Carolus de Tęczyn Tarło Procancellarius Regni Pol.
(*L. S.*) Stanislaus Szczuka Procancellarius M. D. L.

DIPLOMA DONATORIUM OECONOMIÆ BELLICÆ SAXOnicæ, Statibus, & Ordinibus Reipublicæ. Varſaviæ 18 Auguſti.

AUGUSTUS II. Significamus præſentibus literis noſtris quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quia nos altâ & ſemper memori revolventes mente, æquè generoſos ac ſinceros & fidos Statuum & Ordinum Regni, ac M. D. Litv. non tantùm in nupera ad capeſſendum Regium Thronum electione, tum & felicis Coronationis noſtræ inauguratione, ſed etiam in immediato Conventu Generali Varſavien. ſatis abundè teſtificatos animos; nequaquam patientes Regiæ munificentiæ amplitudinem liberrimis ſincerè ac fideliter dilectorum ſubditotum noſtrorum ſuperari actibus. Poſteaquam cognovimus eoſdem Status & Ordines, à quadam in eodem Conventu Generali Varſavien. repetendarum injuriarum contra militiam Saxonicam formata lege receſſiſſe, ſingulari verò aliâ pro perſona ac Mte noſtra Regia, fortunas, vitam, ſangvinem ſuum, & quidquid horum carius eſt, nobis conſecráſſe. Habitâ ratione, quòd Camenecum Regni, & Chriſtianitatis antemurale ſpoliatum ſit per Turcas omnibus tormentis, & machinis bellicis, in redhibitionem tanti amoris & fidelitatis civium digniſſimæ hujus Patriæ, inque perpetuum erga eandem ſenſûs noſtri gratiſſimi monumentum, inductas nuper in Regnum hocce machinas noſtras æneas cum ammunitione & apparatu bellico ad proſequendum bellum Turcicum, nunc jam per DEI gratiam auſpicijs noſtris, atque intimis ſtudijs, pace ſubſecutâ extinctum, totam nempe œconomiam bellicam tormentis, & mortariis æneis centum octoginta octo, triginta duabus cupreis pro ponte volatili navibus, pulveris ſulphurei quinque millibus centenariorum, plumbi mille quingentis centenarijs, tribus millibus, & quingentis carcaſſis ſeu bombis & granatis, octo millibus bombardarum longiorum, centum millibus globorum varij generis, duodecim millibus granatorum manualium, quatuordecim millibus ligonum, aliâque ſufficienti & inſigni re tormentariâ comprehenſam & conſtitutam memoratis Statibus & Ordinibus Regni & Magni Ducatûs Litvaniæ totique inclytæ Reipublicæ dono dedimus, donavimus, ac perpetuò, & in ævum reſignavimus. Pro ut defacto præſentibus literis noſtris, dono damus, donamus, ac perpetuò & in ævum reſignamus. Nihil nobis

bis Sereniſſimisque Succeſſoribus noſtris, vel cuipiam alteri, libero tantùm nobis quoadusque vixerimus ejuſdem rei tormentariæ, ad bellicas *A.C.* 1702
occaſiones reſervato uſu, Juris, Dominij, aut prætextûs reſervando, & excipiendo, ſed integrè & plenariè jus noſtrum & Dominium in Rempublicam tranferendo & transſcribendo. Vigore cujus quidem donationis noſtræ perpetuæ liberam facultatem ſupremo Armamentarii Regni Magiſtro nunc & pro tempore exiſtenti, vel cuipiam alteri ad id legitimè delegato damus & concedimus, quatenus prætactam œconomiam bellicam ad inventaria Artilleriæ Reipub. introduci, inſcribi, & per Arſenalia diverſa diſtribui, ſeu etiam in uno quopiam deponi, & conſervari faciat ad perpetuam noſtri memoriam, hoc noſtro ad præmiſſa mediante donatorio Diplomate. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Anno Regni Noſtri 3tio.

CONCLUSIO CONSILII Varſaviæ habiti 23 Septemb.

NOS Conſiliarii & Plenipotentiarii laudo Ordinum Reipub. per communem motum congregatorum in campo inter Viſtulam & Sanum ad Sendomiriam 22 Auguſti anni currentis conſtituto, à Palatinatibus electi delati Varſaviam ad latus S. R. Mtis, die 22 Septembris per idem laudum deſignatâ imprimis è medio noſtri Caſtellanum Inovroclavienſem Athanaſium Maczynski Theſaurarium Curiæ Regni, Balthazarem Belchacki Capitaneum Lipnicenſem delegavimus ad Eminentiſſimum D. Michaëlem Cardinalem Radziejowski Archiepiſcopum Gneſnenſem Primatem Regni Poloniæ, invitando illum, ut in hoc Tractatu per Remp. comendato ſecundùm inſtrumenta ex Cancellaria extradita cooperetur, & Primatum teneat, paxq; & tranquillitas ſub auſpiciis ejus in ſtatu integro manutentionis & conſervationis pactorum & fœderum Olivæ reſtituatur. Ad quam invitationem, & inſtantiam noſtram poſtquam Eminentiſſimus Princeps Cardinalis & Primas ad locum congreſſûs noſtri venit, locumq; Præſidis occupavit; actum præſentem à relectione laudi ſupra nominati inchoavimus, pòſt per lectionem ejus frequentiæ majoris DD. Plenipotentiariorum gratiâ conferentiam ulteriorem in craſtinum diſtulimus. Sequente ergo die iterum convenimus, ad arcem Varſavienſem locum ſeſſioni electum ſub Præſidentia Primatis in præſentia tum coram exiſtentium Miniſtrorum Statûs, & ante omnia ad præſtandum juramentum ſecundùm normam in laudo à Reip. Ordinibus deſcriptam, acceſſimus, illudq; explevimus, quo expleto Stephanum Leſzczynski Kowalienſem & Oſtrziſzovienſem Capitaneum laudo ſupra expreſſo pro Comiſſario ad Tractatum ex majore Polonia deſignatum, protunc Varſaviæ præſentem ad eandem Seſſionem & conferentiam invitavimus, & ut functionem Comiſſariatûs ſuſciperet, in ſpem rati-habitionis Palatinatuum Provinciæ Majoris Poloniæ, rogavimus. Hoc itaque actu taliter faxit DEUS, feliciter inchoato in Secretarium Legationis delegimus D. Petrum Tworzyanski Theſaurarium Cracovienſem, quem etiam inſtantaneè ante Commiſſarios ad Tractatum electos expedimus, ut cum denuntiatione ad Sereniſſimum Regem Sueciæ præveniat, ordinatos à nobis Commiſſarios ſine mora conſecuturos, qui per laudum in inſtrumentis extraditis expreſſum illis commendata ad finem optatum perducant. Quia verò Palatinatus Provinciæ Majoris Poloniæ proximè Comitiola habituri ſunt, ut in illis de communi ſalute patriæ, & electione Deputatorum ad Tra-

ctatus

A.C.1702 ſtatus deliberare poſſint. Stantibus ideo præmiſſis & legatione ac functione Illuſtriſſimorum Commiſſariorum ad Regem Sueciæ congreſſum præſentem ad diem 23 Octobris limitamus, & differimus, locum verò congreſſûs noſtri futuri pro ulteriore conferentia hic Varſaviæ, vel ibi, ubi opportunitas loci ſuadebit, ad latus S. R. Mtis deſignamus, & pro eodem termino nos conventuros eſſe pollicemur; in quorum fidem manibus noſtris nos ſubſcripſimus.

UNIVERSALE AD PALATINATUS IN UNIVERSUM INvitans Nobilitatem ad Confœderationem datum Varſaviæ 26 Septemb.

AUGUSTUS II. &c.

OMnibus & ſingulis &c. Expreſſimus abundè per literas & reſponſa noſtra ad Palatinatus, qualiter à 19 Julij ad uſq; Autumnum Generalem congreſſum congregatorum per communem motum Reipub. Ordinum detinuerimus, & tanto tempore diſtulerimus conſilia publica non vanè ſperantes maturos in Autumno fructus à nobis colligendos: at poſtquam præſentes Palatinatus poſt longam expectationem finalis cupidi deciſionis ad eam progreſſi ſunt; placuit & nobis communi acquieſcere beneplacito. Quia verò poſtea inclyti Palatinatus majoris Poloniæ non pari zelo & ardore ad communem contenderunt defenſionem, & per viam confœderationis pro aris & focis, pro fide S. Catholica & Mte noſtra, juribus & libertatibus Patriæ glorioſos fundaverunt conatus: Nos hæc omnia faventia optimorum Civium ſtudia & zeloſos affectus prout gratè & peramanter in ſinum paternum recipimus; ita ut ea ipſa Confœderatio optato in publicum non deſtituatur effectu, nondum proviſis paratisq; mediis competentis naturalis defenſionis, qualia tam magnæ circumſtantiæ & neceſſitates ad Statũ Reipub. pertinentes exigunt, inſervientes ideo uſibus publicis quondam Palatinatuum & Terrarum inclinati, decrevimus in eum finẽ Comitiola indicere & deſignare; prout effectivè hoc univerſali pro die 16 Octob: currentis anni ea Fidelitatibus Veſtris in loco conſueto celebranda, Generalem verò congreſſum Ducatûs Maſoviæ pro 30 ejuſdem Octob. determinamus & deſignamus, obligantes Fidelitates Veſtras, per amorem DEi, Matrisq; communis Patriæ, cujus uberibus lactati eſtis; ut communi defenſioni & retundendo hoſti unioniq; Veſtra accommodetis conſilia & ſalutare opus pro ſalute publica erigatis: de nobis verò ita ſupponere & abſque omni ſcrupulo ſiniſtraq; imaginatione id perſuadere velitis; quod quemadmodum nunquam mente noſtra ejusmodi concepimus deſtinatum, ac ſi intenderemus liberam gentem ſpoliare parto antiquitùs libertatis decore; cujus velut pupillæ primum cuſtodem Nos profitemur & verè ſumus ita ad mutuum amoris & fidei ligamentum oblatum Ordinibus Reip. à nobis ſolenne diploma de manutenendis juribus, libertatibus & prærogativis conſignate parati ſumus: tum

tum poſt acceptum circa Fidem, Majeſtatem & Libertatem tuen- *A.C.* 1702 dam per Palatinatus juramentum, viciſſim coram Deputatis Pleni- potentiariis juramento confirmabimus: modò verò proſperrimos in Remp. defenſionis effectus Paterno optantes; voto univerſale hoc manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo Regni roboratum ut ad notitiã univerſorum deveniat per Caſtra & loca conſueta publicandum commendamus.

COPIA LITERARUM MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS AD PALATINATUS MAJORIS POLONIÆ. *Dąbski.*

QUemadmodum impreſſum commiſſæ mihi in Congreſſu Generali ad Oſſtroucum directionis liberis Dominationum VV. ſuffragiis characterem integrâ gero fide; ita non alium ob finem ad latus Principis me propiùs in perſona contuli, niſi ut in omnem caſum & circumſtantiam graveſcentibus indies malis publicis Argo intendã oculo, vigilesq; agam pro munere curas. Non enim me ad hanc ſpartam ſuſcipiendam aliud impulit illicium, præter ſolam & unicam ſinceri in publicum obſequij gloriam, non ſpes honorum, non ſtudium lucri; procul ab omni ambitu & cupiditate intaminatum ſervabo honorem, publico bono pro meta laborum deſtinato. Quandoquidem verò ex præſenti conſilio & permoventibus rationibus viſum eſt S. R. Mti, quò felicem coalita confœderatio ſortiatur effectum & promoveantur media naturalis defenſionis, clementiſſimè decernere & deſignare Comitiola cum determinatione Generalis congreſſûs circularis in vim communicationis conſiliorum, Palatinatui verò Maſoviæ hic Varſaviæ ſolito more itidem Generalis indictione, hinc eſt quòd ego Dõnes VV. his literis compellem vegetamq; & perennem ad cultus & obſequia Dõnum promptitudinem declarem pro termino deſignato ad circulum infallibiliter acceleraturus, ut non tantùm indefeſſi ſtudij & ardoris defendendæ Reip. in me exhibeam argumentum ſed ut etiam ſingulis Dõnum VV. pronam impendam venerationem quam &c. *Invitatio pro conſilio.*

Adalbertus Dąbski Capitaneus Inowroclavienſis
Mareſchalcus Confœd. Generalis.

COPIA RESPONSI PALATINI MARIÆBURGENSIS AD THESAURARIUM REGNI Varſaviâ dati 13 Septemb. *Joan Przependowski. Raphaël Leſczynski*

BInas acerbiſſimo dolore plenas literas, unas in Originali ad Sereniſſimum Regem per copiam, alteras ad Palatinatus Majoris Poloniæ datas, non minore, quàm quo ſcriptæ ſunt dolore lego, in quibus quærens in publico, qui tibi compatiatur, me provocas in arenam, & per ruinam meam tuam erigere volens innocentiam deficiente omni rationum & argumentorum, quæ vel minimùm convincant, pondere, ferreo planè ſtylo honorem invadis meum, oblitus non idem eſſe liberè dicere, aut ſcribere, quod conviciari. Quærens captivatam libertatem ſentiendi & dicendi, & ipſemet eâ abutens, dum me tibi naſcendi ſorte, dignitate ac meritis Concivem & Senatorem deſtinas in victimam publicam, tui obtegens, in alios criminator. Non erubeſco mea acta, Domino enim & Patriæ integrâ mente & fide ex ratione ho-

A.C. 1702 neſti probavi obſequium, nec fui accuſator fratrum: ſed mihi hæc regula vitæ, neminem lædere, honeſtè vivere, jus ſuum cuique tribuere. A primis diebus Regni Sereniſſimi Regis omnimodâ applicatione eò collimavi, ut pacata & tranquilla forent Reipub. tempora, cujus teſtis placidis mediis pacificata ſciſſio, à præterita Electione aliis flammas & arma vibrantibus. Bellum Sueticum nunquam meo probavi conſilio, imò ſemper contrarius fui ob certas meas conſiderationes, uti teſtimonium ipſius Principis in Reſponſo ad te dato expreſſum de me evincit. Et verò etiam quare mea vis culpare conſilia? cùm in recenti & proximè à ſuſcepta expeditione Livonica Generale Varſavienſe Senatûs Conſilium ſucceſſerit, ubi prima in Republ. nomina non tantùm reclamarunt; verùm inſuper propriis viribus hoc bellum Sereniſſimo Regi proſequendum indulſerunt, adjecto: ut tuendæ primæ perſonæ Regiæ Mtis, limitumq; Regni munus Ducibus committeretur. Pergo ulterius ad objecta de inducto exercitu Saxonico in Litvaniam, & exauthorato Litvanico milite. Bene notum tibi, quanta tulerim pro nomine Sapiehano, & quantam ſuſtinuerim invidiam ab Ordinibus M. D. Lit. Inteſtino ſtatim à fatis glorioſæ memoriæ JOANNIS III. inflammato incendio, nec oleum affudi, nec ullo modo fomentavi, veritus ignes ſuppoſitos cineri doloſo, quinimo omnem impendi conatum, ut in ſcintilla opprimerem, & pacificarem partes, pro quo fidem & conſcientiam tuam invoco, verùm poſtquam nos offenſa vitiis noſtris fata, hoc inteſtino malo plectere decreverunt, erupit flamma in incendium, & adhuc ad Brzezanos de oppreſſione ſui querula nobilitas M. D. Lit. imploratam protectionem Principis me inſcio & inconſulto ſibi conciliavit, eadem Regiis copiis callem in Litvaniam aperuit, uti ſuper hoc extant in manibus S. R. Mtis authentica inſtrumenta, cum ſubſcriptione plurium tam Senatorum, quàm Equeſtris Ordinis. Eadem nobilitas propè Grodnam effectivè viginti ſex millia caſtris poſitis adlegit ſibi Regium militem, ibiq; imprimis cataphractas & loricatas legiones convocavit publico laudo: tum viſo haſtatos Equites, prædictamq; militiam pro eo tempore Ducis ſui abnuiſſe obſequium, vulgarem Equitatum, & Tartarica vexilla prætenſo gravamine exauthoravit. Fatendum omninò tibi, (nam præſens fuiſti Grodnæ) me huic tranſactioni nec ſponte operam accommodâſſe, nec ad eam admiſſum ex odio, quaſi plus nimio addictus eſſem domui Sapiehanæ, etiam per publicam Legationem Wołowicij moderni Notarij M. D. Lit. poſtulatum à Rege fuit, excipiendo perſonam meam à Litvanicis negotiis, atq; ſuum Secretarium Bialoſorium ſubſtituerunt. Nonne ſic luce meridianâ clarior innocentia mea? prorſus non capio, quomodo in eum ſcribere potuiſti, & mihi tantam imponere injuriam. Jubes à me quæri, cujus conſilio inductus miles Saxonicus contra pacta & conſtitutiones? Bene utiq; meminiſſe potes, quòd poſt evacuationem Saxonici exercitûs, certa pars Equitum ad condendum portum Polongæ juxta conſtitutionem 1690 ex poſt-Comitiali Senatûs Conſilio ordinata & relicta fuerit, quod Senatûs Conſilium, ſi non fallor, ipſemet ante abitum tuum Conſtantinopolim ſubſcripſiſti. Conferentiis Moſchoviticis me non immiſcui, nec Birſæ fui, quod extra me, nihil ad me. Expeditio Dñi Fictumij ad placandum Regem Sueciæ, ad facilitandos tractatus, uti ex Cancellaria Saxonica prodiit, ita prorſus mihi ignota fuit. Laudi Olkienicenſis approbatio (Auguſtus Rex approbo) ad me non pertinet, quia ad hoc Miniſtri Senatûs M. D. Lit. fuerunt cuſtodes legum. Objectos mihi Coſacos, Tartaros

ros & Moſchos nondum videmus in Polonia, verùm qui colluviem *A. C.* 1702
Gotticam introduxit in Poloniam, ſub ſpecioſo nomine amici, hoſpitis, & ſocii; Deo & Patriæ graviſſimam reddet rationem. De Dño Patkol id unum ſcio, quòd exul ab oppreſſa nobilitate Livonica expeditus confugerit ad aſylum & protectionem S. R. Mtis; apud quem verò intimiorem admiſſionem invenerit, cum quo capitulationem fecerit, ſolus & unus completè informare poteſt. Hàc brevi objectorum factâ elucidatione ad te judicem appello; meiſne meritis tanta à te debebatur injuria? & an nòn à Chriſtiano homine læſi honoris debeatur reſtitutiò? præſertim cùm intra vitæ meæ decurſum occaſionem ad hæc abrupta non dederim. Rancore ſolo inſtigante non bene examinatâ cauſâ me tuum iudicaviſti inimicum, multos abſolvemus, ſi cœperimus ante judicare, quàm iraſci. His candidè expreſſis expecto juſtum remedium doloris mei, & in hac expectatione maneo &c.

COPIA LITERARUM PALATINI MASOVIÆ AD D. PIPER 16 Sept.

POſt ſpretos ſinceræ amicitiæ conatus, illatumq; ſine omni reſpectu in ipſa Regni præcordia bellum ignoſcet forſitan Orbis Chriſtianus Reip. Noſtræ, etiamſi in proximè habito Conventu Generali omiſſâ ulterioris mediationis ſolicitudine, ſolis tantummodo bellicis, & quæ ad naturalem defenſionem ſpectabunt, incubuiſſet cogitationibus, non tamen ea, quamvis jam forſan ex præmiſſis licita corripuit media, niſi tentatis ante omnibus, quæcunq; ad reſtaurandam pacem & manutenenda pacta cum amica & fœderata Gente pertinebant. Scit enim juratæ fidei conſtantiam, & non niſi ultimâ neceſſitate ſumptorum armorum tarditatem felici tandem exitu compenſari ſolitam, creditq; S. R. Mtem Sueciæ non unius, alteriúsve prælij tumultuariè commiſſi ſucceſſum, ſed totius belli fortunam & incommoda reparaturam, innataq;, quæ magnos heroes nunquam deſerit, proceſſuram cum Repub. Noſtra, quæ tam ex Senatu, quàm ex Equeſtri Ordine lectos iterum deputavit, qui mediationem ſuam offerant certis conditionibus, dummodo ſint æquæ & poſſibiles, reſtaurarent inter inclytas Nationes Pacta Olivenſia, & antequam amicitiæ horum nomine, & conſenſu Illuſt. Dñem compellare placuit per Generoſum Tworzianski Theſaurarium Cracovien. hucusq; legationis noſtræ ſecretarium, cujus promptam expeditionem quàm maximè recoñendatam eſſe volumus, non minimam ſpem faciente humanitate & prudentiâ Excellentiæ V. eam nempe libenter allaboraturam, ut negotio tam laudabili ingreſſus pateat facilis, & exitus optatus adjungatur, utq; fama Seren. Principis, cui hactenus infructuoſè ſtuduit, creſcat certiore & ſtabiliore proventu ex adunatis in mutuam, & antiquam amicitiam vicinis Gentibus, mentem quoad hæc Seren: Regis Sueciæ, ut quamprimùm Nobis Illuſt. Dnaõ V. aperiat, petimus, & ſimul inſtaurare fœdera, quæ Nobis hactenus fuerunt ſancta, & inviolabilia, animus eſt S. R. M. locum & tempus commodum expectabimus. Quidquid Illña Dnaõ V. communi utilitati operæ impenderit, honori ad Poſteros ſuos, tum Nobis etiam iter aperiet ad mutuam in conſequens conferendi, & agendi opportunitatem, nec minùs (poſtquam in tuto publica fuerint) ad privatæ amicitiæ Jura fundanda, commendo me iterum favori & reſpectui benevolo.

A. C. 1702

COPIA RESPONSI A D. COMITE PIPER AD LITERAS ILLUST. D. PALATINI MASOVIÆ.

Literas Excell. Vræ eo nomine gratas, quòd pacis, præſeferant ſtudium, non poſſum diſſimulare, in cæteris bilem ſapere acerbiorem, quàm illius muneri, qui pacificatoris perſonam ſuſtinere debuit, omnino exiſtimo. Primum enim quòd ſpretos ſinceræ amicitiæ conatus tradat. Neſcio an S. R. Mtas Sueciæ D. meus Cl. jure poſſit reprehendi, ſi ſemel iterumq; decepta cavere voluiſſet, ne ſemper deciperetur. Quod verò illatum ſine omni reſpectu in præcordia Reipub. bellum dicatur, qua ratione, obſecro Excell. Vra arguet S. R. Mtem bellum intuliſſe? quæ crudeliſſimum in ſe hoſtis impetum repreſſerat tantùm, neq; Remp. aut Regem Poloniæ verbo læſerat, cum improvisè & ſubdolè irrumpens è Polonia Exercitus Provincias Sueticas igne, ferroq; popularetur. Non opus repetere, quàm indignis dolis cùm hæc fierent, illuſa eſſet S. R. Mtas Sueciæ, quæ damna Provinciis ſuis inflicta toleraret, quas querelas ea de cauſa ad Rempub. Polonãm deferret, antequam arma cenſuiſſet arripienda; quàm verò parùm cordi eſſet Reipub, cujus tamen maximè intererat, malum hoc in herba ſupprimere, ne naſceretur, vel enatum confeſtim elidere, ne ampliùs creſceret, cùm univerſo Orbi Chriſtiano notum ſit, utiq; Excell. Veſtra non poteſt ignorare. Non igitur intulit bellum Rex meus, qui illatum ſibi repellit, hoſtemq; communi omnium Gentium jure, in eam Regionem perſequitur, unde primùm eruperat, atq; in quam ſe poſt illata damna receperat. Quod ſi incommodi quidpiam inde percipiat Reſpubl, non Regis mei culpa eſt, qui in licito actu verſatur, ſed Reipubl, quæ aggreſſori non tantùm receptaculum præbuit, verùm etiam vires ſuppeditavit non exiguas. Quare enim ab initio non prohibuit? quare noxam intra viſcera ſua admiſit? & deniq; ut ſæpiùs efflagitatum, cur finibus ſuis excedere non juſſit. Quo facto nunquam fundum Reipubl. ingreſſa fuiſſet S. R. Mtas Sueciæ, ſed hoſtem alibi quæſiviſſet. Quapropter cùm naturali jure permiſſum ſit ſalutem ſuam contra vim, inſidiasq; tueri, quomodo naturalis defenſio appellanda, ſi Reſpubl. arma ſumpſiſſet ad eum protegendum, qui innocenti damna inflixerat graviſſima; Alterum verò à juſtiſſima vindicta prohibendum, qui damna paſſus eſt. An licita hæc eſſent remedia, quæ cùm naturali dictamini tam fœderibus & amicitiæ dudum inter Regna hæc ſtabilitæ repugnare, ideoq; illicita prorſus, & damnanda fuiſſe, nemo paulò humanior diffitebitur? Equidem ſi beneficium eſt injuriam non feciſſe, laudanda eſt Reſpub, quòd ab injuſti belli ſocietate abſtinuerit; Si verò vituperari meretur, non tantùm is, qui maleficium adjuvat, perſpicuum eſt, graviſſimo crimine Remp. ſe induiſſe, ſi ruptorem fœderum, & totius orbis judicio aggreſſorem injuſtiſſimum armis ſuis ſublevavit. Quid enim hoc eſt, quàm injurias paſſum novâ cumulare injuriâ, adeoque omnium criminum, quæ alter patraverat, ſe reddere participem. Præterea tanta Regis mei moderatio in hoc bello emicuit, ut vel illa Remp. ab inimica voluntate retinere debuerit. Injurias ſuas ita ulciſci voluit, ut Reipub. rationem habere nunquam omiſerit, neque arma quanquam lautis conditionibus invitatus, priùs deponere, quàm Reip. ſecuritati proſpectum eſſet. Novit enim quantum boni publici referat, ſalvam eſſe Poloniam, ejuſq; jura, quæ tot modis infracta ſunt, ſarta

tecta

tecta conſervari. Quare opem ſuam obtulit, ut mederi hiſce poſſet malis, exiſtimans non adeo prodigum ſalutis ſuæ fore, aut pulcherrimam opportunitatem ſe privilegia ſua, & libertatem in tuto collocandi, prætermitteret. Credidit ſaluberrimum hoc conſilium, non avidè tantùm ab inclyta gente, quæ legum ſuarum fuerat ſemper tenaciſſima, arreptum iri, ſed etiam gratias ſibi deberi, qui hoſte ſuis armis fracto Reipublicæ Polonæ inſidiis Saxonicis oppreſſæ, inque ultimum diſcrimen vocatæ, initium bene ſperandi attuliſſet. Contra ea ſi paulò accuratiùs ſingula examinentur, quæ ab altera parte acta ſint, non illam amicæ Regis mei intentioni uſquequaque reſpondere Excellentia Vra ſponte fatebitur. Non enim adduci poſſum, ut credam Excell. Vræ probari ea & laudari, quæ circa primordia hujus belli geſta ſunt, quæ poſtea ſubordinatis Oginſcianis in Litvania, tum quæ in Kliſſovienſi nuper acie, ubi integer Exercitus Polonus Ducibus Primariis in Repub. viris, infeſta Suecis ſigna intulit, & denique quæ quotidie in perniciem Suecorum à milite Polono tractantur. An hinc juratæ fidei conſtantia eluceat, & fœdera Olivenſia* ſacra & inviolabilia conſerventur, orbis judicium eſto. Sed qualiacunque hæc fuerint, ea communi utilitatis cauſa ſibi conferenda S. R. Mtas Sueciæ ſtatuerat, tempuſq; opperiendum, quoad Reſpub. ſibi conſulere poſſet, eaque conſilia inire, quæ ad perpetuandam utriuſq; gentis amicitiam conducere putarentur. Quare ex hiſce Excell. Vra vel invita agnoſcet Regem meum magnâ æquanimitate in ſtupendis etiam armorum ſucceſſibus uſum eſſe, qui cùm hunc hoſtem ſuum bis juſtâ acie, & aperto Marte profligâſſet, à veteri tamen cum Repub. amicitia non deflexit. Nam non fuiſſe hæc prælia tumultuariè commiſſa, quemadmodum Excell. Vra judicat, non minùs Excell. Vræ ſi interfuiſſet, quàm eorum, qui præſentes fuerant teſtimonio proculdubio confirmatum haberemus, quanquam non diffitendum majori ſtrage incepti tempore belli pœnas daturos fuiſſe hoſtes, niſi præcipiti fugâ ſalutem maturiùs quæſiviſſent. Non diffidit Rex meus, cœleſte Numen, quod pia bella ſecundare ſolet, porrò juſtiſſimis armis adſuturum, conatuſq; hoſtis ad irritum cum ſempiterna nominis ſui gloria redacturum. Hæc erant, quæ Excell. Vræ penè minitanti reſpondere debui, tum ut vindicarem Regis mei innocentiam, tum ut oſtenderem non hanc eſſe viam, quæ tot aculeis inſternitur, ad finem nobis optatum perveniendi. Etſi quò hæ amaritudines tendant, conjicere non multæ eſt ſagacitatis. Cætera quæ ad ipſam rem pertinent, cùm S. R. Mtas in ſuo reſponſo explicuerit, non exiſtimo huc tranſcribere. Hoc tantùm adjungendum putabam, non videre S. R. M. op⁹ eſſe, ut pacta cum Repub. reſtaurentur, quæ nunquam rupta ſunt, quæ à ſe quidem nunquam violata eſſe meminit. Si verò ad amicitiam inter ſe Regemq; Poloniæ reconciliandam conſtituti fuerint Commiſſarij, officium quidem Reipub. non improbare, cæterum cùm tot machinationes quotidie in perniciem ſuam fieri, infeſtaq; fabricari conſilia intelligat, non exiſtimare ſuæ ſecuritati hoc tractatu ſatis fore proſpectum. Huc & illud accedit, quòd pro certo compertum eſt, nonnullos tantùm Palatinatus Sendomirienſi conſilio adfuiſſe, quorum an tanta ſit auctoritas, ut in in hoc negotio quidquam nomine totius Reipubl. agere, atque decernere poſſint, non immeritò dubitatur. Sed hæc non obſtabunt, quin quantum viribus junctis eniti poſſim, allaboraturus ſim, ut communis utilitas obſervetur, atq; utriuſq; gentis amicitia firmiori in dies nexu adſtringatur; minimè dubitans, quin Reſp. Polona, per- A. C. 1702

A.C. 1702 ſpectâ S. R. Mtis propenſiſſimâ in ſe voluntate, ea conſilia ſequatur, quæ obtinendæ hujus felicitatis ſpem non remorabuntur. Me denique benevolentiæ ſuæ commendatum habeat Excell. Vra, precor, qui ſemper futurus ſum Excell. Vræ ad officia paratus, & humillimus ſervus.

Comes Piper

LITERÆ PALATINI MASOVIÆ AD REGEM SVECIÆ.

Sacra Regia Majeſtas

COnvocata nuper ad Sendomiriam Repub. Noſtra, iterum ſuos ad reſtaurandam inter Cognatos Principes, & fœderata Regna votis populorum expetitam pacem, ac felicitatem conſtituit Commiſſarios, quâ de re S. R. Mtem V. certiorem reddere volentes, omni, quâ par eſt, efflagitamus veneratione, quatenus S. R. Mtas V, iterum ſuos omnimodo inſtructos mandato Commiſſarios expedire, tempus & locum, huic tam ſalutari negotio aptiorem reſignare non dedignetur; Nos Regni noſtri optimam præferentes intentionem, bonæ & nusquam violatæ viciniæ ex arctiori neceſſitudine firmatam inominamur amicitiam, quo inominando fœdere faventiorem ſucceſſum, & de optima S. R. Mtis V. poſt continuas Martis cogitationes, ad ea etiam, quæ pacis ſunt Regium convertere animum, nobisq; ſummo cum tædio præſtolantibus intimare, ubinam re ipsâ adniti poſſimus, ut in conſpectum S. R. Mtis V. admiſſis probare liceat, quanto ſtudio & ardore in æſtimationem tanti Regis ex fœderato Regno Commiſſarij ferimur.

Obſequentiſſimus & Humill. Servus.

COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ AD PALATINUM MASOVIÆ.

PErcepimus ex epiſtola Excell. Vræ quæ 28. Septemb. ſcripta eſt, conſtitutos eſſe in Conventu Sendomirienſi Commiſſarios, qui Nos inter & Regem, Regnumq; Poloniæ pacem, fœdusq; reſtaurarent, & propterea à Nobis expeti, ut huic negotio perficiendo conſtituto tempore & loco Nra quoq; parte certos deſignemus Miniſtros; enimverò ſicut officium hoc, quod res Polona offert, ſi bona præſertim ſit, profectum intentione neutiquam cenſemus reprehendere, ita priusquam ſuper re talis momenti mentem noſtram declaremus, neceſſe eſt Nos quoq; paulò perſuaſiores fieri, de incorrupto erga nos Reipub. ſtudio; Nobis quidem non ſumus conſcii, mimicitias contra Remp. exercuiſſe, tametſi ad perſequendum hoſtem, qui graviſſimis Nos injuriis laceſſiverat, Poloniam coacti fuerimus ingredi, interea tamen multa ſunt in Nos commiſſa, quæ ab amicæ & fœderatæ Gentis officio graviſſimè abhorrere inveniuntur. Quare ut diffidentia hæc tollatur, non abs re æſtimamus priùs doceri velle, quorum conſiliis hoc bellum conflatum ſit, cujus auſpiciis Exercitus Regni in Cliſſovienſi acie contra Nos arma tulerit, & demq; cujus juſſu, quotidie in Nos hoſtilia miles Polonus perpetret præter eas machinationes, quæ in exteris aulis contra Nos adhuc intendi comperimus, ſi authoritate publicâ hæc acta ſunt Excell. Vræ perpendendum relinquimus, an Reſpubl, quæ ſimul rea

erit, habilis fuerit ad arbitrium pacificationis, ſeu mediationis ſuſcipiendum, ſi verò culpam à ſe derivet, oportet ut ſegreget ſe à Turbatoribus, inq; eos animadvertat ſuppliciis, ut fidem amicitiæ Nobis faciat. Quo pacto cum adverſæ Partis ſuſpicione, nexuque ſe liberaverit, majori fiduciâ cogitata noſtra cum illa communicare poterimus. Interea Excell. Vram, Rempub. ſalvam florentemq; eſſe ex animo cupimus. Datum in Caſtris ad Cracoviam 23 Sept. *A. C.1702*

Excellentiæ Veſtræ benevolus Carolus.

COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM.

Quantum ſit Eminentiæ Vræ erga Nos ſtudium, ex literis ejus, quæ 29 Septembris redditæ ſunt, non obſcurè intelleximus, & quanquam non recordamur nos, dum Varſaviæ eramus de ullo cum Rege Poloniæ reconciliandi modo quidquam promiſiſſe, utpote in quo ſecuritatem nullam prævidere poteramus, ſed omnia tunc ad afflictam Reip. libertatem reſtabiliendam conſilia noſtra intendebamus, volumus tamen Eminentia Vra omnino ſibi perſuadeat, nos tantam fiduciam in æquanimitate ejus & eximiis animi dotibus collocare, ut officium, quod offerre voluerat, non dubitaremus admittere, ſi ita res conſtitutæ eſſent, ut commune periculum pacto hoc averti tutò poſſe crederemus, Eminentia Vra ſibi in mentem revocabit facilè difficultates illas, quas antea expoſitas audivit, eas cùm jam modò non remotas eſſe, verùm ex iis, quæ Adverſarii in perniciem noſtram quotidie machinantur auctas potiùs intelligamus, non poſſumus non ſuſpicari amico pacis vocabulo occultas latere inſidias, adverſùs quas cum ſalutem noſtram tueri debeamus, cum Repub. tamen Polona ſicut pacem nunquam abrupimus, porrò in veteri cum illo amicitia perſeverare cogitamus, quatenus ipſa perniciosis conſiliis ſe non immiſcuerit; Veſtram verò Eminentiam diu ſuperſtitem incolumemque optamus. Datæ in Caſtris ad Cracoviam 23 Septemb.

Eminentiæ Vræ benevolus Amicus Carolus.

COPIA LITERARUM à DD. COMMISSARIIS AD D. PIPER Scriptarum.

Redditæ ſunt Nobis per D. Tworzyanski exaratæ in Caſtris ad Cracoviam S.R. Mtis Sueciæ, & Excell. Vræ literæ, in quibus Nobis non poſſet ſufficienter conſtare mens S. R. Mtis Sueciæ, utrum oblatam à Repub. noſtra pacis mediationem S. R. Mtas pro communi populorum ſalute acceptare velit, pro munere noſtro iterum ad Excellentiam Vram præſentes expedire duximus enixè efflagitantes, ut ſepoſitis verborum expreſſionibus & controverſiis, quæ potiùs ad inchoandum DEO volente optatæ pacis tractatum pertinent, informari plenè poſſimus, de mente Sereniſſimi Regis, utrum ea, quæ ſincero conatu à Repub. noſtra proponuntur, à ſuo animo non ſint aliena, nec

eſt,

A.C. 1702 eſt, quòd ad perfectam hujus negotii inchoationem, & ſupremi Numinis bonitate conſummationem felicem, Excellentia Vra aliquos moveat ſcrupulos, quædam inter Provincias Majoris & Minoris Poloniæ orta diſſenſio, quæ cùm inter ſe in aliquibus clauſulis ad jurium ſuorum conſervationem pertinentibus diſcordent, in puncto tamen adeo ſalutari mutuæ pacis & tranquillitatis quantociùs reſtaurandæ apprimè conſentiant; inſtetq; magnum à tota Repub. Deputatorum videlicet pro 23 præſen. Conſilium, ubi negotiationis noſtræ injunctum eſt reddere rationem Nobis, & ideo ultimariam in præmiſſis reſolutionem avidiſſimè expectantes. Nos interim favori & benevolentiæ Excellentiæ Vræ ſummopere commendamus.

COPIA RESPONSI ITERATI à COMITE PIPER AD COMMISSARIOS 13 Octob.

Reſpub. non poteſt eſſe mediatrix QUanquam S. R. Mtas Dñus meus Clementiſſimus in ſuperiori ad Excell. Vram reſponſo tam perſpicuè mentem ſuam explicaverat, ut cuique de illa ſufficienter conſtare poſſit, cum tamen, præter opinionem Excell. Vra cum Dominis Collegis ſuis, in his, quæ heri mihi redditæ ſunt, pleniùs de intento S. R. Mtis informari cupiat, non poſſum Excell. Vram celare, aliam à S. R. Mte, quàm quæ in priori epiſtola expoſita eſt, determinationem non poſſe jure poſtulari, priuſquam ſuper ijs momentis, quæ in eadem deſiderari inveniuntur, Reſp. Polona candidè & citra ambagem ſe declaraverit. Utique Excell. Vra rationi & prudentiæ quàm maximè conſentaneum judicabit oportere illos, qui mediationis officium gerent, culpâ partiumq; ſtudiis eſſe vacuos, cùm non facilè eos ad arbitrium pacis reſtaurandæ admiſſos unquam auditum ſit, in quos hoſtilis actus crimen aut ſuſpicio cadat. Jam verò citra controverſiam eſt, multa eſſe in S. R. Mtem hic patrata, quibus hoſtiles animi, quàm maximè arguuntur. Si à Republ. hæc profecta ſunt, quomodo illa, quæ ſic ijſdem cum hoſte conſiliis, offenſionibusq; innectitur, ad munus hoc ſuſcipiendum apta erit? Si verò culpam in alios removeat, æquum eſt, ut certa documenta exhibeat, relictam eſſe adverſam factionem, judicet noxios inq; eos juſto modo animadvertat. Cùm hæc ſinceræ benevolentiæ & incorrupti ſtudii ſigna oſtenderit, non ceſſabit S. R. Mtas mutuis officiis reſpondere. Præterea cùm certò conſtet Commiſſarios non ab univerſa Repub. ſed à quibuſdam tantùm Provinciis eſſe delectos, quid Republ. in partes ſciſſa, negotiatio hæc operabitur, niſi ut majores turbas, motusq; excitet, non apparet, ſiquidem Excell. Vræ meliùs, quàm nobis conſtat, nihil in Polonia cenſeri legitimum, niſi quod conſenſu totius Reip. decernatur. Non poteſt igitur S. R. Mtas Sueciæ à rationibus in reſponſo ſuo antea expoſitis diſcedere, quas ut Excell. Vra cum Collegis honoratiſſimis æquâ lance perpendat & Reipub. ſimul conſiderandas tradat, ego quâ par eſt obſervantiâ rogo. Interim DEO T. O. M. Excell. Vram cum Dnis Collegis commendatam eſſe volo. Ad obſequia paratus.

COPIA LITERARUM PALATINI MASOVIÆ AD COMITEM PIPER.

NEC humanitatem Excell. Vræ fatigari puto, novo recurſu literariæ compellationis meæ, nec tanti momenti negotio nimium impendi operæ poteſt, cùm de felicitate utriusq; inclytæ Gentis, per

per redintegrationem amicitiæ ſtabiliendæ agatur. Tantò verò fiden- *A.C.* 1702
tiùs in deſtinatum operis conatum redeo, quòd in conſilio magno noviſſimè inclinationes ſuas ad manutenenda Pacta Olivenſia explicantes, conſpirent in eundem ſenſum Provinciæ totius Reip, vel univerſalibus, vel particularibus decretis plenipotentiarios aſſignando. Cùm ergo fundamento hoc ſtabilito, circa quod nonnulla Excell. Vræ ſuboriebantur dubia, de valore & ſecuritate Tractatûs, (ſi Numen annuat) futura, ambigi non poſſit, maximè verò congruat, ut dum amicitiæ ſtabiliendæ inſudamus, non minore id ſtudio, quàm candore agamus. Reliqua, quæ inchoando hactenus Tractatui obſtare videbantur, facilè credimus ingreſſu ipſo negotij abigenda, & continuato mutuarũ conferentiarum curſu complananda: Meo igitur & meorum Collegarũ nomine, quos ut magno conſilio adeſſent à me digreſſos expreſſeram, enixè peto, ut Excell. Vra & ſummæ prudentiæ ſuæ, & ſtudio in pacem, quod in ſuis anteactis expreſſit, laudem adjungat iſtam, quam poſteritas gratâ commemoratione approbet, & Gentes celebrent; negotioq; tam laudabili initium tandem fiat, & coronis optata accedat; nunc verò ut ex mente S. R. Mtis ſuæ locum & tempus quamprimùm ſciamus, quoad venerationem tanti Regis admiſſis vota noſtra exſolvere liceat, expectabimus; per G. D. Tworzyanski Palatinatûs Cracovienſis Theſaurarium, legationis verò noſtræ Secretarium citum reſponſum, & ſecuritatis literas Interim me favori benevolo Illmæ Excell. V. cum alacri promptitudine recommendo. E. V. ad officia promptiſſimus amicus & humill. Servus.

COPIA LITERARUM D. COMITIS PIPER AD PALATInum Maſoviæ. 13 Novemb.

QUamvis nihil mihi optatiùs contingeret, quàm ut amicitiæ inter utramque Gentem ſtabiliendæ manum admovere poſſemus, tamen non debeo diſſimulare, tam ſalubri propoſito, nondum ita præparatam munitamq; viam mihi videri, ut tutiùs jam, quàm antehac, illi queamus inſiſtere. Scribit quidem Excell. Veſtra in hunc ſenſum conſpirare provincias totius Reipub. & tum univerſalibus, tum particularibus illarum decretis Tractatum inchoandi, atque ex documento illo, quod ab Illmo Mareſchalco Regni ſubſcriptum G. D. Tworzyanſcius attulerat, non mihi promptum eſt colligere. In illo certè non occurrunt nomina Deputatorum ex majore Polonia cui tamen magnas in Repub. partes ſolere tribui, potiùs eſt, quàm ut negari poſſit. Præterea quibus diſſidiis illa agitetur, neminem latet, quæ manifeſto arguere videntur, non eſſe eam animorum conſpirationem, quàm ad negotium hujus indolis perficiendum inprimis requiri nemo diffitebitur; adeoq; dubia illa, & obſtacula, ad quæ hactenus res hæſitaverat, nondum eſſe ſublata. Nihil jam dico in decreto illo, quod transmiſſum eſt, nullam fieri mentionem illius ſatisfactionis, quam poſtulaverat S. R. Mtas Sueciæ D. meus Cl. prius executioni mandandam eſſe, quàm Tractatus inceptaretur, tanquam quo certiſſimo indicio Reſpub. Polona ſuam innocentiam fidemq; ſinceræ intentioni ipſi approbraret. Quapropter quamdiu hic rerum habitus duraverit, non video, quâ ſecuritate hoc negotium aggredi poſſimus, quâve fiduciâ, & jure exegerint alii, ut S. R. Mtas Sueciæ huic petitioni conſenſum præbeat. Quod ad me attinet, nihil mihi jucundiùs erit, quàm illa officia poſſe Excell. Vræ præſtare, ex quibus mea in ſe ſtudia, ac voluntatẽ poſ-

A.C. 1702 poſſet intelligere. Dab. &c.

Stanislaus Szczuka COPIA LITERARUM PROCANCELLARII M. D. Litv. AD D. Kczewski Regentem Cancellariæ Regni, Radzyno de data 16. Septemb.

Raphaël Leſzczynski Ioan. Przependowski. OBtigit mihi ex heſterna poſta copia Literarum, tam quas Theſaurius Regni ad Palatinatus majoris Poloniæ dedit, quàm quibus Mariæburgenſis Palatinus eidem D. Theſaurario reſpondit, cum adjuncto Seren: Regis Reſponſo, ad eundem itidem D. Theſaurarium. In Palatini Mariæburgenſis literis mirari ſatis non poſſum, abſentiam ſuam Birzâ illi pro argumento placuiſſe. Inde enim facile inferri poteſt nôſſe Palatinum, actum eſſe Birzæ aliquid contra Remp. Ad minimum tale quid indigitat, quo innocentem meam, & invitam mereꝗ de mandato Principis ſuſceptam peregrinationem populari involvit ſuſpicioni. Ego verò conſcientiâ fretus, cum Comite meo Epi- *Ioan. Gemolinski.* ſcopo Kijovienſi, jurare paratus ſum, nihil didiciſſe nos, aut inaudiſſe, præter graves & Principe dignos, Cari, & Miniſtrorum ejus diſcurſus, pro Rep: quod ipſum ſæpius lingvâ & calamô teſtatus ſum, & inpoſterum, ſi opus fuerit, vel millenis vicibus paratus ſum propalare. Faxit DEus ut Moſchi molimina prodant, in quantum tractatus non concludetur. Quandoquidem ergo ignoramus quid Birzæ malorum attentatum ſit, clarum eſt, ſi quid actum ibi, clam nobis definitum eſſe. Per conſequens Palatinus Mariæburgenſis, vel Mtem arguit, vel me inſontem publico audax calamo traducere & ſocietati malè de Patria merentium intrudere præſumpſit. Quæ omnia ex illibatis & ab omni reſpectu depuratis conſiderationibus meis explicata, feriæ reflexioni cõmitto, decuerit ne ſcriptum ejusmodi, de ore ſapientis, & proximi in publicum Poloni Orbis prodire, quòd nihil tale meritos obliviosâ premit ſuſpicione? Tu ipſe judex eſto, cujus ut ſemper maneo &c.

COPIA LITERARUM CASTELLANI CRACOV. EPISCOPO Principi Varmienſi, ex Caſtris, ad Pokrzywnicam datarum, 17. Septemb.

QUid in circulo noſtro minoris Poloniæ ad Sendomiriam actum ſit? abundè tibi innotuit. Diſceſſum ex illo eſt, utcunꝗ prævisâ ne quid Reſpub. capiat detrimenti, defenſione, caſu in quo magis quàm in aliis modis ſalutem publicam fundabamus, hoc calamitoſo tot colligationum tempore ſuum non ſortiretur finem. Verùm fruſtravit ſpem omnium bene ſentientium Provincia majoris Poloniæ, quæ nihil conſtituit cauſata ſolennitates, quarum exercitium utiꝗ liberum illi fuerat relictum, aut ſi quid ex neceſſitate hac in re, per omiſſionem peccatum, poterat ſequentium Comitiorum emendationi relinquere. In extremis ergo periculis poſiti ſumus, & aut ſalvari nolumus, aut differimus medicinam, hoſti interim per lares noſtros, non jam hoſpiti, ſed velut Patrifamilias domi noſtræ omnia pro libito permittentes. Copiæ quæ modò ad manum ſunt nonniſi pacatis rebus pares, quietisꝗ temporibus ſervandis conceſſæ nunc dum graviſſimi belli incumbit onus, quomodo ſuſtinebunt, tam manco peditatu nec eo numero, quo illum eſſe ſecundùm noviſſimam computationem, oporteret exiſtente. Agimus nihilominus & poſſibilia tentamus, ne interiora Regni Suetico Exercitui aperiantur, qui tamen non ita me terret,

ut

ut rebellio Coſatica. Putavimus hoc malum facilè ſopiendum, quòd *A. C. 1702.* privatæ duntaxat Samuſſii injuriæ, pro cauſa prætexerentur. Sed jam ex literis & univerſalibus ejusdem aliud longè conſtat, nimirum Moſchi patrocinium, ab eo imploratum, & obtentum, ſiquidem Samuſſius jam ſe Cari ſcribit Colonellum. Quibus verò modis inſolentia hæc Coſacorum, toti Patriæ metuenda dilatetur, patet ex adjunctis. Utuntur illi occaſione deficientibus hic & nunc, apud nos modis coercendi, dum hic externa potentia triumphat. Per DEum! nunc conſilio nobis opus eſt, agitanda ſalutaria, in ſimplicitate cordis ſepoſitis privatis odiis, non deero, quantum ex me facienda faciam, ſed eo jam deventum eſt, ut res ferro & manu egeat. Bona intentio & amor in Patriam, tam activus non eſt, ut hoſtem frangat, niſi concordia univerſalis acceſſerit. Nolit obſecro pro veteri confidentia Celſitudo V. mei obliviſci Fratris & ſervi ſui, ſed correſpondere & communicare magnos ſenſus, ex gratia ſua, quam expeto &c.

AMICO CONFIDENTI 22 Septembris.

QUæ Varſaviâ habui, accipe. Die Dominicâ circa primam, ſacro, quod præter conſuetudinem ſine muſica abſolvebatur, interfuit Rex Sereniſſimus, aſſiſtentibus Regi Culmenſi Epiſcopo, aliisq; *Theodorus Potocki.* Magnatibus. Recenter comparuerunt hic Palatinus & Caſtellanus Caliſſienſis, Gneſnenſis, Rogozinenſis, Raciazenſis, Naclenſis Caſtellani. Primas Cardinalis ſemel duntaxat habitâ cum Rege ſecretâ conferentiâ impoſterum in arce viſus non eſt, ſine illo nihilominus per ſubordinatas perſonas, uti per Referendarium Regni propoſitæ materiæ ex- *Joannes Szembek* penſæ, & acriter impugnatæ. Capitaneus Inovroclavienſis, Mareſchal- *Debski* cus confœderationis à Palatinatu Lencicienſi factæ, poſt ſuum ad aulam adventum à Rege quæſivit, quid confœderatis agendum eſſet? reſponſum retulit, optare ſe, ut reliqui Palatinatus in ea conſentiant, quæ Sendomiriæ ſunt conſtituta, nec obſcurè Rex ſuam mentem eſſe explicuit, ut miſſis innoteſcentiis, hunc in finem Comitiola indicerentur. Valachi & Tartari præclari ſanè œconomi, dum nihil relinquunt reliqui, circulum Varſavienſem vaſtant, expilant horrea, pecora campis modo furtivo abigunt, nec fœminis potum venalem exponentibus parcunt, aſſiduè ebrii inconditis omnia clamoribus implent. Circa veſperam rumor attulit Præfectum vigiliarum Litvaniæ jam ſe ijs Saxonibus conjunxiſſe, qui Breſtam Litvaniæ deſtinati fuerant; eumq; Siemiaticijs in Podlachia his ſociis impunè audere mirabilia, ſui inſuper militis viginti aliquot vexilla ſecum ducere. Præteritâ feriâ ſextâ putatur prælium fuiſſe in Podlachia inter Bochi & Bielſcium; nam jam antè Palatinus Vilnenſis aliquot Suecorum millibus ſub Generali Maidel ſuccinctus prædicto loco conſtiterat, Principe Wiſniovieçki eodem tendente cum ſuis copijs.

Pro mediatione ad Regem Sueciæ deſignati, Palatinus Maſoviæ, *Stanislaus* Vexillifer Cracovienſis, & Capitaneus Oſtrziſzovienſis, effectum expe- *Morſztyn.* ctamus. Cracoviâ verò hæc mihi formalia de data 16 Septembris ſcri- *Andreas Zy-* buntur: ferale ſpectaculum hæc nox nobis exhibuit, Regali Palatio in *łowski.* arce Cracovienſi in favillam flammis concidente. Cœpit ignis circa de- *Leſzczynski.* cimam ante concubiam noctem, ſenaculum, magnifica conclavia, & pulcherrimum illud opus Kurza Stopa, hoc eſt planta galli dictum, reliquaq; in nihilum prorſus deſierunt, ſolis muris, & abominatione deſolationis ſuperſtite. Illud faſtigium ſub quo Nuntiorum eſt hypocau-

ſtum

tempore, ne Varſaviâ diſcederet. Decretum etiam, ut legationis formaretur ſcriptum die proximè ſequente apud Cardinalem Primatem, quod eodem die ſubſcriptum cum expreſſione nominum & cognominum committeretur Tworzyanſcio Secretario Legationis, ut Præcurſori. His peractis nemine diſſentiente ex arce diſceſſum eſt. *A. C. 1702*

Feriâ quintâ ſignificatum eſt à Patribus Paulinis Suecos obſidione cinxiſſe Clarum-montem, intendereque eum expugnare. Quare Rex Sereniſſimus exnunc à Ducibus Exercituum requiſivit pro eo loco ſuppetias, quæ & miſſæ ſunt; de eventu hujus expeditionis nulla adhuc habetur relatio. Exercitus Regni ſubſiſtit ad Pokrzywniciam, Saxonicus verò in Pruſſiam movebit. Sequente primum die Plenipotentiarii (id eſt 23tiâ præſentis) juramentum explêrunt ſecundùm præſcriptum in conſtitutione expreſſum, quovis ſigillatim, quòd aliter ſortiri activitatem non potuiſſent. Primus juravit Belchacki, ſecutus hunc Capitaneus Vlodimirienſis, tum Succamerarius ejuſdem terræ, quart⁹ Plenipotentiarius Podoliæ, ultimò Theſaurarius Curiæ Regni, Princeps Cardinalis heri ipſo diluculo movit Radziejovicios. Rex Sereniſſimus infallibiliter Thorunium ſe conferet, nonniſi 28vâ Octobris ad nos rediturus. Palatinus Mariæburgenſis & Theſaurarius Regni commiſſi ſtylo extra reſpectum nominis, & prærogativæ Senatoriæ, omni reverentiâ poſitâ mutuò ſe proſcindunt, criminationesq; ut nemo alter magis, aut turpiùs exercent. Metuenda inde novi ignis inflammatio. Deſolatio hic ingens, terra ſine habitatoribus egenis omnium ruſticis ſua etiam tuguria deferentibus. *Częſtochovia obſidetur à Suecis*

XXXVIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM ET SAMB. LUDOVICO ZAŁUSKI EPISCOPO PLOCENSI FRATRI SUO

Regiomontô ultimâ Septemb.

QUÆ mihi ſcribuntur, accipe paucis; adductum fuiſſe ad Regem Officialem Sueticum interceptum ſub Częſtochovia cum literis ad Regem Sueciæ, continentibus relationem conflictûs, & victoriæ de Suecis per Moſchum obtentæ ſub Derpato, cedentibus in ſpolium victori caſtris, cum toto bellico apparatu, & peditatu, literæ hæ tranſcripto eorum per copiam relicto miſſæ ſunt Regi Sueciæ per Cracoviam. Palatinus Caliſſienſis poſt accepta nuper lethalia vulnera, jam fatis ceſſit. Caſtra verò Regia ſub Cracovia conſiſtunt, non imminuto, imò aucto numero, per advenientes à Częſtochovia; de motu Exercitûs ſub Sendômiriam, jam ibi rumoribus vulgato, nec cogitatum, ægrorum ad ſeſqui mille militum, in lapideis urbis diſpoſitorum, curam habet Cracovia, excurſiones ab Exercitu Suetico contra Valachos in proximis huic ſylvis latitantes, frequentes fiunt, ſi quem vel minima cointelligentiæ cum eis laborantem ſuſpicione deprehenderint, arctiſſimæ mandant cuſtodiæ, ut factum cum Patre Priore Camedulenſium, cui dato ſub cuſtodiam ob meram ſervatorum Valachorum ſuſpicionem, graviſſima quæq; minabantur, niſi Legatus Cæſareus cum Theſaurario Regni interceſſionibus ſuccurriſſet. Eadem ſuſpicio cauſa fuit extremi infortunij Proſovicorum funditus vaſtatorum. Notitia Moſchum in Livonia ferro & igne graſſari perhibens, magis contra illam civitatem Suecorum accendit rigorem, extremam illi, ſi diutius Reſpub. Regi adſtiterit, ruinam minantium. Legatus Cæſareus com-

*A.C.*1702 parandæ paci impendit operam, poſt habitam apud Regem Sueciæ audientiam, id ſe reſponſi ab eo narravit accepiſſe à Rege Poloniæ inæſtimabilia ſibi ſub Riga eſſe illata damna, nec eum minora paſſurum. Miſeri homines furori ſeſe ſubducentes fugâ vitæ conſulunt, fortunis, quæ domi habentur, direptioni, quæ in conſeminatis ſuccreſcunt agris, conculcationi relictis. Expreſſus ab Epiſcopo Samogitiæ Palatino Vitepſcenſi tulit, Moſchos jam in Oeconomia Szavelenſi comparuiſſe, Litvaniam petituros, quod ubi reſciverint Palatinatûs ſub Corcinum congregati, probabile eſt eos Sueco arma ſociaturos. 9. Sept: Rex venit Ujasdoviam, ubi ſumpto prandio, ſub veſperam ingreſſus Varſaviam in comitatu Palatini Mariæburgenſis, Referendarij Regni, & aliis, præſertim de Gente Germanica, quàm plurimis. Saxones inundârunt Varſaviam aliquot eorum millibus etiam in Inſula Viſtulana conſiſtentibus, magna in civitate rerum cariſtia, quæ juſſa 1000 Saxonicorum hominum ſuis ſumptibus alere; dum vellet pro liberatione ab hoc onere ſupplicare dilata eſt inpoſterum audientia. Hæc malorum copia pluribus miſeriis ſternit viam, venturis fors cum Rege Sueciæ, cujus iterum Varſaviæ præſentia cum exercitu potiùs timetur, quàm ſperatur.

XXXIX.

IDEM EIDEM. Regiomontô 18 Octobris.

Acta cum Sueciis

Continuus, & conſtans ſum in mittendis tibi, quæ ad manus veniunt, quandoque etiam ſine ordine, nova, ex quibus informari poſſis, quo in ſtatu miſeræ res noſtræ ſint. Rex noſter priusquam copias Saxonicas in Pruſſiam & majorem Poloniam dimitteret, eas prius reformavit, ex quibus pro ſecuritate ſua ſex legiones retinuit. Putatur non diu Varſaviæ moraturus, alij exiſtimant expectaturum notitiam à Legatis ad Regem Sueciæ miſſis: reſidentia ejus pro hyeme in Pruſſiam transferetur. Palatinus Vilnenſis cum Suecis Breſtæ & Bialæ ſubſiſtit, indictæ ibidem contributiones trium imperialium in domum unam, ſive ut vocant fumum, præter panem, fœnum, avenam, &c. Moſchi Generalem Grangora in Eſthonia ad arcem Terninū dictam, & fluvium ejusdem nominis vicerunt, & mox à prælio duo millia Suecorum obſidione cinxerunt; de quibus incertum hactenus, an evadere ex ijs anguſtiis, & ſalvare ſe Narvam potuerint. Confirmatur in Curlandia 15 millia Moſchorum ſub Selburgo ſubſiſtere, quorū pars adjuncta Oginſcio, eum expeditiorem ad excurrendum reddidit, à quo infeſta omnia. Bauſchum usq; progreſſus Suecos circiter 80 per oppidula inventos trucidavit. Nihilominus Sueci, proximo hoſte, continuant fortificationem Mitaviæ abundè commeatu & rebus ad defenſionē ſpectantibus à Gubernatore Rigenſi inſtructi. Generalis Stuard nobilitatē Curlandicā, quæ ad partes Oginſcianas acceſſerat, affligit, aulas partiſantium ignibus abſumendo, & conſangvineos eorum ad carceres damnando. Certa præcautio huc delata eſt de Republicanis Litvaniæ, acſi novum quid attentent, ut avulſi à Regno Poloniæ ad Moſchum deficiant, de quo fertur eum cum 40 millibus Litvaniam ingreſſurū. Dñi Legati noſtri nuper profecti, ſunt Præcurſorē D. Tworzyanski ſecuti ad Regem Sueciæ. Piotrkoviæ die 28 Sept. circa decimam ante meridiem aliquot centena Suecorum, qui nuper pro comeatu Piotrkoviam venerant, ſubſtiterunt apud PP. Bernardinos in ſuburbio, imperatâ trium millium imperialium in ſolido pecuniâ, eâq; ſpe citiùs à Potrkovienſi

civi-

civitate expreſſâ, per oppida ſimilia auſuri jam ſe itineri accinxerant, *A.C.* 1702
cùm rumor delatus velites Polonos aliàs Valachos nominatos non procul inde remotos eſſe, detinuit. Tentârunt vi in civitatem irrumpere, ut ut ſe muris tuerentur, ſed viſâ reſiſtere paratâ in mœniis plebe, arripuerunt iter unà cum curribus ſuis verſus Bugajum: ibi ad molendinum conſiſtentes, initio noſtros Valachos provocare auſi ſunt, at ubi Equeſtrem militiam ſub directione Generalis Brandt appropinquare adverterunt, tubicine claſſicum canente, poſuerunt arma, miſſisque ad Stanislaum Rzewuski Inciſorem Regni in poteſtate ſe illius futuros declarârunt, actuque ultrà decem amiſſis, ſubierunt jugum, Equites verò Branſciani ultra illos primos quadringentos circiter captivatos mancipârunt, nec Nuntio quidem cladis relicto. Habuerunt ſecum currus ſex quorum cuivis 12 boves juncti erant, ingens pecuniæ vis in curribus reperta, pridie illis Adminiſtrator Territorii Volborienſis viginti ſeptem millia tymphorum exſolverat. Jam ſe accingere itineri Cracoviâ Suecos, & jam ligna, ut in illis flumine devehantur, diligenter componere ſcribunt, nec tamen adhuc ſe movent, neſciturque, quando illis locis valedicent. Copiæ, quæ ex Pomerania delatæ ad Jangrotum tamdiu ſubſtiterunt, ante aliquot dies tranſtulerunt caſtra ſua in ipſam viam publicam verſus Varſaviam ſub oppidum Slomniki dictum. In montes ad diverſa loca pro contributionibus extorquendis varias & ſat potentes iviſſe partes certum eſt, quas reverti videmus. Civitatem cum omnibus circumferentiis etiam minimam perſonam non excipiendo deſcribi imperârunt. Præteritâ feriâ quartâ ex decreto Generalis Nobilis cum duobus famulis Cieſielſcius convictus de latrocinio in foro, & cæde perpetratâ pœnas luit. Necdum incendium arcis penitus oppreſſum eſt. Conclavia inferiora ab illo adhuc in ruinam eunt, ignes ex diverſis locis erumpunt non ſine periculo templi, die, nocteque cuſtodiæ adhibentur, quæ igni ſopiendo & extingvendo invigilent, grandis profectò ruina Regiæ quondam arcis etiam fornicibus ſolutâ flammis compage ſubſidentibus. Aliquot homines, qui ad ſpectandum venerant, & ſuper rudera ſecuri, neſcii infra doloſum latere Vulcanum, conſtiterant, ſoluto fornice in inferiorem jam ardentem delapſi cameram, calamitoſo eventu cineribus ſunt inſepulti; quos inter, duo Sacerdotes, duo itidem Mercatores honeſti, cùm primis homines fatum, quod non timuerunt, invenerunt. Civitas Leopolienſis rebellionem Coſaticam in Ukraina inchoatam valde timet, nam Samuſius indies potentior jam decem millibus in ſceleſtum fœdus coàlitis, auctior eſſe dicitur, Palſio Duce interim, quamvis alium præſeferat, ſimuletque non ſe favere Rebellibus, & ad ſpeciem Samuſii procedendi modum redarguat; clanculum nihilominus conſilio & auxilio oleum igni addente, Białocerkiew civitatem exuſſerunt, tentârunt arcem, verùm amiſſis aliquot centenis ſuorum receptui canere coacti ſunt. Nunc malè peregrini à loco ad locum vagantur, vias occupant, Polonos & Judæos, ubicunque deprehenderint, cædunt. Scintillæ hæ ſunt gravioris ignis præludia. Quod peſſimum eſt, jam per Voliniam & Podoliam circa Zloczevum, & Socalam, conſpirare advertuntur ruſtici & agreſtes; unde capita, & Principales illorum in diverſis locis ad carceres rapti. Aliquot illorum Wielohurski Succamerarius Vlodimirienſis in ſua civitate Horoczkow dicta meritis ſupplicijs affecit. Palatinus Belzenſis hactenus ſubſtitit non procul Dubnâ in armis, ſperatur in brevi Ukrainam verſus propter ſecuritatem moturus. Fertur Satanoviæ non procul à Cameneco ſitæ Poloni nomi-

A.C. 1702 nominis homines & Judæos exciſos. A diviſione verò ſive parte exercitûs ſub directione Succamerarii Regni exiſtente, delatum eſt, eam 21 præſentis cum Suecis conflixiſſe ſub Uſcio. Uſus eſt ſtratagemate Succamerarius, ut prius metu vinceret, quàm armis. Circa primam pomeridianam caſam incendit, tum à Dembino & vadis Strzelecenſibus ſat reſolutè ſine ordine militem emiſit, ſublatiſq; ſignis toto agmine Suecum aggreſſus eſt; ex quibus aliquot captis, ultra decem cæſis, receptui cani juſſit, ſuis parcere volens iniquiore loco conſtitutis. Rediit nullo ſuorum amiſſo, & nunc cum Diviſione ſua ad Barczkovum ſubſtitit. Suecorum cum quibus experimentum iſtud peractum eſt, fuerunt quingenti quindecim ordinati pro comparandis majoribus & minoribus cymbis, ad tranſportandum Cracoviâ militem neceſſariis. Iteratò præfatus Succamerarius cum Suecis conflictum habuit, qui adverſo, ſe impares eſſe, ædibus quibusdam ſuam ſalutem crediderunt; ſed fruſtra iiſdem velut carcere clauſi, miſerando modo incensâ domo, conſumpti ſunt. Fuerunt ij Pedites numero quinquaginta. Eodē die aliquot centenis peditū idem occurrit, cum quibus certatum acriter, victoriâ penes illum manente, ſed non ſine clade ſuorū, amiſſô Chomentowſciô Janitzciô, ex Suecis præter amiſſos, aliquot capti ſunt, qui etiam huc adducti. Pergrata veniſſe nova de Rege Sueciæ aulæ noſtræ Cracoviâ unus ex amicis mihi ſcribit, quorum id contentum eſſe dicitur; præterito Sabbatho abſolutâ poſtâ præfatum Seren: Sueciæ recenter conſcriptos Valachos probare & experiri imperâſſe, & quidem arte ſuâ tentarent incognito caſtra Suetica, juſſiſſe. Paruêre illi, Rege ipſo non tantùm præſente, ſed etiam immixto illis ceu ſocio & Commilitone, irruperunt feliciter, ſed mox felicitatem hanc communis propemodum luctus corrupit: ingreſſus enim Rex eo impetu, quo Valachi ſolent, caſtra, incidit in extantes clavos & perticas in uſum tentoriorum terræ infixas, funesque eorundem tentoriorum, quibus impeditus equus ſeſſorem impatiens excuſſit. Caſum hunc ulteriora exceperunt mala, Valachorum equis Principem proterentibus, nec proprio equo parcente, cui in genis acceptum vulnus debet, pedem confractum, cervicem læſam &c. Toto abhinc triduo, ore, & naribus ſangvine fluxit. De Commiſſarijs noſtris id habetur, tractatum non eſſe acceptatum, eosq; cum nihilo expeditos. Copiæ Sueticæ moturæ erant Cracoviâ rectâ Varſaviam, peditatus ſecundo flumine, equites terrâ. Reſponſum Generalis Majoris Poloniæ ad literas Illmi Palatini Mariæburgenſis in aula per conclavia fuit præſentatum, ſed ægrius à Palatino Mariæburgenſi ſuſceptum, utpotè rigidiore calamo ſcriptum, præſertim ubi mentio fit domûs & originis. Honorem ejus graviſſimè impetit, oppoſito domûs ſuæ ſplendore, quem à quingentis annis clariſſimum demonſtraturum ſe promittit, & quibus initijs in tantum nomen creverint, probaturum. Fluctuat Palatinus diverſas inter cogitationes, an reſpondendum Antagoniſtæ? ne ſemper auditor tantùm audiat, an diſſimulandum? ne ad aſperiora provocet viri animoſitatem. Aula totis viribus laborat, ut his diebus inter Regem Sueciæ, & noſtrum armiſtitium conciliet; quid per hoc intendatur, conſiderationi relinquo; duæ cauſæ allegantur. Prima videtur eſſe, ut ſub tempus armiſtitij Comitijs locus ſit, in quibus Seren: Rex favorem Palatinatuum prenſare poſſit, quòd ij jam videantur in nomen victoris propter ſuſpiciones de Sereniſſimo deſciſcere; ſecunda cauſa in contrarium, ut Seren: Rex per lucra temporis ſuam fundet potentiam, viresq; acquirat exequendis iis, quod hactenus ſub involu-

Georgius Lubomirski

Suecorum aliquot cæſi

Caſus Regis Sueciæ

involucro cogitationum hærent occultæ. Ex occaſione creſcentis in dies Viſtulæ Seren: Rex plurimum alteratur, metuens ne aquarum abundantia adventum Suecorum acceleret; unde irremiſſo oculo hodie ex pergula ſpeculatus eſt, an non aliquis Villâ novâ aquis Varſaviam deferatur. Advenit miſſus à Capitaneo Samogitiæ, referens ſuum Principalem ad Bnuſcum inſignem intuliſſe cladem Suecis, duabus legionibus illorum in fugam actis, trecentis cæſis: unde Curlandia arma corripuit urgendis ſucceſſibus præfati Capitanei operam accommodatura. Legatus Gallicus Bonak Rigâ profectus Valachis Oginſcianis in manus incidit; detinetur velut in carcere in bonis ejusdem Oginſcij. Poſt fata Palatini Breſtenſis, ceſſit Palatina dignitas Archimagyro Litvaniæ Komorovio, officium verò Archimagyri Dapifero Samogitiæ Gružewſcio. Dapiferatus Germano ejusdem Domini. Idem miſſus detulit Bichoviam receptam. *A.C.* 1702

Sereniſſimus Sueciæ decumbit in Palatio D. Capitanei novæ civitatis. Unde ſcribunt, quòd hic caſus, qui Mtem ſuam afflixit, illis partibus non minus calamitoſus ſit, exercitu ejus ad majorem miſeriam, & oppreſſionem pauperum penes Regem ſuum perſeverante. Planè nunc in ſervitute eſſe queruntur ſe, Dominio nullius rei ſibi relicto, quidquid fœni Paterfamilias, ſuis pecoribus volens conſulere per pagos & alibi occultaverat; id totum à tribus, quatuorvè milliaribus rapitur & advehitur, avenam & hordeum violentè diripiunt, nec iis quidem parcendo, qui contributionem jam exſolverunt. Jam etiam extenduut manus ad pecora, uno verbo; vaſtant Provinciam cum ſumma pauperum oppreſſione. Die nuperâ cymbas onerando majores tormentis, duo ex illis majora amiſerunt, nudârunt eadem tormenta ferramentis, rotas & currus combuſſerunt. Die 5tâ D. Tworzyanski Theſaurarius Cracovienſis, Secretarius legationis accepit expeditionem à Comite Piper Cancellario Seren: Regis Sueciæ ad Comiſſarios, & literas ad Eminent. Principem Cardinalem. Fertur in favorem Reip. præfatum D. expeditum eſſe, ac ſi acceptet Sereniſſimus Sueciæ mediationem Reip. quod ut fiat, DEum ardentiſſimè petimus. Præſidium, quod præteritâ hebdomadâ movit Pinczoviâ, nunc ad Opatoviam cum tormentis captis ſubſiſtit. Nuntij Palatinatûs Kijòvienſis querelas depoſuerunt apud Seren: contra Samuſſium, ad quem exnunc ex Cancellaria univerſalia extradi juſſa ſunt, inhibendo ultiorem rebellionem, ſub pœna Rebellibus inferri ſolita.

Oginſcius partem Suecorum cecidit; hinc Generalis Stuart ad eũ circumveniendum aliquot millia Suecorum ex Curlandia miſit. Hic apud nos confirmatur Derpatum & Mariæburgum Moſchum occupâſſe, editaq; Univerſalia ab eodem eſſe ad totum Ducatum Livoniæ; ut commeatum pro ejus exercitu convehant. Lublino 8vâ præſentis fertur Litvanos ibi jam conſtitiſſe, ceu Præcurſores, quos proximâ feriâ tertiâ Sueci cum Palatino Vilnenſi ſequentur.

Proclamatum erat Cracoviæ Regem Sueciæ à nupero caſu diem ſuum obiiſſe: at nunc mutata fama incolumem eſſe denunciat, quem recreandi gratiâ præterito Sabbatho & Dominicâ, aula ipſius celebravit Comœdiam. Nonâ currentis ſecundùm antiquum Calendarium celebrârunt ſolennitatem S. Michaëlis, habueruntque manè devotionem ſuam in officinis, alij in lapidea Palatini Kijovienſis, tertij in aula Caſtellanæ Camenecenſis in arenis. Toto eo die portæ clauſæ fuerunt usq; ad veſperam, nullusq; ſive Suecorum, ſive noſtrorum emiſſus eſt. Cau-

A.C. 1702 ſa hujus clauſuræ fuit cædes perpetrata ab Officiali Suetico, qui priore nocte alterum itidem Officialem occiderat. Is ſe occultavit, nec inventus eſt. &c.

Raphael Leſczynski COPIA LITERARUM THESAURARII REGNI AD NOBIlitatem Srzodæ pro Comitiolis congregatam. 28. Octobr.

SCire vultis, idq; ſi non vivâ voce, ſaltem ſecreto cordis quæritis, cur litera non debita tempori, & loco illi, noſtra præſentia vos ſalutat? facilis, ſed gravis nimium reſponſio; nempe ſi Palatinus *Joan Przependowski.* Mariæburgenſis pudore pridem perdito non erubeſcit, meus certè niveus erga Rempub: & inclytos ejus Palatinatus candor, donec manifeſtè pateat veritas, palleſcere cogitur, nunc præſertim, dum livor pertinax ejus contra me cæruleſcit, cujus teſtimonium, fabricatæ ab eodem Varſaviæ ſub ficto nomine Projecti mei literæ abundè loquuntur. Ita ſcilicet, dum nihil de me etiam per quintam eſſentiam exprimi poteſt, quod ſaluti publicæ adverſetur, à perduellione mihi calumnioſè objecta non probata ad colliſionem meì cum magnis Civibus & Palatinatibus divertunt malevoli. Nec his ſatiatus livor plura in noſtrum cudit malum. Ex eadem enim Varſavienſi officina in vulgus perversè ſpargitur, me per factiones complicem eſſe ſicariatûs contra quosdam hujus Palatinatûs Cives, in eorumq; necem (quod abſit) cum ſibi infenſis inſpirâſſe. Hic jam tam crudo impietatis bolo (priusquam è maledicis egeratur faucibus) ſtrangulari deberet, plus quam canina rabies, rediretq; ad vomitum. Quisquámne hanc de me vel in primam apprehenſionem admiſiſſet opinionem? Nónne jam manifeſtas hic mentitæ ſibimet iniquitatis palpatis fallacias? cur ergo emerito oppreſſo civi veſtro non ſuccurritis? Ad hæcne tam atrocia crimina pronam à Majoribus meis ſumpſi indolem? qui nec naſci, niſi bono publico voluiſſem. Semel vobiſcum conjuravi ſub Poſnania, nunquam me perjurum crimina hæc, mihi per crimen impoſita probare poterunt. Prodeat nunc, acuatq; contra me, ut gladium, lingvam ſuam, ſi quis eſt, cujus honoribus aut vitæ fui injurius. Ipſi vosmet, arcanaq; veritatis introſpicite, alto penſantes judicio, quantum vos perpetratæ hujusmodi contra me calumniæ monere debeant, & movere? Factionis infandum deteſtor nomen, utriusq; inclyti Palatinatûs cives veneror, ut Principales, non ut amicos, quorum fuiſſem Principalis. Non mihi hujusmodi convenit, aut congruit veſtis, gentilis hæc, barbaris aptior, quàm Chriſtianis humeris diploïs eſt; quæ latè diffuſis alis univerſos non minùs diviſione Provinciarum, quàm colliſione in Palatinatibus animorum complectitur, ut perdat. Nondúmne ſub ea extremo ſuffocamur deliquio? Quid ergo emolumenti veſtro adferemus congreſſui? etiamſi (non ut ſumus minimi) divini eſſemus capaces conſilij, dirigere neſciremus. Revolvendus eſt poſitus in impedimentum, & petram ſcandali lapis, deponenda, injurioſè nos Suecos eſſe perſuadens ſuſpicio, aliàs iniqua judicabuntur optima licet conſilia. Concurrite itaq; veſtrâ gratiâ & cooperatione, ad quam celerrimam noſtri nominis juſtificationem, ut mihi nuper ſub Brzeznica nobili verbo ſpopondiſtis; nondum confugio ſub totius Reipub. protectionem, ad nullum hoc in puncto ſcripſi Palatinatum, præterquam ad vos, vicinamq; & amicam terram Vielunenſem. In nido noſtro purgari penitus volumus, & ubi noſtram

inno-

innocentiam palpaveritis, juſtiſſimâ protectione honorumq; noſtrorum vindicatione gloriari. Compenſabimus magnâ promptitudine omiſſa obſequia, ubi viderimus in hac Repub. malos terreri pœnis, bonos præmiis conſervari, incitariq;. In quibusdam Comitiis infenſi nomini meo quidam ex Aulæ Regiæ Miniſtris ſtruebant mihi inſidias, me cum exteris factioſas correſpondentias habere muſſitantes, volentesq; eam de me opinionem ſingulis per congregatos, tum per legatos vulgari Palatinatibus; Aſſeveravit coram legatis Palatinatuum noſtrorum vir quidam magni nominis, cujus anima ſit nunc in benedictionibus, ſe id de me in ſcripto à Rege accepiſſe; impetratâ voce habitâ Auctoris notitiâ, nihil concludi permiſi, aut proponi, donec id, quod per muſſitationes ſpargebatur, deductum eſſet. Non diu ſuſpenſum tenuit meam innocentiam clementia Domini, nec eam ulteriori permiſit diſputationi non expectato Cancellario ipſa de throno relictâ Mte aſſurgens, vivæ vocis oraculo mendacium id eſſe exclamavit; me nunquam Regi aut Reip. infidum eſſe, fuiſſeq; aſſeverans, ſicq; mei confuſione operti inimici, mihi in integro relictâ innocentiâ. Plenus itaq; fiduciâ & conſcientiâ recti erga Patriam, inclytosq; hos Palatinatus ſupplico, quod rectum eſt, judicate, ac ſecundùm DEum & conſcientiam vindicate. Quisq; Concivium altè, quid inde erupturum ſit, conſideret exemploq; meo miſeris ſuccurrere diſcat. In publicis os mihi concluſum, & oppreſſo corde ſpiritus anguſtiatus grande calumniarũ jugũ ſuper humeros, dolorem explicare non ſinit, cælumq; tueri. Unicum illud, ſed tragicum cujusvis auribus intonatur. Depone veteres animos, ſume quos caſus dedit. In ſolo DEo ſpes unica, ille miſerebitur, veſtraq; conſilia benedicet; nam mihi ſecundùm tenuitatem meam judicanti, articulus fidei eſt, ab hiſce Comitiolis vel integram (quod abſit) mutationem ſtatûs vel ſalvandæ Reipubl. initium dependere. Poſnania mihi nuntiat partem exercitûs Saxonici greſſus ſuos illam ad urbem dirigere, quæ, cùm meæ ſubſit jurisdictioni, ad meq; pertineat, & ego ad vos; Expecto hoc in paſſu prudentiſſimam conſiliorum veſtrorum deciſionem, quibus nulli obnoxiam mutationi obſequiorũ defero promptitudinem, quam, etiam ultimo vitæ meæ expirio, ſpirare volo &c. *A.C.* 1702

XL.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM: & SAMB. JOANNI SZEMBEK REFERENDARIO REGNI.
Heilsbergâ 18 Octobr.

VErſa eſt in luctum cythara noſtra. Attulerunt mihi Prælati mei verbis magnifica non tamen usquequaq; talia, re autem inania, ut mihi ſignificat datis Thorunio meus Canonicus Nycz; Ablegatæ quidem aliò ſunt duæ legiones, at quatuor reſtantibus ferendis adhuc impar eſt Epiſcopatus. Unde necdum querelas mihi ponere licet, quia prævideo univerſalem pauperum meorum per Varmiam planctum. Recurro itaq; de novo ad ſolitum gratiarum fontem, pro prioribus gratijs gratias ago, novas ſupplex quàm ardentiſſimè poſtulo, reducatur legionum numerus ad binarium. Num enim adeo lacrymis egenorum opus eſt quæ cælos penetrant, ut in illis naufragemur. Nonne melius contentum eſſe? ut duæ ſolùm legiones cum beneplacito hîc ſubſiſtant, quàm ut pluribus miſer populus ſimul & ſemel oppreſſus cogatur alienos quærere DEos, fortunam ſuam in vicinia *Diminutio militum petitur.*

A. C. 1702 nia hæretica cum periculo ſalutis quærendo. Quæ verò etiam mea tũ condirio futura eſt, ſubtractis alimentis (omnis enim meus proventus ab his pauperibus pendet, nobis illi arant, occant & metunt) nonne ſimiliter & mihi indagandus erit angulus aliquis? in quo delitefcere tutè & ſupremum vitæ diem liceat expectare. Omnis ſpes mea gratiam fraternam, & Chriſtianam commiſerationem tuam reſpicit. Miſi ex meis unum ad limites, ut conferat cumD. Generali Jordan, ex cujus perſona contentus ſum, magisq; adhuc eſſem; ſi tam numeroſiſſimis copiis comitatus non veniret. Quia verò id felicitati imputo vel domeſticorum tuorum alicui inſervire, quoties ſe aliqua offert occaſio; ideo hujus ſpei vivo, mihi vicem à te reddendam, meq; experturum reciprocum affectum: Unde commendo Canonicum Plocenſem ejusdem mecum cognominis & ſangvinis, impenſeq; te oro, velis illum S. R. Mti præſentare. Aliquot annis ex juſſu meo ſe exteri orbis luſtratione occupavit, ut in virum evaderet, qui obſequijs Principis dignus eſſet; nunc rebus domi ſuæ utcunq; compoſitis aſſiduè invigilare poterit, measq; ſupplere vices; quandoquidem mihi jam annis gravi, & laboribus fracto, quodq; ſummum eſt ad Reſidentiam in Epiſcopatu obligato non licet eſſe tam beatum. Referet is oretenus tibi nfinitas meas obligationes, poſtulabit pro me ulteriorem gratiam, cui, ut liberam aurem accommodes, poſtulatisq; annuas ardentiſſimè peto, maneoque.

IDEM JOANNI PRZEBENDOWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI eâdem die.

Ejusdem Argumenti

PErſuaſus & inductus noviſſimè datis literis tuis, jam me accingebam itineri, eâ mente ut 23 currentis comparerem Varſaviæ, & Seren. Regi, afflictæque Patriæ, in perſona, ſi quis mei uſus quoad modernos Tractatus (faxit DEus) quàm citiſſimos & feliciſſimos meum probarem obſequium. Verùm quia jam comparuerunt hic tres Magiſtri equitum ab equitatu, tres Capitanei à peditatu tanquam præcurſores ſuarum legionum; quibus ut Epiſcopatus ſufficiat prorſus eſt impoſſibile, cogor hîc tantiſper ſubſiſtere expectando miſericordiam DEi, quæ ſola poteſt tam duras res emollire. Poſſes utiq; etiam tu ſuccurrere vel propter DEum, cui nihil gratius exhibetur, quàm dum miſeris hominibus opitulamur, nec protectionem negamus; perinde enim eſt, alimenta neges, an neces? omnia adimas, an mortem inferas? hinc à fame aut temporaliter morituris, aut in anima perimendis; quia cum reſiduo dierum ſuorum, cum periculo ſalutis ad vicinam hæreſim confugient. Poſſes & mihi hac in re ſalutarem porrigere dexteram; quandoquidem ego, ſi gloriari licet, non expedit autem modò, ſervio tibi proximè effectu non fucatum animum & neceſſarium certè obſequium probaturus. Erit hac ſuper re nomine meo ejusdem cognominis & ſangvinis Canonicus Plocenſis recenter Pariſiis redux, tibi importunus. Velis ergo hunc mihi teſtari affectum, velis & hunc juvenem ſacerdotio non pridem inauguratum protegere, certus interim me vice verſâ futurum conſtantiſſimè &c.

IDEM

IDEM PETRO KCZEWSKI VEXILLIFERO MARIÆBURG. ſub eadem data.

A.C. 1702

NON interpolata afflictio ex præſenti miſero Reipub. ſtatu, & de futuro anceps cogitatio literarum mihi tecum invidet commercium, quod aliàs mihi unico erat ſolatio. Amaritudo cordis omnem in me certandi literis & correſpondendi ſupprimit affectum; unde jam raro meis epiſtolis ſum importunus; quia illarum non alia materia, niſi querela & lamentatio. Repulſæ id tuæ debeo, etiam queri vetanti, ratione additâ, quòd adjuvare non poſſis, cùm te ipſum nequiveris; nihilominus opportunè, importunè infelicitatem meam arguendo, obſecro Te, ut propter DEum, qui humanis calamitatibus, pauperumq; miſeriis ad miſericordiam movetur, & propter fratrem tuum plenum obſequendi deſiderijs vel verbulo Te interponas, ut quandoquidem immunitas Eccleſiaſtica ad obtinendam plenam libertatem aſpirare non poteſt, juſtam ſaltem emendicare poſſit diminutionem. Quæ omnia pluribus exponet cognominis & ſangvinis mei Canonicus Plocenſis à deliciis Pariſienſibus ad noſtras miſerias redux, quo uti & bono Eccleſiæ meæ gratiæ tuæ quàm impenſiſſimè commendato ſum &c.

Ejusd. Argumenti.

Paulus Zaluski.

COPIA LITERARUM THESAURARII REGNI AD PRIMATEM.

Raphael Leſzczynski.

Apologia.

EXpeditis ad te curſoriâ viâ literis, copia literarum Regis disjecta ad me allata eſt; ſequenti verò die ipſum Originale, quod cum Regiæ manus oſculo perlegi. Luctabar mecum, reſcriberémne Regi an ſubmiſſo venerarer ſilentio, nec rationibus cum Principe certarem. Conſultiùs tandem duxi ad te recurrere, ne aut ex ſilentio convictus, aut ex ſcripto minùs reverens fuiſſe arguerer Mtis. Scribo ergo tanquam Senator ad Primatem, cujus eſt libram tenere Mtem inter & libertatem; eodem jure & mihi ad te in ſimilibus occaſionibus oſtendente viam, quòd te ad protectionem Civis oppreſſi obligat. Indignationem Domini video; exiſtimat enim me non tam literas, quàm manifeſtum ſcripſiſſe, illudq; juſſu meo in vernaculam verſum latè per Poloniam ſparſiſſe. Quis enimverò modus jam ſupererat? publicante Swinarſcio Palatinum Mariæburgenſem omnes ſibi fraudes & attentatas à me proditiones detexiſſe. Silendúmne ampliùs fuerat ſub graviſſima calumnia ægrè reſpirãti. Dimiſit ad privatos literas, ſingulos edocens meridianâ luce clariora eſſe contra Theſaurariũ documenta; at Rex non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Ita eſt? dignus adhuc forem vitâ (nihil enim in annis meis deprehendo) niſi in indignatione mea pro libertate locutus eſſem. Arguit me Rex omnium ſequelarum fontem eſſe; Si de Litvania agitur, glorior & non confundor; optavi coæquationem, cujus neceſſitatem perſpexit Reſpub. eamq; approbavit; hoſtis æqualitatis eſt, qui illam vituperat. Sub tẽpus coæquationis à cædibus & rapinis ceſſatum eſt. Interfui Seſſioni contra domum Sapiehanam & contra teipſum habitæ; liberum mihi erat accedere ad utrã vellem partem: Acceſſi ad modernã Mtem, nemini ſecundus fidelitate probavi obſequium, at non per ſangvinem, non per accuſationes falſas, imò Palatino Mariæburgenſi velut ex tripode Apollinis contra Palatinum Vilnenſem illud proferente; oportet ut unus moria-

A. C. 1702 moriatur pro populo, exivimus ex conſilio. Piæ verò memoriæ Caſtellanus Vilnenſis acriùs exarſit, Palatinoq; his formalibus reſpondit; Non igitur opus eſt noſtris capitibus tanquam nulli uſui futuris, ut ipſum Palatinum fateri neceſſe eſt ingenuè; nec enim ſine teſtibus res geſta eſt. Fruſtra igitur & quidē falsè liberaliter peractæ cædes, rapinæ totiusq; Reipub. hactenus inaudita, nec, quod memini, hiſtoria ſimilis conſignata, imputatur mihi confuſio. Illud verum eſt, me cum p. m. Caſtellano Vilnenſi ſincerâ operâ de Domino ſemper benè mereri conatos eſſe, ſuſtentavimus Principem iis medijs, quorum nec ipſum, nec me fidelem etſi infelicem ſervum pœnituit unquam, aut puduit. Subeat memoriam illud tempus, quo primitus partialis eſſe Sapieharum incepi (ut mihi objicit Rex in literis ſuis, faciliùs verò per acceſſum Sapieharum repræſentabitur, tum, ſi quæ fuit, aut dici hoc nomine poteſt, inimicitia mea, non aliâ fluxit origine niſi neceſſitate publicâ; per inimicitiam amicus Principis eram, quòd illâ collimarem ad ſuſtentandam in throno Mtem. Quanta virium Principi de Conte facta fuiſſet acceſſio, niſi illas avulſas moderno Regnanti coæquatio addixiſſet. Primâ vice Grodnæ comparueram, cùm Rex ſe operâ meâ velle uti declaravit, verùm & ibi ex legibus Patriæ ſententiam meam dixi, optando, ne copiæ Litvanicæ ſine conſenſu Reip. exauthorarentur, oppoſui me pro poſſe nihil effecturus. Non diſſimili eventu Caſtellanus Vilnenſis tum Campidux actum egit. Non ergo cruenta noſtra fuêre conſilia, nec alio forſan moleſti fuimus Domino, quàm quòd fidelitati in obſequijs honeſti rationem junximus, & id unicè contenderimus, ut in manibus Principem omnibus portare liceret. Si quid ergo perperam evenit, non coæquationis culpa eſt, ſed abuſûs. Meretúrne criſim Evangelicus Paterfamilias, quòd granum ejus ſecùs viā cecidit, vel inter ſpinas? mihíne reſpondere incumbat? quòd inimicus homo venit, & ſuperſeminavit zizania. Agnoſcit idipſum Princeps ex ſua clementia, me feciſſe quod potui, ut Sapiehæ redirent Varſaviam. Exoſcolor & calamum ejus, qui ſcripſit, & plantas Domini, qui id imperavit, ut ſcriberetur. Quæ igitur apparentia? ut vel optare voluerim ingreſſum Suecorum in Poloniam, cum eo ipſo tempore Sapiehas in proviſionem meam accepiſſem, quod ipſum ideo feci, ut virtute unitâ & amore Mti adhærentes melioribus nixam fundamentis (ut pacem potiùs vellet, quàm Poloniam invadere) Regi Sueciæ ſuggererent reflexionem. Nec illud (avertat DEus) Regi detraho, ac ſi clementis inſtar Domini, & Patris, concordiæ non ſtuduiſſet: Propalavi id ubiq; privatim, & publicè, quomodo Princeps partem alteram ad ſubſcribendum adegerit. Cur verò ea unio diſciſſa ſit, quo Authore ei renuntiatum? ſtudioſè taceo. Sit pro Authore fatum infelix, aut Divina voluntas. Si jam Sapiehæ ante concordiam ſub protectionem Sueticam declinaverant, non accuſo ipſe videns me accuſatum, at, ut ſol hic lucet, ut DEus diſtrictus Judex meus eſt, ſic verum eſt, me zeloſiſſimè diſſuaſiſſe ejusmodi deſperata; tu ipſe, quæ non ſcripſiſti, quæ nō egiſti? Ratione tituli Regij quantæ difficultates intervenerint? te ipsū in teſtem appello, noſtro labori deberi, quòd datus ſit. Benè nihilominus in literis ſuis Rex ſcribit id tantopere in meritis non reputandum, quia ex obligatione factum. Credendum inſuper Mti referenti bonam meam fuiſſe intentionem, quæ eò reſpexerit, ut facilior pax inter cognatos Principes coaleſceret; verùm me eò profectum eſſe ſinè Regis aſſenſu & mandato, id quomodo credendum? appello teſtimonium

nium Referendarij Regni, appello ad literas ejusdem nomine Mtis ad *A.C.* 1702
me ſcriptas, quibus impenſe petit, ut tibi adjunctus labori non parce- *Joannes*
rem tuus hac in re cooperator, appello ad literas ipſius Regis, quas *Sczembek*,
ad te dedit, quomodo in illis clementiſſimus Princeps hanc operam meam affectat, & æſtimat, quomodo ſe excuſat ſingularibus ad me non ſcripſiſſe, magnis utpote difficultatibus impeditum, demum in inſtructione & reſponſo dato ad inſtructiones Nuntiorum noſtrorum Palatinatuum exprimere dignatur mediationem tuam & meam apud Regem Sueciæ in irritum cecidiſſe. Et ſi hæc omnia deeſſent, ſuperſunt literæ ipſius Principis ad me cum gratiarum actione datæ, quarum copiam tibi transmitto. Quod ad literas Generalis Guldenſtern pertinet, quibus me vult convincere per rationem, quia perſona mea ijs terminis deſcripta eſt, ut pluribus opus non ſit probandæ cum hoſte correſpondentiæ. DEum teſtor, grandem mihi infligi injuriam, non habui etiam minimam non tantùm per literas, ſed etiam per Commiſſarios communicationem. Indulgeat mihi Rex, ut ad Regem Sueciæ ſcribā, certus ſum eum ut Monarcham, apud quem verba ſingula pondus habent, daturum teſtimonium veritati; Princeps eſt, traditionem amat, ſed non traditores. Literas ad Palatinam Lencicienſem à me exaratas in manibus Regis eſſe gaudeo, nullatenus ſolicitus, quia hæ ipſæ defenſioni meæ favebunt, dum in illis tanta illata damna querulus expono. Sine crimine ſemper tecum Varſaviæ me laboribus impendi, meritò ob illos aliquem potui prætendere reſpectum; Quòd verò Palatina Lencicienſis aliquomodo me de Rege Sueciæ meritum eſſe literis ſuis intulit, meum reſpondere ad id non eſt; ſic exiſtimo; Interprete hæ literæ indigent, ſed non tali, qualis apud Regem in eas eſt commentatus. Excidit memoria Principi mihi ab eo imperatum fuiſſe, ne Suecos laceſſerem etiam habitâ occaſione, velis ipſe meminiſſe, nam tum temporis aderas, cùm valediceremus Principi, id ſingulariter nobis commendatum. Quantum deceptus fuiſſem, ſi expectâſſem ultimam innoteſcentiam Regis, nec univerſalia pro convocanda nobilitate per Palatinatus dimiſiſſem. Facit quidem mentionem ſuarum reflexionum Clementiſſimus Dñus, at quomodo eæ ſubſiſterent nobis tanto exercitui imparibus, peditatu deſtitutis: Unde periculum certũ, ne ſecundùm exemplum præteriti Suetici belli vel potentiâ adacti in partes illius, aut victi in prædam concederent Palatinatus. Neſcio ergo utrum moderna rerum facies aliam debuerit cauſare reflexionem. Addo tot literas Regem ad Palatinatus ſat longo dediſſe tempore, Suecis jam hac, illac vagantibus, nec tamen ullum in illis deprehendi imperium, ut in Suecos aliquid attentaremus, id ſolùm innuunt, ut feſtinaremus (feſtinatio autem ea laceſſito hoſte impoſſibilis fuiſſet) nam nobis injurij, Principi non commodi, per vulnera, quæ nobis ipſis intuliſſemus, nullam feciſſemus medicinam Majeſtati. Quin viginti gregarij unius Nobilis non æquant vitam, ſolius Regis eſt Nobilitate uti, & vel ſangvinis profuſionem pro integritate ſua imperare, ſic legibus noſtris cautum eſt; res enim pretioſa ſangvis Nobilium eſt. Unde Palatinatus meos petii, ut me liberum vellent, & concederent ad latus Majeſtatis profectionem, quòd de illa benè mererer. Nam utrumque providebam, quod jam innocuo mihi evenit, quòd, ſive attentarem in Suecos aliquid, ſive ſuperſederem, perinde futurum eſſet. Palatino Mariæburgenſi dicenti me eſſe occaſionem Suetici belli, me eſſe injurium, per debitam erga Principem venerationem credo:

A. C. 1702. do; ſed non minùs & illud verum eſt; Palatinum ſubſcripſiſſe Senatûs conſilio dictum bellum approbanti, prout ipſe Sereniſſimus idem Senatus-Conſilium pro ſua invocat tutela. Domino Cielecki, quem non novi, relationem ſuam de inſincero meo cum Principe agendi modo probare incumbit. Infra Majeſtatem eſſe exiſtimo hanc Principem inire viam, ut me convincat. Locutus ſum palàm in templo, non eſt, quòd erubeſcam. quidquid feci, dixi, conſului, & quando, Regi ex præoccupatione inimicorum meorum patebit. Faciliùs tum ſe reflectere licebit, alia fortunæ munera mihi expectanda fuiſſe, nec ſolvendas calumniis virtutes. Circumdederunt me inimici mei, & fortaſſis (ſi benè Rex conſideret) non tantùm mei inimici, ſed multò ampliùs ipſius Mtis hoſtes. Pro clauſula literarum ſuarum clementia Principis medium evadendi ex ijs, quæ patior, mihi porrigit, innuens, ut ſincerè conatus & labores meos ad pacificandam Patriam convertam. Reddam rationem Judici DEO; ſi aliquando hoc turbidum intendi, aut confuſioni cooperatus ſum. Nunc ergo adeo calumniæ me circumdederunt, ut ſim extra motum, nec impoſterum me commoturus, donec quia alia remedia deſunt, innocentia mea manifeſtetur; Erumpit nihilominus ad vocem Domini contumeliis affectus, velutique calumniis conſputus honeſti amor, quo ſemper arſi, non poſſum in intellectu convinci, ut benè conſuluiſſe dicam, qui novum diploma Majeſtati ſuaſit edendum, aut novam confœderationem condendam, cui etſi contrarius non ſum, tamen in utroque puncto ſummam læſionem, & diminutionem Mtis adverto. Sed quid ego conſulo ipſe calumniis oppreſſus, omnis conſilij inops exiſtens. Submiſſè tibi ſupplico, redeam in gratiam, torquear, producantur crimina mea, recurro ad te Divinorum & Humanorum Præſidem, judicet ſecundùm DEUM & homines. Hoc expecto, hoc flagito, tuus qui ſemper &c.

INSTRUMENTUM CONFOEDERATIONIS EX LIMITATIONE ANTERIORI 20 Octob.

NOS Plenipotentiarii & Conſiliarij Reipub. congregati Varſaviam ad latus Regium pro die 27 Octobris pro Seſſione ex anteriori limitatione in loco ſolito deſignata ex nunc ſeriam adhibere volumus operam nobis impoſitæ functioni; verùm, quia in ipſo ejus exordio pervenerunt ad nos literæ, adventum Varſaviam Plenipotentiariorum M. D. Litv. ad idem nobiſcum munus deſignatorum, jam in proximo exiſtentium, deferentes, actum in craſtinum diſtulimus, quem, ubi horâ ſolitâ jam cum præſentibus Plenipotentiariis M. D. Litv. reaſſumpſerimus, quia adhuc ex Provinciæ Majoricæ Palatinatibus quidam Plenipotentiarij ſperabantur, collato conſilio in tertiam uſque diem ſeſſionem prorogavimus. Tandem omnes congregati ex informatione Commiſſariorum ad Tractatum cum Rege Sueciæ à Repub: deſignatorum, acceptâ notitiâ, Regem Sueciæ adhuc in dubiis præliminaribus hærere, & donec illi ad ea replicetur Commiſſarios ad alloquium admittere nolle, opponendo præcipuè dictam confœderationem, & electionem Commiſſariorum non ab univerſa fuiſſe Republ. Hinc nos conſervantes tenerrimè conſtantem Reipublicæ reſolutionẽ nolentis pati ſuſpicionem violatorum pactorum Olivenſium hactenus in innocenti ſtatu conſervatorum, petimus fraterno candore Commiſſarios, ut ex motivis ſibi datæ inſtructionis Regis Sueciæ dubiis curent

rent ſatisfacere, eumque informare, hunc Tractatum totius Reipubl. aſſenſu aſſumptum eſſe; nos interim intuitu obtinendæ ultimariæ reſolutionis à Rege Sueciæ per Commiſſarios noſtros tentandæ, etiam Cæſare ſua ad id officia offerente; indulgendo quoque adverſæ valetudini Primatis Cardinalis, ob quam in præſenti congreſſu comparere nequit, eundem ad 27 Novembris limitamus, locumq; illi ad Regium latus deſignamus, pro præfixo termino compariturí. A.C. 1702

LITERÆ A CONFESSARIO PRINCIPIS JACOBI AD DOMINUM PATKUL.

Gratiſſimas datas 21 Octobris ex manibus Domini Baronis Smettau recepi, doleo, quòd ipſe excurrere non poſſim, & amplecti Excellentiam Vram, prout æquè in partem felicitatis meæ duco, etiam Excellentia Vra huc excurrere non poteſt. Ergo fidei Excellentiæ Vræ exponere me cogor, atque rem calamo fidere arctiſſimum meo Principi, & mihi ſecretum paciſcendi. Summa ergo rei, quàm propoſiturus eram, hæc eſt, quòd Rex Sueciæ ſciens Excellentiam Vram peregrinis Regis Poloniæ actionibus ampliùs non fidere, Principi meo obtulerit, ſi is Excell. Vram ad hoc inducere poſſet, ut particularem cum Czaro Moſchoviæ pacem promovere vellet, aut ſi id ſuccedere non poſſet, eò rem diſponere vellet, ut nihil hoſtile in Livonia ſingulariter, viciniſque Provincijs is contra ſe tentaret, prædictum hunc Regem Sueciæ abolitionem omnium intentarum erga Excellentiam Vram actionum non tantùm, ſed priorem gratiam Excell. Vræ facturum, quanquam nunc ſciat Excell. Vram quidem innocentiam in editis Apologis luculenter demonſtrâſſe, ex quo tamen etiam cum hac ſua innocentia, Excellentia nullibi de vita ſua ſecura eſſe poteſt, crederem Excell. Vræ eandem rem gratam futuram. Spondet Sereniſſimus meus, ſi Excell. Vra declarationem ſuam ad hoc miſerit, ſe effecturum; nihil enim Rex Sueciæ ita intendit, ac ſuas intentiones contra Regem Poloniæ exequi. Si Excellentia Vra hoc effecto tunc ampliùs ſubſiſtere in Moſchovia nollet, velle ſe procurare ipſi ſervitia Cæſarea, aut Arendas Matris Reginæ. Proinde expecto proximâ poſtâ ad hoc aliquid reſolutionis. Nihil de hoc ſcire debet Dominus Zinzendorf, vel alter quiſpiam, Domino Smettau rem communicavi. De ſequenti autem propoſitione nihil etiam ſciat idem Dñus Smettau quæ eſt hæc: cum ſucceſſivum non ſit Matrimonium inter Czari Filium & Archiduciſſam Auſtriæ, offert Sereniſſimus meus ſuam primogenitam Principiſſam Romæ apud Reginam Matrem exiſtentem jam decennē, eximiâ formâ, educatione, & lingvarum 4. peritiâ in finem ita, ut, ſi Excellentia Veſtra eam negotiationem ad finem deducere poſſet, inſignem ei gratitudinem oblatura ſit. Si Excell. Vra eam negotiationem in ſe ſuſcipere vellet, vellet Sereniſſimus meus Excellentiæ Vræ ejus effigiem mittere. Opto ad hæc aliquid reſponſi, perſuaſa ſit Excellentia Vra omni ſinceritate agere Sereniſſimum meum, cogor caligantibus oculis ſcriptioni ad candelam finem facere. Quod reliquum eſt, avidiſſimè reſponſum expecto; & maneo cum omni reſpectu Excell. Vræ obedientiſſimus Kietten. Olaviæ 26 Octobris.

A.C.1702 COPIA LITERARUM UNIVERSALIUM REGIS AD PALATINATUS, TERRAS, & DISTRICTUS REGNI.

POſt tit. Minimè fucata fuit intentio noſtra, unicumque votum, ut facturi recurſum ad Electoris populi præſidium, in primo generalis ſub Korcynum congreſſus puncto perſonaliter compareremus, atq; in intemerata candidi nobilitatis Polonæ pectoris virtute, & omnibus memoranda ſæculis, motûs communis reſolutione, quæ dictu majorem Reipubl. fecit decorum & immunitatum acceſſionem, ſecurum fundaremus propugnaculum. Quod enim munimen tutius, quàm in invicto bellicoſiſſimæ, maximæq; gentis robore eſſe poteſt, aut cogitari? Quod grandius cordis Paterni ſolatium? quàm vividos amantium cernere vultus filiorum; & cum civibus non minus, quàm cum chara ſobole jucundari? Non enim ſunt chariores parentibus filij, quàm bono Principi cives. Sed cùm nobis tumida Martis Suetici præſumptio, longè lateq; apertæ hoſtilitatis diſtendens documenta, poſitis ubiq; obſtaculis viam interceperit, cujus unicus erat terminus, tutamen communi motu congregatæ nobilitatis, ipſoq; die, qui congregavit Reipub. cives, aciem nobis oppoſuerit; confligendum nobis erat, & cruento cum hoſtilibus caſtris certandum prælio, adjunctis auxiliaribus noſtris copiis, Polono exercitui, verùm quæ miſcet adverſa ſecundis invida rebus noſtris, & Reipub felicitati fortuna, inſperatâ conſternatione, cujus mater mutua erat diffidentia; ita utrumq; confudit exercitum, ut adverſo Marti campum ad victoriam quam tunc obtinuit, patefecerit. In Domini exercituum manus & in bellicorum eventuum moderatoris vulnera, hanc noſtram & Reipublicæ plagam conjicimus: Cum bona ſuſcipimus de manu DEi, quid ni mala? Non tamen quiſpiam cladem hanc grandem fuiſſe ſuſpicetur. Non enim ultra ſeſqui mille interfectorum manſit in acie, pari utrinq; certatum cæde. Quis jam in condicto (ut virulentæ ſiniſtrè ſentientium ſpargebant lingvæ) tam ferox bellum arbitrabitur, in quo, in facie Poloni Orbis, conſpectuque totius exercitûs prodigè fuſo ſangvine, tot ſublatorum in cruento Bellonæ campo Generalium, Colonellorum, & Officialium noſtrorum morte, oppoſita confirmatur veritas. Cui vel inde plena fide credere hactenus incredulorum deberent corda, ſubintrareque animos Divini honoris, fideiq; Catholicæ conſervandæ ratio; cui abominabilis imminet deſolatio; & ipſum jus naturæ ad communem defenſionem; ſæculis retroactis nota Majorum gloria, modicas etiam Principum injurias acriter ulciſcentium; ipſa deniq; conſcientiæ obligatio ad ſervandam Patriæ integritatem, legumq; ac libertatis acrius incitare. Meminiſſent modò anteactæ Sueticæ crudelitatis, & ſuperbiæ, nec aliquid ſibi reliquum ſupereſſe, quàm tenere libertatem, aut mori ante ſervitium. Niſi enim reſoluto auſu imminenti cum hoſtibus malo obviàm iverit Reſpubl. procul dubio

dubio ſævienti furori ſubmittet colla, & ſub jugo Suetici gemet *A.C.1702*
dominatûs. Nec gemitus ſui liberabunt, tantumq; ſibi quotidie metuendum erit, quantum pati victus, audere victor poterit. Luminis expers ratio, quæ non cernit, indignumque Chriſtiano cor pectore, quod fatalibus inde ſecuturis non tangitur conſequentiis, poſt convulſas, penitusq; everſas liberæ electionis leges, interitum libertatis inferentibus. Niſi placuerit Imperium penitus de ſtirpe revelli, & uno deleri ſæcula lapſu. Nunquam nutare potuit ſceptrum hoc in Sereniſſimorum Anteceſſorum noſtrorum manu, nec illud pro placito externa exagitare poteſtas, quod ſemper etiam, contra centuriatos hoſtium inſultus invicta civium ſuſtentavit fortitudo. Eadem etiamnum virtus, nec degener à Majoribus bellandi ardor, roburq; nos in ſpem non vanam erigit, & fiducialiter ad fida pectora veſtrarum fidelitatum manuducit, quas per amorem hujus Patriæ, & quidquid in ea ſacrum per obligatam fidem, per cara pignora legum & libertatis ſeriò obteſtamur, quatenus in magnitudine periculorum circumſpectè cauti, utile à dulci, falſumq; diſcernatis à vero, nec fidem dulce canenti hoſti præbeatis, arma potius in defenſionem capeſſuri. Movit ille arma vitq; non univerſam modò Sueciam, verùm omnes ſubjectas ſibi Regiones, ut uno Poloniam doleret ictu. Cur nos potius omnibus in defenſionem inclytæ Patriæ viribus conſpirabimus. Quodſi cuipiam auxiliares copiæ noſtræ inanem ſcrupulum ingenerant, & has ad juſtum reducere numerum non gravabimur. In cunctis cum ſenſu ſtatuum Reipub. convenire parati, juratâ univerſos & ſingulos aſſecurantes fide, nunquam in cogitationem multò minus in intentionem nos quidpiam admiſiſſe, nec admiſſuros, quod contra jura & libertates Patrias eſſe poſſet, quas integrè & ſanctè conſervare augereq; omni conatu adnitemur. Nos interim probato zelo, & illibato candori veſtro commendamus, expectantes celerem, noſtrum ad latus adventum, quarum pervigili curæ, tam noſtram, quàm Reipubl. commendamus felicitatem. Quia verò in hoc rerum paſſu, & circumſtantijs, tempusq; vacat, prohibetq; moras, benedicent propitij cæli inſonti Reip. ut ex ſpinis uvas, è tribulis colligat ficus. Nos verò inſomnes noctes, & dies in laboribus inter exanthlandos mirabilis vices àëris, incommoda omnia, in æquali vobiſcum pro ſalute publica ferre & pati non recuſabimus. Quarum heroico affectui & tutamini nos totaliter committendo, omnia cælitus bona precamur.

XLI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM: & SAMB. CARDINALI CAROLO BARBARINI die 15 Octob.

AGO humillimas quas debeo gratias Eminentiæ Veſtræ pro patrocinio in cauſa Capitulari Eccleſiæ meæ Cathedralis Varmienſis contra prætenſum à Domino Canonico Baſſani inductum in *Cauſa Can. Baſſani.*

A. C. 1702 in Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Patrum proximè exhibito. Hoc ipſum ſemper mihi promittebam de ſingulari zelo & juſtitia Eminentiæ Vræ, & ipſius ſacræ Congregationis, quòd exquiſitis illius Domini Canonici vanis prætextibus tandem modum ponere, eundemq; ad ſuſtinendam hanc oneroſam penes hanc Eccleſiam reſidentiam reſtringere dignarentur. Hoc finito alia jam vigore Plenipotentiæ noſtræ, & meo, & Capituli mei, & ipſius Eccleſiæ meæ Cathedralis ſpecialiter datæ majoris momenti negotia tractanda incumbent Domino Canonico Fantoni Statûs hujus Diœceſis, & Eccleſiæ Cathedralis à plurimis jam annis optimè gnaro; cujus ego, uti & Capitulum meum inſigni & rebus agendis activitati cum probitate morum, & modeſtia conjunctæ plurimùm confidimus. Unde humillimè rogo, dignetur Eminentia Vra Eminentiſſimorum ſacræ Congregationis Patrum in favorem iſtius noſtri Plenipotentis eo flectere ſtudia, ne, dum Canonicus Baſſani demeritis ipſius ita exigentibus ex mandato Sacræ Congregationis Româ excedere jure merito cogitur, huic alteri Plenipotenti & meo, & Capitulari pro facilitandis alijs exrra-judicialibus negotijs ulterior mora, quoad deſiderato excitu non finiatur, in Romana Curia non interdicatur. Quidquid exinde circa ipſius negotiationem ex ampliſſima Eminentiæ Vræ protectione & gratia emolumenti & decoris accedet Eccleſiæ Cathedrali & Capitulo meo, inter ſumma beneficia reputabo, DEum precaturus inceſſanter, ut Eminentia Veſtra in bonum & commodum univerſæ Eccleſiæ diu ſoſpitem conſervet, cujus ſacram purpuram venerabundus deoſculor.

XLII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. & SAMB. BEKENDORFIO COMMISSARIO REGIO Smolanijs 17 Octobris

Diminutio militum petitur

REduces Varſaviâ Canonici mei Varmien. plenam dederant mihi informationem de æquanimitate & juſtitia tua ſpem non dubiam facientes notabilis diminutionis deſtinati in ſtativas in hunc Epiſcopatum meum militis, in qua confiſus ſtatim alium ex Canonicis ſcilicet Laurentium Nycz Thorunium ad urgendam & efflagitandam præmiſſam, Varſaviæ ſperatam à me diminutionem. Quæ quidem facta; duo enim Regimenta aliò deſtinata, ſed quia reliqua quatuor tanto oneri Epiſcopatui huic ſint futura, recurro eò confidentiùs, quò majori jam obſtringor obligatione ad tuum Chriſtianum cor, ut compatiatur populo huic miſero, & per indiſcretum Anteceſſorem ſuum, ad incitas, anno proximè elapſo, redacto. Facies rem ſuæ Majeſtati ſucceſſu temporis pergratam, rem rectitudine tuâ & æquanimitate dignam, rem his, qui hic locati erunt, commodam, ac demum ita me tibi in perpetuum devincies, ut obligato obligatior fiam. Quod fuſiùs nomine meo dictus Canonicus meus præſentium lator deferet, cui ut aurem benignam & fidem perfectam non velis denegare, precor, maneoq; &c.

ALEXANDRO ZAŁUSKI PALATINO RAVENSI FRATRI SUO *A.C.* 1702
29 Octobris.

REquiris nova ex Polonia, fortè dolebis requiſiviſſe: cùm niſi mala legere licebit, ſcribitur Cracoviâ, quòd imperatum fuerit ſartoribus à Suecis; ut pectoribus tegendis conſuetas per Septentrionem veſtes ex tela, pecudumq; comis mille conficerent militi ſervituras. Legio peditum in Pomerania lectorum urbem ingreſſa eſt, diſtributaq; per cœnobia, ſolo Collegio Societatis JESU ad S. Petrum exempto, quòd illud mille tymfis ſe ab hac importunitate redemiſſet. Numeroſa ea legio eſt, conſtat enim mille ducentis. Satis diſcretè in ſuis illis hoſpitijs ſe geſſerunt hi novi hoſpites, nec ullum damnum intulerunt. Imperatum etiam, ut ſequente die ſummo manè alio profectura parata eſſet militia, quod & factum. Nam die decimâ præſentis quinq; millia equitum hinc moverunt, feruntur q; iviſſe verſus Sandomiriam, à prandijs exivit peditatus, deductis etiam ſecum infirmis, quos lintribus impoſuerunt. Undecimâ reliquus peditatus ante meridiem, & Officiales profecti ſunt. Ejus diei veſpere emanavit mandatum à Rege Sueciæ, ut omnes nullo excepto Cracoviâ excederent: unde duodecimâ præſentis circa tertiam poſt mediam noctem ſignum profectioni datum eſt, cui ex nunc cœnobia & lapideas deſerendo paruerunt Sueci, ſolo præſidio relicto, dum ad complementum ſexaginta millium imperialium, ſupremum mille civitas exſolveret urgente potiſſimùm hoc reſtans penſum Generali Steinbock, nec exiturum ſe ex urbe ſeriò promittente; niſi ad noviſſimum quadrantem omnibus perſolutis. Coacta igitur civitas eſt reliquas procurare pecunias; ut his liberaretur hoſpitibus, quibus ſolutis quietationem dedit Generalis, & ſic pro centum millibus imperialium computatis contributionibus, commeatibus, cenſu capitali, nihil aliud recepit, præter pretioſam chartam, quâ civibus in manus datâ, ipſe Generalis horâ undecimâ in forum, ante curiam in habitu Ungarico, frameâ Polonicâ ſuccinctus, jam legione illum armis, & ordine velut ad prælium inſtructâ expectante comparuit, & cuſtodijs portarum abductis, clavibus redditis ex civitate, diſceſſit; ſicq; liberati ſunt à ſervitute leonis. Poſt exitum præſidij inquiſitio facta per plateas, ſignumq; tympano datum; ut reliqui comparerent (deerant enim adhuc ſeptuaginta) mandatumq; Conſuli; ut ſi quis Sueticæ gentis aliquando prodiret, ex nunc ad exercitum remitteretur. Et quia Caſimiriani adhuc debebant quatuor millia contributionis; in areſtum accepti ſunt uſque ad veſperam, cuſtodiæ ad portas relictæ, dum ad obolum ſolverent. Eodem veſpere cymbæ majores numero quindecim, infirmis præſertim & tormentis onuſtæ à littore ſolverunt, item ligna, trabesq; compactæ ferendis oneribus pares, req; ipſâ, commeatu, & rebus alijs graves ſeptuaginta in abitu ſuo ſalve, an vale dederunt. Eâdem die Brun Ablegatus ab Illuſtriſſimis Commiſſarijs Chorzelevio adfuit cum literis ad Regem Sueciæ, ad Piperum, Dominosq; Sapiehas, uti etiam ad Ablegatum Cæſareum, quos omnes, quia jam abijſſe comperit, heri manè illos eſt inſecutus. Fertur adveniſſe ratione loci deſignandi pro tractatu, quandoquidem Rex Sueciæ ad illum inclinare dicitur. Relicti illi pro aſſiſtentia & ſecuritate quinquaginta Sueci Equites, quorſum autem exercitus hic externus contendet, difficile divinare eſt, opinantur nihilominus tribus tractibus, Sandomiriam, Lublinum, Varſaviam tendere. Domini Sapiehæ

Sueci Cracovia

A. C. 1702 hæ in numeroſo comitatu ſecuti ſunt Regem Sueciæ,cujus etiam quotidie interfuêre conſilio.

Acta in Volynia. Addo ea, quæ habui ex Volynia, unde notitia allata eſt Ruſzczycium cum exploratoria cohorte excurriſſe, pluresq; quàm decem Coſacos ab eo circumventos, alijs interim hac, illacq; vagantibus, ſpoliantibus, pluresq; indies Ruſticos ſibi aggregantibus: unde Rebellionē ſumere incrementa conſtat. Prædictus Ruſzczyc expectabat Capitaneum Chmielnicenſem, duo vexilla ſub directione ſua habentem. In luſtratione Palatinatûs Volyniæ per communem motum congregati comperta ſunt quinq; millia, præter Ducis Radivilij Cancellarij Litvaniæ, & Capitanei Sendomirienſis homines. Arripuerunt ij iter verſus Sendomiriam, ubi illos Palatinatus Kijovienſis mille ducentis potens expectabat. Quid hi ulterius facturi ſint? tempus edocebit. Valachi Niemierovij miſerunt petitum auxilia contra rebelles, qui etiam ibi jam eſſe inceperunt, cæſi ab illis non pauci Ruſtici, qui aut favere, aut ipſi conſurgere videbantur, velle feruntur. De Coſaco Palejo, dicitur, ipſum etiam Bialocerkwiam ad Samuſſium profecturum.

Varſaviâ autē hæc habeo. Senatus-conſiliū de die in diē limitatur, in ſpem adventûs Principis Cardinalis, qui an adventurus ſit incertū eſt: unde ſi Rex Sueciæ advenerit; ſenatûs-conſilio locus non erit. Comparuit hic famulus Venatoris Premiſlienſis, qui refert à ſe Caſimiriâ tranſeunte, viſum Palatinum Vilnenſem cum exercitu, Suecorum autem ſedecim millia caſtra metata Pulavijs, Regem Sueciæ cum alijs copijs ſuis adhuc in itinere eſſe, quod Viſtulæ alveus aquâ deſtitutus ſufficiente, accelerare eum cum tormentis, & commeatu non permittat. Heſternâ die, hoc eſt 27. præſentis Dux Wiſniowiecki 50 Valachos expedivit, injungens illis, ut usque in hanc partem Pulaviorum excurrerent, notitiâq; ſufficiente de Suecis habitâ quantocyus redirent. Ex Litvania deputati ad Regem numero 60 præter aſſiſtentiam Varſaviam ingreſſi ſunt. Heri itidem Valachus illorum unus, qui PP. Reformatis vim intulerant in foro Varſaviæ capite plexus eſt aſſiſtentibus illi pro diſpoſitione Patribus Societatis JESU, inſtantiæ omnes pro illo apud Regem in caſſum fuerunt.

Saxonicus exercitus in Majorem Poloniam expeditus, dicitur pro hybernis in Sileſia futurus, ſunt illius octo millia declarata jam in ſubſidium Cæſari pro proſecutione belli in ſequenti anno. Hinc alij concludunt ſpem pacis eſſe, accedentibus præſertim & ſuadentibus id ex conſilio in Suecia Stokolmij habito literis ad Comitem Piperum datis, quibus jubetur, ut ſuadeat Regi quàm citiſſimum reditum in Sueciam ob infeſtationem Moſchorum. Datæ etiam ex conſilio eodem literæ ad ipſum Regem in eundem ſenſum, quin & Mater eidem repræſentat; ſatis jam vindictæ ſumptum eſſe, vellet reverenter fortunâ uti ſibi à DEo conceſſa, innuit. De Saxonicis copiis in Pruſſia ſubſiſtentibus, ne litera quidem eſt; quæ indicet eas ex Pruſſia abituras. Milites Palatini Vilnenſis graviter exorbitant, itinerantibus non parcunt, ſpoliant, diripiuntq;. Lublini 15 millia timſorum præter commeatum acceperunt; timentur illorum excurſiones ad nos ponte ad Caſimiriam illis viam aperturo. De Generali Brandt dicitur eum ad Lublinum morari, occupatâ propè ſylvas ſtatione, habereq; ſelectum de quovis vexillo militem, putatur tamen minimè potentiam Sueticam velle experiri.

Tandem poſt multas expoſtulationes promittit Princeps Cardinalis

nalis adventum ſuum pro hodierna die; innuit nihilominus per literas, quòd etſi conſilium limitatum ſit ad ſex hebdomadas, nihil tamen ſtabiliri poſſit ſine Majore Polonia. A.C. 1702

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM A REGE EXTRAditarum pro congreſſu Nobilitatis dicto Poſpolite.

POſt tit. Ab ipſa in Thronum Polonicum per liberas voces elevatione, hoc unicum omnium cogitationum, & continuæ ſollicitudinis habuimus objectum, ut ſtante regimine noſtro antiquâ glorioſæ Gentis Polonæ fortitudine, & liberali ſangvinis effuſione partâ gloriâ in conſervatione Religionis S. Catholicæ, in extenſione Patriorum limitum, in manutentione jurium, libertatum, & immunitatum, cum inviolabili fidelitate, & ſincero in Reges ſuos zelo hactenus per tot diſcrimina variarum tempeſtatum culta & cuſtodita non tantum in intacto maneat vigore, ſed ſemper magis cum invidia externarum nationum accipere queat augmenta. Quod etiamſi ex ingenito, & à nævo jactantiæ alieno tacere vellemus genio, ipſa nihilominus præſtitorum nobis ab hac Reipub. obſequiorum, & gratiarum noſtrarum veniunt in memoriam ſatis clara documenta, & in oculis gratorum filiorum comparere debent erogati in publicum milliones, illati ex hæreditate propria in hoc Regnum tot numeroſi ſplendores, expenſi tot theſauri in decus Mtis Regiæ & totius Reip. expoſita in pericula ſalus propria propter integritatem boni publici, reddita ſitibundæ Patriæ cum Porta Othomanica pax, receptum Camenecum, aſſecurata illius Partis à Tartaris ſecuritas, & inſuper in recuperandis avulſis laudabile & ſalutiferum deſiderium, & teſte illo, per quem Reges regnant, & juſta decernunt ex vinculo juramenti noſtri purâ innocentis cordis intentione ſuſceptum ſtudium. Ad expletionem hujus non privatus bellicæ gloriæ ſtimulus, aut particulare commodum, & ſecreta intentio, uti malitia interpretatur humana, ſed amor boni publici, zelus juſtitiæ vindicativæ, jurata in Pactis conventis obligatio, deſideratæ à ſæculis per Anteceſſores noſtros, à poſteris fortè nunqnam ſperandæ conjuncturæ favorabiles ad proſecutionẽ ſponſiones, certa ſubſidia, & alia valida motiva ex magnis circumſtantijs, & profundiori conſideratione promanantes nos planè coëgerunt. Uti dextera Domini fecit virtutem conceſſis tam felicibus victoriarum initiis, quæ tum ſequior interpretatio ſub velo publici commodi abſcondita malitia impedire, & quò ſecretiori, eò efficaciori impedimento ſinceras intentiones noſtras evertere cœpit. Nos conformando nosmet ipſos ad vota, ad elucidationem ſincerarum noſtrarum intentionum coram omnibus Reipublicæ Statibus Comitia in anni prætetiti menſe Maïo congregavimus, in quibus eadem malevolentia per ſubtilia media in tam graves turbas & diffiden-

A.C. 1702 fidentias Status Reipublicæ induxit, quod inaudito exemplo, cum damno & præjudicio prærogativarum conclavis Nuntiorũ Comitia in Comitijs quærebantur, & cùm illa impoſſibilia erant inventu, ad inſtantiam eorundem Reipub. Statuum alia Generalia Comitia expeditis in inſtanti literis univerſalibus indiximus, & volentes ſtatim omnes averrere contrarias interpretationes, & ſiniſtras impreſſiones, exercitum noſtrum ex limitibus Regni & M. D. Lit. omiſſis omnibus bello partis eduximus. Poſita more Anteceſſorum noſtrorum ſecuritate integritatis noſtræ in ſinu & fidis civium pectoribus. Ac proinde jure merito in his ſecundis Comitijs feliciorem conſiliorum effectum, ſecuritatem Majeſtatis noſtræ, & totius Reipub. defenſionem ſaltem proviſionalem contra imminentia pericula ſperabamus, & idipſum ardentiſſimâ curabamus applicatione facilitatis omnibus obſtaculis, & particularibus diffidiis, magnis conatibus perfectè acquietatis. Et ecce irreconciliabilis in commune nefas oblivio, poſtquam intellexerit finem ſuum, cùm Status Reip. antiquâ Polonâ virtute commoti ad ſolida & ſolita pro tuenda Majeſtate & libertate inclinabant media, maluit viperino ictu per rupturam tam neceſſariorum Comitiorum Rempublicam iugulare, quàm contra exercitum Sueticum in viſceribus Regni graſſantem talem qualem monſtrare reſiſtentiam, & naturalem Reipublicæ providere defenſionem. In tam ergo gravi caſu, & imminentibus in Rempubl. periculis, dum potentia externa contra ſacratam perſonam noſtram extrema pertentat molimina, calcat imprimè fundum Reipubl. M Ducatum Litv. Samogitiam & Curlandiam hoſtiliter premit, & cardinaliſſimas leges liberæ Electionis noſtræ convellere intendit. Cùm defendere nos ſolitis medijs non poſſumus, ad arcanam vim Reipub. totius Nobilitatis publicam commotionem ex ſenſu Poſt-Comitialis conſilij, & voto publico recurrimus, cum ea coram Deo & univerſo orbe manifeſtatione, quòd nihil aliud in piiſſimis intentionibus habeamus, niſi ſinceram boni publici, jurium, immunitatum, libertatum Patriarum, & integritatis noſtræ conſervandæ, & totalem Reipublicæ tranquillitatem. Quod pro primo & ultimo actionum noſtrarum objecto & meta proponimus, has reſtium literas unà cum illis expedimus, & publicam nobilitatis motionem vocamus, ardentiſſimè deſiderando, & amore communis Patriæ obligando, ut quicunq; filium ſe hujus Reipubl dicit, & quicunque per legem publicam ad hanc expeditionem obligatur, compareat, dum ultimis literis vocabitur, quia non prius quietem domeſticam interrumpere, & ad caſtrenſes labores invitare volumus, niſi ad id extrema conſtringamur neceſſitate. Ut verò id ſecundùm ordinem conſtitutionis milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi primi fiat, volumus &c.

PUN-

PUNCTA AD CONFERENDUM CUM ILLUST. EXCELL. D. Comite de Stradtman Legato extraordinario Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

1mo. DEclarata amica officia S. Cæſareæ Mtis, & in ultimis literis expreſſa ſicuti S. R. Mtas Dñus N. Clem. & Reſpub. ex omnibus Provincijs nunc integrè coadunata gratè accipit, ita in re ipſa explorata habere deſiderat.

2do Si quæſtio mota fuerit de acceptanda mediatione S. Cæſ. Mtis reſpondendum erit, quòd cùm pactis Olivenſibus ſit conſtituta S. Cæſarea Mtas ſtipulator, Gvarranta & Evictor, ideo eo ipſo naturaliter eſt mediator.

3tio Quandoquidem Comes de Zincendorf jam ex Commiſſo S. Cæſ. Mtis negotium Pacis in Aula Suetica pertentavit, nobisq; neceſſariò perſuaſit ceſſationem armorum, cùm interim Nos graviſſima incommoda, & depopulationem Regionum patiamur; ſcire cupit S. Regia Mtas, & Reſpub. in quibus gradibus hoc negotium pacis hæſit, & quid nobis reliquum ſpei ſit, quàve de cauſa optimum deſtinatum S. Cæſareæ Mtis non ſit ad effectum deductum.

4to Quodſi nulla affulgeat ſpes Pacis, nec conditionibus juſtis & honeſtis ſine ulla Provinciarum, & cujuſcunq; particulæ avulſione tranſigi poſſit, quomodo S. Cæſ. Mtas vigore ſtipulationis Pactorum Olivenſium, & interpoſitæ Guarrantiæ ſuccurrere dignabitur, apertam mentem S. Regia Mtas & Reſpub. habere vellet, ut inde res ſuas metiri poſſit.

5to Siquidem in contrarium paci Veſtphalicæ numeroſus Sueticus Exercitus è Pomerania Poloniam inundavit, caſu quo S. Regia Mtas & Reſpub. non ſubſecuta pace juſta repreſſalia fecerit, præcavet id ſibi nequaquam nociturum.

6to Subminiſtrandi commeatûs bellici tum novo delectui militum Sueticorum in Poloniam transmittendorum, ut ampliùs liber tranſitus per ditiones S. Cæſar. Mtis non transmittatur, inſtat S. Regia Mtas & Reſpub.

7mo Quemadmodum S. Cæſarea Mtas ſua officia obtulit, ita eandem rogatam vult S. Regia Mtas & Reſpub, ut omnium Colligatorum ſuorum terrâ mariq; optima ſtudia in rem Poloniæ diſponere dignetur, ne abhinc plures Sueticæ copiæ, & bellicus apparatus eorum conniventia & permiſſione transmittantur, imò ut ad virilem defenſionē conjunctis viribus concurrere velint.

RESPONSUM ILLUST. & EXCELL. COMITIS DE STRATman Legati extraordinarij S. Cæſareæ Mtis ad puncta in conferentia propoſita.

Ad primum Officia S. Cæſareæ Mtis offerri directè ad reſtabiliendam in Polonia pacem, cum omni ſincera opera, nec deſperando ſucceſſu. In quem finem S. Cæſarea Mtas jam Seren: Reginam Angliæ & fœderatos Status fœderati Belgij diſpoſuit. Jamq; ab ipſis ad Aulam Sueticam expeditæ ſunt legationes ad firmiter promovendam pacem.

Ad 2dum Quæſivit utrum Reſpubl. mediationem S. Cæſareæ Mtis acceptet, ad quod tale reſponſum tulit, quod Pacta Olivenſia Guarrantam

A.C. 1702 tam & evictorem, perindeq; naturaliter mediantem S. Cæſ. Mtem eſſe voluit. Repoſuit neſciviſſe in hucusq; utrum Reſp. mediationem S. Cæſareæ Mtis pro rato & grato haberet, dum propriam mediationem Seren: Regi Suecorum obtulit. Quodſi aula Suetica eandem Reip. mediationem acceptaverit, declarat S. Cæſaream Mtem conjunctim cum mediatrice Rep. cooperaturam ad media pacis. Porrò ſi Rex Sueciæ mediationem Reip. recuſaverit, ex tunc ſeorſivè cum Colligatis ſuis ad reſtituendam pacem ſeſe ſeriò S. Cæſarea Mtas applicare dignabitur.

Ad 3tium Quamprimum S. Cæſ. Mtas notitiam acceperit acceptatam ſuam mediationem, nova ſtatim mandata datura eſt Comiti de Zincendorff, qui à Seren: Rege Suecorum magnam ſpem conciliandæ pacis ſe habere retulit, quanquam ad conditiones pacis nondum ſe Miniſtri Suetici explicaverint, multiq; fuerint, qui negotium pacis impedirent, & ulteriorem profuſionem ſangvinis Chriſtiani ſitirent.

Ad 4tum Sperare ſe intra 4tuor vel quinq; ſeptimanarum ſpatium obtenturum poſitivam declarationem ratione perficiendæ pacis, & nunc viriliter, & majori efficacia poſſe agere S. Cæſaream Mtem poſt acceptatam mediationem ſuam. Porrò quoad ferenda ſubſidia Poloniæ in caſum non ſubſecutæ pacis, accipit ad referendum S. Cæſ. Mti.

Ad 6tum Similiter recipit ad referendum S. Cæſareæ Mti, & ſemel & inſimul ſe daturum declarationem promittit.

Ad 6tum Itidem ad referendum S. Cæſareæ Mti accipit.

Ad 7mum Pariter ad referendum, ſecuram reddendo S. Reg. Mtem, & Remp. omnimodæ curæ, & applicationis, offerendo ſe, ſi S. Regia Mtas, & Reſp. commmiſſionem ei dederit, ratione armiſtitij, & ſiſtendi ulterioris Suecorum progreſſus & exactionis contributionum illico ſe allaboraturum. Quodſi S. Regia Mtas & Reſpub. reſtitutionem captivorum Sueticorum conſentire voluerit, probè hoc multùm obligare, Seren: Regem Sueciæ facilitare, & futuram pacem conciliare bonamq; correſpondentiam ſolidare.

XLIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. AD CAPITULUM VARMIENSE 31 Octobris.

Calamitas Varmiæ. COgitanti mihi quæ in præſenti inter multiplicatas ærumnas miſerabili rerum noſtrarum Statu convenientibus in unum coincidenti Capitulo proponere debeam, veniunt in mentem verba magni illius Conſulis ad Senatum Romanum, quid ſcribam vobis Patres conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dii me Deæque pejus perdant, quàm perire me quotidie ſentio, ſi ſcio. Miſerum Perilluſtres Confratres chariſſimi lædi ab illo, de quo queri non eſt tutum. Ita jam infelicitate noſtrâ ad ſcopulos ſervilis patientiæ redacti ſumus, ut Eccleſiaſticam immunitatem, quæ erat libera, factam ancillam, miſſam ſub jugum & tributum. Acatholicæ manus, nec deplorare quidem niſi clam ſit ſecurum. Fugit proinde mens & conſilium. Magnâ curâ ingentiq; ſtudio hactenus providebatur. Quærendo bona populo noſtro multo labore in omnes partes ſudatum eſt; mandavimus, remandavimus, expectavimus, reexpectavimus, ſperavimus meliora; præſtolati ſumus gratiam, & non eſt, majorem diminutionem, & elongata eſt à nobis. Imò calamitas, quæ opprimit, major eſt, quàm ut ſupportari queat, & timendum, ne multiplicentur, qui tribulant

bulant nos. Quid ergo agendum? brevibus me expedio; admiratio e-nim ſuper iniquam noſtram ſortem in amaritudinem verſa, vix & hæc tacto dolore cordis intrinſecus exarare permittit. Si liceret mihi etiam cum periculo vitæ propriæ juſtis impulſo cauſis ea cum lege aggredi, quæ in defenſionem ovilis mei neceſſaria crederem, non diu certè deliberarem. Tædet enim vitæ animam meam, & libentiùs mori, quàm hæc (quæ quia inexpectata, nec debita plus aggravant) vellem ferre. Sed cùm conſequentiarum intercedat metus, & ex metu conſilium, cùm fieri nequeat, quòd vellem, id, quod poteſt fieri, velle cogor. Remis utendum, cum deficit aura, ac inprimis ad DEum, ut ſit adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, recurrendum. Poſtea hoc, quod credentes per me poſſe fieri, Perilluſtres Dominationes Vræ cogitaverint, nec ſanitati ſatis nunc debili parcendo libens faciam. Ad Sereniſſimum Regem me Thorunium conferam, modò hi ex Perilluſtribus, qui jam negotium hoc tractârunt, mihi aſſiſtant, prævià ijſdem ultra gratias debità pro labore & ſolicitudine; quorum ego teſtis, gratitudine, ut per eandem ad ulteriora Provinciæ reddenda obſequia, alacriores reddantur. Non defuiſſem certè, & ego contuliſſem me Varſaviam, niſi præteriti anni experientia me retraxiſſet, ubi promiſſa erant bona, & tamen venerant nobis mala. Accedebant & aliæ eæque validæ rationes quæ ne hoc minùs utile iter ſuſcepiſſem, impediverunt. Nunc verò (ſi aliter fieri non poterit) humiliari ſub manu potentiſſimi Regis, petere opportunè, importunè, obſecrare, ut veniat petitio noſtra, & ut, quod juſtè deſideramus, tribuatur nobis, paratus ero. Si verò & juſtitia cauſæ, & miſeria populi, dura non emolliet corda, ſi non reſpicient ad nos, & ad munera noſtra, quæ neceſſaria erunt, ſi milites, qui jam in viſceribus Provinciæ ſunt, per ſex menſes invitis nobis relinquentur; quomodo de petra aquam, quomodo plebi miſeræ ſuccurrendum? an in ſubſidium egeſtatis ſupellex Eccleſiaſtica, factâ per omnes Eccleſias diligenti ejuſdem connotatione non oppignoranda? an pecunia, quæcunq; penes Eccleſias inveniri poterit, cum ſecuritate reſtitutionis, ad hunc uſum non convertenda? an Parochi ad aliquod ſubſidium non invitandi? an & ubi aliqua ſumma prævisâ omnimodâ ſecuritate mutuò non quærenda? deliberationi maturæ Perilluſtrium D. D. Vrarũm commiſſum eſto. Scribendum interea cum ſummo dolore, & vera ac genuina miſerandi Statùs noſtri repræſentatione ad Illuſtriſſimum Nuntium crederem, ſcribendum itidem quod & ego ex parte mea ad ſummum Pontificem faciam, ad Perilluſtrem Fantoni, ut calamitatem noſtram repræſentet, & authoritatem ſupremi Patris invocet. Si enim (ut palàm minantur) ſex menſes integros hic morari volent, veniret in tempore auxilium, & Româ nobis. Hæc ergo quæ afflictio cordis permittit, inſinuanda duxi, non dubius cogitationes meas, cogitationes Veſtras Perilluſtres Confratres mei eſſe, foreq;. Benedicat interim Dominus DEUS conſilijs eorundem pro utilitate totius Eccleſiæ noſtræ. Quorum fraterno affectui me recommendando, maneo. A.C. 1702

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS, AD EPISCOPUM POSNANIENSEM 10 Novemb.

EX Ukraina nova peſſima; Coſaci Miedzybuſium, Niemiroviam, & Vinicam occupârunt; miſit Caſtellanus Cracovienſis plura vexilla, ad 30 tum equitum, tum peditum antea expedita

A.C. 1702 dita, ſed quid hæc contra tam numeroſum tumultum rebellium? Pro ratione rebellionis allegatur oppreſſio & afflictio à quibusdam Dominis: Ita ſcilicet plebeia pectora impatientia injuriæ. Caſtellanus Cracovienſis in ſumma anxietate, Generali Steinbock cum ſex millibus expedito Rzeſzoviam fors in redemptionem ſui dare cogetur captivos Suecos, quos ferè ultra 50 habet, quia ſinè ulla dilatione requiruntur. Epiſcopus Culmenſis dicitur jam eſſe Thorunij, quò collimat etiam Princeps Varmienſis, utinam redeant cum deſiderato omnium ſolatio! Nuntius Apoſtolicus dixiſſe fertur ſe inventurum fuiſſe ſecuritatis medium, ſi Epiſcopi ad ſe per literas recurriſſent. Ego ſuppono neminem non ſcripſiſſe, ſed querelas, quas nec te tacere velim, ut reſponſum acceptum etiam mihi communices. Miedzyrzecium pro quadringentis portionibus datum.

XLIV.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC EPISC. VARM ET SAMB. AD MAGISTRATUM GEDANENSEM Thorunio 16 Novembris.

IN ipſo prope limine Tractatûs Thorunenſis, ad quem præcipui terrarum Pruſſiæ deſcenderunt Proceres, recepi literas communis calamitatis & procellæ teſtes. Legi non alio ſenſu, quàm illo, quo ſeptem millia portionum militarium ferat mea Varmia. Tamen, nullus ambigo, quòd neminem poſſit latere, quàm tempeſtivè ſingula eorum, quæ nunc mihi deferuntur, quaſi in ſpeculo præviderim, & providere media efficaciſſima, in tempore non alieno omni diligentiâ ſtuduerim, niſi reſiſtentia illorum obſtitiſſet, & omnem prorſus deliberati conſilii ſeriem abrupiſſet, qui hodie fortiùs conqueruntur, poſtquam tempeſtivi remedii cogitationi (ad quam fortè invitati) publicè recuſarunt intereſſe. Quantum nihilominùs per tam obliqui temporis momenta licuerit mihi conſequi, laborabo totis viribus, ut neque Prænobiles ac ſpectabiles D. D. Vras ad me recurriſſe, neque me diligentiſſimas curas huic ſtudio impendiſſe pœniteat. Utinam verò ille omnium noſtrûm vota ſequatur eventus, quem intimis deſideriis concepimus. Ego interim teſtor, quòd ſim conſtanter PP. ac Ss. Dominationum veſtrarum benevolus Amicus, & ad officia paratus.

IDEM AD MAGISTRATUM ELBINGENSEM de die ut ſupra.

NOn aliæ curæ ad Thorunenſem Conventum impulére, niſi, ut poſſim clariùs teſtari, quantum ſim addictus indemnitati, & tranquillitati Terrarum Pruſſiæ, præcipuè tamen illorum, quos mihi ſæpiùs & candidiùs probatos expertus ſum. Fortè vota noſtra celeriorem eventum fuiſſent conſecuta, ſi Thorunii Sereniſſimi Auguſti Noſtri præſentem reperiſſemus Mtem. Interim tamen, quia brevi rediturum expectamus, non omnino ſpei noſtræ diffidimus. Ego quantum mearum erit virium, non tantùm me impendam, ſed etiam ſuperimpendam, ut votis & deſideriis non ſingulorum modò, ſed omnium ſimul reſpondere valeam. Quod, dum conſtanter polliceor, teſtor, quòd ſim.

CO-

COPIA LITERARUM CIVITATIS GEDANENSIS AD CELSISSIMUM PRINC. EPISC. VARMIENSEM SUPREMUM REGNI CANCELLARIUM de data die 10 Julij A.C.1703

NON inanem fuiſſe ſolicitudinem, quâ conjecturam futurorum eventuum ex præteritis facientes & Provinciæ, & civitati huic timuimus, ne utraque tandem in ſocietatem iſtius calamitatis, quâ cùm potior Sarmaticæ compaginis pars colluctata aliquamdiu fuit, traheretur, triſtis eorum, quæ evenerunt, ſeries comprobat. Quippe non modò copias ſuas intra fines terrarum Pruſſiæ producere, & in ipſo Thorunenſis urbis conſpectu caſtra conſtituere, minorumq́ civitatum plerasq́ exactionum graviſſimarum onere (quòd hiſce diebus Elbingenſium bonis pariter indictum accepimus) premere, ſed à nobis quoque ratione patrimonialium civitatis hujus paranda militi ſuo ſubſidia, ſub duriſſimo contributionis vocabulo per Ablegatum ad nos tres, & quod excurrit, ante hebdomadas, Illuſtriſſimum Comitem Steinbock inter alia, ſed operâ leviori diluta requirere Sereniſſimo Suecorum Regi placuit. Cujus mali diſpendiis nos, & ærarium noſtrum variis, tum in Regis, & Dñi noſtri Clementiſſimi, tum in Reipub. uſus, tum in proprias neceſſitates collatis impenſis tantopere jam attritum ſubducturi, etſi nihil, quod eo pertinere potuit, intermiſerimus, Illuſtriſſimoq́ Dño Comiti bellicam obſervantiam, & præcipuè noſtram erga Saxonicum militem præteritis temporibus indulgentiam urgenti, oblatam promiſſamq́ per eundem Regiam gratiam, cujus potior, quàm aut belli, cui nos obnoxios nulla nec culpa nec injuria noſtra reddidit, aut eorum, quæ Saxonicæ copiæ proprio auſu nobis perpetuò reclamantibus, & invitis extorſerunt, paternâ Regis & Dñi noſtri Clementiſſimi munificentiâ olim penſandâ, ratio habenda eſſet, oppoſuerimus; tamen ſuperare prætactum ejuſdem deſiderium, à quo recedere ob inſtructionis ſibi datæ tenorem integrum, ſibi non eſſe aſſerebat, non valuimꝰ. Quare ad ipſius S. R. Mtis Sueciæ æquanimitatem recurrendum arbitrati, ſubmiſſis eandem literis imploravimus, dignaretur civitati innocentiſſimæ iſtius, quam & nuperæ Regiæ epiſtolæ earundem exhibitor Illuſtriſſimus Dñus Ablegatus, in civitatis hujus emolumentâ propenſiſſimam ſignificaverant, clementiæ efficax hoc indulgere beneficium, ut ab adimplendæ Regiæ voluntatis prædicto onere prorſus abſolutæ juxta Olivenſis fœderis ſancita priſcâ tranquillitate, commerciorumq́ ſecuritate non interruptâ uti frui liceat. Verùm & iſtam ſpem infelicior ſucceſſus excepit, Sereniſſimo Suecorum Rege in ijs, quas reſcribere dignatus eſt literis arbitrante, declaratæ propenſionis ſuæ Regiæ non leve pignus eſſe, quòd civitati iſti liberam de contributionum præſtatione cum Illuſtriſſimo Domino Comite Steinbock conferendi facultatem relinquere, quàm per modum executionis cum gravi, evidentioriq́ noſtro incommodo exigere maluerit. Cæterum uti exſolvendæ de bonis civitatis Patrimonialibus contributionis neceſſitatem extra controverſiam ponendam eſſe, ita ab omni iniquitate alienum ſe reputare quòd iiſdem medijs, quibus Saxonicus miles ſuam adverſùs ſe potentiam augere aliquoties potuit, ipſe ad reprimendam eandem uti conſultum duxerit, & proinde quid poſt perpenſum maturiùs negotium civitati inſuper animi ſit, ſæpè nominato Illuſtriſſimo Ablegato ſuo ulteriùs indicandum fore. Iſta quemadmodum Celſitudini Vræ, ad cujus ſolicitudinem ex muneris, quod in Regno æquè & Provincia hac

 gerit,

*A.C.*1703 gerit, dignitate, utramque civitatis iſtius fortunam pertinere, perſuaſi ſumus, eo, quo acciderunt, ordine exponere, obſervantiæ erga eandem noſtræ conſonum credidimus: ita, quin eum, quem merentur locum apud Celſitudinem Vram repertura anxietatiq; noſtræ, & æquanimi ejuſdem miſeratione fomentum aliquod conciliatura ſint nulli ambigentes, ea cum reliquis civitatis Ordinibus conſilia inire allaboramus, quibus & fidei, quam Regi & Dño noſtro Clementiſſimo intemeratam perpetim teſtabimur, integritas, & civitatis hujus, ac eorũ, quæ ad iſtam ſpectant, bonorum incolumitas ſarta tectaq; præſtari, & conſervari quàm convenientiſſimè poterit. Quod ſupereſt propitio Numini ſupplicantes, ut Celſitudini Vræ proſperrimos rerum & conſiliorum ſucceſſus, atque per hos Regno, Provinciæ ac civitati huic reducem quantociùs priſtinæ tranquillitatis ſecuritatem largiatur. &c.

PUNCTA CIVITATIS GEDANENSIS AD SEREN: REGEM POLONIÆ.

1mo Cùm S. Regiæ Mti Dño noſtro clementiſſimo ignotum eſſe nequeat, quantopere patrimonialia hujus civitatis bona per nuperrimas Saxonici militis exactiones exhauſta, proventusq; eorundem imminuti ſint. Proinde S. Regiæ Mti humillimè ſupplicat Gedanenſis civitas, dignetur juxta laudatiſſimam Divorum Anteceſſorum munificentiam; ſummas iſtas quas præmemoratorum bonorum intuitu ſtatis anni vicibus S. Regiæ Mti, ſub nomine Nahtengelder ſolvere obſtricta, & ſolita eſt, ſibi clementiſſimè ad certum tempus condonare & remittere, usq; dum meliori fortunæ reſtituta ad priſtinæ promptitudinis debitum reverti poſſit.

2do Non dubitat porrò eadem civitas, quin S. Regia Mtas pro conſueta in eandem paterni animi propenſione, graviſſimis ſumptibus, quos in communem propriæq; ſalutis, ac conſervationis tutelam & defenſionem impendere quotidie cogitur, benigniſſima ex Prætorio proventuum largitione, hoc afflicto rerum ſtatu ſubvenire ſit dignatura.

3tio Submiſſiſſimis apud S. Regiam Mtem precibus eadem inſtat, ut ſummarum, quæ ſe circumſtant, calamitatum, & graviſſimi æris alieni jam inde à tempore Suetici belli in uſus Reip. contracti æquanimi ratione habitâ Regiam ſuam authoritatem interponere velit, quo collectas ex ſubſidio perſonali in civitate hac ante aliquod tempus pecunias proprijs neceſſitatibus aſſervandi, & in iſtas, ſi è re viſum fuerit, convertendi, liberàm facultatem obtineat. Quo ipſo S. R. Mtas juribus Provinciæ hujus, per nupera (uti fama eſt) comitiorum Lublinenſiũ ſancita inſigniter læſis, & per nos, quamprimùm certiùs de eo conſtiterit competenti remedio vindicandis benigniſſimè ſuccurret.

4to Deniq; 4to pari, quâ antea devotione rogat, ut ſuperiori, cæterarumq; quas adducere prolixum foret, rationes, æquiſſimo intuitu juxta anteriorum temporum, & noviſſimorum annorum 1628, & 1638 exemplum acciſæ, ſi quas in futuro terrarum harum Conventu laudari contigerit civitatis hujus relinquatur de illis diſpoſitio, & per publicam legem in ſequentibus Regni Comitijs eidem concedatur & ſtabiliatur humillimis apud S. Regiam Mtem ſupplicamus precibus, ut vicina civitati loca, videlicet Schotlandiam, montem Epiſcopalem, Stoltzenberg, Hoppenbruch &c: quæ prout ſemper civitati huic & Civibus maximopere præjudicioſa, & nociva, ita ubi res ad arma devenerint in ſum-

ſummum civitatem poſſint adducere periculum, in rem & commodum A.C.1703
civitatis ejusdem juriſdictioni, permutatione aliove titulo addicantur.

DILUCIDATIO DESIDERIORũ CIVITATIS GEDANENSIS.

Nemini mirum videri poteſt civitatem hoc tempore quatuor illa S. R. Mtis petita per Secretarium Reſidentem in aula obtuliſſe. Nihil enim aliud de munificentia Principis ſibi perſuadere poterat, quàm ut urgente gravi neceſſitate juſta imprimis ac debita media pro vitando publicæ rei interitu à Dño ſuo clementiſſimo rogaret.

Neq; etiam illâ novitate quædam inventa recens nituntur, verùm exigente eâ ratione naturali, varia ea propter præſtò ſunt præjudicata multoties anteactis temporibus expetita impetrata. Portorium pro parte Regia, uti & Acciſæ Agrariæ civitati temporibus primi & ſecundi belli Suetici conceſſæ ſunt, ſicut ipſæmet Regni Conſtitutiones de 1628 tit. Miaſto Gdansk & Conſtit. anni 1658 tit. Pozwolenij Akcyſy Miaſtu Gdansku, tum etiam ſpecialis conceſſio Regia de anno 1656, quàm ſemper exhibere poſſunt, evidentiſſimè demonſtrant.

Pro retentione pecuniæ ex Perſonali ſubſidio Capitationis collectæ militat eadem ratio, ob quam Acciſæ civitati conceſſæ ſunt, quâ etiam ratione pecuniæ Rahtengelder dictæ allegare poſſum, quæ regnante JOANNE CASIMIRO, cui tamen primum ea ſtipulata fuit, civitati tempore belli relicta, ac in proprios uſus convertendi facultas data fuit: Nunc autem ubi Territorium à conſiſtentia Saxonici militis debilitatum eſt, ac à Suecis etiam variè agitur, ſolvere illam impoſſibile quid eſt. Quod Schotlandiam, Montem Epiſcopalem, & Stoltzenberg attinet, teſtantur quovis regimine Sereniſſimorum repetita deſideria, illa etiam, quæ anno 1698. die 27 Martij jam imperanti Sereniſſimo noſtro Gedani oblata ſunt. Civitatem quippe ſemper petere, ut loca hæc urbi, quocunq; titulo tribuerentur, proprietariisq; à Repub. aliâ ratione ſatisfieret. Quare cum Præfatis DD. Proprietariis tractare, remq; ibi promovere S. Regia Mtas omni tempore clementiſſimè promiſerat.

COPIA LITERARUM EMIN: CARDINALIS AD CIVITATEM GEDANENSEM.

FIdem Dominationum VV, quam in proſperis & adverſis æquè conſtanter experiri conſuevit hæc Reſp. nunc vel maximè ſollicitat, cùm de vindicandis libertatibus, & reinducendo priſtinæ tranquillitatis ſtatu agitur, ad quem ſcopum unicè collimare Generalem confœderationem noſtram nemini non notum aut ratum, niſi quos turbo, vel privatorum ſtudia delectant. Quid enim hucusq; fuiſſe Rempub. niſi appellationem tantùm ſine corpore & ſpecie cuncta civilibus diſcordiis concuſſa, jura everſa, calcata, bellorum incommoda, populi gementis lacrymas, nihilq; propiùs ad perniciem liberæ gentis accidere, quàm mutationem ſtatûs antiqui, & figuram novi. Quapropter adimendo ampliùs ſævientibus malis intumeſcendi licentiam, confœderationem eandem, typis impreſſam authenticè communicandam Dõnibus VV. eſſe cenſui, & com-

A. C. 1702 munico; obligando teneritudines earundem ad ſtatum hunc, ad quem ſe determinarunt Palatinatus & Terræ confœderatæ, etiam DD. Vræ ſuſcipere non abnuant, conformiq; ad intentiones noſtras ſenſu nexibus confœderationis ſatisfaciant, & ab aliis ſatisfieri curent; quibus ex gradu Primatiali meo delatis circa votum proſperrimorum ſucceſſuum maneo. Varſaviæ menſis Maji 1704.

AMICO CONFIDENTI Thorunio 28 Novembris.

Nihil eſt, quòd multa ad tua reſpondeam, velim tantùm, ut tuorũ in me ſtudiorum & officiorum recorderis, quorum cum tibi liceat, mihi nefas eſt, oblivîſci, non modò virum bonum me exiſtimabis, verùm etiam te à me amari plurimum, judicabis. Minimè miror mirari te attonitum ſuper repentinis caſibus, quomodo ſe habeat Orbis noſter Polonus, quòd non tantùm ardeat bello, urbes ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure, ſine fide relictæ direptioni, & incendiis pateant; ubiq; ſtrages, depopulationes, lanienæ, facultatum direptiones, ærarij expilationes, civitatum, & municipiorum deprædationes intolerandæ, atque inauditæ exactiones. Sed etiam nullo tali exemplo ante in Repub. cognito tam crudeles reperiantur, qui in innocuos cives bene meritos de Patria, nec ullo crimine notatos tam immaniter mittere manus, & occidere audeant. Timendum enim ne in poſterum ſimili exemplo ſimilia fiant, jureq; fieri credantur, néve verſo pollice, quos volent, ex nobis mactent, tanquam licitum ſit vita exuere oppreſſos, & illi magis perire debeant, qui citiùs parere feſtinarunt. Quàm iniquum eſt, Dominum Palatinum Caliſſienſem vitæ paſſum fuiſſe diſpendium, qui fecit & pro Rege, & pro Repub. accuratè omnia, curans, quæ ipſi impoſita erant, nihilque egit ex commodo ſuo, & ecce pro meritis nihil niſi ferre crucem? Quid prodeſt innocentia ad omnem legem exacta? nam ſi aliqua in eo erant vitia, redimebat illa virtutibus, & plus habebat, quod laudares, quàm quod ignoſceres. Crede ergo fortunis hominum caducis. Sed teneo te fortaſſe nimis jam tibi notis, ſermonem perſtringo & ad rem propero.

Felix Lipski

Poſt funeſtam iſtam mortem & conſcriptam confœderationem, cujus tibi copiam adjungo, movit Rex Sereniſſimus verſùs Varſaviam, ubi & conſilium magnum à confœderatione Sendomirienſi deſtinatum habuit, illudq; Thorunium limitavit. Nova legatio ad Regem Sueciæ expedita cum conditionibus pacis, qui repræſentent non fidendum fortunæ, quæ belli aleam alternat. Legati autem ſunt, Stanislaus Morſtinius Palatinus Mazoviæ, Leſzczynski Oſtrzeſzovienſis Capitaneus & Zydowſcius Vexillifer Cracovienſis.

Interim nos futuros hoſpites, quando ita in fatis eſt, pro hyeme in Pruſſia ſperamus, vel potius timemus Saxones, & veremur ne væ unum abeat, & veniant adhuc duo væ poſt hæc. Miſi Dominum Canonicum Nycz Thorunium, ubi Commiſſariatus Saxonicus ſine miſericordia, & diſcretione diſponit hyberna. Fulminum ea natura eſt, ut cedenti materiæ parcant, obſtantia quæque perſtringant. Habui interim apud me Officiales à ſex Regimentis, qui ſunt deſtinati pro hybernis in Varmiam. Et quamvis ſciam decreta DEI firma eſſe, & ſtata, nec magis mutari poſſe, quàm ipſum DEum, tamen quia ijs exſolvendis impar eſt humana fragilitas, ad pias, & ardentes orationes confugiendum

dum credo, ac proinde ordinavi eas adjungendo & jejunium in Diœceſi, faciens id ipſum cum toto grege in rigore. Anima in anguſtiis, & ſpiritus anxius clamant ad Dominum, ut miſereatur. *A.C.1702*

Turpis eſt navigii rector cui gubernacula fluctus eripit, qui fluctuantia vela deſerit, permittit tempeſtati omnia, at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavam tenentem, & cum deſint humana auxilia ad divina recurrendum.

Habuimus Cracoviâ, arcem in cineres abiiſſe, dolendum, tam pulchram fabricam, tam miſerè periiſſe, is ſolus nihil carum amittit, cui omnia cara ſunt in eo qui non amittitur. Dicitur Rex Sueciæ volens nominis ſui famam in templo memoriæ æternitati per hoc conſecrare ipſe accurrerit ex caſtris, ſed non erat modus juvandi, & ab igne præſervandi.

Defertur quòd Rex Pruſſiæ non permiſerit Saxones tranſire in Varmiã per Oſtrot, & ſic aliam viam per Elbingam quærere debuerint; quod differtur non aufertur, quàcunq; demùm viâ venerint, non multum adferent ſolatij. Nec hæc res eſt vani terroris, cujus reprehenditur ille, qui Neptunum timebat, ne is terra diſrupta inferos detegat. Turbari me his certò ſcias. Quidni? homines ſumus non ſcopuli & illiſione rerum fortuitarum movemur. Quanquam hunc dolorem, quem immittit ratio, etiam coèrcet, & lenit, ſicut enim paleæ ab omni vento, ſic nos rapi affectûs turbine debemus, ſed ſimul rationis pondere animum noſtrum ſtabilire, ad quam componit nos ſapientia, & neceſſitas ferre non ſuadet ſolùm, ſed cogit. Ita nempe cæleſti illi Patri viſum eſt exercere ſuos in hac mundi palæſtra, ut doloribus & damnis agitati verum colligant robur. Quid proinde agamus? ſerviendum nonnunquam, & rationi temporum & eorum voluntati, quorum nobis inprimis captanda eſt benevolentia.

26ta Octob. ingreſſi ſunt Saxones in Varmiam, & prætendunt ut à 1. Septembris illis currat menſtrualis, de qua convenerunt, ſolutio, quãtùm volunt, tantùm poſſunt. Nulla eſt alterius, tota ſui cura. Hoc tam inopinatum malum, & penè inauditum non miror, quòd ſinè metu nimio meis ſubditis fuit, cum eſſet ſine exemplo. Omnibus quos fortuna publicè affligit, quod paſſuri ſunt, timere permittit, Lacedemona ſervire jubet, Athenas tacere. Videns proinde ego oppreſſionem populi mei determinavi iter Thorunium, ubi Rex ſperabatur poſt conſilium, quod incepit quidem Varſaviæ, ſed translatum eſt Thorunium, ut lacrymas Epiſcopatus totius tam juſtè cadentes repræſentarem. Quod ſcilicet nimis dura præcipiunt, quæ exequi nec poſſumus, nec nos poſſe credimus, ſupervacua requirunt non contenti quidquid neceſſitati ſatis eſt. Cùm præcipuè D. Jordan Colonellus vir ingenij magni magis quàm boni extendere ſuam per terrorem potentiam incipit. Nec ſpes quidẽ ulla integræ libertatis animis noſtris poterat offerri, nec ulli remedio locus apparebat contra tantam vim malorum, ut ſaltem diſcretio fieret, petere inſtitui, & ut Rex Seren: compaſſionem habeat, & depellat hæc, quæ nos non ex vano aut irritant, aut territant; Maneant illi ſemel placita, nec ulla in decreto litura ſit, quod hyberna eſſe debeant, quanquam & hoc contra leges in Varmia, modò ad ultimam ruinam bona Eccleſiæ non reducantur. Utere nobis modicè ut diutiùs uti poſſis. Sed ut magnum bonum eſt, ubi ſunt præparata pectora, in quæ tutò ſupplices preces deſcendant, ita fortè quæ excelſa mihi ſpes facit, præruptа inveniam indignusq; ero, cui aliquis favor fieri poſſit.

A.C. 1702 Cardinalis Primas nolebat venire primò Varſaviam; Lex apud Romanos ut ſacerdos nunquam juret, nec unquam niſi per ſuam Veſtam. Nunc ſacerdos primus in Polonia nihil facit, quòd cicada (quæ ut tacta fuerit nunquam ſilet) non permittit.

Succamerariatus Regni ceſſit D. Georgio Lubomirski Subdapifero Regni, hinc lacrymæ, dolor, & planè furor, quòd non filio Dñæ Palatinæ Lencicienſis, hinc abſoluta pro more prohibitio, ne Cardinalis veniret Varſaviam, quaſi nullus ſit ſupra cæteros eminendi modus, niſi ut nullum ante ſe ferri videat. Sic animum ambitio, & amor inordinatus obſident pravum in alijs, excuſatius eſt peccare voluntate, quàm caſu in hoc maxima culpa eſt ſponte delinquere. Etiamſi malè facit, neſcit, vel neſcire vult ſe facere malè.

Actio tamen recta non eſt, niſi recta fuerit voluntas, ab hac enim eſt actio. Rurſus non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit. Hic certè privatum intereſſe in omnibus quæritur, honeſtatis oblivio invaſit. Nihil turpe eſt cujus placet pretium. Ambitio fingit ſibi perpetuam felicitatem, fingit ſibi ſemper ſe ſuosq; creſcere debere, & quæcunq; vacant ſibi adſciſcere, oblitaq; fati quo humana jactantur, fortuitorum ſibi conſtantiam ſpondet. Non vellem loqui, ſed noſti me, quòd non poſſum tacere, ne aliquid contra vitia aſperè ſcribam, contra pericula animoſè, contra fortunam ſuperbè, contra ambitionem fortiter, da mihi quemcunq; vis magni nominis virum, dicam quòd illi ætas ſua ignoverit, quòd in illo ſciens diſſimulaverit.

Tandem tamen per mediationem Dñi Nuntij reconciliatus eſt Regi, ſcis quo pretio? Vacabat Capitaneatus Miedzyrzycenſis, datus eſt ei, & venit, & fecit, & omnia permiſit, ſic omiſſis bene, ac meliùs meritis, juveni tam bona portio ex pane benè meritorum ceſſit. Quanquam cum annos meritorum non habeat, nec jus habere credatur. Benè & appoſitè Plutarchus: Plorant ſe non geſtare veſtem patritiam, & ſi ferant quod non ſint Prætores, & hoc adepti quòd non conſules, & conſules, quòd non priores, ſed poſteriores fuerint renuntiati. Magis eos unus lædit qui præcedit, quàm recreant mille, qui ſequuntur. Ita ſanè dici de Primate poteſt; vos felium more, & inſano amore magnitudinis falſæ, quantò magis demulcemini, tantò altiùs caudam elevatis. Noli hæc ſecreta putare, omnes hoc ſciunt, omnes loquuntur, nemo tacet; Ille beatus eſt, & cupiditati terminum ponit, qui verò pro ſe, & ſuis nimios optat honores, nimias poſcit opes, is ſibi excelſæ turris tabulatum erigit, unde altiùs cadat, majoremq; det ruinam, quàm opinionem. Velint ſuperi, ut durent hæc, quæ tanto conatu, tanto cum publico damno quæruntur.

Cùm irem Thorunium accepi literas Dñi Epiſcopi Culmenſis in nova civitate, ubi expectare me Regem cum ſumma impatientia ſcribit favoreſq̃ promittit, ut levius ſcilicet onus hybernorum feram, placida verba parantur. Vidi ibi œconomum Dñi Palatini Culmenſis, qui parum ebrius narravit mihi, quantos exceſſus fecerint Saxones in bonis ejus, & quòd Dñus Palatinus eam reſolutionem acceperat, ut omnia bona ſua combureret, ne ipſi haberent conſolationem, ſed dolendū (ſic bonus œconomus exaggeravit) Dña Palatina impedivit. Nos riſimus, & ille ſemper idem non ſine affectu confirmavit, quaſi doluiſſet non factum fuiſſe.

Dum pergebam Thorunium, & pernoctarem in Golub reſcivi Regem inſperatè in Saxoniam abiviſſe, ſed brevi rediturum. Acceperam qui-

quidem literas Regias ad Dominum Jordan, ſed illuſio magis erat, *A. C. 1702*
quàm defenſio. Luci tenebras veritati mendacium præferentem.

Tandem aliquot diebus impenſis in Lonkoreka apud Dominum Palatinum Culmenſem, abivimus Thorunium ubi 13. Novembris habui conferentias varias cum illis Commiſſariis, qui tam magnam quantitatem militum mihi miſerunt.

Adductus eſt Dñus de Heron 15 Novembris Ablegatus Galliæ, acceptus vi Varſaviâ à Dño Bretſnaider, & in cuſtodia habitus Thorunii, ſcripſit tamen mihi ſchedam accuſans, quòd contra jus Gentium id factum fuerit. Quàm malè eſt ibi eſſe, unde rarus eſt cum honeſtate reditus.

Ego tanquam Senator & Epiſcopus in cujus manu calix eſt muſto plenus, quique poſſum ex hoc in hoc miſcere, volui juvare amicum, ſed operam meam non eſſe illi proficuam agnovi, quanquam veritatem juvare, & boni viri officio fungi voluiſſem, non ſolùm enim præſentia conſiderabam, ſed futura etiam longè præmeditabar, amator Patriæ meæ, & alienæ non inimicus. Sed nihil profuit, præſertim in abſentia Regis, cujus mandato detinebatur. Viſitavit illum Domina Cameraria Regni Lubomirska, & omnes condoluimus. Vale dignitate parens, ætate frater, dilectioneq; ſocie, & me ut facis ama, ſed ut non facis, utere.

EIDEM AMICO CONFIDENTI Thorunio 21 Novembris.

NON eſſe te mei oblitum video, & memoriam mei, tibi ſemper eſſe jucundam. Ita enim res meas curas, ut nihil ſit opus ſcribere niſi velim tibi gratias agere, quæ pro factis non eſt digna recompenſatio; ſcio quòd me amas, & amantis eſt amati proſperitatem ducere ſuam. Nec apud te ut hodie hæc amicitia viget, cui utilitas eſt adnexa.

Significas mihi de morte Domini Caroli Tarlo Regni Procancellarii qui vixit cum virtute, mortuus eſt cum pietate, & ſimul ſuades, ut concurram, ut curem, ut accipiam ſigillum, & ego illud debeo Terentianum objicere, tu ſi hic ſis, aliter ſentias.

Statui amicorum more, abſque præfationibus quod mihi in corde eſt tibi aperire, & ſincerè ſcribere, ſi ſecus agerem non eſſet mihi ex uſu, nec te velle ſcio; dicam ergo breviſſimè inter amicos enim prohibita eſt verboſitas, quod menti ſedet, ut & tu, & poſteri ſciant, quia ſunt homines in malas ſuſpiciones prompti, & ad criminandum, magis quàm ad laudandum nati, ſatis mundo ſervivi imò nimis, & hinc ſatis eſt tibi noſſe quid velim. Pauca amico ſufficiunt, ſat eſt te noſſe deſiderium meum, ſi tu amplius, & fortaſſe meliùs cogitaveris, qui meos mores calles, amicum te qui es erga me oſtenderes, ſcis bene quòd oblectamenta iſta terræ pro magnis ac veris bonis nunquam habui, nec ijs credidi, quia experientiâ rerum magiſtrâ didici non tantùm fallacia dubia, verùm etiam inſidioſa eſſe, quæ apparent dulcia. Pauca de multis quæ dicenda eſſent percurram: non ſum ex ijs, qui ut divitias comparent, ut honores aſſequantur libertatem vendunt, & ſe involvunt tam difficilibus occupationibus, ut vix, manus dextra quot habeat digitos noſcant. Non augeri honor poteſt, quin & labores creſcant, omnis potentia ſubjecta eſt invidiæ, omnes quippè deſtrui cupiunt, ſi quis ſe non poſſit provehere, ſi quis potens eſt mille circa ſe oculos habet, & totidem lingvas ad ruinam ejus aſpirantes, & unus hinc, *Cur nolit concurrere ad Procancellariatum*

alius

A.C. 1702 alius illinc premit. Ruunt turres, quæ juxta flumen ſitæ perpetuum in ſe aquæ curſum recipiunt. O utinam, dico cum Juvenale, figam aliquid, quo ſit tuta ſenectus à tegete, & baculo. Nonne Horatius dixit laborem adeo ferre homines, ut ſenes in otia tuta recedant. In hoc officio nónne ſemper ante oculos inimici ſunt, oſculariq; manum perſæpè cogeris, quam velles truncatam videre, facileq; plus amaritudinis, quàm dulcedinis viſus tuus ex curia reportabit, ſic enim habet natura rerum humanarum, ut nihil voluerit eſſe tam ſuave, quin aliquid aloes admiſcuerit. Si poteſt picem tangere, & ab ea non inquinari, ſi poteſt ignem ingredi & non uri, non illum, curiam ſequi prohibeo. Vellem tibi communicare omnia ore, quæ literis nequeo, quia calamus impotens eſt omnia referre, & haberem multa, ut verbo illo utar, quæ mihi expuenda eſſent, ſed non eſt ultra quod tibi aperiam, quandoquidem jam tibi, & mihi cognitum eſt, unam eſſe tuam, & meam, more Ariſtophanis animam. Quid miſerius eſt, quàm id officij gerere, cui nequeas ſatisfacere, non eadem eſt ætas, non vigor.

Nullius miſerior vita eſt, quàm eorum qui ad alienum comedunt appetitum, ad alienam ſitim bibunt, ad alienum ſomnum dormiunt, nunquam abſque gravi cura comedendum, nunquam ſine ſuſpicione loquendum, ſine timore cubandum. Nihil præter mendacia in illis venditur fortunæ nundinis, nihil creditur, niſi captis pignoribus famæ noſtræ, nihil niſi vitæ noſtræ ſtipe ſolvitur. Non mare à periculis tutum, navigare me vis. Non emere carnes abſque oſſibus, incedere per limum, nec deturpari, colligere triticum ſine ſtipulis, tueri famam honeſtā ſine jactura inhoneſtarū fortunarū. Ut multas ſimultates partim occultas, partim apertas ſubeam jubes. Nunc verè me ad triremem, quaſi fatuum, & delirum ſenem damnandum judicas, ſervitium mihi monſtrans Dominumq; paratum, minimè cogitans quòd quamdiu in hoc officio victurus ſum, oportere æquo animo ferre quæcunq; paſſim eveniunt, quippè quæ arbitrio alieno aguntur, ſi enim mundus pacificus, ſtabilis, ſobrius, verax, correctioni obnoxius eſſet, non utiq; mundus eſſet, nec ratione alia hoc nomine cenſetur, quàm quòd in toto terrarum orbe, nihil ſtabile inſit, ac proindè quis tam pravis obſectare animum in vita vult, ſi vera cognoſcit? Scias ergo in arctum deſideria mea me conſtringere, votorum, cupiditatum, optionum, appetitionum; jam ſenſum & deſiderium perdidiſſe, unicum optare, ut DEo vivam, ſi ſuperi vellent, ut ſimul ſimus, & vitam ducamus beatam, extra Curiæ clamores atq; miſerias. Occurrunt mihi nunc quidam ultra millenos, qui aliud ſuadent: Cùm Menippus adoleſcens apud Homerum Heſiodumque diverſa ſcelera Deorum legiſſet eaq; licita eſſe, atq; honeſta credebat, nam quod Dij faciant, quis non arbitretur honeſtum? Hic vir poſtea factus, cum illa tanquam turpia prohiberi legibus animadverteret, incertus animi Philoſophos adijt ſciſcitaturus ab eis, quænam eſſet optima vita? ſed neq; Philoſophi ſatisfecerunt, cum inter ſe diſſentirent, & alij voluptatem, alij vacuitatem doloris, alij virtutem, quidam verò animi & corporis fortunæq; bona ſimul juncta, vitam dicerent præſtare beatam. Incertior igitur ille multò quàm antea, ut verbis utar Terentij conſulere mortuos decrevit, & ad inferos penetravit, ac ex Thyreſſia, qui ipſe vates Divinatorq; fuit, ubi vita beata eſſet perquiſivit, cui cùm Vates diu reſpondere negâſſet in aures tandem inſuſurrans apud privatos inquit optimam vitam, hoc eſt felicitatem invenies. Alius venit in mentem Gyges Lydorum Rex, qui ſe præ cæteris fortunatiſſimum reputabat,

tabat, Apollinem conſuluit quis ſuo tempore felix eſſet, contempſit oraculum Regias opes, & apparatus, atque Aglaum quendam Arcadem modici ruris cultorem, cujus metas agelli cupiditas nunquam exceſſerat, felicem eſſe reſpondit. Divus Auguſtus (ait ille) cui Dij plura, quàm ulli præſtiterunt, non deſiit quietem ſibi precari, vacationem à Repub. petere, omnis ejus ſermo ad hoc ſemper revolutus erat, ut ſibi pararet otium. Rerum non providens, cum non liberum eſſet inchoatas res relinquere in quietem, ne puero enim ſibi unquam ferias contigiſſe ait. Nonne aliquid ſimile in me invenies, & juſtè me id deſiderare, quod aveo, concludes. Inſuper didici virtutes felicis vitæ eſſe effectrices, quæ à Principum domicilijs excluſæ, ſi quando caſu, aut errore limen ingrediuntur, è veſtigio coguntur fugere perterritæ ſiniſtris moribus, quibus in altis Palatiis vivitur, & ut Juvenalis verba reſumam: Minor eſt hodie res, heri quàm fuit, hæc eadem cras ex his detrahet aliquid. Si id deſiderarem nulla certè eſſet ratio major, & prior, quàm ambitio, quæ tanquam æmula charitatis omnia fert onera, quamvis graviſſima ut honeribus ſæculi, ac popularibus laudibus efferatur, ego verò honeſtam famam parandi, quàm magnas divitias coacervandi ſum ſtudioſior, nec curo, ut ſuper Cathedram Moyſis ſedeam, aſcenſiones in corde non pono, in excelſis non ambulo. Quæ cùm tu benè conſideraveris, non voles prophetare mihi malum, ſed bonum. Omnia ſcis propter te libens facio, hanc autem rem facere non poſſum, nolo ſemper ſervire, mihi vivere aliquando decrevi. Petitus interim ſcripſi Regi in favorem D. Referendarij Szembek (quilibet ſibi ſtudet, omnes præferri volunt) ut ſæculare ſigillum habeat, dignus eſt operarius mercede ſua, qui laborat, opus eſt, ut manducet. Finio, & te precor, ut tibi perſuadeas, me tuum ſemper eſſe. *A.C.* 1702

EIDEM AMICO. 26 Novemb. Thorunio

DE affectu tuo, nec unquam addubitabam, nec conqueri poteram, & ingratitudine ipſâ videar ingratior, ni agnoſcam eam, ni reſpondeam reciproco, ni recognoſcam, ita enim me tibi obſtringis, ut nullam grati animi partem intermittere poſſe videar, ſine nota hominis ſordidi, atq; immemoris beneficij. Non ſunt omnes accepti beneficij memores, magna pars hominum eos perijſſe expetunt, ex quibus beneficia conſecuti ſunt, ſic enim ſe vinculo ſolvi credunt, quo tenerentur. Ego verò confiteor iſtud, neq; me amicum habuiſſe unquam ſcio, qui te verior ac ſincerior fuerit. Quis tam eviſceratæ charitati ſatisfacere poteſt? ergo cum ſciam, quòd debeo, faciam ſemper, quod valebo, & dabunt aliquando teſtimonium non verba, ſed opera. Jam tibi mea mens ſic aperta liquet in materia, circa quam, ut quò mea me fortuna vocet, dubitare non poſſis, ſed non tantùm oſcitanter, & negligenter rem hanc ago, ſed etiam aliquid quidvis potiùs agere mallem, quàm dare operam. Ab omni genere ambitionis ſemper abhorrui, nec unquam, ubi aliquis popularis gloriolæ ſtatus oſtendebatur, eò vela dedi. Imò literis tuis lectis magnum mihi pudorem ex conſcientia meæ tenuitatis incuti ſentio, & conſilium ad rationem non ad tuum (meus enim certè non eſt) appetitum referre par eſt. At enim tot mihi curis confecto, tot laboribus exhaucto, & corporis vires attenuatæ, & animus fatigatus eſt, ſatis haberem, ſi citra periculum quiete uti poſſem. Propterea id maximè timeo, quòd lubrica Aulæ voluntas in unius coloris *Ejusd. Argumenti.*

A.C. 1702 loris favorem nunquam migrabit. Libertatis meæ naturalis in dicendo fructus, jam nuper ſenſi, & quomodo conceptum à puero tenere ſermonem? præſertim ſi occaſio detur, quomodo tacendum? non dicenda optima? quæ ex uſu Patriæ ſunt. Nulla eſt apud Principes diuturna poteſtas nulliusq; Status debilior, nullius incertior, nullius infirmior eſt, quàm ejus qui apud Principem videtur eſſe potentior, ſunt æmuli ſimultates, odia incidunt, ſuſpiciones parantur, inſidiæ, perſtrepunt ubiq; delatores, atq; ut oculus parvâ feſtucâ turbatur, ſic Principum gratia offenſiuncula vel minimâ cadit. Ego præcipuè in hoc periculo eſſem, cum viri boni officium eſſe ſemper judicaverim, me ipſum Patriæ uſibus conſervare, cavereque ne temere pereat debito ſuo, neq; dicendo deeſſe, neque agendo, neque mortem etiam pro ſalute ejus detrectando. Cogitare inſuper oportet de deſcenſu, antequam quis velit aſcendere, neque enim fortuna quemq; extollit, de quo rejiciendi poteſtatem non hâc conditione aſcendimus, ut cum illa velit è veſtiglo deſcendamus. Nunc longum tenet una, comas, nunc populus umbras inquit ille. Caduca omnia ſub luna. Quantò altiùs extollimur, tantò periculoſiùs cadimus, volubilis rota fortunæ eſt, nemo clavam illi affixit, inconſtans & fidelis hera fortuna, nulli perpetuo bona eſt, magis ergo præparo pectus adverſus omnes fortunæ contumelias, ſi contra me velit iraſci, quamvis in hanc uſq; diem non habeo quod fortunam accuſem. Nam ſive honores, ſive opes, ſive alia hujus ſæculi bona inter homines æquè diſtrahuntur, ſcio me plus virili parte aſſecutum. Scribo ergo tibi libero calamo, & nihil ſuppreſſi. Quamobrem, & tu mecum credes non oportere imò nec neceſſe eſſe, ut ea cogitem, ſed omnino evitem, ne hæc moles in meum caput irruat. Non quod ſim ex illis contra quos Pöeta: vos genus ignavum tecto gaudetis, & umbra, ſed quòd nullo, ut pleriſq; moris eſt, elatus favore fortunæ in cothurnum me magnæ poteſtatis erigere volo, ſed æquitate cuncta moderans, nolo inter tot concurrentes mediùs elidi.

Habuimus Seſſiones noſtras cum magna, & copioſa nobilitate, quæ oppreſſa à Saxonibus media quærebat levaminis, concluſimus reduci Majeſtati publico nomine Provinciæ ſupplicandum, ut aliquod levamen ſentiat, ut verò ego nomine ejus in aſſiſtentia omnium id officii ſumerem petitus ſum, & ut Præſes Provinciæ denegare nequivi.

21. Comparuit Rex ſed audientiam habere non potuimus, niſi 24. ubi quid me officium meum loqui coegerit, habes in copia, nec tamen omnibus acta & prolata placuere præcipuè Dño Czapski Caſtellano Elbingenſi, qui mihi id in publico totius Provinciæ conſeſſu exprobravit. Ego autem didici humilem ſemper eſſe debere coram Rege, & ad Regem orationem, & ita ſuaviter ordinavi verba, ut tamen me fortiter loquutum quiſque audierit.

Declaravit nobis notabilem Rex alleviationem, & comitia Provinciæ promiſit, petijt interim à me Provincia, ut Cardinali Primati, quæ facta ſint, ſcriberem, & quo ordine facta narrarem, quòd & feci, quanquam id nullius eſſe utilitatis cognovi.

Interim multa loquuti ſunt, ne conſilio Thorunii futuro adeſſemus, ego autem neceſſitatem præſentiæ expoſui. Quidquid enim nunc promiſſi habemus à Rege, præſentibus manutenebitur, abſentibus pollicita detrahentur, ſæpè quod heri placuit, hodie diſplicet, & quod privatâ diſpoſitione conſtituitur, cujuſvis occaſionis ſurreptione mutari poterit, nullum eſt in atriis Principum majus ſtudium, quàm ut paucos-

erigant

erigant, plures de gradu præcipitent, adeſſe ergo debemus, ut hanc mutationem impediamus. Finio te precatus, ut quod tibi jam perſuadere ſemel debueras, immobiliter credas, me tuum ſemper eſſe. *A.C.* 1702

SERMO EPISCOPI VARMIENSIS ET SAMBIENSIS, nomine totius Provinciæ Pruſſiæ dictus ad Sereniſſimum Regem Thorunij 24 Novembris.

Venit in conſpectum Mtis Vræ ſupplex Provincia Pruſſiæ, antemurale Religionis Orthodoxæ, flos terrarum Regni & maris Balthici munimentum. Venit hæc Pruſſia, quæ continua annorum ſerie, ſuis Regibus fideliſſima, prima olim jugum excuſſit Theutonicum, ut colla libera non tam ſubderet, quàm libero Poloniæ adjungeret Regno. Venit vultu miſerabili fortunæ ſuæ præſentis teſte, cum omni reſpectu & ſubmiſſiſſimâ veneratione, humilis enim etiam in cauſa bona coram Mte debet eſſe oratio. Comparet in nobis Status Spiritualis cum ſuis diſputationi ulli non ſubjectis immunitatibus, agmen nobilium, non inania nomina præferentium cum Progenitorum ſuorum fide, virtute, & ſangvine partis Juribus, civitates decora in pace, munimenta Regni in bello cum ſuis à Sereniſſimis Mtis Vræ Anteceſſoribus conceſſis, ab ipſamet clementiſſimè confirmatis privilegiis: populus ultra quàm credi poteſt afflictus, turba mœrentium cum exhauſtis in fletu domeſtico oculis. Præſentat ex privato cujuſvis factus publicus dolor documenta fidei, documenta patientiæ. Optabat equidem Provincia noſtra lætiorem frontem induere coram Sereniſſima Mte comparitura, optabat non querelas aut lacrymas, ſed feſtivos applauſus tanto hoſpiti componere, ſed quoniam digna viſa eſt DEO, in qua experiretur quantum humana natura poſſet pati, quoniam inopinata indiſcreti militis inundatio & dira tanquam ſigno ad permiſcenda omnia dato in prædam libido communis lætitiæ corrumpit malaciam, fortunæ publicæ vultum inducit decolorem, dies feſti ejus converſi ſunt in luctum, Sabbatha ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. Nequit Regum clementiſſime tanta calamitas ſilentio tranſmitti, ipſa inanima clamant oppreſſa & queruntur. Nec laurus ſine ſtrepitu ardet, nec boni viri injurioſè ſecum agi ſine clamore patiuntur. Gratiora dictu ego maximè tot nominibus Mti Vræ devotus alia eſſe ſcio, ſed triſtia pro gratis loqui, & ſi me meum ingenium non moveret, neceſſitas cogit. Liceat ergo reverenter inſinuare, quæ patimur; miſeros utiq; nemo queri vetat. Quis poteſt, cùm propria ſibi eripiuntur, tacere? Scimus ad auxilium ſingulorum, non ad perniciem univerſorum Mtem Vram inclinatam malle felicitati noſtræ, quàm calamitati præeſſe. Novimus auguſtiſſimo natum ſangvine animum, proprias gazas munificentiſſimè alijs largientem, procul ab alienæ miſeriæ diſtare ſuffragio. Paternæ proindè gratiæ thronum tantò candidiore pulſamus fiduciâ, quantò clarius nobis conſtare debet, quòd tam inſolita Provinciæ gravamina inſciâ facta fuerint fiantq; Mte. Non congero hîc querelas lachrymasq; populorum, nimis enim amarum & ingratum Mti Vræ offerrem munus, humillimâ tantùm voce totius Provinciæ S. R. Mti Vræ ſupplico, ut ſervet integros, quibus poſſit diutiſſimè imperare. Jam enim incipit terra noſtra ante deſiderabilis eſſe deſerta, nec brevi erit, qui inhabitet in ea, ſi plorantibus in tribulatione, quæ invenit nos nimis, manu potenti & brachio excelſo, clementiſſime Rex potentiſſimè

A.C.1702 tiſſimè non ſuccurres, ſi lacrymas ab omni vultu non auferes, ſi patieris toto ſpiritu & anima tibi ſubiectos, deturbari à libertate illa, quam à divis Prædeceſſoribus acceptam hæreditariam in nos Patres noſtri transfuderunt. Aperiantur ergo clementiſſimi oculi Mtis Vræ ad deprecationem noſtram, inveniamus gratiam ante eos, felices fac populos, non expecta, converte luctum noſtrum in gaudium & quod humillimè petimus, clementiſſimè tribuatur nobis. Nónne enim Domine noſter omnes ſervi tui ſumus? Non patiaris Regum optime, ut quiſpiam delectetur in perditionibus noſtris, tam enim malè nobiſcum agitur, ut injuria putetur, quòd non libenter pereamus. Dignetur verò Mtas Vra, hæc non lædendi avertat DEUS ſtudio, ſed ſimplici & ſincerâ fide, non citra ultimam neceſſitatem ad ſe humillimè delata, in benigniorem partem interpretari, ac pio ut ſolet affectu in animum admittere, & hâc benignitate ſubditos fideles ad flagrantiora fidei & devotionis obſequia provocare. In una clementiſſima Mtis Vræ gratia ſpes tota recumbit, ex tam alta publicæ felicitatis fiducia repentè dejectis, non alia reſtat anchora, quàm ſupremam ejus dexteram lapſis Provinciæ rebus implorare. Me verò jam prolixioribus populorum querelis non decet clementiſſimas Mtis Vræ aures interpellare, leget clarius, nihil ambigimus, per Regiarum curarum otium, ſupplicis quem reverentiſſimè porrigimus contenta libelli, plorantis Provinciæ lacrymis exarata. Supplicamus itidem Mti Vræ ut hoc, quod omnibus Provinciis, Palatinatibus, & Diſtrictibus eſt conceſſum, noſtræ etiam tanquam non minori in Regno Provinciæ clementiſſimè concedatur, ut ſcilicet non tantùm conſulere, ſed etiam documenta fidelitatis noſtræ in Mtem Vram & veri in publicum palàm oſtendere poſſimus, zeli, in utroq; certe à nulla Reipublicæ parte ſuperari nos paſſuri. Quod reliquum eſt Mti Vræ longævam vitam, felix à DEO Opt: Maximo ex animo vovemus Imperium. Reſpiciat ergo nos Dominus noſter, ut læti ſerviamus Regi.

Andreæ Zaluski

INSTRUCTIO TERRARUM PRUSSIÆ AD SEREN. REGEM POLONIÆ, DATA CELSISSIMO PRINCIPI EPISCOPO VARMIENSI. 17 Novemb.

NOS Senatores, Conſiliarij & ex Equeſtri Ordine Terrarum Pruſſiæ Thorunij pro die 12. Novemb. Anni 1702 ex mente S. R. Mtis D. N. Clementiſſimi congregati ſuper infra ſcriptis per Celſiſſimum Principem Epiſcopum Varmienſem & Sambienſem Terrarum Pruſſiæ Præſidem, Regiæ Mti Dno N. Clementiſſimo humillimè deferendis convenimus.

Quamprimùm S. R. Mtas D. N. Clementiſſimus annuente Divinâ gratiâ in Civitatem Thorunenſem feliciter redierit. Celſiſſimus Princeps circa publicam audientiam præviâ debitæ, ac intemeratæ fidei & ſubjectionis conteſtatione S. R. Mti humillimè exponet jura, libertates, Privilegia, ac immunitates, cum quibus Terræ Pruſſiæ ſpontaneè ac liberè ad Remp. ſub Divo Casimiro Rege Poloniæ reciprocâ curatâ ſponſione teſtante acceſſêre. Allegabit quoq; eo, quo decet humilitatis ſtudio Conſtitutiones Regni tum veteres, tum quoq; recentiores. Pacta Conventa juramento firmata, Conſtitutionem Regni, Pacificationis ultimam aſſecurationem Regiam ad Sandomiriam fide Regiâ datam medi-

mediante, quâ miles Saxonicus aut Regno educi, aut ſtante bello ſumptibus Regijs proprijs ſuſtentari debebat. Cùm verò in contrarium horum Copiæ Saxonicæ Provinciam hanc non requiſitis etiam nobis inundaverint, & cum maximo Incolarum, & Colonorum, Bonorum Reipub: Spiritualium, ac Civitatum omnium præcipuè majorum, quæ ab omni exactione militari etiam proprij Reipub. militis ſolenni legum auxilio libera ſunt, imò totius Provinciæ onere, ac inſigni & irreparabili damno exactiones pecuniarias in numero exceſſivo ſub nomine nunquam antehac audito portionum, non ſolùm pro ſuſtentando, ſed & veſtiendo, ac armando, denuò reaugendo milite percipiant, atq; etiam exequantur, & quod dolorem magis, ac magis acuit, tanta poteſtas in liberam Gentem Conſiliarijs & Commiſſarijs Saxonicis, quos S. R. Mtas à latere ſuo removere clementiſſimè promiſerat, conceſſa ſit, qui pro arbitrio ſuo graviùs, quàm in abſolutis Dominijs fieri poteſt, Bona Reipub. Spiritualia, & Civitatum indebitis, & inſolitis exactionibus etiam cum præjudicio libertatis adeò aggravant, ut inhabilia in futurum contributionibus. & hybernis, in ſubſidium Reip. comportandis reddantur, & ad ultimam redigantur ruinam. Deducet quoque Celſiſſimus Princeps nec ab his angarijs nonnulla Bona terreſtria immunia manere, ſed etiam inibi inſolentias militares exerceri, & ut S.R. Mtas D. N. Clementiſſimus Terras Pruſſiæ ab hoc inſupportabili inſolito, & Reip. militi proprio nunquam conceſſo onere per evacuationem liberas & immunes facere, & benigniſſimè injungere dignetur, ut damna per militem eundem cauſata, & pecuniæ exactæ, non obſtantibus quibusvis extorſivis quietationibus refundantur, & reſtituantur, & ne in futurum ſimile onus Provinciæ imponatur, clementiſſimè providere, humillimè expetet; Cùm etiam reliquis Provinciis Regni ex gratia Regia conventus ſuos celebrare licuerit, illeque exinde his terris feliciores extiterint cum ipſis calamitoſis his temporibus de ſalute propria conſulere conceſſum fuerit. Ut proinde S. R. Mtas & Statibus ac Ordinibus Terrarum Pruſſiæ conventum Generalem indicere clementiſſimè velit, ſubmiſſiſſimè ſollicitabit. *A.C.* 1703

P. S. Ex hac occaſione viſum eſt mihi adnectere tibi id, quod de Juramento meo hiſtoricus ſcribit & formam ipſiusmet Juramenti.

De Juramento Epiſcopi Varmienſis ex Statutis Janusſcovij pag. 909 910.

INprimis quòd quilibet Epiſcopus Varmienſis Succeſſor Noſter futurus, ſeu alij omnes pro tempore exiſtentes in perpetuum infra tres menſes à die receptionis literarum Apoſtolicarum Proviſionis Eccleſiæ Varmienſis tenebitur, ſeu tenebuntur perſonaliter venire ad præſentiam Regiæ Mtis & ſuorum Succeſſorum, dummodo in Terris Pruſſiæ eſſent conſtituti, aut in illorum abſentia in Caſtrum Margenburg, & ibidem in manibus Epiſcopi, & non alterius, quem ad hoc ſua Celſitudo deſignaverit, in Eccleſia majori ad altare ſuum, ſub præſentia Palatini Mariæburgenſis & Capitanei, ac etiam Magiſtrorum Civium de Thorun, Elbing, & Gedano præſentium, & in futurum exiſtentium teneantur juramentum facere, quod & nos Nicolaus fecimus, ſub ea, quæ ſequitur forma, & in caſtrum præfatum deſcendere ſub tempore deſcripto aviſati: Caſu verò, quò unus vel plures deſcriptorum intereſſe impediretur, nihilominus in manibus dicti Epiſcopi coram præſentibus qui convenirent Epiſcopus, ſeu Epiſcopi in futurum exiſtentes

A.C. 1702 Varmienſes jurare tenebuntur in hæc verba:

Ego Epiſcopus Varmienſis promitto, & juro, quòd ex nunc, & ut antea fidelis ero Sereniſſimo Domino meo N. Regi Poloniæ, ejusq; Succeſſoribus Regibus, & Regno Poloniæ tanquam Domino & Protectori Eccleſiæ meæ, ac etiam Capituli Suæ Serenitati & Regno aſſiſtam, nec non ejus Succeſſoribus uti Suæ Serenitatis Conſiliarius contra quemlibet inimicum, cum quo nullos Tractatus, fœdera aut inducias faciam, ſine Suæ Mtis conſenſu. Inſcriptionemq; Pacis perpetuæ in omnibus Capitulis, & punctis, ac etiam inſcriptionem per meum Anteceſſorem D. Nicolaum Epiſcopum Varmienſem cum conſenſu Capituli factam inviolabiliter tenebo, conſilium mihi creditum ad Suæ Serenitatis damnum non revelabo, omnemq; machinationem, quam practicari ſubodoravero in præjudicium & commodum Regiæ Mtis Succeſſorum, aut Regni Poloniæ exiſtentium, pro quibus fideliter conſulam, præcuſtodiam tempeſtivè & aviſabo. Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia;

Caſu autem quo aliquis Epiſcopus Varmienſis pro tempore exiſtens juramentum fidelitatis juxta formam & tempus præſcriptum præſtare non curaret, extunc Vaſallis & Subditis prædictæ Eccleſiæ Varmienſis licebit cum honore, & impunè ab obedientia dicti Epiſcopi vi juramenti firmata reſilire, & Regiæ Majeſtati uſquequo juraverit, adhærere.

CONSILIUM LEOPOLIENSE die 22. Novembris PERACTũ.

NOS infra in ſubſcriptione nominati, congregati in loco hoc ad Caſtellanum Cracovienſem Magnum Ducem Exercituum Poloniæ, Leopoli eo temporis commorantem, conferendi, & cointelligendi gratiâ, in materijs infra expreſſis, ad conſervationem Palatinatuum pertinentibus, tales fecimus deciſiones, & pro cujusvis ſenſu reſolutiones ſequentium punctorum.

Imprimis. Quid agendum cum Generali Steinbock, qui non tantùm iteratis literis, nomine Regis Sueciæ ſcriptis, urget omninò reſtitutionem Suecorum, in præterita expeditione, per noſtrorum excurſiones captorum, verùm etiam intuitu ejusdem prætenſionis cum aliquot millibus exercitûs, omnia bona Rzeſzovienſia invaſit, eaq; hactenus intolerabilibus premit exactionibus, exigendo dictos homines cum omni apparatu bellico, vel pro quovis Equite 300 imperiales, pro Pedite 200. Quam ſummam vix tota Ducis ſubſtantia exæquaret; Nec occupatâ contentus Rzeſzoviâ jactat ſeſe cum exercitu iturum ſub Leopolim pro liberatione ſuorum captivorum: Unde grande periculum, devaſtandæ totius Ruſſiæ. Utrum ergo nominatus Dux in tam arduis poſitus circumſtantiis poſſit non expectatâ reſolutione (quæ tam citò eſſe nequit) totius Reip. reſtituere dictos captivos?

Deciſum, quòd, cum in præſentibus conjuncturis, tam citò hoc in puncto, deciſio à tota Repub. fieri nequeat, & aliunde per juſtitiam, Caſtellano à Sueticis Exercitibus oppreſſo, pro fidelibus in Remp. obſequiis ſuccurſus debeatur, & vindicatio ex hoſtili manu fortunarum ejus, ſimulq; timeatur periculum deſolationis totius Ruſſiæ, expedit, ut omnes in præterita expeditione accepti Sueci reſtituantur.

2do

A.C. 1702
Dubeton

2do Acceptâ plenâ & perfectâ notitiâ de violenta interceptione, contra jura gentium Legati Galliæ, à militibus Saxonicis, unde periculum vindictæ toti Reip. à Rege Galliæ metuendum eſt; Utrum expediat ſcribere ad Cardinalem Primatem, ut pericula ex hoc auſu imminentia proponat Regi noſtro, poſtuletq;, ut illis per reconciliationẽ & ſatisfactionem Legato, occurratur. Idemq; Cardinalis Primas explicet per literas, Regi Galliæ hanc violentiam, Legato ejus, inſciâ Rep. ejusdemq; miniſtris, eſſe illatam?

Concluſum, cùm factis ex tam inhumano auſu, conſequentiis, notabilis, & juſta certò, Regis Galliæ timeatur offenſio, cui eſt omnino obviandum in tam arduis præſertim Reip. conjuncturis; intereſſe Caſtellani Cracovienſis, tanquam cuſtodis ſecuritatis publicæ, ſcribere ad Cardinalem Primatem, quatenus per literas juſtificet totam noſtram Remp, Regi Galliæ, noſtroq; Regi exponat, quanta inde ſubſequi poſſunt infortunia.

3tio Invaleſcente rebellione Coſatica, cui ſupprimendæ, propter exiguitatem Regiminum, & parvum numerum Exercitûs, deſunt in promptu ad manum modi, utrum in hoc paſſu Caſtellanus Cracovienſis expedire poſſit ad Scytharum Hanum, petendo aliquot millia, in ſuccurſum contra rebelles? & utrum certus futurus ſit refuſionis ſumptûs, ſine quo legatio hæc peragi nequit; ubi donis, tum ipſe Hanus, tum Proceres captandi ſunt?

Reſolutum hoc dubium, quòd, cùm alia non occurrant media, cohibendæ, refrœnandæq; Coſaticæ rebellionis, quæ majora indies ſumit incrementa, jamque circa penè Leopolim, in variis Nobilium bonis, audiatur paſſim hic nequam ſpiritus rebellandi inter ruſticos, neceſſe eſt, practicata jam olim in talibus circumſtantiis aſſumere media, recurrendo per Legationem ad Hanum Tartarorum pro militari ſubſidio. Pro quo undecunq; Caſtellanus mutuam acceperit pecuniam, ratum habebit, contractumq; debitum, in dictam ad Hanum Tartarorum legationem, reſtituet debitum Reſpubl.; quod noſtro ſuffragio efficaci promittimus nos apud eandem Rempub. promoturos.

Hieronymus Lubomirski Caſtellanus Cracovienſis Exercituum Generalis Dux.
Joannes Jabłonowski Palatinus Ruſſiæ.
Alexander Joannes Jabłonowski Vexillifer Regni Poloniæ.
Martinus Kątski Palatinus Cracovienſis
Januſius Korybut Wiſzniowiecki Caſtellanus Vilnenſis.
Adamus Sieniawski Palatinus Belzenſis Campeſtris exercituum Dux.

COPIA UNIVERSALIS MAGNI DUCIS EXERCITUUM POLONIÆ AD TERRAS PRUSSIÆ.

PRimâ acceptâ notitiâ, de ordinatione Exercitûs Saxonici ad Provinciam Pruſſiæ pro conſiſtentia, magna & juſta Exercitũ noſtrum tenuit ſolicitudo, ne per hoc hybernæ inde debitæ aliquod poneretur impedimentum: nunc verò de tam magnarum portionum exactionibus accepto nuntio, majore fervore inſtabat exercitus ad me, ut pro ejus ſuſtentatione illam ſaltem conſervarem

A.C. 1702 portionem, deſperato aliunde penitus vaſtatis ubique Regionibus ſubſidio. Communico itaque vobis poſtulationem & juſtam prætenſionem Exercitûs, ne ſcilicet hyberna ex Provincia Pruſſiæ illi debita, alicui exotico militi extradatur, verùm ut congregata, collectique pecunia aſſeruetur, donec dentur aſſignationes pro exercitu Polono, vel ut comportetur ad ærarium, hanc enim ſibi debitam mercedem nemini debet cedere, aut poteſt exercitus, quam favore legum & proprio meretur ſangvine. Tempeſtivè ergo præcuſtodio ſecuritatem ſummarum hybernalium in Provincia Pruſſiæ nomine totius exercitus. Actum Rzeſzoviæ 5 Novembris.

COPIA LITERARUM PRIMATIS CARDINALIS AD EPISCOPUM VARMIENSEM 24 Novembris.

Reddita mihi eſt tua epiſtola de data 19 præſentis Thorunio, ex qua elicitur, nondum Regem, rediiſſe. Interim hic orbitas, ſine Patre Patriæ, reſolvit manus & audaciam Saxonibus ad graviores indies repreſſiones, quæ in liberis gentibus, ſine earum, apud exteros opprobrio eſſe nequeunt. Conſilium & zelum ejus Provinciæ adeo abeſt, abſitq; ut reprobem, ut laudem potius, niſi enim id ferveret in his circumſtantiis, certè nunc more ſervorum habiti, dein tractaremur ut mancipia. Id tamen laudari nequit, quod concludenda à vobis, uſq; ad Regis adventum differtis, per quod datur ſpatium debilitandorum conſiliorum, & virium, vividiq; ſpiritus, & intentiones per moram emoriuntur, timendum, ne noceat differre paratis; poſtea vel animis, vel temporis opportunitatibus, variatis. Ego certè ut in ſciſſione hac immobili conſtantia ſteti pro integritate jurium & libertatum; aliiſq; ſpartam deferentibus, non movi paſſum, uſq; ad honorificam pacis per acceſſum meum vocationem. Ita etiamnum certum te, & per te alios fieri velim, me, totus licet labatur orbis, à voto & charitate ejus Provinciæ minimè ſeparandum, cujus dulcedinem hactenus à temporibus meæ ibi quondam præſidentiæ memori mente volvo. In reliquo, latori præſentium, quidquid meo nomine dixerit, habeto fidem, mihi quoq; de progreſſu, ſucceſſuq;, conſilii, dicenda manda, imprimis verò, in quo me tibi ſervire velis.

COPIA LITERARUM REGIS AD VARIOS SENATORES 25 Novembris.

Ad probatum tuum, fiducialiter recurrimus affectum in præſentibus conjuncturis, in quibus non ſolùm innati in Patriam amoris, verùm etiam conſtantis erga nos fidelitatis dare poſteris documenta. Nunc certè ut nunquam magis, quiſq; cernit, cœlum hoc non poſſe unius humeris inniti, ideoq; cùm nihil ex parte noſtra omittamus, quidquid ad integritatem, & conſervationem publicam utile eſſe judicamus; nihil quoque magis optaremus, quàm omnes, ſincerè ſuam amantes Patriam, ad efficacem applicationem, ſeriamque circa bonum ejus cogitationem excitare. Agimus nos quidquid videtur in præſenti ſtatu proficuum, & neceſ-

neceſſarium, verùm occultâ quædam nequitia, ſperantibus hactenus meliora, non aſſecutis, optimas turbat intentiones, omneſque pro bono publico meditationes parum amica manu, & animo impedit vel corrumpit. In hodierna ergo devotione, humiliati Neonato Deo, dolore noſtro & injuriis illi tanquam innocentiæ Protectori & vindici commiſſis, & ſinceræ alta inter ſuſpiria precati ut tandem aliquando obſcuras has, & tenebris dignas malevolorum nequitias in lucem producat, occultos & pro feritate, & conſuetudine; revelet latratus, oſtendatque Polono orbi integerrimas intentiones, & actiones noſtras, qui nunqnam egimus, nec agere intendimus, niſi quod utilitatem afferret bono publico: firmam in Deo moderatore Regnorum, habemus fiduciam, qui liberabit timentes gratis ab eo metu, quo nos pertinax iniquitas, varia publicando commenta, percellit, quæ nec in cor noſtrum unquam aſcenderunt. Manifeſtabit etiam illos authores & fomentatores, qui rebellionem Coſaticam in perniciem Patriæ vel concitarunt vel hactenus fovent, cui nos nec directè, nec indirectè unquam ſumus cooperati, imò nihil intermiſimus, quod ſuffocandæ exurgenti flammæ utile videbatur. Expedivimus ad Czarum Moſchoviæ cum ardenti poſtulatione, quatenus pro poteſtate ſua hos auſus cohiberet, nec ipſi gravaremur in perſona noſtra, quàm libenter pro defenſione hujus Reipub. omnibus opponimus periculis, etiam in illas excurrere partes, optando ſi fieri poſſet, etiam per replicationem in omni eo loco eſſe & agere, in quo exigit neceſſitas, & quo nos promptitudo ad defenſionem omnium & ſingulorum, trahit. Indolemus ſincerè gemitibus pauperum, quereliſque auxiliaris noſtri Exercitûs, quem antea in ſpem inveniendæ domeſticæ defenſionis, libenter remiſeramus, ſed hac per malevolos deficiente, iterum ex Senatûs conſiliis & indiſpenſabili neceſſitate induximus, ſeveras dando ordinationes, ut quàm arctiſſimè militaris diſciplina ſervaretur, nihilque magis nobis in votis eſt, quàm ut pauperes promptam à preſſura habeant liberationem, Regnumque hoc diu optatâ fruatur pace; & niſi occultæ machinationes, factioneſque, in cauſa eſſent, jam pridem occaſio, & radix gemituum, & querelarum tolleretur. In hoc quoque aſſecuramus omnes & ſingulos, quod ubi DEus optatam pacem Regno huic contulerit, nemini ullum amplius milites noſtri facturi ſint incommodum. Quo fiducialiter delato, ad probatum tuum iterum iterumque recurrimus affectum, ut in omni occurrente occaſione, honorem noſtrum & intereſſe tueri velis, oſque loquentium iniqua obſtruere, nos quoque, qui à nemine ſuperari nos affectu patimur, noſtrum tibi in omnibus occurrentiis, domuique tuæ reſpectum promittimus, cui omnia bona, à bonorum Largitore DEO precamur.

A.C.1702

AMICO CONFIDENTI 30 Novemb. Thoruniô.

Cur ſigillum majus acceptaverit.

QUID tandem dices feciſſe me planè coactum, quod voluntariè recuſâſſem, unde tamen certus ſum me apud omnes æquos, & profundius rem conſiderantes, laudem potiùs, quàm vituperiū, & odium inventurum, cùm non ambitione ductus, à qua abſum longiſſimè, ſed quod verum, aut verius, miſeriarum Epiſcopatus mei, imò totius Patriæ momenta id maximè requirunt, cujus commodi communis ratione, oblitus meæ infirmitatis, ſed ſolo ardore defendendæ Reipub. noſtræ raptus, quanquam nullum meritum, exiguam capacitatem in me ſcio, ſola divinæ pietatis, & miſericordiæ ſpe fultus aggredior, id quod ut benè exequar non in me eſt, ſed in DEo. Illud quoq; conſideravi, nullum noſtrum ſibi ſoli natum eſſe, ſed ortus noſtri partem ſibi Patriam vendicare, partem parentes, partem amicos, multa præterea pro temporum diverſitate nobis accidere, quibus vita noſtra occupata eſt. Vocanti me igitur Patriæ ipſi ad Rempub. gubernandam abſurdum forſan eſſet non parere, præſertim cum ſimul accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur, qui nulla ipſius, quod optimum eſt, ratione proficiſcuntur ad publica, inſuper malui per obedientiam videri ſapiens, nec mihi licuit non facere quod juſſus ſum, & onus meis humeris in his præſertim circumſtantiis penè intolerandum ſubivi, confiſus ejus auxilio, qui victimis obedientiam prætulit, nec timeo ſub tanto faſce deficere, ſi præſtò ſint, qui vel cadenti mihi manum porrigant, vel currentem adjuvent, vel ſolùm ne deſidiâ, aut malitiâ (quod eſſet pejus) ſuâ diligentiam meam impediant. Tu es conſcius, nullum me ad hunc Magiſtratum, niſi commune omnium bonorum votum detuliſſe. Quia ſi de me vir bonus (te intelligo) bene ſentit, eodem loco ſum, quo, ſi omnes boni idem ſentirent, par illis, idemq; judicium eſt; Æquè verò non inſiſtitur ab his, qui diſſidere non poſſunt, ita pro eo eſt, ac ſi idem omnes, quia aliud ſentire non poſſunt, ad gloriam, & famam ſatis eſt unius boni opinio, hoc enim poteſt unius boni ſententia, quod omnium, quia omnium bonorum, ſi prorogetur, unum votum eſſe ſolet. Cùm præcipuè ego nihil unquam tentans, niſi honorificum, honeſtumq; omnia pro æquo & bono conabor, nec cujusquam odium DEo fretus timebo. Invictum muneribus animum, & in tanto avaritiæ certamine geram, nec unquam manum ſuppoſitam lucro videbit quisquam; adverſùs minores humanitatem, adverſùs majores, ut ſemper ſoleo, teſtabor humilitatem, & reverentiam. Quæ mea intentio ſi alicui non ſatisfáciet (ut neq; ipſe mihi ubiq; ſatisfacere poſſum) is cum animo ſuo reputet in tam difficili negotio proclive eſſe, vel errare, vel hallucinari. Cùm præſertim nullam in me ſentiens ad hunc honorem dignitatem, in tanta Patriæ neceſſitate non miſereri ejus non potui, relinquere curam Epiſcopatus mei non licuit, nec debui, quia reſpectu hujus miniſterij ab ultima, quæ imminet liberari poterit ruina, laborem quippe non refugit, qui virtutis gloriam concupiſcit, & ideo juvante DEo, quo authore omnia proſperanter curabo, ut de arte veniat, quod vincat naturam, & ne te pœniteat (ſortem quoniam hanc mihi fata dedere conſilio tuo) tantum onus humeris impoſuiſſe meis, cumq; propoſitum fuerim mutare coactus, tenuitatis reparabo damna labore meæ. Eſt quidem verum, multis ante ſæculis lege ſancitum eſſe, quòd Epiſcopatus Varmienſis ſit ex incompatibilibus cum ſigillo Regni, ſed id re ipsâ non obſervatum & toties diſpenſatum. Si in primis

Comi-

Comitijs Regni minima difficultas fuerit, libenter pro me, revertenter *A.C.* 1701
pro legibus alteri lampada tradam, paratus ut ille obediens bos, ſive ad aram, ſive ad aratrum, redibo ad Eccleſiam libens, laborabo in miniſterio pro ea, & pro Republ. coactus, & ſi quid adverſi hac in parte advenerit, id cum Terentio noſtro reputabo eſſe in lucro, quanquam puto, quia tenentes tenebunt; Cæterum æquo animo feram fortunæ, & ſi novercans fuerit impetum, quia hic eſt mundi curſus, ut is rectè utatur eo qui minus movetur adverſis. Ille ſapiens homo eſt, qui ea vult, quæ velle DEum novit.

Meminiſti, & credo adhuc tibi non ſatis veterum memoria miniſtratur, quod anno 1688, Sigillum, mihi promiſſum & die 27 Novemb. fuerit non ſine præjudicio mei declaratum Dño Georgio Dönhoff Epiſcopo tunc Camenecenſi, quod nunc hoc anno die eadem hoc eſt 27 Novembris mihi eſt collatum, ita prædeſtinata neminem prætereunt, pleraq; ubi nihil memoratu magnopere dignum, actum eſt prætereo, quæ autem referre operæ pretium exiſtimo, breviter recenſeo, quia hæc quæ fortuitò accidiſſe creduntur, conſultò DEI voluntate facta ſunt. Recordaberis & id quòd poſt evectionem ſcilicet ad Epiſcopatum Cracovienſem D. Dönhoff Dño Epiſcopo Kijovienſi Gomolinski, Dño Bokum Epiſcopo Præmislienſi, tandem Dno Epiſcopo Culmenſi Potocki, ut taceam D. Epiſcopum Chelmenſem Wyzycki hoc ſigillum deſtinatum erat. Poſtremò noviſſimè tanquam eadem, ut ajunt filia plures ſibi adſciſcerentur generi, Domino Caſimiro Lubinski Suffraganeo Cracovienſi Nominato Chelmenſi fuit deſtinatum, & poſitivè declaratum, qui etiam accepto rumore de morte Procancellarii accurrit huc Thorunium certuſque rei ſuæ erat, & ego libenter eum in hoc miniſterio vidiſſem antiquum amicum, & mihi coëtaneum. Omnes credebamus id fieri poſſe, & debere, cum præcipuè ego laboribus & ærumnis confectus, neq; jam vel corpore, vel animo perdurare potens, prævidens præterea invidiam, & odia, quæ multi etiam contra optimos viros ſuſcipiunt inſidiaſq; ex ijs naſcentes, ultra multitudinem inimicorum magnitudine officii territus ſæpius ſuſpiraverim, & potius privatim cum gloria vivere, quàm hoc miniſterium in tam periculoſo gerere ſtatu deſideraverim. Pro meo autem more confidenter tibi dico, quòd Dominus Referendarius Szembek magnam partem in confidentia Regis habens accepit declarationem ſigilli majoris, ut quidem Turnus pro ſæculari videbatur eſſe; ſed quia vel audacia ei, vel voluntas deerat, & in experientia, & in fortuna non ſe ſentiebat ſufficientem huic primo miniſterio Regni, nolebat verò ut D. Lubinski cum quo ſecreta aliqua fuit diſſenſio, præcederet eum, felicitatem ejus, ſuum damnum, ejus emolumenta ſuum infortunium putans, effecit ne is, qui animo jam certum habebat, re poſſideret, libentius me videre in hoc gradu teſtatus, ut res ipſæ loquuntur, quæ evenerunt. Venit etiam Varſaviâ declaratio à juriſperitis, quod jure Eccleſiaſtico hoc tempore deberet conferri, ut ex annexis patebit. Petiit ergo idem Dominus Referendarius, & inſtitit apud Regem, ut mihi cederet ſigillum, in quo & D. Beckling, qui volebat omninò amicitiam meam, deſideravit, & ſic veſperi 26 declaratio facta, privilegium ſubſcriptum, & manè 27 à Dño Mareſchalco Bielinski, qui tum erat præſens utrumq; ſigillum, in conſilio Senatûs ob neceſſitatem evidentem (cum ſigillum utrumq; vacaret) declaratio publica, & traditio facta; Divina potentia tum potiſſimum

A.C.1702 tiſſimum demonſtratur, cum ſublevat, quæ ſunt minima; faxit DEUS, ut ſi non implemus opiniones hominum, ſaltem ne confundamus eos, qui de nobis bene ſperant. Multa fortunæ fluctuantis incertæq́ arbitrio reguntur, cauſæq́ plures exiſtunt, cur non omnia ex animi ſententia mortalibus eveniant. Fortuna celeres habet mutationes, & modò hos, modò illos fovet, aut affligit. Boni viri interim eſt adminiſtrationem Reipub. ſi qui ipſo uti vellent non ſubterfugere, neque tamen eam ultra quam convenit expetere.

Habes ergo me, quod totâ mente petiiſti Cancellarium, & literis his, quibus cum ſcirem tibi jucundam ſilere non potui, non tam promotionem meam, quàm per multorum cognoviſti epiſtolas, ſed animũ meum erga te illum eſſe confirmo, qui ſemper fuit, nec veram amicitiam ulla dignitas tollet; obedientia mea vadit, quò ducitur, non quò debet, quòd impoſitum mihi eſt ferendo. Tu ſi viſum fuerit & amicis, & inimicis communicare hæc poteris, illis ad gaudium, iſtis ad pœnam, noti ſunt tibi univerſi, & amici, & inimici mei, illis utere, iſtis reſiſte eo utriuſq́ addito, quòd non propter fratres, cognatos, affines (ut malignitas interpretari poterit) quorum mihi magna, & honeſta copia eſt, ſed unico motivo id oneris ſuſcepi, corde perfecto, & animo voluntario, ut poſſim prodeſſe Patriæ, cui natus ſum, & ſpero in eo à quo omnia, putoq́ virtutem, quæ ſola mihi ad honorem hunc ſuffragata eſt, tarditatis ſuæ pœnituiſſe, ac ſuperioris temporis moram hâc feſtinatione emendaſſe. Non obliviſcar certè officij, nec puncto diſcedam ab eo, & memor ero, quibus de cauſis Cancellarii juſtitiæ, & legum cuſtodes appellentur Theſaurus famæ publicæ, Patriorum jurium armarium. Cùm verò in DEI manibus ſortes meas repoſuerim, ut impleat petitiones meas, ut deſiderium meum audiat, ut benedicat, & principio, & noviſſimis, ut omnia quæcunq́ faciam proſperentur, ut ſalvum me faciat ab omnibus perſequentibus me. Dominus ſpes mea, quoniam ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ad eundem, qui ipſe fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit, qui ponit pluvijs legem, & viam procellis ſonantibus, qui conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos enumerat, recurſum faciendum credidi; juſtum enim adjutorium à Domino, qui ſalvos facit rectos corde, ſcripſi imprimis ad omnes Provinciales, & aliquos Conventus Religioſorum, & Religioſarum, ut pro me in tam difficillimis temporibus aſſiſtentiam Spiritus Sancti implorent. DEus refugium & adjutor meus, ſperabo in eum. Ita invocato DEI nomine accinxi me operi, & imprimis ſcripſi Cardinali Primati non recordatus injuriarum, ſolent enim hæc magis inſtigare, quàm mitigare diſcordias, ſolùm quòd mihi magis eſt cordi locutus, ut ſcilicet mihi eum devincirem, quia ex bona cum eodem correſpondentia, & Regi majus obſequium, & Reipub. major utilitas eſſe poteſt, ſperans quòd ſubmiſſioni meæ, & votis piè conceptis facilè cederet, cùm dependentiam meam ab eo, (modò verus, & ſincerus ut eſſe debet, ſit publici zelus) offerebam, ſciens autem ejus ingenium tale eſſe, ut præſentia commoda, quæ à certa rerum occaſione oſtenderentur, omnibus alijs ſuis rationibus anteponenda cenſeat. Sic populi ſermo celebrat, creber, & irrita nunquam fama cadit penitus, cum talia ſint, qualia omnes audivimus. Ut verò ille qui eodem nonnunquam die commutatis voluntatibus modò his, modò illis favere conſuevit, conſtantior eſſet, & ſciens illum blanditijs Dñæ Palatinæ Lencicienſis delinitum importunæ mulieris libidini non ſæpè, ſed ſemper obtemperare, quæ

quia

quia majores, quàm muliebris animus fert, ad res publicas ſpiritus gerit; ſpecioſa verba dare illi neceſſarium credidi, & quamvis ex arcanis cubiculi ſordibus in lucem repente ſit producta, & peſſimã ejus voluntatem noverim, & omnia comperta habeam, quòd illa ſcilicet ſit in cauſa, ut res malè ſe habeant, ſive conviciando, ſive maledicendo omnibus bonis, ſive ſupplantando, quia tamen una arbitratu ſuo agit omnia, leges etiam non nunquam prætexuit, & ludibrio habens civilitate mea, & obſervantia potentiæ ejus obviàm ivi ſeparatas literas ſcribens. Videbantur enim mihi ex hoc ceu fonte naſci mala publica, & proinde hac curata ſecuturam ſanitatem ſperabam celerem. Cùm Cardinalis ſolus res moderari, nec rationi reddendæ obnoxius eſſe, more veterum volens, non cavens, nec ſe movens, tametſi Polonia multis iam diu, & diris modis lædatur, neq; quidquam vel Repub. vel ſe dignum faciens, nihilq; penſi habens, ut Patriæ proſper ventus aſpiret, nec id procurans, imò eam evertere, & demergere, quantum in ſe eſt, deſiderans operamque dans, ut in hoſtium poteſtatem redigatur. Rempub. non iam communem, ſed privatim ſuam exiſtimando, clam contra aulam modis omnibus agit, deſideratq; ut Regnum ſemper magis involvatur bonis carens Miniſtris. *A.C.* 1702

Quia ergo poteſtatis muliebris, & ipſius Primatis viſibilem malitiam non erat poſſibile tollere, neceſſe erat varijs modis debilitare potentiam. Sed unde publicum emolumentum ſperabam, vix non privata ab initio ſtatim dignitatis meæ acceſſit ruina, unde ſolatia expectabam, convicia accepi; Mulier enim hæc inter malas peſſima, reti me implicare voluit, criminis omnis expertem, & extra omnis ſuſpicionis aleam poſitum, & qui integritatis meæ conſcientia fretus præmonito prius Rege, & quid ſcriberem informato, rationeq;, quod bono ſerviendi melius animo faciebam, falſitate calumniæ conquiſita perdere voluit, & feciſſet, niſi in defenſionis progreſſu & crimen falſum demonſtraſſem, & quæ id afferre auſa fuit nefariam calumniatricem, id nimirum omni conatu curabam, ut nunquam ſim reus, nec quisquam mihi infundat aquam; Miſit literas à me in originali ſcriptas, quarum adeo non me puduit, ut eas laudi quoq; mihi ducerem, & vitæ meæ bonarumq; intentionum Regi cognitarum cenſores oſtendi, & ſic falſum probrum ultra oculos, & aures Regis non penetravit. Vellem tamen ut lex, quæ exſtabat apud Romanos, apud nos fiat, quæ ſcribere falſa prohibeat, ſed quid? iſta fœmina cum privatim mala ſit, nunquam fiet publicè bona, quis non videt id eam facere, ut multa non vertere, ſed pervertere dicenda ſit. Rebus ſecundis iniqua, & inſolens erga omnes, in calamitatibus ſupplex, ac mox impetratâ, vel gratiâ vel veniâ recedit à fœdere, & promiſſis, ut hoc uſu Rex Seren: eſt edoctus, cùm toties jam fuerit affectus, & amicitiæ fruſtra profeſſio ſuper profeſſionẽ, vovebatur, proponebatur, quod non tenebatur, ſed veniet veniet dies judicij, ubi plus valebunt pura corda (dico cum Bernardo) quàm aſtuta verba, & conſcientia bona, quàm marſupia plena, quandoquidem judex ille non falletur verbis, nec flectetur donis. Sed jam ſatis nimis longo diſcurſu hoc exaro punctum, & invitus ſcribo rem ſilentio dignam; ſic tantis circuitionibus ad veritatem ambulamus, dum pudenda quandoq; relevare timemus, quæ dictu parum verecunda ſunt, ea nec ſatis honeſtè ſcribi poſſunt, ſcribimus tamen ea & cum pudore, quod multis cognitum, occultare etiamſi vellem tibi præſertim non valeo. Si vera occultanda ſunt, nihil dicere neceſſè eſſet.

Quid

*A.C.*1702 Quid me ſcribere pudeat, quod illos non pudet facere? ſi pudeat audire quod impudenter agunt, non pudeat emendare, quod non libenter audiunt, & hoc non timidè tanquam ad extraneum, ſed fidentiſſimè ſcribo quæcunq; volo, qui quandoq;, & nota ſcire laboras; Mihi qui canit omnia dira, dira domum referat & nato ſuo illa reſervet; Arcana non ſunt, totus quæ novit orbis.

Leſzczynſcio ſuadetur reconciliatio cum Rege Scripſi item D. Leſzczynski Theſaurario Regni, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, & ſingularis eſt humanitas, meumq; Pleſſovium ad eum miſi tanquam ad antiquum amicum, perſuadendo ei omnia pacata, invitando ad confidentiam Regis, cujus ego pro vade me reddebam, explicavi mala quæ imminent, ſic enim mihi contigit, ſemper beare amicos, id eſt terrendo ſalubriter, non adulando fallaciter, & ad iſtud me provocat, qui dicit: Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus, ab hoc revocat qui ait: Popule meus, qui te beatificant, in errorem inducunt, nunquam videri volo, ut aliqui, ad gratiam loqui, nec deligo aſſentandi viam, quæ ſub velamento libertatis deliteſcit, ſed ea ſuadere ſemper eis vellem, quæ inpoſterum prodeſſent; Deducebam ei quod Rex, nec illi inimicus ſit, nec unquam (per me ſaltem) flagitabit ea, quæ nobis ſunt indecora Quo pacto autem reconciliatio confidentiæ cum Rege integrè fieri debeat, id explicare ut conſulentis officium eſt, volui, ut ſcilicet ſi non poteſt Thorunium venire, medium itineris conficiat ex parte hac, ego idem facturus, ut rationes noſtras coràm explicemus, mediaq; ſalvandæ Patriæ, ad quod unicè tenemur, inquiramus. Deduxi clarè, quòd mihi nunquam ſit propoſitum, præſentis gratiæ cauſa, quidquid dicere apud illum, quod non etiam inpoſterum profuturum exiſtimem, & quod ad præſentia negotia nihil cadere queat optatius, quàm ut omnes junctâ operâ, communicatis conſilijs publicum bonum pro meta habeamus, & ea agamus, ad quæ & conſcientia, & propria utilitas non invitat, ſed cogit, ut verò res maximè nudas dijudicet repudiatis verbis omnibus, quæ ſeducere poſſunt, ipſius veritatis, & virtutis ſolùm rationem habendo, palàm ei feci, cùm præſertim perſuadere mihi non poſſim, quidquid alij ſentiant, quòd ſciens, vel volens perdere velit Rempub. & famæ ſuæ ſtudioſum eſſe, nam tantùm quorum vita turpis eſt, ij non honorant hanc Deam, quam immortalem habituri ſunt accuſatricem.

Quæ igitur à me in his primordijs præſtari fuit æquum, ea præſtita ſunt omnia, fiducia enim animi nullis laboribus cedens progredi conſtitui, & vides majores à me res geſtas, quàm pro ſpatio temporis. Petebam ab omnibus ea, quæ etiam non roganti præſtari erat æquum. Dixi & ſcripſi omnibus, & non diſſimulavi, quæ utilia & neceſſaria credidi. Ut enim mihi meum, ſic ſuum cuique judicium in re præſertim momenti tam magni, liberum ſed exactum & diligens eſſe decet.

Item Sapiehas Expedivi etiam ad D. Theſaurarium Litv. meum, V. Colonellum Hammer, ut inſimul hâc occaſione rem exploraret tanquam agendo aliud, & videret ad oculū Regem Sueciæ, mors enim ejus necdum divulgari ceſſat, Sic plebs mirum in modum incertis rumoribus ſervire ſolet. Dedi per illum Domui Sapiehanæ conſilium, quod mihi rectiſſimum videbatur, expoſui ſæpe uſuvenire, ut idem homo in alio erret, in alio rectè ſentiat, & quòd ea ſuadebam, quæ illi cupere deberent, quibus fatale eſt, nunquam in ſecundis rebus ſapere. Ut enim fœcundi agri noxias herbas gignunt; ſic magna ingenia, ut Plato prudenter ait, magnis etiam vitijs aliquando abundant, idq; omnium ætatum hiſto-

rijs

rijs ſic eſt declaratum, ut ineptum fuerit hanc ſententiam exemplis approbare; Ne ergo alia ex alia ſpe ſuſpenſi, & pollicitationibus deliniti, res in extremum diſcrimen adduci patiantur. A.C. 1702

Quanta ex his quæ agunt & Reip. & in privatum Domui eorum immineant pericula oſtendi facilè potuit, nec erat juſtarum rationum inopia. Quis ſcit an pòſt de rebus agendis conſulere liberum erit, ut nunc eſſe poteſt, quis ſcit an res eorum in anguſto ſitæ diuturno, ac ancipiti bello ſemper magis non atterentur, & credant non deeſſe media, quibus omnia aſpera in viam planam reduci poſſent, & hæc non ſunt ſpecioſa tantùm verba, nec factis contraria eſſe manifeſtè per me perſpicient, modò colloquendi mutuò detur copia, & facultas. Deſinant navigare inter ſpem, & metum melioris fortunæ, certa pro incertis non abjiciant, nec enim niſi accepto malo erunt prudentiores, ſi diutius ſpem publicam ad ſpecioſè otioſam anchoram alligabunt pari ſemper illorũ hoc eſt mala fortuna ac noſtro infortunio. Quod ego ſuadeo ratio evincit, DEus jubet, natura ſuadet. Meminerint, quòd umbram pro corpore ſectantur, & cum vera ſperare non poſſunt fumo paſcuntur inani. Ut verò omnia tibi pateant, mitto & literarum & inſtructionum mearum copias cum voto, ut benè valeas, & me conſtanter quod, ego facio ames.

SERMO ANDREÆ C. ZALUSKI EPISCOPI PRINCIPIS VARMIENSIS ET SAMBIENSIS in Gratiarum Actionem pro collato ſibi Sigillo Majori Thorunij 27 Novembris

EGO ne ultra opinionem omnium, ultra ſpem, & ſecurè dicere poſſum, ultra vota mea propria ex diſpoſitione ſupremæ manus in cujus manu cor Regis, ex voluntate Mtis Vræ minimus hominum, magnus hodie fio Cancellarius. Quantumvis ſperâſſem, etiamſi quàm diligentiſſimè quærerem paria ad gratias referendas non invenirem verba, quantò magis tam inſperatum beneficium ſtuporem excitat, & lingvam ligat, Domine neſcio loqui. Perdideram jam Rex Sereniſſime & guſtum etiam ipſum ad ſimilia Miniſteria, quæ integrum, ſanum, & vigoroſum requirunt hominem, & ego continuò per tot annorum decades, & in privato Sereniſſimi Anteceſſoris tui obſequio, & in interrupto tam ab extra, quàm ad intra functionum ordine conquaſſatus poſueram fines meos pacem; omnes aſcenſiones à corde & à mente etiam excluſi. Propoſueram in hac Diœceſi, in qua me benefica Mtis Vræ collocavit dextera pro bona valetudine, felici regimine, fortunatis miſeræ Patriæ ſucceſſibus, quiete, Deum precari, & æternitati laborare. Et ecce ad maxima Regum optime evehis, qui & mediocribus contentus erat. Extrahis ex tenebris in lucem, ex domeſtica commoditate in laborem tam ingentem, tam in iſtis conjuncturſs neceſſarium. Sereno cœlo navem regit ultimus Nauta; collocas in publico candelabro, jubes eſſe cuſtodem legum, immunitatum & libertatum. Curandum ergo mihi, enitendum ut non ſeducam judicium Mtis Vræ & expectationem populorum, ut ſic hæc cuſtodiam, ne quid unquam coram Deo, coram Republica, coram poſteritate excuſandum habeam: in defectu verò verborum quia paria, ut dixi, invenire nequeo, obedientiſſimas aures conſecro & reddo ut audiam viam mandatorum tuorum, ut audiam quid loquetur mihi Dominus: reddo ſimplicia & incapacia labia,

A.C.1702 ut loquar, quod jubet Dominus. Scio enim & in hac fiducia hanc accepto dignitatem, ſuſcipio onus, quód nihil jubebit contrarium juribus, legibus, & Patriis conſuetudinibus. Reddo ad extremum cor, & totum me ipſum, diſpone Domine eò magis fidelitate, ſubmiſſione, obſequio ſervi tui, quò ſum obligatior; faciam verò, & levabo me ſupra me, ut videas me promptum non ad privatum ſolùm Mtis Vræ, ſed & ad publicum, quia hoc eſt apud me indiviſibile Reipubl. obſequium. Agam id, DEus mihi ſit in teſtem, cui modò juravi, & non me pœnitebit, agam id, quod me fides, juramentum debitum, & honeſtas Nobilis, Senatoria, Epiſcopalis, & jam Miniſterio alligata obligabit.

BENEDICTIO SAPIEHA 28 Novembris.

INtermiſi per aliquod tempus ſolitum ſcribendi officium. Quomodo enim ſcribere debui? nunc defero; quòd heri dixit me Rex Magnum Regni Cancellarium. Inſperato mandato dato, ut ab hoc labore me non excuſarem. Factum eſt, ut imperavit. Maximum meum eſſet ſolatium, ſi & publico & privato amicorum prodeſſe valerem cōmodo, quod quidem unicè opto. Vice Colonellus cuſtodum corporis mei ad caſtra veſtra properat, cui in certo negotio inſtantiales denegare non potui, rogo te, ut eum audias, & ſi poſſibile eſt, exaudias, quoniam juſta petit pro æquitate, & ego ſum.

MEMORIALE VICECOLONELLO HAMER.

QUàm citiſſimè ad locum deſtinatum properabit, ubi dum comparuerit, referet, quòd ultra ſpem omnium, & meam quoq; propriam 27 Novemb. contulerit mihi Rex ſigillum magnum Regni. Cùm proinde in hoc miniſterio vellem ita vivere, ne non tantùm per commiſſionem aliquid mali contra expletum juramentum faciam, ſed nec per omiſſionem vel in minima occaſione, quæ poſſet bono publico ſervire; jungo ad id ſincerum deſiderium, ut omnibus bonis amicis ita ſerviam, ut naturali ad obligandum quemvis feror inclinatione.

Hinc eſt, quod in ea exiſtens meditatione venit mihi in mentem modus, & publici Patriæ, & privati Domûs Sapiehanæ obſequij. Propterea non utor extraneis, ſed antiquum ante eorum, nunc meum mitto domeſticum, qui conteſtabitur inveteratum meum affectum. Si eum teſtatus non ſum his immediatè temporibus, quia mihi non licebat per conſcientiam & per debitum communicare cum illis, qui contra Regē & contra Patriam (quia ruina tam ingens Regni evidens dat eorum, quæ dico, documentum) palàm agere.

Compatiebar ſemper afflictionibus Domûs Sapiehanæ, ſed tamen nunquam extrema hæc, quæ ſunt aggreſſi, placere poterant, & ex antiquo affectu optarem, ut hæc quantocius finiantur, quia exoptatum abſolutè non credo ſperari poſſe finem, & nullum inde aliud fieri poteſt lucrum, niſi deſolatio integra Poloniæ, & pro ea terribilis DEo reddenda erit ratio, & omnis contra ſe aſſumenda invidia. Hæc proinde habens in manibus media, ad bonum finem, non gravarer etiam ad aliquem deſtinatum excurrere locum, ubi modò ſecuritatem habeam paſſûs, & felicis negotiationis hujus exitûs. Urgebit proinde dictus Vice-Colonellus quàm celerrimam in hoc puncto declarationem, illud ante omnia rogando, ut hæc conferentia ſit quàm ſecretiſſima. Scio enim

bene

bene, quòd optimas etiam res humana malitia deſtruere & evertere ſolet. In eo quoq; aſſecurando, quòd omnes hi, qui ſe amicos dicunt, veri amici non ſunt; ſi non optant pacificationem eorum, quia tales in turbido ſua promovendo comoda, quæ ſua ſunt, quærunt, in quo documentaliter, ſi libuerit conferre, referam me ad convictionem. *A.C.* 1702

Pro prudentia ſine affectu addet, quomodo tot Palatinatus ſincerè volunt aſſiſtere Regi, & quamvis multi ſint, qui in contrarium fomentant, & ſua magnificant, potior tamen pars hic invenitur; & quoniam omnes accuſant, & contra Saxones clamant, tunc per id ipſum major invidia contra eos, qui aſſiſtunt inimicis, & qui malorum ſunt cauſa; ſi non eſſent Sueci, non eſſent quoq; Saxones.

Referet etiam, quomodo notabiliter augetur exercitus Regis, & quòd ſeriò ſe præparet, ut deleat præteritos dishonores, & errata corrigat, quòd ſcit pro certo magnus ex variis locis veniſſe pecuniarum ſummas, & majores adhuc ſperari. Cæterum omnes adhibeat modos, ut illos terreat, quia etiam veras timor eſſe debet. Quantocius curabit expeditionem, & per ordinatos Coſacos in poſta diſpoſitos ſecundùm informationem ſi conferentiæ huic deferent, & ſi eſt aliqua apparentia ad bonum finem, denunciet, In nullas verò intrabit relationes, breviter quod bene fecerit, quæ fient omnia, aut (DEus avertat, quod ex nihilo nihil) deferet, ſi nihil effecerit Varſaviam properet, & ibi mandatum meum expectet, poſtquam ut ſuperius de ſe ſignificaverit. Interim tam ſecretè agat, ut nec hic, quò it, nec illic, unde venerit, ullus ſciat. Roget etiam Theſaurarium Litvaniæ, ut id quoq; ſecretum ſit coram fratre ejus, quia omnia deſtruerentur. &c.

RAPHAELI LESCZYNSKI MAGNO REGNI THESAURA-rio idem Epiſcopus die eâdem.

ECce inſperatè non curando, nec fortè vovendo dixit me heri Rex ſupremum Cancellarium. Sum plùs quàm certus, quòd mihi vitio id non vertes, quòd obſequium acceptaverim publicum. Incipere autem illud melius non poſſum, niſi à conteſtatione veteris & conſtantis amicitiæ, quæ in corde meo tam altas poſuit radices, ut evelli nunquam ab eo queat. Offero proinde obſequia mea prompta, ad antiquam recurro confidentiam. Referet alia præſentium lator, aurem tantùm liberam, benignum cor illi præbe.

Affectus ille, & amicitia ſtricta, quam à tenera ætate inter nos coluimus, non ſunt extincta in corde meo, & vellem rebus non verbis id teſtari. Teſtari autem meliùs non poſſum, quàm dum ad glorioſum pacificationis publicæ invito opus. Non multis agendum in deducendo, quid nobiſcum agatur, quia manifeſta non eget indicatione. Omnia hæc procedunt tanquam ex fonte & diffidentia inter ſtatus, illa verò in eò conſtituitur, quòd nos ad invicem non intelligimus, quòd minima ſcintilla, dum eam malevolentia excitat, excreſcit in flammam, quam extingvere deberent lacrymæ tam magnæ multitudinis depauperatæ, quæ cœlos penetrant, juſto gemitu. Et quoniam DEus intima cordis in aperto habet, & illud, quod coram hominibus abſcondimus, coram illo occultari non poteſt, vindicabit ſuper illos injurias oppreſſorum, qui vel per commiſſionem ad hæc turbulenta occurrunt, vel per omiſſionem ignem hunc non extingvunt. Non tantùm ex anteceſſoribus tuis, qui ſincerè Rempub. amabant, & propterea etiam Domui

A.C. 1702 tam magnæ usq; in hanc horam benedixit DEus, ſed ex naturali zelo obligaris cogitare ea, & ſeriò agere, ut inclinata tam fortiter ad ruinā Patria eluctari poſſit; & non poteſt aliter, niſi per reſtitutam confidentiam. Proinde ego pro officio Miniſterij opto, & volo, vivit Dominus ſincerè, omnia inire media, ut antiqua in integrum reſtituatur confidentia. Scio profectò, quòd hic omnia oblivisci, quòd ſincerè antiquam reaſſumere confidentiam, publicam reſtituere tranquillitatem, ita parati ſunt, ut quæcunq; ex æquo & juſto requiremus, formabimus omnia, tanquam ex cera, modò ipſi velimus. Si ergo poſſibile eſt, ut flectatur cor tuum, quod ſcio, bene vult Patriæ, cur non deberemus in aliquo loco convenire; conficerem & ego medium itineris, & ita ſecretò, ne id quisquam ſciat; idem à te peto, conferamus nobiſcum de omnibus, nam ſcribere longum eſſet, & præcipuè his particulariter tēporibus cautela eſt neceſſaria. Deſtines ergo locum, & tempus, & ego rejectis in partem omnibus negotijs, ſumpto aliquo alio prætextu excurram, & in DEo ſpem firmam habeo, quòd multa inde provenire poſſunt bona, quòd invenies media faciendæ optimæ diſpoſitionis ad exolvendum debitum Senatorium, quod in eo vel maximè conſiſtit, ut circa bonum publicum non perfunctoriè laboretur, ante omnia verò recommendo ſecretum, quod eſt anima rerum &c.

SERENISS. MARIÆ CASIMIRÆ REGINÆ POLONIÆ
Romæ degenti idem ſub eodem die.

FActum eſt id, quod non tantùm non optavi, & tantò minus ſperavi, die ſcilicet heſternâ non cogitanti, nec concurrenti, non dico, dedit, ſed accipere omninò juſſit Rex Seren: ſupremum Regni ſigillum. Novit Dominus cor meum, cum quanta id actum ſit renitentia; minimus enim angulus privatus majorem mihi præberet ſatisfactionem, quàm hæc dignitas, quæ his peſſimis temporibus eò difficilius adminiſtrari poteſt, quò ego jam ſenior & debilior. Quoniam verò aliter fieri non potuit, exoſculor dexteram Mtis V, maternam ejus implorando benedictionem, & eò fidentiora expecto mandata, quò majorem miniſterium hoc ſubminiſtrat mihi ad obſequia ejus capacitatem, quam dum ex toto corde opto, cum debita gratitudine & reſpectu ſum.

XLV.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM: & SAMB CARDINALI PRIMATI. 4. Decemb.

NOſco imperfectum meum, & propter id flecto genua coram Patre luminum, ut tenuitati meæ monſtret viam, quâ gradiendo poſſim in periculoſo hoc, & tam difficili tempore ita miniſterium adminiſtrare, ne ceſpitem. Sumo audaciam interim, & ad te, cui non fruſtra DEus primum & ſupremum gradum, in Patria noſtra indulſit, confidenter recurro, & demiſſiſſimè ſupplico, quatenus velis authoritate, quam idem DEus dedit, fulcire conatus, & rectiſſimas intentiones meas in ſerviendo ſincero, & diligenti Patriæ huic zelo, extra quam non eſt ſalus. Non tango mala Gentis, quia hæc ſatis, ſuperq; quemvis tetigerunt, aut tangent, novimus morbum noſtrum, & tamen difficiliora ſunt remedia, & ſi in Patre miſericordiarum, quod non peribimus in fi-

in finem, ſpem non haberemus, deſperandum eſſet, ſed non licet. Grata mihi erat ſolitudo Varmienſis, quamvis tamen non ſine ſcrupulo morabar in illâ nunc pro peccato reputarem poſitus, quamvis indignus in candelabro, ſi non cogitarem, quæ officij mei eſſe credo. Inter primas verò cogitationes ſcio, quòd tu Eminentiſſime Princeps ex gradu ſupremo, & incomparabili tua prudentia plùs per unum quadrantem, quàm ego per integrum annum in rem Reipub. excogitare potes. Recurro proinde confidenter, & non ad pompam, ſed ad uſum, calamum moveo, ſine cura verborum invocans miſericordiam ſuper afflictum ſtatum miſeræ hujus Patriæ, projicere lapidem in puteum, minus eſt, ut extrahatur manibus, & conſilio opus. Non eo in diſquiſitionem, quis cauſa fuerit, ſitq; infortunij noſtri, ſed invoco magni Primatis ſanum conſilium, ut eluctari poſſimus, & ad ultimam, quæ certò imminet, non veniamus perditionem. *A. C. 1702*

Confiteor tibi Pater, quod incepto non tam libenter, quàm reverenter hoc miniſterio tetigi pulſum, & volui omninò expiſcari ſenſus Regis, qui me ad hoc publicum ex privato angulo eruderavit obſequiū. Poſſum id ſcribere tam ſincerè quàm verè quòd cupiat pacem, optet internam tranquillitatem, & aſſecuret, quòd non tantùm omnia concedet, ſed & omnia religioſè promiſſa adimplebit, nulla media amovendo, quæ faciant ad noſtram ſecuritatem.

Intellexi etiam, quòd res, quæ ad manutentionem perſonæ ejus & honoris pertinent, ſunt tam in ſecuro, ut in illo tempore, dum eas in peſſimo Statu quis eſſe crederet, ſint futuræ in optimo.

Intellexi in conſilii hujus noſtri ſeſſionibus, quòd poterit benè eſſe Patriæ noſtræ, ſi ipſi voluerimus.

His poſitis, cur ergo Eminentiſſime Princeps non debemus ea agere, quæ ad bonum publicum directè pertinent.

Quantum ad me, proteſtor coram DEO, quod ſicuti poſt acceptā poſſeſſionem hujus oneris, potius, quàm honoris, inſomnes duco noctes, nec requiem mihi dabo, donec immoler, & me conſumam in hoc publico obſequio, aut videam felicitatem noſtram. Noſco delicatiſſimam conſcientiam tuam, noſco verum in publicum zelum; doce ergo Novitium, voca ſervum tuum, impera, indica, quomodo ſit ſalvanda Patria. Si opus eſſet, ut veniam ad te, ecce ego, mitte pro me, ſcribe, & curram. Utinam poſſes non in hoc folio, quod vento rapitur, ſed in corde meo legere ſinceriſſimas in publicum pro Patria, in privatum pro obſequio tuo, cogitationes.

Habuimus notitias ex illis Palatinatibus, qui patiuntur Sueticas extorſiones; audimus hic, & ipſi patimur tam ab externis, quàm noſtris intolerabiles aggravationes, cohortibus. Aures jam dolent, cor ſiccatur ſuper tantos gemitus, & deſolationem innocentis populi. Convenit ergo imò neceſſe eſt ex officio, ne à nobis vindicet DEus ſangvinem, ſuper hæc conſilia capere ſalutifera.

Audivimus hic à Legato Cæſareo, qualem talem optatæ pacis ſpē, offert ſeſe alius Miniſter, & copiis militum & nervo bello hoc aſſiſtere, non intro in ea, ſi hæc acceptanda; ſed vellem videre, aut pacem exoptatam, aut bonum bellum, ne in tanto contemptu ſimus, quia exactionibus noſtris, niſi ſubſañatio. Bellum abſolutè mihi non arridet, quia ex illo nec reſultat utilitas, neque honor, & non niſi ulterior gentis noſtræ deſolatio. Cur ergo arripienda pax, poſt quam finitam non derunt

A.C. 1702 erunt unquam media, & ſunt in manu internæ pacificationis. Quò diutius hoc bellum durat, & expectatio noſtra, eò gravius & fidei, & libertatis periculum. Ceſſabunt devotiones, tacebunt Eccleſiæ, diſpergentur omnes religioſæ & Religioſi quia unde habebunt panes pro victu, dum ex integro ruinabuntur. Conſervemus proinde quoquo demum modo reliquias Iſráël. Expecto confidentiale tuum in hac publica infelicitate conſilium, nec gravabor excurrere illud, ubi feliciter cum Curia conſtitutus fueris, enixè petendo, ut hanc cum omni veneratione expreſſam fiduciam in meliorem partem interpretari velis, quam ſine ullo impulſu ex ipſius tantùm conſcientiæ dictamine ſoli tibi currenti calamo reverenter defero. Quidquid verò à te habebo, nullus hæc leget, habendo non tantùm ſpem, ſed & ſpei fiduciam, quòd pro innato tuo in hanc Patriam, quæ nos alit, affectu, & beneficâ in me gratiâ ſenſum tuum ſublimiſſimum exprimes, quid nos agere expediat? libertati meæ ignoſcendo, quam cum omni cultu & veneratione &c.

XLVI.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. SUPREMUS REGNI CANCELL. SUMMO PONTIFICI.
29 Novemb.

IN ipſo apparatu obtinendæ meis poſtulatis ſupremæ à paterno & vicino Beatitudinis V. Tribunali ſententiæ offertur mihi à Seren: Rege noſtro ſupremi in Regno Cancellarij officium, quod conſideranti calamitatem temporis & rerum, deinde tuendæ Mtis & Religionis circumſtantias, non licuit per bonæ conſcientiæ leges quantumvis invito, & nihil minùs cogitanti deprecari. Suſcepi ergo munus hoc, ut faciliùs poſſem obtinere à Sanctitate V. humillimi poſtulati mei deciſionem. Interim deſudabo fortiſſimè ſecurus paternæ benedictionis, ut in publicis Regni ceris, quas tractabo, non minùs Eccleſiæ; quàm Reip. tranquillitas integritasq; quotidie exprimatur. Quod cùm intimis votis pro viribus meis deſidero, ſimul Natalis, & naſcentis anni feliciſſima auguria indigniſſimis ad quotidianas aras precibus meis pro integerrima & diutiſſima incolumitate, nec non feliciſſimo tam difficili tempore Sanctitatis V. imperio devoveo.

IMPERATORI LEOPOLDO. Idem eodem die.

NON ex meritis meis, voto aut ſpe, multò minùs applicatione mea, ſed bonorum, ut reor, amicorum ſuffragio præcipuè S. Cæſareæ Mtis V. apud Seren: Regem noſtrum legati viri prudentiſſimi æquè ac cautiſſimi interventione favorabili accidit, ut mihi nuper Magni Cancellarij Regni hujus officium deferretur. Nullus ambigo tum ex Statione Varmienſi tum ex præſentis muneris mei obligatione intereſſe, ut S. Cæſareæ Mti profundiſſimam meam teſter venerationem. Cum hac conſtantiſſima voluntatis ſubmiſſione, quòd ita ſim publicas Regni hujus ceras tractaturus, ut in illis omni revolutione temporum non magis Reip. noſtræ, quàm Sacri Romani Imperii Aquilæ, quoties id cum bono Patriæ meæ conveniet, exprimantur. Quod dum integerrimâ fide, & reverentiſſimo cultu S. Cæſareæ Mti polliceor, auguſtiſſimæ purpuræ fimbriam humillimâ iterum iterumque veneratione delibo.

CAPITULO VARMIENSI idem eâdem die.

EX arce quietis altiſſimæ, & deſideratiſſimo ſemper nobis ſacri littore otij, ad quod nos, tum privatæ rationes tum publica Regni procella impulerat, iterum ad Provinciæ curas, & boni publici conſilium importunè quantumvis revocati omne noſtrum ſtudium, cogitationesq; ſingulas impendimus, ut cariſſimæ Diœceſis noſtræ præcipuam in hoc occurſu rerum haberemus rationem. Et præſtitimus equidem in levamen afflicti Gregis noſtri ea omnia, quæ noſtrarũ erant partium, viriumq;, nec non circumſtantiarum præſentium, reliqua tamen in communi omnium Provinciarum calamitate ferenda ſunt nobis pariter, quæ nullos prætereunt. Perinde atq; in univerſali illo totius orbis diluvio, ſinguli minus ſua damna æſtimabant, eò, quòd nemini parceretur, omnibus tunc de vitæ ſuæ cogitantibus emendatione magis, quàm de fortunis aliquando perituris, vel ſucceſſu temporum reparandis. Et vos Fratres mei cariſſimi eâdem cogitatione armari neceſſe eſt, ne fortè impatientiâ noſtrâ majorem iram DEi provocemus. Benè moratus filius non largientem tantùm ſed etiam flagellantem Patris ſui manum ſolet oſculari. Hoc tamen præcipuè cogitandum eſt, quòd peccatis noſtris hoſtes faciamus fortiores, quæ, ſi tempeſtivus dolor imminuerit, & capita ſingulorum intimæ contritionis dolor aſperſerit, omnes feri maris fluctus, qui nos circumtonant, brevi frangentur, vel detumeſcent. Quia verò de publica hic tranquillitate conſulentibus Regni & Provinciarum partibus ultra ſpem & curam quamcunq; noſtram tam arduo nobis tempore magni Cancellarij munus à Seren: Rege D. N. clementiſſimo accepimus, recurrimus impenſiſſimè præſentibus ad ſacra veſtra coram omnipotente DEo ſuffragia, quatenus Regni hujus aquilam eâ felicitate contingat moderari, ut & Religionis decus illibatum, & Mtas ſecura, & populorum triſte gementium intaminata integritas ſub umbra magnarum alarum tandem conquieſcat. Hoc ut efficaciùs conſequi valeamus &c.

PROVINCIALIBUS RELIGIOSORUM Idem die eâdem.

DEUS Opt: Max. in cujus conſpectu nuda & aperta ſunt omnia videt, quòd longè diverſa cogitanti officium magni Cancellarij Regni hujus à Sereniſ: Rege noſtro Indignitati meæ ſit collatum. Probè intelligo imbecillitatem meam, tantò muneri difficillimis præſertim temporibus objectam haud ſuffecturam, niſi ſanctiſſimis Provinciæ veſtræ ſuffragiis fulciatur ad aras. Has dum præſentibus meis impenſiſſimè efflagito, polliceor ſimul, quia non in ſterilem glebam grati mei animi ſuffragiorum veſtrorum ſementem jacietis. Recordabor in eventu rerum felici V. benevolentiæ in me, adnitarq; diligenter ne officij mei quenquam veſtrûm poſſit pœnitere. Quare jam precum pro me veſtrarum aurâ fretus, quantumvis tot aliis laboribus concuſſam promoveo cymbam, in magnarum difficultatum æquor ex altæ quietis littore revocatus. Si tamen ita publica Provinciæ meæ navigatio curſum non obtinuerit deſideratum, veſtram mei coram DEO Maximo oblivionem accuſabo quotidie. Interim teſtor quòd ſim &c.

A.C. 1702

COPIA RESPONSI CARDINALIS PRIMATIS EPISCOPO PRINCIPI VARMIENSI Scriptarum Lovicio 10 Decemb.

Video ex literis tuis diu te quieviſſe. Illæ enim omnes, quas exprimere dignaris ſuper præſentem Polonæ Reipub. Statum reflexiones profundæ meditationis recens ac vividum demonſtrant ingenium, & inde ſolatium mihi, dum continuis laboribus ab exceſſu Sanctæ memoriæ Regis Joannis fatigatus, ætate preſſus miniſterium Reipubl. in perſona tua videns innovatum novam tenebris noſtris in ſigno arietis ominor lucem & felicitatem.

Non notavi adhuc, ut aliquando ceſpitare deberes; quidquid cogitâſti, ſemper effeciſti rara in aliis felicitate, cur ergo tantùm te humilias? quæſitam meritis ſume ſuperbiam.

Regem & adhuc Juvenem ab hæreditario Throno ſuper noſtrum legibus circumſcriptum tranſlatum non arguo, ſed accuſo illos, qui aut per aſſentationem interpretabantur, aut malitioſe Jus libertatis abſcondebant.

Erubui nuper legens nova Mediolano, ubi Rex Hiſpaniæ ordinaverat locationem in civitate Hiſpanicis & Gallicis cohortibus. Obſtitit huic diſpoſitioni ſexaginta Decurionum Magiſtratus, allegando quod hoc directè eſſet contra privilegia civitati indulta ex antiquo, & nunc recenter juramento firmata. Si una civitas pro juribus ſuis loquitur coram Rege hæreditario, quomodo non debet Reſpub. calcata jura ſua, ac libertates exaggerare? Non vacat, nec licet in longum hæc commemorare coram Miniſtro legum cuſtode, ſatis eſt inſinuâſſe.

Jubes me, ut de miſera hac Patria pro gradu meo cogitem, & quis plus de illa cogitavit per totum hocce tempus? quis etiam cum periculo offenſionis plura egit? quis plus in tranquillitate Litvaniæ conſtituenda laboravit? Nonne prædixi ante Olkinenſem adhuc Regi Sereniſſimo, quod deſperatio periculoſiſſimus fieri debebat inimicus; quis removebat Sapiehas ab acceſſu ad Suecos? quis illos Varſaviam venire induxit? quis Varſaviæ retinuit? cùm rupti jam aggeres, cùm Suecus verſus limites Poloniæ appropinquabat, quis diſſuadebat iiſdem Sapiehis hæc extrema continuis miſſionibus, literis? cùm Rex Sueciæ eſſet Varſaviæ, quis magis pacem perſuadebat? promovebat? Invoco teſtimonium Collegæ tui Procancellarii Regni.

Quæ verò recompenſa laborum meorum, curarum, ſolicitudinum, ecce Suetico à malitia quorundam inductus ſum veſtitu, penes quos ſumma conſiliorum, ſicuti etiam præſens Theſaurarius Regni, qui unus & ſolus inſimul mecum laborando meliore dignus erat gratitudine. *Raphael Leſczynski*

Credo, quòd Rex ſincerè optet Pacem, nec ſcio quis illam non optaret; quantum ad me, libenter eam proprio etiam emerem ſangvine, ſed neceſſe eſſet, ut idem Rex deſideret & tranquillitatem internam, pro qua non juſtæ diſpoſitæ menſuræ, nec miror, quòd Thorunij conſilia non procedant, nam initiis malis poſitis difficiliores ſunt greſſus. Malum principium in aliquo ædificio etiamſi optimus Architectus non corriget, niſi illud ex fundamento dejiciat, & de nova radice incipiat. Cur Rex Varſaviâ diſceſſit? Jam conſilium hocce in frequentia decentiori abſolutum fuiſſet, quia ex minori Polonia plures conveniſſent, uti me compellarunt rogando, ut hæc reaſſumptio non Thorunii, ſed Varſaviæ

ſaviæ fieret. Si verò Thorunium ego iviſſem, ad ſciſſionem viam monſtràſſem. *A.C.* 1702

Credo & huic, quòd Rex media habeat tam ad manutenendum perſonã ſuam, quàm honorẽ ſuum & crederem omnem illum fatuum, qui contrarium mente coqueret; expreſſi idipſum in conſilio Varſavienſi, quòd ſcilicet corona capiti Regis irradicetur. Et Theſaurarius Litvaniæ habuit nuper à me ſuper hanc materiam bonam & ſinceram enucleationem. Inde verò gaudeo, quòd mihi ſignificas intellexiſſe te in ſeſſionibus quòd benè fieri poſſit, ſi ipſi voluerimus. Volumus & anathema ſit, qui nollet.

Facite ergo quod creditis neceſſarium, pro bono publico, ego omne, quidquid ex utili & honeſto erit Reipubl. libenter concedam, ut tantùm ſit pax cum ſecuritate, & ſecuritas in pace. Mitto tibi pro informatione conſilii non copiam, ſed ipſum originale, literarum Palatini Siradienſis, quas fortè hac intentione mihi ſcripſit, ut eſſent juris publici, & multorum hic eſt ſenſus, ut comitia indicantur, quia in illis maxima eſt ſpes tranquillitatis Reipublicæ.

Cogito iter Varſaviam, ut cum Comite Zincendorff conferam, ubi de conditionibus pacis informabor, in quibus gradibus hæreat, quia nihil ſcio, nec me Theſaurarius Litvaniæ de illa informavit. Divinare poſſum facilè, quis ſit ille, qui & pecunias, & exercitus nobis offert; quantum ad pecunias has, acceptare malumus, quàm exercitum, quia hæ auxiliares copiæ multùm nobis nocuerunt, parum profuerunt. Et, ſi hoc verum eſt, uti Leopoli ſcribitur, & ex interceptis literis probatur, quòd Coſatici motus ex mandato hujus ſint amici, fugere ſatiùs ab hac confidentia conveniret &c.

RAPHAELI LESZCZYNSKI MAGNO THESAURARIO REGNI, EPISCOPUS VARMIENSIS, REGNI CANCELLARIUS Thorunio 16 Decembris.

Legi, & interpretatus ſum de verbo ad verbum literas Majeſtati Suæ, voluiſſem te præſentem habere, cum quanta exaggeratione teneritudinis audivit, & locutus eſt. Porrò unum neceſſarium eſſet, ut nos intelligamus & id optarem; vivit Dominus propter bonum Patriæ, præveniendo ultimam ruinam, quæ imminet, ſi diutiùs bellum duraverit. Per DEum proinde crucifixum ſupplico, & miſericordiam invoco, & cuilibet ſupplicabo; amemus Patriam, extra quam non eſt ſalus. Si fecerimus, de quo omnis & mea & cujuſvis deberet eſſe primogenita cogitatio, pacem faciemus, omnia corrigemus, eluctabimur, & ſpem in DEO habeo non dubiam, felices nos fore. Si bellum ardebit, ad quod omnes video apparentias, peribimus ſinè remedio. Neglecto proinde Ægidio, qui jam mortuus eſt, nec reſurget, de quo informas, quandoquidem DEus juſtus nullam actionem finit eſſe impunitam, accedamus ad publicam ex obligatione & conſcientia univerſi conſervationem, ne olim dicatur, quòd his conſulibus, his Miniſtris tam pulchra periit Patria; vellem corde non calamo ſcribere, quia ſcio cui ſcribo, & ex domo tam magna, & ex inclinatione naturali in Patriam facilè convenies, & moveberis mecum, ut non perfunctoriè cogitemus de Patria, ne DEus nos judicet ſaltem de omiſſione. Ego jam vix vivo, & utinam priùs mortuus fuiſſem, quàm viderem, ſi ſub tempus Miniſterii mei perire deberet Reſpublica, & video, video, tertioq; repeto,

video

*A.C.*1702 video; peribit & brevi, ſi non inviverimus ſincerè rationes ſalvandæ. Si eſſem præſens, flecterem genua coram te, & non dimitterem, donec benedixeris, donec tu ipſe ex antecedentibus quia in eo novum me agnoſco hominem, propines media, quò nos vertere debeamus.

Non poſſum celare; tibi enim ſum ex integro addictus, totus quantus tuus, quòd Rex ingentem habeat dolorem ex certis relationibus, quòd honori ejus in ſermonibus & diſcurſibus tuis non parcas, qui te tenerrimè ſemper dilexit, & non tantùm diligere, ſed & amare in futurum cupit, modò ipſe velis. Velle autem cordialiſſime frater debes, etiamſi aliam non haberes rationem, propter DEum, qui nobis eum præfecit, & voluntatem ſuam, ut eum amaremus, patefecit. Hoc in omni confidentia curſim, nec literæ hujus mittetur copia; originaliter enim à tanto tempore ſum, & ero conſtanter tuus.

COPIA LITERARŨ HIERONYMI LUBOMIRSKI CASTELLani Cracovienſis exercituum Ducis ad Senatores & Conſiliarios Varſaviæ congregatos 13 Novemb.

Reitero, quæ jam ſcripſi, & in partem curarum non poſtremæ reflexionis præſento materiam, utq; in conſilio veſtro agitari queat, juſtum eſſe credo. Comes Piper per expreſſum compellat me denuntiando exacerbatam mentem Regis Sueciæ contra perſonam meam, & inde fortunæ, bonisq; meis in proximo exiſtentibus evidens intimat periculum, uti jam non vanum metum habere incipio ex recepta hodie notitia, quòd cum aliquot millibus Suecorum Generalis Steinbock jam eſt in vicino. Hujus verò offenſæ, & contra me vindictæ non alia cauſa, niſi hæc, quòd pro munere meo frequentioribus expeditionibus illorum retinebam excurſiones, & graves portionum Sueticarum exactiones. Mitto pro informatione copiam literæ prædicti Comitis Piper, & reſponſi, quod dedi. Eſt materia etiam deliberatione digna, cùm ad me requiſitio venit, ut extradam Suecos in detentione apud me exiſtentes. Ex una parte conſervatio bonorum meorum, ſine quibus non eſſem capax obſequij publici, ex alia ſine expreſſa voluntate Reip. miniſterii mei ratio non permittit quidquam agere, & proinde inter incudem & malleum poſitus ad vos recurro, & quid hoc in caſu agere debeam, reſolutionem inquiro; Non obliviſcor etiã negotium hoc Ukrainæ, ubi rebellio Coſatica indies augetur, Niemirovienſe fortalitium acceptum ab illis, & omne præſidium deletum. Ex reſponſo Zamuſſij Coſaci, & alijs relationibus, quæ communico, parva vel nulla ex illa parte pacificationis ſpes; Quia verò in dicto reſponſo Samus exprimit rationes, unde hæc rebellio originem trahat, quòd ſcilicet ex occaſione nonnullorum poſſeſſorum in illis partibus hæc rebellio incepit per conſtituta nova genera contributionum, & onerum ſuper Coſacos. Optarem pro ſenſu meo deſtinandos Commiſſarios, qui Coſaticas videant prætenſiones, & media inveniant ſatisfactionis læſorum horum ruſticorum. Ego pro capacitate virium Reip. non deſum, & in illa parte jam ordinavi certum peditatum, ad Baar, Polonne, & *Adamus Sieniawski.* Labul. Sequentur brevi & Polonicæ cohortes; Palatinus Belzenſis collega meus optavit ſibi hanc Provinciam, & gloriam, & jam in illam partem his diebus greſſum movet. De exercitu verò denuntio, quòd diutiùs eum in campo detinere non potui; quia ſex menſibus continuò in campo erat, & Proviſiones, quas habuit, exinanivit, & equi ob defectum

fectum annonæ in magna parte ruinati, & authumnalis tempeſtatis inſtabat metus. Et hæc etiam juvit ratio, quòd imminebat exſpiratio Quartualis, à quo multi tædio diutiorum incommoditatum Caſtrenſiũ veniam & licentiam petiiſſent; ſicuti jam multi abire cœperant, cui obviando accedere debui ad diſpoſitionem locorum ad quietem deſtinatorum locando cohortes in tribus lineis, ut eò citiùs ad illos, quibus regimen commiſſum eſt, in caſu neceſſitatis convenire poſſint. Commiſſionem pro commodiori hyemis locatione vellem indicere, ſed primo conſiderare teneor greſſus exercitûs Suetici, & ulterioris eorum intentionis &c. *A.C.* 1702

MARTINO ZALUSKI EPISCOPO ROSMENSI SUFFRAGANEO ET PRÆPOSITO PLOCENSI, DUCI SIELUNENSI FRATRI SUO 30 Novembris.

Accepi tuas, & morem gero petitioni, mittoque quæ habeo. Ex Ukraina vani, nec ſibi conſtantes indies veniunt rumores; priorẽ enim affirmatum, ſuccedens negat, boni tamen nihil inde, rebellione invaleſcente, ſperandum eſt. Paleij Privignus ſupra Tyram ad 20 Civitates, præter pagos, dominatum extendit, ruſtici inſtinctu ejus ſuperintendentibus Judæis interfectis, illum Dominum fecerunt decimarum. Scriptum non ita pridem Mazepam Ducem Poſt-Boryſthenenſem ex utraque Tyræ parte, in portis locâſſe cuſtodias, ad intercipiendum Coſacis ad rebelles venientibus paſſum. Nunc ſcribitur, legionem unam flumen trajeciſſe ſucceſſuraſque alias intentione oppugnandæ arcis Bialocerkiew, quod minimè auſim affirmare. Noſtri impares numero, & viribus aggredi nihil audent. In ipſo abitu poſtæ nuntiatur Miedzybozio de data 21. præſentis, à Coſacis Niemieroviam eſſe occupatam, qui in civitatem præſidio deſtitutam irruentes, arcem vi occupârunt, gubernatore viro inſigni, cum duobus Sacerdotibus, interfecto. Pedites Præſidiarios, plebis magnam copiam, & Judæos ad internecionem delêrunt, creſcit eorum numerus, ruſticis ad rebellionem concitatis. Cracoviâ verò nunciatur, quòd Sueci non in toto, ſed in aliqua parte hyematuri ſunt in arce Niepolonenſi, ubi jam commoditates contra rigorem hyemis præparantur. Generaliſſimo Exercituum in Pomerania demorantium in aſſiſtentia 200 Equitum, totidemq; Peditum, & Officialium, in majore numero; Proſzevicios tranſeunte, quidam Officialium dixit Nominatum Generaliſſimum hinc iturum ad providendam ſecuritatem, terris Pomeraniæ adjacentibus, venturumq; primo vere majorem ex Suecia Exercitum, & niſi ante hyemem concludatur tractatus pacis, majores verno tempore turbines timendos eſſe. Exercitus Suetici ex Pomerania tendunt in Majoricam, ad obviandum Saxonibus, & diſpergendam Majoris Poloniæ confœderationem, quæ ut in ſciſſione cœpit, ſic ſub contentionibus, fors, quo volebat, non pertinget; aulâ circa id ſeriò laborante. Hinc timendum eſt, ne Generalis Majoris Poloniæ, cujus funditùs bona vaſtârunt Saxones, deſperata, exemplo Sapieharum, media arripiat. Ad Plocenſem Diœceſim ſex vexilla Saxonum pro hybernali conſiſtentia ſunt ordinata. Exercitus quoq; Polonus jam ſuis conſiſtit in ſtativis, quem Dux Caſtellanus Cracovienſis pro aliquali reſpirio dimittere debuit, ita tamen, ut in quemcunq; ingruentis expeditionis caſum in promptu eſſe, facileq; congregari

Acta in Ukraina

Collocatio militis

A.C. 1702 gari poſſit, ſive contra Suecum, ſive contra Coſacos rebelliſantes, ideòque unâ duntaxat lineâ à Ducatu Zatorienſi, uſq; ſub Leopolim locatus eſt. Rex Sueciæ 15 milliaribus Cracoviâ ſubſiſtit, tardioris motûs adverſus hoſtem, has rationes Ablegato Palatini Maſoviæ innuit, quòd ſcilicet expectet, tum adventum & conjunctionem Generalis Maidel, tum eventum magni conſilii, cujus concluſione, ulteriores ſuos vult metiri greſſus. Pacis media non reſpuit, modò pax ſit ſtabilis, & ſecura. Comes tamen Piper nec cogitandum de pace dixit, quamdiu hærebunt Saxones in viſceribus Reipubl. mediationem quoq; admittit Rex Sueciæ Reipub. modò conſilia ejus remota ſint à ſuggeſtione Regis. Comes Piper in quodam diſcurſu aſſeruit Regem Poloniæ neminem ex exteris Principibus accerſere poſſe in conjunctionem armorum, non Regem Daniæ, ab hoc enim ſpes nulla, non Brandeburgicum, cui, cùm de Regali titulo agatur, ad hunc illi à Repub. dandum circa tractatum Rex Sueciæ poterit eſſe auxilio, nonniſi ergo à Czaro Moſchoviæ ſperandum ſubſidium, ſed hunc Sueci dicunt non eſſe formidini Regi Sueciæ, cum quo jam pridem bella geſſerit. Adnecto etiam conſilij Leopolienſis reſolutionem.

COPIA LITERARŨ HIERONYMI LUBOMIRSKI CASTELlani Cracovienſis Exercituum Ducis ad Senatores & Conſiliarios Thorunij congregatos 17 Novemb.

CUM ex præterito Varſavienſi conſilio ad porrectas à me reflexiones in trutinam magnorum ſenſuum veſtrorum, nullam habuerim reſolutionem, compareo & in hoc reaſſumpto congreſſu cũ profundiſſimo cultu debitæ cuivis ex vobis ſigillatim venerationis, & inſimul opto, ut publicum hoc conſilium totius Reipub. faciem repræſentans Populorum ſatisfaciat votis. Tam magnæ infelicitatis cauſas non examino, quia hæc magnitudine ſuâ vivum cuivis impreſſit dolorem, & publicam ſui notitiam. Unde efficaciſſima arripienda media ad ſublevandam Gentem noſtram ex tam miſerabili ſtatu. Præſentes occurrentias in conſeſſu veſtro pro objecto conſiliorum repræſento, quòd ſupra omnes malitia Suetica fortunam meam opprimere, in eamq; ſævire intendat. Generalis Steinbock cum exercitu quinq; millium hominum collocavit ſe in bonis meis, & extortâ jam in potiori parte pecuniariâ contributione, & victualibus urgentiſſimè per literas ſuas à me requirit, ut omnes captivos Sueticos cum perfecto ut erant, ſtatu, & cũ illis 10 millia talerorum per exercitum noſtrum ſub Petricovia accepta in toto reſtituam, declarando, quòd in caſu contraventionis igne & gladio, omnia vaſtabit. Ratio verò hujus in perſona mea inſultûs non eſt alia, niſi quòd hoc anno ſub directione mea Exercitus Polonicus pro capacitate virium ſuarum non otiando frequentiùs Sueticum aggrediebatur. Uti proinde ſine conſenſu Reip. nondum ex integro operationes belli inceperam, ita in reſtituendis dictis captivis ad conſenſum ejuſdem me refero; Voſq; cum ferventiſſimis convenio precibus, ut ex præſenti conſilio plenam poſſim habere reſolutionem. Aliàs totius fortunæ meæ non ex vano timeo jacturam, & nunquam compenſabilem vereor ruinam. Et in eo quæro in pectoribus veſtris compaſſionem, & quàm celerrimum per publicum inſtrumentum ex conſilio præſenti requiro ſuffragium.

Jam hic totum Palatinatũ Ruſſiæ eadem Suetica tetigit exactio; jam Leopolim, Præmisliam, Sanocum, Jaroslaviam & Samboriam miſſæ

ſæ aſſignationes ad exſolvendas pro libitu impoſitas contributiones hoſtilem etiam minando executionem; potentiæ verò huic non eſt poſſibilitas reſiſtendi præcipuè in tanta penuria exercitûs in magna parte diminuti, qui poſt ſex menſium labores campeſtres jam ad talem qualē receſſit quietē, & brevi pro expeditione in Ukrainā congregari debebit. Auctio ejusdē exercitûs cum ſit in aliquib9 Palatinatib9, præcipuè majoris Polon. dilata magna inde remora ad augendas majores vires, ſine quibus rueret intentio noſtra ſuccurrendi Patriæ. Et per id crederē ad meliorē formā reduci poſſe exercitū, ſi celerem & realem in deſervita mercede ſaltē in parte providere poſſent ſatisfactionē; præcipuè in his Quartualibus à Majo hujus anni incipiendo; Aliter enim peditatum pro tam neceſſaria expeditione nullatenus habere poterimus. Quod ut præſens veſter Congreſſus efficaciter promoveat, magnum in eo publicum intereſſe ſufficienti motivo eſſe debet, & quoniam peditatui, antequam ſubſequatur exſolutio deſervitæ mercedis laudum Sandomirienſe deſtinavit ex Theſauro Regni 70 millia flor. & Theſaurus ſatisfactionem titulo impoſſibilitatis denegat; quærenda ſunt alia media, pro quibus recurro ad vos, ut hic ſuppleatur defectus, quia absq; hoc celeri ſubſidio multi Officiales in obſequio hoc absq; ſolutione nullatenus ſubſiſtere poterunt, nec ſuas cohortes retinere. Ad eundem reſpectum pertinet & Artilleria Regni in declaratis ibidem 30 millibus flor. ſine quibus & fortalitia conſervare, & præſentem in Ukrainam expeditionem quomodo poterit incipere? Scribo vobis ſcientibus, quòd antea in ſimilibus infelicitatibus Patriæ pro ſimili neceſſitate inveniebat tamen Respub. in Civitatibus Pruſſiæ in fidem publicam aliquas Summas; poſſet & nunc idem ſervire medium, vel aliud perfecta veſtra inveniat dexteritas. Inter principalia quoq; puncta pono conſervationem exercitûs per hyemem, & interim anxia me exercet ſolicitudo, ut Exercitus Saxonicus acceptâ in partem ſuam Provinciâ Pruſſiæ non retrahat tantā portionem exercitui noſtro per hyemem cedere ſolitam. In quo ut ad æquanimitatē ſuæ Mtis recurrat præſens conſilium, ex ſtatione mea, & ex voto totius exercitûs humillimè precor; Vellem ut eo nomine expediti ab Exercitu legati exoptatam declarationem reportent pro imminenti in Decembri Commiſſione. Motus Coſatici indies augentur, cùm poſt diſperſam partem unam exercitûs noſtri ſub regimine Gubernatoris Chmielnicenſis omnia planè fortalitia Ukrainæ, Civitates, & villas, ad eundem confluunt rebellionem, & jam in Podoliam & Volhyniam appropinquant. Obviando proinde inſolentiæ huic Coſaticæ parat ſe contra eandem Palatinus Belzenſis collega meus cum majori parte exercitûs, quem ſine proviſione efficaci in deſervita mercede & pane hybernali difficilè erit in bono ordine ad reſiſtendum hoſtibus expedire. Ut ergo præſens conſilium veſtrum proſpiciat ſecuritati exſolutionis debitorum exercitui, obteſtor publico zelo providentiam veſtram. Et quoniam in hòc caſu non eſt in nobis ſalus, propter magnā hic & nunc indigentiam impoſſibile mihi videtur, ut ſine externo agere poſſimus auxilio. Crederem ergo ex ſenſu meo, ut contra hos Ukrainæ rebelles inducamus Tartaros, & ut ex hoc præſenti conſilio expediatur cum Donarijs legatio ad Hanum Tartarorum, ut cum prima glacie aliquem notabilem ſuorum expediat numerum; libens id in præſenti acceptabit conjunctura, & malitia Coſatica coerceretur. Quod conſummatiſſimis veſtris propono ſenſibus, & opperior executionem voluntatis, & beneplaciti veſtri &c.

A.C. 1702

Adam9 Sieniawski

COPIA

A.C. 1702 COPIA RESPONSI AD SUPERIORES LITERAS NOMINE CONSILII Thorunij 10 Decembris.

DUas literas eodem tempore tuas recepimus. In utriſq; eadem expreſſa contenta tam particularium tuarum afflictionum, quàm infeliciũ in publicũ conjecturarũ. Non mirari ſed ſtupere quivis debet, ſuper publicam hanc Patriæ charæ Matris infelicitatem, ruinam, & evidentem perditionem, dum decus & fama Polona cadit, planè & marceſcit. Alia poſt aliam it ſub haſtam contributionum Provincia, & jam te ipſum eadem tangit hoſtilitas, probroſas imponendo conditiones pectori tuo magnanimo, cujus nota toti orbi fortitudo & generoſitas. Indolemus proinde ſenſibiliter ſuper afflictionem tuam, à cujus Regente vires Reipublicæ dextera ipſimet ſperabamus auxilia, defenſionem illarum partium, & reſiſtentiæ graſſanti inſtar torrentis Sueticæ potentiæ. Et quoniam in tam gravi caſu ad noſtrum recurris conſilium præſens, & ſine expreſſa ejus determinatione, nihil in negotio extradendorum vel non captivorum Sueticorum vis reſoluere, & in publicis privatisque habuimus notitiis, quòd jam id ſit factum; in quo noſtrum requiris ſenſum.

Accedimus ad inceptos Coſaticos motus, qui ex parvis initiis cur in tantam excreverint molem non tantùm concipere non valemus, ſed planè attoniti hæremus, ſine quo ſtabunt mala? Ut verò aut per Commiſſionem hæc rebellium colluvies ſopiri, aut vocatis Tartarorum auxiliis coerceri poſſit, utrumque non probatur præſenti conſilio. Non ignoras quo fine terminatæ fuerunt Coſaticæ antecedentes Commiſſiones, quâ audaciâ ſuperbiam ruſticanam impleverint, ut etiam cùm Statu Nobilitatis per Hadziacenſem Commiſſionem coæquari voluerit. Tartaros in Poloniam inducere, nonne eſſet hoc impingere contra ultimos cum Porta Ottomanica tractatus. Monſtremus tantummodo illis iter in Poloniam, ibit hoc in exemplum & nunquam ſatis dolendas trahet poſt ſe conſequentias. Poſſumus adhuc cum gratia omnipotentis propriis ſubſiſtere viribus, & optimè facis, quòd ad extingvendum illum ignem certam partem exercitûs ſub Regimine Palatini Belzenſis campeſtris exercituum Ducis deſtinaveris, ad quam, ſi acceſſiſſent hæ cohortes, quæ in majorem Poloniam ſunt miſſæ, fortior fuiſſet itura hæc in Vkrainã manus. Jam & hic habere potuiſti notitiã tam ex reſponſo Legatis exercitûs dato, quàm ex literis à ſua Mte tibi ſcriptis, quòd Rex Sereniſſimus ex bonitate ſua, & ſingulari in exercitum Reipubl. reſpectu panem hybernalem ex peculio & ærario ſuo privato exſolvere declaraverit, qui deberetur ex ijs locis, quæ auxiliares copiæ occupârunt. Quare ferventiſſimè à te requirimus, ut dictas cohortes indilatè revocare, & ad ſiſtendos progreſſus rebellium Coſacorum applicare velis. Deſtinata ex Theſauro Reipubl. per laudum Sendomirienſe pro exſolvendis ſeptimanatim peditatui ſtipendiis, & pro neceſſitatibus Artilleriæ Regni pecunia in eodem Theſauro requiri debet, & nihil ſupereſt, niſi executio ſanciti publici. Hic magna pars Palatinatuum ordinatam & juſtam expeditionem laudavit, & conſtituit, & quoniam præſens magnum conſilium nondum eſt finitum, & adhuc in determinio ſui vertitur, ulteriores ejus progreſſus & effectus, poſt felicem, utinam, concluſionem tibi patebunt. Nunc verò ultimas jungimus preces, ut ex naturali tua heroica virtute, fidelitate in Reges, zelo pro conſervanda Reipublicæ integritate, quæ te in ſinu ſuo & gremio fovit, & educavit,

viſ, in defenſionem publicam, & reinductionem gloriæ Polonæ langventes omnes vires impendere velis. Cedet hoc in ſortem immortalis memoriæ nominis tui, recognoſcet ſuo tempore grata Patria omnes hos ſumptus, labores, ſolicitudines, & bonorum ruinas. Rependet liberalis Regis munificentia, & nos erimus ſemper &c. *A.C.1702*

COPIA LITERARŨ HIERONYMI LUBOMIRSKI CASTELlani Cracovienſis ad Epiſcopum Principem Varmienſem ſupremum Regni Cancellarium 13 Decemb.

AD primam famam collati tibi ſigilli magni ultro volebam ire in applauſum, & conteſtationem ſolatij mei, ſed me prævenit gratia tua, & honor, quem in literis tuis accipio; ergo etiamſi præpoſterè gratulor inprimis Reip. eam ſortem, quòd in tam periculoſo ſuo caſu Aquila Polona in manibus tuis ſub favore ampliſſimæ capacitatis aliquatenus quieſcat. Gratulor etiam & officio, miniſterioq; meo, quòd, dum nunc difficillima Jurium Patriorum impendet mihi defenſio, curæ & ſolicitudini tuæ cuſtodia legum reddita eſt. Invoco cum officio meo confidentiam dictæ prærogativæ tuæ, & à primis auſpiciis miniſterij tui commodis Reip. quæro, & conquiro ſubſidia.

Motuum Ukrainæ pacificatio ſit primum objectum activitatis; Jam hoc documentaliter certum eſt ex relationibus, quòd hic Coſacorum auſus, principium & progreſſus eſt ex fiducia in protectione Moſchovitica, ſicuti idipſum fatentur, quòd obſidio Bialocierkievienſis ex expreſſa fuit voluntate Maſeppæ Ducis Zadneprenſis, & jam hoc fortalitium cum magno damno Reipub. cedere illis debuit. Et hoc magnam movet ſuſpicionem, & dictam confirmat opinionem, cum ultra 20000 Coſacorum videntur in hac parte Boryſthenis ſub Kijovia, Magnum eſt & ipſius Seren: Regis intereſſe, ut ſerio expoſtulet cum Czaro Moſchoviæ, cur rebellio hæc nomen & authoritatem illius in ſe ſumit. Precor te, ut pro tua ingenti prudentia velis hoc Mti ſuæ repræſentare, & damnoſas inferre conſequentias.

Generalis Steinbock non tantùm jam bona mea Reſzovienſia gravi manu tenet, ſed & toti Palatinatui Ruſſiæ jugum imponere par[illegible] In literis ſuis Palatino Ruſſiæ ſcriptis expreſſit, quòd in quantum tot[illegible] hic Palatinatus in ſpatio octo dierum ab octava præſentis numerando ad Regem Sueciæ non accedet, omnes incolas ejus Palatinatûs pro hoſtibus declarabit, & propterea nunc id ago, curoq; ne civitas Leopolienſis cedat prima præda furenti, modò non præveniat conatus meos promptitudo Vicinorum Suecorum; Ut ut eſt, ego in partem aliquam cedere obligarer &c.

RESPONSUM EPISCOPI VARMIENSIS CASTELL. CRACOvienſi Exercituum Duci 27 Decemb. Thoruniô.

ACcepi literas tuas 13 Dec. Leopoli exaratas, in quibus veteris affectûs, & confidentiæ lego documenta. Tam grave hoc, nec optatum miniſterium levius mihi videretur, ſi ad obſequium tuum efficaciter ſervire poſſet. Non deerit promptitudo mea & ſeria applicatio, modò ſciam in quo, & quomodo ſervire debeam. Et hoc eſt inter prima ſolamen meum, quòd eo tempore, dum tu probata tot publicis & authenticis documentis manu Rempub. tueberis, ego congrua ſaltem, ſi non condigna parabo publica encomia, & privatim Regi D. meo,

A.C. 1702 meo, quamvis magna merita non egent, deferam recomendationem.

Confidentia mea, quam habui ſemper tecum, & illâ gloriabar coram Gentibus, nullo modo diminuetur, quinimò indies augebitur, quia ita optarem affectui tuo intrinſecari, ut ſit unum velle & nolle. Noſco integerrimas ſemper pro bono publico intentiones tuas. Agamus ergo uterq; nomine DEi invocato, hoc quod debemus. Ego agam ſincerè, & diligenter circa ea, quæ pacis ſunt, & tu facies illam bonam, cùm pro ſolito in publicum zelo nullam intermittes occaſionem benè gerendæ rei. Quomodo enim pax poteſt eſſe bona? ſi contemptui habebimur. Non tractabitur nobiſcum, ſed imponetur talis qualis placebit pax. Scio ergo, quòd conſtrictum undiq;, & publicâ calamitate, & privatis notabilis ſubſtantiæ diſpendiis animum tuum difficilius eſt movere non ideo, quod non ſit, ut eſſe ſolet, promptus, ſed quia debiles protunc vires publicæ coarctant. Superare nihilominus omnia debet ille amor in Patriam, qui alibi accidentalis, tibi eſt naturalis. Non deerunt ut ego (nec fallor) credo, & vires ad reſiſtendum, & media ad perſuadendum his, quorum vel maximè intereſt, ut quantocius Reſp. tranquilla reddatur, quia quò magis in ſylvam intramus, eò plura inveniuntur ligna. Non promittant ſibi hoc, quod facilè credebant, quia eſt impracticabile. Si agitur de ſecuritate, hæc non erit major intra unum vel duos annos, ſicut eſt hodie, quæ vili judicio meo eſt bona, & fidendum illi; Miſi ego jam inſinuando aliqua, & optarem, ut tu quoq; ſeriò perſuadeas pacatiora, ſi ſenſus eſt futurorum.

De motibus Ukrainæ à prima hora Miniſterij mei cogitavi, cogitoq;, ut quamprimùm comprimi poſſint. Jurat Ablegatus Moſchoviæ hic præſens, homo aliàs ſuper naturam antiquam Gentis honeſtus, ex antiqua illa Dolorukiorum familia, quòd Czar Moſchoviæ hæc neſciat, quinimò audivi hominem, qui ad illum nuper fuit expeditus, quòd dum Czar Moſchoviæ de his motibus audivit, dum de progreſſu Samuſij relationem habuit, ad ſuos præſentes dixit Cancellarios: Quàm infelix Polonia! quòd quivis illam aggrediatur, quia de iſto Samuſio nemo unquam audivit, & ille nunc tanta audet.

Expedivit Rex expreſſum ad Czarum Moſchoviæ Curſorem, cum literis, quarum tibi copiam adjungo. Scribit iterum idem Ablegatus ad Ducem Maſeppa; Originales tibi ex mente ſuæ Mtis mitto, ut cum iis aliquem expedias, & datam mihi copiam in documentum, quòd Czar Moſchoviæ id neſciat, adnecto. Sperandum ergo, quòd hi motus compeſcentur eò magis, quòd Palatinus Belzenſis digniſſimus collega tuus jam eò moverit.

Dąbski. Mareſchalcus minoris officium ceſſit nepoti Coronatoris.

Ego libenter quàm frequentiſſimè correſponderem, ſed apparet literas meas ire, quò non mittuntur, quandoquidem ad tantas nihil à te reſponſi. Et hic eſt fructus belli, quòd ſtrictiſſimæ amicitiæ, disjungantur, nihil tamen me ſeparare poteſt & ab affectu, qui eſt imutabilis. & à deſiderio, quod eſt ferventiſſimum, ut non intra verba teſter, quòd ſim &c.

CARDINALI PRIMATI ANDREAS C EPISCOPUS PRINCEPS VARMIENSIS SUPREMUS REGNI CANCELLARIUS 16 Decembris.

NON habui tempus commodum reſpondendi benigniſſimis tuis de data 10 Decembris, quia vix tria verba curſim cum omni poſſibili

bili veneratione potui exarare, & quamvis hæ literæ ſint, reſponſum meis confidenter, tanquam ad Primatem ſcriptis, replicandum tamen reverenter iterum cenſeo.

Nihil dico, quòd poſt quietem in illis paſcuis, ubi uſq; dum nunc ſuaviſſimi regiminis tui dulcis recordatio, recens ac vividum meum apparere videtur ingenium, nihil dico, quòd quæſitam meritis debeam ſumere ſuperbiam, quia hoc pro benigno ioco reputo, qui me confundit inſimul & animat.

Fateor & eo in ſenſum tuum, quòd Rex ſit juvenis, & propterea ſi vividum gloriæ deſiderium in hac ætate longius ire juſſit, quia de aliis intentionibus fortè nec ſuſpicari licet, dandum aliquid ætati, quòd ſibi perſuaderi permiſerit id, quod cum gloria nominis ſui, & utilitate aliqua hujus Regni, propter quod & hæreditarium reliquit Thronum, qui illum fortè removiſſet ab æſtu amaritudinum, in quibus continuè uſq; ad nauſeam.

Nova Mediolanenſia excitare in nobis deberent zelum, ſi ibi opponendo leges & privilegia non monſtrarentur ſtatim alia loca pro victu auxiliarium copiarum, & mediorum ad manutenendum hunc Regem, quem acceptàrunt. Credas mihi Princeps, veritatem enim ſcribo, quod hæ oppreſſiones & aggravationes ſi nos premunt & affligunt, penetrant certò ſincerè & vividè cor Regis, & ſi ultima hæc non ſtringeret neceſſitas, nec ille eſſet gravis. Hodie dies eſt tertius, exponebã hæc pro officio Mti Suæ, & non ſine ingenti dolore hoc habui reſponſum: Cogita per amorem Dei media pacis, & nec unum hominem in Polonia habebo. Gratúmne poteſt eſſe Regi ex natura ad benefaciendũ inclinato continuas audire querelas, quæ vix jam cerebrum è ſuo non moverunt loco. Utinam non ſupervixiſſem iſti Miniſterio! utinam nunquam cuſtos legum fuiſſem declaratus! quæ inter arma ſilent.

Si libertatem ſumpſi ſupplicandi tibi, ut de hac miſera cogites Patria, & conſulas, feci hoc ex his ſuppoſitis, quæ in literis tuis, & glorioſiſſimè anteactis exprimis. Scio ego bene omnia illa, quæ pro Patria feciſti, novi, quid valeant humeri, quid agere poſſis, & propterea pulſo, pulſareq; non ceſſabo ad hoc cor, quod, quia eſt primum hujus Regni mobile, & poterit, & ſciet agere plurima, facere optima. Plura ego ſcio, & plura à me ſciet poſteritas, quàm tu inſinuas ex conſcientia rectè factorum. DEus magna erit merces, tam tibi, quàm Theſaurario Regni digno ſocio Primatialium curarum. Si verò inimica ſemper magnis meritis & conatibus fama aliter interpretatur, aliter veſtit, quia DEus reliquit tibi mercedem, & magis durabilem, magiſq; perfectam.

Quòd Rex Thorunium diſtulerit conſilia, non fecit id ſine conſilio, cui deferre ſolet, quamvis illa non ſemper ſatisfaciunt. Sed Princeps Eminentiſſime jam hoc eſt factum, infectum fieri nequit, remis utendum, dum deficit aura. Abivit Rex Varſaviâ, ſed cœlum tantùm non animum mutavit. Eò major te manet, & coram DEO, & coram hominibus laus & gloria, quòd etiam in diſtans ages, quòd etiam in abſentia Regis ad hanc ſincerè contribues pacem, quæ à preſſura paupertatem & miſeriam omnium liberabit.

Domini Palatini Siradienſis meditationes ſunt pulcherrimæ, ſed cum venia ſit dictum. Multa dicunt. Vult Comitia, & quis illa ſigillâſſet, & quæ ſecuritas loci, ubi deſtinanda, quis ſponſor, armiſtitium fore certũ. Ad alia puncta, quæ contra nos aliqua habent, reſpondere poſſem, ſi tempus ſuperfluum eſſet; qui non habet, quid agat, literas ſcribit.

A.C.1702 Majorem ego habeo ſpem in hoc itinere, quod prætefers Varſaviam, quia ſpem in DEO habeo, quòd ibi non otiaberis, ſed eam procurabis pacem, quam alius dare non poteſt. Promptus & ego eſſem ad excurrendum non tam pro auxilio, quia quis ego ſum, ſed ut exaltandi poſtea occaſionem habeam, nominis & laborum tuorum coram fratribus.

De ſubſidiis in natura extraneis nemo prudens cogitare poteſt, ſicuti pecunias, ſi illas quis daret in hac extrema neceſſitate, abjicere & contemnere quis vellet? Patebit hoc univerſo orbi, tempus optimus rerum Judex decidet, quod nihil intrabit ſtante miniſterio meo, quod ſit bono publico contrarium.

Hæc proinde cum omni reſpectu ad literas tuas dum reſpondi, liceat mihi adhuc Princeps Eminentiſſime iterum, iterumque ſupplicare, ut velis, & authoritate, quam habes, & mediis, quæ Divina ſuppeditat prudentia, uti, ne pereamus in finem, quia huic viciores ſumus, quàm credere poſſumus.

Terret nos hic adventus Suecorum, ſed hi nihil faciunt, cui peſſimè volunt. Ruinabunt tantùm Regionem, ubique ſolitudinem relinquent, & verendum, ne dum hoſtilitas aperta incipiet, ex integro non pereamus.

Habe proinde compaſſionem ô Princeps, & ſi eſt aliquis modus retinendarum lachrymarum, quæ penetrant cœlos, & ſangvinis effuſionis, quæ infallibiliter imminet. Fac miſericordiam, & contine manum extenſam inceptæ contra nos, (quia nihil ſuperioribus faciet) hoſtilitatis. Hoc verò, quod confidenter ſcribo, ex inenarrabili tua bonitate, æqui, bonique conſulere velis, quia DEus eſt teſtis, non alio motivo, tantùm ex ſincero, puroq; in publicum zelo, & veteri in te affectu, ex quo procedit, ut & hic, & coram DEO infallibile tibi exoptem meritum. Ex contextu verò hujus inconcinnæ literæ, facile intelliges, quod cor magis loquatur, quid enim ego infelix homo agere debeo, quò me vertere, ſi non ad naturalem tuum in hanc Patriam amorem, & nolens pluribus obſtrepere, properoque charactere oculos lædere, ſacram purpuram reverenter exoſculor, optoq; ut Verbum Incarnatum ſub tempus imminentium feſtorum plura dicat, longitudine dierum & omnibus conſolationibus beando, & in hoc voto finio &c.

RESPONSUM A REGE SUECIÆ LEGATIS PALATINATUS LUBLINENSIS.

Sacra Regia Mtas Sueciæ propoſitis ſibi per Deputatos, Palatinatûs Lublinenſis deſiderijs quamvis gratificari lubens vellet, attamen exercitus ſui neceſſitates maturiùs ponderando, non niſi cum ſummo ejusdem detrimento, mutari quidquam poſſe advertit in ijs, quæ à deſtinatis ejusdem conſervationi annonæ præfectis, ſeu Commiſſarijs *in hunc finem ſunt inſtituta. Cæterùm levandis, quæ dicto Palatinatui moleſta videntur, alendi S.* R. *Mtis Sueciæ Exercitûs, oneribus haud aliud eidem præſentius videtur remediũ, quàm ſi inclyta Reſp. Palatinatuum animis, junctisq; conſilijs S. R. Mtis Sueciæ conatus, & deſtinata quantocius, ad optatam conducere metam eniteretur, quandoquidem, toties jam iteratis ſponſionibus,*

bus promiſsisq; Regijs doceri, certiorq; fieri potuit, non aliam Mtis confiliorum, actionumq; eſſe rationem, quàm ut levando Regnorum Sueciæ, & Poloniæ neceſſitates, & ea quæ huic, tã ſalutari operi obſtant impedimenta removendo, utriusq; Gentis quieti, ſecuritati, turbatæq; hactenus ſaluti conſulatur. Datum Gorgenſanij 18 Xbris. A.C. 1702

ALEXANDRO SALLAROLLI MINISTRO REGIO 24 Decembris.

Quod ego à te quærere debuiſſem, tu à me quæris; nonne Romæ tu degis, & publicam perſonam agens hoc ſcire non deberes, quod ſcire à me delideras. Notum jam omnibus, miſſum fuiſſe ex conſilio Cardinalis Janſſon, & fortè Reginâ etiam Caſimira in id contribuente in Poloniam Auguſtinum Leveſi Ordinis S. Dominici Reformatorum; virum pietate imprimis, ſcientiâ, prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate eximium, qui ante religioſam vitam ſatis ſe clarũ in ſcientia & activitate demonſtravit. Hic ergo cùm veniſſet in Poloniam ad Theſaurarium Litvaniæ, qui ſemper penes Regem Sueciæ moratur, ante omnes ſe contulit, qui eum Regi Sueciæ præſentavit; & poſtquam duas vel tres privatas audientias habuiſſet, in publica hæc verba nomine Pontificis dixit, uti ex certa informatione habeo; formalia enim orationis ejus ſunt mihi miſſa. Sereniſſime Rex Adventus Mtis Vræ in Regnum Româ vicinius, uti per ſituationem, ita per regionem faciliorem Sanctiſſimo Patri Pontifici Maximo reddidit notitiam, virtutum tuarum heroicarum, & Regiarum, & inſimul magnarum benedictionum, quibus D. DEus te replevit. Quapropter Sanctitas ſua juſſit me adire te, & tibi teſtari Rex æſtimationem omnino particularem, quam perſonæ tuæ facit. *Leveſi nomine Pontificis ad Regem Sueciæ*

Sanctitas ſua conſiderat te Rex non tantùm ſicut Regem Sueciæ, hoc eſt Regem potentiſſimum, ſed etiam ſicut Regem, qui jam plenus omnis gloriæ dat ſpem magnæ famæ etiam inter ſanctos mundi præſentis & futuri.

Sanctiſſimus Pater dedit mihi in mandatis ô Rex, ut tibi palàm facerem, quanta ſit ſemper veneratio in corde ejus, quam habuit pro domo Regia, & Regno Sueciæ cujus fama multùm eſt aucta per pulchras actiones & tam ingentia Mtis Vræ merita.

Vix finivit curſum ſtudiorum ſuorum, ſtatim honorem habuit devinciendæ ſibi benevolentiæ magnæ illius Reginæ Chriſtinæ. Poſt mortem ejus factus Cardinalis, prima cura ejus fuit, ut protectionem nationis Sueticæ ſibi procurâſſet, quam eodem zelo exercebat, quo illam deſiderabat. Majorem ſatisfactionem non habuit, quàm dum Nationi huic Romam venienti ſerviendi & ſuccurrendi commodam habuit occaſionem. Domus ejus, menſa ejus, ærarium ejus promptum paratum ſemper erat Suecis. Pontifex vix factus ſtatim in Eccleſia S. Petri elevari epitaphium magnæ huic Reginæ juſſit non tantùm in teſtimonium ſuæ gratitudinis, ſed etiam ut æternam redderet memoriam ejus Reginæ, quæ cedendo Thronum Sueciæ glorioſis Regibus ſuis Succeſſoribus tam conſiderabiliter ejus auxit gloriam.

Baſis & fundamentum ô Rex æſtimationis in Sancto Patre perſonæ Mtis Vræ non eſt aliud, niſi illa pietas exemplaris, ille Spiritus juſtitiæ, qui trahit poſt ſe reſpectum, & hominum admirationem.

Miratur Sua Sanctitas, quòd in tam teneris annis tam ſolidum reperia-

A.C.1702 periatur judicium, prudentia conſummata, ſcientia gubernandi rara etiam in Principibus experientiâ plenis. Stupet ſuper pias reflexiones, quas feciſti in admittendis juramentis, & ſuper inviolabili fidelitate, cum qua promiſſa tua exequeris; ſtupet ſuper puritatem cordis, ex quo excluſæ ſunt etiam minimæ debilitates, ubi regnat fortitudo, conſtantia, intrepiditas, juſtitia, clementia, & omnes virtutes magno dignæ Rege; ſtupet ſuper exempla ædificantia pietatis, charitatis, modeſtiæ, quæ monſtras tuis militibus, & tuis omnibus ſubditis; ſtupet ſuper ingenium pacificum, quo geris bella, & qui te obligat gerere illa, tantummodo propter amorem pacis. Illa juſtitia, per quam mereris, & habes favorem cœli, illa moderatio in tuis victoriis, illa modeſtia Chriſtiana, quæ ſoli DEO gloriam tribuit, illa nobilis generoſitas, quæ implet gratiis hos, quos viciſti, & quæ illos tibi ſubmittit; ſtupet ad extremum ſuper tuam conſtantiam, patientiam, reſignationem, cum qua victis capitibus coronatis, viciſti temetipſum in ultimis hiſce doloribus, quos tam Chriſtianè obtuliſti huic, qui pro te paſſus eſt in cruce.

Agnoſcit Sanctitas Sua ô Rex, quòd raræ tuæ virtutes datæ ſunt tibi ab eo, qui vocatur in Sanctis libris, Rex Regum, DEus Regum, & Rex DEorum. Et qui particulariter in perſona Mtis Vræ nobis palàm fecit veritatem textûs Divini: Corda Regum ſunt in manu DEI, & conducit illa, ſicuti illi placet.

Et hoc eſt, quod Sanctitatem Suam integrè certam reddit, quòd Princeps tam bonus, tam ſuavis in imperando Regnis mutationi ſubjectis, monſtrabit ſe ſemper promptum ad inſtrumentum pacis univerſalis, & Protectorem Regni JESU CHriſti.

Hæc & ſimilia P. Auguſtinus in publica ſua audientia, cui Rex Sueciæ gratum in Pontificem exhibuit animum, quodq; promptus eſſet ad danda documenta æſtimationis ſuæ & benevolentiæ, quòd ſciat benè, quanto affectu feratur Pontifex in Nationem ſuam, dum Romæ comparet, quòd eandem habebit attentionem, & ſimilem ſolicitudinem in ſimilibus occaſionibus, & quòd conſervabit cum integra ſatisfactione vivam amicitiam, & veram in perſonam Pontificis, & quia felicibus ejus applaudit ſucceſſibus, quibus eum DEus beavit, ſecurum reddere debet Pontificem, quòd nihil in Polonia facere prætendat, quod eſſet Principe Chriſtiano indignum.

Vides ergo, quòd Pontifex toti palàm fecit Europæ, præcipuè tamen illis Polonis, qui ratione ducuntur, quòd bellum à Rege Sueciæ in Poloniam inductum, non ſit omnino injuſtum, & quòd libenter apud nos videret ſolidam pacem. Sed dolendum, quòd Miniſtri ambitioſi obicem ponant, credendo, quòd hi motus, & diviſiones favorabiliores ſint eorum, quam ſpe devorant, elevationi. Unde Pater hic à Pontifice

Franciſcus Pinatelli. miſſus, quia non ita dependebat à Nuntio, ut ille voluiſſet, maximas perſecutiones paſſus eſt, & intra breve ſpatium temporis, quantumvis Cardinalis Primas multum illum protexerit, Poloniâ abire coactus eſt.

COPIA LITERARUM GENERALIS STEINBOCK AD PALATINUM RUSSIÆ.

QUandoquidem S. R. Mtas Sueciæ, Rex & D. meus clementiſſimus cum ſatis magna copiarum manu in has Poloniæ partes me miſit, tam ut contributionem ſuſtentando exercitui ſuo neceſſariã exige-

exigerem, quàm ut omnibus & ſingulis hujus Reip: incolis ſincerum *A.C.* 1702
S. R. Mtis Sueciæ inſeram affectum, ut amicitiam teſtificer. Itaq; audiens, quòd Primores Nobilium proximâ hebdomadâ conſilium quoddã inter ſe in civitate Viſnincnſi mutuò inituri ſunt, non potui non iſtos Illmos, Nobiles, firmosq; Dños ejusdem conſilij ac congregationis nomine ac juſſu Seren: Regis mei admonere, ut diligenter, & quâ decet æſtimatione perpendant S. R. Mtis Sueciæ prætenſiones toties ad Rempub. factas, & repetitas de accipienda ſatisfactione ob hoſtiles illas, ac injuſtiſſimas invaſiones, quas in Regiones ac terras ſuas neſciâ Repub. fecit Rex Poloniæ, ut ſicuti adhuc in recenti eſt memoria Illmæ Dominationi, quàm ſanctam & inviolatam ad hunc usq; diem, & horam Polonia veſtra, & noſtra Suecia poſt pacem Olivenſem amicitiam mutuã conſervaverit, ita neminem Chriſtianum tam perverſæ mentis fore credo, qui non ſummopere deteſtari debet, vulpina illa Regis Poloniæ conſilia, ac machinationes, quibus ſperabat ſe furto quaſi ex corona S. R. Mtis Sueciæ pretioſiſſimam erepturum gemmam. Quæ pernicioſiſſima conſilia, niſi per divinam clementiam; & Seren: Regis felicitatem fuiſſent everſa, & in nihilum redacta, certò certiùs Livonico ſolo, & Saxonico ſuo milite jugi inſtar uſus fuiſſet, ad opprimendam & funditùs extingvendam pretioſiſſimam veſtram libertatem, vosq; Illmos, Nobiles, ac Primates Regni infimæ plebi, & ipſis ruſticis ſimiles reddendos. Quoniam itaq; Rex Poloniæ non ſolummodo S. R. Mtem Sueciæ contra omne Jus Gentium, ac Reip. voluntatem hoſtiliter aggreſſus, ſed etiam maximam ſtragem & ruinam veſtrûm omnium libertati machinatus eſt. Cùm tamen Sereniſ. Rex Sueciæ plùs quàm heroicâ virtute ac magnanimitate ſemper ſe oſtendit ſtrenuiſſimum libertatis veſtræ vindicatorem, impugnatoremq;, adeò, ut ſuas proprias Regiones reliquerit quas jam plus quàm barbaricâ feritate ſæviens hoſtis depopulatur, uritq;, cujus infernalis furor omnem ſuperat fidem, omne vincit exemplum, ſed vindictam Divinam depoſtulat, in tot calamitatum tam auctorem, quàm in illos, qui, cùm ſatis habeant, ad illas inhibendas poteſtatis, adhuc tamen hæſitant in tribuendo cuiq; ſuo. Quapropter juſſu & nomine S. R. Mtis Sueciæ oro, precorq; Illuſtriſſimam Dominationem, ut in hac veſtra nobiliſſima Congregatione vobiſcũ conſultetis, quàm ſalubre vobis, ac utile ſit, idem cum Sereniſſimo Rege meo facere, & in ſuam deſcendere voluntatem, quæ alium finem præ ſe non fert, quàm juſtam ſibi illatarũ injuriarum vindictam, & omnium veſtrûm cum tempore ſalutem, ad quod præſtandum vos etiam obligare videtur immortalis illa chariſſimorum veſtrorum Majorum laus, ac gloria, quam poſt tot ſæculorum ſpatia meruit, ac conſervavit magnanima gens Polona datam fidem, & amicitiam, quàm ſeveriſſimè ſemper colendo. Quod equidem tantò libentiùs jam vos facturos ſpero, quantò ſanctiùs Sereniſſimus Rex Sueciæ ſuam obſervat, obſervavit, & obſervaturus eſt. Cæterùm quoque Gvarrantia illa, quam virtute pacis Olivenſis præſtare debetis, non juſtam ſolummodo ac tempeſtivam reddit Sereniſſimi Regis voluntatem, ſed vos quoque ad debita præſtanda obſtringit. Si DEum aliquem dari credatis, & illum juſtum; maximè vobis timendum eſt, ne iram ejus & ſtrenuam vindictam in vos provocetis, quod facilè accidere poteſt, niſi deteſtationi & odio habeatis hoſtilia illa arma, quibus Rex veſter nullâ datâ occaſione Sereniſſimum Regem Sueciæ invaſit, quibuſcum & vos adhuc tot mala hic in Polonia patimini, & tot millia hominum ad extremam redacta

ſunt

A.C.1702 ſunt ruinam. Quid vobis itaque utilius quàm ejuſmodi Reges eligere, qui libertatem veſtram, qua nihil pretioſius habetis, diminuere non laborant, quidque glorioſius? quàm non ſolummodo ab hoc Regis veſtri facto abhorruiſſe, ſed etiam privilegia, ac libertatem veſtram propriam defendiſſe. Quod ad Sereniſſimum Regem Sueciæ attinet, tantùm abeſt, ut vobis præſcriberet aliquem eligendum, potiùs primus erit, qui à vobis electum ſuo ſangvine & gladio defendet, &, ne timeatis crimen læſæ Mtis, commiſſuros vos fore, Primus ille Rex veſter læſæ datæ fidei crimen, contra leges fundamentales, & Pacta Reipub commiſit. Quapropter, ſi quid in vobis amoris ac ſtudii libertatis eſt, frangente illo fidem etiam fides frangenda eſt. Nullatenns itaque dubito, quin examinando in cordibus veſtris has omnes rationes, & intelligendo quàm maximè è re veſtra eſt, S. R. Mtis Sueciæ tutelam ac protectionem implorare, ſicuti plurimi magnæ Poloniæ Nobiles ac Magnates jam pridem imploravere, ad partes Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Sueciæ, quâ decet reverentiâ accedatis. Ad quod exequendum tam majori promptitudine vobis opus eſt, quod vos non fugit, Ducem Moſchoviæ non ſolùm maximas, fortiſſimasque vobis jam pridem Provincias eripuiſſe, ſed hoc inſuper tempore, & hac ipſâ die varia hoſtilitatis in Rempub. veſtram per Coſacos & Tartaros præbere exempla. Nunquam nobiliſſimæ Dominationes, pulchriorem recuperandi Provincias amiſſas occaſionem, nunquam proferendis, ac ſtabiliendis Regni Poloniæ confiniis potentius invenient auxilium, quàm ſi jam unum idem cum Sereniſſimo Rege facient. Ad quod faciendum datâ, promiſſâq; fide; & in Rempub. veſtram amore obſtricti eſtis. Expecto itaq; quamprimùm ſuper hæc reſponſa veſtra, ſi ad amplectendam Regis Sueciæ amicitiam, ac protectionem parati eſtis, vel non, ut deinceps D. M. C. Vræ voluntatis ac animi certiorem reddere queam. Interim, ſicuti ad omnia vobis ſinceræ amicitiæ officia paratiſſimus ſum, ita toto remaneo corde.

Obſtrictiſſimus & addictiſſimus Comes de Steinbock.

RESP. AD LITERAS GENERALIS STEINBOCK.

Literas Excellentiæ V. Rzeſzoviâ datas omni humanitate recepimus, quibus experimur ſuper graviſſimis Statûs Reipub. rebus ſenſum, & ad univerſos Ordines decidendas ſpectare reſolutiones; Minimè dubitamus Excellentiam Vram optimè eſſe informatam, Rempub. noſtram omnium Palatinatuum, & cunctarum Provinciarum mutuo vinculo eſſe concatenatam ita, ut, ſi vel una Provincia ſeu Palatinatus ſinè alterius unanimi conſenſu ſe declaret, pro nihilo habeatur. Parvi pretij igitùr eſſet, noſtros depromere ſenſus, ſine cunctorum Palatinatuum unanimi conſenſu, qui Generalem conſenſum, ut expiſcari poſſimus, inducias temporis neceſſarias omnino eſſe judicamus. Nihil ergo votiviùs Excell. Vræ Palatinatus noſter ad quietem Populorum facere poterit, quàm, ſi obtinuerit apud Seren: Regem Sueciæ, & contributionum tam gravium diminutionem, & temporis prolongationem ad illarum exſolutionem, cùm & evidens ſit magnam partem Palatinatûs noſtri in terra præcipuè Leopolienſi & Præmislienſi, vix ab Incurſionibus Tartaricis liberam reſpirare. Magnum gloriæ culmen hæc Excell. Vræ humanitas aſſequetur, ſi vota noſtra, & petita ab ipſius aſſequemur officio.

CO-

COPIA LITERARũ D. STEINBOCK GENERALIS SUETICI ad Palatinum Volhyniæ.

A. C. 1702

ILluſtriſſimæ Dnaõni Vræ ignotum eſſe non poteſt, quòd primò ad mandatum Seren: Regis Sueciæ, D. Vræ univerſalia ſcripſi de contributione debita pro bonis veſtris ſolvenda. Deinde quòd Dñatio V. ſub ſpecie ſubmiſſionis per literas ſuas mihi ſcriptas ſalvum conductum pro quodam deſideravit, Dõni Vræ non ſolùm ſalvum conductũ deſideratum ſed etiam literas ſub manu mea ſcriptas, & maximè modeſtas miſi. Quia nullum mihi alium propoſui ſcopum, quàm ſummâ civilitate Dõnem Vrã, ut Dñum maximè conſideratum, & in Diſtrictu ſuo æſtimatum in majorem utilitatem tam Reip. quàm propriæ perſonæ in Seren: Regis Sueciæ trahere partes. Sed loco amicitiæ, quam cũ Dõne V. erigere cupidiſſimè monſtravi, Dominatio V. varijs ſuis induſtrijs fraudulentiſſimis Nos deludere voluit. DEUS Max: Dõni V. tantam conceſſit bonorum opulentiam, ut ſine minima incommoditate contributionem debitam, & ordinatam pro bonis ſuis ſtatim in puncto ſolvere, & per hanc obedientiam, promiſſam gratiam clementiſſimi Regis mei ſibi acquirere potuiſſet. Sed per tantam moram non ſolũmodo ipſe univerſalia S. R. Mtis contempſit, ſed varios ad non ſolvendum ſeduxit, Dñatio V. fraudulenter liberum paſſum de Commiſſariatu Regio ſibi acquiſivit ſine dubio, ut ſicut iſto modo licito non eſt uſus, ad damnum & hoſtilitatem clementiſſimi Regis mei abuteretur, quod hinc clarè eluceſcit, quòd Dnãtio V. non ſolùm omnem ſupellectilem ſuam aliò transportandi parata erat, ſed etiam nuper ante noſtrorum adventũ 4000 militum collecta, congregata habuerit, ſine dubio, ut eorum auxilio ſe & bona ſua contra Suecos defenderet, ſi Contributionem exigere voluiſſemus.

Ut ſcelerato hoc veſtro agendi modo Seren: Regis mei authoritas Regia maximè eſt læſa; ita hoc veſtrum crimen non aliter, quàm per privationem omnium bonorum veſtrorum puniri poteſt, & tantò juſtiùs, ut unicuiq; notum ſit. Quomodo Dñatio V. Regis mei clementiſſimi hoſtem maximum, & pacis communis Turbatorem pernicioſiſſimum Regem Poloniæ variis vicibus, magnis pecuniarum ſummis contra Seren: Regem Sueciæ, & authoritatem publicam ſubievavit, ſic ſi utilitatis & libertatis veſtræ propriæ Dñatio V. ſit amicus, coram toto mundo id ſub manu veſtra propria ſubmiſſionem integram monſtrare oportet, probeq; confiteri, gratiâ Regiâ Dõnem V. ſe abuſum fuiſſe, & inſuper de novo gratiam petere, pœnæ loco pro criminibus ſuis magnis oportet, Dõnem V. tantùm efficere ad utilitatem, & commoditatem Seren: Regis Sueciæ, ut pro Rege Poloniarum fecit, & ut Seren: & clementiſſimi iram perpetuam evitare poſſit, ex cauſis enumeratis 60 millia imperialium ſolvere debet, & obligatus eſſe veſtram propriam fidem mihi præſtare pro totius Diſtrictûs Sanocenſis obedientia, & fidelitate pro S. R. Mte Sueciæ, quam obligationem ſcriptam ſub manu & ſigillo veſtro ſtatim dare neceſſe eſt, poſtquam præſtanda intra octo dierum ſpatium ſint præſtita, & D. Vra ſe ſincerè pro Partibus Regis mei clementiſſimi declaraverit, & ne directè vel indirectè ne minimum contra Sereniſ: Regem dolum fovere velle promiſerit. Tunc Dõnis V. omnia, & quidem minima ſua bona, tam pecuniæ, quàm ſupellectilis reddendæ, & ipſa integerrima ſua libertas reſtituetur; ſi autem

A.C. 1703 tem in deſideratam hanc ſatisfactionem conſentire non placet, non aliud, quàm bonorum ſuorum totalem ruinam, & propriam mortificationem ſibi promittere debet. Jaroslaviæ 27 Xbris.

INSTRUCTIO AD REGEM SUECIÆ LEGATIS Palatinatûs Ruſſiæ.

Palatinatus Ruſſiæ in priori congreſſu literis Illuſtriſſimi Generalis Steinbock compellatus, tum in moderno congreſſu ex mandato S. R. Mtis Sueciæ renovatis ampliſſimis compulſus, ut oblatam amicitiam S. R. Mtis Sueciæ interpretem veri candoris, & inviolati erga Regiam Mtem affectûs Legationem deſtinat. Hi ergo Illuſtriſſimi Legati noſtri debitam primò tanto Regi venerationem à toto Palatinatu deponent, veterem adhuc ante ingreſſum Sereniſſimi Regis Sueciæ Pactorum Olivenſium fidem authenticis documentis explicabunt, quibus patet, nos nunquam bello illato conſenſiſſe, imò, quin in Comitiis Generalibus conſervationem Pacis per Deputatos noſtros promoviſſe. Poſt ingreſſum verò in Poloniam Sereniſſimi Regis explicabunt DD. Legati nullum actum hoſtilitatis erga Regiam Mtem vel conſilio, vel armis exercuiſſe. Quibus omnibus probamus, & amicitiæ fœdera intaminatè coluiſſe, & in votis optatæ pacis, & veræ ſinceræque amicitiæ nos actu hærere. Dubitare igitur minimè poteſt, de cultu debito S. R. Mtas, cùm ultra hæc omnia ulterior declaratio à nobis exigatur, quæ à nullo Palatinatu vel Miniſtro facta eſt. Exponent DD. Legati noſtri Statum Reipub. noſtræ cum aliis Palatinatibus, quæ in diſſolubili compage cum ſit in graviſſimis, & minimis Status negotijs concatenata, nec unus Palatinatus ſine alio audet quidquam decernere, nec, ſi decernat, aliquam rebus utilitatem adfert, niſi in liberrima Gente colliſionem. Unde juſtiſſimus metus exoriundæ inter Concives noſtros diſcordiæ, imò ab ijſdem honoris ſumendæ pœnæ. Si ante alios hæc primi faciamus, quod ſpectat ad omnes. Non immemores erunt, & periculorum, quæ primum Palatinatum Noſtrũ ante omnes ſpectant, Moſchoviticorum Exercituum in Litvania, eorundem cum Coſacis rebellibus in Vkraina degentium, quorum arma ſi accedant, ipſorum ſubditorum noſtrorum immemorabili augebuntur felicitate, cujus jam notitiam hoc autumno habuimus. Accedunt mediationes Auguſtiſſimi Cæſaris pro pace ineunda, quas Eminentiſſimus Cardinalis Primas cum Legato Cæſareo actu tenet. Informamur & de Legatis Angliæ & Hollandiæ, qui ejuſdem pacis operæ ſe accingunt, hac ſpe pacis fulti, ſine primorum Regni Palatinatuum, & procerum publico acceſſu, quomodo à nobis principium exigi poteſt. Quæ omnia S. R. Mtis nullam ſequelam, nobis verò inevitabilem damnorum molem attrahent; Illuſtriſſimus Palatinus Volhyniæ Concivis nobis emeritiſſimus, & aliorum clariſſimorum meritis inſignis expoſcit, ut libertatis S. R. Mtem aſſertorem obtineat. Inſtabunt igitur pro innocenti, & innocentiâ ſuâ freto domi Senatore à captivitate perſonæ, & bonorum ſuorum gravamine æquanimitas & Regia juſtitia liberum illum faciat. Idem pro concive noſtro M. Goſciminski optimè nobis merito, nec ullâ re Regiæ Mti notato Magnifici Legati exponent. Civitas Leopolienſis in exſolvendis contributionibus in tempore acclinis, neque ullo delinquens erga S. R. Mtem Sueciæ peccato, ut ab Exercitu S. R. Mtis Sueciæ immunem ſe ſentiat, inſtantiſſimè ſupplicabunt. Pro reſtitutione rerum perſonis tam ſæcularibus, quàm Spiritualibus, ubivis locorũ rece-

receptarum apud S. R. Mtem Sueciæ inſtabunt. Cæterùm non tantùm *A.C.* 1703
tanti Regis amicitia, ſed & potentia ejus unita cum Repub. unitos nos contra immanes hoſtes noſtros, veterum propenſionum noſtratrum quærere vindictas explicabunt Magnifici Legati. Quorum cætera fidei, & dexteritati committimus.

COPIA LITERARUM GENERALIS STEINBOCK AD PALATINATUM RUSSIÆ. Rzeſzoviæ 4. Januarij.

Celſiſſimis, Illmis, M. DD. Palatinatûs Ruſsiæ; Fratribus & Amicis maximè colendis.

NON dubito Celſiſſimi, Illmi Dñi vos has illas, quas non ita pridem ad nobiliſſimum veſtrum in Viſnia Conventum juſſu & nomine S. R. Mtis Sueciæ Regis mei, & D. clementiſſimi ſcripſi, bene intellexiſſe, reſponſique quod tunc mihi dabatur, recordari, de quibus omnibus quàm fideliſſimè Seren: Regem meum ſtatim certiorem reddidi, qui, ut eſt ſemper mitiſſimus, ita me quoq; intercedente voluit per clementiam ſuam hucuſq; patienter ultima veſtra reſponſa, ac reſolutionem expectare, quòd copiæ Sereniſſimi Regis Sueciæ coactæ fuerint hac tempeſtate quibuſdam in locis graviores, quàm aliis admovere manus tantùm; Vobis omnia ſumma cum prudentia, & judicio perſpicaciſſimo ponderantibus, facilius intellectui erit, quòd optimè ſciatis juſtas S. R. Mtis Sueciæ prætenſiones, ſummamq; authoritatem, & triumphantem gloriam, nunquam perpeſſuram fore, ut vel inobedientiâ, vel malitioſâ contumaciâ in mandata & univerſalia ſua peccetur, ſupervacaneum eſſet hic explicare, quo jure, & quas ob cauſas potentiſſimus ac Sereniſſimus Rex Sueciæ cum victricibus ſuis armis ad conſervandam immortalem ſui nominis memoriam, acquirendamq; imperio ſuo nunquam morituram gloriam hucuſq; penetraverit. Siquidem hujus unuſquiſque Reipub. civis ac incola, cujuſcunque fuerit demum dignitatis, vel fortunæ, & quem propria utilitas partialitate aliquâ non adhuc maligniter infecit; DEO, & univerſo terrarum orbi confiteatur neceſſum habeat, Sereniſſimum Regem Sueciæ contra omnium gentium & populorum jus, nullâque laceſſendi datâ cauſâ neſciente Republica hoſtiliter, & deteſtabili gerendi belli modo ab Electore Saxonico nuper in ſolium Poloni Imperii aſcendente, conſentientibus quibuſdam incolis, aliis verò repugnantibus laceſſitum fuiſſe. Quantum ad vos opprimendos, & funditus perdendos talia machinando laboravit Rex Poloniæ, vobiſmet ipſis, qui libertate veſtrâ nihil antiquius, nihil pretioſius habetis ad inquirendum relinquo. Quandoquidem plurimi veſtrũ adhuc in Polonia reperiuntur, qui non ignorant, quàm parùm promiſſis Regis veſtri fidendum eſt, fluctuante huc, illucque ejus fide. Itaq; ſiquidem S. R. Mtas Sueciæ Rex & Dñus meus clementiſſimus, quanti amicitiam, confœderationemq; Reipublicæ facit, ſatis declaravit, adeo, ut cum univerſis exercituum ſuorum viribus impeditum venerit, ne diutius à tali & extraneo hoc Rege ad nutum ejus opprimendi eſſetis. Quapropter nomine Seren: Regis mei, expecto jam à vobis hanc virilem, & Excell. DD. Vris digniſſimam reſolutionem, quod cum univerſis Palatinatûs veſtri viribus abſq; ulterioris temporis jactura ad partes juſtiſſimas Seren: Regis Sueciæ accedatis; debitamq; in agendo ſuæ S. R. Mti ſatisfactionem detis. Cæterùm ad propriam libertatis veſtræ conſervationem ejuſmodi Regem vobiſmet ipſis eligere debetis, cujus ſub

miti

A.C. 1703 miti Imperio Reip. V, Regisq; mei amicitiâ, & Confœderatione felices, & beati, unà cum Suecia orbi Europæo univerſo non pares ſolùm, ſed inſuper timendi vivere poteſtis, quantam gloriam apud omnem poſteritatem Polonia veſtra ſibi procreabit, ſi jam Privilegia ſua SSme defendendo ſeſe immutabilem oſtenderit, probaveritq; inviolabiliter ipſam juſtitiam, & Olivenſia pacta obſervando, ſummæ ſe conſcientiæ vires habere. Satis docet Anglia, quæ ad finem præſentis ſæculi, memorabile incomparabilis ſuæ & nunquam morituræ edidit exemplum gloriæ pro libertate ſua ſuaviſſima contra oppreſſores Regis ſui, tam fortiter gladio & ſangvine ſuo, cum univerſi terrarum Orbis, & omnium Gentium ſumma approbatione & applauſu pugnando, nec miror, vos Excell. Dñi, & Palatinatuum veſtrorum gloria manet, utpotè qui lucem duobus glorioſiſſimis, Chriſtianiſſimis, ac fortiſſimis Regibus dedit; ſi primi jam eſtis, qui juſtam cauſam amplectimini, propriæque ſaluti ac conſervationi conſuletis; & quanquam primi in Ordine non eſtis, tamen tanquam primos S. R. Mtis vos conſiderat. Reliquum eſt, ut vobis Excell. Dñi oſtendam, quanquam non ſum neſcius, quòd perfectam harum rerum teneatis notitiam, quantam utilitatem, & quot commoda ex amicitia S. R. Mtis Sueciæ expectare poteſtis, quantaq; è contrario damna provocaturi eritis, ſi illam Seren: Regis amicitiam jam flocci faciatis, vosq; mercenariis factionibus quibusdam ad defendendum Electorem Saxoniæ, inq; propriam & inevitabilem ruinam incurrendã ſeduci patiamini. Nam ſicuti Seren: Regis Sueciæ, & propriâ veſtrorũ virtute, ac armorum fortitudine innixi, omnibus inimicis, & hoſtibus veſtris formidabiles & tremendi eſſe poteritis, amiſſamq; tranquillitatẽ & concordiam recuperare; ita è contrario perſuaſum habere vobis debetis; Quòd quidem adhuc gutta Suetici, & antiqui Gothici ſangvinis in venis noſtris maneat; nunquam hinc ex Regno veſtro aliter Seren: Rex Sueciæ diſcedet, nec ea, quæ S. R. Mti per Pacta Olivenſia debetis, obliviſcetur. Cæterum quoq; majora arma timenda vobis à Saxone milite ſcit, quàm usquam antea vobis, & chariſſimæ Patriæ veſtræ per annos jam aliquot. Huc inſuper accedet Tertius Hoſpes Moſchovita, barbarâ ſuâ ferocitate, & infernali furore ſolummodo memorabilis, quem etiam contra omnia Regni Pacta vobis neſcientibus ad veſtram propriam oppreſſionem & ruinam impiè in ſocietatem, & amicitiam Rex veſter adſcivit. Nec eſt dubitandum quin crudeliſſimus, & fœdifragus ille Czar omnem movebit lapidem, quando & Electorem amicum ſuum, ſi amicitia inter fractores fidei aliqua eſſe poteſt, juvabit, & vos cum chariſſima veſtra Patria & libertate funditùs opprimet, poſteaquam imperata fuerint, vos volentes, nolentes metum vel vim facturi, documento vobis & omni Poſteritati erit perfidia Moſchovitica Czari in Seren: Regem, quàm parùm verbis & promiſſis ejuſcemodi confœderanti credendum erit?. cujus politicum intereſſe à Patria veſtra, terrâ & cœlo longiùs differt, nec eſt, quod credatis hunc tertium intervenientem, ut eſt ſemper ad nequiſſima paratus, hanc pulcherrimã in turbida hac aqua piſcandi occaſionem è manibus amiſſurum fore. Nam nec antea unquam talem, quando habuit, amiſit, & videor mihi videre veſtras amiſſas Provincias, ac Regiones ſub ejus crudeliſſimo, & Tyrannico Imperio gementes vindictam in ipſum depoſcere, ad vos ſupplices manus extendere, & auxilium veſtrum die nocteq; invocantes. Vobis itaq; non immeritò hoc loco illud in memoriam revocandum eſt, Veſtigia nos terrent; Nullus itaq; dubito, quin æquâ judicij

lance

lance, & purâ mente hæc omnia examinantibus vobis unanimiter, & quotquot eſtis, conclamabitis; Concedimus. Neq; ullam inter nos tergiverſationem committetis; Nam non eſt, quòd credatis S. R. Mtem Sueciæ liberas & genuinas cauſas ignorare, propter quas vobis hucuſq; conceſſum non fuit, datæ dexteræ, & promiſſis veſtris hoc turbido tempore ſtare. Pernicioſiſſimæ ſunt enim illæ tam externarum Poteſtatum, quàm internarum factionum corruptelæ, & aureorum montium promiſſiones ad quosdam Primores, & Senatores Regni, quorum nomina jam propter majorem inter vos concordiam ſilentio prætereo, ſiquidē multi veſtrûm illos ignorare amant, hoc tantùm mihi reſtat adhuc orare, precariq;. Si Excell. ac Illmæ Dōnes quidem aliam decernet ſententiā, quàm prædictæ Seren: Regis Sueciæ prætenſiones expoſtulant, & Reipubl. utrumq; omnium conſentanea ſit, ut ſtatim omnes ei illudatis, tanquam ſalutis veſtræ inimiciſſimo, & ad contrariandum communi bono nefariè empto. Et quanquam in propinquo cum magna Exercitûs Suetici parte verſor, non ad interrumpendum hunc Celſiſſimarum Excellentiſſimarumq; DD. VV. conventum moror, ſed expecto tantummodo ultimaria & decidentia reſponſa veſtra. Cæterùm quoq; hiſce nomine & juſſu Sereniſ: Regis mei declaro, quòd pro juſtiſſima ejus cauſa, & victricibus ejus armis vos ſtare oſtenditis, fideliſſimum amicum & propugnatorem habebitis, ita è contrario, ſi amicitiam tanti Regis contemnetis, ſemper in illo & tremendis ſuis armis perſecutorem & inimicum fortiſſimum invenietis. Hæc ad mandatum S. Reg. Maſtatis Sueciæ Regis, Dñi mei clementiſſimi, & maneo totus Celſitudinum Veſtrarum *A.C. 1703*

M. Comes de Steinbock.

RESPONSUM REGIS SUECIÆ LEGATIS PALATINATUS RUSSIÆ

Sacra Regia Majeſtas Sueciæ perpenſis ijs, quæ Magnifici ac Illuſtres Domini Antonius Stamirowski Subdapifer Terræ Halicienſis, Mareſchalcus Tribunalis, Regni Generalis, Conſtantinus in Nieczajow Wapowski Dapifer Regni Poloniæ Succamerarius Præmiſlienſis, Nicolaus de Stawow Stawski Vexillifer Latigovienſis nomine Palatinatûs Ruſſiæ propoſuerant hoc reſponſo illos impertire voluit dato in hibernis ad Jakulovice 13 Februarij

CUM Sacra Regia Majeſtas Sueciæ non antea modò, ſed nuper per Supremum vigiliarum Præfectum Comitem Steinbock Palatinatui Ruſſiæ candidè indicaverat, quàm prolixâ ſit in Rempublicam Polonam voluntate, quámque ſincero feratur ſtudio ad libertatem ejus, quæ hoſtium inſidiis collabefacta eſt, ſtabiliendam, tantò juſtiùs ſperare poterat Palatinatum hunc pari animorum propenſione hanc benevolentiam amplexurum, quantò manifeſtius emolumentum exinde proventurum viderat, ſi factâ ſocietate arma in communem hoſtem arripere non pigeret. Quapropter ex his, quæ DD. Legati expoſuerant, non ſine ſenſu aliquo percepit, tergiverſatione veſtra tam ſalubre propoſitum differri, neque perficiendo operi, quod Regno Poloniæ non minùs quàm Sueciæ utile eſt, debitam afferri curam. Nam quòd

1mo. Fidem Pactorum Olivenſium à ſe non violatam eſſe conten-

A.C. 1703 dit, hic Palatinatus; id quanquam eatenus admitti poteſt, quòd in bellum hoc iniquiſſimum non conſenſiſſet; attamen cum tenore fœderis Olivenſis illa paciſcentium pars fractæ pacis arguitur, non tantùm quæ hoſtilia infert, verùm & quæ non prohibet, ne inferantur, connivendoq; efficit, ut alteri damna infligantur, conſequens eſt, non magis hunc Palatinatum, quàm ipſam Rempub. cui tanquam corpori membrum, innexus eſt, culpæ non eſſe expertem. Nam ut alia jam ſilentio tranſmittantur, ubique verùm eſt; bellum hoc à Rege Poloniæ inchoatum; Exercitum quoque Regni Poloniæ in Cliſſovienſi nuper acie, infeſta contra S. R. Mtem ſigna tuliſſe, attamen nondum compertum eſt, ab ullo Palatinatu impeditum hoc facinus, ne fieret, aut poſtquam peractum erat, in Authores ejus animadverſum. Notius præterea eſt, quàm ut contradici poſſit, erupiſſe ex hoc Palatinatu plurimas catervas, quæ exercitum Sueticum infeſtâſſent, atque rurſus in eundem factis damnis ſe recepiſſe, atque domicilia illic habere. Quapropter ſi cauſam ſuam à turbatoribus diſſociare cupiat Palatinatus Ruſſiæ, oportet contrario facto aboleat culpam, armaque in ruptores Pacis Olivenſis ſtringendo innocentiam ſuam teſtetur.

2do. Nec cuiquam mirum ſit, hoc à S. R. Mte poſtulari. Jam enim annus abiit, poſtquam S. R. Mtas Poloniam, unde in Provincias ſuas hoſtilis facta eſt irruptio, cum exercitu ingreſſa, cùm univerſæ Reipubl. tum ſingulis Palatinatibus cauſam adventûs ſui ſignificaverat. Oſtenderat tunc graviſſimis ſe ad id provocatum injuriis fuiſſe, pro quibus neque ſatisfactio juſta haberi poterat, neque ſecuritas in poſterum, niſi amoto illo, qui non tantùm æternæ pacis Religionem perfidè violâſſet, verùm etiam eo ingenio eſſet, ut, quamdiu Poloniæ dominaretur, nunquam poſſit ſperari ſolidâ ac diuturnâ pace hæc duo Regna valitura. Expoſuerat ſimul ante omnium oculos, quantum diſcrimen Reip. immineret. Et, cùm ea ſit Regnorum Sueciæ, ac Poloniæ ratio, ut uno concuſſo alterum periclitari neceſſum ſit, opem ſuam adverſus Inſidiatores obtulit, declaravitq; ſe non magis vindictam ſuam, quàm Reipublicæ ſalutem quærere, neque ex bello hoc difficillimo, quod tantis ſumptibus, & graviſſimis proprii Regni incommodis geritur, aliud lucrari velle, quàm ſecuritatem ſuam, & Reipub. incolumitatem, verùm tam ſinceræ amicitiæ conteſtatio inita fuerat, nec in hunc uſque diem hiſce malis remedium eſt adhibitum. Providentiſſimus quiſq; periculum depulſum optat, pacem Reipub. & jura læſa fatetur, ſed ſanando vulneri nemo manum admovere ſuſtinet, dum alter alterum reſpicit, ſinguli deſtituunt, quod ad omniũ ſalutem ſpectat. Quare S. R. Mtas fatigatâ à patientiâ prolationem hanc ut rei communi inimicam ſuſpectans. Turbis hiſce, quibus utrumq; Regnum graviſſimè affligitur, finem imponere cupit ſeriò, creditque Palatinatum Ruſſiæ ut opum armorumq; claritudine præſtantem, ita de gloria liberatæ Patriæ reliquis non conceſſurum. Non eſt quòd offenſas cæterorum prætexat, qui, cùm inchoaverit, inſtituti tam ſalubris omnes habebit ſocios, atque ut authoritate antecellit, ita infirmiores, qui ſignum tantùm pro libertate erectum expectant, ſuo exemplo accendet. Nec metus alterius hoſtis Palatinatum deterreat, Moſcho communi horum Regnorum hoſti tantùm negotij alibi faceſſendi ſpes eſt, ut Poloniæ facilè obliviſcatur. Nec dubitandum, quin Coſaci, cæteraque rebellium lues, conſpicientes tot fortiſſimos viros arma induiſſe, ab aſſueta inſolentia deſiſtant, præſertim cùm S. R. Mtas in Commilitium acceptos neutiquam deſtitueret, ſed o-

pe

pe ſuâ totisq; viribus ſublevare omnia cordi haberet. Quod verò ad mediationem attinet, quam à Legatis Cæſaris, Angliæ, atque Hollandiæ tentari putant, ſciendum eſt, mera eſſe hæc figmenta ab ijs vulgata, qui pacem omnem & fiduciam inter S. R. Mtem & Rempub. diſturbare meditantur. Prædictos Status ut amicos arctoq; fœdere ſibi junctos magni facit S. R. Mtas, ſed neque mediationem eorum accepit, neque illi officia fœderato Regi obtrudere unquam putabant æquum, ut rumor calumniatus eſt, ſed potiùs, quantum in ſe operæ eſt, conferent, ut caſtigato turbatore ſufficientem aliquando ſecuritatem Regna hæc inveniant. *A.C.* 1703.

3tio. Illa verò, quæ nomine amicorum, ſuarumque neceſſitudinum Palatinatus detulit, S. R. Mtas ad Comitem Steinbock remittere, juſtũ cenſuit, qui curam impendet, ne quiſquam præter ſuum meritum damno afficiatur, ſiquidem de his negotiis hic cōmodum agendi tempus non erit, priuſquam de ijs, quæ ſum̃am rei tangunt, tranſactum fuerit.

4to. Quod deniq; unitis cum S. R. Mte armis ad veteres Provincias Reipub. recuperandas im̃anes hoſtes aggredi voluerit; id quidem S. R. Mti non ingratum eſſet, & Reipub. honorẽ maximamq; adferret utilitatem. Verùm antequam huic operi cura impendatur, longè major moles eſt ſuperanda. Internæ turbæ, quibus Reſpubl. concutitur, priùs ſopiendæ, componendæq;, ne gravius ex domeſtico malo, quàm externo periculum adeat. Obturandus fons & origo morbi, ne illo neglecto periculoſiùs poſtea recrudeſcat, atq; mora omnis abrumpendâ eſt, ne diuturniori tempore corpus infectum omnem reſpuat medicinam. Compoſitis domi rebus ad externa animum adijcere æquum eſt, ut utrumq; conſequantur, domi ſecuritatem, foris verò honorem, decuſq;. S. R. Mtas operam ſuam offert, quâ ſi jam uti neglexerint, ſimilem poſtea opportunitatem fruſtra quærent. Proinde depoſitâ omni ſimulatione ad partes illius tranſirent, quem eâ voluntate eſſe vident, ut ſibi totique Reipub. quàm optimè conſultum velit; ijs quoq; viribus & præſenti neceſſitati opitulari poſſit. Quodſi ulteriùs tergiverſentur, pronuntiat S. R. Mtas ſe ſuſpectam eorum moram habere, motumq; quemcunq; pro hoſtili ſigno accipere. Quod S. R. Mtem invitam licet impellet, ut conſilia perinde capiat. Ut ſuper hoc negotio quàm primùm ſe declaret Palatinatus Ruſſiæ, S. R. Mtas Sueciæ expetit, quæ de cætero Illuſtres & Magnificos Dominos Legatos Regio favore proſequi, & amplecti non deſinet. Ad mandatum S. R. Mtis Sueciæ.

C. Piper

AMICO CONFIDENTI. 26 Decemb.

IMparem eſſe me referendæ gratiæ pro iſta inuſitata, quàm in tuis ultimis agnoſco benevolentia, & hoc primum in ipſo limine fateri debeo, quòd tantus tuus in me extitit hactenus affectus, ut omnem mihi remunerandi ſpem præcidat, voluntatem tamen relinquat. Ut tantiſper ſaltem velle me re gratum eſſe videas, donec potero quod volo. Amavi te olim vir humaniſſime, ac nunc amo affectu (cur negem) puro, & defecato, quem debere me profiteor ingenio tuo modeſtiæ, & eruditionis pleno, & tum deſinã cum tu amoris cauſas ſubſtraxeris, & ſcias tã difficile à me in amore finẽ impetrabis, quàm modũ. Ad noſtra.

Die 7. Octob. Valedixi Regi, & ad manus Dñi Ablegati Hollandiæ dedi 200 ungarios pro N. N. petens ut avertat id, quod maximè timebam, ne Rex Sueciæ veniat in Varmiam pro hyeme, quid miſeri-

A.C. 1703 us autem, quàm angi futuris, nec ſe tormento reſervare, ſed accerſere, ſibi afflictiones, & admovere, quas optimum eſſet differre, ſi diſcutere non poſſis.

8vâ. Abij, & quò propior eram Varmiæ, eò pejora nova habui, ſemel enim Brandeburgicos intraturos, alterâ vice Suecos ominabantur, ſignificabant. Ego omnibus credidi quanquam nemo quidquam facilè credit, quo credito dolendum eſt, nec moratus ivi verſus Regiomontum, ut aliquid certi reſcirem, & ſi poſſibilè eſſet, averterem.

Inveni ibi aliquos ex meis Capitularibus, cum quibus habui conferentiam, quid ſit faciendum cùm Dñus Werner, & inprimis D. Dux Olſteinenſis propoſuit mihi, ut acciperem milites Brandeburgicos prævià omni ſecuritate, quòd poſtquam Sueci exiverint ex Pruſſia illi ex Varmia. Ab initio videbatur nobis, quibus ineſt ratio, ipſis etiam ineſt nolendi volendiq; libertas, ſed hanc non in omnibus æquam eſſe adverti, & cum omnem curam poſteriorem ducebam præſentẽ, quando maturam reflexionem fecimus, meliùs credidimus illos pati ex duobus malis, quàm Suecos videre. Pro optimo eſt minimè malus.

17mâ. Habuimus infauſta nova de accepto Thorunio, quod ſine magna defenſione reddidit, ſe melius ſe Saxones poſſunt jactare, quàm defendere, quamvis dicant pro ratione, optimum virtutis finem eſſe antequam deficias deſinere. Omnes milites in captivitatem miſſi Stokolmum, Generales, Officiales, Varſavia autem, quòd jam acceptis expeditionibus DD. Legati noſtri vias parent, & quòd Rex Varſaviâ movere debeat, non enim ſibi ſecurum eſſe credit, ſicut aliquos poſt dies, tanquam nihil laudari poſſit quàm receſſus hoc eſt 23. ex inſperato, & cum præcipitantia abijt in Ruſſiam, & ego habui vocatorias pro conſilio Zamoyſcium, habuimus etiam quòd Thorunij muros demolliri, & omnem fortificationem intendant Sueci, dolendum ſanè de tam pulchra civitate. Aſſecuravit me D. Princeps Olſteinenſis, qui totus ſe in ſolatium meum conferebat, & Dñus Werner, quòd ſi Brandeburgicos milites in Varmia eſſe permittam, nullus Suecus intrabit quod optaverim mihi magis, quàm promiſerim, agebatur ergo tantùm de ſecuritate, nihil invitus facit, ſapiens neceſſitatem effugit, quia vult, quod ipſa coactura eſt. Repugnans non nolens neceſſitas eſt in voluntate neceſſitas non eſt, qui imperia libens excipit partem acerbiſſimam ſervitutis effugit, facere quid nolit. Sic ego aſſentiri debebam non repugnare, cum clarè videam non me ulteriùs interrogaturos, & defacto Brunsbergam non expectato meo reſponſo intraverunt, unde dolorem non oſtendi, ſed habui, quanquam naturâ ſim imperturbatus, & intrepidus, quem nulla vis frangit, quem nec attollunt fortuita nec deprimunt.

Vocatus ad conſilium, jam abieram, ſed cum Ilaviæ eſſem venit Epiſtola D. Nycz, & poſt à Principe Olſtein præmonet uterq; eſſe expeditos 300 Valachos, qui jam erant in Allenſteinenſi Cameratu, qui in mandatis habent, ut me quoquo modo captivum ducerent ad Regem Sueciæ, qui ſcio quantum invidiæ ſecunda mea fortuna obnoxia eſt, & quòd ob Comitia feliciter Lublini finita ſint mihi infenſi, & excitati à D. Cardinale, qui ultionem implevit, perfécitq; quantum veræ pœnæ ſatis ſuperq; erat, & DD. Sapiehis, qui voluiſſent illa comitia rupta, & ut dignitates eorum non fuiſſent diſtributæ, quorum ego non fui certè cauſa, & præmonitus ab eodem Duce, & meo Canonico pretium etiam capitis mei fuiſſe conſtitutum. Redire ergo debui Regiomontum, ubi aliquot diebus incognito fui, & habito conſilio cum Fratre meo Epiſco-

Epiſcopo Plocenſi, & cum DD. Canonicis concluſimus non eſſe ſecurū, *A. C.* 1702
ut ego abirem Regiomonto, conduxi ergo mihi domum manſurus ibidem ad tempora feliciora, miſſo Ruzyccio in Ruſſiam cum excuſatione ad D. Palatinum Cziernichovienſem, qui ibi jam erat, & illuc etiam expediveram meos currus.

11. Fui in Schwandzfeldt, quo res meas ex Varmia conducere mihi viſum eſt, vidi etiam Dñam Palatinam Vilnenſem tranſeundo, quæ ſatis afflicta eſt, quod in bonis ejus hæreditariis conſiſtentiæ ſint militibus aſſignatæ.

Sed hoc magis me afflixit jam Varmiæ meæ vicinos eſſe Suecos, & protectio nihil prodeſt Brandeburgica, expedivi per poſtam Thauſium meum Berlinum petens, ut hic ſecurè poſſim manere, Rex Sueciæ intravit Elbingàm ſine minima reſiſtentia, portas apertas invenit, non delector, non gaudeo his, imò doleo magis. Malevoli ſolatij genus eſt turba miſerorum.

29. Habui favorabile reſponſum Berlino, quòd ſit hic ſecuritas pro me, ſed Sueci jam ſunt in Varmia, DEus ſcit quanta ſim in afflictione. Heri die Natalis Dñi prædicavi in Eccleſia mea & magnam hominum, etiam ex Acatholicis habui frequentiam.

Venit etiam hodie D. Palatinus Czernichovienſis ex Ruſſia, qui multa dixit de aulæ arrogantia, mirum ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur, ibi ſtare, ubi omnes jacent, ac proinde mutat omne conſilium nec implere illos ulla infelicitas poteſt, & quia ſciunt cautum Dñum eſſe, id illi ſuadent, quod ſibi ſuaderet ipſe, aut quia adulatores, & blandi ea conſilia dant, quæ deliberanti gratiora ſuſpicantur vitiis ejus nomen virtutis imponendo. Adjice & eos, qui nō inconſtantiæ vitio parum laceſſunt, ſed inertiâ vivunt, non quomodo volunt, ſed quomodo cœperunt. Alij alienis ſe negotiis efferunt, ſemper aliquid agentibus ſimiles, ſed iſta ſatis de iſtis; Ita raro Albutio reſpondet fortuna, ſemper opinio. Vale & me quando id reciprocum ama, & amicorum quidquid habeo, ſalvum dicito.

CONFOEDERATIO MAJORIS POLONIÆ 30 Decembris.

NOS Conſiliarii, Dignitarii quà Senatorii, quà Equeſtris ordinis, ex Palatinatibus & Terris Majoris Poloniæ, diplomate Regio pro Comitiolis particularibus, per Palatinatus, & terras miſſo, ad hunc circulum pro die 30 Decemb. congregati, convenienter ad confœderationem ſub Oſtrovia factam, die 12 Menſis Septemb. Anni præſentis, per quam ſperabamus alienatos ab invicem cooperatione malevolorū animos civium, ad communicationem conſiliorum, naturalemq; defenſionem, coadunandos: verùm quia Invaſores Protectores, alendo in Repub. diſſidia illis volunt media ſe ſalvandi adimere, interea hoſtilis militis impietas ad prælia dura procellis bellum, urget caligine tantâ ut non tantùm innocentia Reipub. ſua hucuſq; mala diſſimulantis, illum ad mitiùs agendum non commoveat, verùm etiam eo pertinaciorem in malè cœptis faciat, urgeatq;, ad majorem Reipub. ruinam, tum per diſcordias civiles, tum per expilationes Provinciarum; urbium oppidorumq; vaſtationes, inferendam. In hoc ergo calamitoſo Reipublicæ ſtatu ejus amore inductus Rex noſter, ſe Regem Patremque gerit, & conſulit cunctis, oſtendensq; non ſentientibus, mala gentis, & tragicos rerum caſus, qui ex diffidentiis inter cives orti, ultimum Rei-

*A.C.*1702 pub. minantur exitium, ad factæ ſub Oſtrovia confœderationis, nos ad hunc locum convocare dignatur, confirmationem. Conformiter itaque ad Oſtrovienſem confœderationem, ſub directione Adalberti in Lubraniec Dąbski Capitanei Inowroclavienſis factam, talem inter nos facimus conſtitutionem.

Imprimis mente revolvendo Regis Sueciæ auſum, qui per violentam Regni hujus invaſionem jus omne, faſq; confudit, nullâ datâ cauſâ pacta Olivenſia jurejurando roborata violavit, inductiſq; in viſcera Regni Exercitibus, pro ſua voluntate, ad novam Regis electionem, in præjudiciũ legũ de libera electione ſancitarum, ſtatus Regni Poloniæ, & M. D. L. armis adigere voluit, ad probroſam nec unquam in libera gente auditam, pro ſuo libitu nobiles adegit contributionem, Provincias, Palatinatus, Terras, Diſtrictusq; Reipublicæ extortis violentâ manu per ſummam immanitatem, tributis, vaſtavit & exſpilavit. Legationem publicam Reipub. contra omne jus & fas gentium, procraſtinando Legatis audientiam, contempſit, projectis, diplomatibus & proteſtationibus per ſuos adhærentes, quod amicus & hoſpes veniat, inaniq; fallacia pacis ludendo Rempub. ad milliaria ultra 100, inermem, quia minimè ſperantem, peragravit, domos Nobilium per modum executionis pro non extraditis contributionum tributis per ſuos milites vaſtari juſſit, ſtatus omnes, Spiritualium, Nobilium, civium, plebejorum, pro voluntate ſua contributionibus, ſub comminatione ignis & ferri injunctis & extortis, graviſſimè oppreſſit; Vilnam, Metropolim Litvaniæ, Varſaviam, & Cracoviam Regni Metropolim omnibus ſpoliatam divitiis, & ſplendoribus, ereptis quoq; tormentis, & amunitionibus, evacuatis ubiq; armamentariis. in opprobrium Regni, diſarmavit. Arcem Cracovienſem unicum Regni decus & ornamentum ex ſummo odio Polonæ gentis incendi & incinerari permiſit. Vrbes, pagoſq;, nec actis Caſtrenſibus & Terreſtribus parcens, exuri non inhibuit. Ærarium Reipub. coronam quærendo evacuavit, quidquid in eo invenit, & pretioſiſſima quæque nec ſatis æſtimabilia monilia, ſangvine Polonorum à Moſchis, Turcis, aliiſq; hoſtibus acquiſita, & pro memoria ſecuturis ſæculis in monumentũ immortalis gloriæ & heroicorũ facinorũ Anteceſſorum noſtrorum aſſervata, abſtulit. Nec Eccleſiis, ſepulchriſque mortuorum, (ut nihil eſſet, quod non pertranſiret luxuria ejus) prædandi licentiâ pepercit. Vaſa Eccleſiaſtica in honorem DEI & decorem Domûs ejus, à majoribus noſtris dedicata, in uſus profanos convertens, fecit vaſa contumeliæ. Devotiones hæreticas in præſentia Catholicorum Sacerdotum in veris DEI Eccleſijs prædicantibus Lutheranæ, Calviniſticæ, & Finnoniſticæ ſectæ, in oppreſſionem fidei Catholicæ celebrandam, injunxit, ubi in ludibrium Sanctæ Catholicæ fidei, ſuæque ſectæ celebrationem, & in opprobrium Polonæ gentis, ſe flagellũ Polonorum, de ſuggeſtibus vocari juſſit. Quid plura? Sacerdotes miſericordiam pro ijs poſtulantes, qui, ſecuritati ſuæ immunitate Eccleſiaſtica conſulturi, ad Eccleſias confugerant, innocentes, immaniſſimè occiſi, moniales opprobriis ſaturatæ, vaſtatæ, & quidquid ſacrum, carum ac religioſum in Regno erat, profanatum. Nobiles liberi, qui pro ſecuritate interna ex mente ſuorum Palatinatuum vexilla erexerant, eò ignominiæ à Suetico milite deducti ſunt, ut ad induſium uſq; ſpoliati, in opprobrium Poloni nominis, multa tormenta flagellaque paſſi, multi vix ſpirant, alii immanitate ictuum & vulnerum confecti ſunt. Tam grandibus ergo, nec ſatis æſtimandis damnis, injuriis, & oppreſ-

ſionibus

ſionibus conſideratis, propter defenſionem fidei Romanæ Catholicæ, vindictam profanatarum Eccleſiarum, Sacerdotumq; oppreſſorum, intaminatam hactenus Reipub. gloriam, ab omni dedecoris labe vindicaturi, ſecuti Majorum noſtrorum veſtigia, qui zelo circa fidem, Majeſtatem, & integritatem jurium, virtute, robore, unioneq; ſenſuum, & animorum, orbi noti fuêre; ſimulq; occurrendo ulterioribus turbinib⁹, per Regem Sueciæ faciendis, volentes roborare fundamentum tuitionis noſtræ, conformando nos, ſimulq; confirmando glorioſum opus Palatinatûs Siradienſis, per conjuratam Confœderationem, circa fidem, Majeſtatem & libertatem, propter perfectiorem roborationem confœderationis inter ſtatus Reipub. in quam Palatinatus Breſtenſis, Cujavien: Inovladislavienſis & Terra Dobrynenſis ex nunc conſenſerunt, tacto ſibi invicem juramento: proteſtatione coram DEo, cui manifeſta ſunt abſcondita cordium, quem in teſtimonium, & adjutorium aſſumimus, quòd ſicut nullam ei violentæ invaſionis, & hoſtilitatis cauſam præbuimus, ita occurrendo ulterioribus inconvenientiis, principaliter verò exſtirpationi S. Catholicæ Fidei, pro Eccleſia, majeſtate, & libertate certaturi, eundem Regem Sueciæ cum ſuis Exercitibus pro hoſte Patriæ declaramus, contra illumq; & Exercitus ejus, ceu contra hoſtes Patriæ arma nos ſumpturos appromittimus, fidemq; Catholicam, Mtem & libertatem, fortunarum & vitæ diſpendia, omnes in commune nos defenſuros juramus. Quia verò in hoc Reipubl. turbido, ſolo diſſidio civili, tot fratres noſtri & concives ad hanc unionem & ſocietatem pro dandis repreſſalibus, huic invaſori, & hoſti, lento paſſu accedunt, imò factâ inter vos, per factiones, ſciſſione illius intentionibus ſtudiisq; favere ſupponuntur, hinc nos etiam hos ceu fratres noſtros, Filios ejusdem matris Patriæ, cujus ubere lactati ſumus, fraterno zelo & amore, jamq; expirantis Patriæ voce ad idem tam ſanctum vinculum invitamus, certâ ſperantes fiduciâ, illos, ubi primam de eo acceperint notitiam, relictis privatis cum Rege Sueciæ machinationibus, ad commune nobiscum conſilium, defenſionemq; Eccleſiæ, Mtis, & libertatis affuturos. Quod ſi tamen aliqui concivium reperientur in Rep. & ex correſpondentiarum documentis evidentiùs manifeſtabuntur, qui cura, ſtudio, & opere Regem Sueciæ cum exercitibus in viſcera Regni introduxerunt, illumq; ſuâ protectione & factionibus foverunt, unde omnes colliſiones & diſſidia inter cives exitium Reipub. & noſtrûm omnium, exorta ſunt, tales excludendo nomen Amniſtiæ, omniq; juris beneficio ſepoſito, congregata DEo dante Rep. juxta leges contra perduelles, judicandos, & pro hoſtibus Patriæ declarandos, omnes ſimul appromittimus. Conſideratis nihilominus circumſtantiis in hac Regni diſunione, quæ in tam premente Reipub. caſu etiam ſanctiſſimum confundit opus, nullum efficacius cenſemus remedium, quàm ſi Seren: Rex uſitata ad unionem conſiliorum ſtatuum Reip. media, deficiente ſecuriore loco, etiam ſub dio determinare dignetur, ut uniti, juxta antiquas praxes, conſulere Reip. illiusq; ſaluti proſpicere poſſimus, pro quo ſeorſivo inſtrumento per legatos Ser. Regi ſupplicamus, ut hoc uniendæ toti⁹ Reip. conſiliorũ inventũ, quàm citiſſimè poterit, ſub titulo continuationis confœderationis, clementer dignetur confirmare. In caſum tamen non conſummandæ unionis conſiliorum & pacificandæ Reip. eandem confœderationem ſub nexu & juramento, in integro quo ad omnia nobis reſervamus, & prorogamus, diſpoſitioni Mareſchalci, temporis & loci, pro ſequenti congreſſu, determinationem, committentes, cui omnes invicẽ indi-

A.C. 1702

*A.C.*1702 indiviſi, evictionem ſpondemus, illiq; in omni occaſione, & tempeſtate, donec fluctus hi turbatæ Reipublicæ quieſcant, fortunis & vitâ aſſiſtemus, nec illum, donec in toto Reſpubl. tranquilletur, in ullis circumſtantiis, aut periculis deſeremus. Ut ergo eo firmior defenſio ſubſequatur de cordibusq; civium diffidentia (quam malevoli conantur imprimere) eradicetur; habentes factam à Sereniſſimo Rege promiſſionem, ad roborandum erga hanc Patriam amorem, diplomatis, obſecramus ut idem Sereniſſimus ſuper eo coram Deputatis ex Palatinatibus facere juramentum promittendo ſe Paterno amore & viribus, hanc Rempub. defenſurum idq; univerſalibus datis pro Comitiis particularibus clementer declarare dignetur, ad quod perficiendum, petiimus & delegimus de medio noſtri, jam nobis conjuratos & confœderatos Senatores & Deputatos mox nominandos.

Ex Palatinatibus majoris Poloniæ D. de Konary Małachowski judicem terreſtrem Poſnanienſem, Adamum Szczygielski Capitaneum Gneſnenſem, Maximilianum Slichtynk Tribunum Wſchovienſem, Franciſcum Joſephum Skoraſzewski Vexilliferum Poſnanienſem, Michaelem Pſtrokoński Dapiferum Breſtenſem, Kujavienſem, Antonium Olſzewski Enſiferum Terræ Dobrinenſis, Ioannem Szierminski Judicidem Terreſtrem Siradienſem, Petrum Iwanski. Ex Terra Vielunenſi, & Palatinatu Lęczycyenſi Legati differunt electionem Commiſſariorum ad comitiola ex limitatione imminentia. Ex Palatinatibus Kujavienſibus, Andream in Głębokie Głębocki Capitaneum Brzeſtenſem Kujavienſem, Caſimirum Volski Theſaurarium Brzeſtenſem Kujavienſem, Stanislaum Jarnowski Pincernam Inovladislavienſem. Ladislaum Niemojewski Judicidem Terreſtrem Inovladislavienſem. Terræ Dobrynenſis & Palatinatûs Ravenſis Legati differunt electionem Deputatorum ad iminentia comitiola. Ad Sereniſſimum Regem ex generali præſenti circulo Legatos eligimus: Michaëlem de Buzenin Pſtrokoński Dapiferum Brzeſtenſem Kujavienſem, Mathiam Malachowski Judicidem Terreſtrem Poſnanienſem, qui fidelia obſequia ſubditorum & promptitudinem, circa tuendam Mtem Sereniſſimo Regi declarantes, eidem ſupplicabunt, ut quàm optatiſſima & celerrima adinvenire dignetur media, quibus tota Reſpub. in tanta afflictione congregatarum ſimul calamitatum, cum omnibus ſimul ſtatibus ad priſtinam poſſit reduci unionē, item ut Exercitus Saxonici ſtrictiori ſubdantur diſciplinæ, & conjuncti cum Exercitibus Regni & M. D. Litv. ad danda repreſſalia Suecis, ordinentur. Ad extremum ſi qui quà Senatorii, quà Equeſtris Ordinis, tum ex Provinciis minoris Poloniæ, tum ex Pruſſia, tum ex M.D. L. amore ſuccenſi Patriæ, ad ejus defenſionem accurrere voluerint, propter impediendum periculum ab hoſte iminens, eique paſſum intercipiendum, ſive expeditione ſive auctione militis, ſive in ſua quiſq; perſona; nos fraterne eos invitantes, aſſecuramus, quòd ubi in conſortium gremiumq; noſtri adfuerint, facto tamen ab eis corporali juramento, illos, Deputatos, & Commiſſarios in ſocietatem conſiliorum admittemus, ut ſicut præſenti conſilio noſtro, uniformitate ſenſuum Dominus benedixit, ita intentiones noſtras, & glorioſum hoc vinculum, in defenſionem Patriæ factum, deſiderato & celeri effectu coronet. Exercitus quoq; Polonos cùm Ducibus fraterno affectu ſtringimus, ut nobis, noſtriſq; optimis conatibus ſincera promptitudine, ad obſequia Patriæ fœderati, eò vivaciores nobiſcum ad fortia agenda aſſumant animos, nobiſcumq; contra inſurgentes adverſus Patriam & Mtem ſeditiones,

& machinationes, conjungantur: quapropter ad Duces Exercituum, de *A.C.* 1702 gremio noſtri Legatos expedivimus ad tam ſanctam eos cum Exercitibus invitando unionem. Civitates quoq; Regni Poloniæ præcipuè Pruſſiæ ad eandem confœderationem convocamus utq; juramenta, vel in Regis, vel in moderatoris conſiliorum noſtrorum, vel in Commiſſariorum delegatorum manibus, in ſpatio 4 ſeptimanarum, ab inſcriptione confœderationis noſtræ ad acta Caſtrenſia deponant, obnixè petimus. Quia verò quævis Reſpub. armis & conſiliis floreſcit, quæ eò validiora præſentes motus publici exigunt, ideo ad latus Mareſchalci noſtri petimus & deſignamus coſiliarios: Ex Palatinatibus Majoris Poloniæ, Joannem Vzatowski Subdapiferum Dobrinenſem, Alexandrum Zychlinski Subcameraridem Caliſſienſem, Adalbertum Trzebicki Caſtellanidem Spicimirienſem, Joannem Zakrzewski. Ex Palatinatu Siradienſi Michaëlem Raciborski Morſztyn Capitaneum Siradienſem; Adalbertū in Buzenin Pſtrokonski Dapiferū Siradienſē, Joſephū Wieruſza Kowalski, Stanislaū Pſtrokonski. Terra Vielunenſis differt electionē Conſiliariorū ad comitiola proximè ex limitatione iminentia. Idē facit Palatinat⁹ Lencicienſis. Ex Palatinatib⁹ Cujavienſib⁹ Andreā de Lubraniec Dąbski, Capitaneū Nakielenſē, Mathiā Gąſierowski Capitaneū Radzieiowski, Chryſoſt: Dorſzowski Generalem adjutantem Exercituum Poloniæ, Adalbertum Poleski Subdapiferum Inovladislavienſ. Terra Dobrynenſis, item Palatinatus Ravenſis per legatos Terræ Goſtynenſis differt electionem Conſiliariorum, ad Comitiola proximè ex limitatione imminentia. Quibus Conſiliarijs unà cum Mareſchalco Deputatis ad latus Regium commoraturis damus facultatem, & poteſtatem ex re, & occaſione boni publici in omni neceſſitatis circumſtantia in præſentis temporis conjuncturis, judicandi, exequendi, & per pluralitatem votorum concludendi, & quidquid ex re & opportunitate, pro bono Reip. occurrerit, effectuandi. Et ſicut in unione animorum exoptamus animitus ſubſidium ferre Patriæ, ita ad commune bonum, communemq; defenſionem relinquimus ſpatium Palatinatibus & terris qui nobiſcum viritim non cōparent, eligendi, tū ad Principis tū ad Mareſchalci lat⁹ Conſiliarios eligendi, quorum quisq; oſtenſis ſuæ electionis patentib⁹, prævio juramento locum ſui Palatinatûs vel Terræ in conſiliis occupabit. Hæc itaq; Confœderatio ut eò certiùs firmiúsve ſuum pŏſſit ſortiri effectū, juramento tam à nobis Mareſchalco, quàm à Mareſchalco nobis uti etiam nobismetipſis invicem deponendo conſcientias noſtras obligamus.

JURAMENTUM SENATORUM & MARESCHALCI.

Ego N. juro DEo Omnipotenti me muneri officij mei & obligationi mihi in hac Confœderatione impoſitæ à Civibus Regni Poloniæ pro viribus & facultatibus meis ſatisfacturum, & quidquid officium meum concernit, juxta DEum, conſcientiam, legesq; publicas executurum, poſtpoſito omni reſpectu, & privato quovis emolumento, nec in tractatus quosvis, vel conſilia in perniciem Reipub: cum quibuscunq; perſonis per conferentias & correſpondentias me intermiſcendo, in omnibus tum alijs occurrentibus Reip. tum etiam bellicis negotijs, omnia ad bonum publicum directurum, nec ulla arcana conſiliorum noſtrorum cuipiam proditurum, ſic me DEus adjuvet.

A.C.1702 *juvet, & innocens Chriſti Paſſio.*

JURAMENTUM COMMISSARIORUM & CONSILIARIORUM.

Ego N. juro DEo Omnipotenti, quòd mea obligationi, mihi in hac Confœderatione à Civibus Regni injunctæ ſatisfacere conabor pro poſſibilitate, & debito meo, in conſilijs ſenſibusq; meis, quos proponam, juxta DEum, conſcientiam, legesq; publicas, nulla quærendo privata commoda, aut emolumenta, nec in judicijs amicitiæ & inimicitiæ, munerum vel promiſſionum habendo rationem; nullas cum ullo privatas habebo conferentias, aut correſpondentias, in perniciem Reip. in omnibus conſcientiæ dictamen ſecutus, arcana conſilia, judiciaq; nemini prodam, ſic me DEus adjuvet & innocens Chriſti Paſſio.

JURAMENTUM CIVIUM REGNI POLONIÆ.

Nos NN. juramus DEO omnipotenti, juxta obligationem noſtram factam Mareſchalco circuli noſtri, noſtrisq; Commiſſariis, pro fide, & Eccleſia Catholica, pro Mte & libertatibus noſtris ſine ulla dismembratione, & diviſione noſtri, eo usque, donec perfectè tota Reſpub: pacificata fuerit, & donec nobilium fratrum noſtrorum hoc vinculum duraveritt, conſtanter nos ſub directione Mareſchalci & Commiſſariorum ad latus ejus deſignatorum, perſeveraturos, nullas ab aliquo ſuſcipiendo corruptiones, nulla priuata faciendo conventicula, nec ullis ſeſe turbinibus immiſcendo, unicè DEum & integritatem Reipub: intendendo, illi vitam & ſangvinem conſecrando, ſic nos DEus adjuvet, & innocens Chriſti Paſſio.

Quia verò nondum Comiſſarij ad latus Regium & Conſiliarij ad latus Mareſchalci Deputati, ſupra nominato ſe obſtrinxerunt juramento nullus eorum ad conſilia quævis admiſſionem prætendet, donec Confœderationis noſtræ coram Mareſchalco impleat juramentum. Secundet itaq;, & benedicat intentis noſtris DEus Optimus quem in auxilium nobis aſſumimus, conformandoq; nos tam fortunato vinculo, tritâ Majorum viâ communi defenſioni nos accingimus, expeditionem in quibuſdam Palatinatibus & Terris condictam, in aliis per comitiola cōſtitutam approbamus, præſertim in Palatinatu Siradienſi, Cujavienſi & terra Dobrynenſi, aliis verò Palatinatibus & Terris concludendo firmamentum noſtræ Confœderationis juramentis confirmatæ, concluſionem mediorum pro defenſione differendam permittimus ad conferendum cum fratribus, ſperantes, quòd, ſicut in hoc loco unà nobiſcum pro fine habuerunt ſalutem publicam, ita ſeriam navabunt operam, ut quàm promptiſſima naturalis defenſionis media provideant. Palatinatus verò, qui ex limitatione non eſſent habituri comitiola, eorum deſignationem inſtantaneè à Rege poſtulabunt, ex fine præciſè inveniendorum mediorum defenſionis, in tam arduis circumſtantiis, & conjuncturis Reip. legati verò ex circulo noſtro deſignati intimabunt Mareſchalco, non tantùm expeditionem in quibuſdam Palatinatibus jam concluſam, in quibuſdam brevi in comitiolis ex limitatione imminentib⁹ conclu-

concludendam, verùm etiam, noſtrum futurum pro ulterioribus con- *A.C.* 1702
ſilijs congreſſum, ad locum ab eo ex circumſtantia temporum, & rerum deſignandum, ut quidquid ex convenienti caſu & motu hoſtilitatis emanaverit, conſulatur, & occurratur.

Quoniam verò Palatinatus Majoris Poloniæ ex certis rationibus juramentum diſtulerunt, ſpem habentes, omnes fratres, qui nondum huic tam ſancto operi acceſſerunt, vota ſua appoſituros, & in majore brevi numero nobis conjunctos, idem juramentum expleturos, ideo documenta juramentorum cum ſubſcriptionibus manûs propriæ Directori Conſiliorum noſtrorum reddenda erunt. Si verò per malevolentiam fati illos nunc non comparentes, afflicta Patria ad corroborandum, & exequendum juramentum non commoveret, in primo congreſſu noſtro, per innoteſcentias à Mareſchalco determinando, ſine quavis prolongatione, tam Senatores nobis confœderati, quàm fratres noſtri, unà nobiſcum circa bonum publicum zelantes, juramentum ſeſe depoſituros nobili verbo appromittunt; quod & alii Palatinatus & Terræ hic nobiſcum ad commune conſilium congregati, quia nondum idem fecerunt juramentum, facturos ſeſe aſſecurant, non comparentes verò, Patriæ, & fraterno amore invitantur. Quæ confœderatio ſtatuum Reipublicæ, Provinciæ Majoris Poloniæ in vim naturalis defenſionis facta, ſubſcriptionibus, præſentium ex Palatinatibus, & Terris Legatorum & Senatorum roborata, ut omnibus innoteſcat, ad Caſtrenſia acta mittendam, & typo mandandam Mareſchalco committimus.

XLVII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN: & SAMB. CARDINALI PRIMATI. 1. Januarij. An. 1703

Quandoquidem conſilium ultimum commiſit nobis diſpoſitivè & dextrè exquirere ſenſum & affectum in nos vicinorum, quid ab illis ſperandum ſit in præſentibus tam neceſſarijs & difficilibus conjuncturis; eodem planè momento, quo comparuit hic Baro Hoverbeck Regis in Pruſſia Ablegatus, compellavimus illum in conferentia privata, an habeat plenipotentiam & Inſtructionem ad conferendum & tractandum, ſed ille repoſuit, utrumq; ſibi deeſſe, attamen ſcripturum ſe & utrumq; à Principali ſuo requiſiturum appromittit. Interim lucrando tempus an non melius foret per tertias perſonas ſine charactere probare illam aulam, altiſſimum tuum expectamus conſilium humillimè precando, ut confidenter exprimere digneris, quid proponi, quid requiri, & quid promitti illi debeat. Addes Eminen: Princeps non tantùm bono publico, quod ab altiſſima tua mente vel maximè dependet, magnum momentum, ſed & Regem Seren: obligabis, & nobis qui nihil magis deſideramus, quàm ut benè ſit Patriæ, hanc monſtrabis viam, quæ ad conſequendum finem maximè convenit. Quòd cum debito cultu gratulando hodie incipientem annum dum exprimo &c.

IDEM CASTELLANO CRACOVIENSI. 8 Januarij.

Neſcio quo infortunio meo inter iratæ ſortis procellas id accidit, ut cum omni ordinario ſcribam, à te nullum reſponſum accipio, & id eò graviùs eſt, quod alij eam fortunam habeant, quâ ego fatô meô privor. Ac propterea etiam cautiùs ſcribere debeo, cum credam

*A.C.*1703 dam literas meas ad te non pervenire, quando nullo meo demerito reſponſa non recipio.

Reflexio tua ſecretiore ſtylo expreſſa, quòd certæ perſonæ aliquoquo modo in partem Regis induci poſſunt, magnam reflexionem meretur, & credo, quòd id ad mentem tuam fiet quandoquidem nihil magis optamus, quàm ut ea inveniri poſſint efficacia media, ut tandem aliquando tranquillam videamus Rempub.

Legatio ab Anglia & Hollandia jam appropinquans cum determinatione poſitiva quòd velint pacem, ſpem nobis talem qualem facit, quòd tandem melior veniet reflexio, & quòd ampliùs amicum & fœderatum Regnum non manebit ſub malleo. Ego libenter haberem pro antiquo affectu, ut hi, qui ſpem in armis ponunt reflectere ſe vellent, & maturè ſatiùs mediis pacis, quàm ſtrepitu armorum ſecuritatem ſibi providerent, quia quidquid præcipiti via certum deſerit ordinem, lætum non habet exitum. Et ego pro conſcientia credo, ſcis ea tu ipſe & multi non ignorant, & præcaveo, quòd nulla ſalus bello. Quod tibi pro omni confidentia inſinuare potius volui, ne quid unquam excuſandum habeam.

Coſatici motus, ſpero brevi ceſſabunt, & confundentur illi, qui cauſam eorum in Regem rejiciunt, ad quos nec directè, neq; indirectè pertinet. Det aliquando DEus potens, & imponat his diffidentiis finem, redeat antiqua, debita & ſolita inter ſtatus combinatio, tunc redibit etiam antiqua Regno noſtro fortuna. Notitias aulæ noſtræ habes aliundè, nihil etiam eſt particulare quod comunicatione & tuâ curioſitate ſit dignum, ac proinde finio voto ab initio novi anni antiquo, ut Domum tuam benedictionibus ſuis impleat, & mihi ſuppeditet occaſiones ad demonſtrandum in effectu, quàm ſim &c.

Raphaëlis Leſczynski

IDEM SUPREMO REGNI THESAURARIO eâdem die.

Literæ tuæ de data 27 Xbris anxium me reddiderunt; neſcivi enim, quò reſpondere deberem. Scripſeram jam in Majorem Poloniã, ſed fruſtra, quia dum ſigillabam, accepi notitiam in alias te migrâſſe terras, & habui fundamentum credibilitatis ex iiſdem tuis literis, quòd te præparares ad iter etiam in debilitate ſanitatis tuæ; Et hic ſtatim liceat incuſare, ſed fraternè modicum affectum tuum; Ita nocentius vulnus eſt, quod cordi propius, quòd mihi non nuntiaveris in tempore, quamvis enim & ſenex & debilis, obviâſſem, & ubicunq; voluiſſes, excurriſſem, ut tecum conferre potuiſſem, nam etiam celeritas deſiderio mora eſt. In Domino enim mihi videtur, quòd ſi te inter certamen amoris, & officij alloqui poſſem, fieri multa in rem boni publici poſſent cum pluribus ſuſpicionibus, & ſiniſtris interpretationibus à te amotis palàm tibi facerem, quòd præſumptiones, quanquam aliquando parum juſtæ multum noceant; Sicuti v. g. nunc præſidium Poſnanienſe, quanquam abſolutè ſine noſtra Miniſtrorum deſtinatum fuerit notitia, non tamen ſine ratione, & ſine ullo libertatis præjudicio, quia nunc de opprimenda nulla eſt cogitatio, & id fide honeſti viri aſſevero.

Iter tuum Varſaviam multis ſubeſt interpretationibus, ego verò in meliorem illud accipio partem, quia te ſcio cauſam libertatis ſuſcipere, & debere & poſſe, & dico, quia bonæ fidei ſum Catholicus, quòd prudentia tua ſit convicta in eo, quòd ſi malè erit in Patria, malè erit & nobis & quòd nec fortunæ, nec perſonæ noſtræ poſſint eſſe extra pericu-

riculum, & quod majus eſt & Religio, & libertas caſui ſubjicientur. Spem firmam habeo, illudq́ credo, quòd & Primas avertet hæc, quæ ſunt inevitabilia, fidei libertatisq́ pericula, & in conſortio tuo aſpera in vias planas reducere conabitur, cum nec boves uſq́ ad radices herbam carpant. Scriberem plura, ſed ex experientia vereor, quia malevolus animus abditos ſed crudeles dentes habet, quia jam & confidentes ſchedulas ſcribere non licet, quandoquidem copiæ earum ſeptuaginta & pluribus interpretationibus ſubſunt; faceſſant iſtæ criminationes & recriminationes ineptæ; illud tantùm dico, quòd nobis debitum, & neceſſitas impoſita eſt, nunc tempus adventat, vel potiùs jam adeſt, ut omnes de pace ſtabilienda cogitemus, ſi volumus ſervare univerſum, quia, ſim falſus vates, non ita res procedent, ut ſupponimus, nec ſpes emergendi niſi nova conſilia capiantur. Premitur non perfunctoriè cor meum, dum conſidero, imò dum apud me experior, quòd innocens, & miſer populus ad ultimam vergit ruinam, & id propter internas diffidentias. Ah ſi liceret coràm te alloqui; miſerere chariſſime frater, cogita, quòd DEO reddemus rationem, & poſteritati omnium actorũ noſtrorum. Si quis ad procurandam juvabit pacem, DEUS illi benedicet; ſi quis contra aget, ſi quis diffidia in populi deſolationem excitabit, DEus, qui potens eſt, deprimet eum. Domus Sapiehanæ fortuna in eo conſiſtit, ut ad pacem ducant, ſi finem miſeriarum quærunt non mutationem, dico id coram DEO, quòd aliàs ſubtrahet DEus ſuam ab illis benedictionem, dant animum ad ſcribendum ultimæ miſeriæ. Securitas in manu eſt & talis, quâ nullâ melior. Effundo cor meum coram te; neceſſe enim eſt, ut Patriam & illos juvemus. ad quod ego omnem conatum applicabo. Faciamus ergo quòd in nobis eſt, & DEus non deerit bonæ voluntati noſtræ, & in manu forti ex hoc infortunio nos educet. A.C. 1703

De affectu Regis non dubites; plus amaris, quàm credere poſſis, nec plura.

AD REGEM DANIÆ

AUGUSTUS II. &c. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino Friderico IV eâdem gratiâ Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum, Gottorumque Regi &c. ſalutem &c.

Sereniſſime & Potentiſſime Princeps &c. In quo ad præſens rerum Statu verſemur, tam benè cognitum Mti Vræ exiſtimamus, quò minùs eandem latet, quàm impenſis conatibus cœlo & orbe teſtibus ad reſtabiliendam tranquillitatem, & ineundam honeſtam & ſecuram pacem cum Rege Sueciæ enixè inhucuſq́ allaboraverimus. Aſt videntes in irritum cadere omnes ſollicitas curas, & applicationes noſtras, maturè colligimus, quòd optimæ intentiones noſtræ exoptato ſint cariture effectu, nec ſpes jam fœderis aut pacis extet. Hinc omni meliori modo proſpecturi ſaluti publicæ nuperrimo tempore magnum conſilium ex omnibus Provinciis integrè coadunatis congregavimus ad providenda media, expurgandi hoſtibus Poloniam, & hiſce periculis liberandi. In quo præfato conſilio magno tandem poſt maturas deliberationes ad attingendum hunc ſcopum nihil expeditius viſum fuit, quàm ſi conjunctis viribus arma

A. C. 1703 *& ſtudia cum vicinis Principibus ſociarentur, taliterq; concluſum & determinatum eſt, nemine contradicente, ut eo nomine externas poteſtates ſine mora invitaremus, cum iiſdemq; medio tractatûs conveniremus, qualiter Rex Sueciæ obligari poſſit ad amplectendam pacem, & reſtituendam publicam quietem. Porrò cum Sereniſſimis Anteceſſoribus noſtris toti Reipub. ſancta ſemper fuerunt leges amicitiæ, & vetuſtiſſima fœdera ex communi intereſſe quod nos naturaliter connectit ad mutuam utilitatem, commodum, & ſecuritatem ſincerè procurandam & promovendam; in hac itaq; optima fiducia minimè dubitamus, quin & anteriorum temporum memoranda exempla, & ſingularis Sereniſſimorum Mtis Vræ Anteceſſorum pro integra Reipub. hujus conſervatione attendentia, & ita conjuncta ab omni ævo communis habita cauſa, quæ inter utraq; Regna intercedit, & Mtem Vram inclinatura ſit, ut ipſamet opportunis remediis ſuccurrere, & obviare velit, ne Corona Sueciæ vaſta deſtinata ſua, quæ altiùs, quàm par eſt, intendit, perducat ad effectum. Commoveant pectus Mtis Vræ & præteritæ reflexiones, & præſentiſſima nobis impendentia pericula, ut tales tempeſtivè adinveniat rationes, quomodo conjunctim nobiſcum ac Repub. Mtas Vra hunc torrentem malorum ſiſtere poſſit. Indicatura nobis ſine mora intentiones & diſpoſitiones ſuas, quarum communicatio in his circumſtantiis nullam moram patitur. Augebit perinde Mtas Vra tantò magis Jura amicitiæ, cumulabit gratas obligationes, quas omni tempore debito cultu & affectu hac recognoſcet Reſpub. quæ & anteacta ſubſidia ſibi à Corona Daniæ exhibita triſti illorum temporum fato, quo jam conclamatum erat Poloniæ exitium, perenni recolit memoriâ, nihilq; deeſſe patietur, quod ad demonſtrandam mutuis officiorum teſtimoniis gratitudinem neceſſè fuerit. Præſtolabimur igitur avidiſſimè indilatam à Mte Vra certitudinis notitiam. Cui de cætero bonam valetudinem, & proſperrima quæque à DEO precamur. Dabantur Thorunii Menſe Januarii.*

XLVIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN: & SAMB. MAGNUS REGNI CANCELLARIUS, ALEXANDRO SALAROLI THEATINO REGIO MINISTRO. 4. Jan.

Stephanus Potocki. FEcit Rex, quæcunq; potuit pro lucrando Domûs Potocianæ affectu, & quandoquidem Scipio minor, quod ego ex corde optaverā cedere non potuit Capitaneo Cziercaſſienſi, data tamen & non tantùm verbo Regio, ſed etiam ſcripto confirmata ſpes primi vacaturi Regni officij, & pro meliori demonſtranda confidentia expeditus eſt idem Potocius Varſaviam, & ultra, ut ſtabiliendis in partem Regis & Reip. invigilaret commodis, & utilitatibus. Obſtrictus imprimis amore Patriæ, ſepoſitis quibusvis, quæ provenire poſſunt, ex dilata ſatisfactione rationibus, in ſuppoſito appromiſſæ gratiæ omnia ea faceret, quæcunq;

cunq;

cunq; amor in Patriam, naturalis Domûs Potocianæ in Reges fidelitas, A.C. 1703
explorata ejuſdem ſuadebit prudentia. Cumq; venerit Varſaviam, ante omnia curabit, ut Cardinali Primati deferat, quòd Rex Seren: toto conatu procuret pacem, toto corde illam optet. Deinde, quòd, quidquid ad correctionem jurium, immunitatum, & libertatum pertinet, omnia ea non tantùm promittere ſed & effectu adimplere paratus eſt. Securũ inſuper reddet eundem Cardinalem, quòd, quidquid in ordine ad ſtabiliendam fecerit pacem, non tantùm coram DEo meritum, quòd à preſſura pauperes homines liberabuntur, non tantùm coram toto orbe famam, & gloriam, quod per cooperationem ſolidam ejuſdem tam grave finietur bellum, ſed etiam in corde Regis particularis manebit obligatio, ſi illum ex his extraxerit difficultatibus, in quas involuntariè ingreſſum ſe agnoſcit. Finietur per pacem non tantùm omnis undique pauperis populi oppreſſio, ſed & juſtus metus, ne omnes nemine excepto pereamus, quia ſi hic ignis promptè, & indilatè non extingvetur; Si ulterior hoſtilitas continuabitur, poteſtne in Polonia eſſe aliquis, qui perſonæ ſuæ, & fortunis perpetuam poſſit ſperare & promittere ſecuritatem. Idipſum & omnibus, quos vel Varſaviæ, vel in itinere videbit, & alloquetur, prò prudentia explicaturus eſt dictus Gubernator explicando ſemper verum & ſincerum Regis deſiderium, ut antiquam reinducat tranquillitatem.

Si accideret caſu vel occaſione videre quempiam ex Domo Sapiehana, pro confidentia, libertatem habebit repræſentandi, tam gravem undique ruinam, tam frequentes inde contra Domum eorum acclamationes, quæ eò magis augebuntur, quò diutiùs durabit bellum, eò difficiliores in partem illorum erunt conditiones, quò major erat nobilitatis læſio; ac proinde nonne melius eſt, ut citiùs hæc finiantur, quæ tamen finiri debent, & fortè non ita finientur, ut illi credunt; imprudentium iſta fiducia eſt, fortunam ſibi ſpondere; quandoquidem ſpes dethroniſationis nulla, cùm evidentia manutentionis in manibus ſint media; aſſequi poſſunt omnia ſi properabunt, amittere ſi cunctantur, & in quibuſdam rebus ſatius eſt decipi, quàm diffidere.

Punctum ſecuritatis, ut ea, quæ inſtat tempeſtas prætereat, quod videtur difficillimum, ulterius tempus non facilitabit, imò majores ponet obices. Hæc autem provideri poterit non tantùm per Guarrantiã vicinarum & remotiorum potentiarum, ſed etiam in Polonia ita ſtabiliri poteſt, ut eam ſecurè acceptare poſſint, non ſint in numero illorũ, qui, ut aliis noceant, ſui ſunt negligentes, modò ſincerè ad deſideratam omnibus pacem cooperari velint.

Cùm venerit in Ruſſiam, ante omnia id curaturus eſt, ut Domum ſuam exemplo Prædeceſſorum ſuorum, qui ſemper Majeſtatibus fideles erant, nec ſolebant ſe ventilare in omnem ventum, certitudine ſinceri affectûs Regii, & imprimis amore in Patriam, in partes trahat Regis, ad cujus electionem vel maximè contribuerunt, ſecuros reddendo omnes & ſingulos de ſincero debitoq; cum omnimoda gratitudine Regia reſpectu.

Si verò venerit occaſio colloquendi cum viris militaribus, Regium ex corde dolorem explicaturus eſt, quòd exercitui non tantùm in deſeruitis ſtipendiis, ſed etiam in hyberno pane non ſit ſatisfactum, cùm hæc neceſſitas indiſpenſabilis Regiæ perſonæ defenſionis interceperit. Illud verò certum eſt, quòd ubicunq; copiæ auxiliares exercitûs Saxo-

A.C. 1703 nici conſiſtunt, ibi ærarium privatum Mtis ſuæ hybernalem exſolvet panem ſecundùm datam declarationem legatis ab Exercitu miſſis. De ſatisfactione verò ſtipendiorum quàm celerrimè, & quàm perfectiſſimè, modo Dñus DEus Patriæ reddat tranquillitatem omni niſu ſua Mtas conabitur.

Et hæc ſunt quæ genuinè tibi ſignificanda credidi, ut poſſint aliquando recedere verba, quæ charitatem vulnerant, & ne dicatur de nobis, quòd agere aliquid videamur, cùm nihil prorſus agamus. Non dubitando quòd tu rem ad rationem reduces &c.

EIDEM IDEM Thorunio 10 Januarij

NON eſt quòd metuas, à multis retrò annis contractam familiaritatem, unquam ſilentio direptum iri, non enim ita torpet, aut langvet mutuus amor noſtrûm ut frequentioribus literarum alloquiis fovere eum ſit opus. Abſentem cœlo, animo (ſcribas, vel non ſcribas) ſemper te habeo præſentem, & fruſtra tarditatem literarum tuarum excuſas reciprocatione, quam interdum diligentius præſtant, qui minus amant, quia illam ego re & factis metiri ſoleo.

Eodem die, quo ſigillum mihi datum erat inceperat conſilium, ut vocatur juſtè magnum Thorunii, cujus hoc eſt fundamentum. Reſpub. planè univerſa congregata, ſub Sendomiria generalem formavit confœderationem pro ſalvanda fide orthodoxa, legibus Patriis, & Rege noſtro legitimè electo, quia verò ex re, & ſerie rerum cohærentium, multa conſilia mire eſt neceſſe, ne Rex ſit ſine conſilio, limitans actum deſtinavit, eadem confœderatio, ultra Miniſtros Statûs pro more, & Senatores protunc ad latus Regis manentes, tot, & tantos ex Equeſtri Ordine Deputatos, quos ſibi in Comitiolis à Rege tunc extraditis, quivis Palatinatus, & Diſtrictus eligere debebat, qui pro libitu Regis ad locum, & tempus à S. M. deſtinatum convenirent, & jus tractandi omnes materias Statûs, concludendiq; omnia haberent. Eſt hoc quidem inuſitatum in Regno noſtro, ſed imprimis in bello pereunt diſcrimine nullo amiſſæ leges, quid liceat neſcimus adhuc. ſed cuncta licere credimus. Item extrema mala extremis remediis curari debent, ego non ſum author, non eram, non fuiſſe me ſub Sendomiria fateor, & forſan glorior.

Hoc ergo conſilium magnum Varſaviæ inceptum, ſed propter paucitatem Deputatorum limitatum, & Thorunium translatum, DEI nomine invocato incepimus abſente Rege, ut eo major libertas conſulendi appareret. In quo lento paſſu procedere debuimus, majorem conſulentium expectando numerum.

Cùm verò fuiſſet facta confœderatio Provinciæ majoris Poloniæ, ſub directione D. Dąbski Inovroclavienſis Gubernatoris voluimus, ut eadem confœderatio jungeretur nobiſcum, ſed multæ erant difficultates; ſciendum autem, quod Palatinatus Poſnanienſis, & Caliſſienſis contrarii ſint huic confœderationi. Interim Legati Angliæ, & Hollandiæ ad Regem Sueciæ tendebant, Rubiſſon Angliæ, & Craneburg Hollandiæ, & diſputatum utrum hac tranſire deberent, ſed non permiſſum, cum nihil ad Regem Sereniſſimum haberent.

Tandem 2 Decembris venit ad nos confœderatio Majoris Poloniæ, ſed ſine Mareſchalco obſtante Dño Stephano Potocki Capitaneo Czerkaſenſi ſed poſtea condeſcendente.

IV. Decembris venit epiſtola Dñi Caſtellani Cracovienſis, qui tenebat

nebat, ne exercitus in tot loca diſtractus infirmior redderetur ad omnia, quam & publicè legimus, atq; ei ut reſponderem injunctum habui, & habuimus conferentiam apud D. Procancellarium, qui tum infirmabatur, quomodo ſit expediendus Ablegatus ille, qui ab eo venerat. Deſideraſſem complacere *ei*, & non tantùm verba dare, quæ ventrem non implent, & idcirco ſollicitabam cum omni calore aliquam conſolationem effectivam pro exercitu, quam ego libenter apud ſuam Mtem eviciſſem, ſi evinci id potuiſſet quod non eſt, & ſic rationibus tantùm, & verbis certatum eſt. Reduxi in memoriam Ablegato homini capaciſſimo, quòd dum magnus ille Romanorum Dux non potuiſſet ſolvere, quod tunc prætendebat exercitui ſuo, hoſtilem eis monſtravit campum; cur me querelis exanimatis veſtris? Ecce viri ſtipendia veſtra, ecce ſpes præmij, ſolatium laborum! eamus audacter, vincamus fortiter, & nobis ex hoſte ſolvamus. Quod ab inope pro tunc Repub. habere nequeunt, credant, quòd hæc, non quia difficilia ſunt non audemus, ſed quia non audemus difficilia ſunt; in malo interim ſucceſſu bonam ſpē conc[illegible]ant, nihil inſperatum, omnia bona ſperanda ſunt, nam certè plus habebunt, quàm cupiunt. *A.C.* 1703

Fuerunt multæ ablegationes ex diverſis Palatinatibus invehentes contra Saxones, quorum inhumana quædam crudelitas cauſa eſt, ut multi Saxonici imperii pertæſi Sueticam partem in deſiderio habeant, ſed aliter reſponderi à me (cujus dignatur ab ore Rex in hoc orbe loqui) pro tempore non potuit, niſi ut pellamus ex Patria Suecos, tunc non erunt Saxones. Quod non tantùm ad gratiam dixi, ſed ita ſentio, & candidè ſcit Rex Sereniſſimus quæ vellet, videt quæ nollet, nec paterentur ſceptra monitores, & bis ad eundem lapidem nemo offenderet. Redijt meus Pleſzowski cujus relatio explicationem meam longè ſuperavit, & nihil eſt quod dubitem, quòd vota ſuos habuêre Deos, optimum reſponſum tulit à Theſaurario Regni Leſzczynski, undè lætatus ſum Reipub. & Regis cauſa, & mihi ſupercillium ſaliit, venturum ſe, & ſe in meam comiſſurum fidem promiſit, dummodo convaluerit, maximo enim calculi dolore tunc afficiebatur; uſque adeo variat ſors variatq; citò, quod conabor manifeſtum facere, dum illum videro, ô ſi mihi daret tabulam cordis ſui, eſſem illi Moyſes, (ſi dicere fas eſt) inſcriberem digito DEI Decalogum novum ſerviendi Patriæ, inſcriberem brevem ejus ſalutis viam, lumen lumini conferendo, & veritati veritatem conciliando.

Ablegati Litvani D. Pocieij D. Wołowicz, & alij inſtabant fortiſſimè, ut hic & nunc declaretur Regimen majus exercitus Litvanici, & aliæ dignitates. Quantam difficultatem in eo habuerimus impoſſibile eſſet exprimere, ſed poſtquam multum ſudavi, & alſi, nam collega in lecto, ceſſerunt precibus, & rationibus meis ſatis appoſitis ad perſuadendum, dum perſuaſi emolumento publico, vel maximo oſtentatione nulla, & tandem vexare quidem fluctus, ſed mergere cymbam non potuêre, dum poſt multas difficiles, & quæ conſuetudine in controverſias omnium injuſtiſſimas introducta, ab initio impoſſibiles videbantur contrarietates, contradictiones ſuperavi cum DEI auxilio; 15 Decemb. finitum eſt hoc conſilium grande, cujus brevi originale impreſſum videbis, nec credo tibi diſpliciturum, ſi verò invenientur, ut facilè credo, quibus diſplicebit, quanquam me ſcio caviſſe, ne ulli meritò contumelia fieri à quoquam poſſit, ſi iniqua audebit Zoilorum licentia, malè loqui, qui Diis etiam detrahunt in promptu, & ut nihil quando-

*A.C.*1703 quæ ſciunt, ita omnia carpunt, reſpondebo cuivis cum Ariſtippo, qui contumeliis à quodam petitus dixit, penes te eſt maledicere, penes me autem recte agere.

Contempto livore ratem procellis commiſimus, forſitan æquus rerum æſtimator, aut conatum noſtrum laudabit, aut ſaltem non reprehendet, ego quod potui feci, non ignarus bonitatem divinam, animum etiam, ubi vires deficiunt, paternè reſpicere, cæterùm dicam, ut Socrates ex Ethnicis ſapientiſſimus mortalium, calce à quodam percuſſus in publico, monitus ut hominem repercuteret: An inquit ſi aſinus mihi calcem impegiſſet, recalcitrarem. Vetuſtas olim lamias finxit domi cæcas, foris oculatas, tales iſti aliena vitia in oculis habent, à tergo ſua, & alienos mores, curioſa nimis quærunt indagine, proprios non attendunt.

De morte interim venit notitia Dñi Joſephi Lubomirski Magni Regni Mareſchalci, qui virtutis nullum ſignum oſtendere valuit & in malignitate ſua conſumptus eſt, ita ut ſpes de eo, quam Sanctæ memoriæ Rex Joannes conceperat, tanquam lanugo fuerit, quæ à vento tollitur, tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, tanquam fumus qui ab àëre diffuſus eſt, tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis, fuitq; tanquam extincta lucerna, quæ neque priuſquam accenderetur, lumen habuit, neq; cum extincta eſt, habet, ſcis illum ante aliquot annos cum ſua conjuge Principiſſa tot virtutum, ſeparatum fuiſſe. Miniſterium hoc vacans declaratum eſt D. Belinski Mareſchalco minori, & nos voluimus minorem Dño Stephano Potocki, ſed evicit alia pars, & ſic ceſſit Dño Dąbski, tempus feret de illo olim judicium. Interim ego jurisdictionem fundavi in judiciis & multas cauſas præſertim Thorunenſes judicavi.

Rediit etiam meus V. Colonellus Hammer, vivere Regem Sueciæ retulit, quem oculis ſuis vidit; DD. Sapiehas, modò ſecuritatem habeant à ſua Mte, libenter redire velle attulit, ſed jam non licebat gradum referre rebus (ut eſt in proverbio) admotis jam ad novaculam.

Habui aliquam differentiam cum D. Prependowski Palatino Mariæburgenſi circa Succamerariatum Culmenſem, ſuſtinui tamen eum, cui verbum dederam D. Capitaneum Brodnicenſem Kaweczynski & doleo valde non eſſe contentum Palatinum, ſed quia pertinaciter inſtabat, quæ ego per honorem nunquam potui facere.

Venerunt etiam D. Epiſcopus, & Palatinus Culmenſes, quos ego cum omni cura, & ſollicitudine volo amicos reddere Regi, & ut plena cum utroq; eſſe poſſit confidentia, omninò curare, & evici, quòd Rex in expectatione alicujus melioris ſubſcriberet officium Metatoris Generalis Caſtrorum D. Capitaneo Czerkaſenſi illudq; ſuo ſigillo parvo ſigillatum reddidit D. Epiſcopo, ſed necdum eis ſatisfactum.

Ex promotione interim D. Palatini Mariæburgenſis Prependowski tanquam colligati deſtinatus fuit ad Regem Pruſſiæ D. Generalis Fleming tanquam Polonus titulo magni Stabuli Litvaniæ Præfecti inſignitus, utq; expeditio in Cancellaria mea fieret, cum totali agnitione Regis noſtri juſſus ſum, ſed expedire nec potui, nec debui, cum hæc materia, ſit materia ſtatûs, & non eſt tractata, nec concluſa in conſilio magno. Nec expediebat mihi in ipſis primordiis Miniſterij tam inſignem ſollæciſmum contra ſtatum facere, hinc magnus contra me, & Generalis & colligatorum fremitus, qui mihi ſuo, & fortè brevi tempore nocere poterit, ſed inferiùs hæc duco, aſpernor imò rideo ſimultates has,

has, & odia, quæ virtus mihi conciliat, & illibatæ vitæ conſcientia, DEUS adjutor meus, refugium meum, ſperabo in eum. *A.C.* 1702

Suadebam & ſcripſeram expeditionem, ut Rex mitteret D. Lubinski in Angliam & Hollandiam, ut quàm ſtrictiſſimè cum illis potentiis conveniret, hoc enim neceſſe credidi, ſed repoſitum mihi, habere Regem ſuos ibidem Miniſtros, & ego optabam ut Poloni ubiq; eſſent. Videndo multa inconvenientia; ſcripſimus ad omnes Miniſtros extraneos, ut quæcunq; expeditiones non veniunt ſub ſigillis Regni, non habeantur pro veris, & legitimus.

Volebant DD. Sapiehæ ut ego venirem Varſaviam, & jam Rex inclinaverat, ſed mota eſt à quibusdam ſuſpicio, ego etiam libens remanſi. Amandaverat D. Palatinus Mariæburgenſis D. Arcemberski Varſaviam ad Cardinalem, ſed parvo & nullo fructu, cui ego, quid & quo zelo ſcribam videbis in his, quæ tibi adnecto.

CONCLUSUM CONSILII THORUNENSIS in Decembri.

AUGUSTUS &c. Significamus, quibus intereſt, quod dum ſubſecuta ſunt violenta in hanc Rempub. pericula, poſt congregata & peſſimè finita in uno anno reiterata Comitia Generalia, recurſum fecimus ad Generalem congreſſum, ſolitum & neceſſarium in ſimilibus caſibus remedium per expeditionem Univerſalium literarum Reſtium, vigore quarum in virtute conſtituti Sendomirienſis & Confœderationis Majoris Poloniæ & M. D. Lit. cum Senatoribus, Miniſtris & Officialibus, omnibusq; illis, qui tam ex ſtatuto Sendomirienſi, quàm ex Confœderatione Provinciæ Majoris Poloniæ ex Palatinatibus & Diſtrictibus, ſicut etiam ex M. D. Lit. deputatis pro die 27. menſis Novembris hic Thorunium congregatis, ſatisfaciendo evidentibus Reip. neceſſitatibus, periculoſis conjuncturis, & caſibus, & quod maximum eſt, tædio publico, quod tamdiu ſine debito conſilio & efficaci defenſione fuimus, reſpondendo debito noſtro circa indictionem Comitiorum, & Conſtitutionibus eo nomine ſcriptis in ſuo robore manentibus ſingulariter pro manutentione Fidei Sanctæ Catholicæ, legum, immunitatum, & libertatum Poloniæ antiquarum, inſimul pro manutentione integritatis noſtræ & boni publici talem modum in tam difficillimo Reip. Statu ad efficacem ab extra & intra defenſionem exemplo Anteceſſorum noſtrorum adinvenimus.

Et inprimis nos ex parte noſtra Regia teſtando debitam gratitudinem Statibus Reip. qui nos liberis & concordibus vocibus in Throno Regio, uti prius collocârunt, ſic & nunc pro defenſione perſonæ noſtræ, & boni publici integritate reciproco & jurato vinculo ſe obligarunt. Tunc pro pacificatione interna, & conjunctione animorum inter nos, & omnes Reipublicæ Status id declaramus, quod ſicuti pacta Conventa ſecundùm formam juramenti à Republica nobis porrectam juramento confirmavimus, ita illa inviolabiliter in omnibus punctis exequemur, præcipuè de manutenendis pactis & fœderibus cum vicinis Principibus, de non ineundis cum iisdem potentiis externis, ſeorſivis à Rep. Tractatibus, de bello non inferendo cuiquam ſine ſcitu & conſenſu Ordinum, de indicendis Comitiis exorbitantiarũ, de eductione exercitûs noſtri Saxonici, poſt ſtabilitam Reipub. tranquillitatem, & cum Corona Sueciæ Pacem, uti fuſius diploma eo nomine in publico congreſſu

A.C. 1702 greſſu ſub Sendomiria à nobis Statibus Reip. datum loquitur, quod deſiderando in perpetuo robore conſervare, ut in volumen legum inſeratur, permittimus; ultra id pro confirmatione ſinceræ inter nos & Status Reipubl. confidentiæ, & indiſſolubilis unionis conſtitutionem anni 1699 reaſſumimus, cujus rigorem etiam nunc manutenuiſſemus, ſi neceſſitas indiſpenſabilis non impediviſſet; permittendo Statibus Reipub. in caſu contraventionis legi publicæ proceſſu in hac conſtitutione deſcripto, nos præmonendi, & illud faciendi, quod dicta lex in ſe continet, quam æternis temporibus in ſuo valore & vigore conſervamus. Inſimul omnes leges ab Anteceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ & Magnus Ducibus Litvaniæ obſervatas non fundando nos unquam in pluralitate votorum in omnibus conſiliis, quæ derogare poſſet Juri vetandi, Statibus Regni & M. D. Litv. & Provinciis annexis inviolabiliter manutenere nos obligamus: Quam aſſecurationem noſtram Conſiliarij Eccleſiaſtici, & Sæculares, & ſuperius nominati tam ad latus noſtrum, quàm ad Mareſchalcum confœderationis Provinciæ Majoris Poloniæ. Deputati in hoc conſilio præſentes gratè acceperunt, ſuo, & totius Reipublicæ nomine propter manutentionem fundamentalis ſecuritatis, tranquillitatis & integritatis boni publici, pro defenſione perſonæ noſtræ exemplo Anteceſſorum ſuorum, antiquo Polono zelo erga fidem orthodoxam, Rempub. & Mtem noſtram Regiam volendo occurrere tam nocivo Reipub. motui, ſalutaribus intentionibus & imitando voto, ſincero conſilio, & inconfringibili cordium propriorum conſtantiâ unaminiter & ſine diviſione ſub juramento & vinculo conſcientiæ, fidei Sanctæ Catholicæ ſe obligârunt & id nobis, ſibiq́, ſub fide, honore jurârunt, quòd omnes inſimul, & quivis ſeparatim, unus alium non deſerendo, tanquam unius matris Reipub. filii, unius corporis membra, penes perſonam noſtram tanquam caput ſuum, penes leges, immunitates, & libertates ſuas contra omnes inimicos hujus Reipub. ſe opponere, & dignitatem, ſecuritatemq́ noſtram Regiam ſicuti virtuoſis Polonis in Reges ſuos convenit, non tantùm ſecundùm poſſe, ſed & cum propriæ vitæ oblatione, ultimis viribus aſſiſtere, & manutenere obligant ſe. Et ſi quis inveniretur cujuſcunq́ conditionis & Statûs homo, qui huic communi unioni & conjunctioni noſtræ cum Repub. quocunq́ modo contrarius eſſet, diſſolvendo eandem, & factiones ſive publicas, ſive ſecretas in Repub. faciendo, contra talem, tanquam violatorem, & contra hoſtem Patriæ (quandoquidem nec amor Chriſtianus, nec Juſtitia DEI hoc patitur, ut omnes propter aliquos ſui oblitos perire debeamus) imò præferendo contra tales, & revocando tam Anteceſſorum noſtrorum omnes confœderationes, omnia vincula, quæ illi contra pacis & tranquillitatis publicæ turbatores in ſimilibus caſibus ſtatuerunt, ſicuti etiam propria lauda, conſtitutiones, confœderationes, nunc & in poſterum tam in Regno, quàm in M. D. Litv. laudata vel laudanda conſurgere debebunt. Contra hos verò, qui actu inter adhærentes Suecorum inveniuntur, & ipſo facto juris publici beneficio ſe privârunt, ex quo ſecundùm conſtitutum Sendomirienſe ad corpus Reipub. redire noluerunt, in quantum adhuc in ſpatio iminentis futuri conſilij non reſipiſcent, ſicuti contra manifeſtos hoſtes & perduelles Patriæ ad executionem pœnarum indilatè accedemus.

Item. Notum ſit omnibus vicinioribus & remotioribus totius mundi Nationibus, quòd poſt ingreſſum violentum coronæ Sueciæ cum Exercitibus ſuis in Dominia & viſcera hujus Reipub. ſincerâ & verâ ap-

plica-

plicatione curavimus, ut ad effuſionem ſanguinis Chriſtiani non veniretur, ſed potius per tractatus honeſtos perſonæ noſtræ & Reipub. & conditiones juſtas ulteriori bello occurreretur per Comiſſarios noſtros ex mente Reipub. totius ſacroſanctè fœdera cum vicinis Principibus manutenentis ad conſequendam pacem deſtinavimus, ſed corona Sueciæ non tantùm oblata media pacis, ſed & ipſos Commiſſarios quæſitis prætextibus cum dishonore & poſtpoſitione gentis noſtræ acceptare, & conſequenter ad tractatum admittere hactenus noluit: differendo conſultò tempus, ut omnibus Dominiis Reipub. hujus penitus ruinatis, nos ob ſpem tractatûs imparatos ad defenſionem inveniret, & ad injuſtas induceret conditiones. Manifeſtamur proinde coram DEO & externis Principibus, præſertim verò communibus Pactorum Olivenſium Gvarrantis, quòd non ex nobis procedit, ſed à Corona Sueciæ ulteriorum nocivarum conſequentiarum cauſa nos enim ad naturalem defenſionem, & maturam præparationem, pro vindicandis DEI templis, perſona noſtra, & integritate boni publici, pro ſtabiliendis antiquis jurib⁹ & libertatibus Nobilitatis, authoritate præſentis conſilii nos præparare cogimur; ad quod Status Regni & M. D. Litv. adeſſe nobis ſincerè & perfectè intendunt; exercitum in hoc congreſſu noſtro inter nos conſtitutum & inter Palatinatus, Diſtrictusq; proportionaliter diviſum expeditione Terreſtri, ſive auctione ejus erigere pro tempore & die, de quo per univerſales literas ipſis denunciabitur; nonnulli determinatè, qui eo nomine plenam habuerunt poteſtatem, alij ſalvo beneplacito fratrum obtulerunt. Quapropter univerſales literas noſtras pro Comitiolis ad omnes Palatinatus Regni & M. D. Litv. ex conſenſu communi extradimus, & poteſtate noſtrâ conſtituimus, in quibus qualiacunq; tributa ſecundùm proprium beneplacitum, ſive id pro expeditione jā dicta, ſive pro auctione exercitûs erecti conſtituent, ſicuti etiam ſolutionem exercitui actu in obſequio Reipub. exiſtenti, & media pro reparatione Artilleriæ Regni, & auctione peditatûs invenient: ſive etiam propriis pectoribus per communem nobilitatis motum integritatem Reipub. conſervare volent; authoritate præſentis conſilij approbamus, & ut hæc tributa quocunq; titulo à Palatinatibus laudata ab omnibus ſolvantur, à quo civitates nullatenus ſe excuſare poterunt, conſtituimus, & ut omnes incolæ tam Regni, quàm M. D. Litv. in ijſdem Comitiolis ad unionem animorum, & armorum ſtudia ſua combinent, & jungere curent, per amorem Patriæ obligamus, Inſuper Duces Regni & M. D. L. exercituumq; utriuſq; gentis expertam in Remp. fidem habendo, & fortes in caſtris recentibus & antiquioribus reſolutiones, ſicuti realem illis deſervitæ mercedis declaramus ſatisfactionem, ita per amorem Patriæ obligamus, ut ex uſu & arte militari ſecuritatem & Reipub. & perſonæ noſtræ procurare non intermittant. *A.C* 1702

Ut tamen penes hanc promptitudinem & proviſionalem defenſionem non occludatur via ad honeſtam & exoptatam pacem ſine ulla avulſione minimæ partis hujus Reipub. quoniam Imperator ad publicam requiſitionem, quam ad Gvarrantas dicti Olivenſes tractatus fecimus, non tantùm reſponſo nobis & Reipub. dato officia ſua, ſed & per Legatum proprium propoſitiones mediationis offerre dignatus eſt; ita, ſicuti propoſitiones haſce mediationis in deſtinata conferentia audivimus, & acceptavimus, ita & ulterius audire & acceptare non intermittemus, ſalvo charactere Commiſſariorum noſtrorum ad eum finem primo à congreſſu generali deſtinatorum; & propterea ſi certam ſpem

de

A.C. 1703 de hoc tractatu acceperimus collato cum Conſiliariis & Officialibus noſtris ad latus noſtrum exiſtentibus conſilio, inſimul cum Deputatis ex Palatinatibus & Diſtrictibus tam ſecundum conſtitutum Sendomirienſe, quàm confœderationis Majoris Poloniæ & M. D. Lit. electis, vel qui in futuris Comitiis, ubi non ſunt electi, deputati erunt, univerſalib⁹ literis noſtris certiores facere appromittimus, qui pro termino & loco præfixo cum plena facultate concludendi ad pacem, vel ulteriorem efficacem defenſionem ad latus noſtrum aderunt, & menſuras accipiendo ex ſucceſſu, & opportunitate rerum agent & perficient. Inſimul, ſi propriis viribus noſtris defenſioni ſufficere efficaci non poſſumus, tunc penes Conſiliarios & Officiales noſtros ijdem Deputati pro ineunda armorum conjunctione, cum Principibus vicinis & fœderati ex re & occaſione boni publici eâ conditione, ut per diverſionem belli non introducendo exercitus Colligatorum in viſcera Regni, & ſine ullo detrimento illius ſtabiliri poſſit, plenam habebunt poteſtatem. Interea Miniſtris noſtris in vim præparamenti & Conſiliariis præſentibus pro Informatione noſtra & ſtatuum Reipub. diſpoſitivè non definitivè cum Miniſtris eorum Principum externorum conferre, & tractare permittimus. Deſideria verò omnium Palatinatuum & Diſtrictuum ad manutentionem boni publici pertinentia, quæ ex Comitiolis futuris in imminenti conſilio proponentur, acceptare promittimus.

Quæ unio & ſecuritas ſtabilita Regni & totius Reip. ut eò citius ad notitiam omnium devenire poſſit, ad Palatinatus & Diſtrictus eam impreſſam ut mittant, & publicare faciant, Miniſtris noſtris committimus.

BREVE APOSTOLICUM PRINCIPI EPISCOPO VARMIENSI SUPREMO REGNI CANCELLARIO

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Contigit fraternitati tuæ inſignis occaſio explicandi propriam virtutem, & zelum publici boni, atq; ſalutis in munere Supremi in Regno Poloniæ Cancellarij, quod tibi Regiâ benignitate collatum fuiſſe nobis ſignificâſti; nos certè qui de incolumitate & tranquillitate iſtius Reipub. vehementer ſoliciti ſumus, DEUM enixè precamur, ut ea, quæ tuæ pietatis atq; prudentiæ conſilio egeris, tam feliciter tibi cedant, ut præter cumulatum apud DEUM meritum laudem quoq; præcipuam, perpetuamq; apud homines aſſequaris, atque his auſpiciis reſpondemus ijs, quæ recurrente Dominici Natalis ſolemnitate obſequenter ad nos detuliſti, Tibiq; Venerabilis Frater Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 13 Januarii; Pontificatûs noſtri anno 3tio.

SERMO

Sanctiſſimi Dni Nri Clementis XI Pontificis maximi habitus in Conſiſtorio ſecreto 15 Januarij.

Venerabiles Fratres. Præteritâ nocte, ut probè nôſtis, dedit Dominus metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs. Commovit terram, & conturbavit eam, ſanavit contritiones ejus, quia mota eſt, iratus eſt, & miſertus eſt nobis. Sunt hæc profectò

ctò miſerantis DEI monita, qui oſtendit populo ſuo dura, ut potaret nos vino compunctionis: ſunt Patris amantiſſimi voces, quas nos uti filios obſequentiſſimos auſcultare convenit, ne aliàs inter tot, quibus circumdamur, obſtrepentium malorum pericula miſerè indormientes exprobrari nobis audiamus Propheticum illud: percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; fecerunt peccata noſtra, ut in ea propemodum luctuoſiſſima tempora incidere videamur, de quibus Salvator noſter prædixit; ſurget gens contra gentem, & Regnum adverſus Regnum, & erunt terræ motus per loca. Quod tamen Chriſti Domini verbis utentes non ſine lachrymis dicimus. Hæc omnia initia ſunt dolorum. Adeamus igitur nullâ interpoſitâ morâ ad thronum gratiæ, & depoſito per veram pœnitentiam peccatorum pondere, obſecrationibus, jejuniis, eleemoſynis, alijſque pietatis operibus Divinam nobis miſericordiam conciliemus, & Domino cujus dies propè eſt, corda noſtra præparemus. Hæc autem ut ferventiori charitate, uberioriq; fructu fiant, cœleſtium munerum theſauros quorum diſpenſationem nobis credidit Altiſſimus, quantò citiùs proferre, & liberali manu erogare non omittemus. Interim ijs omnibus, qui mox DEO dante ad glorioſum & nunquam deſiturum Beatorum Apoſtolorum urbis noſtræ Patronorum ſepulchrum nobiſcum accedent, ac noſtris opportunā neceſſitatibus opem, quam nos privato noſtro ſacrificio ibidem hac ipſâ die humiliter invocabimus, conjunctis precibus implorabunt, triginta annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Agite ergo Venerabiles Fratres, quippe ſtatuti eſtis cuſtodes ſuper muros Jeruſalem, noctu atq; interdiu clamare, ac iram Domini flagitiis hominum provocatam, placare contendite, exinanite calicem furoris & ruinæ, calicem doloris & tribulationis. Arripite thuribulum, hoc eſt, preces Sanctorum, & medii inter ignem & arſurum populum conſiſtite. Ponite ob oculos inſtitutum, quod profitemini, perſonam, quam ſuſtinetis, ſacram, & Chriſti ſangvine rubentem purpuram, quam induitis. Sint pedes veſtri, pedes Evangelizantium pacem, ut ita conterantur arcus & ſagittæ, atq; imperet DEus ventis, & faciat tranquillitatem.

A. C. 1703

SUPPLEMENTUM INSTRUCTIONIS REGIÆ COMMISSARIIS AD EXLIMITATIONEM CUM PORTA OTTOMANNICA DESTINATIS Elbingæ 14 Maji.

Poſt expeditam inſtructionem quandoquidem Illmus Hoſpodar ſeu Gubernator Terrarum Moldaviæ cum variis per delegatum ſuum comparuit prætenſionibus, Sua Regia Mtas ex mente præſentis conſilij recomendare dignatur plenariam ſatisfactionem in his omnibus dictis prætenſionibus, ita, ut & Pactis Carlovicenſibus æternæ pacis & juſtitiæ ſanctæ in omnibus ſatisfiat.

Cùm hac occaſione requirent Comiſſarij noſtri mutuas quoque Reip. prætenſiones; & id curabunt, quatenus omnia omni meliori modo combinent, & ne mutuò tranſitus permittatur ex utraque parte mercatorib9 extra limites fundamentaliter conſtituant.

Quod attinet ad corpus B. Jvani, & ſupellectiles Eccleſiaſticas, quæ poſt mortem, ſanctæ memoriæ JOANNIS III hactenus in manu Sereniſſimorum Principum filiorum ejus hærent, convenire illos Sereniſſimus Rex dignabitur, ut ſcilicet Domus Regia quàm citiſſimè hæc

omnia

A. C. 1703 omnia reſtituat. Omnia alia occurrentia, ut efficaciter accommodari queant, committit id conſummato judicio & activitati dictorum Commiſſariorum Sua Mtas.

XLIX

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. CARDINALI PRIMATI 15 Januarij

AD literas meas in materia publica tibi ſcriptas, quòd nullum receperim reſponſum, meæ adſcribo infelicitati, quòd concurrendo ad antiquam gratiam, & confidentiam, diligenti quantumvis applicatione meâ, eam mihi devincire non poſſum. Siſthema Aulæ noſtræ eſt idem qnod eſſe debet cujuſvis etiam particularis in hoc mundo viventis, hoc eſt, ut cogitet, quatenus honorem, vitam, & quod ſequitur, manutenere poſſit, quod & particulari etiam perſonæ, vitio verti non debet, ſi id, quod unâ non ſucceſſit, alterâ aggrediatur viâ. Pax & tranquillitas eſt primum objectum cordis, intentionum & deſideriorum Regis, quod deberet etiam eſſe cujuſvis, qui bene vult Patriæ. Si hoc facto noſtro, & pro pœna gravium delictorum noſtrorum eſſe non poteſt, cùm prorâ non poſſit, lateribus navigandum cenſet Sua Mtas, quærendo & augendo media & colligationes, quæ illi poſſint auxilio eſſe, aut ad honeſtam pacem, aut ad juſtum bellum.

Dum hæc ſcribo, accipio tuas deſideratiſſimas, ubi imprimis de Kircheris & Kopernicis jocari videris, quod poſſet in me excitare curioſitatem, quatenus conſilium aliquod etiamſi à mortuis capiam, videamq́, quid nobis promittant; præcipuè cùm unius ad manum ſint opera, & aliquando illa legi, dum vacabat; alter tuus nuper, nunc meus erat Canonicus. Uterq́ horum, ſi DEus illos ex cineribus ſurgere permitteret, facilè convenirent, conſideratis nonnullis, quæ nos premunt, aliis, quæ nobis imminent, infelicitatibus, quòd omnia Reipub. tam læta, quàm triſtia cuilibet ex nobis, quos DEus in candelabro poſuit, & curam boni publici impoſuit, debent eſſe communia, ac proinde deſiderando quoquo demum modo hæc majora metu evitare mala, confidenter à te petii, & nunc reverenter quæro, quid facto opus ſit, ſuppono enim pro infallibili, quòd ſcias bene, quid agatur cum Patria, ſcias, quomodo ſit providendum, ulterioribus ne ſerpant malis.

Diffidentia in partibus Ruſſiæ non eſt juſta, & video, quòd illi ipſi, qui ab initio excitârunt, eam fovent & fomentant. In formicarum agmen, qui expuit, ei labra intumeſcunt. Ad primam notitiam ſuſpicionis injuſtæ miſſus eſt expreſſus curſor ad Czarum Moſchoviticum cū literis, quarum copiam tibi adjungo. Miſſæ literæ Univerſales ſatis ſeveræ ad rebelliſantes ſerventiſſimæ inſtantiæ à Legato Moſchovitico ad Mazeppam Ducem Coſacorum. Eſt etiam notitia inde, quòd quidā ad invidiam continuandam, alii malè loquentes, quia bene neſciunt, ex malitia tales in populo ſeminant fabulas, quæ lòngè ſunt à veritate. De cointelligentia cum Suecis ego nihil prorſus ſcio, ſed tempus monſtrabit, quis ſciat. Contributiones tam ſeveræ, & plus nimiò rigidæ in omnibus partibus exhauriunt populum, quaſi id illis opus ſit, ut hoc agant, ne quis quidquam habeat: ſed DEum nunc Judicem, mox ultorem infallibiliter habebunt. Certum enim eſt, quod ultimum extrahant ſangvinem. Palatinatus Ravenſis, impoſſibile mihi videtur, ut poſſit tam gravibus fumariis ſufficere. Bonorum meorum jam oblitus ſum, quaſi nunquam ad ſe rediturorum: ſed quid faciendum? dum hæc eſt

DEI

DEI voluntas; Dominus dedit, Dominus abſtulit; nihil eripuit fortuna, *A.C.* 1703
niſi id, quod dedit: illud tamen miror, quòd ille aſſertor libertatis his gradibus ad reſtituendas libertates procedit, & non laborat in cortice, ſed occupatur in nucleo. Loquentur interim animanda in querelas ſaxa, ipſi ſacri lapides, quorum lachrymæ excitantur.

Domini Sapiehæ dum comparuerint Varſaviæ, & dum oculi eorũ aperientur, mutabunt, credo, animum pertinacem, paratumq; vel perdere, vel perire. Primùm nimis difficilè, ſecundum cum ſummo animi mei mœrore videtur facilius. Centum Doctorum conſilia ſola Domina fortuna vincit; idem fatum in omnes ingruit, quod nunc nos affligit, & ſuam quiſq; fortunam in conſideratione habeat, cùm de aliena cogitat. DEus imprimis vindex injùriarum, pauperi populo illatarum, quæ ex hac occaſione fiunt, impoſſibile eſt, ut poſſit benedicere, nam qui exurgit ad gemitum pauperum, quomodo hæc feret? Alterum eſt, quò diutior hoſtilitas, eò major animoſitas in depauperatis, cùm ſciant ex privata injuria hoc fuiſſe natum diſſidium publicum. Tertiò, quòd Reſpublica imortalis ſit, & cura habenda eſt boni nominis & poſteritatis. Quartò, quòd intentio, quæ prætenditur, videtur impracticabilis. Nihil tam certum, tamq; exploratum eſt, quod in dubium vocari non poſſit. Cur ergo nolunt facere citiùs, quod faciendum eſt ſemel? cur non retinentur flumina lachrymarum miſeri populi; quæ nos infallibiliter ſubmergent. Gaudent protectione tuâ, ſperare poſſunt pro veteri amicitia, & noſtrùm tale quale obſequium. Securitas provideri poteſt, quæ quò celerior, eò efficacior & ſecurior. Verendum autem, nec ſine cauſa id ſcribo, ne poſt hæc velimus, quæ non erunt amplius in noſtra poteſtate: quis ſcit, an non recipient vulnera, quæ in alieno pectore deſignârunt. Hæc ſatis, aut etiam fortaſſis nimium multò, tanquam garrulus medicus, cujus eſt ſonare, & non ſanare; precor veniam, quia dum incipio tibi ſcribere, continere amplius nequeo calamum, quia illum cor ſincerum movet & promovet; ſi mihi id arrogo, & ultrò me ingero, ſcias, quòd etiamſi, aliter malevolè quiſpiam interpretari velit, hæc me cura fatiget, ut nomen tuum per introductam tranquillitatem Patriæ reddatur immortale. Ut in tractu Miniſterii mei videas, quàm optem ſincerè, ut in hac tabula raſa, cum qua ſub directionem tuam me obtuli, nec me pudebit, quamvis id exiverit inter fratres, ſcribere me velle oracula tua & mandata, quid me facere oporteat, nam id pridem didici, quomodo Patria ſit amanda? Habes ergo in me, dico iterum, tabulam raſam, ſcribere ſecurè potes in illa non atramento, ſed Spiritu DEI vivi, ut hodie legimus in Breviario, & agnoſces, quòd, quidquid ſcribo, quidquid facio, ſcribam & faciam non alio certè animo & motivo, niſi propter magnam gloriam nominis tui, cujus &c. &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD CZARUM MOSCHOVIÆ 13 Decembris 1702

POſt titulos. *Conſiderans tota Reſpublica varias in his difficillimis temporibus circumſtantias cum Legato tuo ſub tempus præſentis conſilii, conferentiam habuit, & ulterius conferendi ad latus noſtrum exiſtentibus Miniſtris licentiam dedit. Quapropter libenter haberemus, ut dicto Legato tuo in aula noſtra exiſtenti plena poteſtas, ne quid deſit, ſi ad concludendum aliquem acceſſerimus*

A.C. 1702 *tractatum, mitti poſſit.*

Publica fama tulit, quòd Coſaci Zaporovienſes ex dominijs tu-is ſe immiſcuerint rebellioni Samuſij, aliorumq; rebellium contra hanc Rempubl. ſiniſtrè publicando, quòd hoc fiat cum plena notitia tua, imò & permiſſu. Non adhibemus unquam rei huic fidem, imò ſi-miles impreſſiones à quovis amovemus, quia nunquam hoc fieri poſ-ſe credimus, ut tu æternam pacem nobiſcum & cum hac Repub. ha-bens, contraria facere, aut permittere velles. Diligenter proinde, & ferventiſſimè te compellamus, precamurq;, ut non tantùm Coſacos tuos, ſi in ea inveniuntur rebellione, revocare, ſed etiam ad punien-dam rebellionem, auxilio nobis velis adeſſe &c.

COPIA LITERARUM PRINCIPIS DOLORUKI LEGATI MOSCHOVITICI AD MAZEPPAM DUCEM ZAPOROVIENSEM.

P*oſt titulos.* Manens ad aulam Regis Poloniæ, accepi notitiam, quòd mutui noſtri inimici Miniſtri excogitatis novis, conſilio inducti malè affectorum Regi, & Reipub. Polonæ, deſiderando in Regno excitare ſcandala, infringere æternam pacem & amicitiam inter Czarum meum, & facere ultimam Regno Poloniæ ruinam, hoc publicant, quaſi ex mandato Czari noſtri aliquis tranſire debuiſſet Boryſthenem cum viginti millibus Coſacorum in hanc partem juvando & ſuccurrendo Samuſio, qui ſe dicit & ſcribit Ductorem Exercitûs Moſchovitici. Accedit, quòd iſtæ omnes rebelliones, de quibus non alius, niſi inimici noſtri hic publicant, fieri debeant ex inſtigatione conſilii, & permiſſu noſtri Monarchæ; quod Reſpublica audiendo, magnas incepit habere ſuſcipiones, ita, ut me obligatum eſſe credam deferre id tibi, ut clarè & in effectu poſſis monſtrare, quòd hæc rebellio ſine voluntate Domini noſtri, ſine ullo conſilio & minima inſtigatione incepta fuerit, nec ad commodum aliquod, intereſſeq; noſtrum pertineat, quærendo non tantùm in hoc puncto quàm efficaciſſimas juſtificationes, ſed etiam quantum poſſibile eſt, curando, ne hæc flamma in ignem excreſcat, & quæ impediat, ne Reſpub. ad naturalem defenſionem contra communem hoſtem concurrere poſſit. Pro majori confirmatione velis habere cum Ducibus Polonicis exactam correſpondentiam, non dubitando de eo, quòd ſit neceſſarium ad concludendam eò citiùs cum noſtro Czaro colligationem, ad humiliandum hunc inimicum, qui eſt utrique Dominio hoſtis, ad aſſecurandam Rempubl. quòd ex parte noſtra non tantùm æternam manutenemus pacem, ſed quòd omni modo contra inimicum communem Dominus noſter armis & argento ſuccurrere velit, cùm continuè in Dominio iſtius inimici exercitu ſuo non tantùm ruinando totam Livoniam, ſed etiam exercitus hoſtiles delendo, & in perſona ſua fortalitia inimica in Ingria recipiendo, cum ſummo communis hoſtis hujus detrimento, & in Litvania non ſine proprio damno ſuis armis & expenſis Fortalitium Bichovienſe recepit, & iterum Reipub. reddidit, recenterq; certam peditatûs manum in auxilium Litvanis miſit, deſiderando amicitiam cum Repub. & colligationem contra eum, qui Regi & Reipub. tantùm nocet, qui incolas ruinat, arcem Cracovienſem in cineres redegit, & hactenus cum exercitu ſuo graviſſimas extorquendo contributiones, in libero Regno Dominus fieri vult

ab-

abſolutus. Non dubito, quòd tu tanquam fidelis ſervus noſtri Czari faciesea, quæ expediunt, impediendo impreſſiones ab inimicis factas, & non permittendo auctionem harum rebellionum, quoniam id inimic⁹ noſter conſiderat, & inde utilitatem ſuam quærit. &c. *A.C.* 1703

COPIA SECUNDARUM LITERARUM AD CZARUM MOSCHOVIÆ die 12 Januarij.

P*oſt titulos.* Jam ſemel per expreſſum literis noſtris Regiis detulimus tibi, quomodo hic promulgatum fuerit, quòd Coſaci Zaporovienſes ad rebellionem Samuſij, & aliorum hujus Reipub. rebellium ex voluntate, notitia, & mandato tuo fuerint obligati. Unde in illis literis petiimus, quatenus indilatè hoc averteretur malum. Quia verò hæ ſiniſtræ relationes fortè à communi noſtro inimico conſultò divulgari non ceſſant, imò, ut invidia in nos vergat, indies augetur, confirmamus inſtantiam noſtram ad te fratrem noſtrum jam factam diligenter, & ferventer obligando, ut non tantùm indilatè mandatum tuum Duci tuo Mazeppæ mittas, ut quantocius hos adjutores revocet, & omnem ad ſopiendam hancce rebellionem adhibeat diligentiam. &c.

Confirmavit idem Legatus iteratis ſuis ad Mazeppam literis.

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM REGIS AD SAMUSIUM, ET ALIOS REBELLES. 17 Januarij

OMnibus, quorum intereſt, præcipuè verò Samuſio, & aliis exercitûs noſtri Zaporovienſis Colonellis, omnibusque Attamanis, Aſſavulis, & quoquo nomine, dignitateque inſignitis Officialibus notum eſſe volumus, quòd, cùm jam expreſſerimus in præteritis noſtris literis Univerſalibus dolorem noſtrum, quòd vos ſub hoc tempus, dum omnes vires contra graſſantem in viſceribus Reipub. hoſtem movere deberetis ſub prætextu privatarum injuriarũ tam magnos in Vkraina incepiſtis motus, tumultus, diſſidia, in quibus, quia non ceſſatis, quinimò obliti debitæ in nos, & Rempublicam fidei, ſemper in pejus vertitis, & crudelius, tractatis, igne & gladio inſolentiam veſtram dilatando, oppida & fortalitia recipiendo, viſum eſt nobis iteratis literis univerſalibus præmonere vos, & ſeriò præcuſtodire, ut id, quod DEO, legibus, nobis & Reipub. debetis ſic agatis, ut poſt promulgatum hocce præſens Univerſale ab hac inſolentia ceſſetis, in domus veſtras redeatis, & in malo hoc non amplius progrediamini, & hoc ſub forti rigore legis publicæ contra commoventes pacem publicam expreſſæ. Si quis verò aliquam prætendit injuriam, ſi cui aliqua injuſtitia facta, non deeſt campus æquitatis habendæ, nec deſunt ſolita media ad ſatisfactionem cujuſvis injuriati. Et in eo iterum, iterumque vos præmonendo, univerſale hoc in omnibus oppidis publicari fecimus.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS EPISCOPO VARMIENSI 18 Januarij.

ACcepi literas tuas ſub data 15 illo ipſo tempore quo Theſaurarius Litvaniæ erat præſens, cui, quod erat communicandum, communi-

*A.C.*1703 municavi. Omnia ſunt vera, & vera eſſe experimur, quæcunque ſcribis. Perimus, & ſi manus Omnipotentis DEI non ſuſtinuerit, peribimus. Jam Sueci non ſunt illi, nec tales, ut illos primo illo tempore, quo Varſaviæ fuerunt, cognovimus. Et Polonia inſufficiens tam in ferendo, quam in agendo. Venit huc in conſortio Theſaurarij Litvaniæ Wachtſchlagerius, cum quo jam ſeriò locutus eſt Comes Zincendorff Imperatorius Legatus, facimus hic quæcunque humanitus fieri poſſunt ſine pompa, & in ſola ſpe retributionis à DEO. Non me diffundo in eo puncto, hoc tantùm inſinuare poſſum, quod uſque in hanc horam erravimus omnes in opinionibus noſtris, Dominus Theſaurarius lætam quidem faciem monſtrat, ſed nihilominus cor triſtius prodit mœrorem, & meretur compaſſionem. Repræſentavi Wachtſchlagerio impoſſibilitatem tam gravium in hac Regione contributionum, quæ alleviari debent, & eo nomine ſcripſi jam Generali Reinſchieldio, à cujus nutu exercitus Sueticus dependet. Palatinus Vilnenſis in nova civitate cum ſuis cohortibus. Apparet in exercitu Suetico, quòd Rex longè abſit, ut id expertus eſt Caſtellanus Zawichoſtenſis, & vicina mea Sieciechovienſis Abbatia. Rex Sueciæ adhuc 9nâ præſentis fuit Zawichoſtiæ. Quid agatur in Ruſſia ego concipere non poſſum. Commiſſio hibernalis Tarnopolim translata. Generalis Steinbock verſus Leopolim movet. Sueci autem hic degentes ſæpe Thorunium nominant. Unum Regimen, Varſaviæ manere debet ex peditatu. Non vitio vertas quòd neſciverim reſpondere ad præteritas, non procedit id ex diffidentia, ſed ex metu ſiniſtrorum interpretum, clam enim uſu didici, quòd in multis prætereor, in aliquibus ad ludibrium conſulor. Hoc tantùm ſecurè ſcribere poſſum, quòd ſim in affectu & æſtimatione.

RESPONSUM EIDEM AB EODEM 26 Januarij ad S. Tiliam.

Literæ tuæ invenerunt me in loco Sancto, ubi quanquam indignus obtuli Sanctæ Matri afflictas, ultra, quàm dici poteſt, res noſtras, eaſdemque dignioribus coram DEO recommendavi perſonis.

Quod tu excipis, ad hoc ego ſeriò, nec perſunctoriè concurro, hoc eſt, ut in tabula raſa ſcribam hoc, quod exequi felicitatis meæ non poſtremæ ducerem, & invenies me certè tam exactum in agendo ut ego te optarem habere in jubendo. Prævides cauſas, & provides illis, dum ſine pompa, & in ſola retributionis ſpe à Domino DEO ea agis, quorũ meritum ſolo tantùm recompenſari poteſt cœlo, quamvis tamen ſciam pro certo, quòd Rex magnus ſit æſtimator non tantùm dignitatis, ſed & perſonæ tuæ, & de gratitudine ejus minimè dubitandum, in qua nec Patria ſe vinci patietur.

Quod pereamus irreparabili damno, res eſt evidens, quia & hoſtis eſt talis, à quo omnia metuenda, dum omnia apud illum pro jure legitimo ſunt, quæcunque potentiam firmant. Et Reſpub. ita commota, ut deſpectui ſit, & nihil certius; dico id & ſcribo tanquam coram DEo, quòd confodiemur invicem, & mutuis vulneribus cademus. Jam enim res ad nucleum veniunt, & quiſque ad Dñum reſolvere ſe debet, neque enim neutralitas licita erit. Quæ verò ſequentur, is ſolùm non intelligit, qui intellectu caret.

Theſaurario Litvaniæ ſincerè & ego condoleo, quamvis magna pars Poloniæ deſolationem ſuam illi adſcribit, & cauſam rejicit in præcipitantiam illorum nimiam, illudque in omnium cordibus tanquam certum eſt, quòd poſſent, ſi vellent, pacem facere, & quòd nolle in cauſa ſit,

ſa ſit, & non poſſe prætendatur, & prout quis affectus eſt, ita res aliæ, *A.C.* 1703 atque aliæ videntur, ſed dictus Theſaurarius, longiùs jam ita credo progreſſus eſt, quàm ut regredi poſſit, ſcripſi & ego illi ex antiqua confidentia, & optarem, ut rejectis ijs, quæ non ſunt tuta, quia indecora, removeret vetera, & aſpera in vias planas reducere vellet, num mirum, aut novum eſt, revocare curſum, quem quis inſtituit? Authoritas tua ô Princeps multum in eo juvabit, jam de ſumma rei agitur, ea adhibenda conſilia, quæ nos ex hoc præcipitio educere poſſint. Ego iterum iterumque dico, quòd Regi nihil facere mali poſſunt, parum aliquatenus infamiæ, quòd ex loco in locum tranſeat, quamvis & hoc ipſum excuſatur, eò, quòd derelictus ſit ab ijs, qui eum defendere obligantur. Nihilominus non ſunt adhuc res ejus ita deſperatæ, ut non poſſint eluctari, & fortè cum fœnore reddere inimicis quæ patitur. Ex corde compatior Sieciechoviæ, & eò ſenſibilius id mihi eſt, dum recogito, quòd eadem manus, & me, & illos pariter tangat ſecundùm relationem, quam nunc accepi ita expertus, & expectantibus idem periculum.

In Ruſſia peſſimè res eunt, ſed promittunt meliora & fortiora, & video quòd in Polonia nihil boni ſperari debeat, uſque dum omnia peſſimè agantur. Peius autem, eo quod nunc eſt, fieri non poteſt. In proximo ergo eſt melior fortuna, & cum DEI auxilio verificabitur de nobis, tum nos optimos eſſe, dum infirmi ſumus.

Humillimè te precor, ut menti tuæ non hæreat literas tuas ſeptuaginta interpretationibus ſubeſſe, quia ſicuti ego ſine cura verborum, & curſim ſcribo tibi ſoli, ita etiam propter me ipſum gratiam & honorem manûs tuæ conſervo, nec vellem ut id, quod plenâ confidentiâ, tanquam ad Primatem ſcribo, publici juris fiat.

In quo debemus præteriri, vel (DEus avertat) ad ludibrium conſuli, ego hactenus neſcio, & pro præſenti Miniſterio fidejubere poſſumus, quòd ſciamus cui, & quid debeamus, ſpemque non dubiam habeo, quòd quantumvis primâ fronte potuit eſſe aliquis, cui non viſa eſt hæc Miniſteriorum diſtributio, dum cognoſcet & ad oculum videbit, quòd non quæramus quæ noſtra ſunt. Non adſcribet id ambitioni, dico ego de me, quia nec in mentem unquam aſcendit meam, ſed voluntati Dei, cum in Diario meo invenerim, eadem die hoc eſt 27ma Novembris, excluſum me à ſigillo & declaratum illud Dònhoffio ſecretò fuiſſe, quod tunc ſcivi & notavi, hoc eodem die apparuit benignitas Regis dum nec ſperanti illud contulit, ac proinde ut jam dixi plenâ certitudine promittere poſſum, quòd mihi nihil mali, ſine mendacio quiſquam adſcribere poterit, modò me conſtans tua ſuſtineat gratia. Levabo me, ſupra me, nec me officio meo ſatis facere credam niſi id tu approbes.

Hæc ergo immediatè poſt ſacra pleno corde effundo, renovando vota, & humiliter ad DEum preces, tibi eam mentem, & efficacia media ſuppeditet, quatenus tibi, laudes & gratias referamus, pro pacata Patria, & nominis ejus gloriam enarrare coram gentibus, & in hoc voto finio.

COPIA LITERARUM STEPHANI CZARNECKI NOTARII CAMPESTRIS REGNI EPISCOPO VARMIENSI 11 Januarij

INveniam facile fidem apud te, quòd quamvis propter infirmitatem, quæ me à ſex ſeptimanis in lecto detinet, intermiſi verbis, ſed non affectu gratulari tibi eum gradum, in quo prior, & certè ſincerior

A.C. 1703 eſſe non poterat quiſquam, quòd tandem magnis virtutibus & admirabili circa bonum publicum ſtudio, traxiſti ad manus tuas Aquilam Polonam, quas pridem ad id officium DEus deſtinavit, ut præſint, & proſint commotæ per tot mala Patriæ. Fortuna rebus adverſa meis proſtraverat me, & lecto per tantum tempus affixerat, dum primùm ſpirare permittit, ſtatim pariter cum ſpiritu ſpiro punctum magni nominis tui & quamvis abſens eo ſpiritu in venerationem officii tui & dignitatis, cum univerſo totius Patriæ applauſu. Nec credo aliquem inveniri, qui non judicium Regis, hac in collatione veneretur, & approbet, quin imò tota quà latè patet Polonia gratulatur tibi, quòd his malis temporibus parem, & ſupra videamus Cancellarium, & nihil deſideratur ad vota omnium, niſi ut ipſemet DEus, cui tam facile eſt ſuprema tueri quàm dare, cum millenis felicitatibus ætatis ſpatium augeat & temporis, & illud cum omni proſperitate vitæ tuæ adjungat. Et cũ jam æquè bona, ac mala noſtra ad te pertinent, multa tibi invenirem, ex hoc loco denuntianda, ſed nolo incipientis Principis curas onerare, portabit ea publicæ vocis echo, & non dubito, quòd jam tibi innotuerit ſors Palatinatuum noſtrorum, in quibus tanquam hoſpites ſumus, decretorium expectando diem, & eundo tanquam herbæ primo vere accenſæ igne in exinanitionem. Veneramur conſilia veſtra, ſed tarda remedia nulla ſunt; effectus conſiliorum horum non niſi in Junio, Julio, & quid defendendum, quo bellandum ſupererit, in Majo, quando in Martio, & ante Martium omnia miles perdet. Scio ab antiquo bella ſangvine extingvi, ſed quando deſiſtent & ſangvinis Poloni ſiccabuntur flumina, ſterilis eſt Matrona Bellona, ex bellis bella naſcuntur, & confluxus gentium in exinanita terra, conſumpto pane, extinctis hominibus, verendum ne omnia mala in nos decurrant, & omne Polonum fabula nomen fiat. Communis Nobilitatis motus, laudabilis promptitudo & alacritas, ſed in memoriam revocando, quòd cum Rege felicis memoriæ Michaële, ſub Gołab, Lublino, & mecum ipſo factum eſt, vereor, nè cum tempore bona voluntas refrigeſcat. Superſtes huic tranſactioni maneo, dum fervens populi affectus, planè vi ad recipiendum illud regimen, me obligaverat, jure gladii dato, judicandi recentia crimina, uſum ſigilli in caſum renitentiæ defuncti Olſzovij Procancellarij Regni Avunculi tui digniſſimi, ad diſtribuendos caducos concedendo, & alia ut erant nonnulli, qui deſiderantes apud ultimum Regnantem, confidentiam mihi diminuere iniquè interpretabantur, quòd non haberet plus Primus Veſirius apud Imperatorem Turcarum, quàm ego Mareſchalcus Equeſtris ex affectu Polonorum. Declarârunt mihi relinquendo caſtra, quatuor millia hominum ad cuſtodiam corporis, cum ſubmiſſione, quòd ad minimum meum nutum equos conſcendere debebant, videndo in quales & cum quo propter Regem & Nobilitatem intraverim hoſtilitates, & tamen ex illis, nec unum hominem, & Regi, & mihi reliquerunt, domum abiverunt relicto me in offam, quaſi adverſariis meis, Unde Rex Michael attonitus dixerat mihi: Quid ergo faciemus Mareſchalce? ecce fratres noſtri, armatas perſonas noſtras, voluntate illorum deſeruerunt, & nos reliquerunt fatis & fortunæ, & cum ego debui ipſe expoſitus in mille ſicariatus, propter bonum publicum, & fateri, quòd breves & infauſti fuerint populi Romani amores. Avertat Dñus DEus eundem cum Rege Sereniſſimo caſum, noviſſima pejora prioribus eſſent, quod non eſt meum divinare, tanquam minimi Apoſtolorum, etſi tantùm mihi in ſcribendo tribui deprecor, prote-

protectionem tuam invoco precorque ut ſim tibi cordi, ſi uſui eſſe poſſum Regi, & Patriæ, demiſſâ te veneratus ſubmiſſione &c. *A. C.* 1703

RESPONSUM EIDEM AB EODEM ad Sanctam Tiliam 27 Januarij,

SIcut in ſummo angore hactenus fui, dum ad literas meas in craſtino poſt collatum mihi ſigillum, plenâ confidentiâ tibi ſcriptas, auxilium in tam difficillimis Patriæ conjuncturis invocans, nullum hactenus receperam reſponſum, jam non illud, quia forte infelicitate poſtæ meæ, ad te non venerant, ſed benignam in veterem fidelem, & nunquam mutatum Fratrem, & ſeriam recipio gratiam. Exultavi præ gaudio, dum notam vidi manum, confirmatus in ea opinione, quam ſemper habui de ſingulari tuo in me affectu, ex quo omnes hæ, quas lego immeritus, procedunt expreſſiones. Gaudium verò meum eſſet plenum, ſi eodem tempore mandatum tuum aliquod recepiſſem, in executione cujus antiquum meum potuiſſem explere deſiderium, ut non intra verba nec inutilis eſſem ſervus. Impera ergo jure tuo, àudiet ſemper ſervus tuus.

Conveni ego ſemper in magnis ſenſibus tecum, qui errare neſciunt, & nunc facilè convenio, eò libentius, quò liberius ſcribendo, & tales ſuccurſus, de quibus per experientiam mentionem facis, ſecundùm ſenſum Anteceſſoris mei Widzgæ, magis viſui, quàm uſui eſſe credo, & hæc quæ de te ſcribis tam mirabilia poſteritati erunt, quàm tibi triſtia ſentienti fuerunt.

Ingemiſcendum ſuper infelicem Patriæ hujus ſortem, quod propter diffidentiam nullatenus inter nos jungi volumus, ita omnis mutatio rerum, non ſine quodam quaſi fluctu continget animorum, cùm tanta patimur, patiemurq; forte ulterius, niſi Dominus ſuccurrerit ab alto. Multa eo nomine, & ex hac occaſione ſupereſſent ſcribenda, triſtia, miſeranda, & erubeſcenda, niſi incertitudo poſtæ calamum detineret. Accedit quòd rara tua, & conſummata prudentia, plura ſibi ipſa dicere poteſt. Abbreviando ergo publica, in quorum expreſſionem plurima requirerentur folia, finio privatâ meâ (quanquam & hæc inter publica poni debet) petitione, ut me confidentibus tuis exercere non dedigneris mandatis, non enim me tamdiu reputabo felicem, donec aliquid juſſeris &c.

COPIA LITERARUM STEPHANI BIDZYNSKI PALATINI Sendomirienſis Epiſcopo Varmienſi 19 Januarij.

IN decrepita ætate mea, nunc demum reviviſcere incipio, poſt extinctas in me bonas de Rep. ſpes, quando ad Gubernium illius conſtituit te manus Domini, & in eo loco collocavit, quia ſicuti alienus ſemper ſum à dedecore adulatorio, ita ingenuè fateri debeo, quòd tibi ſoli hanc gloriam ſuperi reliquerunt. In quo ut quàm efficaciſſimè DEus te adjuvet, humiliter eum precor, & ſi quid opera mea in eojuvare poterit, ſinceriſſimè eam applicare paratus ſum. Doce me Domine facere voluntatem tuam; Mandatis confidentibus, quomodo & in quo miſeræ huic ſervire poſſimus Patriæ, quæ in his miſeris noſtris partibus, varijs diſſenſionibus quaſſatur. Ultimâ ſeptimanâ ad comitia Wiſnæ imminentia iverunt aliqui, non ſatis in cogitationibus ſuis tranquilli,

A. C. 1703 quilli, quinimò ſpirantes naribus ignem, ſed deficient, in adinventionibus, quando Duces noſtri, convenientes inter ſe jam verſus Tarnopolim moverunt, ubi & commiſſio hibernalis tractabitur & exercitus in illo loco congregabitur. Spes in DEo, quòd dabit meliora, ego verò te, quàm diligentiſſimè rogo, ut confidenter, quid me velis facere, ſcribas, ſicut antiquo & fideli ſervo tuo, ſciasq; quòd informationi tuæ conformiter, & valetudinem, & ſangvinem litare ſum paratus.

RESPONSUM EIDEM AB EODEM 27 Jan.

Accepi benignas tuas, quæ mihi particulare attulerunt ſolamen, non ideo tantùm quòd immutatum tuum inveniam affectum, ſed etiam, quòd de valetudine tua (quàm longiſſimam ex corde precor) certior fiam.

Gratias interim refero, quòd exuberante tuo affectu plura mihi adſcribas, quàm ego noſcendo memetipſum prætendere poſſum. Hôc tantùm glorior, & ſumo ſuperbiam, quòd à laudato viro non tantùm laudor, ſed excitor ad illud obſequium miſeræ patriæ, quod in tam gravibus conjuncturis recipere coactus ſum, cujus profundiſſimos ſenſus dum ſequar, nunquam magnopere, quod alij de me judicaturi ſunt laborabo. Invoco autem in teſtimonum ipſum DEum, quo conatu, quâ ſolicitudine, & diligentiâ omnia agam, ut infelicitas publica propulſari, melior fortuna redire poſſit. Sed res difficilis eſt everſa in ordinem reducere, quòd contra tot mala remedium bene conſultum, inconſultum eſt, ſi inimicis eſt uſui. Et ſi DEus ipſe non ſuccurret, nunquam viciniores fuimus ultimæ deſolationi, niſi illa de nobis verificetur, præſumptio: tunc optimos nos eſſe, cum infirmi ſumus, bonus quippe animus in re mala dimidium eſt mali. Expectabimus cum impatientia effectum comitiorum Viſnenſium, ſicuti & aliorum, quæ in Majori Polonia 5. Febr. peragi debent, unde aliquid boni, in rem Reipubl. nobis promittitur, niſi illi, quos ſẽper fucata & inania omnia magis, quàm vera, & ſolida delectant, impediant, & ita felix pro Rep. eventus, inter vota potiùs numerandus, quàm inter ſperata, cum cognoſcamus tales, quibus etiamſi ſpes melior non ſuperſit, talem Patriam ſuam, malunt manibus ſuis, quàm hoſtium everti, & perniciem pri⁹ aliis, poſtea ſibi invenire. Præſtolor mandata tua, & pro ſumma felicitate reputabo, quoties me iiſdem dignaberis &c.

L

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN: & SAMB. CARDINALI PRIMATI Thorunij 19 Januarij.

Miraris Princeps Eminentiſſime, quòd expeditio ad aulam Berolinam excluſis Polonis, non tanquam recepto ſed tanquam inuſitato more, Comiti Flemingio declarato ſtabuli Præfecto M. D. Lit. data fuerit. Non deduco Flemingium verum Indigenam Regni & M. D. Lit. eſſe, quia hæc probatio ſuo tempore eidem incumbet, aſt ſolùm aſſero non eſſe viſum conſilio Regio expreſſum aliquem cum charactere mittere, ne prius negotiatio ejus impediretur, antequam in illa aula compareret. Cùm verò dictus Flemingius particularem ſuam in illam aulam, pro aliquo tempore tranſeundi habuerit rationem, cum via non pateret, conjecimus nos in ſemitam, & uſus eſt eâ commodita-

te

te Rex Sereniſſimus, ut tantò ſecretiùs negotium agitari abſque ulla ſu- *A.C.* 1703
ſpicione poſſet. Ut verò ſcias: omni præcautione Cancellariam Regni id feciſſe, nam ea, quæ tracto, utinam tam feliciter, ut laborioſè & cautè, breviter contenta memorialis, quod illi datum eſt, tibi inſinuare placet, quæ ſunt ejus tenoris.

Quandoquidem in conſilio ultimo, cujus poteſtatis erat, cum id à Republica ſibi conceſſum eſſet, incipere & proſequi tractatum, cum potentiis extraneis in conjuncturis præſentibus, nemo ex aula Berolinenſi comparuerit, conſilium magnum concluſit, ut id negotii committeretur Miniſtris Regis & Reipub. ut facerent diſpoſitivè omnia ea, quæ crederent eſſe pro utilitate & Majeſtatis & Reipublicæ.

Cum verò Dominus Baro Overbeck comparuit Thorunij interrogatus eſt à Miniſtris: an haberet plenam poteſtatem, intrandi & colloquendi diſpoſitivè de comunibus commoditatibus. Ille reſpondit quòd non tantùm non haberet, ſed nullatenus etiam eſſet inſtructus.

Crediderunt proinde Miniſtri, cum permiſſione Regis poſſe ſe uti occaſione Domini Comitis Fleming euntis Berolinum, & precari eundem, ut hæc aulæ illi dicat.

Quòd amici mirentur, & inimici lætentur, quòd illo tempore difficili Rex noſter & Reſpub. videt, non ſine dolore tantam indifferentiam, quaſi Polonia non eſſet tam vicina, & quòd poſt ejus ruinam (quam DEus avertat) non ſequeretur immediatè ruina illius. Et ſi fortè reſpondebitur, quòd illa aula non fuerit compellata à parte Reipubl. facile reponi poteſt, quòd poſt Comitia, tantus diſordo & hoſtilitates, in tantum dictam Rempub. turbarunt, miſcueruntq; ut fuerit impoſſibile jungere integram, & facere aliquid nomine ejuſdem.

Interea honoris erat & utilitatis evidentis, Principis vicini non manere complicatis brachiis in tempore quo proximus ardet Ucalegon. Itaque

Inſiſtet Dominus Comes, ut quod non eſt factum, fieri poſſit. Duæ ſunt viæ, quibus aſſiſti poteſt, ut Rex & Reſpublica maneant obligati & ad gratitudinem obſtricti, via ſcilicet pacis, & via belli.

Quantum ad primam; Inſtantiæ ſed bene propoſitæ, fortiter inſiſtentes ad potentias colligatas poſſent facere facilem & promptum effectum, ſi præcipuè evinci poſſet ille idem modus, qui jam in uſu fuit, in ultimo inter Sueciam & Daniam bello. Si potentiæ colligatæ ſeſe declararent, contra eum qui turbaret quietem publicam hujus Europæ partis. Et certè Rex Sueciæ ad requiſitionem illorum, qui intereſſe habent, ut impediant, ne bellum duret, ad meliora poſſet induci uti in cauſa communi. Quia verò Rex Sueciæ nullum admittit extraordinarium Miniſtrum ad evitandas juſtas repræſentationes pacis, conveniens eſſet, ut ſaltem mitterentur Curſores cum literis urgentibus & poſitivis, in quo Anglia, Dania & Hollandia, & vicina aula multùm & fortè totum facere poſſet.

Altera via eſt bellum, ſi illud continuatur; libenter ſcire vellemus, an aliqua ſit ſpes ab illa aula, & ſuper iſtis duobus punctis negotiatio dicti D. Comitis ſtabilietur.

Nec eſt unquam dubitandum, quòd affectus particularis, quo Rex noſter ferebatur, feretur q; ſemper, non ſit reciprocus, & quòd Reſpub. ſe patiatur vinci in illa amicitia, nunquam ex ſua parte defuit. Quando videbit, cum qua magnus ille Princeps aget cum Rege noſtro & Rep. omnino curabimus, ut quidquid imaginari poteſt ad obligandum illum

Prin-

A.C. 1703 Principem fiat, eosq; faciemus unioni mutuæ convenientes paſſus, in reciproca defenſione, faciendoq; omnia, quæ pertinent ad honorem & intereſſe Sereniſſimi Principis.

Omnem ergo diligentiam adhibebit D. Comes, ut poſitivè intelligere poſſit, quomodo ſe applicabit aula illa, quid faciet & quomodo aſſiſtet Reipubl. in conjunctura præſenti pro obtinenda pace, & ſuppoſito, quòd hæc ſtabiliri non poſſet, & quòd Reſpub. ad bellum obligaretur, quam aſſiſtentiam ſperare poſſumus ab aula Berolina? & ſi poterit ſe declarare pro nobis contra Sueciam, ut ex mutuo conſilio reciprocam providere poſſimus ſecuritatem?

Sicut aula Berolinenſis nihil magis deſiderat, à Republ., quàm recognitionem pro Rege in Pruſſia, & negotium iſtud exerceat curas Reipubl., timentis non ſine ratione præjudicia, & conſequentias periculoſas tantò magis, quòd copia Reverſalium non videatur eſſe ſufficiens pro ſecuritate, quam ante omnia oportebit meliorare.

Videtur quòd aula Berolinenſis minus facere poſſit, ut Reſpub. ſuis ſatisfaciat deſideriis, niſi reddendo vadia, quæ recepit pro trecentis millibus talerorum, quæ prætendebantur pro negotio Elbingenſi. Renuntiando, in bona forma iſti prætenſioni, eò magis quòd actio illa, quæ interceſſit in aggreſſione & poſſeſſione Elbingæ, eſt nimis ſenſibilis Reipub. & difficulter oblivioni tradetur.

Et ſicut in multis punctis pactorum Bidgoſtienſium, ex illa parte contraventum eſt, curabit Dominus Comes recipere ſecuritates certas, ab aula illa, quòd dicta puncta religioſè obſervabuntur in futurum, & quòd Cujavienſi & Varmienſi Epiſcopatibus ſatisfiet in ſuis prætenſionibus.

Dominus Comes petet etiam mille quingentos homines, quos aula Berolinenſis eſt obligata dare quovis bello ſecundùm pacta, & finiet negotium iſtud ſemel pro ſemper, ut ſcilicet id faciat non ſolùm ad inceptionem ſed & continuationem belli.

Explicabit etiam aulæ illi neceſſitatem regulandorum teloniorum Pilavienſium & aliorum locorum, quæ ſunt in Pruſſia, ut ſtabiliantur ſub jure antiquorum pactorum, ne Polonis inde injuriæ eveniant.

Requiret etiam extinctionem exactionis, quam vocant Strandtgeld, quæ fuit ſuppoſita ſuper omnes naves etiam parvas, quæ veniunt Gedano & Elbingâ Regiomontum & petitio eſt hæc tantò juſtior, quantò exactio eſt magis contraria pactis, ſiquidem illa prohibent nova telonia, contra quæ, ſtatus Pruſſiæ continuas faciunt querelas, cujus articuli facta èſt quoque mentio in receſſu facto circa tractatum Elbingenſem, ut remedia præjudicio huic adhiberentur. Nam quodcunque demum nomen Officiales Brandeburgici dent huic exactioni, certum eſt, quòd illa ſit formaliter pactis contraria, & non eſt quæſtio de nomine ſed de re, quæ eſt certa, quòd hoc jus exactionis ſit novum, & quòd inſiſtendo pactis non poteſt nec debet imponi ullum niſi illud, quod ex antiquo fuit ſtabilitum. Suſpicamur etiam nec ex vano, quòd aula Berolinenſis velit ſibi attribuere tranſitum per Viſtulam ſub Neoburgo, conſiderando modum, quo Officiales illi utuntur. Quapropter neceſſarium eſt, ut ſuper hoc punctum explicet ſe illa aula, & providendum, nè velit uſurpare limites, qui ſunt uſq; ad ripam Viſtulæ, ſed non ad Viſtulam, quia fluvius ille pertinet ad Regnum Poloniæ.

Eſt adhuc materia ſatis conſiderabilis ratione ſtagni nominati

Drauſen, quod à tempore immemorabili ad œconomiam Mariæburgen- ſem & civitatem Elbingenſem pertinebat; interim tamen ſubditi Brandeburgici piſcaturam ſibi injuſtè attribuunt, in quo petitur ſatisfactio & ſeverum mandatum, ne id in futurum dicti audeant ſubditi, neque unquam in dicto ſtagno piſcari præſumant. *A.C.* 1703

Subditi Brandeburgici præſumpſerunt adhuc facere unum montē, qui vocatur Diga ſuper fluvium de Sozgen cum magno præjudicio Palatini Mariæburgenſis & aliorum nobilium ejuſdem Palatinatûs. Requirat ergo, ut inceſſanter remedium huic adhibeatur, aut id fiat communibus ſumptibus, & ut hic fluvius purgetur, & emundetur. Mons verò ita nocivus qui tanta damna adfert in planum redigatur.

Poſtquam ea omnia fient, & cùm aula Berolinenſis in omnibus conveniet, diſponetur Reſpub. ut eum pro Rege in Pruſſia recognoſcat habendo reverſalia meliora, ſicut jam dictum eſt, & ſecuritatem certiorem eo modo, quo Reſpub. neceſſarium credet eſſe, ut nec hic Princeps, nec ejus ſucceſſor formare poſſint prætenſiones ſuper Pruſſia Regali Poloniæ, in virtute tituli Regis in Pruſſia.

Si Dñus Comes invenerit, quòd illa aula imaginetur ſibi, quòd poſſit eſſe ſine recognitione Reipubl., recognitio Regis ſufficiat, repræſentabit illi, quòd plus nimiò erret in ſua opinione, nam cum Reſp. ſit Domina fundi Pruſſiæ, agnitio Regis non poteſt eſſe valida, quia illam non facit niſi in tantum, in quantum aula Berolinenſis tales dederit reverſales, & ſecuritates neceſſarias, ex quibus Reſpubl. poſſet eſſe contenta, & in caſu, quòd illa aula perſiſteret in illa opinione, dicat ipſi ſimpliciter, quòd Rex noſter in illo caſu eſſet obligatus jungere ſe cum Republica & ſimultaneè cum illa facere proteſtationes in omni loco & in omnibus aulis, ubi jam eſt recognitus pro Rege in Pruſſia ex iſta vel maximè ratione, quòd Reſpubl. habeat dominium in Pruſſiam, & quòd pars illa, quæ pertinet ad aulam Berolinenſem, eſt reverſibilis ad Remp. in defectu ſucceſſorum maſculorum. Nónne homagium quod redditur Electori Brandeburgico à Pruſſia ejuſdem, redditur inſimul eventuale Reipubl. Sed ſi aula Berolinenſis conformaverit ſe juſtis prætenſionibus & deſiderijs Reipubl. Et ſi Dnus Comes omnia concluſerit, in vim diſpoſitionis, mittat nobis projectum concluſum, pro informatione conſilij futuri & poterit in eodem, ſuper puncta, deſiderabilis ab utrinq; fieri concluſio, pro communi deſiderij expletione.

Miniſtri Regij & Reip. expectabunt, cum tædio & impatientia reſponſum poſitivum, & facient diſpoſitivè omnia quæcunq; erunt poſſibilia, jungendo ad iſtud memoriale reſultatum conſilii ultimi, ad eò magis authenticandam iſtam negotiationem.

Et hæc ſunt Eminentiſſime Princeps quæ Dño Flemingio data ſunt per modum memorialis à nobis miniſtris ſubſcripta & credo eadem approbanda, cum nihil deſideraverimus, deſideremusq;, niſi ut conditio Reipubl. reddatur ſemper melior. Si quid tamen occurrerit tibi vel addēdum, vel diminuendum, vel corrigendum, confidenter denuntiare non dedigneris & facillimè id, tanquam per novum inſtrumentum vel ſupplementum fieri poterit. Interim me gratiæ &c.

LITE-

*A.C.*1703 LITERÆ MINISTRORUM STATUS NOMINE REIPUBL
20 Februarij.
Ad Aulam Brandeburgicam

Miratur Europa; lætantur hoſtes, quòd Sereniſſima Domus Brandeburgica in tam aperto Reipubl. noſtræ diſcrimine, quaſi omnium ignara malorum, quæ nos circumſtant, placidiſſimè quieſcat.

Omni prorſus excidit ſibi memoriâ Sereniſſimus Rex Noſter, tot titulis, nominibuſq; Sereniſſimæ huic ſtirpi, non tantùm ſangvinis connexione colligatus, verùm etiam tum privatis, tum publicis tabulis fœderatus. Pluribus terrarum ſpatiis remotæ Coronæ Principum offerunt afflicto Regi noſtro auxiliares ſuppetias, una Sereniſſimæ Domus Brandeburgicæ Aula, hactenus amica ſemper, videtur ex vicino littore, Auguſti noſtri ſpectare naufragium, nec ullam opem ferre, perinde, atq; ſi ultra Gangem vel Hydaſpem reſideret. Cùm ergo noviſſimum conſilium Thorunij nuper celebratum, hanc provinciam Miniſtris Statûs imprimis commendaverit, ut non definitivè, ſed diſpoſitivè vicinorum Principum aulas intelligant, quid in hoc rerum ſuarum articulo poſſit ſperare auxilii noſtra Reſpub. placet in primis nobis ſuæ Serenitatis adire aulam, æquè fortunæ noſtræ atq; calamitati viciniorem. Duas præ oculis habemus vias, ſalvandæ Reipub. & Regiæ Mtis Nræ. Alteram pacis tractatus aperit, bellum demonſtrat alteram.

Conciliatio deſideratæ pacis Coronam inter Sueticam & Polonam, non multùm adferret difficultatis, ſi aula ſuæ Serenitatis ita efficaciter Coronam Sueticam ad ineundum nobiſcum pacis tractatum obligaret, atq; Anglia, Hollandia eandem cum Danis obligaverat, procul miſſis diſſimulationibus, aut deliberationibus. Plurimum in hoc puncto ſe debere Coronæ Anglicæ, Danicæ, Statibuſq; Hollandicis, non poteſt diffiteri Nra Reſpublica; ſed quia ad Regem Sueciæ, nulli permittuntur venire Internuntii, aut literarum ejuſmodi portitores, nihil videtur præſentius ſupereſſe, quàm ſi Serenitas ſua procul ambagibus, declaret; palàm ſe aſtituram potiùs, qui paci, quàm bello addictior eſt. Atque hoc inprimis decere vicinam, amicam, & fœderatam ab antiquo Serenitatem ſuam. Porrò ſi pacis tractatus cuipiam fortè impracticabilis cum Corona Sueciæ, ex certis circumſtantiis videatur, quid obſtat, quominùs vires ſuas Gradivus Pruthenicus, noſtræ impendat Reipub. ut unitis viribus, cœloq; aſpirante, communis hoſtis eliminetur. Non poteſt certè tota perire Polonia, ſalvâ integrâque Pruſſiâ, verùm mittamus importunam fortè, quamvis indubitatam conſequentiam, hoc unum inpræſentiarum Reipub. noſtræ poſtulatum eſt, ut, poſtquam intelleximus, quid à Corona Suetica expectare debeamus, ſcire tandem poſſimus per NN. Commiſſarium noſtrum, cui hæc provincia demandata eſt, quid tandem à cognato vicino, & fœderato ſuo Sereniſſima Poloniæ Mtas, & tota Reſpub. ſperare poſſit? Quodſi votis optatus reſponderit eventus, ſciet non minùs Sereniſſimus Auguſtus noſter, quàm tota, quanta eſt Reſpub. pace, belloq; teſtari, quantum ſuæ Serenitati debeat, pro tantæ benevolentiæ demonſtratione, difficillimo tempore probata. Hoc dum pro officii noſtri ratione Excellentiſſimis Dominationibus Vris in plena fiducia communicamus reverentiſſimè, teſtamur quòd ſimus &c.

PLE-

PLENIPOTENTIA D. FLEMING AD TRACTANDUM CUM AULA BERLINENSI. ANDREAS C. IN ZAŁUSKIE ZAŁUSKI &c. ET JOANNES IN SŁUPOW SZEMBECK PRO-CANCELLARIUS REGNI &c.

A.C. 1703

NOtum teſtatumq́ facimus præſentibus, quibus intereſt, univerſis & ſingulis. Quandoquidem immediatum conſilium magnum ex coadunatis integrè Provinciis Reipub. hic Thorunii nuperrimo tempore congregatum, nos Miniſtros Statûs per expreſſum obligavit, quatenus omnem meliorem modum pro defenſione S. R. Mtis Dñi noſtri Clementiſſimi, & Reipub. cum vicinis Principibus inirem⁹. Quapropter inhærendo eidem determinationi conſilii magni Illuſtri & Magnifico Jacobo Henrico Comiti de Fleming Præfecto Stabuli M. D. Litv. & Generali Exercituum S. R. Mtis Berlinum tendenti pro ea fide & amore, quo fertur erga Rempub. congenitaq́ ſibi prudentia, & activitate, quâ pollet in rebus gerendis, tum & celebri æſtimatione ſui, & claritudinis Domûs ſuæ meritiſſimæ in illis oris committendum eſſe duximus, committimusq́ præſentibus, quatenus vigore inſtructionis manibus noſtris ſubſcriptæ cum aula Berlinenſi conferat, & in rem S. R. Mtis & Reipub. omnia negotia diſpoſitivè convertat, atque pro facilitando futuro tractatu omnem viam & modum diſponat. In quorum fidem præſens inſtrumentum manibus noſtris ſubſcripſimus, & gentilitiis ſigillis noſtris munivimus. Dabantur Thorunii 16 Januarij.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD SENATORES 26 Januarij

SI liceret Antenatis noſtris oculos in morte gravatos aperire, & infelicitatem caræ hujus Patriæ ſpectare; terribilem & à ſæculis inauditam frigiditatem filiorum ſuper lachrymas & oppreſſiones pauperis populi ſtupere, & ex dolore iterum mori deberent, quòd in nobis nec mos, nec jus, nec virtus, nec libertas; tota planè alia rerum facies, nihil priſci & integri, quaſi nihil in hac Patria perderemus, tanquam nihil ſentiremus, tanquam id non videremus, quod ex tam pulchro & florentiſſimo Regno jam planè cineres, & flebile Troia ſolum, & quòd hæc aquila, quæ nuper fuit aquila magnarum alarum latiſſimos & longiſſimos tangens limites nunc in proprio ſuo nido conſtricta, absq́ ulla libertate permittens unam poſt aliam extrahere pennam non ſine fabula & ſubſannatione exterorum, ita particularis ſuper nos pœna Divina intravit cum otio, ignavia, per ſciſſiones cordium & virium tanta irrepſit debilitas, & congregatis gentibus, cùm impoſita quædam vincula terroris & torporis, ut inſtar Amyclarum nihil agendo, nihil conſulendo, alii in diverſa diſperſi, alij in angulis domeſticis ſedentes ſua fata ſpectent. Comparui hic Varſaviæ jam ab aliquot ſeptimanis manſurus in centro notitiarum, tam ex præſentibus Nuntio & Miniſtris Principum extraneorum, ſcire cupiens, quam nobis erigunt figuram, belli vel pacis, vitæ vel interitûs. Cùm verò ex illis elicitur, quòd ſine nobis nos ſalvare non poſſumus. Mirabar multum, quòd per tam longum tempus huc reſidendo, in hoc caſu Reipub. quando non eſt in æſtuariis dormiendum, priùs hic venerunt Sueci, quàm noſtri, quos & ipſe Rex Sueciæ ſequitur cum copiis, & hic ubi præceps capienda via, nemo eſt, cum quo conſilium capi, & aliquid agi poſſet. Cùm proin-

*A.C.*1703 proinde in tam gravibus tenebris, quas à quatuor plagis congregata tempeſtas inducit, nullum ab aſtro lucis ſolatium; tunc ex ſe mutuandum lumen, & nobiſmet ipſis de nobis cogitandum. Ut ergo coram DEO liberam conſcientiam, coram mundo ſinceram, & non neglectam applicationem in Patriam, fidelem & tenerum affectum, in officium & miniſterium meum debitam monſtrem diligentiam, non poſſum ampliùs publica fata in ulterius permittere præcipitium, ſed ex ſpecula gradûs & dignitatis meæ convocando literis hiſce Senatores & Commiſſarios ad tractatum pacis deſtinatos à Repub. hic Varſaviam pro die 15 Februarii enixè & te rogo, ut in vim cointelligentiæ noſtræ comparere velis conſulturus nobiſcum, quibus mediis pereunti Patriæ dari poteſt ſuccurſus. Immolabis per hoc amori illius gratiſſimum holocauſtum, cum pro hoc congreſſu, in quo (avertat DEus) non ſcelus aggrediemur, non in miſcenda coimus, ſed ad dandum præſidium Patriæ ad procurandam tranquillitatem res diſponemus, comparebis, cujus quò religioſiùs ſoleo prudentiſſimos venerari ſenſus, eò cum majori expecto promptitudine &c. &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD SENATUM 29 Jan.

POſt titulos. Ad publicas miſerias, quæ undique hanc Patriam conſtringunt, ira juſta Numinum an hominum in res noſtras; non eſt hæc minor, quæ perſtringit planè medullas cordis noſtri, quando oculis noſtris videmus literas invitatorias Cardinalis Primatis pro quodam conſilio die 15 Februarij deſtinatâ ad Senatores, ac Miniſtros Statûs lateri noſtro aſſiſtentes tanquam advocatorias ſcriptas. Obſtupuimus ſuper hæc, & cognoſcendo ingenium altum, jurium Reipub. perfectam notitiam, & longo rerum uſu conſummatiſſimum judicium ejuſdem, comprehendere non poſſumus, ut hæc liberè & ex ſe faciat, & infallibiliter ſupponimus, quòd debeat poteſtate armorum Sueticorum conſtrictus, & id facere adactus. Non ignota ſunt cuivis jura Patria, & conſtitutiones publicæ, quæ fortè ſtante Regimine Regum ſimilia prohibenr conventicula, quia id non tantùm directè contra ſupremam authoritatem Regiam fiet, ſed etiam tam pulchram harmoniam fortiter unitorum Statuum Reipublicæ miſcebit. Tot ſæculorũ ſpatio compages hæc coaluit, nec convelli ſine exitio convellentium poteſt. Nonne congregati motu Nobilitatis Generali Palatinatus, ſicut hoc ſub Sendomiria, ita & hoc ſub Kolo deſignârunt ad latus noſtrum generale ad omnem caſum cum plena facultate conſilium, deerátne Paterna noſtra ſolicitudo? quando unum poſt aliud conſilium publicum inducimus, & ſine quiete in eo deſudamus? quonam ſanè conſilio ex his intricatis fortunæ labyrinthis miſeram poſſimus educere Patriam. Ecce nunc idem magnum conſilium ex coadunatis in integro Palatinatibus convocamus ad latus noſtrum die 16 Martii, ut ruituræ in præſens ſuccurrant Patriæ, Jura, indemnitates, & immunitates ex ultimo liberent naufragio, & quàm optimè inter vi-

tæ

tæ mortiſque vias conſulant. Pro eodem termino, & à te requiri- A.C.1703
mus, ut ſine mora compareas non accedendo dicta conventicula, quæ ſunt è diametro Maieſtati & legibus repugnantia, & illi conſilio à publico Nobilitatis motu conſtituto & fundato, ita non poſſunt niſi periculoſas poſt ſe trahere conſequentias. In quo te Pater nè præmonendo, non dubitamus, quòd ad mentem legis accommodare te voles, & penes integritatem noſtram pro vinculo juramenti Senatorii zelabis affectum, ut & nos datis occaſionibus memori reflexione, & ſingularibus gratiis fidelem tuam voluntatem rependere poſſimus; & Reſpub. ſuo tempore benè vel malè geſtorũ non requirat rationem. Verendum verò, ut hoc congregandum conſilium in compedes & vincula non vertant Sueci, uti factum eſt cum Palatino Volhyniæ, & alijs. Idem metuendum, in vicinia furentis & armati hoſtis; quod dum tibi deferimus. &c. &c.

REGIS AUGUSTI UNIVERSALES LITERÆ

Convocando Senatores & Deputatos ad latus ſuum pro Conſilio 16 Martij habendo Thorunij 21 Januarij.

Quando non ſine graviſſimo dolore noſtro tempus illud elapſum eſt, in quo ſpem tractatûs cum Rege Sueciæ repoſueramus cooperante mediatione Sacræ Cæſareæ Mtis, quando omnis evanuit apparentia deſideratæ pacis, & clarè animadvertimus, quòd omnes curæ noſtræ irritæ, omnia ſtudia otioſa, omnes applicationes noſtræ ſteriles; hoſtis interim in profundiora Regni noſtri viſcera arma ſua promovet, Provincias libero calcat pede, populos ad graviſſima cogit tributa, ſacra profanaq; impunè ubiq; violat, Altaria & Sacerdotes DEI ignominioſiſſimè tractat, Senatores Regni, Officiales & alias perſonas genere, & opibus Nobiliſſimas, in arcta ſui militis tenet cuſtodia. Quæ attentata, & dedecus apertiore indies famâ noſcimus; ut mirum quibus artibus ad flagitioſam perfidiam noſtros Palatinatus, Diſtrictusq; cogat, quàm probroſè liberæ genti inſultat, & in perniciem illius longum atq; inutile bellum trahit, tã numeroſâ militiâ introductâ, novum robur iterum vocat, ad extremam ruinam populorum, hoc eſt funditùs extinguere cives nititur, & nomen gentis delere laborat. In tanta ergo procella, atq; indies ſæviore tempeſtate, expedit tandem ſupra communia Reipub. mala juſtam animadverſionem demonſtrare. Scilicet habendus metus eſt, aut faciendus. Jam enim in illo calamitatis noſtræ gradu ſtamus, in quo fortioribus remediis jam nobis utendum ſit, ſi Patriæ noſtræ ſubvenire, ſi Religionem Catholicam, ſi chariſſima pignora tueri, ſi priſcas immunitates, & libertates noſtras multo ſanguine Majorum comparatas vindicare volumus. Significamus interim præſentibus literis noſtris Fidelitatibus veſtris cuncta hæc mala, quæ imminent, & paternâ noſtrâ providentiâ antevertimus jam jam cervicibus no-

A.C. 1703 *ſtris impendentia diſcrimina, diligentiſſimè univerſos requirendo, ut Generoſi Deputati ad latus noſtrum procul omni mora die 16 Menſis Martij anni currentis compareant. Hortamur ſimul omnes benè animatos erga Mtem noſtram, & Rempub. ut quemcunq; cura honoris publici tangit, & ſanguis generoſus ſtimulat, quàm primùm ad ſigna ſua convolent, ad reprimendum viritim hoſtem, tam audacter graſſantem. Præcipuè ut Illuſtres Regni Noſtri Senatores, & Generoſi Artium Præfecti, imò, quicunq; bello aptus, auxiliaribus ſuis ſuppetiis noſtras vires, & militiam augere velint; nos verò vitam noſtram ſaluti publicæ immolabimus, & ſecuri de magnanimitate invicta, & imperterrita fidelitatum veſtrarum, ad fortia agenda, ſolenniſſimè præſentibus literis noſtris obteſtamur, & compellamus.*

BENEDICTO SAPIEHÆ THESAURARIO LITVANIÆ EPISCOPUS PRINCEPS VARMIENSIS REGNI CANCELLARIUS 23 Januarij.

HAbitâ licentiâ reliqui aulam, veniq; in Diœceſim meam pro conſequendo Jubilæo; cum eſſem in itinere, multa cogitavi, ſicuti fieri ſolet per otium in curru; materia meditationis eſt tempus præſens & conjuncturæ infelices Patriæ, quæ non poſſunt habere niſi fatalem exitum, ſagitta facilè ingreditur, ſed difficilè extrahitur, & concluſi apud me adhuc ſemel pulſare ad pectus amicum cum antiqua confidentia, ut in te illam antiquam excites prudentiam, quam in te omnes admirabantur amici, ut velis reſpicere finem, & cuncta potiùs cum ratione, quàm proſpera cum caſu præhabere conſilia. Conſideres chare amice, quòd omnes ingemiſcant gravati, & quod tempus ſit ut te reflectas; juſtiſſima DEI pœna eſt, ne abuſus miſericordia, victima fias juſtitiæ. Natura Polona indocilis ferre juga peregrina, poteſt ad eam induci deſperationem, cui ponere modum non erit ejus poteſtatis, quæ ad eam induxit. Si in occaſionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulùm fueris, ne mox amiſſam queraris. Ultra id ſecurum te reddo in illa plena confidentia, quæ te nunquam fefellit, quòd non deerunt unquam media, quibus Rex ſe manutenere valeat, in ruinam enim prona ſunt, quæ ſine fundamento crevere: Alterum eſt; certus eſſe debes, quòd tantummodò velis & ſincerè, poteris ſemper eâdem gaudere confidentiâ, quam es expertus, quia non obſtantibus quibusvis, non extinctus eſt affectus in corde Regis erga te; in quo ego omni conatu juvarem, quia ex corde vellem, ut quàm celerrimè (quò citiùs eò eſſet meliùs) poſſis eluctari, & antiquâ redintegrare tranquillitatem. Cognoſcendo enim genium tuum (novi enim ut dicitur Simonem, & Simon me) vereor, ut hi labores & angores non abbrevient dies, quos & tibi & mihi voverem longiores. Cogita ergo per viſcera Chiſti oro, & mihi confidenter defer, quid me facere oporteat. Faciam omnia, quæcunque pro te potero; potero autem multa, modò ipſe velis &c.

EIDẼ THESAURARIO LITVANIÆ IDEM EPISCOPUS VARMIENSIS 17 Februarij.

MOveo omnes, quotquot poſſum, machinas, recurro ad omnia media, quæcunque demum credo neceſſaria in ordine ad procuran-

curandam pacem; ſcribo, reſcribo, cogito, recogito, ſed nihil proficio, dum vos plus vindictæ particulari, quàm ſecuritati publicæ ſtudetis. Quantumvis ergo vellem, non poſſum & per conſcientiam, & per antiquũ ſincerumq́, qui in corde non eſt extinctus, affectum, tacere, ſupplico tibi opportune, importuné, ut & ſuper nos, & ſuper vos ipſos compaſſione moveamini. Dethroniſatio impoſſibilis, bonus exitus in partem veſtram impracticabilis; ſi bellum duraverit, peribimus omnes; æternâ conſtitutione, nexuq́ cauſarum evenient, quæ prædico eventura, nec vos ullam habeatis ſpem; credite vera loquenti; in pace unica fiducia, quæ, ſi jam intra 10 Martij concluſa non fuerit, nihil eſt quid ſperemus ampliùs. Scribo id tanquam Eccleſiaſticus, cui non eſt ingenium, aut votum inclareſcendi per turbas, ſcribo tanquam tuus verus amicus; agite ergo, quæ pacis ſunt, eo Mariæburgum, & hodie ſpero me ibi fore; agam omnia quæcunq́ potero in ordine ad eandem pacem, & tu per amorem DEI reflectas te, ſatis caſuum, ſatis eventuum. *A. C. 1703*

Habete quæſo aliquam ſuper bona mea diſcretionem, quæ primò per Vallachos Palatini Vilnenſis, nunc per Suecos ſine ulla diſcretione eunt in ruinam, & inclementer actum eſt, agiturq́, meruine hæc de vobis? patientia! cecidi ego, cadet qui ſequitur; pereant omnia mea, peream & ego ipſe, modò Religio & libertas ſalvetur. Breves dies noſtri, ſed æternitas longa, & finem non habet, in qua reſpondendum erit Domino DEO; cum lachrymis, quibus paſcor, ſed non frangor, hæc ſcribo; DEus videt, & vellem hoc animo non oculis &c.

LI

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN: & SAMB. HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO CRACOVIENSI EXERCITUUM DUCI 20 Februarij.

EO jucundiora mihi tua ſunt mandata, quò promptiùs ea exequi poſſum; redux ad ſtationem meam, obſequium Mtis ſuæ, inveni integrum plauſum tam magni tui pro libertatibus zeli, tam evidentis in Regem affectûs, tam ſtrictæ cum exercitû unionis. Confudiſti & deleviſti inimicas relationes tam pulchrâ actione, renovas ſolicitam & naturalem tibi totq́ meritis quæſitam gloriam, excitas ſpem reſtitutionis in integrum extinctæ jam gentis noſtræ famæ, quòd ſcilicet illa eò altiùs reſurget, cum gratia Divina, quò eam magis malè amici in natale ſolum non tantùm deprimere, ſed & totaliter extinguere deſiderabant. Non dubita, quòd Rex Sereniſſimus videns hæc, & conſiderans, dum adhuc in effectu experietur, quòd non intra verba ut inimici blaterant, hæc confœderatio ſtetit, dum omnes inimicos Patriæ antiquâ Polonâ fortitudine aggredi, vincere, ſuperare, & tam graves Eccleſiarum, Religioſorum, & Statûs Nobilitaris vindicare injurias cœperis, dilatabitur cor Regis, manus Domini certè non abbreviabitur.

Abſolvimus hic ultimos Bacchi dies, quanquam in pauco numero, nihilominus læti, ſi ſtatus præſens miſeræ Patriæ, & cura futurorũ, gaudia noſtra non temperaret. Excurret his diebus Rex Elbingam, ubi prohibuit, ne ponerentur arcus, portæ, omniſq́ pompa vitaretur, quæ in primo ingreſſu (primâ enim vice ibi erit) Regibus exſtrui ſolet. Ibi diſpoſitis rebus, & ſecuritate loco proviſâ, ita credo, divertet ad locum conſilio deſtinandum, qui nondum eſt determinatus. Credo tamen quòd pro commoditate horum, qui ex Polonia venturi ſunt,

A.C. 1703 Thorunium eligetur.

Legatus Angliæ Gedani eſt, properat ad Regem Sueciæ, & tranſibit noſtro Rege inſalutato; nullum enim ad aulam noſtram habet commiſſum.

Expectamus hìc Nuntios à Majori Polonia, qui ſatis generoſas à principalibus ſuis ferunt propoſitiones, dethroniſationem deteſtantur, fortia meditantur, & univerſales literas pro communi motu expetunt, in quo viciniores quóque Palatinatus cum illis concordant, & per id ſpes deſperatione abjectâ melior.

LII

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. STEPHANO BIDZINSKI PALATINO SENDOMIRIENSI

die ut ſupra.

Literæ tuæ de ſeptima Februarij animant me ad id, cui deſtinatus voluntate DEI, ut in cura boni publici progrediar diligenter; addis currenti calcar, dum antiquo tuo Polono in Regem & miſeram Patriam zelo indignaris illis, qui optimis ingeniis malè utuntur, in quibus major emolumenti privati ſpecies, quàm metus publici damni apparet, unde illi qui ad ſua commoda, omnia quæcunque agunt, referunt, viri boni eſſe non poſſunt. Incuſas malignitatem peſſimarum factionum illorum, quibus nihil videtur turpe, quod eſt queſtuoſum, & per id demonſtras generoſum illud pectus, quod ego ſemper mirabar, & venerabar. Convenio verò in eo tecum, quòd Dominus DEus, uti jam incepit, per unionem animorum exercitûs & Ducum ita confundet perverſa hæc capita; naturaliter enim quod procedere non poteſt, recedit.

Tarlo Gubernator Stenſicienſis eſt ſemper apud me non tantùm ex reſpectu magni ſui Patris, & ex perſona propria in ſumma æſtimatione. Non gravabor certè merita ejus ex recommendatione tua Mti ſuæ repræſentare. Capiet nos hæc Macedonia, experietur brevi, quòd virtus temporibus non jaceat depreſſa noſtris, ſperoq; monſtraturum me ei reale meum obſequium, & promptam nutibus tuis obedientiam &c.

COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM.

NOS CAROLUS &c. Poſtquam jam diu nullum hiſce turbis, quæ arma noſtra inutiliter in hoc Regno detinuerunt, remedium adferri videmus, ut aliquando finis illis imponatur, nihil magis in voto eſt, quàm ut conſilia huic inſtituto idonea poſſent inveniri. Nam quamvis nullum nobis cum Republ. Polona bellum geritur, ſentit tamen hac commoratione utramq; Regnum illa incommoda, quæ non poſſunt illis non eſſe, quàm maximè exitioſa, niſi maturè hiſce malis occurratur. Neq; enim adeo dulcis fuit nobis armorum gloria, quin etiam de danda amico Populo quiete cogitaremus. Quas propter ut ea media adhiberi poſſint, non minùs Reipubl. Polonæ tranquillitatem, quàm Regni Sueciæ commoda & ſecuritatem conſtinebunt; De iis autem cùm illo in loco conſuli fruſtra ſperetur ubi odium, invidia, ſpes, terror, aliaq; animi motuum genera, partiumq;

umq; ſtudia ſentiendi dicendiq; libertate hactenus erupêre; ſaluberrimum nobis videtur, ſi de re tanti momenti illic inſtitueretur, ubi libera Gens non coacta, ſed plena libertate absq; metu & cenſura depromere ſententiam, juſtos duraturæ quietis, & ſecuritatis modos inire, atq; ſaluti communi providere poſſit. Hanc noſtram mentem Eminentiæ V. aperire conſultum ducimus, ut illa, quæ præcipuas in Repub. partes gerit, non modò occaſionem habeat liberandi Patriam ſuam ex periculis, quæ ultimam perniciem ei minari videntur, verùm etiam illam magnis incrementis conjunctâ armorum ſocietate augendi, easq; Provincias recuperandi, quas communis hoſtis Poloniæ ereptas poſſidet. De cætero Eminentiam V. Divinæ tutelæ commendatam quàm diutiſſimè ſalvam & ſoſpitem eſſe cupimus. Dabantur Jakubovice 24 Januarij.

LITERÆ CARDINALIS PRIMATIS AD SENATORES CONVOCANDO EOS VARSAVIAM PRO CONSILIO 25 Jan.

SI liceret Majoribus noſtis oculos in morte gravatos, aperire, ad miſerabilem hujus Reip. ſtatum, ad inauditam à ſæculis deſidiam Polonorum, ad infelices lachrymas exhauſti, oppreſſique populi, profunda defixi admiratione inſolito dolori ſuccumbere deberent, eò quòd in noſtris pectoribus, neque Mars, neque jus, nec virtus, nec libertas ſuam retinere ſtationem videatur. Omnino alia rerum facies. Nihil priſci & integri. Quaſi nihil detrimenti Reſpub. pateretur, quaſi extremã noſtram non ſentiremus calamitatem, quaſi non videremus fumantes, florentiſſimæ olim Patriæ noſtræ, cineres, & flebile Trojæ ſolum, quaſi non intelligeremus, quòd Polona Aquila, quæ nuper magnarum aquila alarum, è verò dici poterat, eò quòd ſuâ amplitudine remotos limites attingeret; hodie prô dolor, neque in ſuo nido Patrio libera, & adſtricta, permittit ſe plumis ſuis, quibus in altum ferebatur, ſpoliari, non ſine fabula, & ſubſannatione externarum Provinciarum. Ita plectente nos Divina Nemeſi, intravit cum otio, ignavia, per diverſiones animorum, & attritas vires, irrepſit debilitas, & conſequenter inundatio gentium diverſarum, injecit nobis quædam vincula terroris, & torporis ut inſtar Amylcarum, nihil penitus agendo, alii variè diſperſi, alii domi ſuæ, attoniti ſua fata ſpectent deſides. Ego deſcendi Varſaviam, ab aliquot jam prope ſeptimanis, ut in centro omnium notitiarum ſubſiſtens, clarius poſſem intelligere, ex præſente hîc Illuſtriſſimo Nuntio Apoſtolico & aliis externorum Principum Miniſtris, quam figuram Reipubl. noſtræ erigant, pacíſne an belli? vitæ, vel interitûs? Cum verò ex illis ipſis non aliud eliciatur, quàm quòd ſalvare nos non poſſimus ſine nobis, ſatis mirari non poteram, quòd per tantum temporis ſpatium expectans, in tam aperto Reipub. diſcrimine (ubi non poteſt, in æſtuariis dormiendum) prius Suecos adventantes conſpexi, quàm noſtros, quibus ipſemet Rex Sueciæ propè it obviàm cum ſuis copiis, at ubi præceps eſt capienda via, non eſt cum quo poſſit formari conſilium, multò minùs aliquid agi. Cum itaq; in tam gravibus periculoſisq; circumſtantiis, quas à quatuor plagis compoſita tempeſtas adducit, nullũ ab aſtro lucis ſolatium, igitur ex ſe mutuandum lumen. Atque ideo, ut DEO Opt: Max. integram conſcientiam, orbis univerſi ſinceram, & dili-

A. C. 1703 diligentem meam applicationem, Patriæ fidem, & intimam propenſionem, dignitati, & officio meo impendam obligationem, non poſſum fata publica Regni hujus, in profundius, mea diſſimulatione trudere præcipitium; ſed ex ſpecula gradûs, & dignitatis meæ convocaturus præſentibus hiſce Illuſtriſſimos Senatores, Varſaviam, pro 15 die Menſis Februarij ad tractatus Reipub. Nomine deſtinatos, enixè invito, & ſingulariter Illuſt. Dñem Vram, ut non dedignetur adeſſe in vim melioris cointelligentiæ: quibus mediis pereunti Patriæ poſſimus ſuccurrere. Immolabit hoc facto Illuſtriſſima Dominatio Vra, amori illius publico gratiſſimum holocauſtum, ſi huic conventui, in quo (avertant ſuperi) non ſcelus aggredimur, non in miſcenda cogimus, ſed ſubſidia laboranti Patriæ diſponimus, comparebit. Cujus quò religioſiùs veneror profundiſſimos ſenſus, eò avidiùs illius expectabo adventum. Varſaviæ 25. Januarij.

LITERÆ REGIS AUGUSTI CONTRA PRÆCEDENTES Cardinalis convocando ad conſilium pro 16 Martij.

INter publicas calamitates, quæ Nos undiq; & Rempub: hanc circumſtant, irâ juſtâ Numinum an hominum? non minus intimam cordis noſtri ferit medullam, quando nobis contingit legere Invitatorias quaſdam literas, quas Rdñus in Chriſto Cardinalis Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas Regni & M. D. Lit. neſcimus pro quali Conſilio, Senatores invitaturus, & præſentes ad noſtrum latus, Miniſtros ſtatûs, quaſi avocaturus, exaravit, & ſparſit per Regni Provincias. Admirati ſumus haud mediocriter ejusmodi actionem, & cum probè perſpectam habeamus ſingularem ejus prudentiam, & legum perfectam notitiam; nec non longo rerum uſu conſummatiſſimum judicium, adduci non poſſumus, ut credamus, ex ſe ipſo, & liberè id egiſſe; verùm ſupponimus poteſtate armorum Sueticorum adactum. Palàm ſunt omnibus Paterna jura, legesque publicæ, & Regni Conſtitutiones, quæ ſtante Regimine ſuperſtitis Principis, ſimilia vetant conventicula. Siquidem id non tantùm directè contra ſupremam authoritatem Regiam pugnat, verùm etiam pulcherrimam Regni Ordinum harmoniam intimè ſibi cohærentium, & tot ſæculorum ſpatijs compagem diſſolvit, nec convelli, ſine exitio convellentium poteſt. Nônne congregatæ nuper publico motu Regni Provinciæ propè Sandomiriam, & ad Kolo, ejusmodi conſilium, ad latus noſtrum tantùm inſtituendum, ſinguli aſſenſu ſanxerunt concluſeruntq;? Quid deſideratur ad Paternam noſtram de bono publico ſolicitudinem, quando repetita Provinciis indulgemus conſilia, & ſine interſtitio huic uni cogitationi continuò incumbimus, quomodo poſſimus implicatam Patriam, ex tam difficili Labyrintho in libertatem aſſerere. En & præſens Conſilium ex coadunatis Regni Provincijs ad latus noſtrum convocamus, pro die 16 menſis Martij, ut corruenti ſuccurrant Patriæ, immunitates, & libertates, ex aperto vindicent interitu, ſibiq; inter vitæ mortisque viæ

vias poſitis, opportuneq; conſulant. Pro eodem die Sinceritatem V. A.C.1703
invitamus, ut non cunctanter comparere velit, procul omnino à privatis aliis conventiculis, quæ ſicut è diametro repugnant, Mti & legibus Patriis, & Univerſali huic Conſilio, ab omnibus Regni Ordinibus approbato, & condicto; ita innumeras, illasque periculoſas trahunt poſt ſe conſequentias. In quo Paternè Sinceritatem V. requirentes, non dubitamus, quia ſe ad mentem legis publicæ accommodabit, & ita vi juramenti Senatorij pro Mte noſtra zelabit, ut & noſtrum pariter ſingulariter reſpectum in omnibus, quæ ſe evolvent occurrentiis, mereatur & Reſpub: malè geſtorum non requirat aliquando rationem. Jure præterea metuendum, ne præfata Conventicula privata, Suecus agat in vincula, quemadmodum nuper egit Illuſt: Palatinum Volhyniæ, & complures alios. Nimirum idem omnino timendum eſt, ad latus furentis & armati Hoſtis, conſilia ſua inſtituere volentibus. Quod dum clarè exprimimus, bonam à DEo Opt. Max. Sinceritati V. precamur valetudinem. Thorunij die 29 menſis Januarij Anno M DCCIII. Regni noſtri VI.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD PALAtinum Maſoviæ Commiſſarium ex Senatorio ordine à Repub. ad Tractatum cum Rege Sueciæ deſignatum. Varſaviæ die 29 Jan.

Ut naufragantes mediis in fluctibus ad ultimas prenſandas tabulas, naturali impelluntur impetu, ita nobis in præſentibus Reip. infortuniis, undique preſſis, omni deſtitutis auxilio, aliis diſperſis, aliis ſua ſuper fata attonitis, dum alia congregandi in unum & excutiendi lethalis ſoporis deeſſent media hoc aſſumendum cenſui, velut extremum, ut in virtute gradûs & poteſtatis miniſterii mei, reſolverē me, circulares ſcribere ad Senatores, eos, pro die 15 Febr. Varſaviam convocando, ut in hac Patriæ calamitate, ubi ab aula ſolatium exiguum, conſilium tenue, ut id ex effectibus eluceſcit, hinc verò Sueci, inde Saxones graviter incumbunt, ſalutaria adferrent conſilia, quibus hæc Reſpubl. ſalvari poſſet. Ad bella nec animus nec belli nervus, tam enormiter emunctis, tractatûs concludendi modica affulget ſpes, me licet circa illum ſolicitè operante: attamen etiam inter ardua deſperare minimè licet ſinuq; manus recondere, poteſt enim, quod longum diſtulit tempus, unica conferre hora, quæ cùm ſoli ſit nota DEO, nos nullum, quin in eo in utilitatem publicam operemur bonum, elabi ſinamus momentum, ut tandem in illam incidamus. Quis ſcit, an non etiam in hoc congreſſu, in præſentia Nuntii Apoſtolici, aliorumq; externorum Miniſtrorum aliquod ſuccedet ſimul conſulentium inventū, quod claudere templum Jani, tractatui januam poſſit aperire. Opto itaque & obnixè peto, pro deſignato termino, minimè venire tardes, cujus præſentiam, tum ex obligatione præſentis, quem geris, characteris debitam, tum ex ſoliditate ſani ſemper conſilii, quò magis optabilem eò ardentiùs expeto, & expecto.

CO-

A.C. 1703 COPIA LITERARUM EMINEN: CARDINALIS AD REGEM Sueciæ pro Civitate Lublinenſi.

Miſeram Civitatem Lublinenſem, & niſi ſolâ Regni Tribunalium ſede conſpicuam, audiens incurriſſe in indignationem S. R. Mtis V. quaſi ex eo motivo, quòd prætereunti cum Exercitu ejus D. Generali Merner, portas ſuas occluſerit, absq; demeritis iram S. R. Mtis V. concitaverit, diſſimulare nequeo, ut mala & ſiniſtra informatio illudat pietati & juſtitiæ S. R. Mtis V, ſed præſentibus id, quòd mihi notum in tutamen innocentiæ veneraбundus inſinuo; Et quidem prætactam Civitatem, non eſſe tam opibus viribusq; valentem, aut circa tenuitatem ſuam tam inconſultam, ut temeritate aliquâ, audeat provocare potentiam S. R. Mtis V, nec etiam adeo ignaram ſui, ut non calleat arma tenentibus, omnia ab illis dari, qui juſta negant, eodem quippe momento, quo requiſita fuit, procul dubio receſſiſſet, ad ſe facilem & apertum aditum, niſi pertimeſceret ex ſubitanea venientis turmatim, copiarũ admiſſione, ſubſequi aliquem aliunde, ut in ſimili caſu contigit, tumultum ad boni ordinis cautorumq; non refragariorum incolarum conditionem obtinet, tum quia ipſa protunc juris ſui eſſe non valens, ſed ſub jurisdictione commorantis ibidem adhuc Tribunalis Regni Mareſchalci exiſtens, interdicto ejusdem parere neceſſum habuit omnino, qui poſtquam ea die ex urbe ſeceſſit, alterâ ſequenti ſtatim Commiſſarios Exercitûs S. R. Mtis ſolutis portarum repagulis admiſit, cum iisdem transegit & juxta ſtipulationem, ad aſſem totum receptâ quietatione exolvit, cujus rei pro teneritudine conſcientiæ ſuæ, teſtimonium exhibere poterit idem ipſe D. Merner. Exinde evincitur maximè non deliquiſſe, quæ in tali caſu & ſecuritatem ſuam paciſci, & jurisdictioni Mareſchalci Tribunalis ſubeſſe debuit, quaſi ſimul cum annuo ejusdem Magiſtratu ceſſante, utrum pro illius temporanea authoritate plecti debeat innocens civitas, ſubſit altiſſimo S. R. Mtis V. judicio. Quod verò attinet patrata circa Lublinum homicidia, horum abſolutè complex & correa eſſe nequit, cujus tam arcta & limitata eſt poteſtas, ut ſe tantùm intra muros extendens, nequeat quidquam etiam in ſuburbiis præſumere, quorum diſtincta & varia eſt jurisdictio, tantò magis extra pomerium, tum in trium vel quatuor milliarium, diſtantia, ſi quod ſcelus accidit, utrum ad id referibilis eſſe debeat, ut pro inſolentibus latronum turbis reſpondere, vel mulctari teneatur, denuo mihi & in hoc puncto eſt recurſus ad juſtiſſimum pectus S. R. Mtis V. ſunt & alia magis ficta, quàm facta, & vera, ſcilicet ac ſi Suecos per vim neceſſitarint ad ſuſcipiendam fidem noſtram, quæ dum in tranquilla nunquam fiunt Repub. ſtante libero, legibusque circumſcripto Religionum exercitio, quomodo fierent iſta confuſa, &

tantis,

tantis, quæ patitur malis exagitata. Supplico itaq; S. R. Mti V. ut *A.C.*1703 mandatum comminatorium, in vim ſolvendorum 50 millium talerorum, per D. Generalem Steinbock 10 Januarij extraditum pro clementia ſua revocare dignetur, aliàs S. R. Mtas V. ingentem toti Reipub, adferret dolorem, ſi hæc civitas, quæ juſtitiæ Regni eſt domicilium, ſubiret aliquam ruinam, quam uti derivaturam à juſtiſſimo & ſapientiſſimo Principe, ita his in ſinceritate expreſſis ipſe humillimâ inclinor veneratione. Varſaviæ 30 Januarii.

COPIA LITERARUM REGIS DANIÆ AD REGEM POLONIÆ, in Februario.

FRIDERICUS IV. DEI GRATIA REX DANIÆ &c.

Seren: & Potent: Princeps Domine Frater Conſangvinee, & Vicine noſter chariſſime.

TRaditæ ſunt nobis literæ de 27 præteriti menſis Januarij ad Nos exaratæ, ſigilloq; majori Reip. munitæ, ex quibus haud exiguò animi mœrore intelleximus mala Regno Poloniæ per aliquod tempus jam ſat gravia in dies graveſcere, nec ullam ferè ſpem ſupereſſe eadem firmâ & æqua pace cum Seren: Rege Sueciæ ſublatum iri, ita, ut conſilio magno Mtis V. ex omnibus Provincijs integrè coadunatis congregato è re viſum fuerit exteras poteſtates ad ſpem deſperatis rebus ferendam, ſinè mora invitare, cum iisdemq; mediante Tractatu convenire, quomodo Rex Sueciæ induci poſſit ad amplectendam pacem, & reſtituendam publicam quietem.

Haud equidem dubitamus Mtem V. & Proceres Reipub: ex anteactis ſatis ſuperq; perſuaſos eſſe, Nos pacem illam & quietem publicam ſincero animo reduces optare, cùm in eo non ſolùm univerſæ Europæ jam ſatis afflictæ, ſed & ſpecialis Mtis V. conjunctiſſimi nobis & ſangvinis & amicitiæ nexu Regis ratio verſetur, ipſaque Reſpublica & Proceres Regni Poloniæ omnes & ſinguli tantâ ſemper Nos & Reges Prædeceſſores noſtros coluerint obſervantiâ, ut malis eorundem nonniſi ſummopere affecti eſſe queamus, nihilq; in ijs optandum nobis relictum ſit, quàm ut ſepoſitis contentionibus privatis, unitis animis & conſiliis utilitati publicæ conſulere velint. Non ſinit Nos de eo deſperare ſola eorum prudentia, & innatus amor Patriæ. Hinc ſi miſſis cum ſufficiente mandato Mtis V. & communis Reipub. legatis de commodis reducendæ tranquillitatis mediis nobiſcum conſulere, aut mediante Tractatu eodem quò cum aliis exteris poteſtatibus modo convenire volent (quo ſimul tempore antiqua fœdera Nos inter & Inclytam Poloniæ Rempub. renovari poterunt) omni ſtudio allaborabimus, ut plenè Mti V. & Reip. conſtet, nullius rei in nobis eſſe moram, quæ ad ſalutarem hunc finem conducere poſſit. Mti V. de cætero bonam valetudinem, & proſperrima quæq; à DEO precamur. Dabantur in Arce noſtra Regia Hafniæ 3 Martij. Mtis V. Bonus Frater, Conſanguineus & Vicinus FRIDERICUS.

A.C.1703 MANIFESTUM REGIS AUGUSTI IN CONSILIO MARIÆBURGENSI in Februario

MOleſtiſſima Regnantibus Imperia, quibus non liceat poſt graviſſimas Reipub. curas, in ſecuro pectore populorum aliquando requieſcere. Quid juvat vectorem claſſis ornatiſſima, plena majorum meritis, quam Dux inquieti turbidus Adriæ, vexat inſolenti procellâ, nec patitur ſuum adire littus. Solis etiam ipſius aſpectus, ingratus oculis, quoties immiſſis hinc, inde nubibus oppugnatur, ne plenam cœlo ſuo diffundat lucem. Non benè capiti adhæret Corona, quæ pluribus ſpinis, quàm gemmis diſtingvitur. Non ſumus ita oblivioſi, ut non omni horâ recordaremur, quâ votorum teneritudine electi, invitati, & coronati ſimus, omiſſis compluribus Candidatis. Servamus alto corde ſingulorum tam nomina, quàm ſuffragia, hoc uno fato infelices, quòd in tempora obliquis revolutionibus obnoxia, totam cauſam cogamur retorquere; cur nobis non liceat tam turbido cœlo, clariùs dignoſcere, cui priùs ante alios, par præmium meritis debeatur. Et hæc eſt deploranda ſors Regnantium, dum procellæ domeſticæ ita vultus civium gratiſſimos tegunt, ut ægrè poſſit adverti ſincera facies ſingulorum, quoties conferenda beneficia ordinantur. Nos quando coram Divina Mte, per quam Reges terrarum regnant, & Principes imperant, in veram primamque tam publicæ perturbationis cauſam penitiùs inquirimus, ſoliciti de priſca illa Polonorum ad noſtros Antecèſſores confidentia, tres ſcopulos advertimus, in quos fons totius mali tam publicè quàm privatim refunditur. Nimirum bellum Sueco indictum; Litvania perturbata, miles Saxonicus. Singula hæc capita indigent animadverſione ſincerâ, non fucatâ neque ad lucernam privati cujuſdam Diogenis, ſed ad ſolem publicæ veritatis expendenda. Laceſſiti ad Polonkam occaſionem ſumpſimus, illegitimè avulſa & pariter poſſeſſa repetendi, *vi Pactorum Conuentorum*; innixi Senatorum, Miniſtrorumque Regni conſilio; non abſimili omnino methodo; quâ primum *bellum Sueticum* compoſitum fuit ſub *JOANNE CASIMIRO* paucorum admodùm Senatorum ſuffragiis; bellum, inquâ, illud, quod in ſocietatem atrociſſimæ calamitatis traxit ſimul Moſchos, Vngaros, Coſacos, & civiles motus. Nemo tamen inventus, qui tam inſignes Poloniæ plagas, in Regiæ Mtis culpam, meritò retorqueret. Nobis non licet ita felicibus eſſe, quantumvis ſuſcepto à nobis bello melior proculdubiò reſpondiſſet eventus, ſi acceſſiſſet ſincerior quorundam coram Regni Ordinibus interpretatio. Sed quia accuſatur Cæſar, quod facit Antonius aut Catilina, & actiones noſtræ in obliquos inciderunt Commentarios, patimur omnes Scyllam, cupientes vitare Charybdim. Non revocamus recentiſſimæ recordationi, apparatus bellicos, & impenſas Regiâ gazâ

ma-

majores, poſtquam in prædam ceſſerunt hoſtibus, qui ad gloriam *A.C.* 1703 Regni propagandam à nobis fuêre deſtinati.

Colliſio Litvanica longiùs ante noſtram Coronationem, ſumpſit exordium, vireſque acquirit eundo. Redire ita facilè ad antiquam ſecum amicitiam partes nequeunt, novis quotidie læſæ injuriis, & imaginatiâ reæ conſcientiæ deſperatione, dubitant de vera ab utrinque reconciliatione animorum, plùs nimio ſibi præfidentium. Et dum uni vulneri mederi nitimur, alia & alia vulnera infliguntur, ſimulque antiquæ cicatrices recrudeſcunt. Facilius fuit Reip. naſcentem ſub tempus Electionis noſtræ ſcintillam hanc ex occaſione coæquationis jurium, in primo apparatu extinxiſſe; quàm nobis interea temporis ſuffocare incendium, quod tamdiu indomitam concepit, diffuditque flam̃am. Palàm eſt omnibus, quam fruſtra à totis Comitijs, fruſtra ab Internuntiis noſtris toties totieſque Grodnæ præcipuè ſudatum ſit, neque tamen obtineri hucuſque potuit, quod optatur. Interim Annibal ad portas, civium felix diſcordiâ, non ubi urbi, ſed orbi, Regnoque im̃inet univerſo, noſtris armatus machinis, & ſpontaneo auctus commeatu. Securas ubique habet vias, tributumque paratum miles habet, nemine renitente. Jam Aras omnes ſubvertiſſet, & focos, ſi militiam noſtram in viſceribus Regni non ſenſiſſet præſentem. Quam ſolam in Regni, vitæque noſtræ tutelam, tam jure naturæ, quàm pactis conventis, & Senatûs conſilio indultam reſervamus, eâ praxi, quâ licuit olim ſuas cohortes alere Henrico Valeſio, Stephano Bathoreo, & Sigiſmundo III, procul omni cenſurâ, & ſecuriore, quàm nos fruamur ſolio. Si tamen propter nos tempeſtas hæc totius Reipub. verſar claſſem, proramque petit, ne fortè quid ad communem tranquillitatem ex parte noſtra deſiderari videatur, proteſtamur præſentibus hiſce coram univerſis utriuſque gentis Ordinibus, atque imprimis coram DEO Opt. Max. in cujus manibus ſortes noſtræ, quod deinde nulli hoſtium arma illaturi ſimus, totâ Repub. inconſultâ; Litvaniæ componendæ omnia adhibebimus media, quæcunque ſuggeſſeriris; militiæ noſtræ ſigna vertemus eò, unde venit, hoſte quoquo modo finibus Regni depulſo. Simul univerſis æquè ac ſingulis ſinceram veniam in præſentiarum donamus, quicunque nos, Regnaque noſtra in hoc publicæ gloriæ diſcrimen adegerunt. Porrò ut hæc Manifeſtatio noſtra majoris ſit momenti, ita firmam volumus, atque ſi novæ Religionis Sacramento firmaretur.

LIII.

ANDREAS PRINCEPS EPISCOPUS VARMIENSIS SUPREMUS REGNI CANCELLARIUS AD DNUM SAPIEHA MARESCHALCUM M. D. L. Elbingæ 11 Februarij.

Epiſtolam tuam die 24 Januarij datam, hodie tandem accipio, apparet quòd plures tabellarios fatigaverit. Nam & ego per hoc temporis intervallum complures mutavi ſtationes. Referrem tibi

A. C. 1703 bi gratias, quòd mihi grande curarum theatrum gratuleris, niſi hic & nunc, pro veteri in me tuo affectu ſingulariſſimam potiùs ſperâſſem compaſſionem, ex eo, quòd mihi in tam gravibus Regni circumſtantiis honor iſte obtigerit, cui ferendo, neſcio utrùm vires meæ tot laboribus attritæ, ſufficient. Quanquam ad eam metam animum meum intendam, ad hanc omnes conatus (ſine oſtentatione ulla) dirigam, ut ſævienti fortunæ occurram, ut poſſim conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Accepto tamen eo, quo par eſt affectu, & veneratione feram licet, illam tamen quæ non debet reprehendi, gratulationem. Et quia invocas ſimul fidum pectus, & antiquam amicitiam meam in rerum tuarũ ſubſidium, vellem ex corde invenire tandem illa media (quæ tamdiu quæro diligenter) ut liceret non tantùm compati, verùm etiam ſuccurrere exuli fortunæ tuæ, cùm non poſſim niſi approbare ſingularem hanc æquanimitatem, quòd elegeris potiùs ſub alieno tecto feliciora expectare tempora, quàm ad ejus perturbationem, vel ruinam, quocunq; demum modo concurrere. Dediſſent hanc utinam mentem boni Superi ſenioribus tuis, ut pariter ſe continuiſſent, vel ſaltem ut donarent veris amicis tantum fidei, quantum ad eluctandum, ex præſentiſſimo diſcrimine, neceſsè eſt ut videant. Palàm eſt quo ego ſemper affectu ferebar (vel cum periculo offenſionis) erga domum vram; unde facilè intelligere poteſt, quàm profundè doleam, omnia quæcunq; ſunt hactenus acta, & fiunt.

Quamprimùm me publica infelicitas publico huic admovit Miniſterio, nam felicioribus Patriæ temporibus certè tam oneroſum officiũ recuſâſſem, electâ ſemel tranquilliſſimâ ſolitudine domeſticâ, expedivi ſtatim unum ex meis collateralibus, qui aliquando famulabatur aulæ Palatini Vilnen. cum plena inſtructione, obteſtando quàm pauci partibus illis adhæreant, & plures in officio ſuo maneant, non conſideret potentiæ rarò ſempiternæ, vellet ſe ad hoc imprimis reflectere: quòd dethroniſatio ſit impracticabilis ex eo capite, quòd gens noſtra odit ſimilia, immotamq; paſſim erga ſuos Principes mentem gerat, bonos exoptando, qualeſcunq; tolerando. Deinde promittebam facilem, atq; pronum ad oblivionem omnium tranſactionum Principis animum. Deduxi manifeſtè, quòd Sereniſſimus velit priſtinam ſincerè cum Theſaurario confidentiam renovare (quæ omnino vera & invidenda fuit) ſi candidè & conſtanter exemplo Principis excitatus, ea, quæ pacis ſunt, efficaciter ad optatum cum corona Suetica tractatum promovere feſtinaret. Reddebam certum de omnimoda ſecuritate. Demonſtrabam: quia optimus quiſq; Reipubl. cauſâ mœret, quod ſopiti huc uſque lethargo quodam Poloni jam domiti ut pareant, nondum ut ſerviant. Obtuli meam promptitudinem illuc excurrendi, quo placeret loco colloqui Theſaurario, ſed ad omnia prorſus ſteriliſſimum omnino accepi reſponſum. Poſtquam iterum Varſaviæ comparuit, idem repetii, & idem reſponſũ obtinui. Credebam ergo quòd præfati aliam certiorem & ſecuriorem viam elegiſſent, & optabam ex corde, ut miſererentur infelicis Patriæ, quæ ſuæ calamitatis maximam rationem in eoſdem devolvit, tandemq; ſuam culpam in decus converterent, & Regi Sueciæ pacatiora ſuaderent, manifeſtum diſcrimen perſonæ tanti principis & victorioſæ militiæ exponerent ſincerè. Nam quando preſſa non ferendis ultra contributionibus nobilitas advertet, quòd per ſpeciem defendendæ libertatis, amittat libertatem, non eſt poſſibile, ut diutiùs hoc jugum ferat. Certum verò eſt, quòd omne principium ſit grave, verùm ſi in una Provincia ſumentur

mentur arma contra Suecos, profectò tanquam dato ſigno ad ſocietatem armorũ reliqui trahentur, neq; ſtatim incendium hoc extingvi poterit; quivis verò in ſuo ſolo plus animi gerit, quàm in alieno, quando ſuæ domi etiam imbelles fortiores ſunt. Æquitas cauſæ ipſa pro innocenti Repub. tot tantaſq; ærumnas paſſa militabit. Hæc & paria congeſſi, ſed nihil fraterna profuêre conſilia, & ſincera perſuaſio mea, qui malo ſemper comperta, quàm læta nunciare, neq; conſuevi unquam aliquid vero demere, vel addere. *A.C.* 1703

Propterea recurro ad te & ultimas preces præſentibus exprimo; ſatis jam eventuum, ſatis caſuum; velis pro prudentia tua, & cura futurorum Majóribus perſuadere, ut procul omni morâ, nam & paucorum dierum interjectus eſt periculoſus, ſepoſitis omnibus, & ſe & Regem Sueciæ ad pacis tractatum diſponant. Propè ſumus, & jacta erit alea belli, alterutrum merſura caput. Poſt breve intervallum res ſuum exitum ſortietur. Undique Sereniſſimo ſcribuntur conteſtationes zeli, affectûs, & animi ad fortia agenda. Non erit tempus ampliùs; Quis ſcit utrum tunc; quomodo exeant? non quid efferant? non quæretur? Quid juvat? evidenti ſe ſuaq; periculo exponere. Cur potiùs obliterando præterita non demonſtramus affectum erga Rempub., cur nos non applicamus fortiter, ut perſuadeamus Regi Sueciæ, quatenus palàm faciat orbi; & incipere ſe bella feliciter, & finire prudenter poſſe. Potes antequam ſtringantur gladii (quod jam eſt in proximo) perſuaſione tuâ indubitatam & immanem ſangvinis effuſionem cohibere. Velimus, quando poſſumus, quia non poterimus, quando volemus. Quod in ſinceritate cordis tui non tantùm ex ſolidæ amicitiæ jure, ſed etiam ex debita erga Rempubl. obligatione, defero & promptitudinem meam, ad efficaciter ſerviendum teſtor. &c.

COPIA LITERARũ MAGNI DUCIS MOSCHOVIÆ AD DUcem Mazeppa datarum 11 Februarij.

Binas literas dedimus ad Te unas 2 Decembris anni præteriti 1702, alteras 25 Jan. currentis anni 1703 quibus ſeverè ſub pœna capitis tibi ſubdito noſtro Duci & equiti mandavimus, ut partibus ad Boryſthenem jacentibus forti cuſtodia conſuleres adimereſq; tuæ Legionis Coſacis omnem tranſeundi facultatem ad terras Poloniæ, aggregandiq; ſe voluntariis Colonellis Simoni Palejo & Ivoni Samuſſio. Commendavimus inſuper, ut ſi tibi videretur, neceſſariumq; cenſeres, ſcriberes ad prædictos Colonellos monendo; ut ab iniquis intentionibus ſuis deſiſtentes ad debitam Regi Poloniæ obedientiam redirent & potiùs contra communem hoſtem noſtrum Suecum militare vellent. Nunc verò innotuit nobis ex literis tuis à Ducibus Regni miſſum ad Te veniſſe Stephanum Piotrowski Theſaurarium Vielunenſem, literaſq; attuliſſe ad te ſubditum noſtrum ſcriptas; hunc ais te detinuiſſe domi tuæ, donec ex Cancellaria noſtra reſponſum, quod à nobis petis, obtineas. Cum literis tuis inſuper miſiſti etiam literas à Nicolao Franciſco Oginski Theſaurario, quibus addidiſti nova Crimenſia & ex aliis partibus allata. Pro quo tibi ſubdito noſtro Duci Exercituum Zaporovienſiũm & equiti gratiam teſtamur, & clementiſſimo verbo honoramus, quòd fideliter in obſequiis noſtris verſeris. Mandamus autem iteratò ſeverè, ut præfatas cuſtodias de legionibus tuis ad Boryſthenem conſtituas, & ſub pœna capitis præcipias, ut nemo Coſacorum in Provinci-

A.C. 1703 vincias Poloniæ tranſire attentet aut audeat. Scribe etiam ad Samuſſium & Palejum Colonellos; ut tanquam ſubditi Regis Poloniæ & Reipub. ad obedientiam Dñi ſui redeant, & à Rebellione deſiſtentes arma potiùs in Suecum vertant. Legatum Ducum Regni domum ſuam expedi, cum debito reſponſo donis honoratum; edoce illum tam de præterito quàm præſente mandato noſtro, diligenter in omnibus cavendo; ne ullam ex nobis violandæ pacis & pactorum fuiſſe occaſionem prætendi poſſit. Quæ omnia ut ſecundùm nuperum & modernum noſtrũ mandatum exequaris, tibi ſubdito noſtro Zaporovienſium copiarum ex utraq; parte Boryſthenis Duci & Equiti diſtrictè præcipimus, tuæq; prudentiæ commendamus. Nos interim de ulterioribus, quæ ibi gerentur, notitiam à te expectamus. Datum ut ſupra.

RESPONSUM DUCIS EXERCITUUM ZAPOROVIENSIUM ad Inſtructionem Ducum Regni datum. 20 Febr.

PLurimùm gratias agit Dux Zaporovienſium Ducibus Regni pro ea amicitia, quam conteſtati ſunt conferendo per literas & ablegatum de publico & communi tam Careæ Mti quàm Reip. Polonæ; intuitu cujus ipſe etiam Dux Zaporovienſium ſuam promptitudinem & ſinceritatem Ducibus Regni promittit obligatq; ſe ea omnia executurum, quæ ſibi à Carea Mte hac ſuper re fuerint imperata.

1. Compatitur plurimùm Dux Zaporovienſis calamitatibus Poloniæ, doletq; eo potiſſimùm tempore, quo Rex Sueciæ cum copiis ſuis Regnum Poloniæ ad incitas redigit, hic in Ukraina à propriis ſubditis ſubitò & inſperatè tantas excitatas turbas; quas ut compeſcerent Duces Regni, adactos etiam hiberno tempore advolare cum exercitibus. Optat idem Dux felicem prudentiſſimæ Ducum Regni generoſitati & activitati in edomandis ejusmodi inſolentiis Suecorumq; frangendis viribus eventum.

2. Quod Rex Sueciæ aſſerat & divulget Caream Mtem pro Authore & promotore hujus Rebellionis Ukrainenſis; non miratur Dux, non ignarus utpote hoſtem portare nolle, ea quæ commodo & integritati Ruthenæ & Polonæ gentis ſervire poſſent. Suo lucro ea ſemina ſpargit, unicè intendens, quò pacem perennem inter Regna Poloniæ, Moſchoviæq; conditam rumpat, aut ſaltem offendat, arctamque inter Principes utriusq; gentis amicitiam diſſolvat, cupidus ita ſua intenta per Regnum Poloniæ augendi, ſuamq; potentiam per liberos populos ampliandi. Mirandum foret ſi quispiam Polonorum eam de Carea Mte in contrarium conciperet opinionem, tam luculenta habendo argumenta ſinceræ amicitiæ cum Repub: quàm arctiſſimè obſervando, id tantùm precari videtur Carea Mtas, ut hoſtis ex Regno Poloniæ quantocius eliminetur. Multùm hanc in partem laborat facitq; cum exercitibus ſuis Carea Mtas. Sunt hujus rei indicia Livonia vaſtata, hoſtiles copiæ cæſæ, adempta fortalitia; quæ quia jam orbi univerſo notiſſima famâ proclamante ſunt, nec Poloniam latere poſſunt. Inſuper grandius adhuc ſuæ amicitiæ cum Rege & Republ. dedit Carea Mtas documentum, fortalitio Bychow in alba Ruſſia recuperato, Regiæque Mti reſtituto, ingentibus pecuniis de theſauro ſuo in belli ſubſidium expenſis. Quòd verò perduelles titulum Colonellorum Careæ Mtis ſibi arrogaverint, non aliter interpretandum eſt: quàm ejusmodi homines in ſupremo vitæ periculo verſando, omnibus modis ſibi conſulere volendo,

do, nec interim habendo vires huic operi pares, recurrere ad titulos; quibus ſuam defendant vitam evadantq; judicium de actis ſuis inſtituendum. Interim quamvis ſe ſubditos faciant, eo modo protectionem Careæ Mtis affectando; tamen re ipſa non ſunt: unde nullum inde detrimentum confectæ paci & priſtinæ amicitiæ inter Caream Mtem & Rempub. conſurgere debet, imò neq; ſuſpicio exoriri de Carea Mte; cùm ea habeat & vires & infallibilia media alia plurima vindicandi ſe de quolibet hoſte ſuo, nec egeat perduellibus. *A.C.* 1703

3. Notum & hoc eſt Duci Zaporovienſi Regem Poloniæ ſcripſiſſe hac de rebellione ad Caream Mtem, cui Carea Mtas magis re quàm literis reſpondit, miſſâ ad Samuſſium & Palejum epiſtolâ, in qua temerarios auſus ſeverè reprehendit, admonetq; ut ad debitam Reip. & Regi obedientiam redeant; eam epiſtolam Dux ipſe in ſuis manibus habuit utpote ad ſe miſſam, & ad prædictas perſonas primo quoq; tempore transmiſit. Acceptis his monitorialibus promiſit uterq; nullas imposterum excurſiones futuras in Voliniam & Podoliam, modeſteq; ſe demoraturos in iis locis in quibus modo perſiſtunt. Quia verò etiam ex demandatione ſibi deſuper facta à S. R. Mte Duces Regni à Duce Zaporovienſium deſiderant, ut compeſcendis rebellibus cooperetur in ea ſpe exiſtentes, ipſum utpotè proximum civitatibus perduellium efficaci activitate ſuâ id poſſe quàm citiſſimè efficere; hac etiam in parte ſe ſincerè inſerviturum Dux pollicetur, acturum & ſcripto & minis movendi exercitûs ſui contra illos; ut tandem ab attentatis auſibus deſiſtant & reſipiſcant, ſeq, Regi & Reipubl. ut ſubditos decet, ſupplices ſubjiciant. Quidquid deniq; à Carea Mte intuitu voluntatis Regiæ ſibi deinceps præceptum fuerit, impleturum id & executurum promittit.

4. Quod verò Duces poſtulant ut ejusmodi monitorialia & comminatoria ſine dilatione ad Palejum & Samuſſium mittantur, ex ratione; ut Reſpub. his terris pacificatis quantociùs exercitu ſuo in Suecum uti poſſit, itidem Dux Zaporovienſium promittit ociſſimè ſe literis ſuis illos conditionis ſuæ admoniturum, ut hoc opus quàm citiſſimè effectu coronetur optato. Adjiciunt Duces Regni & pro medio proponunt deſiderando ut depoſita Paleji Kijoviæ exiſtentia ſub areſtum accipiantur, quo Palejum emolliendum & adigendum ſperant ad ſedandam rebellionem: in hoc etiam Dux obſequetur, & pro ut ſcivit de his mobilibus Kijoviæ depoſitis longè antè, ita nunc fideli oculo & cuſtodia ſuorum intimorum committet, imò ſi opus fuerit areſto publico impoſito vetabit, ne quidquam earum rerum Kijoviâ evehatur.

5. Quod Regem Sueciæ attinet declarantem partem exercitûs ſui pro tumultibus Vkrainiæ compeſcendis; quòd exinde ſperet bellum per Boryſthenem in noſtras partes tranſportari poſſe, prædicto modo: ſpem firmam in DEO reponit & viribus Careæ Mtis Dux Zaporovienſium, ſpemque hanc Regis Sueciæ effectu fruſtrandam affirmat, nec metuit nec perſuadere ſibi poteſt Dux, ut Sueci in longinquo à ſuo Regno poſiti in hanc terram per tot flumina & tot diſcrimina rerum translationem meditari velint. Aliud illud fuit; Suecis in Poloniam aditum patuiſſe ipſismet Polonis Ducibus, qui perſuaſi integra ſibi omnia quo ad aras, focos, libertatesque relinquenda, per fluvios & Viſtulam ipſimet trajectis & pontibus ſtratis hoſti aperuerunt viam. Hic verò latiſſimus Boryſthenes tranandus, vel ſi corporibus pro ponte congeſtis tranſire ad nos voluerint, DEUM hæc non permiſſurum confidit.

6. Commendantem Bialo-Cerkiervienſem Kijovia non habet nec

A.C. 1703 niſi neceſſariis rebus ſibi proviſurum hic aut commorantem aut tranſeuntem vidit, nunc poſt traditam Bialo-Cerkierviam Chvaſtoviæ ſub protectione Paleji habitat. Interim ut votis Ducum Regni ſatisfaciat, promittit Dux Zaporovienſium ſe ſcripturum ad Palejum; ut prædictum Commendantem Baturynum remittat. Id ſi factum fuerit, ex nunc in favorem Ducum paratus erit eundem illis extradere. Quare verò prædictus Commendans tam facilè fortalitio tradito manibus ſeſe commiſerit perduellium; de eo Duces edoceri poterunt ab iis hominibus, qui brevi obſidione toleratâ ex præfato fortalitio liberi dimiſſi ſunt. Poſtulant inſuper Duces, ut Dux Zaporovienſium Palejum urgeat & inducat ad tradendum fortalitium Bialocerkierrvienſe:: ea res etſi difficilis imò impoſſibilis: nam quis perſuadeat id Palejo quamvis ſimplici, ut ſine conditione & reſpectu integritatis ſuæ ſecuritatiſq; id facere velit? nihilominus quemadmodum id maximè optat, ita per ſuum Ablegatum omnem operam impenſurum ſe appromittit.

7. Poſtulatum Ducum per legatum propoſitum de ſuppetiis contra Suecum & perduelles effectum ſuum ſortiri poteſt; dummodò mandatum Careæ Mtis accedat. Interim quia impoſſibile,ut exercitus tranſeuntes aliquomodo moleſti non ſint hominibus in tractu exiſtentibus, ex voluntate ſuæ Careæ Mtis Dux exigit; ut à Regia Mte & Repub. utriuſque gentis aſſecuratio detur cum ſubſcriptione Regis & Senatorum, ingreſſum in Dominia Regiæ Mtis copiarum parvæ Ruſſiæ non habendum fore pro occaſione violatorum pactorum. Aſſecurationem prædictam ubi primum venerit, remittet Dux ad Caream Mtem, illinc acceptis mandatis promittit ſe pariturum.

8. Poſtam etiam conferentiis inde facilioribus de bono publico utriuſq; gentis ſervituram, Dux pollicetur, Baturino Czarnoblum uſque curſores conſtituet, vult autem viciſſim Polonna Czarnoblum curſores diſponant Duces. Joannes Mazeppa Dux.

LIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN. & SAMB. CARDINALI PRIMATI, Vormditto 17 Feb.

PRoperanti Mariæburgum occurrit ordinaria Poſta, & remittitur mihi à Magiſtro ejusdem Elbingenſi, inter alias tua invitatoria, quæ alicubi, & ſatis diu fuit in detentione cum magno meo angore; Credidi enim, quanquam id me non meruiſſe ſcio, offenſum te mihi eſſe, cùm viderer eſſe poſtpoſitus omnibus etiam ad aulam reſidentibus ſæcularibus Senatoribus, qui ſingularem tuam receperunt compellationem, quam mihi habere non licuerat. Augebat in me juſtam apprehenſionem, quòd literæ meæ ad Sanctam Tiliam ex abundantia cordis ſincerè ſcriptæ reſponſum non meruerant. Ergo nunc mihi ſatisfactum, & in cordis dolore curſim hæc tria verba non tantùm in teſtimonium conſolationis meæ, quòd non ſim à tua excluſus gratia, ſed etiam quòd nolim ullius momenti diſpendium pati, & de impunctualitate accuſari. Non reſpondeo illis literis, quia dies heſterna pro congreſſu illo eſt determinata, pro quo invitor, & proinde eo ipſo excuſor, quantumvis ab itinere Varſavienſi & aliæ rationes me arcerent, quas diviniſſima mens tua facilè cogitabit. Spem ego indubiam habeo, quòd etiam ſine his congreſſibus inſpirabit Dominus DEus tibi talia media, quæ pereuntem Patriam ex tam gravi præcipitio, damno, infamia, & conſequentiis mali extrahere poterunt. Folia nunc cadunt,

non

non diu expectandum, ut & arbores cadant, quia ex una parte conſi- *A.C.* 1703
dero, quòd cui plùs licet, quàm par eſt, plùs volet, quàm licet; ex alia quòd ſupra modum & nobilitas, & plebs aggravata impoſſibile ut diutius poſſit juga peregrina ferre, ac proinde ſine ingenti ſangvinis fieri hæc non poterunt effuſione & fortè poſteriora remedia, quæ quærimus erunt quàm mala. Intro ego iterum in locum communem, quia hæc unica cogitatio totum me occupat, & eandem peto gratiam, pro qua non multis agendum, quia id non te opus rogare, nec currenti addendum calcar; Venit hora & nunc eſt. Vereor nec ex vano, ut impoſterum habeamus tempus. Ego ante aliquot ſeptimanas abij ab aula, ubi optimas ad pacem reliqui diſpoſitiones, quamvis non ſine ſeria de bello cogitatione; Sciam tantùm quid facto opus ſit in ordine ad hunc finem impendam me, & ſuperimpendam, nihil magis optando, nihil ferventiùs à DEo precando, niſi ut, & ab extra, & ab intra pax, tranquillitas, charitas, & confidentia.

LV

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. REGNI CANCELLARIUS STEPHANO BRANICKI PALATINO

Podlachiæ 17 Februarij

GAviſus ſum ex toto corde, dum de præſentia tua Varſaviæ notitiam accepi, & juſtum meum ſolamen confirmavit magna quædam & vera manus aſſerendo, quòd, quidquid ex perſona & activitate tua potes, omnia facis in ordine ad tranquillitatem inducendam. Communicavi id ipſum Sereniſſimo Regi, & continere nequeo calamum, quin debitas tibi ex officio referam gratias, pro eo in publicum affectu. Manet imprimis à Dño DEO merces, qui juſtus eſt meritorum remunerator, à Patria gratitudo, quia hæc agnoſcet olim, qui illam manutenere, qui vult perdere. Non demittas ulterius & manus & ſolicitudinem, veliſque habere curam futurorum. Venit hora, & nunc eſt, ut ſeriò agamus, & celeriter circa pacificandam Patriam, imminent enim peſſima. Venietur in præceps, dum itur ad extrema. Siccatur cor meum, quoties, quod ſequitur recogito. Parabam jam me Varſaviam, quantumvis tam felix non fuerim, ut minimam privatam, vel publicã compellationem haberem, ut alij, ſed quia video aliam congreſsûs hujus apud Mtem ſuam eſſe interpretationem, non mihi licere pro debito Miniſterii videtur in illo congreſſu comparere, qui præter mentem ſit Regis. Quàm res pulchra, decora, & utilis fuiſſet? Si antequam hæ vocatoriæ exiiſſent, conſultus fuiſſet Princeps, quia eò modò ſine ſcrupulo, etiam ſi non invitatus fuiſſem, ut nunc non ſum, iviſſem ultro, quia quidquid pro Republica agitur auſpicato agitur.

Defero tibi in confidentia, quòd Palatinus Vilnenſis immemor affectûs mei ſemper conſtantis, bona & mea, & fratrum meorum hæreditaria ad ultimam redigit ruinam, quia exercitui ſuo avaris & amaris exactoribus, in iiſdem ſtationem & conſiſtentiam ordinavit. Si merui hæc, tuimet ipſius invoco teſtimonium, niſi cui ſe ſciat debere, optet perire. Explicuit ſe quidem ille cum aliqua offenſa, dum œconomo meo res aliquas objiciebat, de quibus ego nec cogitavi, & hæc eſt ab antiquo infelicitas mea, quòd frequentiùs, imò ſemper ea mihi imputantur, quæ nec in cor meum aſcenderunt, ita nunc peſſimi homines, queſtui habent malè loqui de melioribus. Res evidens quòd ſimilia cōmenta

A.C. 1703 menta & Cardinalis Primatis, commutarunt in me animum, qui ſcribebat ante ſatis confidenter mihi, & nunc ex improviſo, omnem abrupit confidentiam. Nihil me feciſſe, quo hæc mererer, imò ſi gloriari licet, multum faciebam, facio, faciamq;, non obſtantibus quibusvis, ut bona harmonia inter Principem, & ſubditos coaleſcat, refloreſcat, diſcerpemur, ſi dividemur. Memor illius quòd in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus. Hæc proinde pro veteri confidentia dum exprimo, expecto à te ſinceram præcautionem, eſt nè aliqua ſpes melioris conditionis noſtræ &c.

EIDEM IDEM 5. Februarij.

VIX non eodem die, quo confidenter infelicitatem meam coram te accuſavi, quòd hæreditaria mea, Fratrumq; meorum bona, amica, & inimica evertit manus, eandem à te recipio querelam, ſed contra alios, & ita, ſi poſſibile eſſet, videndo & ſentiendo miſerorum ſubditorum noſtrorum ruinam, ex ſocietate infortunij ſumere ſolatium, inveniri inde poſſet, quòd bona fortunæq; noſtræ innocentiſſimè, uti tuæ, ita & meæ, in tributum erunt, & ruinam, ſed non poſſum ſolari tuis ex damnis, mea. Indolendo proinde ut debeo meis, compatior ex corde ſubditis tuis, ſuper quos facilius poſſumus illachrymari, quàm illos defendere. Sciendo quòd in ſimilibus bellis, plùs militibus, quàm Ducibus liceat. Eo momento quo recepi tuas, ſtatim detuli ſuæ Mti, & remedia, quàm citiſſima provocare volui, quia (non dubita) magis hoc fit ex licentia, quàm permiſſu, quia hactenus bonorum nobilium, Exercitus Regius ſecundùm expreſſa mandata, magnam curã habuit, & quoties querela aliqua delata, ſeriò animadverſum eſt, & omnimoda facta ſatisfactio. Exprimas ergo mihi ſpecificè omnes officiales, qui talia audent, & ſervire tibi infallibiliter pro virili & efficaciter non intermittam. Utinam ſanè lacrymis omiſſis illa nos cura occuparet, ut commune hoc malum communi cura & applicatione omnes propulſare vellemus, quia ſi mediis pacis, illud non avertemus, timendum nè bello augeatur, quæ enim contingere videmus, mala deteriora adhuc fient. Quis juxta viperas ſecuros ſomnos aget? nec ſpes remedii, nec dilatio periculi, invenietur &c.

AMICO CONFIDENTI Mariæburgo 22 Februarij

FUerunt hic nuper ex Palatinatibus Majoris Poloniæ & Siradienſi Ablegati cum conteſtatione affectûs in Regem, quibus ſua Mtas ore meo, nec tumidè nec timidè reſpondit, & quidem imprimis, quòd non fruſtra Palatinatus Majoris Poloniæ, excelſorum nomen habeant Palatinatuum, quia adimpletur non minore famâ, quàm gloriâ, quod dicitur. Palàm faciunt in Comitiis, Comitiolis, conſiliis publicis functionibus, apparent ubique digna hæc mentium cacumina ubicunque altitudinis virtutem elevare poſſunt, monſtrarunt idem in ultimis Comitiolis Generalibus, non minùs animoſè, quàm feliciter, quòd non infirmetur altitudo, tam magnorum in illis Palatinatibus virorum, quando veſtigiis inſiſtendo Majorum, penes fidelitatem Regi debitam, & defenſionem libertatum perſiſtunt, & generoſè perſiſtere volunt, quomodo hoc gratum non debet eſſe Regi, quod ſubditis illius eſt tam laudabile? quomodo grato id recipere non debet corde, quidquid in defenſionem perſonæ ejus fit, fietque, effundit cor ſuum, & certiores facit, quòd quandoquidem id expetunt, non tantùm literas univerſales

reſti-

reſtium expediri faciet, ſed etiam perſona ſua, quoties occaſio poſcet, *A.C.* 1703
aſſiſtere illis non intermittet.

Siradienſibus verò generoſa proponentibus, eadem Mtas per me reſpondit, quòd Martem ſpiranti, nihil gratiùs venire poteſt, quàm fortes & vigoroſæ fidelium ſubditorum reſolutiones. Quis enim generoſa credat niſi fortia? Niſi zelo plena, penes Sanctam Religionem, integritatem Regiam & libertates propoſita. Non refrigerabit certè, viva Majeſtatis ſuæ, ad actiones bellicas applicatio, accenſam ſinceram promptitudinem, in defenſionem illius Palatinatûs, cum ſit animô maximus, exemplô major eſſe cupit, ibit obviàm publicis deſideriis, & non tantùm exercitu ſuo, ſed & perſonâ Regiâ, ſi neceſſitas feret, reciprocam Palatinatus illius accolis promptus eſt dare defenſionem.

Et quia comendarunt aliquos, reſponſum eſt, non eſſe in uſu Regi diutius morari, & in expectatione tenere vota ſubditorum, ſecundùm merita munificæ munimenta dextræ, palàm facere ſolet, ſtatimq; tribuit quæ ſtatim dari poſſunt.

Conſulto per expreſſam hanc occaſionem id tibi ſignificare volui, ut videas, quo zelo multi Palatinatus in Regem &c.

LVI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARMIEN. & SAMB. CARDINALI PRIMATI. 24 Febr.

LÆtatus ſum in his, quæ ſcribuntur mihi Varſaviâ, nec poſſum, ad primam notitiam, qualis talis apparentiæ & ſpei optimæ pacis continere calamum & illud tibi non communicare ſolatium, quo cor meum impletum eſt. Augeat Dominus DEus ulteriora tibi media ad perficiendum opus tam glorioſum, tam neceſſarium. Si verò judicas me dignum mandatorum tuorum & executionis illorum in his circumſtantiis, invenies certè ſincerè cooperantem in obſequio Patriæ, promptè exequentem quidquid mihi à te indictum fuerit.

Hinc non multa occurrunt ſcribenda. Expedivimus nuper Legatos à Majori Polonia, è Palatinatu Siradienſi, qui ſatis zeloſè penes Religionem, Mtem, & libertatem acturos ſe declararunt.

Locus pro conſilio imminenti 16 Martij Mariæburgum eſt deſtinatum, & jam Mareſchalcus Regni facit ex officio, ut omnis commoditas venientibus fiat. Si poſſem ſperare præſentiam hîc tuam, quàm proxima ſpes eſſet felicis omnium malorum finis, fortunati omnium bonorum principij &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD CARDINALEM PRIMATEM. 25 Februarij.

QUamvis poſt tot, ſtudio, an fato inverſos, ad fundamentalem Reipub. tranquillitatem conatus, applicationes, & curas noſtras, nolumus nihilominus, de ſorte Patriæ hujus deſperare quam exteræ Gentes, coacto quantumvis reſpectu, invictam & nullis caſibus ſuperabilem ſemper colebant. Non diminuet certè laudabilem hanc famam quærens exitium ſui hoſtilitas, quæ usque dum terret, ne paveat, ubi pertimuerit, contemnetur, & auxilio DEi, ad nitorem gladiorum Polonicorum extingui poterit & animus cadere

A, C. 1703 *dere in pedes, prægravante fortunâ. Si ſaniora ſtabiliendæ pacis non acceptabunt conſilia, & ulterius ſpecie rerum nos decipere volent. Quæ quoniam tu altiſsimo tuo ingenio concipere, & rerum exitus prudentiâ tuâ metiri, & immediatas & ultimas intelligere potuiſti intentiones, per frequentes conferentias, & communicationes, ita te hiſce compellamus, & non tantum pro informatione noſtra & ſtatuum in conſilio futuro congregatorum ſed etiam in partem curarum, circa conſervationem integritatis boni publici, conformando ſe, ad ſenſus Palatinatuum Majoris Poloniæ Siradienſis, & aliorũ pro proximè imminenti 16 Martij Magno Conſilio, hic Mariæburgum invitamus, ut feliciùs & efficaciùs pereuntem Patriam tecum, cui ſub manu conſilium naſcitur, ſociatis animis & ſtudijs juvare queamus. Expectamus proinde avidiſsimè præſentiam tuam &c.*

LITERÆ MINISTRORUM STATUS 20 Februarij
Ad Miniſtros Status Regis Daniæ.

IN quo rerum articulo, & diſcrimine verſetur noſtra Reſpub. jam hucuſq; toti conſtat Europæ, adeoq; Serenmo Daniæ Regno; non exaggeramus fata nra; ſed hoc ſolùm per compendium Sacræ Regiæ Mti Vræ, prævià ſubmiſsâ veneratione, ſincerè communicamus, quòd poſt impenſas tot curas, & diligentiſſima ſtudia Serenmæ Mtis Dñi Nri Clementiſſimi pro concilianda tranquillitate publica, clarè advertimus in caſſum poſitos, ita cecidiſſe labores, ut nullam omnino ſpem ſtabiliendæ pacis Rex Sueciæ nobis polliceri hucuſq; videatur. Quibus probè intellectis Sra R. M. Dñus Nr Clementiſſimus, in magno conſilio Thorunenſi cum omnibus Reip. Ordinibus concluſit; ut vicini & fœderati Principes, ad ſuppetias ferendas, S. R. M. Dni. Nri clementiſſimi, & totius Reip. voto invitarentur. Quæ provincia cùm noſtro miniſterio ſingulariter à magno conſilio ſit cõmendata; confidimus inprimis Smæ Mtis Vræ benevolentiam, toties nobis probatam bonæ viciniæ juribus reſponſuram, in tam difficili rerum noſtrarum fortuna, quam ſpecioſa ſtabiliendæ pacis ſpes comparavit; hac enim in hanc uſq; diem laſtabamur, iminentium Coſacorum procellæ depellendæ intenti. Erit hoc memorabile omnium ſæculorum faſtis, ſi Excellenmæ Dnationes Vræ Smæ Mti Vræ perſuaſerint, ut præſentes ſuppetias in tempore habere poſſimus. Non memoramus ſacram fœderum fidem, quâ mutuâ Religione obligamur, ad hoſtem ita infeſtum amicæ viciniæ propulſandum. Confidimus enim tam proximo Smi Regis Dñi Nri Clementiſſimi fraterno ſangvini, confidimus amicis ſemper conſtantiſſimis, confidimus illæſis ſemper à Nobis Fœderatis, & vicinis longè Chariſſimis, quia favorabile reſponſum, quod avidiſſimè præſtolamur, obtinebimus. Interim cum profunda demiſſione, & iñortali grati animi recordatione, manemus N. N.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD PALATINATUS. 20 Febr.

PER infelices ſciſſuras cordium, & vires inteſtino bello diviſas, velut apertis omnium infortuniorum portis Mars Sueticus ingreſſus Ducatum Litvaniæ, tamq; longo tempore, cum ſummâ deſo-

deſolatione in eo commorans, an non debuiſſet illam nobis ingeſſiſſe reflexionem? Manthua, væ miſeræ nimium vicina Cremonæ! Annon vicina poſt parietem graſſante calamitate moneri debueramus eandem etiam ad nos moturam paſſum; Verùm nos alto ſopore preſſi in utramq; aurem ad hæc ſopiti, ac ſi eorum mala ex unionis vinculo nihil noſtrà intereſſent, nec ad nos eſſent perventura, aut nihil, aut aliud agendo, permiſimus, ut idem Gradivus transgreſſus Rubiconem noſtrorum limitum, non ipſe ſolùm introiret viſcera Regni, verùm millena pediſſequa mala, diffidentias, ſciſſiones, odia, & quotquot infortunia, perdendiq; Remp. artes eſſe poſſunt, introduceret. Hinc conſilia, comitia, Exercitus, inſuper communis motus extremum Regni robur enervata: Nos ipſos ita hæc palpabilis premit calamitas, ut preſſi, emuncti, ad incitas redacti vix ſpiremus. In aula rarus comparet ad conſilium, extra aulam conſulere conventiculum eſt, & licet hæc abeſſet criſis, non eſt cum quo inchoentur & practicentur conſilia, cum omnes diſperſi, mente à corpore diviſi particularia potius, & privata agitent, quàm bonum univerſi, interea noſtro disordine, & ſegnitie animatæ exteræ gentes, eo vivaciùs, & ignominioſiùs ad ſervilia uſq; arma in perniciem noſtrî invaleſcunt. In hac itaq; tempeſtate ne præceps agat omnia fatum per conſcientiam & obligationem muneris mei, per amorem Patriæ, in qua, vita, & fortunæ noſtrûm omnium, integræ, niſi ſalvâ ejus integritate, eſſe nequeunt; Expedivi circulares ad Senatores utriusq; gentis, pro die 15 præſentis ad conſilium convocando, ut ab iis, quorum vox Primatum obtinet, in conſiliis Principium mediorum ſalvandi Rempub. inveniretur, effectus verò & optata concluſio ab Equeſtri Ordine non aliud, per hoc cordis mei (cujus arcana nota ſunt ſcrutatori cordium) intendi centrum, quàm ut concludendæ pacis, qua ſola ex abyſſo calamitatum liberari poterimus, via inveniretur. Non defuerunt nihilominus, tam perverſa Palatij ingenia, quæ id ſuis perſuaſionibus extorſerunt à Dño, jam ad pacem quærendam, ut videbatur, inclinato, ut conſilium noſtrum pro privato conventiculo Curia recognoſceret.

Altæ id conſiderationi veſtræ judicandum communico, an id ſcilicet, quod in publicam ſalutem agitur, opus privatum dicendum ſit? utrum clandeſtinum vocari debeat, ad quod omnes ſine exceptione ſunt compellati, & vocati? utrum Primas in circumſtantiis prementibus & perimentibus Patriam, poteſtatem imò obligationem non habeat convocandi Senatum, adhortandi Cives, ut accurrant ad defenſionē Reip.? Quia verò non minus mea ſincera intentio, quàm iniqua ejus per malevolos interpretatio, non inter ipſas duntaxat conſiſtit voces, dat meæ negotiationis documenta, in qua verè mutando non vitando labores, continuis Regem Suециæ urgendo perſuaſionibus, tandem illius ad me obtinui literas, quæ poſt tot contrarias ejus reſponſiones inanesq; contentiones, illius ad quietem publicam, exprimunt inclinationem, ita tamen, ut hoc publicæ felicitatis negotium, independens ab ullo alio eſſe poſſit, utq; in plena libertate, ipſa Reſp. ſuis conſulat malis, nec exterorum advocans aut ſuſcipiens conſilia, rem propriam, proprio genio curet, ut ſenſus literarum Regis Sueciæ ſonat, quarum copiam inito conſilio cum hîc præſentibus, quà Senatorij, quà Equeſtris Ordinis, vobis communicans, per amorem Patriæ, & quidquid in ea ſacrum, poſtulo, ut de medio veſtrî omnia ſchiſmata tollentes ac offendicula, dictis literis profundiore trutina conſideratis ac examinatis,

A.C. 1703

Rex Sueciæ inclinat ad pacem.

A. C. 1703 tis, de medio congreſſus veſtri, comitiali more pro die 27 Martij Legatos expedire velitis, qui unà cum inclyto Senatu, opus ſalutis publici aggredi, & feliciter poſſint conſummare: ad illud enim usq; tempus congreſſum noſtrum limitavimus, provisâ ac procuratâ omni ſecuritate fortunarum ac perſonarum euntium. Ipſe interim precibus & lachrymis Divinam placabo Mtem, ut animis veſtris immittat ſpiritum unionis & confidentiæ, donecq; lumen, ad ea invenienda media, quæ utiliſſima eſſe poſſint, in tam diuturnis turbinibus, vix ſpirantis Reipublicæ pacificandæ.

RESPONSUM CUJUSDAM SENATORIS AD UNIVERSAles literas Cardinalis Primatis pro Conſilio ex Palatinatibus Varſaviæ 21 Februarij

IPſiusmet Cardinalis non ita pridem ad menſam diſcurſus, quem taxando aulam noſtram in frequentia multorum habuit, his uſus verbis, quòd fateri quiſque debeat non poſſe bonum finem illud opus habere, quod in malo incepit fundamento; uti pulvis in eum à quo projectus eſt, ita & hic ſermo in eum, à quo dictus, facilè rejici poteſt. Nónne error errorem trudit, & nunc præcipuè? nónne maximus apparet in expeditis pro comitiolis literis, quas adò jam miſit, & in craſtino poſt expeditam poſtam malitioſo artificio promulgavit in ſpatio 6. dierum, non dato ſpatio aulæ reflectendi ſe, nec quidem de eo ſciendi; quibus literis ſi gloſſam adhibere velis, nónne occurrunt multa cenſuranda, plurima reprobanda?

Imprimis enim arguitur Polonia, quòd oſcitanter Suecos in viſcera intrare permiſerit. Hic verò extant originalia reſponſa certis Diſtrictibus Ducatûs Maſoviæ ab ipſo Cardinale data, ubi expreſſè ſuadet, quatenus illa nobilitas nebulæ illi paſſum permitteret, quæ quia non afficiet Regnum, aſſecurabat addendo toties, quà privatim, quà publicè, quòd ulterius progredi non debuiſſet hic inimicus.

Fruſtra arguitur Regimen aulæ, & diſordo ejus allegatur, ſcio enim in cujus domo maximus ſit. Nec convocatorias præteritas iterùm conſtituere facilè erit, quia ſicut illas Cancellaria reprehendit, ita ex vi legis ipſo facto nullatenus ſubſiſtere poſſunt. Quia verò Equeſter Ordo poſtpoſitus, nec memoria illius facta, lenit nunc illius animum, quòd debebat Patrum ſancita exequi. Quis crederet, quòd Nobilitas, tanquam carnifex exequi tantùm debeat, quod judex jubet. Dominum DEum in teſtimonium candoris, cònſcientiæ vocat: non vellem id, quia ſatis clarè oſtendit, quòd ad judicium ſuum factionis hujus jam DEus vocaverit capita. Quis ſcit ſi illi, qui jam præceſſerunt, in illum, qui ſequitur, culpam non rejicient?

Vocandi Senatum, adhortandi cives, non invenio, ubinam poteſtas hæc data fuerit Primati ſtante vitâ Principis, quia non his præmiſſis gradibus ſolvitur ab obedientia populus. Nec habet, quo glorietur, quòd ad mitiora Regem Sueciæ flexerit, & induxerit, quia tam funeſta Lublinum & Sokalium monſtrant documenta.

Gvarrantas & Vicinos, armorumq; colligatos poſtponere, eorúmque mediationem & interpoſitionem minùs habere contra fas & praxim mihi videtur, quia neſcio, qualis nam alia major poteſt eſſe ſecuritas. Debet etiam id tanquam ſpiritualis (præſertim cùm non pridem erat in Italia) ſcire Cancellaria, quòd ubi Papa, ubi Roma; ac proinde

de meliùs illa conſilia, quæ extra Principem & ſub haſta abſolvuntur *A.C.* 1703
vocari deberent ſchiſmata, cum etiam non ſine ratione dubitandum foret, ſi huic conventiculo conſilij nomen dari debet, quia tres tantùm Capitulum formant, & non conſilium formale apud nos in Polonia, quod in Gynæcæo Palatinæ clauſo oſtio, neſcio, quâ authoritate & ſolennitâte tractatur, & limitatur res non incepta, & quod maximum ſequitur inconveniens, Comitiali modo duo ordines convocantur, quod eſt inexcuſabile, illud tamen ex his literis, Deo laus, didicimus, & jam ſcimus, in cujus ſit manu, extendere & recondere gladium, in cujus diſpoſitione vita & mors, quando datur ſponſio & fidejuſſio euntibus, redeuntibus, & manentibus omnimodæ ſecuritatis, ſed quis ei credet? niſi qui bonum ſenſum perdidit, quia, quod Romanus deſiderabat Nero, ut unam cervicem populus Romanus haberet, hoc forſan memorata hæc, ſed conditionata ſecuritas. Do, ut des, facio, ut facias. DEUS avertat à nobis, ut delecta tot nomina gentis in inextricabilem charybdim nolint impellere ratem. Reliqua punctatim, tanquam pura commenta refutare eſſet ſuperfluum, ſed oblivisci non poſſum, quòd dicantur raró nantes in conſilio aulæ comparere. Nónne hæc apocrypha relatio? nónne in ultimo conſilio Thorunenſi tot Senatores, tot ex Equeſtri Ordine Plenipotentiarij aderant; nónne inchoationem hujus magni conſilij ipſemet Primas digniſſimâ ſuâ condecoravit præſentiâ. &c.

LVII.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARMIEN. & SAMB. S. R. CANCELLARIUS, CASIMIRÆ REGINÆ POLONIÆ Romam Mariæburgô 21 Februarij.

INcipio ab ultimo puncto clementiſſimarum literarum Mtis Veſtræ ſub data 13 Januarij humillimas referens gratias pro materna benedictione ad initium laborum horum, qui per gratiam DEi, in tantis infelicis Patriæ temporibus non deerunt. Expectatum in illis certè habebunt levamen, ſi ſervire Mti Vræ efficaciter & explere eâ promptitudine, omnes Mtis V. nutus poſſem, uti eſt, & quanta debet eſſe in me, nunquam in corde extingvibilis gratitudo, & obligatio.

Quò ad primum punctum, quòd acceperim contra incompatibilitatem ſigillum Regni, & quòd non in Comitiis. Utriusq; ſunt exempla ſub feliciſſimo Mtis V. regimine. Stephanus Widzga, Cardinalis Radzieiowski Epiſcopi Varmienſes; illi à Comitiis, ego à Magno & Generali Conſilio, quod repræſentabat Comitia, habui diſpenſationem; ſcit verò Mtas V, quòd non venabar unquam Inſignia, ſed merebar. Joanni Wielopolski & Stephano Widzga Gedani, Oginſcio Javoroviæ absq; Comitijs reddita itidem ſunt ſigilla, ac proinde & ego, ſicuti de hac dignitate & hoc gradu minimè cogitabam, libentiſſimè enim tot laboribus defatigatus jam quieſcerem, ita nunc cogitare debeo, ut me ſuſtineam; agitur enim de honore. Quantumvis verò nihil in hoc officio & Miniſterio facere poſſim, niſi ut manuteneam in throno eum Regem, cui & Mtas V. non perfunctoriè calculum ſuum addidit, & ego eum agnovi pro Dño meo, fidemque juravi, ac proinde oblivisci penitus non poſſum, quod juratus promiſi. Satis eſſet pro me ſi impedirem æternam infamiam Gentis noſtræ, quæ deteſtabatur ſemper, & ipſum nomen dethroniſationis. Et hoc diu noctuq; cogito, hoc ago, & ſpero ex effectu ulteriori præſentium miniſteriorum, viſuram Patriam,

A.C. 1703 orbemq; univerſum, quodſi aliquid ex orbita legum, quæ inter arma ſilent, exivit, tunc alia fundamentalia conſervabuntur, quod breviſſimè inter mille occupationes, dum Mti V. defero, Regiam ejus cum profunda ſubmiſſione exoſculor dexteram.

ALLOCUTIO, QUAM M. D. RACZYNSKI SUBJUDEX POſnanienſis, & Ablegatus ex Generalibus Majoris Poloniæ Comitiolis, ad S. R. Mtem: habuit Mariæburgi 22 Februarij

JAM tandem inſolens illa malevolorum perfidia, Sereniſſimæ Mti Vræ ſemper adverſa, quæ hactenus Heroicas ſuas extenuabat actiones, rectiſſimas detorquebat intentiones, omnes dominandi regnandiq; rationes depravabat, & cor Regium intimo vulnere penetrabat, virus, vireſq; ſuas perdere cogitur, quando in Provincijs noſtris, Poſnanienſi nimirum, & Caliſſienſi, abominabiles, & per univerſum Poloniæ orbem ingens ſcandalū diſſeminantes diffidentiæ, occulta quadam vi fatorum, caput amiſere: quando jam videtur ad illas rediiſſe paſcens tutas concordia mentes. Jam & corona Suetica, gerens nimio ſtolidiſſima pectora faſtu, ſupra ſuam, non tam gloriæ im̃ortalis, quàm ſpoliorum avidam præcipitantiam admirabunda hærebit, quando leviſſimis rationibus acta, ſenſim vires amittit ſuas, quando acatholica, & conſtantiſſimæ erga Regnantes gentis noſtræ fidelitati contraria dethroniſatio, ad extremos minoris Poloniæ acta defixaq; limites, ad eos qui illam abrogârunt, & ex animis, imò & intimis cogitationibus ſuis eradicatam repulerunt, ne reſpicere quidem audet Palatinatus, & vix oculos attollit humo. Quando videt, quòd jam fermè totam Majoris Poloniæ Provinciam, ſemper erga Sereniſſimos Reges fidelem, antiquus corripiat quærendi nominis ardor. Cum illo ergo, jam repetitis vicibus à meis Palatinatibus ad Sereniſſimam Mtem Vram ablegatus venio candore, quòd in illis nihil reperiatur, niſi erga Sereniſſimam Mtem Vram pietas, nec dubitatus amor. Cum ea fidelitate, quam in primo invicti S. R. Mtis Vræ nominis ſenſus, cum thronum Poloniæ occuparet, & inſigni cultam diademate frontem inferret, unà cum ſubjectione noſtra, in Paternum ſinum depoſuimus, eam nimirùm ſacroſanctè tuemur, & ſervaturos Mti Vræ pollicemur conſtantiſſimè. Venimus cùm ea filialis benevolentiæ ſignificatione, quòd ſicut ſub feliciſſimo Seren. Mtis Vræ regimine dulce nobis pacis nomen, ita pariter prompti paratique ſimus, ferrea ſanguineâ bella movere manu. Et quemadmodum ſincerè Patrem Patriæ profitemur S. R. Mtem, ita reverentiſſimè nomine Provinciæ noſtræ ſupplicamus, ut vindicem, & Protectorem jurium & libertatum noſtrarum experiamur, & vigore illarum, per publicam Nobilitatis totius expeditionem pectora noſtra hoſtibus Patriæ opponamus. Quòd ſi verò retardata nuper expeditio præterita, aliquid nobis apud Seren. Mtem Vram diffidentiæ conciliavit, & de promptitudine noſtra dubium fecit: nunc pudor incendit vires, & conſcia virtus. Hoc eſt primum Provinciarum noſtrarum deſiderium, hæc ad obſequium Reipub. & Seren. Mtis Vræ promptitudo, hæc erga Mtem Vram filialis affectus noſtri conteſtatio, hæc in nova hac rerum revolutione unio animorum, & talis Nobili ſub pectore virtus. Sunt alia præterea Palatinatuum noſtrorum deſideria, quæ porrecta inſtructio clarius uberiuſque exponet Seren. Mti Vræ, ad cujus clementiſſimæ manus oſculum, ut admittamur, Reverendiſſimè ſupplicam⁹.

CO-

COPIA LITERARUM EPISCOPI POSNANIENSIS AD THESAURARIUM REGNI 23 Februarij.

A. C. 1703

Nicolaus Swięcicki Joannes Przepędowski.

Querela de oppreſſione

ACcepi de data 13 præſentis Thorunio tuas literas, querelis contra me graves, quaſi correſpondendi tecum conſuetudinem dediſſem oblivioni, cum tamen memori teneam mente, me ad ſenas Poſnaniâ datas unicas à te & quidem ſoli DEO notum, quàm mihi gratas accepiſſe. Me ergo in hoc accuſando, te reum facis, protexiſſe te bona mea à Saxonicis prædationibus ſcribis, fidem aſſerto invenires, niſi mihi res ipſa aliud loqueretur. Neminem enim latet, Saxonibus, imò Tartaris & Valachis in rapinam ſpiritualium bona circa Varſaviam eſſe data, quibus funditus vaſtatis, ad bona mea hæreditaria Swięcice hoſtilem verterunt manum, in quibus eâ immanitate graſſabantur, ut intra unius diei ſpatium oneratos quà aulæ quà ruſticorum frumentis 200 currus Varſaviam duxerint, omnibus ſimul ereptis victualibus: pro quo expoſtulare tecum volenti Officiali Varſavienſi nec aurem præbuiſti, Rege ipſo querimoniis in indignationem acto. Quoties mei ad te, ut amicum pro ſolatio querulabundi accedebant, triſtiores ipſa veritate atteſtante dimiſiſti. Unde quàm crudele vulnus tam Eccleſiaſticis, quàm meis hæreditariis illatum ſit? abunde patet. Et quod gravius inauditâ praxi in Polonia Commiſſariatum hæreticum ex quibuſdam Mercatoribus, qui ſolvendo non erant pro creditis mercibus, conſtituit, quorum poteſtati & voluntati Eccleſiam DEI, unà cum Patrimonio Chriſti ſubjecit, ijdem crudeles exactores novo iterum exemplo bona ſpiritualia gravibus prefferunt exactionibus, quibus dum pauperes in ſingulos menſes ſolvendis eſſent impares, omnia jumenta, & frumenta per ſummam violentiam rapuerunt, nec his contenta eorum rabies, etiam in homines quà vinciendo, quà in fumalibus ſuſpendendo, quà ſpuendo in facies, aliiſque exquiſitis artibus, inter abominandas contra orthodoxam fidem blaſphemias tyrannidem exercuit. Quæ omnia ut orbi fierent palàm, quibuſdam perſonis capitularibus conſcribenda commiſi, & eorum veritatem coram actis juramento firmare juſſi, eo fine, ut tota Reſpublica etiam cum ſummo orbis capite univerſalis Eccleſiæ Paſtore inauditam hanc dijudicare poſſet oppreſſionem. Aſſeris, his hybernam à Rege ſolvendam eſſe Exercitibus: at ex miſeræ Diœceſis meæ omnibus ſpiritualibus bonis, etiam Abbatias includendo, non plenè quadraginta millia pro hyberna debentur. Saxones verò, extorſerunt à pauperibus millionem, miſſis itaq; innumeris aliis oppreſſionibus & injuriis, revocando everſas, conculcatas & motas à cardinibus leges, unicum id te altiore trutinâ penſare velim, utrum ſcilicet proprium Catholicum Regem decuit, ad tam abominandas deſolationes, exinanitiones & oppreſſiones Eccleſiæ DEI, ſe reſolvere? Non me latet, nec te, ex Canonibus & Annalibus, quomodo à Præſulibus, pro levioribus oppreſſionibus Eccleſiarum DEi excommunicabantur Reges, initoq; cum Proceribus Regni conſilio, tanquam Depreſſores dethroniſabantur. Legiſſe te non dubito, ab Andrea Epiſcopo Poſnanienſi, Regi Lokietko id eſſe factum, plurium inductioni non immoror, prudenti & gnaro loquor: in nullo verò te fateberis reperiſſe volumine, Reges Epiſcopis quo ad eorum muneris exercitium ligaſſe manus, multò minus Primatiali dignitati, in materiis ſtatûs, ut illi, cui inter Regem & libertatem prima authoritas, in arduis & periculoſis Reip. negotiis, prima ſpecula, non liceret convo-

A.C. 1703 care Senatum, ad concludenda ea, quæ concernunt commune bonum; primum hoc exemplum poſteritas leget, in revocatoriis Regiis quibus jus libertatis primatiali authoritati vetitum. Habenda potius erat reflexio ſuper conventicula M. D. L. omnium præſentium calamitatum ſementem, quibus tamen Regia manu inſcriptum lego: Approbo. Quod attinet Sapiehas, de quibus ſcribis, non ignoro te ijs ſerviviſſe, & ſi ex ore tuo judicandus es, te illis eſſe ſangvine junctum, ſcire vellem, qua de cauſa Illuſtris hæc à tot ſæculis Domus per Mtem oppreſſa gemit?

Defenſio Sapiebarum. Si contra Mtem vel Remp. aliquod in eis delictum deprehenſum, cur non mandato Regio juxta tenorem legum ad comitia vocati, convicti, judicati, tandem fortunis, & honoribus exuti ſunt, non verò per ſubordinatas privato laborantes perſonas rancore, tumultusque civium? Utiq; in præteritis comitiis, per authoritatem Regis, & totius Reipub. facta eſt complanatio, quam utraq; pars ſubſcriptis manibus roboravit, quis eam diſſuit & ad longè pejora prioribus reduxit? tu ſcis Domine? Reſpondes ipſos Sapiehas adhæſione partibus Sueticis complanationis rupiſſe vinculum, at illos quis non videt, dura coactos neceſſitatis lege id feciſſe? Viderunt enim ad ſpeciem factâ concordiâ, ſtructas vitæ inſidias palliari, & ſub pallio pacis, intenta latere bella, quorum ſævitiem tot, primis in Litvania dignitatibus eminentes amici & colligati Sapieharum jam poſt factam complanationem, enormiſſimè trucidati, experti ſunt, ut omittam plura millia innocentum, in bonis & fortalitiis, hoſtili modo expugnatis ad internecionem deletorum. Sed tu devolvis culpam in antiquum Nobilitatis odium? at cur hoc antiquum odium ſuum pridem virus non evomuit, cur non in recenti ſuas quisq; injurias vindicavit? nihil ad ea usq; tempora tentatum, nec jure, nec armis. Fateberis ergo non niſi ſub protectione ſupremæ poteſtatis ea eſſe patrata, quæ explicare tibi ſupervacaneum eſſet, cui optimè perſpecta Saxonica conſilia, intentiq; conſiliorum fines. Aſſeris minarîsve honores & fortunas per Senatûs-conſilium receptas à Sapiehis aliis eſſe dandas: Mirari ſatis nequeo, me id in literis tanti Statiſtæ relegiſſe; ubi enim Senatûs-conſilium poteſtatem habet etiam abjectiſſimæ conditionis hominem, longè magis clariſſimos in Republ. Viros necandi, condemnandi, privandi? nec in abſoluto Dominio eam reperies iniquitatem, ut quis non judicatus condemnetur, & DEus ipſe citatum ad ſe & evocatum primò judicat, tum juxta demeritorum rationem condemnat.

Oppreſſio Civium. Exemplar Radzieiovij & Lubomirij adeo tuæ non favent aſſertioni, ut ejus potius repugnent ſenſui, nam Princeps Januſſius non tantùm perduellis, ſed etiam hoſtis Reipub. eſt judicatus, ubi cum Exercitu hoſti Patriæ Sueco adhæſiſſet, nec præſens Regis Sueciæ actio hoſtilis cenſenda eſt, donec talis à Republ. declaretur. Radzieiovium & Lubomirium tota Reſpubl. judicavit, & licet eorum primum Regni Mareſchalcus, per comitia tamen decreti poſtea facta eſt approbatio. Lubomirius quidem eſt per comitia judicatus, tantùm tamen id Reipub. diſplicuit, ut omnes Palatinatus arma arripuerint, ſangvineq; proprio ejus à Mte oppreſſionem vindicare contenderint, quod tibi plenius notum eſſe deberet, qui ſub Częſtochovia vix fugâ vitam periculis mortis eripuiſti. Sequenti anno, ſub Mątwa aliquot vexilla communis motûs Majoris Poloniæ omnem Regium Pêditatum profligarunt, utrû tu inter victos fueris? melius noſti. Tam ſtrenuè ſcilicet olim agebant Majores noſtri pro Civiû oppreſſione! Jam de capite ruebat corona ſ. m. CASIMIRO Regi vix eam precibus ſuſtinuit licet tota Reſp. quia per comi-

comitia Lubomirium judicaſſet. Alta ergo velim revolvas mente, quantorum hinc malorum omina, ubi error errorem trudit, oportuit ſcilicet, pro tot illatis malis, pro violatis juribus, oppreſſis Eccleſiis, & Civibus, deprecari Remp. horum loco majora illi vulnera inferuntur. An non ergo juſtiſſimus meus ſuper oppreſſione Eccleſiæ dolor? An non meritò tædet animam meam vitæ meæ, dum decorem Domûs DEi mutatum in luctum cerno? ipſe ut prudentiſſimus Senator judica, an non juſtam habeam occaſionem agendi pro charæ Patriæ juribus, quæ per ſummum nefas collapſa jacent. An non ſatis doloris eſt, tam magnarum Domorum, quæ velut firmiſſimæ columnæ armis & conſiliis Patriam ſuſtentabant, ruinam cernere, & oppreſſionem. Hincne aliquid ſperandum boni? ubi gemitibus enarrabilibus oppreſſi pauperes, vindictam implorant cœlitus illius promiſſione à DEo habita: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam. Ante omnia itaq; modis poſſibilibus opto placandam Divinam Mtem per redemptionem eleemoſinis & ſatisfactione peccatorum, non tam propter conſervandam in capite coronam Poloniæ, quàm ad Poli obtinendam. Claves tibi datas ab ærario Regni gratulor, iis tibi aperiendos Divinæ theſauros miſericordiæ precor.

COPIA LITERARUM CUJUSDAM AD CONFIDENTEM, ex occaſione literarum ſuperiorum.

Legiſtíne ab Epiſcopo Poſnanienſi ad Theſaurarium Regni virum priſci moris datas Varſaviâ in majore folio, quàm judicio. Mitto tibi earum copiam, ut agnoſcas plus eas habere de Lyæo, quàm de Caſtali. Alius ſemper fuerat ſtylus ejus curiæ; huic epiſtolæ impendiſſe ſuam debuit operam, vel purpurâ felix vel alia quæpiam Cancellaria. Accuſat Mechus Regem, Catilina Nicetam, imprimi curavit in tota filura, depoſita fronte à quonam, neſcio, Catone compoſitam contra Dominum querelam, quaſi injurius fuiſſet bonis Eccleſiaſticis. Nunquid hic aliquando in Palatio Varſavienſi admotis malleis ſucceſſiones ſuperſtite Anteceſſore eruebat. Procul ſemper erat à tanto ſacrilegio. Verùm quod natura jubet, lex nulla vetat. Dicit ſe legiſſe Canoniſtas & Legiſtas de uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum. Riſum teneatis amici, interrogandus eſſet, utrum legerit aliquando Breviarium, ita enim alia eſt pietate occupatus, ut de familia ſemper piorum eſſe videretur. Carpit Dominum, quòd humilioris ſortis hominibus utatur ad obſequia. Oſtentat vel unicum in Europa Regem, qui non ſimilia exempla reliquerit poſteritati. Imò ipſe Rex Regum, non Nervas vel Trajanos, ſed infima mundi ad primæ admiſſionis miniſteria eligebat, non tamen à quopiam de hoc Caipha arguebatur. Sapiehis, dubito eam obventuram ſortem, quæ aliquando poſt Judam cecidit ſuper Mathiam, cum non omnes cœli juxta Copernicum violentum acceptent motum. Primatis Poloniæ prærogativæ orbi ſunt à tot ſæculis notæ, cùm eas non Kryloviæ aut Radzieiowitiis Reſpub. inſcripſerit, ubi, cum de jure venerit, legere cuique licebit, quid valeant humeri, quid ferre recuſent Athlantis hujus. Prorupit in iiſdem literis Epiſcopus Poſnanienſis, velut ille Philippus Evangelicus, (oſtende nobis Patrem & ſufficit) cum Andrea Epiſcopo & Loketko oblitus abſurda non eſſe alleganda. Nunc præſertim cùm facilius hæc dici poſſunt in trivio, quàm probari in theatro. Precatur in concluſione, conjungens vulnera melli,

A,C.1703 li, Theſaurario clavibus ærarii Regni aperiendum cœlum, feciſſet meliùs, ſi in tanta egeſtate Regni claves illi à theſauris ſui Anteceſſoris reddidiſſet. Ego interim claudo epiſtolam & ſcribo. Vale.

COPIA LITERARUM SAPIEHANARUM AD PALATINATUS REGNI POLONIÆ, 23 Febr.

INnocentes, non convicti, non judicati, contra jus, faſque omne, omnibus abjudicati, ſpoliati, & exuti, ſoli nonniſi reſtanti vitæ ſecuritatem quærentes cum nihil jam præter Patriæ, juriumq; ejus & veſtrî amorem habeamus, pro ijs vitam, & extremam fundere ſangvinis guttam parati, eo, quod unicum nobis reſtat, pro integritate Reipub. immunitate legum, operari nos velle coram vobis & orbe toto proteſtamur. Referre, quid in preſſa undique agatur Repub. eſſet ſupervacaneum, cum neminem uſq; ad intimi doloris ſenſum non tangant ejus mala. Jam enim cardinaliſſima Nobilitatis Polonæ jura tot Regum ſuorum authoritate firmata in his verbis: *Jura conſervabimus nulliq; bona recipi mandabimus, aut captivari faciemus, niſi fuerit jure victus;* ſuis mota ſunt è cardinibus & ſublata. In magno Ducatu Lituaniæ, jura unionis violata, ubi ſine Statibus Reipub. ſine conſiliis, & comitiis exercitus exauthorantur, alii eriguntur, tributa nobilibus imperantur, hæreditaria fortalitia eripiuntur, Saxonibus occupanda traduntur, invaſiones, vaſtationes, latrocinia, omniaq; flagitia, impunè graſſantur, exanimes legum tabulæ & juſtitia (quæ firmiſſimum eſt Regnorum præſidium) proſtrata jacet. In Litvania ortum habuit, ſed jam latiùs hoc ſerpendo malum, etiam Regnum Poloniæ inundavit: ubi jam non eſt hic populus, quem pax tranquilla teneret, quem ſola libertas immotis paſceret armis, omnia, mutuis diffidentiis, diſſidiis & excidiis commixta, nihil ubiq; ſpectatur, niſi lachrymæ, auditur nihil niſi gemitus pauperum: ea ubiq; aguntur, quæ pediſſequam Divinæ Nemeſis vindictam, & Regni poſt ſe ruinam trahant. Primum in domum noſtram calamitates hæ fecerunt impetum, jamq; nos cum bonis noſtris, fortunis & honoribus proſtraverunt. Nec hic ſtetit pertinax conjuratorum in noſtram perniciem furor, ubi nequit ferro, lingvâ ſævit, calamo, & judicio, dum, quòd naturæ jus eſt & negotium, crimen eſſe judicat. Nónne amiſſis omnibus, ſoli duntaxat reſtanti vitæ ſecuritatem alibi quærere licuit, quam inter noſtros, jam penitus à nobis alienos, habere non potuimus? Nihil nobis profuêre tot ad Regem factæ ſupplicationes pro protectione & juſtitia: nihil inſtantiæ Senatûs & Equeſtris Ordinis, nihil deſignatum à tota Republ. collegium Mediatorum, nihil puncta tractatûs authoritate Primatis Cardinalis, & Ducum Exercituum Poloniæ circumſcripta & ſubſcripta: nam poſt hæc omnia non ſolùm nulla nobis bona ſunt reddita in Litvania, verùm etiam hic in Regno Poloniæ, vitæ noſtræ amicorumque & Colligatorum noſtrorum, qui nos recipiebant & fovebant, inſidiæ ſtruebantur, & hucuſq; per Exercitum Saxonicum, exquiſita tributa ex bonis hæreditariis Palatini Podlachiæ colligati noſtri, aliorumq; amicorum per contemptum legum Patriarũ extorquentem, ultio exercetur. Fortalitia noſtra Coſatico & Moſchovitico tradita præſidio, Caro Moſchoviæ in acceptis ſummis invadiata. Quia ergo in his oppreſſionibus ſupremâ lege neceſſitatis coacti, recurrimus ſub protectionem Regis Sueciæ, non noſtrî certè cauſa è tam longinquis ultromarinis regionibus cum Exercitu, venientis ſed ex oc-

caſione

caſione hoſtilitatis per Exercitum Saxonicum inchoatæ, poſt victoriam de eo ſub Riga deportatam, fugientem hoſtem inſequendo, limites intrantis; Principis indignatio reos ubi non invenit facit: Etiam in hoc puram innocentiam noſtram hoſtilitatis obumbrare caligine conantur malevoli, ſuos palliantes errores, culpam inducti Suetici Exercitûs in nos retorquent. Eſt ne hæc; pro ſua quisq; judicet prudentia, adæquata excuſatio inchoati per Exercitum Saxonicum belli, contra pacta, & jura ſine conſenſu Reipub. per contemptum conſtitutionis eo nomine in comitiis factæ? Idem Exercitus Saxonicus etiam alteri cum Suecis conflictui ſedem belli fixit in Polonia, iterumq; ſuperatus, non ſe vertit in Saxoniam circulatim peragrans, Sueticumq; poſt ſe ducens Exercitum, tantam Poloniæ, ſub tam grandi pondere exoticorum Exercituum innocenter nullâ datâ causâ gementi, intulit calamitatem. Ita ſcilicet, ut ſuam ſervent Saxoniam, noſtram ad incitas redigunt Poloniam, hocq; per ſummum nefas intendunt, ut in eorum defenſionem nobilis fundatur ſangvis, totaq; Reſpub. ſe in periculum deſolationis conjiciat pro iis, quos publica in comitiis conſtitutio intromittere in Regnum prohibuit, intromiſſos expellere, & perſequi conceſſit. Omnia hæc ſummas Reip. injurias in violatis juribus, & juſtitiâ, publicâ propulſatâ ſecuritate, & noſtram ſat diſertè loquuntur innocentiam ac oppreſſiones, in quibus, noſtris ad Regem ſupplicationibus, Palatinatuum, Diſtrictuum, & Terrarum, totiusq; Reipub. per Mediatores quà Senatorij quà Equeſtris Ordinis, inſtantiis omnibusq; aliis modis civilitatis adhibitis, ſed minimè proficientibus preſſuras noſtras, vobis pro præſenti conſilio congregatis exponimus, per amorem Patriæ, obteſtantes, ut non ſolùm innocentiæ noſtræ, verùm etiam juſtitiæ Patriisq; legibus, & jamjam labanti Matri, amantes Filii ſubvenire, & eius proſpicere velitis integritati. *A.C.* 1703

DECLARATIO AMNISTIÆ COSACIS DANDÆ.

ADAMUS NICOLAUS &c. Univerſis & ſingulis quorum intereſt, præſentibus literis notum ſit. Quò graviora vulnera Reip. infligere ſolent bella inteſtina nullos habitura triumphos, eò majori curâ & ardore ſopienda eſſe ſemper iudicârunt artis regnandi periti, qui Remp. ſalvam eſſe cupiunt. Fecit hoc pro paterno, quo Regnum hoc tueri ac defendere ſtudet zelo & affectu Sereniſſ. ac Potentiſſimus Princeps ac D. AUGUSTUS II DEI gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ Sacri Romani imperij Archi-Mareſchalcus, Dux Saxoniæ & Princeps Elector Dnus noſter Clementiſſimus, quando noviſſimè Coſaci & ruſtici noſtri contra heros ac dominos ſuos in debellando ac ejiciendo hoſte, qui Patriam in partes, prô dolor! ſciſſam, miſeris modis in præſens affligit, intentos armis arreptis inſurgere, cædibus ac incendiis oppida & prædia crudeliter paſſim devaſtare, ac nemini nec infantibus, nec ſegniori imbelliqùe ſexui parcentes, per Ukrainam infeſta arma circumferre non dubitârunt. Non defuit S. R. Mtas, tumultuantes hoſce literis univerſalibus ad eos iteratò miſſis à molimine tam exitioſo, & ſævitia tam immani ad officium, melioremq; frugem reducere, omni-

aque

A. C. 1703 aque illa adhibere, quæ ad patriæ pacem & tranquillitatem ſtabiliendam idonea eſſe arbitrata eſt, eo potiſſimum tempore, quo junctis omnium civium viribus ad expellendum hoſtem in viſceribus Regni graſſantem, laborantemq; Patriam tandem liberandam, quàm maximè opus erat. Cùm vero omnia Conſilia humana ac placida apud hos propoſiti tenaces homines nihil prodeſſent, violenta adhibere viſum fuit, ſic urbibus, quas occupatas ſangvine humano crudeliſſimè contra datam fidem effuſo conſpurcârunt, expulſi propè Conſtantinoviam, Verbicium, aliisquè in locis inſigni clade mulctati, turbarumque Authores aliquot, Ductoresque capti necatiq; meritas pœnas luerunt. Sed quoniam plures ex illis, qui ſuperſunt, â multitudinis torrente abrepti præcedentem gregem ægrè ac inviti initio ſecuti jam calamitatem Patriæ ſerò dolent, inermes in ſylvas ſe recipiunt, ac ad priſtinas ſedes, prædiaq; revertere anhelant. Prudentes verò Statuum Rectores depulſo periculo in hujuſmodi caſibus rigorem juſtitiæ clementiâ ac miſericordiâ temperare ſolent, Illuſtriſſimus atq; Excellentiſſimus Palatinus Belzenſis & Exercituum Regni Campeſtris Dux eorum exemplum ſecutus, hanc declarationem vi officii & mandati Rei pro tempore rerumq; præſentium ratione edendam eſſe cenſuit, ut finis tandem ſit tantorum malorum, neq; nocens cum innocente tandem intereat, ac tota progenies extirpetur, prædiaq; à veteribus Colonis deſerta maximo cum damno eorum ad quos pertinet, ulterius inculta jaceant, promittit nomine S. R. Mtis, & Seren: Reipub. Illrm̃us & Excell: Palatinus Belzenſis, & Exercituum Regni Campeſtris Dux Amnitiam generalem, ac omnium eorum, quæ geſta hactenus ſunt, veniam atque plenariam abſolutionem omnibus iis, qui ad obſequia veris Dominis debita redeunt tam officialibus proprio auſu electis, quàm militibus gregariis & ruſticis captis, vel aliis quibuscunq;, qui eorum partes ſecuti ſunt nemine prorſus excepto, usq; adeo, ut de re nemini unquam lis moveri, vel ſub hoc prætextu aliquis in jus vocari, ac vel directè, vel indirectè vexari, aut aliquâ pœnâ affici poſſit, cum præcipuè in finem, ut dicta Coſacorum Gens in poſterum legibus ac more bonorum ac fidelium ſubditorum vivat, nec unquã ſimiles motus ac res novas, quæ publicam tranquillitatem turbant, ac cædibus, incendiisq; Provinciam replent, excitare præſumat; Sic & eisdem omnibus reſpectivè gratia ac clementia S. R. Mtis, ſereniſſimæq; Reip. quin & benevolentia & æquum Imperium Procerum, Magnatum, Nobiliumq; Polonicorum quorum Jurisdictioni immediatè ſubſunt, viciſſim promittitur. Et quandoquidem Tribunus hujus Militiæ D. Paley Białocierkviam non aliâ mente atq; intentione ſe occupâſſe docuit, quàm ut impediret, ne hoc tempore belli in tam ancipiti fortuna oppidum adeò munitum, quo conſervatio atq; immunitas & ſecuritas totius Ukrainæ potiſſimum nititur, Imperio S. R. Mtis, ſereniſſimæq; Reip: penitùs ſubtraheretur,

tur, & tam ijs, qui de ſalute & defenſione Mtis & libertatis Polo *A.C.* 1703
niæ parùm ſoliciti ſunt, quam imprimis Hoſti in viſceribus Regni jam graſſanti aliisq; bono publico non faventibus enſe eriperetur, inteſtinis hiſce turbis, à ruſticis primariò excitatis ſeſe immiſcendi, ac flammæ huic in perniciem atque excidium totius Regni oleum affundendi, & quoniam cointelligentiam cum Coſacis & ruſticis rebellibus omni modo deteſtatur, ſpondetq; ſe nec ope, nec conſilio, clam nec apertè, directè vel indirectè eos, qui ad officium ſive obedientiam R. Mtis, Sereniſſimæq; Reip: debitã redire detrectabunt adjuturum, verùm potius omni ſtudio ac conatu in id bonâ fide allaboraturum, ut ejus tam authoritate, quàm ſuaſu, alioque quovis meliori modo ab ulteriori tumultu ac inobedientia quàm primùm deſiſtant. Deniq; quia Caſtellum Bialocierkvienſe S. R. Mtis atque Seren: Reip. cum omnibus ad hoc munimentis ſpectantibus, armis ac tormentis bellicis, milite præſidiario, & generaliter quidquid præterea ad illud pertinet, prout recepit, reddidit, ac ſinè noxâ bonâ fide reddere promittit, quidquid in ejus poteſtate exiſtit, ut reſtitui poſſit, & ſic ad reducendos immorigeros ſive tumultuantes, Patriæq; pacem his in partibus reſtituendam, operam ſuam, fidem. ac diligentiam, & præſtitit, & in poſterum ſemper, & ubivis contra quoſcunq; hoſtes Patriæ ad nutum Seren: Reip. ſe præſtiturum promiſit, hujus meriti in proximis Comitiis Generalibus digna ratio ad augmentum honoris & fortunæ prædicti Dni Paley habebitur; ut verò eò magis pax & tranquillitas in hiſce partibus ſtabiliatur, conſerveturq;, iisq; qui in poſterum res novas vel ſeditionem quandam moliri vellent, protectionem à vicina quadam potentia præſtolandi ſpes omnis præcidatur, S. Carea Mtas ad alterius reſquiſitionem facilè promoveri poſſet ad officium ex promiſſoriis hujus negotij in ſe ſuſcipiendam, ne exitioſis hujusmodi turbis, quas ſopire tanta moles fuit, amica vicinitas convellatur. In quorum fidem præſens hæc declaratio propriæ manus ſubſcriptione, appoſitoq; ſigillo ab Illrmo & Excell: Exercituum Regni Campiductore corroborata. Datum in Caſtris ſub Daskowo 24 Menſis Febr.

COPIA LITERARUM CAPITULI GNESNENSIS AD CARDINALEM PRIMATEM.

APproximante, jamq; vix aliquot milliaribus diſtante Exercitu Suetico; poſt abitum Saxonum, qui deſertam circum circa poſt ſe reliquerunt Arabiam, in pagis enim rara domus cuſtode tenetur, hinc Regioni, nobis verò præcipuè, juxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora extremæ ruinæ. Hoſpes ſit licet apud nos Suecus & amicus perſonarum, quia tamen nos veſtigia monent progreſſuum ejus cum aliis Eccleſiis & Capitulis, ſumpto à Cracovienſi initio, ubi præter 108 millia comune lytrum, pro capitali tributo à quavis Capitularium perſonarum, extorſit 108 tynfos, alieno edocti malo, fugimus amicum hoſtilia exercentem, diſperſionemq; meditamur; Eccleſiam S. Adalberti

A.C. 1703 alberti Paternæ tuæ protectioni, velut ſponſum ſponſo relicturi: Miſerum enim hoc Capitulum nullis ſimpliciter ſufficiet contributionibus, ſi quid verò particularibus perſonis pecuniarii ſupereſt nervi, illo certè propriam ſuſtentando trahere mallemus vitam, deficientibus undiq; proventibus, quàm iniquè extorquentibus impendere: reliqui quoque cleri ſat jam puſillum gregem, quia vix quinq; ſupra decem circa Eccleſias Sacerdotes ſuſtentari erit impoſſibile, cum trituranti bovi os ſit alligatum: Fiet fors brevi, quod utinam noſtri non ſpectent oculi, ut impoſitô Divinis officiis ſilentiô, occluſa Eccleſia, in gemitu maneat & ſquallore. Supplicavimus jam tibi, nomine Generalis Capituli, ſed ab intento fors majoribus curis, nihil reſponſi accepimus, ſecundò nunc, utinam felicius! ſupplicamus, qui ſiccam hic adhuc trahimus reſidentiam, ut nobis, magis verò propriæ ſponſæ ſuccurrendi remedium pro Paterna tua ſolicitudine adinvenias, ne primas hæc Baſilica in deſolationem detur vel proſtitutionem. Expectamus in his ſponſæ tuæ deſideriis paternum ſolamen, ſacræ purpuræ fimbriam oſculantes.

COPIA RESPONSI CARDINALITII AD PRÆCEDENTES LITERAS 24 Februarij.

PRimo apice lecto literarum veſtrarum de approximatione illi regioni Exercitûs Suetici, incidi in dubium & admirationem, quomodo fieret iſtud, cùm hinc, nec explorationes, aliâ viâ niſi verſus Thorunium, expediantur, nec aliunde id audiatur, licet ſi quæ metuenda eſſent, publicâ pridem famâ in & ex majore Polonia prænuntiarentur: concludendum ergo, quod populi illis in partibus, nullo authore malorum, ipſi quæ finxêre, timent. Reprehendere nihilominus non auſim cautelam ex maturo & prudenti metu promanantem, cum arma tenenti nunquam fidendum ſit; qui fulminis inſtar, inde ferire poteſt, unde minimè metuitur. Conſultè prudenterq; feciſtis, Eccleſiaſticum argentum periculis ſubtrahendo, interim Gneſnæ cum Cracovia comparatio nulla, ubi Rex Sueciæ tamdiu reſidens ſat temporis habuit revidendæ opulentiæ Capitularis hujus Civitatis; Gneſna verò comparata Cracoviæ, neſcio quo facere deberet Suecis illicium. Præterea cum mea quoque bona in eodem ſita ſint tractu, ſi hæc calamitas vos tangere deberet, certè meam non tranſiret fortunam, quam defendendo veſtro quoq; non deeſſem tutamini, ad quorum bona inſeparabiliter pertineo.

PLENIPOTENTIA AD RECIPIENDUM BIAŁOCERCHVIam à Paley, Adami Nicolai à Granow Sieniawski Comitis in Szkłow & Myſz Palatini Belſenſis, Leopolienſis Generalis, Rohatinenſis &c. Capitanei Exercituum Regni, Campeſtris Ducis.

QUandoquidem Perilluſtris Generoſus atque Excellentiſſimus Dominus Joannes Regniholdus de Patkul Careæ Mtis Miniſter Status ac Plenipotentiarius, legationibus in Germania perſunctus per hanc Provinciam in Moſchoviam revertere ſibi propoſuit, eum rogandum eſſe exiſtimavi, ut quoniam Dñus Paley, non alia mente ac propoſito Białocerkuiam ſe occupaſſe ſcripſit, quàm ut S. R. Mti ac Sereniſſimæ Reipub. Polonæ reſtitueret, cum ipſo de reſtitutione hujus munimenti, reducendis ſeditioſis, ac pacanda penitus Provincia, nomine

mine meo ageret, ne dum his Coſacis & ruſticis occupantur, Patria tota à Suecis devaſtetur. Cum hoc quidquid eſt negotij prono ac libenti animo in ſe ſuſceperit, vi muneris quod in Exercitibus Regni gero & ex ſpeciali mandato S. R. Mtis, hiſce præſentibus prædicto Dño de Patkul mandatum, cum libera in optima juris forma, cum ſolitis clauſulis rati, grati, indemnis actionis, & ſubſtituendi poteſtate concedo, ut liceat ei cum Domino Paley de deditione hujus munimenti tractare, eidem quin & Samuſſio & reliquis Coſacis ruſticiſque, qui eorum partes ſecuti ſunt, amniſtiam ac jus poſtlimini impertiri; Mtem verò ad promiſſionis officium in ſe ſuſpiciendum permovere, ne dum in expellendis è Regno Suecis occupamur, à tergo in hac Provincia omni præſidio deſtituta novæ ſeditiones à malevolis excitentur, deniq; omnia ea in hoc nogotio agere, quæ ad Patriam noſtram penitus pacandam, hoſteſque debellandos tendere poſſe judicaverit. In quorum fidem haſce propriâ manu ſubſcripſi majoriq; ſigillo muniri juſſi, datum in Caſtris propè Daſzkow die 24 menſis Februarij. *A.C.* 1703

COPIA LITERARUM REGIARUM AD SENATORES.
25. Februarij.

SCiendo per quotidianam experientiam, quòd ſine adminiculo publici conſilij arduum cuncta regendi onus, reiteramus ferventia noſtra deſideria amore boni publici Sinceritatem Tuam obligantes, ut pro brevi imminenti conſilio 16 Martij hic Mariæburgi maturè compareat pro dando auxilio cadenti Patriæ, & videnda perfecta diſtinctione inter ſinceritatem & falſitatem, quæ in altum exſurgens ſub variis velaminibus Rempub. jugulare præſumit. Relinquendo alias cuivis notas & claras nonnullorum Patriæ oblitorum artes, proponimus conſiderationi & judicio Sinceritatis Tuæ copiam literarum Regis Sueciæ pro promovendo unanimis nobilitatis circa bonum publicum zelo, pro amovendis mediis ad defenſionem Reip. ſtudio diſſeminatam, in qua ſuſpenſa & obſcura verba, incerti & obſcuri ſenſus plus captionis, quàm fidei in ſe continent, & ſicuti antè Sueticæ amicitiæ, ita nunc imagine pacis, totam Remp. detinere, & fallere propoſuerunt, quod ad reflexionem Sinceritatis Tuæ dum referimus, præſentiam deſideramus, ſpe latiorum, cuncta quæ lenit mala. *Invitatio ad conſiliũ*

LVIII.
ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. & SAMB. CARDINALI PRIMATI. Mariæburgô 10 Martij.

REcepi literas tuas de data 5 Martij, quibus reverentiſſimè reſpondeo; non ideo, ut intrem in aliquam tecum diſputationem, quod à me ſemper alienum. Aſſuevi enim ſemper magnis tuis deferre ſenſibus, ſed ut aliquomodo juſtificem me coram te ipſo.

Certum eſt, id & ego confiteor, quòd ex diffidentia nihil boni ſperandum: magnæ operæ, magnum nihil: ex motu nihil ſequitur præter motum; & nihil magis à Dño DEo exoro, nihil majori diligentiâ

curo

A.C 1703 curo, niſi ut hæc poſtliminio reintroducatur confidentia, non tantùm inter Status, ſed & inter cives, quâ ſtante renaſcetur certè felicitas Patriæ, & aſſequi poſſemus votorum terminum. Tollere omnes offenſionum cauſas, non augere omni voto majus eſt.

Quod aula intra verba tantum deſiderium monſtret pacis, & factis neget, pro eo ſemper fui animo, ut de utilitate publica non minùs ſæpe, quàm de mea privata cogitaverim, nec unquam rationes meas publicis propoſuerim: de aliis notitia, ex certa ſcientia idem credo, quòd non tantùm voluntatem in pacem inclinatam, ſed & cupiditatem incipiendo à Rege omnes habeamus, modò illa tractetur, concludaturq; ſine præjudicio ejus Regiæ authoritatis, quam nulli diſputationi ſubjectam, leges & conſuetudines eſſe voluerunt. Non licet quoq; nec hoc in mentem quoq; aſcendit, detrahere quidquam Primatiali prærogativæ. Tribuendum Jus cuiq; ſuum.

Jus convocandi ſenatum

Jus convocandi Senatûs & Nobilitatis ſub Interregno eſt indiſputabile. Vivente Principe, ut fieri poſſit, præſertim in his conjuncturis, juſtus ex præmiſſis timor, quando lex in favorem hujus rei, non eſt expreſſa, fidere non permittit. Ex antiquioribus Anteceſſoribus tuis Cardinalis Macieiowski compellatus à majori Reip. parte, ut idem faceret; reſpondit nec Senatum ſe privatâ authoritate convocaturũ, cùm id Regium munus ſit: Ex recentioribus Andreas Olſzowski Avunculus meus ferventiſſimè à Regina CASIMIRA petitus in ultima neceſſitate, quia Rex obſeſſus erat ſub Zurawno; expedierat literas Univerſales Reſtium pro motu nobilitatis publico in defenſionem Perſonæ Regiæ; quàm ægrè id tulit Rex JOANNES, multi ſunt, qui meminerunt.

Monendi Principem Jus eſt Primatialis prærogativæ, modò id fiat ſuis gradibus per legem clarè deſcriptis.

Magnus Ducatus Litvaniæ habebat congreſſus, laudabat tributa.

Laudatio tributorum

Ut primum legitimè facere poſſent, procurabant ſemper beneplacitum & conſenſum Regium. Laudatæ contributiones, non erant cum præjudicio libertatis, quando ipſimet benevolè, & libenter id oneris in ſe ſine injuria volentium accipiebant.

Si Rex Sueciæ non vult tantùm in libero loco tractare pacem, tunc locus ille non tantùm ab armis Regis noſtri Sereniſſimi debet eſſe liber, ſed ab exercitu Suetico, ne dicatur, quòd eò redacti ſimus, ut ſalvi eſſe non poſſimus ſine beneplacito ſervitutis, potius verò cum dignitate cadendum, quàm cum ignominia ſerviendum. Promittebatur in ingreſſu conſervatio omnium libertatum, & nunc convulſa penitus omnia. Bona Nobilium, & imprimis templa DEi gemunt ſub tributis. Quomodo verò ſecuritas eſſe debeat tractatûs, quando uni parti omnia facere licet, alteri planè nihil, non eſt autem unum altare ita operiendum, ut aliud diſcooperiatur.

Quòd Procancellarius Regni in literis ſuis ad Nuntium datis expreſſit, quomodo illud verbum more Comitiorum magnos moverit ſcrupulos; ſcripſit id, quod in re ipſa erat, dolor ſincerus & gravis non amat compendium, extorquent plerumq; pondera vocem, quia læſio creditur juſta, dum, quòd uni injuſtè decedit, alteri accedit, mala res eſt Civis lege ſapientior. Jam ampliùs non eſſet neceſſe, niſi ut abſente & renuente Principe Comitia habeamus, & ego recordor quòd JOANNES III. ſ. m. zeloſiſſimè id impediebat, ne unquam illo abſente etiam colloquium Senatûs cum conclavi Nuntiorum Terreſtrium habere-

beretur, quamvis id aliquoties urgebatur. Infero ergo à fortiori, eſt ne poſſibile, ut Rex eum congreſſum permittat? qui ſine ipſo de fatis Reipub. decernat, ſine illo conſulat, quia ad Tractatum ſunt jam deſtinati ſpecificè deputati. Quomodo id per obliquum concedi potuit, quod directè imprimis per leges prohibetur? Deinde averſio tua à Rege,& ex variis tuimet ipſius literis, & ſermone ſuo apparebat, juſtum proinde ſcrupulum formabat, & defenſionem parare authoritati Regis cògit. Acceſſit juſtus timor, quod in concluſo conſilij Varſavienſis non ſatisfactum declarationi, cujus hæc erant formalia: ſpem habemus, quòd & ipſe Rex propter ſalutem univerſi idipſum permittet, & ut tu nomine illius conſilii ſuæ Mti ſcriberes, deciſum erat. Cùm verò id non feceris, quinimo ex inſperato literæ more Comitiorum convocantes apparuerint, non tantùm aures, ſed & cor Regium perſtringi debuit. Qui Judici ex cauſis diffidit, quomodo ſe judicio committere audebit? Si vetus illa, & perfecta fuiſſet confidentia, minùs eſſet de ſolennitate cùm conſtaret de realitate. Si tu præmonuiſſes, tanti non fuiſſent nati, & orti ſcrupuli, quia eſt Regis noſtri animus tam compoſitus, ultra id, quòd ſit invictus adverſùs ea, quæ cæteros terrent, ut quivis, quidquid deſiderat, ferat à volente. Sed quando ex privato publicus factus dolor, fateberis ipſe, qui omnia maturè ſoles ponderare, quòd pro defenſione authoritatis ſuæ (Regibus ita natis, ut utraq; ipſorum fortuna ad Remp. ſpectet) debuit publicum adhibere clypeum, & cavere ſemel, ne paveret ſemper. Quandoquidem publicum ſemper eſt, quidquid in Reges peccatur. Utinam videre poſſes & Regis, & omnium noſtrûm hic præſentium corda, videres certè cum ſolatio particulari & inclinationem perfectam ad pacem, & debitam nominis, dignitatis, & primi in Regno characteris æſtimationem. Idque tibi non per epiſtolam ſcriptum, ſed velut per ſyngrapham volo ſponſum: & poſſum te inſuper in eo plus quàm certiorem reddere, ſi tantùm ex utraq; parte non daretur rumoribus locus, ſi fabulas, commenta, inventiones non audiremus omnes, & illas non poneremus ante ſalutem, rediret certè neceſſaria his præcipuè infeliciſſimis temporibus confidentia, & pòſt ſequeretur exoptata felicitas. *A.C.* 1703

Libelli famoſi, virulenti, detractorii, non ignota huic ſæculo mala, ita ſunt frequentes, ut nemo ſit in oblivione eorum, ego jam facile inveni remedium, ut illa non curem, in memoriam reducendo frequenter magni illius orbis triumphatoris in ſimilibus declarationem: ſi fabulæ nos debellare potuiſſent, pridem ex Aſia fugiſſemus.

Hæc igitur cum omni veneratione ad literas tuas dum exprimo, finio non tam verbis, quàm voto, ſolitâ meâ & ardentiſſimâ inſtantiâ, cùm ſpes miſerias nulla ſuſtineat noſtras, ut non demittas animum in eo, quod pertinet ad veram Patriæ ſalutem, & Dominus DEUS non tantùm magni tui nominis famam, extendet, ſed & longitudine dierum, quod ego ex corde opto, adimplebit.

COPIA LITERARUM M. D. MOSCHOVIÆ DATARUM Moſchuâ 25 Februarij.

Poſt titulos utriusq; Monarchæ.

HOc præſente anno 1703 die 12 Januarij nobis magno Dno noſtræ Careæ Mti à Fratre noſtro magno Dno Veſtra Regia

A,C. 1703 Majeſtate reddidit gratioſas literas ablegatus Ludovicus Darecki, in quibus ſcriptum Rempub. conſiderantem diverſas circumſtantias in difficultatibus ſuis confidentiale colloquium cum Legato noſtræ C. M. ad aulam V. R. M. exiſtente habuiſſe, quòdq; vos frater noſter Conſiliarijs & Officialibus veſtris ad latus noſtrum exiſtentibus cum noſtro eodem legaro imperâſtis conferentiam & id poſtulâſtis, ut ſi acceſſus pateret ad conficiendum tractatum pacis, præfato legato noſtro plenipotentiam concederemus. Quod verò proclamatum fuit quaſi noſtri Zaporovienſes Coſaci perduellem Samuſſium eiq; adhærentes contra Remp. adjuviſſent; hæc delatio falſa eſt: uti & illa, ac ſi per noſtrā indulgentiam id contigiſſet, cui quod V. R. M. fidem non adhibeat, alioſq; ab ejuſmodi ſenſu abducat, præclarè facit: nec enim id vel cogitare potuimus, ut conclusâ pace in ævum duraturā cum V. Mte & tota Republ. contrarium aliquid attentare vellemus, aut cuipiam alteri indulgere quid ſimile faciendum, & ideo inſtanter V. R. Mtas me Fratrem ſuum obligatis, ut non tantùm Coſacos noſtros ſi forſan huic Rebellioni cooperati ſunt, coërceamus, ſed etiam operam & auxilium compeſcendis rebellibus opportunam ſubmittere velimus. Additum fuit in prædictis literis Ablegatum Darecki oretenùs fuſiùs de Palejo relaturum, cui ut fidem demus, rogamur: Nos ergo Magnus Dominus noſtra Carea Mtas vobis Fratri noſtro deſideratum reddimus reſponſum, nos vobiſcum & Repub. juxta tractatum perpetuæ pacis in amicitia & affectu perſeveraturos conſtantiſſimè ſine ulla labefactatione, quod nos unicè optamus. Quod vero ad illud attinet; quòd vos Frater noſter Senatoribus & Officialibus Reipub. ad latus V. Mtis exiſtentibus commendâſtis, ut cum Legato noſtro ad Aulam V. Mtis reſidente conferrent, de faciendo tractatu pacis plurimùm gratias agimus; jamq; plenariam poteſtatem Legato noſtro in hac materia dedimus, habentes firmam ſpem V. Mtem pro fraterno erga nos amore cum Senatoribus & Republ. Polona Litvanaq; Eccleſiaſticis & ſæcularibus contra communem hoſtem Suecum, amicum & ſocium in hac conferentia ſe probaturam & juxta contractam per colligationis nexum obligationem, ubi & quando nobis opus fuerit, ſecundùm affectationem per Legatum noſtrum ad contentationem nobis declaraturam. Quod verò ad aulam Veſtræ Mtis delatum eſt de Coſacis Zaporovienſibus ex parte noſtra ſeu potius indulto Rebellibus contra Rempub. & Samuſſio ſeſe adjunxerint; nos candidè fatemur nobis hanc rem cordi fuiſſe, miſſaq; à nobis ſevera mandata eſſe ad Ducem exercituum Zaporovienſium Joannem Mazeppa imperando, ut ad Boryſthenem in omnibus locis in quibus appareret opportunitas ad trajiciendum, firmas & frequentes cuſtodias conſtitueret, inhiberetque ne ullo modo ex noſtra parte ad Samuſſium tranſirent Coſaci perduellibus adjutorio

futu-

futuri, nec illis aggregarentur, quo ita tractatus perpetuæ pacis in- *A.C.* 1703
violatus conſervaretur, mandavimus inſuper ut hanc voluntatem noſtram ſub pœna capitis omnibus manifeſtaret, nec non, quamvis, nec Palejus nec Samuſſius ad me attinetent, eò quòd ſint ſubditi V. Mtis & Reip, expedivimus nihilominus mandata noſtra etiam ad eos Coſacos ut ab ea Rebellione deſiſtant. Ad delationem verò oretenus factam, qua Palejus inſimulatus fuit, viciſſim oretenus prædicto Ablegato reſponſum amplum ſatis cum magna contentatione reddidimus. Quod ille V. Mti totum, non dubito, referet. Ad hæc precamur V. R. Mti à DEo longævam ſanitatem felicemq; per ditiones Veſtras Dominationem. Datum in Metropoli noſtra Carea urbe Moſcuæ ut ſuprà.

SENATUS CONSILIUM MARIÆBURGENSE. die 27 Febr.

IN præſentia Andreæ Chryſoſtomi Załuski Epiſcopi Varmienſis & Sambienſis, Magni Cancellarii Regni Poloniæ. Thomæ Dzialynski Culmenſis, Petri Kczewski Mariæburgenſis Palatinorum. Caſimiri Ludovici Bielinski Regni Mareſchalci, Joannis Szembek Procancellarii. Georgij Przepędowski Theſaurarij Regni, propoſitum à Rege.

1mo. Accepit Rex recenter à belli Ducibus quaſdam præcautiones & puncta, quæ altiores reflexiones & ſecretiorem exigunt reſolutionem, proponitque ea præſenti conſilio, ut ex mente ejus Cancellarius & Procancellarius, pro exigentia rei, & occurrentium circumſtantiarum ad illa reſcribant.

2do. Nuntiis exercitûs Regni jurata fide & infractâ fortitudine pro Mte & integritate Reipub. ſe conſtanter opponentis, quæ, & quibus modis conſolatio prævideri debeat?

3tio. Excogitatum in præjudicium jurium, Mtis, iamq; in everſionem ſtatûs prolongatum, per contemptum legum in ulteriorem confuſionem & elongationem diu deſideratæ tranquillitatis conventiculum Varſavienſe, quod, comitia & omnia Cardinalia libertatum jura tollit, imperando Terreſtribus Nuntiis more Comitiorum ſub armis hoſtilibus comparere, quibus mediis evacuandum, & ne ſimilia deinceps attententur occurrendum?

4to. Conſilio imminenti locum hunc ex rationibus optat Rex determinandum, in quo præſentis conſilii explorat ſenſum.

5to. Palatinatus Majoris Poloniæ & Siradienſis per Nuntios exigunt comunem motum, pro quo in particularine his Palatinatibus, an toti Regno, & M. D. Lit. extradendæ ſunt literæ reſtium? præſentis conſilii exquirit ſenſum.

CONCLUSUM IN SENATUS-CONSILIO MARIÆBURGI 27 Febr.

Ad 1mum. Quemadmodum S. R. Mtas glorioſas Illuſtrium & Magnificorum belli Ducum pro bono publico reſolutiones, & ingenuos pro defendenda Patria ſenſus gratiſſimo complectitur animo, ita inſolitâ benignitate ad propoſita ab iiſdem puncta Reverendo in Chriſto Cancellario, & Magnifico Pro-Cancellario Regni juxta exigentiam rei & circumſtantias pendentium rerum præhabitâ privatâ con-

A. C. 1703 ferentiâ competenter reſcribere, continuamque in tam ancipiti re- rum Statu correſpondentiam habere authoritate præſentis conſilij demandat.

Ad 2dum. Generoſi Nuntij exercitûs Regni qui dignum lau- de & immortali gloriâ integræ fidelitatis, & invictæ fortitudinis por- târunt documentum, merentur ſpecialem apud S. R. Mtem reſpe- ctum, illamque beneficam declarationem, ut donec condignam meritis ex munificentia Regia aſſequantur recompenſam, ad præ- ſens in vim conſolationis cuilibet illorum Magnificus Supremus The- ſaurarius Regni ex ærario publico tria millia Tinfonum numera- bit.

Ad 3tium. Quò ardentiùs S. R. Mtas de reſtabilienda pace, & reddenda tranquillitate publica univerſo Statui ſolicitas impendit curas, eò vehementiùs & ſenſibiliùs dolet, quòd ab ijs, qui aliàs Regiarum curarum fideles deberent eſſe cooperatores tam ſalutare & ab omnibus exoptatum impediatur opus. Idque quæſitis artibus, & illicitis moliminibus cum adminiculo hoſtilium armorum per in- dictionem & coactionem vetitorum legibus Patriis conventiculorum. Quæ conventicula cùm expreſſè & poſitivè tot ſtatutis & conſtitu- tionibus Regni titulo o Practtykantach / & alijs in volumine ex- preſſis ſint damnata & prohibita ſub rigore pœnarum ipſo jure & facto incurrendarum, S. R. Mtas D. N. Clmus virtute & præſi- dio earundem ſecuritatem publicam, authoritatem Mtis ſuæ, & in- tegram Rempub. tueri & defendere conſtituit, & ut per eos, qui- bus de jure ſimilia conventicula, & publicos motus cohibere com- petit, omni meliori modo occurratur, & animadvertatur, ſeriò ſe ſe invigilaturam, aliaq; juſta & practicabilia remedia juxta præſcri- ptum & obloquentiam Patrii Juris tum ad præſens, tum ex mente imminentis magni conſilii adhibituram declarat.

Ad 4tum. Celebrando conſilio magno, quod auxiliante DEo 16 Martii inchoabitur hic Mariæburgi locum S. R. Maieſtas deſti- nare dignatur.

Ad 5tum. Inſtantias Palatinatuum Maioris Poloniæ, & Siradi- enſis pro extradendis literis univerſalibus Reſtium tot legationibus repetitas S. R. Mtas explorato aliorum Palatinatuum ex Comitiolis hodiernis ſenſu, ſine mora extradere dignabitur, & nunc Cancel- lariæ perficiendas demandat.

SERMO ANDREÆ C. ZALUSKI PRINCIPIS EPISCOPI VAR- MIENSIS SUPREMI REGNI CANCELLARII IN CONSILIO Mariæburgi in Martio.

NON labijs, quia hoc eſſet affectatum, uti iiſdem ad Mtem Ve- ſtram, quæ ſemel obſequio ejus conſecrata à Mte loqui debent, ſed corde, quod & V. Mti obligatum, & Patriæ inſimul & indivi- ſibiliter juramento conſecratum, loquor hodie, ſicut loqui ſemper de- beo

beo, non didici, nec conſuetudinem contraxi adulationibus, encomiis *A. C.* 1703
ad aurium voluptatem quæſitis, nimio obſequio mercari gratias, & ante fortunam, quam dum mihimet ipſi, ſudore, honore, fidelitate in Reges & Patriam exædificavi, cùm in Senatum admiſſus ſum, nunquam aliter dicere ſententiam ſoleo, nihil opinionis causâ, omnia conſcientiæ faciens, & reddens ſemper, quod eſt Regis, Regi, quod Patriæ, Patriæ. Nemo mihi vitio vertere debebat, dum attribuebã Regi, quod Regi conveniebat, quia eodẽ tempore zelabam pro Patria, quod Patriæ debebatur. Sequor proinde antiquum ſtylum meum, & confiteor imprimis id, quod Mti V. debemus; qui habet aures, audire, qui bonos oculos, videre debet. Oculi vitium eſt, ſolem, cùm maximè fulget, non videre, qui non habet infectum, aut aliquo imaginario disguſtu, aut privato commodo, aut quod dicere debeo, ſupinâ malitiâ intellectum, fateri debet, quòd nullus contentus ſit ex Regimine Mtis V, niſi ille, qui contentus eſſe non vult. Primus jaciat lapidem contra regimen aulæ, & malas gubernandi artes, cui & ipſum non ſatisfacit cælum. Objicere quivis quidem poteſt infelicitates præſentes, exinanitiones, & ego omnia hæc fateor, quia hæc ſatis, ſuperque experior, ſed quando res ab origine accipiemus, facilè ex præmiſſis concludemus, qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Prohibuit Mtas Vra cum declaratione, quòd non niſi coactus ad id accedet, ne ullus ex nobis Miniſtris, intraret profundiùs in hanc materiam, propterea & ego illud tantùm tam audacter, quàm verè, quod vidimus, quod audivimus, quod manus noſtræ attrectaverunt, dicere, & teſtari debeo, quòd quidcunq; demum actum eſt, quidcunq; agitur etiam inimiciſſimum in ſola Mtis Vræ perſona, ſi ad conſilia ab iis ipſis data, quibus nunc diſplicent, rem revocemus, non inveniet culpam, quamvis eam quæreret. Licet proinde gratias referre, licet inſimul & ſupplicare humiliter, ut finẽ malorum noſtrorum, quocunq; demũ modò cœptorum videre poſſimus. Obſtrinxit ſe Mtas veſtra novo Sacramento, & ſincero, uti credere fas eſt juramenti nexu. Obſtrinximus & nos itidem eodem vinculo, quo nihil inveniri poteſt ſtrictius, obligati agere debemus id, non obſtantibus quibusvis, quia hæc ipſe DEus amovebit, impedimentis, quidquid ad ſalutem reciprocam pertinet.

In turbidis Reipub. Romanæ rebus non potuit ſe determinare circa initium ſermonis ſui magnus ille & Patriam amans civis, & ita incipere eum debuit. Quid dicam vobis Patres conſcripti, aut quomodo dicam, aut quid omnino non dicam? Dij me Deæque omnes perdant: ſi ſcio. Ego Deos (unum enim colo) nòn invoco, nec hanc ambiguitatem arripio, ſed ſimpliciter abſque omni hæſitatione primo puncto ad hoc conſilium propoſito reſpondeo. Pacem habeat voluntas, bellum neceſſitas. Quare Chriſtus emere arma jubet, uti illis prohibet, reſpondeo cum Doctore Eccleſiæ, ut ſit parata defenſio, non ultio, ut videaris vindicare potuiſſe, ſed noluiſſe. Ac propterea memor doctrinæ itidem Doctoris Eccleſiæ; Epiſcopi debent eſſe pro pace, aut debent non eſſe, nihil magis opto, & deſidero, niſi celerrimam cum omnibus ad extra & intra pacificationem. Tentata toties, ſed nondum perfecta media non omittenda. Si vera ad pacem apparuerit voluntas, arripiamus eam manibus, pedibusq;. Si non tam benevola, quàm neceſſaria ſumenda arma, oppreſſiones hæ non unum clavum uſq; ad cerebrum capiti noſtro imprimunt, & adhuc oſcitamus, niſi tollentibus tunicam, & pallium relinquendum eſſe credimus. Quid agendum, ſi pacem volunt,

 quam

*A.C.*1703 quam velle deberent. Veſtra Mtas etiam illam ſincerè cupit: nos circa eam laborare volumus. Palàm verò faciet juſtus DEus, quicunque eam ſincerè deſiderat; ſi verò id fieri non poterit, non dubitandum invenienda tot media ad ſtabiliendam debitam defenſionem & perſonam Majeſtatis Veſtræ & Reipub. integritatem, de quibus nunc taceo, ne præveniamur. Congreſſus Varſavienſis, ſi in confidentia cum debito reſpectu Mtis Vræ, ut reddere eum neceſſe eſt, fuiſſet congregatus, ſcio pro certò, quòd nec antea, neque nunc inveniſſet contradictionem nec reperiiſſet difficultates; & ſol aliquando cedit ſtellis, quælibet ſtatio tempeſtatem fugientibus pro portu habenda eſt, ſed quia id factum eſt, tanquam altare unum cooperiatur, ut aliud diſcooperiatur, non convenit negligere jura Mtis Vræ, non licebat & nobis Miniſtris tacere, cùm loqui deberemus, ne aut nobis diceretur, canis mutе; aut objiceretur, quòd neſciamus, quid ſint jura Mtis, & pòſt non vexaremur, quòd Majeſtas Vra miniſteria ſua ignaris, incapacibus, aut negligentibus concrediđiſſet. Timenda tonitrua, ut vitentur fulmina. Videbit ſuo tempore Reſpub. librum diligentiarum noſtrarum, fatebitur quòd ſinè diminutione (DEus avertat) obſervantiæ, reſpectûs & venerationis ſecundùm id, quod cuique debetur, ſcivimus dare vindicias impetito honori, læſæq; dignitati Mtis Vræ. Quod ergo factum eſt, infectum fieri nequit, firmiter ſpero, & conſtanter credo, quòd & hic, & ibi condonabimus Domino DEO omnes offenſas, dum non illatâ, ſed repoſitâ injuriâ dilatabuntur chariſmata & charitate cooperientur omnia, jus ſuum unicuiq; tribuendo. Fiat tractatus ſive Varſaviæ, quod tamen nollem evitando hoc inconveniens, ne in Regia Mtis Vræ dominando inimicus decidere de honore perſonæ ejus, & de fatis vellet Reipub. ſive alibi, utiq; ad id deſtinati ſunt Commiſſarij, & poſſunt augeri pro libitu & neceſſitate, tamen aliter fieri non poteſt per omnes rationes æqui & juſti, ut aliqua à Mte Vra & præſenti conſilio non ſit dependentia, quod eò fine ad latus Mtis Vræ, & à ſtatuto Sendomirienſi, & à Confœderatione Majoris Poloniæ, & à Ducatu Litvaniæ, Maſoviæque; & aliis deſtinatum eſt Palatinatibus, quia occurrere poſſunt, nec difficile eſt credere, quòd occurrent tales conjuncturæ, quæ ſine deciſione Mtis Vræ, & conſilio concludi non poterunt. Crederem ergo compellandum Cardinalem Primatem cum omni affectu Mtis Vræ, cum omni reſpectu conſilij præſentis, ut velit tanquam primus, non tanquam ſolus, ita res (quandoquidem DEus dedit ipſi gratiam, quòd & inimicus ipſi fidat) moderari, ut Mtas Vra, dignitas Reipub. in tribus his ſtatibus congregata manuteneri queat. Maneat tota laus, honor & gloria nomini Cardinalis Primatis ex pacata Republica, ſed tamen non fiat ſine communicatione & audacter dicam ſine debita à Mte Vra & Repub. dependentia. Per hanc compellationem, & Mtis Vræ Regiæ, & conſilij præſentis fraternè occurretur diminutioni, authoritati Mtis, non impediendo bonas intentiones ad tractatum, limitabitur autem, ſi quæ eſt præſumptio, facere ſinè nobis contra nos.

Tertium punctum de adhærentibus non licet loqui, nec contra ſtatutum Sendomirienſe, nec contra confœderationem Majoris Poloniæ, ſed licet in memoriam Mtis Vræ revocare, quòd præcipuus ſit Regum titulus Dominus Clemens; magnæ gloriæ eſt, poſſe fulmina projicere, ſed majoris, retinere ea, nec quidquam glorioſius eſt Principe impune læſo. Reſurgant ergo clementiâ Mtis Vræ, qui acerbitate fortunæ corruerunt. Naturalis Mtis Vræ bonitatis, quæ ſæpius de ignoſcendo, quàm

de

de puniendo cogitat, publicum erit hoc exemplum. Senatores antè vocabamur Sanatores, quòd civium laborantium medici eſſe deberemus. Hi autem, cùm alicui mederi, ſanitatemque reſtituere volunt, non priùs acerba ac urentia adhibent medicamenta, ſed antecedenter recurrunt ad lenia. Ac proinde & ego ad thronum gratiæ, ad cor paternum cum multa fiducia recurro. Ignoſce Domine, quia neſciunt, quid faciunt. *A. C. 1703*

Quartum punctum eſt deſideratiſſimum apud tam multos Palatinatus & ſecundùm me omnino neceſſarium Patriæ. Multa bona fieri poſſunt in conſiliis Senatûs, omnia verò & optima, & cum fundamento fieri ſolent & debent in comitiis. Senatûs conſilium poſt-Comitiale Comitia duarum ſeptimanarum extraordinaria concluſit; tam multi Palatinatus illud ipſum requirunt, neceſſitas publica exigit, quia ſine comitiis ſuo res non eunt ordine; Vra Mtas non eſt illis contraria, cur ergo id in diſquiſitionem vocandum, cùm ſentiam, quod omnes, dicere non poſſum, niſi, quod omnes. Et locus poteſt inveniri ſecurus, & tempus conveniens, quare inconvincibiliter illa perſuadeo, à Mte Vra humiliter expeto, & in aliquot diebus in Cancellaria Mtis Vræ expedire ea promptus ero. Pro ſecuritate ejus & inimicus, ſi ſincerè pacem cupit, providere poteſt ſecuritatem, & ut eò faciliùs concludantur, optarem expediri unas pro duabus Reſtium univerſalium literas, ut Palatinatus in caſum (DEus avertat) infauſti finis Comitiorum prompti ſint, ſive ad externam potentiam avertendam, ſive ad internam comprimendam.

De exercitu Polonico dicere ſine affectu nequeo. Agit nunc, quæ poteſt; egit per hyemem poſthabendo omnes commoditates, quidquid pro Repub. potuit, compeſcuit Coſaticos motus, DEus judicet, & puniat motorem eorum. Juravit in nomen Mtis V, cogitandum ergo & faciendum in rem ejus id, quod illos ad ulteriores operationes poſſit excitare. Bonæ ſunt, imò optimæ in eum finem diſpoſitiones, quæ in publicum promulgari non debent; ſed ſpem habeo firmam, quòd & Exercitus erit contentus, & Reſpubl. ſuam inveniet defenſionem. Eodem includo puncto & Generales Exercituum Duces, quorum magnus in Remp. amor, evidens Mtis V. obſequium ſingularem meretur reſpectum, ſicut & ſupplementum Artilleriæ Regni.

Colligationes cum vicinis Principibus non tantùm non ſunt rejiciendæ, ſed quinimò quærendæ. Si non optarem Comitia, ſubdidiſſem reflexioni quoſdam ſcrupulos in memoriam reducendo, quæ ſub tempus ultimi belli Suetici acta ſunt, dum in Senatûs-Conſiliis & coronæ invadiabantur, Diplomata ſuper Electionem in favorem Domûs Auſtriacæ dabantur, auxilia Tartarica inducebantur, colligationes inibantur; & nunc quamvis per diverſionem ſinè ulla noſtra aggravatione, imò cum evidenti noſtro fructu occurrendo, quæ ſuperare ipſi non poſſumus, periculis, juvare poſſunt. Suadere tamen illas non licet, & crederem iſtam materiam ad Comitia rejiciendam, quamvis tamen poſſet interea fieri aliquid pro re & in rem noſtram ſaltem diſpoſitivè & proviſionaliter.

Palatino Braslaviæ reſpondebit Cancellaria Mtis V, quidquid eidē & præſenti videbitur conſilio. Non crederem tamen ego differendam hanc exlimitationem, quamvis occurrunt difficultates expediendæ cum honore & utilitate Reipub, quando nec pro Donariis, nec pro aliis neceſſarijs expenſis difficilia ſunt media, quia priùs habendum, quàm dandum.

A.C. 1703 dum. Crederem ego ſcribendum ad Caſtellanum Cracovienſem, ut omni poſſibili & meliori modo dislimitationem hanc civiliſſimis mediis per expeditum aliquem curſorem declinare poſſit. Non deſunt utiq; rationes in præſentibus conjuncturis; ſi verò ex reſponſo pateret inevitabilis neceſſitas, maturè optarem non tantùm rogandum, ſed aſſecurandum Theſaurarium Regni, quòd quidquid pro his expenſis non tam ex theſauro, qui fortè vacuus eſt, ſed ex ſolitis in fidem publicam accipiendis mediis faciet, id totum illi cum debita gratitudine pro numerato acceptabimus; quidquid verò ad expeditionem inſtrumentorũ ſpectabit, officij erit Cancellariæ Mtis V. ea diligenter expedire.

Finio ſermonem meum reſervando mihi tempus & campum loquendi ad occurrentes materias pro debito juxta & voto. Rex vale,& prævale.

RELATIO CONGRESSUS HABITI APUD EMINEN. CARdinalem Primatem Regni. 3 Martii.

DIE Sabbathi, quæ fuit 3. Martij viſitârunt D. Nuntium D. Palatinus Podlachiæ Supremus Theſaurarius Litvaniæ, & Eques Melitenſis Pacz; poſt mutuas ſalutationes D. Theſaurarius Litvaniæ cœperat bonorum D. Palatini Podlachiæ per Saxonicas copias continuatas in hucusq; devaſtationes exaggerare, addendo, quòd & in bona filij ſui, quidquid ſit de bonis propriis, & Fratris ſui videlicet Palatini Litvaniæ cùm aliqua ad præſens adversùs eorum perſonas indignatio adferri, & ſupponi poſſit, aliorumq; ſangvine aut affinitate junctorum innocenter prædictus Saxonicus ſæviat miles; unde inſtabat apud D. Nuntium, an levamen aliquod aggravatis bonis reperiri poſſit, præmiſsâ compaſſione ſuper ſortem aſſertorum bonorum, his præſtitâ, afflictioni huic ſolidum & univerſale apponendum eſſe remedium; reſpondit D. Nuntius, à quo, dum petitum fuit, ut illud ſpecificaretur incunctanter; Idem D. Nuntius protulit pacem inter Reges neceſſariam eſſe. Quam uniformiter ſummis cupere deſideriis conſtanter affirmârunt, modò ingreſſus aliquis & acceſſus ad eandem porrigeretur, & priùs ſubminiſtraretur concludenda pacis ſecùritas, quam præcipuè non reperiri aſſeruit D. Theſaurarius; Ad hæc D. Nuntius repoſuit; impoſſibile eſſe, ut non reperiatur aliquis ſecuritatis modus, ſi tantùm ſedulò perquiratur.

Subintulit ergo D. Theſaurarius, dignaretur proinde D. Nuntius diligentiam hanc cum Primate adhibere, at repoſuit illico D. Nuntius in vanum ſe id tentaturum ſolum, cùm Primas eundem ad illosmet DD. remiſſurus eſſet; unde omnes præfati Dñi rogârunt D. Nuntium, quatenus unà cum illis poſtridie ad Primatem in prædicta pacis materia deſcenderet. Et cum hoc propoſito prædicti Domini à D. Nuntio ſeſe licentiàrunt. Vix hi Domini ex palatio D. Nuntii reſidentiali egreſſi fuêre, cùm ſubitò familiarem ſuum D. Nuntius ad Dominam Palatinã Lencicienſem emiſerat ad deferenda omnia hic præmiſſa apud ſe peracta ad effectum ea Primati inſinuandi, eundemq; de inſtituenda conferentia certiorandi, alacri animo Domina Palatina Lencicienſis inſinuationem hanc ſuſcepit, obtulitq; ſe indilatè eandem Primati delaturam.

Poſterâ die Dominicâ prout conſtitutum erat, deſcendit D. Nuntius ad Primatem Regni D. Palatinus Vilnenſis, D. Palatinus Podlachiæ, ſupremus Theſaurarius Litvaniæ, D. Wachſchlager olim Reſidens Regis

gis Sueciæ in Polonia, quem ubi conſpexerat D. Nuntius inſtantaneè *A.C.* 1703 Primati ſecretò inſinuavit, ſe debere in præſentia iſtius hoſpitis mutare ſtylum & animum, nec ſe poſſe in illa conferentia primariò interloqui, D. Notarius. Litvaniæ, D. Zawiſza Capitaneus Minſcenſis, D. Caſtellanus Plocenſis. Poſtquam conſediſſent memorati Dñi, primus D. Wachſchager in verba prorupit, Regem Poloniæ plurima damna Regi Sueciæ principali ſuo injuſtiſſimè intuliſſe, optimamq; ſui Regis ad pacem, inclinationem ſiniſtris interpretationibus à Rege Poloniæ ſuſceptam eſſe, hoc fortunatum Mariæburgi Senatûs-conſilium, ex quo apparere dixit, nullam Regem Poloniæ ad pacem habere diſpoſitionē; Unde declaravit defectu hujus ſinceræ diſpoſitionis difficulter ſperari pacem poſſe. Credere ſe enim addidit, Regem Poloniæ poſt notificatã eidem ſui Regis inclinationem ad media pacis pariter omni ſtudio cogitaturum de indifferenti (ut deſideratur) Tractatui inſtituendo loco, aliisq; ad pacem facientibus. Sed omnia ſuæ opinioni contraria experitur. Confirmavit dicta hæc D. Wachſchlageri D. Palatinus Vilnenſis ſuæq; Domûs in hucusq; continuatas proſecutus eſt afflictiones, in quibus pro præſtitis Domûs ſuæ ſolatijs Sſmo Dño Noſtro profundas agit gratias, paternam ejus benevolentiam ulteriorem implorando, & Domui ſuæ tam benè de Eccleſia meritæ pro opportunis auxiliis ſupplicando. Poſt horum vota Cardinalis Primas interlocutus eſt. Conſiliũ in loco indifferenti neceſſarium eſſe ejusque poteſtatem convocandi ſe habere prolixis verbis aſſerendo, quibus firmandis plurimas adferre ſedulò ſtuduit rationes, deducendo exinde obſequium S. R. Mti, utilitatem Reip. ſecuturam eſſe. Deinde converſus ad D. Nuntium invitavit eundem ad depromendum ſenſum ſuum, ex illa æſtimatione, quam de illo uti Apoſtolico Miniſtro gerebant præſentes. Verùm D. Nuntius uti ante initium Congreſſûs hujus ſecretò Cardinali declaraverat, à præparatis abſtinuit expreſſionibus, explanavit tantummodo æſtimationem Regibus debitam, & deſiderium bonæ ac firmæ pacis, quo deſiderio paternum Sſmi Dñi Nri pectus flagrare affirmavit, non alio reſpectu & voto, niſi quietis S. R. Mtis, utilitatis Reipub. & ante has integritatis Sacroſanctæ Religionis. Appoſuit finaliter, quòd ſi crederent ſe ad aliquid operandum in habilienda pace ſtabilem eſſe, ut operam ſuam applicaret utiliùs petiit, ut quidquid tractandum veniret, totum id ſcripto exciperetur, prout & dicta in præſenti congreſſu pro limine ad ulteriorem progreſſum, adjunxit etiam D. Nuntius, quam figuram quærere deberet Reſpub? arbitræne? an mediatricis? Ad ultimum punctũ Primas repoſuit, quòd hujus congreſsûs dicta paucis comprehendi poſſint verbis: Videlicet deſiderari congreſſum in loco indifferenti ad tractandam concludendamq; totaliter pacem, & nihil aliud, ad tollendam omnem ſuſpicionem S. R. Mti, & poſt hæc diſſolutus eſt congreſſus; Sequenti die D. Nuntius deſcendit ad Cardinalem, cum quo ſolo quatuor ferè horis colloquio uſus eſt.

COPIA CONFOEDERATIONIS GENERALIS M. DUCATUS LITVANIÆ 7 Martij.

NOS infra in ſubſcriptione expreſſi, per conſtitutum generale ad Olkinicos ex ordine tam Senatorio, quàm equeſtri deſignati ad Celſiſſimum Principem Dñum Michaëlem Servatium Korybut in Zbaraz & Wiſnowiec Wiſnowiecki, Comitem in Dolko, Komarno

&

A.C 1703 & Dąbrovica, Campiducem M. D. Lit. Pinſcenſem, Glinianenſem, Wilkoviſcenſem Capitaneum, Generalem ejuſdem M. D. Lit. Colonellum. Item nos ex comitiolis, pro 6 Februarij anni currentis à S. R. Mte per univerſalia imperatis & habitis, electi Commiſſarii, qui huc Vilnam ex limitatione congreſſûs Rozanenſis, primâ Decembr. anni præteriti abſoluti, pro quinta Martij anni præſentis milleſimi ſeptingenteſimi tertij advenimus. Quandoquidem fratres noſtri domi ſuæ reſidui in comitiolis præteritis, habito imprimis præ oculis inſtrumento publico, typis Thorunij mandato, perq; ordinum Regni & M. D. Lit. eo tempore ibi congregatorum Commiſſarios conſtituto, & ad ſe ex majori Cancellaria ſub ſigillo M. D. Lit. tranſmiſſo, animati præterea ijdem fratres, propoſitionibus Celſiſſimi Principis Campiducis & Colonelli Generalis M. D. Lit. ad id ut ſub tempus præteritorum comitiolorum in hoc turbido Reipub. ſtatu quàm arctiſſimâ animorum unione & confœderatione intuitu S. Catholicæ fidei, libertatum, prærogativarum, & jurium defendendorum, Sacræq; R. Mtis Dñi N. Clementiſſimi AUGUSTI II nunc feliciter regnantis tuendi, conglutinarentur, efficaciter his omnibus executioni mandatis & habitis comitiolis confœderationibusq; ejuſmodi ibi tum conditis, quas omni cautelâ adhibitâ ad tantò majus robur ſuis circumſcripſerunt limitibus; nobis dederunt poteſtatem, ut in hoc congreſſu congregati inſtructionibus noſtris collatis Generalem totius M. D. Lit. faceremus confœderationem: ideò accommodando nos inſtructionibus nobis extraditis, explendo deſideria Principalium noſtrorum, ejuſmodi confœderationis nunquam rumpendo vinculo nomine noſtro & omnium fratrum noſtrorum domi reſiduorum, colligamus nos, & confœderamus. Imprimisq; dum videm⁹ Regem Sueciæ ab iniquis Patriæq; oblitis filiis nominatim à Dñis Sapiehis in conſtituto Olkinicenſi cum adhærentibus ſuis expreſſis, ad id inductum, ut in viſcera Patriæ admiſſus, ea depaſcendo & vaſtando non tantùm in fortunas & vitam nobilium ſæviret, ſed etiam ut intenderet; quatenus nos manuducentibus, conſulentibus, & ex pertinaci odio id unicè volentibus iiſdem Sapiehis liberâ electione, quâ nobis ipſi Monarchas Reges & Dños creamus, exueret: unde & omnes ſuos conatus convertit, ut inpracticato in Polonia & M. D. Lit. à ſæculis exemplo Seren. Regem AUGUSTUM II feliciter modernum, quem liberis votis & vocibus ad thronum exaltavimus, eodem dejiciat, & inauditam exequatur dethronizationem. Quare quemadmodum id impoſſibile nobis conceſſu eſt, ita declarantes Seren. AUGUSTO II Regi noſtro Clementiſſimo fidelem ad vitæ & ſangvinis uſq; profuſionem aſſiſtentiam, hoc vinculo unionis & nunquam rumpendæ confœderationis noſtræ nexu roboramus nos & conſcribimus, pollicentes; nos omnes quotquot ſumus in magno D. Lit. cujuſcunq; ſtatûs & præeminentiæ, nunquam huic confœderationi renunciaturos; ſed pro Eccleſia Dñi, pro libertatibus noſtris, ſalute Seren. AUGUSTI II. Regis N. Dñi Clementiſſimi vitam poſituros, & pectoribus noſtris Mtem ejus defenſuros: eos autem omnes, quotquot partibus Sueticis adhæſerunt, illiſq; adjuncti toto latè M. D. Lit. & Regno Poloniæ graſſando ſubſtantiam noſtram conſumunt & etiamnum non reſpiciendo conſtituta Sendomirienſis & Thorunenſis conventûs perſeverant in malitia ſua; pro hoſtibus Patriæ & capitibus invindicabilibus (pro qualibus eos actu declaramus) habituros. Quod ſi quiſpiam incolarum M. D. Lit. per Palatinatus & diſtrictus contra liberam electionem, uti & contra Mtem Regiam aliqua atten-

attentaret molimina, aut ſive Suecis ſive adhærentibus illorum opitulari, defendere, aſylumq́ præbere, vel quidpiam machinari auſus fuerit: contra ejuſmodi tanquam hoſtem Patriæ nos inſurrecturos, nec toleraturos in medio noſtrî declaramus. In quibus omnibus reaſſumimus omnia juramenta noſtra per Palatinatus & diſtrictus facta, nec non ſub fide, honore, conſcientijs noſtris obligamus nos, conſtanter nos vinculum hoc & ſine ulla diſſolutione conſervaturos. Quocirca & modò delegamus de gremio noſtro, cum hac confœderatione noſtra manibus noſtris ſubſcripta & roborata ad conventum à Seren. Rege pro decima ſexta præſentis determinatum, ad eum locum, ubi in perſona ſua Mtem morari contigerit, ut Legati noſtri à toto corpore confœderati M. D. Lit. S. R. Mti noſtram deferant præſentemq́ ſinceritatem, & affectum; priuſquam ex Palatinatibus & diſtrictibus ſpeciales ibidem per comitia electi conveniant Commiſſarij, declarentq́ nos exemplo Majorum noſtrorum, paratos futuros pro defenſione Mtis & perſonæ Regiæ, pro juribus & libertatibus noſtris, vel vitam ipſam immolare, de quo ipſo inſtructio à nobis ſpecialiter extradita Legatis fuſiùs edocebit. Modò verò huic confœderationi manibus noſtris nos ſubſcribimus, quæ poſtquam in acta ſurrogatoria illata fuerit, ut typis mandetur pro perpetua rei memoria, Celſiſſimum Principem Dñum Campiducem Generalem M. D. Lit. Colonellum rogavimus. Actum Vilnæ &c. *A. C.* 1703

LIX.
ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARMIEN. & SAMB. CIVITATI GEDANENSI. 9. Martij.

ETiam tacente meo calamo poterunt facta mea teſtari quantus ſemper fuerim Civitatum defenſor, præcipuè verò illarum, quæ retinent adhuc priſcæ veſtigia famæ, multò magis in hoc officij mei theatro, in quo pro muneris præſentis conſcientia, & vigore legis publicæ præcipuam ſuſcepi curæ protectionisq́ provinciam. Et jam hodie Polonus Orbis vidiſſet omnes hos Balthici maris fluctus feliciſſimè compoſitos, ſi communis totius Regni calamitas modeſtiùs fuiſſet tolerata. Profunda vulnera non ſentire non eſt hominis, ſed non ferre pariter non eſt viri, præcipuè cùm ab hominibus tolerentur. Quoties enim grande aliquod incendium extingvere laboramus, nemo eſt, quem proxima flamma non adurat; neq, tamen cum impatientia tum lamentamur, eò quòd aliter non poſſit publicum extingvi incendium. Quòd internuntij ad Sacræ Regiæ Mtis conſpectum non fuerint admiſſi; neminem jure merito accuſare poſſunt, niſi quòd noluerint fateri vulnera quoquo modo inflictà cordi Principis Clementiſſimi, quæ à nemine ignorantur. Ego enim ex particulari affectu meo ſatiùs conſerem deprecari cicatricem, quàm expectare clementiam, ut illa ſuæ benevolentiæ teneritudo conſervetur ſecuriùs, quæ omni temporum intervallo imprimis eſt neceſſaria. Hæc pro candore meo inſinuavi, cum eo voto, ut tranquilliora magis placeant conſilia. Interim maneo.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS REGI SCRIPTARUM. 10 Martij.

GRatias refero Mti V. pro hac dignatione, quòd me ad deſtinatũ 16 præſentis invitare dignetur conſilium Mariæburgum, nunquam

A.C.1703 *quam neglexi ad claſſicum publicæ ſalutis currere, nulla intermiſſi comitia, conſilium, ad quod vocatus eram, nunquam neglexi, & quod in ultimo Varſavienſi infirmitate preſſus non adfuerim, ſatis dolere nequeo; Supplicaſſem enim Mti V, ut circa Regiam Varſavienſem manſiſſet, quæ propter abſentiam ejus Mte vacua æmulam Mtem, eò citiùs attraxit. Commodior fuiſſet & celerior in publico præſenti motu concurſus, frequentiores curules, & efficaciora conſilia. Quanquam à tam longo itinere deberet me brevitas temporis excuſare, reſolutio & incommoditas Menſe Martio, res familiaris poſt tribulationem anguſtior. Superaret hoc nihilominus promptitudo mea, ad obſequia Mtis V. ſemper parata. Sed quomodo ego Varſaviam deſerere poſſum, ſine periculo Varſaviæ: quomodo defenſiones Eccleſiarum pro quibus laboro, quomodo hoſce Palatinatus & Diſtrictus relinquere, qui publicis inſtrumentis & legationibus hæc à me exigunt, ne ſtationem deſeram, tanquam nidum meum proprium, diſcretioni manus militaris relinquam cuſtode remoto. Ad extremum, quomodo inceptum opus ſalutis publicæ obſequij Mtis V. projicerem, quod quamvis Cancellaria Mtis V. conventiculi nomine baptizavit, tempus rerum Magiſter monſtrabit, quòd dignius vocabulum togata Mtas, alium plauſum conatus noſtri merebantur. Placuerat præſenti Senatorio conſilio, deferre toti Reip. & omnibus Palatinatibus id, quod ſub tempus conſilij à Rege Sueciæ venerat, celerrimam tranquillitatem optante, intererat ut ceremoniale abbreviaretur, & uno eodemque tractu, ad conſilium convocarentur Palatinatus, more comitiorum ad diſtinctionem tribunalis, in quo ex Palatinatibus tantùm Deputati, & pluralitate res deciduntur. Deferre Mti V. concluſum Senatûs, non intermiſiſſet debita obſervantia, ſed tempus imminentium comitiorum non permiſit, quia nec in aliquibus locis pervenire poterant, tempeſtivè miſſi, ſufficit, quòd antequam expeditio miſſa fuiſſet, habuit ejus copiam, & Nuntius Apoſtolicus, & Legatus Cæſareus, vigiles pro intereſſe Mtis V. cuſtodes.*

Sive hoc in majori, ſive in minori choro fiat, modò ſymphonia ſit conſona, auribus grata, falſus conatus omnium aures lædit. Sciunt novi recenteſq; Catones aliorum cenſurare facta, & tamen nihil adhuc ipſi præſtiterunt, ſeu laudabile, ſeu imitandum. Pacem exoptant, quæ abundantiam & divitias adfert, & tamen devaſtationem, & pauperiem canunt, queri etiam non permittunt, eripiunt lacrymas, non conſolando, ſed minando; fulgor armorum Polonicorum erat terribilis hoſtibus, ſed illo tempore, dum illum implebat confidentia, amor, zelus, gloria, ſed quando edax livor rubiginem inducit, citiùs linguâ, quàm armis agimus, ex vagina gladius acutus lingva eorum.

Deſperandum tamen non eſt, ſumma calamitas proſperitatis indi-

indicium. Duæ res adferre poſſunt malaciam, minor Mtis V. confidentia ad nonnullos, minor diffidentia ad alios, pronior ad ſolida, quàm ad fabulas auris. Quod ad me pertinet, quanquam, non habeam, niſi ad querelas occaſionem, memor characteris charitate cuncta operio, quidquid ſalvâ conſcientiâ, ſalvis juribus humanitus practicari poteſt, ad pondus & menſuram adimplere conor. Regis Sueciæ experiri poſſum æſtimationem, ſed arcana ejus, dubito, an alicui etiam viciniori ſint manifeſta. Literis ultimis quæ mihi ſcripſit, credere debeo, non habendo rationem, ut ijs diffidam, cum hactenus nullam notam duplicitatis, omnem verò firmitatis in eo advertam, quando poſt primas de Busk adhuc datas, hanc primam recipio, in qua mitiora loquitur. Si proinde in hoc loco facere aliquid poſſum, laborem, curam, & obſequium meum offero. Loquere Domine, cui humillimâ inclinor veneratione. &c. A. C. 1703

LX.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. REGNI CANCELLARIUS, CARDINALI PRIMATI.

Mariæburgô 21 Martij.

APpropinquat conſilium, in quo primus ex Stallo meo dicere ſententiam teneor, & poſta abit, propterea breviter tuis cum omni veneratione reſpondeo.

Quòd literæ meæ non ad pompam fuerint ſcriptæ, res ipſa monſtrat, quia nullus copiam earum habuit, nec tam citò habebit. Nuntio Apoſtolico poteſt eſſe (nam non bene memini) quòd aliquid in hac materia ſcripſerim, ſed reſpondendo ejus literis ſine ulla intentione curioſitatis excitandæ.

Pædagogum agere non eſt profeſſionis meæ, Dii obliti ſunt ejus, quem Pædagogum fecerunt, nec hoc in cor meum unquam aſcendit, quinimo diſcere à te ſemper volui, cum tabula raſa optavi, & opto te frequentare, ut ſuper ea ſcribas, quæ velis, & nemo inveniet me unquam derogantem, vel in minima parte authoritati Primatiali; vitio verò nemo mihi vertere poteſt, ſi aliquid dico, vel ago, quod ad defenſionem pertinet, ad quam jurata fides obligat, efficientem quæcunque poſſum, conantem etiam quæ non poſſum.

Indè credere potes verum fuiſſe deſiderium meum pacis, & publicæ tranquillitatis, dum me obtuliſſem ad longiſſimum etiam iter, nec Varſaviam venire denegâſſem, & jam pridem in ea me videre potuiſſem, ſi obſtacula me non impediviſſent, nam miſerijs publicis, & privatis victus, depreſſus, obrutus, necdum vocem adhuc & manum perdidi in tantis malis.

Erubeſcere non poſſum, quòd ſemper ad tuam recurrebam protectionem, quia hæc ſemper mihi eſt neceſſaria, & tibi in ſimilibus conjuncturis glorioſa.

In aliis punctis aliter me juſtificare non poſſum, niſi appellando ad eum, qui omnium noſtrûm intentiones, & facta judicabit. Cæterùm non peto hominibus eſſe ſpectabilis, ne fiam inviſus DEO, malo hîc contemptus eſſe, quàm æternùm inter contemptos.

Illud addo, quòd ſemper enixè orabam, ut dum etiam & apparen-

A.C. 1703 tia offerretur, non tantùm iter, ſed & ſemitam arripias ad procurandam pacem, quod & publico nomine tibi proponetur cum precibus, ſi conſilium meum hodiernum venerit ad effectum.

Per amorem Chriſti Princeps Eminentiſſime omiſſis inanibus, oblatis omnibus Domino DEO injuriis, in quibus ego teſte cœlo & terrâ maximè gloriari poſſum, arripiamus eam, vel aliam viam, modò ad optatam pervenire poſſimus omnibus metam, ſi pax eſſe non poteſt conſilium in hoſtes unicum armari manu; velis tantùm monſtrare media, & modos ulteriores, ut ſalvo honore Mtis, & authoritate Reipub. id fieri poſſit, nulla certè occurret difficultas, facilitabuntur omnia, niſi ſicuti apud te nullus adhuc mali ſenſus, ita nullus ſit pereuntis Patriæ dolor, interim tamen timendum, ne collata teſta teſtæ mutuò ruant. Interpretetur quomodo cuiq; placuerit, intentiones, & actiones meas, ego ſequar ſemper eandem viam, & agnoſces plus in me ſemper, & in bonum publicum, & in perſonam tuam ſinceritatis, & obſervantiæ, quàm malitia hominum depingere me ſolet; inimici multi, invidi penè omnes. Quæ omnia in vulneribus Chriſti ſepelio, nec me id deterrebit unquam, nec ab agendo, quidquid debeo Regi, Patriæ, nec à demonſtrando, quòd ſim.

LXI

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARMIEN. & SAMB. CANCELLARIUS REGNI, CARDINALI PRIMATI. 2. April.

IN documentum ſinceræ Seren: Regis noſtri cooperationis, ut quantociùs motus Coſatici ceſſare poſſint, nec illâ diverſione operationes belli in Polonia impediant, miſeram copias literarum tam ad Ducem Moſchoviæ, quàm ad Mazeppam & alios; nunc reſponſa ab iisdem pro meliori informatione tibi transmittenda putavi, unde colligere poſſis, nullum à Duce Moſchoviæ usq; in hanc horam impendere periculum. Video Palatinum Belzenſem Campiductorem Regni operâ Patkulij uſum fuiſſe, cujus binas quoq; literas libens adnecto; quanquã miror diverſimodè eum ſcripſiſſe; nam in literis 3. Febr. datis Palejum deteſtatur, quem pòſt in aliis literis laudare videtur. Adjungo quoque recenter Vilnæ factam Confœderationem M. D. Lit. ut videas parem zelum ubiq; pro Majeſtate. Hæc dum tibi defero affectui perenni me recommendatum cupio.

COPIA LITERARUM à PATKUL DATARUM AD PAlatinum Belzenſem. 3. Febr.

PRæſentium lator Kalinowski plenam tibi dabit informationem de ijs omnibus, quæ hic geſta ſunt, quantum laboraverim, quibus promiſſis & minis tam nomine Regis, & Reipubl, quàm Careæ Mtis animum Paley tentaverim, ut ad reſignandum fortalitium inducerem. Omnia in vanum fuerunt, unico hoc reſponſo ſpem noſtram incidit, Białocerkieviam ſe è manibus non dimiſſurum, dum hic ſol in cælo luceret, niſi habito expreſſo à Carea Mte & Duce Mazeppa mandato. Oſtendi illi, & reddidi univerſalia cum literis R. Mtis omni poſſibili modo perſuadendo, ut ad debitam reditum maturet obedientiam, ſecurus interim & certus, ſi id faceret, non ſine præmio futurum non tantùm à R. Mte Poloniæ, ſed etiam Carea Mte, cujus eò deſideria collimant, ut arctiſſimâ cum Repub. colligatione factâ unitis animis & viribus

ribus bellum contra communem utriusque Regni hoſtem promoveat, *A.C.* 1703
quod non aliter fieri poſſe ſatis intelligit, niſi per priùs priſtinæ tranquillitati iſtæ Provinciæ reſtituantur. Addidi in caſſum illum reſpicere Careæ Mtis mandatum illudq; excuſationi prætexere, quandoquidē ut ipſe fatetur, nullum habuerit de occupando fortalitio, manuque tenendo præceptum, à Carea Mte, quam conſtat nolle, nec poſſe affectare præfatam arcem, vetante id Tractatu Pacis, & colligationis factæ, in ipſa Metropoli Moſcuæ An. 1686 Articulo 4to & 5to, in quo hæc formalia ſunt; nullatenus Caream Mtem Coſacorum ex hac parte Boryſthenis manentium rebus & cauſis (ac ſi ij ad ſe pertinerent) operam ſuam accommodaturam, nec illis ope aut protectione ſuffragaturam; unde gravis foret exceſſus, velle, ut tantus Monarcha verbo & promiſſis ſuis renuntiaret, eo potiſſimum tempore, quo juſſit, ut ad Aulam Poloniæ Regis omnibus viribus ejus legatus annitatur, quatenus vera amicitia & confidentia cum Rege & Republ. conſervetur. Quam ob cauſam pollicetur ſuppetias, quæ cogant rebelles, & boni publici hoſtes ad priſtinam obedientiam, quam hic & nunc Paley excutit, ejusmodi præmiſſis attentatis, quæ non niſi Suecorum commodo militant; illorumq́ fortunam extollunt, uti ex publica fama conſtat, & communi omnium voce Palejum adverſæ parti favere, inque favorem illius his auſis tam turpiter inclareſcere, divulgante. Dicenti non tam in poſſeſſionem ſuam, quàm potiùs tutelam eam Arcem acceptam, repoſui, obligatum eſſe omni jure, & ipsâ æquitate id poſtulante reddere fortalitiū quocunq; tempore, quo verus illius Dominus & Poſſeſſor ejúsmodi redditionem affectat, & imperat, aliàs neceſſariò ſecuturum, ut pro perduelli habeatur, quam labem contrahere, pœnasque ſceleris tanti præmia ſibi eum velle accerſere, me non putare; dixi me ita perſuaſum eſſe, quod uti Carea Mtas nunquam permitteret, ut exterus quiſpiam Princeps pro ſuo libitu & licentia negotia & cauſas inter ſuos ſubditos dirimeret, viciſſim ipſa alteri ejusmodi injuriam non faceret, in ejus ditiones involando, alienasq; lites ad ſuum trahendo forum, certoque pararet vindictam in eos, qui ſuis talibus facinoribus ab illa favorem & protectionem ſperarent. Demum explicui illi literas ipſius interceptas in præſentia Colonelli Abazyni ejuſmodi fuiſſe, ut ſatis ex illis conſtaret eum & complicem & reum perduellionis æquè ac cæteros jam merito ſupplicio pro auſis ſuis affectos; modò nihilominus adhuc favere tempus recuperandæ gratiæ, & famæ, quam primitùs habuit, apud Regē & Remp. intuitu fidelitatis & impenſi, prout ſubditum decet, obſequij, quòd ſi id negligat, jam nunc me ominari ſeriâ quidem, ſed ſerâ pœnitentiâ doliturum, meo eum non paruiſſe conſilio, præſertim ubi Carea Mtas fideliter à me edocta de omnibus meliora eum ſapere docebit Seren: Regi hoc in negotio opem & operam ferendo. Juxta 5tum Articulum prænominati Tractatûs inter Regem & Remp. ex una, & Caream Mtem ex altera parte certè eò deveniendum fore, ut Paley captus in manus ſui Domini reſignetur, mercedem debitam temeritati & audaciæ ab eo recepturus. Objicienda tum illi ſcelera, eo patrata tempore, quo vires ſuas impendere iis frangendis debuerat, qui eum de Throno dejicere laborabant. His omnibus & aliis pro poſſibili dictis, nihil aliud evici, nec excerpere potui, præter primam reſolutionem. Compertô igitur eum in propoſito ſuo pertinacem, & flecti impoſſibilem eſſe, viſum mihi conſulere ei, ut ſaltem ad tempus belli operationes ſuſpenderet, quo tempus Regi & Reip. lucrarer aliis conſiliis in-

A.C. 1703 tendendi. Videbatur initio hanc meam propoſitionem acceptare, verùm, quamprimùm illi Articulos Tractatûs, quos tibi mitto, oſtendi, reſpondit ſe de nulla re acturum, niſi priùs ad Ducem Mazeppa totum quidquid id eſſet, detuliſſet. Repoſui: indignum igitur illum eſſe tam conteſtato affectu, quàm etiam gratiâ Regis, mererique ut in effectu, iram, & juſtitiæ pœnas tali debitas, qualis ipſe ab omnibus habetur, experiatur, & ſentiat. Conſiderando ergo, & ad oculum videndo eum non ratione ſuâ regi, ſed ab alterius neſcio cujus pendere arbitrio, non exiſtimo competens eſſe, ut Rex & Reſpub. impoſterum cum illo tractet, cùm prorſus impotens nulliusq; reflexionis homo ſit, diu noctuq; ebrietati deditus, imò, ut patet, partium Regi adverſarum. Pro concluſione aſſecuravi illum à me, ut honeſti amans ſum iis coloribus, coram Caro depingendum, qualibus meretur, ſecuturâ inde procul dubio Magni Ducis indignatione. Admonui ſeverè, caſu, quo pergeret, aut novam cuderet ipſe, aut Coſaci rebellionē contra Regē & Remp. omnes vires in illum exerendas, jamq; nunc expectandâ illi eſſe declarationem Careæ Mtis, ſiquidem toties illam ſuis auſis prætexeret. Tandem ad ea verba devenimus, ut cenſeam indigniſſimum hunc hominem eſſe, cum quo quis conferat, utpote nec DEum, nec infernum timente, prout Kalinowski horum omnium teſtis ob ſuam activitatem, meâ commendatione non fraudandus, pluribus tibi etiam circumſtantias non negligendas referet. Potes igitur certus eſſe hunc tam præcipitis ingenii hominem rebellionem non renovaturum, tantumq; mœniis fortalitii ſe defenſurum, caſu quo quiſpiam in illum, ut perduellem conſurgeret. Quia verò abundat populo ad defenſionem ſui, videor mihi non aliter poſſe conſulere tibi, ſi forſan ſubiret animus hic vel Chvaſtoviæ illum oppugnandi, niſi ut ſuperſedeas: quin rogo per amorem DEI, ne te, & ultimas vires Reipub. tuamque reputationem exponas periculo, plurimùm enim dubito te poſſe aut debere aggredi tam potentem & deſperatum hoſtem. Quod ad magnum Ducem Moſchoviæ attinet, id tibi affirmare poſſum, nullam illum ad perduellem habere relationem; aliunde rebellis hic ſibi adoptavit fulcra, prodentibus id certis verbis, magnam hujus rei ſuſpicionem facientibus, & ita ſi contra prædictum Palejum moveres, in ejuſmodi te ſponte conjiceres periculum, ex quo revocare gradum hic labor, hoc opus foret, hoſtilibus undique copiis circumdato, eoq; rem deduceres, ut brevi poſt erratum intelligenti errorem corrigere non liceret, præſertim hoc tempore, quo alibi es neceſſarius. Optarem potiùs ſancire amniſtiam, & publicare aut veniam perperam actorum ijs, tantummodo ſerrituram, qui damnatâ rebellione ad obedientiam convolaverint, expoſito Regem & Rempub. effuſioni ſangvinis Subditorum ſuorum impoſterum velle parcere, præcipiendoq;, ut omnes hoc reatu obſtricti, ſecurè bona & domos ſuas repetant, vivantq; quietè, certi ſe non turbandos, tum etiam vellem, ut exercitui tuo reditum in Patriam imperes. Hoc facto liceret tibi iteratò belli operationibus intendere, ſuppeteretq; tempus colligationi cum Czarea Mte finiendæ, in qua eæ conditiones apponi poſſent, quæ viderentur optimæ & efficaciſſimæ ad coercendum perduellem nullo ſanè reſpectu dignantem ſuum Principem, nec agnoſcentem, ob quam cauſam acerrimâ invectivâ ſupremùm cum illo egi, clariſſimis verbis meum exponendo votum, nullatenus me cum tali homine communicare velle, quem perduellem nôſſem, Dominoq; ſuo infidelem, cui ſervire & obſequi mihi unicè honori duco. Proficiſcor hinc imprimis ad Du-

Ducem Maſeppa, ut in hac cauſa apud eum laborem. Reddam illi tuas literas, reſponſumq; ejus meis adjungam innoteſcentiis, ex quibus intelligas, quid tibi ſperandum impoſterum, aut potiùs metuendum, ab illo ſit? quo vultu relata de actis Paleji exceperit? quid de fortalitio reddendo cogitet? an & ipſe hac in parte à Czareæ Mtis arbitrio pendeat, edocebo. Exiſtimo tanquam rem neceſſariam Niemiroviæ in eo numero pedites relinqui, quo tuendo illi propugnaculo ſufficiant, ut in proximo ſint, quibus extradita arx commendari, & credi poſſit. Scias deniq; graviſſimè me id affeciſſe, te ſpe tuâ fruſtratum eſſe, & expectatione. Verùm utcunq; ea res ſe habet, ego, ut ſemel me addixi obſequiis Sereniſſimi, me ſpecialiter obligatum agnoſcens uſq; ad ſupremum vitæ diem tam Regi, quàm Reipub. inſervire, velut dilectæ Patriæ meæ, ita allaborabo tam in præſente occaſione, quàm aliis ſucceſſuris, ut gratiâ, benevolentiâ, & protectione dignus fuiſſe exiſtimer. Significabo ergo tibi fideliter & confidenter, tanquam ſincerè tibi obligatus, quem certum de omnibus his eſſe volens maneo &c. *A.C.* 1703

P. S. Adjicio id neceſſariò; Ducis Maſeppa hominem Stephanum nomine nuper à te in Caſtris donis honoratum, peſſimè de te meritum eſſe. Audeo id aſſerere ipſum ſuſpicionum & ſiniſtrarum interpretationum tam Palejo quàm aliis Coſacis Authorem eſſe. Ille furentibus calcar addidit, idq; me præſente ad omne nefas, prodiditq; non niſi viliſſimè ſe Regem, Rempub. compluresq; ex Polonis Dominis æſtimare. Exiſtimo Kalinovio non defutura verba, quibus hujus hominis oracula referat. Reddidi illi pro tam inſolente lingva egregiam talionem. Certus propemodum ſum, ſi Rex & Reſpub. coram Czarea Mte ejuſmodi auſum proponeret, ſatisfactionemq; poſtularet, ad exemplum aliorum perduellium, hanc cauſam, Authorem, & Ducem puniendum fore. Exponam id Duci Maſeppa, & expoſtulabo, ut ſecundùm leges juſtitiæ de illo decernatur, fortaſſis tamen feliciùs res procederet, ſi nomine Regis & Reipub. inſtantia aliqua contra hunc incentorem fieret.

COPIA LITERARUM D. PATKUL AD D. PALATINUM BELZENSEM Bialocerkviâ 1ma Martij.

OMnem movi lapidem, fortiſſimis egi verbis, ut Palejo perſuaderem hujus fortalitii reſignationem in manus tuas, ſed fruſtra omnia fuêre: excuſationem attulit non aliam, quàm quòd id ſibi jam non integrum foret facere, ſine expreſſo Czari mandato; aſſecuravit interim fidelem ſe eſſe ſervum Regis, Reipub. & tuum. Teſtor eum eſſe virum ejuſmodi, qui his temporibus Regi operam navare poſſit, ſperoq; eum id ipſo effectu probaturum. Proteſtatus eſt coram me, ſe neutiquam culpandum de ijs, quæ in his terris facta ſunt, nec alio modo occupâſſe fortalitium, ſed ſolis precibus Commendantis impulſum. Vtcunq; ſe res habet, mihi videtur adhuc cum illo leniùs agendum, magna enim ejus authoritas eſt inter Coſacos, poſſeſq;, per illum, ſi aliquam gratiam expertus fuerit, totam hanc Provinciam in obedientia Reipub. retinere. Veritatem verò dicendo; expectatio illa mendati Moſchovitici magnam reflexionem cauſat; ſignificavit enim Magno Duci Moſchoviæ jam occupatum à ſe fortalitium à Duce poſſidendum. Demonſtravi illi perperam id ab illo factum, explicuiq;, ut potui; his non obſtantibus iteratò teſtor bonum mihi hominem videri, non prætermittam de hoc negotio ipſum magnum Ducem, & Ma-

A.C. 1703 zeppam informare, reputaboq; pro magna fortuna, ſi feliciter id mihi ceſſerit, ſatisfiet enim tam Regi, quàm tuo beneplacito, cujus gratiam unicè æſtimo, ſumq; ſemper &c.

P. S. Defero etiam id tibi, Palejum noluiſſe ſuſcipere literas datas ad Samuſſium, mecum ergo illas accipiam Kijoviâ per Curſorem Czareæ Mtis ad præfatum Samuſſium expediendas.

COPIA LITERARUM MAGNI DUCIS MOSCOVIÆ AD SAMUSSIUM die 25 Februarij.

NOtum nobis eſt, quæ ſcripſeris ad ſubditum noſtrum Ducem Zaporovienſem Maſeppam, & præterea, prout non tantùm ex literis tuis conſtat, ſed etiam ex relatione Michâëlis Chriſtophori Białoſor Canonici Vilnen. Reſidentis nomine Magni Ducatûs Litvaniæ in aula noſtra, uti etiam legati noſtri reſidentis apud Regem Poloniæ; quod te cum Colonello equitum voluntariorum Simone Palejo, & aliis Coſacis ad Boryſthenem conjunxeris, terraſq; Fratris noſtri Regis Poloniæ invaſeris, Fortalitium Bialocerkiam vi occupaveris, Nobilitatem & Judæos in eodem fortalitio, & aliis oppidis excideris, à quibus omnibus auſis necdum deſiſtis. Quamobrem non tantùm Senatores Regni, ſed totus etiam M. D. Lit. non mediocriter conturbatur, nobiſque ſupplicat, ut ejuſmodi turbas compeſcamus. Certiorem ergo te reddimus, nobiſcum Regem Poloniæ arctiſſimam amicitiam iniviſſe, in eaq; hactenus perſeverare ſecundùm pacta nobiſcum conventa de perenni pace, item Litvanicas copias ejuſdem Regis Poloniæ noſtris aſſociatas eſſe, ea intentione: ut contra communem hoſtem Suecum, ejuſque adhærentes prælientur; quin præteritâ æſtate fortiter nobiſcum egerunt, & Arcem Bichov pro parte Regis Poloniæ occupârunt. Quare tibi Generoſo Colonello etiamſi aliqua injuria facta fuiſſet, ſive tuo ſocio Simoni Palejo (quam nullam fuiſſe ex tot argumentis nobis conſtat) non ſic procedendum erat. Jam reverere profundiſſimè Regiam Mtem Poloniæ ex nunc, eo modo adverſa omnia pacificabuntur, redibit quies & tranquillitas turbatæ Genti. Miſimus, ut oſtenderemus noſtram gratiam vobis noſtras literas, concedendo, ut cum Generoſo Colonello Simone Palejo contractam amicitiam conſervare poſſis, cum ea tamen conditione; ut attentatis hactenus contra Mtem Poloniæ impoſterum renuntietis, pro quibus ſuccedant cogitationes belli contra communem hoſtem Suecum, ſi id opus fuerit. Reſolutionem de hoc à vobis expectamus, gratiam noſtram pro ejuſmodi reſolutione promittemus.

COPIA LITERARUM A PALEJO AD CASTELLANUM Cracovienſem, Bialocerkviâ 10 Martii.

QUod præter morem & conſuetudinem Ablegatum S. R. Mtis & Tuum apud me detinuerim, ſcias hoc facto opus fuiſſe ex ratione

ne copiarum cum Campiduce Regni imminentium, & Principum *A.C.1709*
Wiſnioviediorum cum Litvanico exercitu, aliorumque Senatorum,
quos ipſe meliùs nôſti, fortalitio huic appropinquantium. Porrò hic
Ablegatus tuus Capitaneus Jonga à me ſic detentus de nulla conqueri
poteſt moleſtia ſive à me, ſive ab aliis ſibi illata; illi ſuus honor manſit integer, nec defuit ſuſtentatio, qualis ejusmodi perſonæ congruit.
Hunc, quamprimùm Copiæ Regni à nobis receſſerunt, Te ſic imperante; ſalvo honore & ſubſtātia remitto, brevi etiam cæteros remiſſurus;
retinui enim illos duntaxat per reſpectum ulterioris Poſtæ, ad Mtes
utrinq; ordinatæ. Quod puncta attinet, quæ mihi per præfatum Capitaneum transmiſiſti, reſolutionem dare nequeo; pendet ea ab arbitrio
Monarcharum; Quoad bellum verò promitto, quamprimùm in manus
meas mandata ſuper hoc devenerint, me conſueto tempore cum meis
non defuturum. Id verò enixè peto, ut reſiduo Chriſtiano populo jam
ad ſua domeſtica reverſo, quiete vivere, paceq; frui per te liceat, ceſſentq; omnes incurſiones ab exercitu Polonico, latrocinia & expilationes inhibeantur, præſertim imminente vere; nam & à me ſeveris inhibitoriis ad meos transmiſſis ſimilia vetita ſunt, quibus & pœnas expreſſi, pollicitus me ejusmodi inſolentes, cujuscunq; partis fuerint, captivaturum, & debitis pœnis, ſi quos tales comperero, puniturum. Id
iteratò à te petens tibi à DEo integram valetudinem, feliceſque ſucceſſus precor, maneoque &c.

P. S. Declaro etiam & promitto Nobilitati me proviſurum, de ſecuritate, ut bonorum ſuorum quietâ poſſeſſione, & uſu gaudere poſſint, viciſſim concedes id mihi, ut viæ publicæ quietæ & ſecuræ ſint,
more priſtino commercia vigeant, negotiatores non turbentur, omnia
ceſſent impedimenta & obices, ut vel ipſe debere fieri judicare potes.

LXII.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI THEATINO REGIO MINISTRO

Mariæburgo 4ta Aprilis.

ANimum meum referendi officij cupidum metiaris non tantùm
ex frequenti literarum compellatione, ſed ex propenſa ſcribentis voluntate, quæ in ratione meæ erga te obſervantiæ, utramq;
paginam facit.

Jam tibi Mariæburgo haſce ſcribo, habens enim neceſſitates meas
particulares licentiâ petitâ, & impetratâ abieram Thorunio in Varmiam, ſed vix pedem movi, ſtatim plurima contra me more aulæ, quæ
in abſentes immiſericors eſſe ſolet, conficta, quæ literis meis ad Regem
& Dñum Procancellarium Collegam meum facilè dilui. Quam vellem
ut tempora ſimilia aboleantur, quæ ſub Adriano Imperatore erant, ſub
quo adeo delatorum voces valebant ut amicos, quos ad conſilium provehebat, ſi fuerint accuſati, in hoſtium loco haberentur, falſitatem à
conſortio veritatis non ejiciendo, ſed æquè primam, ac ſecundam conſiderando, cum ordinariè cuncta turbantur, ſi integritas cum fraudib⁹
miſceatur, ſi maledictis & calumniis ſubjiciatur. Non erit hoc ultimum,
ſufficit autem mihi conſcientia mea. Scio in dies me majora, & magis
indigna paſſurum, quia omnes qui juſtè, ac ſecundùm leges vivere volunt, perſecutionem patiuntur, & hoc præſertim tempore, quo qui viâ
rectâ incedunt non carent ſuſpicione. Patiar ſæpiùs non modicam jactu-

A.C.1703 ćturam, ſed eâ utar modeſtiâ, ac gravitate in meo officio proſequendo, ut nullius (vindićtam quærens) unquam honori detraham, nullius famæ præjudicabo, nullius perſonam in diſcrimen adducam, & morem meum quem hactenus tenui, conſtanter tenebo, ut ijs qui mihi malè, ego faciam benè, de ijs qui de me peſſimè, ego loquar optimè, penes innocentiam in ſola pietate, & in miſericordia DEI ſperabo, qui neſcit abeſſe piè ſperantibus. Quanquam ita planè ſit, ut nonnunquam miſeros fortunæ fulmina feriant, quàm contumeliarum aculei lacerent atq; cruentent, ſed ſit ſanè, fervida illa nimis, & turbulenta ingénia veritatis cauſam ſub præclaro ſchemate zeli, & obſequij-obtentu abſcondant, laborare hæc poteſt, vinci non poteſt, & quotquot hunc impetum incurrent, fluctus fracti diſſilient, & paulò pòſt triſtes erunt inimici mei, qui me abeſſe, nunc ſunt læti.

Et cùm Rex Sueciæ vertere arma ſua contra Thorunium deſtinaſſet, nec ibi ſecuram eſſe reſidentiam Rex Sereniſſimus videret, relićto ibi ſex, vel ſeptem millium peditum præſidio, Mariæburgum iter direxit, ubi ut ego compaream in mandatis accepi. Manſi à prima Febr. aliquot dies Elbingæ expectans Regis adventum in loco deſtinato, & ſeriò revidendo decreta reformationis, utrum ſint in executione, & utrum civitas ſecundùm ultima decreta Commiſſionis Reipub. cui præfui, & multa in favorem Eccleſiæ ejus conſtituta ſunt, non faciant aliqua ut ante Eccleſiæ illi (quæ ut ſcis ad meam Diœceſim pertinet) præjudicia.

Venerunt interim literæ D. Cardinalis Primatis ad conſilium Varſavienſe more Comitiorum invitantes, mitto tibi, & illarum, & Regiarum copias, quæ ſunt in contrarium expeditæ, elucidabunt primæ affectum ejus in Regem, nec ampliùs ſinent caligini locum. Ecce effectus tot proteſtationum poſt habitum Capitaneatum Miedzyrzycenſem, facere hæc ſcribunt Varſaviâ conſtanter Dñam Palatinam Lencicienſem, nihil unquam facit quidquam grande, vel parvum eiq; priùs omnia indicat. Mulier hæc plerumq; vel veriùs dicam ſemper gravioribus conſiliis ſeſe arrogantiùs quàm mulierem deceret immiſcet, & cum ſemel irrepſerit ad ſummam ſemper potentiam junctis artibus contendit, & ſi ancipiti ſuſpenſus cura quandoq; Primas, in pari ſpe, & æquali metu, ne conſilia malè explicentur hæſitat, & in incerto hæret, illa jubet explicare vela, & quo fata vocant in altum, quaſi ad quærendos immortalis gloriæ titulos pertinaci provehit aura, & ſubinde ad ea facienda inducit, quæ & ipſe minus eſſe recta ſæpiùs fatetur, quoties abit quocunq; eum D. Palatinæ fert voluntas, indè mores & ingenium ex actionibus his, & rebus geſtis ſpectari debent; ſcio pro certo quòd Primas tametſi ambitione præceps in diverſa ab æquo, & bono aliquando rapitur multis tamen optimis artibus abundè inſtructus flagitioſa ejus conſilia mirificè contegit æternitatis appetens, & gloriæ avidus, ſed perverſis ejus perſvaſionibus victus inania pro ſolidis ſectatur. Ut pleriq; Principes ſolent qui veræ virtutis obliti, per ſuperbiam, animi vanitatem, atq; malitioſa fœminarum conſilia inſaniunt. Sed conſilium hoc, modò Reipub. non ſit calamitoſum, certè ſibi & ſuis exitiale futurum, ita cum quemquam lædit ira Divûm, mentem bonam ejus pectori primum eripit, & ad mala eundem conſilia flectens, facit peccata nunquam cernere ut queat ſua. Clara eſt res hæc in caſu noſtro, & omnibus ad intelligendum expoſita, multos (ex quibus fateor & ego ſum) majoris mali tenet ſuſpicio, cùm præſertim paulatim cum injuriis metus

tus

tus creſcat, juris, & legum contemptus. Commota enim ſunt omnia, & erumpere incipiunt, quæ prius ſuppurata latebant. Sed noſter Cardinalis, ſi quam malè ſcribendo voluptatem cœpit, malè legendo amittet, cogi debet, ut ſit quietus, qui ſuo vitio renuit eſſe pacificus. *A.C.* 1703

Commiſit enim hac in parte errores ſupinos, & craſſos, qui ſatis eſſent, quamvis nunquam alibi peccaſſet, ad eum perpetuò vituperandum, culpandum, & hoc & omni tempore condemnandum, & jure potes dicere multa in illis deprehendi literis, quæ defendi non poſſunt, agit enim ea, quæ non ſunt è Repub. non ſuffecit hoc, quòd Senatores, & Nuntios requirat more Comitiali, ſed ſine Rege, ad circum neſciunt convenire Catones, reſpondetur ipſi ſolidè, & fortiter quia metus cohibet, quos fides promiſſa non retinet, expectamus, donec videamus, quem res exitum habeat. Interim non tranſibunt hæc abſque pœna, & animadverſione, timeat ſibi quia nulla temeritas tuta eſt, & nulla injuria ſtabilis, cogitavit conſilia, quæ non poterit unquam ſtabilire, & pro frumento, quod ſperabat, orietur ipſi tribulus, & pro hordeo ſpina, cum hæc conſilia etiamſi convenirent plures, nec mentem habere poſſunt, nec caput, nec pedes, nam diſſidiis vaſtare ea omnino vult, quæ concordia exædificata ſunt. Sed id duriùs factum, vel dictum, quod ferre debeat, meminerit & de Rege ea ſe ſcripſiſſe acerbiùs, quàm decuit. Formidoloſam ergo hanc rerum gerendarum occaſionem per curam & diligentiam noſtram certè amiſit, & amittet; Erepti autem à me ſibi quaſi è manibus triumphi, contumeliâ accenſus, nunquam ſe eam injuriam animo depoſiturum eſſe jurejurando affirmavit. Sed DEUS auxilium meum, & ſpes mea in DEo eſt, his non commoveor, rectis corde lætitia, elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent, & humiliabuntur, ſicut omnia, multi inſurgunt adversùs me, Dominus autem ſuſceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum.

Mors & encomium Raphaëlis Leſzczynski.

6tâ Febr: venit notitia de morte D. Raphaëlis Leſzczynski Theſaurarij Regni, quem ego venturum Thorunium, & rediturum in gratiam Regis non arbitrabar ſolùm, ſed ſciebam, quanquam de mortuis non eſt noſtrûm judicare, quid facturi fuiſſent in humanis agentes, dubia enim res erat apud multos, & necdum veritate comperta, omnes enim inimici multò magis illos criminantur, cum jam ſe non poſſunt defendere, ſucceſſura tamen erant, ſi venire potuiſſet, quemadmodum ſperavimus ex voto, ſed cùm illum Thorunium ſperarem, vel in viciniam venturum, citatis equis eò ſe contulit, quo iter eſt omnibus. Nemo me dicere prohibet, quid ſentiam de hoc magno viro, quia tuta eſt in mortuos reprehenſio. Vicit ille famam virtutibus ſuis, & terrarum orbem nominis ſui magnitudine, & fama ita implevit, ut ſemel eum vidiſſe in aliquo vitæ fructu poneretur. In illo ſcientia rerum erat eximia, virtus excellens, authoritas evidens, præſumpta felicitas, fuit laborioſus in negotijs, fortis in periculis, induſtrius in agendo, celer in conficiendo, conſultus in præ- & providendo. De ejus capacitate dignitateq; dicere parum attinet, cum judicia hominum, & honores habiti teſtimonium dent evidens. Viæ ejus, viæ pulchræ, nec novi viventem, nec legi de mortuo quoquam, qui tot honores cum decoro geſſiſſet; Imprimis Subdapifer, pòſt Dapifer, tandem Inciſor, deinde Vexillifer Regni, Mareſchalcus Comitiorum colligationis cujus operæ, & curæ Vienna, & cum illa Chriſtianitas liberationem ſuam jure debet, nam ſi hæc Comitia activitate ejus non fuiſſent perfecta, nec colligatio concluſa, nec ſuppetiæ datæ, ac proinde Vienna capi à Turcis, Chriſtianitas

A. C. 1703 anitas perire poterat. Caliſſienſis pòſt, & Poſnanienſis Palatinus, tandem Generalatu Majoris Poloniæ accepto, Palatinus Lencicienſis declaratus, magnus Legatus ad Portam Othomanam miſſus, quam cum ſummo ſumptu, ingenti nationis honore abſolvit, ac demum Theſaurarius Regni renuntiatus in quo & finivit. DEus bone quot honores ab uno geſti! & ſemper, & ubiq; optimè! pauci & ferè nulli inveniuntur, qui tot gradibus ad ſummos dignitatum pervenerunt apices. Crede me potiùs tenebras, quàm lucem tanto viro addere, ſed nolui deſiderari à te fidem meam, ex cujus morte dolor multum me perſtrinxit, & quidem acerbiùs, quàm ferebat opinio, anima mea in amaritudine eſt. Etiam ij tandem pereunt, qui res præclaras geſſerunt? Quanquam bona fama durat, etiam poſt hominem, & quod glorioſè geritur, fine temporis non tenetur. DEus illi miſereatur, & locum pacis concedat, levandus verbis eſt dolor, & ad jucundiores cogitationes traducendus.

Theſaurariatus ceſſit Dño Prependowski Palatino Mariæburgenſi, Palatinatus verò Dño Kczewski Referendario Regni nuper facto, Referendariatus Dño Rzewuski Inciſori Regni, Inciſoriatus verò Dño Potocki Capitaneo Czerkaſenſi, caſtrorum verò Metator factus Dñus Lubomirski Capitaneus Sandecenſis, Generalatus verò Majoris Poloniæ Dño Radomicki Palatino Caliſſienſi datus eſt, quia verò ſecundùm leges Patrias Palatinatum ſimul tenere non poſſet, commutatio facta cum D. Gałecki, ita ut hic Palatinus Caliſſienſis, ille Inovladislavienſis fuerit declaratus, quanta mutatio morte unius! ita planè unius corruptio, aliorum fit generatio.

Tandem 17 Febr. veni Mariæburgum, retuli Regi quomodo expediverim Rozyccium meum Varſaviam, datâ ipſi ſecretâ inſtructione ad perſuadendam pacem Generalibus Suecis, præſertim Reinſchildto, quod Rex approbavit.

Diſputabatur de loco conſilij ab his qui nullibi eſſe minus volunt, quàm ubi ſunt, ſed tandem evictum ut Mariæburgi abſolveretur, idq; in præſentia Regis ex rationibus, quas ex tractu Diarij mei ſcies.

Venit etiam notitia, quòd Coſaci qui contra nos multa faciebant per D. Potocki Palatinum Kijovienſem, Sieniawski Palatinum Belzenſem, & Principes Wiſniowieccios fuerint deleti.

27. Fuit ex improviſo Senatûs-Conſilium, mitto tibi puncta; & meam propoſitionem, & concluſum, videbis, quàm generoſa contra ſuperbi Cardinalis conſilia accepta fuerint, certò hoc mihi imputabitur, quanquam ego more meo modeſtè egerim, ſed aliter fieri non potuit, qui dicit quæ vult, audit quæ non vult.

Theodorus Potocki. Interim Dñus Epiſcopus Culmenſis inito conſilio cum Dño novo Theſaurario Prependowski miſerunt Varſaviam, & vellent independenter à nobis combinare Cardinalem, & ſuberat fortè ſpei non nihil, cui ego me non oppono, ſed dubito valdè, ut id fieri poſſit; inde maxima orta eſt diffidentia D. Epiſcopi Culmenſis contra me, & longè aliter ſeſe habet, quàm ut putavimus, vel nobis de ipſo perſuaſum fuit, ſed quia ego innocens ſum, DEO meo ut ſoleo reddo injuriam vindicandam, & decrevi bonum pro malo rependere. Interim impedientibus, & quieſcentibus alijs, qui mihi auxilio eſſe deberent, inſto in publicis, urgeo, nihil omitto ex his quæ facultates meæ permittunt, quidquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur.

Venit etiam notitia 9 Martij, quomodo Palatinatus Lublinenſis declaraverit ſe in partes Regis Sueciæ, quomodo Tykocin fortalitium

acce-

acceptum ab iiſdem Suecis fuerit. *A.C.* 1703

Interim ex maturo conſilio viſum eſt, (prout jam dixi) ut præſente Rege conſilium fieret, & 15 Martij incepit, feci propoſitionem, Rex juravit tacto pectore poſt datam in lucem manifeſtationem non ſe nos deſerturum, & nos pariter juramentum firmatum exſolvimus, magna in me indignatio fuit, quærentis quòd nequibat invenire D. Procancellarii Regni (de quo expertus ſum, quod prius non credidi) quòd ego non in furore, nec ira procedendum arbitratus ſum, ille verò cum aliis non niſi ignem ſpirabat, contentus tamen dum me explicui Rex Sereniſſimus fuit, non decent enim nos Eccleſiaſticos, niſi modeſta, quæ illis non placent, quibus non tam pax, & otium, quàm contentiones, & bella ſunt uſui.

Quemvis Præſulem pacis convenit eſſe cuſtodem, nam à quo melius moderatio debet ſperari, quàm cui potuit Eccleſiæ regimen committi. Jam video quòd illi ſoli libertas eſt, quidquid facere velit, & dicere, cujus plenam confidentiam invenire non poſſum, neſcio ſua an mea culpa? Ita humana eſt conditio: omnes pluris apud noſmet ipſos, quàm apud alios ſumus; ego verò ita ſuadeo non incerta ſpei ratione, quod & hi propè eſſe poſſint, modò eos non repellamus, qui à nobis longè ſunt.

Quidquid ſit, nunquam aliter loquor, quàm ſentio, nec unquam ad gratiam loqui inſtitui, niſi idem, & profuturum Regi, & Reipub. perſuaſum habeam, & nunc quæ ſentiebam ſimpliciter omnia, ſine ulla tergiverſatione libereq; ſum elocutus, nec à dando utili conſilio unquam prohibebor. Paſſionis multorum impetus modeſtiæ clypeo domare ſoleo, ſatis tuta innocentia eſt. Habui etiam à Rege promiſſum, quòd nihil inculpabit, priùs quàm à me intelligat, non priùs arguet, quàm ſenſu perquirat, ne aliter inſtructus ſit, quàm veritas inquirit, poſſunt enim multa dici de me, ſed veritas in ſuo loco manebit, & poſt tenebras ſequetur aliquando lux.

In conſilio 30 Martij D. Gąſzewski ex Palatinatu Podlachiæ invectus eſt in Litvanos, ſed & illi ore Domini Pocieij fortiter reſponderunt, & parum abfuit, quin hoc conſilium non fuiſſet ruptum, ſed tamen per gratiam DEI ſummâ noſtrâ applicatione ex inſperato die 2 Aprilis finitum, & à Sereniſſimo Rege ſubſcriptum, & ab omnibus cum plauſu noſtrorum, & confuſione inimicorum, & malevolorum. Hæc ſunt quæ mihi ſcribenda tibi de novo occurrerunt omiſſis nugis, aut levibus rebus, de quibus in vulgo ſemper eſt rumor; res notas iterum ſignificare obtundentis eſt, inania verò attingere, & nihil niſi verba dare dementis. Ego pro feſtis Paſchatis abeo in Varmiam, tu verò ſcias quòd te amem, colam, obſervem, ſumq; tuus.

COPIA LITERARUM A LUDOVICO ZALUSKI EPISCOPO PLOCENSI, AD PRINCIPEM CANCELLARIUM REGNI FRATREM 14 Aprilis.

Querelæ de oppreſſione

TAntas inter calamitates viribuſq; noſtris majores, adeóque ipſi calamo & linguæ eas referre volentibus, difficiles, Diœceſis meæ oppreſſiones nullum ex omnibus charis meis videns, qui conſoletur, aut conſolari poſſit, ad te recurro, à quo ad latus Mtis exiſtente, ſi non opem, ſaltem ſpongiam lachrymis meis & pauperum detergendis ſpero, mihiq; promitto. Jam annus totus elapſus eſt, ex quo a-

vulſis

A.C.1703 vulſis de cardinibus ſuis juribus, & immunitate Eccleſiaſticâ, iiſdemq; conculcâtis, miles Saxonicus paratior ire in perniciem civium, quàm hoſtium, Eccleſiaſtica bona ſibi in prædam deſtinavit, inauditas à ſæculo indixit, indictasq; extradi imperavit portiones. Nulla jam aulis, nobiſq; authoritas, furore & audacia omnia ſibi pro libitu inſolenter vendicante, nec aliam licentiæ cauſam prætexente; quàm, quia Dominus his opus habet. Quæſivi ex his hoſpitibus, quod tandem peccatum in me tam ſeverâ pœnâ & pœnitentiâ punirent? reſponſum ſufficere ad peccatum, quòd impar eſſem reſiſtendo. Teſtis mihi DEus eſt, cui ſervio, teſtes omnes, in quorum oculis fidem meam & ſollicitudinem tot inter turbas Mti, ejusq; rebus probavi. Nolui meâ perſonâ Turbatorum augere numerum, proprium oppignoravi argentum, ut egenos redimerem; nec hoc ſatiatus miles, utpote cui nihil ſatis eſt. Ergo evacuata ſtabula pecoribus, quæ viliſſimo pretio in ſingula prænunciato venderent; ſeu potius prodigerent: expilatæ aulæ, direptæ quadrigæ, equi Nobilitati, & Senatoribus adempti, quos inter Caſtellanus Viſenſis ſuo tempore cauſam dicet. Scripſi ad aulam, nihil profecturus, innui viſcum etiam in parva quantitate magnis alis illaqueandis poſſe ſufficere, eodem cultro panem ſcindi, & digitum vulnerari: verba pro re recepi, decreta inquiſitio, Commiſſio aſſignata, ad ſpeciem omnia, & joci gratiâ, quia ſine effectu. Nam interim Saxones antiqui moris retinentes vaſtationem promovent, contributiones extorquent. Occupavit Diœceſim meam tam Saxonicus quàm Litvanicus exercitus, volens his malis occurrere, ceu ſideratus præcipitavi iter, ut quantocyùs Mariæburgi comparere poſſem: verùm neſcio, quò fato meo, proxim⁹ loco conſiliorum exiſtens, jam illum congreſſum finitum eſſe comperi, indubiè, ſi ibi in tempore adfuiſſem, tacturus ulcus, & lingvam moderaturus verſus affectum dentem: forſan tamen melius factum eſt me ab eo conſilio abſentem fuiſſe, quia un noble reſſentiment ne s' evapore point en paroles. Addo occupatam Pultoviæ arcem, effracta cellaria, vivaria piſcium exhauſta, ejectos conclavibus inquilinos, pulſos ex ſtabulis equos. Quin nec aulis per prædia parſum, interverſæ operæ, excuſſa frumenta, Domus Canonicorum in hoſpitia excubiarum mutatæ, in ſingulos ruſticos quini aut ſeni milites diſtributi, uno verbo, ceu jam adforet ſupremus judicii dies, ploratus & ululatus inter maledicta & execrationes ubiq; plurimus, lachrymæq; cœlum penetrantes. Lator præſentium pluribus ſi poterit, referet calamitatem; nam mihi dolor verba eripit. Unicum à te peto, id inter maxima gratiæ, & benevolentiæ tuæ erga me habiturus argumenta, ut authorem malorum indages, quis ille Conſul fuerit, ut Eccleſiaſtica bona tam diræ direptioni exponerentur; pateat manus, quæ hunc lapidem in noſtrum direxit vulnus, ſpem firmam habeo in DEO me huic ſangviſugæ à corpore univerſi avellendæ, expreſſoq;, quem bibit, ſangvine, ad quiſquilias ejiciendæ non imparem futurum. Indixi confratribus, Prælatis & Canonicis meis conventum, ex quo imprimis deputatos ad reviſionem deſignabo & mittam, certò millionem in damnis reperiam, computationem factam & exorbitantias typo datas per Comitiola ſpargam, Romæ, & Præſulibus noſtris communicabo, exercitui noſtro exponam ipſis panem benemeritorum ereptum, demum cum afflictis meis levabo ad cœlum manus meas, orans; ut venenum aſpidum, & hoc fel Draconum pro felle piſcis Sarmaticis noſtris Tobijs oculos reſtituat.

P. S. Quod Zamoſcio habui, tibi adjungo, hoc eſt quod 15. Febr.

Sue-

Suecorum aliquot millia die Dominico nobis circa meridiem prandentibus inſperatè ſub Zamoſtium venerunt, non auſi tamen propiùs muros accedere. Generalis Steinbock per aliquot Ablegatos miſit literas ad Ordinatum Zamoyski, deditionem arcis perſuadendo, reſponſum illi, ut non ſe turbet cum exercitu, ſtatimq; poſt diſceſſum Curſorum, concluſum vim vi repellere. Facta ergo eſt terna tormentorum exploſio, primâ interfectus Generalis major Horn cum aliquot Officialibus, unde ſumpto bono omine animus crevit, & reſolutio; alterâ aliquot corruerunt, tertiâ omnes in diſperſionem acti, reliqui verò locati in ſuburbijs, relictis capillitiis, ſclopetis, gladiis, alioq; apparatu, vix vitam imminenti morti eripuerunt. His peractis exnunc Ordinatus ex muro demitti juſſit 30 milites cum accenſis facibus, qui ſuburbia incenderent, quæ ex omni parte incenſa quatuor diebus & noctibus ardebant, ſicq; Sueci nihil à nobis præter confuſionem retulerunt. Publica in craſtinum in gratiarum actionem circa urbem facta proceſſio, in cujus complemento vix ad templum delato Venerabili, exorti terrores in populo, Suecum eſſe in proximo nunciante, quo audito exnunc ad valla & muros concurrerunt nobiles & milites, ubi dato exploſione tormentorum igne; Sueci iterum redeuntes, murisq; propius accedentes, in fugam acti, tandem Ordinatus explorandi gratiâ expedivit 70 Equites ſclopetarios, totidemq; lectos nobiles bellandi gnaros, qui aliquot occiſis Suecis, captivos aliquot duxerunt ad arcem. Interea Generalis Steinbock miſit ad Regem Sueciæ, quærendo, utrum obſidenda, impugnandaq; civitas eſſet, nec ne? nondum habetur à Rege reſolutio. *A.C.* 1703

SERMO PALATINI MASOVIÆ AD REGEM SUECIÆ in Audientia. 16 Aprilis Pragæ.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

VEnit iterum ductu & operâ Eminentiſſimi Cardinalis Primatis Regni Reſpub. noſtra cum ſymbolo pacis, & amicitiæ teſſera, ad S. R. Mtem V. Illa nimirum Reſpub. quæ non ita pridem Leonis Suetici progeniem ad ſolium Mtis ſuæ, liberis evectam ſuffragiis vidit fideli obſequio, quo ſemper conſtantiſſimè regnantes colit, venerata eſt, & uberiores, nullo ævo, tacendi manipuli collegit fructus. Quæ pacta & fœdera cum Sereniſſimæ Mtis V. Domo, Regnoq; Sueciæ, ſacroſanctè ſemper tenuit, & quod miretur, quod æſtimet Poſteritas, vel per abrupta manutenere ſatagit, aſſeritq;, ex rationibus ſtatûs confirmata non debuiſſe, nec potuiſſe violari inſciâ illâ, & non conſentiente. Quæ gratularetur etiam ſine dubio tantum ſibi datum hoſpitem, niſi miſeriæ ipſæ viſcera conſumentis belli, gemitusq; innocentium Civium, & jus omne & ſenſum confunderent. Eadem tamen Reſpub. confidit, & non ſine fundamento firmiter ſperat S. R. Mtem V. magis ſinceram affectûs conteſtationem, quàm dubios belli eventus & fortunæ, quæ raró diu ſatis conſtanter arridet, æſtimaturam. Hæc ſe adhuc impetitam credit, licet latè diffuſa calamitas aliter ſuadeat, obſtantibus tot amicis S. R. Mtis aurem & Regium cor, à cognato ſangvine quo ipſa ducit pietas, non averſa inventuram, cum præſertim eò uſque (uti res ipſa teſtatur) nihil prorſus hoſtile ſit actum ex conſenſu Ordinum Regni, quibus ſemper firmum manſit, manetq; usq; ad extrema propoſita, ſucceſſûs potiùs, quàm datæ fidei detrimentum pati. Probavimus hanc veritatem Sereniſſime Rex capiti Mti in correſpondente corpore,

A.C. 1703 quæ unita & ſimul juncta aliam forſan rebus induiſſent faciem. Probamus & nunc pacem bello, & oleam lauro præferentes. Nec adeo S. R. Mtis indignationem incurrere debemus, quòd libera Gens, liberæ Electionis Sacramentum Seren: Regis Noſtri, Nomen ſanctum, Mtem & integritatem ſangvine, & vitâ cariora eſſe profitemur, cum conſtantia deceat viros, nulliusq; magis intereſt, quàm coronatorum Capitum, ne facilis, ſed damnandæ ſubditorum levitatis exempla dentur. Cæterum extremis his externis, quæ aut voluntariè obligatam, & juramento comprobatam fidem, præcipuum ſtatûs noſtri arcanum, aut coalitarum Provinciarum compagem diſſolvunt, ad omnia honeſta & poſſibilia, pro comprobandis pactis Olivenſibus, pro firmanda, inter inclytas Gentes, ſtabili & perpetuâ pace, pro reſtauranda veteri ac fida amicitia, S. R. Mtas faciles nos ſemper & juſtitiæ amantes inveniet. Quod ut ſit manifeſtum, Deputati ad inchoandum tantæ molis negotium, Commiſſarij obnixè petimus.

RESPONSUM A REGE SUECIÆ, ſeu MANIFESTATIO.

Quemadmodum nemo, niſi apertè ſit iniquus, inficias iverit, bellum hoc à Rege Poloniæ temere ac ſine juſta cauſa ſuſceptum indignoq; prorſus modo geſtum eſſe, ita in dubium non vocabit, quin S. R. Mtas Sueciæ, tam injuſtè ab eo laceſſita, jus habeat, non tantum pro damnis, quæ inde tolluntur graviſſima, ſatisfactionem exigendi, verùm etiam de futuro cautionem tantò majorem, quantò plura innocentiæ ſuæ documenta idem dederit. Tertius jam annus abiit, cùm neutram harum obtinuit S. R. Mtas Sueciæ, & ut eam amica ratione obtineat, ſpem ſupereſſe videat exiguam. Etenim, ſi quando Rex Poloniæ, cùm armis Sueticis in anguſtias ſe redactum ſentiret, Pacis præ ſe deſiderium tuliſſet, illud tamen quamprimum ſpes aliqua ſucceſſûs blandiretur, ex animo ejeciſſe deprehenſus eſt, ex quo palàm, eum occultè infeſta quævis moliri. Unde colligere haud difficile erat, ex induſtria hoc fuiſſe compoſitum, quo imminens diſcrimen evitaret, aut impetum victoris tam diu, donec nova fabricarentur conſilia, eluderet. Inprimis verò ut aliis perſuaderet pacis amorem ſibi eſſe, culpam autem protracti longiùs belli, apud S. R. Mtem Sueciæ reſidere, odio propterea tam Reip. quàm Fœderatorum dignam. Poſſet hoc ex illis, quæ hactenus geſta ſunt clariſſimè demonſtrari, niſi quod antè oculos expoſitum eſt, ab omnibus perſpici æſtimaretur. Hæc cauſa erat quare S. R. Mtas Sueciæ, jam cautior facta, ne promiſſis ejusmodi, ſub quibus tantum latere inſidiarum deprehenderat, fideret, neq; viam lubricam adeo & infidam niſi magnâ cum circumſpectione ingrederetur. Nihilominus, ut cum Repub. Polona tum univerſus Chrianus orbis intelligeret non dulcem adeo ſibi eſſe armorum gloriam, ut de quiete populorum non cogitaret, in medio victoriarum curſu cum tramite inſtitit, quem pacandis hiſce turbis, quàm accommodatiſſimum eſſe crediderunt, atq; adeo manifeſtum reddit, publicam ſalutem magis ſibi cordi eſſe, quàm quodcunque bello lucrum decusque. Quapropter miſſis 4. Menſis Febr. ad Emin. Cardinalem tanquam Primatem totius Poloniæ literis, propenſionem ſuam ad bellum hoc ſecundum, apertè indicaverat, eoq; fine Conventum totius Reipub. indicendum propoſuerat, in quo quisq; ſtatuum absq; metu, ac coactione ſententiam diceret, eaq; conſilia depromeret, quæ ſalubri huic inſtituto,

to, quàm maximè viderentur concedere, exiſtimavit S. R. Mtas Sueciæ *A.C.* 1703
propoſitionem hanc eò minùs rejiciendam eſſe, quòd à legibus hujus Reip. non aliena eſſet, propterea compendioſiſſimam, tutiſſimamq; eſſe deceptam ſe intellexit. Tantum enim obfuit, ut eam approbaret Rex Poloniæ, ut inde anſam arriperet conviciis exiſtimationem S. R. Mtis Sueciæ proſcindendi, Ordinibus Reip. ſuſpectam ejus reddendi intentionem, atq; inutilem, quemadmodum literæ ejus ad Senatores paulò pòſt circummiſſæ, clariùs evincunt. Quo pacto in lucem erumpit, quod magnâ ſolicitudine tectum erat, inviſam eſſe nempe illi gentis hujus tranquillitatem, qui unicum fermè illius reducendæ, remedium impediviſſet.

Cùm verò Eminentiſſimus Cardinalis conſilio eorum, qui pro Repub. bene animati erant, conditionemq; hanc non modò æquam, juſtãque, ſed etiam opportunam huic tempori indicaviſſet, & proinde conſultum duxiſſet, conſilium tale indicere, in quo libere quiſq; procul metu, & corruptione, procul partium ſtudiis, ſenſa animi aperiret, deque ijs deliberaret, quæ communi bono idonea credidiſſet. Rex Poloniæ obviàm ivit, illud conventiculi nomine traducendo, intentatâ etiam illis ultimâ pœnâ, qui illuc convenire auſi fuiſſent. Hiſce artibus in irritum cecidit, quidquid ex parte S. R. Mtis Sueciæ componendis hiſce turbis factum eſſet. Idem enim Rex alium cœtum, huicq; oppoſitum Mariæburgum convocavit, cui non adfuit tantùm, ſed etiam præfuit ipſe, qui bellum hoc iniquiſſimum conflaverat, præſentiumq; alios minis, alios donis, atq; pollicitationibus eò deduxit, ut ea concluderent, ſtatuerentq;, quæ à pacifico animo, eò minùs profecta eſſe apparet, quò in S. R. Mtem Sueciæ iniquiora ſunt, & alendo potius quàm reſtinguendo huic bello plura continent.

Ab hoc conſilio, quod præſentiâ ipſius & ſpiritu animabatur, qui non modò Author hujus belli eſſet, verùm etiam ex ejus continuatione utilitatem capiat maximam, quem negotii hujus ſucceſſum ſperare quiſquam poterit, ſiquidem is ipſe pacem, quæ fido ſtabiliq; fundamento innitatur, & ſuis adverſam deſtinatis remoratur, eamq; ſuam poteſtatem adeo coerceri, conſtringiq; metuit, ne illa, quæ adverſus libertatem Polonam animo ſuo defixa habet, perpetrare poſſit, bello verò in longum producto, præſertim, ſi Rempub. in ſocietatem ipſius pertraxerit, non defore ſibi occaſionem videt, ea perficiendi, quæ diu in perniciem ejus agitaverat.

Tantò verò faciliùs ipſi jam fuerant præſentes, in ſuam adjicere ſententiam, quòd eorum multi, præſertim Litvani, jam diu hoſtes ſe eſſe Suecorum profeſſi ſunt, præterq; ſævitiam inſolentiamq; in populares ſuos effuſam, niſi per bellum promeritam effugere pœnam, ſe non poſſe animadvertunt, quo durante, ſangvine, atq; fortunis eorum, quos convulſerant, diutiùs ſe ingurgitandi ſolitam habituros ſe licentiam ſperant. Quanquam verò credibile eſt, non paucos illorum, qui conſilio huic interfuerunt ſeriò pacem exoptâſſe, adeoq; alterius longè ſententiæ fuiſſe, ſi quæ voluiſſent, liberam habuiſſent dicendi facultatem, quoniam tamen ſub oculis, ac imperio illius conſtituti fuerant, qui plurimum pollebant, ad nutum ejus, voluntatemq; ſe componere ſunt coacti. Propterea cum Mariæburgenſe hoc conſilium, eidem fundamento, quod Sendomirienſis poſuerat Conventus, innitatur, rationem non eſſe exiſtimat S. R. Mtas Sueciæ, quare illud in aliâ conſideratione habeat, quàm origo illius ſit. Hic enim tametſi ex unius tantummo-

A.C. 1703 do Provinciæ Palatinatibus conſtabat, vim tamen totius Reip. repræſentare voluit, atq; eo nomine Pacificatoris ſeu Mediatoris perſonam induere, inter belligerantes Reges. Quòd ſi quis legerat poſteriori illi plurium Palatinatuum ſuffragia acceſſiſſe, conſilii tamen ab univerſa Repub. conſtituti vim nomenque habere nequit, à quo præcipuæ primæq; authoritatis in Repub. viri, abſtinuerunt, quodq; non audierunt Palatini non exigui nominis, neq; unquam in illud conceſſerunt, Quâ ſecuritate S. R. Mtas Sueciæ, cum illo tractatum inſtitueret, cui intercedendi jus habent alij, quodq; ex legibus Patriæ, cum ita videretur, illegitimum pronuntiare potuerunt? quid ſtatuta Polonica in hoc caſu valeant, quidq; exigant, ut juſtum validúmque habeatur, idq; concluſum fuerit, non in obſcuro eſt. Quidquid Legatis his, quo conſilium Mariæburgenſe, nemini non aliud mandatum, quàm quod Sendomiriæ acceperant, datum eſſe liquet, in quo injunctum illis erat ſuo interventu Pacificationem inter ambos Reges conſtituere, atqui rationes, quæ tunc S. R. Mtem Sueciæ impulerunt, ut mediationem Reipub. non aptam ſatis judicaret, non modò ut antea huic negotio, opponuntur; verùm etiam eo magis evaluiſſe jam cenſetur, quod præterquam à conſvetudine omnium gentium, atque à prudentia longius remotum, eorum officiis, uti in controverſiis componendis, quo juſtiſſimas ob cauſas, quiſquam ſuſpectare poterit, non eſſe à partium ſtudiis vacuos. Tales etiam ij inventi ſunt, qui in partem culpæ veniant, mediatione quoque ab eo conſilio, ſic demandatâ, quòd infeſti animi magis, quàm pacifici, luculenta exhibuerit indicia. Quamvis enim in concluſo Mariæburgenſi pacis mentio inſeratur, perſpicuum tamen eſt, ſpecie tenus illam fieri, cùm maximam partem illud de bello & clarigationibus loquatur. Planum hoc evadit ex confictis criminationibus, quibus S. R. Mtas Sueciæ injuſtè laceratur. Jam verò comminationes illæ quibus refertum eſt, & conſilium cum Moſcho tam Poloniæ, quam Regni Sueciæ acerbiſſimo hoſte, fœdus arctiſſimum pangendi, quid aliud, quàm infeſta quævis ſpirant, animum certè hæc amicæ compoſitioni intentum non arguunt. Indigna verò res eſſet, victore Rege qui toties hoſtes ſuos perculerat, iiſque & viribus eſt inſtructus, quibus invitos & nolentes, ad æquas conditiones cogere poſſit, ſi minis ejuſmodi ad iniquas conditiones accipiendas terreretur, pariter ac eorum muneri, qui mediationem ſuſcipere cupiunt, minimè videtur convenire, ut alteri parti velificari nimis velint, alteri autem minentur leges præſcribere duras, & iniquas, aggrediantur. Ita quidquid S. R. Mti probroſum ſit atque infenſum non omittitur. Quo autem pacto damna, quæ ex hoc bello, inflicta ſunt, reſarcientur, quanquam ſecuritatem adverſus levis adeo ingenij hoſtem nanciſcetur, inpoſterum ne verbo quidẽ meminit. Hiſce rationibus ritè perpenſis non conſultum habet S. R. Mtas Sueciæ, Tractatũ aliquẽ, qui ſuper hoc fundamento inſtituatur, incipere, utpote ex quo non decus ſibi, non ſatisfactionem, nec ſecuritatem ullam polliceatur. Quanquam nec Reip. Polonæ commodi inde quidquam proventurum certò prævidet, contra verò perniciem ultimam accelerari, periculumq; fore, ut Boni, quod pretioſiſſimum habet, ipſius libertatis, tandem faciat jacturam. S. R. Mtas Sueciæ, honeſtam, ſecuram pacem, non reſpuit, quoniam tamen ſemper æſtimaverat incolumitatem Regnorum Sueciæ, ac Poloniæ, ita eſſe combinatam, ut altero concuſſo periclitari alterum neceſſe ſit, talem amicitiam redintegrandam optat, quæ utriq; populo diuturna ſit, ac proficua. Tot autem in Remp. Polonam

ſonam benevolentiæ ſuæ ſigna confidit exſtare, ut de integerrima ſua *A.C.* 1703 intentione dubitare minimè debeat, ſed minimæ potius amicitiæ pignora ſibi exhibere, ut reliqua ſilentio jam prætereantur, ſufficere aliud exiſtimat, ad indicium conſtantis & non fucati animi, quòd peculiarem pacem, quamvis ſibi quæſtuoſiſſimam nunquam voluiſſet admittere, rejectis optimis conditionibus, quæ cum detrimento Reipub. fuiſſent conjunctæ, eandem propenſionem Reſpub. in poſterum ſervare conſtituit, cumq; illa arctioris amicitiæ fœdus inire parata eſt, ex quo gloriam & incrementa ſperare poterit uberrima. Non alienum ab hoc propoſito ducit, ſi Reip. paulò intentiùs ad animum revocet, in quod diſcrimen ſe conjiceret, quamque inexplicabilibus ſe incommodis involveret, ſic eo tempore, quo cum S. R. Mtas Sueciæ, certas rationes iniret, eorum conſilia diſturbandi, qui libertati ipſi inſidiantur; illa cum Regis ſui, tum Czari iniquiſſimis bellis ſe ingereret, fidos vetereſq; amicos, qui ſartam tectamq; ejus poſteritatem cupiunt, à ſe alienaret, in illorum verò caſſes incideret, quos in perniciem ſuam conſpiràſſe notum eſt, de quibus nemo dubitavit, quin ad maturanda ea, de quibus dudum convenerant, hac opportunitate uterentur, & quemadmodum illius culpæ quàm hoſtis S. R. Mtis Sueciæ contraheret, ſe hoc modo redderet participem, ita omnia hujuſmodi incommoda præſtantemq; illius ſatisfactionis, quæ læſo debeatur, cum ingenti ſuo damno in ſe devolveret. Hoc verò periculo non tantùm carere poteſt Reſpublica, verùm etiam libertati, privilegiiſque ſuis in omne tempus proſpicere, ſi pignorata ſibi amicitia Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ, occaſione præſenti frueretur, ſe in tuto collocandi, quâ jam neglectâ ſera pœnitentia ſubibit, cum illi⁹ quoq; vitâ facilè, benignâque tã offert operam, judicio meritas ſuæ injuriæ pœnas lueret, illud quoq; ante omnia conſiderari æquum eſt, Regna Sueciæ ac Poloniæ naturâ illum ſitum habere, ut alterum alterius ope indigeat, eamq; invicem præſtare commodiſſimè queat, ita quoq; comparata eſſe, ut illibatam fidamq; amicitiam, eò diutiùs conſervare poſſint, quò minus cauſæ habent, quare & inter vicinas nationes fieri conſuevit, bello colliderentur omnes controverſiæ, quæ mutuis olim damnis hæc Regna afflixerant. Inde originem traxerunt, quòd peculiaribus Regum ſuorum negotiis & ad Poloniam non ſpectantibus, Reſpublica inconſulto quodam ardore ſe immiſcuiſſet. Hoc verò offenſionis lapide jam ſublato poſtquam Wazæa hic familia extincta eſt, tantò firmioris neceſſitudinis vinculo jam adſtringi poſſunt, atque adeo fas eſt, ut novam diſſidiorum cauſam gens Polona non amplectatur, præteritiſq; damnis admonita, ne iiſdem Syrtibus iterum allidatur, diligenter caveat. Non iniqui quidquam ſe poſtulare putat S. R. Mtas Sueciæ, ſi efflagitet, ut hæ, aliæque circumſtantiæ, paulò accuratiori perpendantur lance. Et quamvis ab initio uſq; hujus belli propenſiſſima integerrimaq; ſua ſtudia, in Rep. ſæpiùs declaràſſet, magnaq; indulgentiâ illud expectaſſet, quòd ſuæ reſponderet benignitati, ab ea tamen mente, nondum decedere ſtatuit, ſed Reip. tempus relinquit deliberandi, majus ne emolumentum in ejus amicitia, qui ſalutem ejus candidè ſtabilitam cupit, inveniat. An verò in illorum partibus, quos toties intellexerat, peſtẽ ſibi moliri, quoſq; certos ſibi perſuadeat, occaſionem tantùm quærere, ea aliquando perficiendi, quæ ad libertatem juraq; ejus avertenda cum animis ſuis conſtituerant. Indicaverat jam Seren. R. Mtas Sueciæ, viam tollendi has controverſias, quam utiq; credi debet, à Rege Poloniæ non rejectum iri,

 niſi

A.C. 1703 niſi anſam quæreret infauſtiſſimum hoc bellum protrahendi, aut compoſitam utcumq; quietem, ſi quæ alio, quàm hoc modo haberentur pro libitu, aliquando ſolicitandi. Eò jam pridem conſilia ſua provexerat. Eò quoq; non pauca Reipub. membra deduxerat, ut ſi S. R. Mtas Sueciæ, jure ſuo uteretur, præcipitantis & devij greſſûs effectum Reipub. repræſentare poſſet, verùm ut tum illa, tum univerſus cognoſcat orbis ſe & juſtam cauſam perſequi, & ſincerâ eſſe intentione, habere ſe prætere rationem præſentis Europæ ſtatûs, & fœderatorum votis relinquere. Nunc quemadmodum profitetur S. R. Mtas Sueciæ, atq; declarat, ſi convocante Emin: Cardinale, & Primate Regni Poloniæ, atque moderante conſilium inſtituatur, pro ea fiducia quam utraque pars in illius æquitate tamq; fore ad ea audienda, ſuſcipiendaq;, quæ tranquillandis hiſce motibus, amicitiæque firmandæ idonea & apta cenſeantur. Hoc jacto fundamento S. R. Mtas Sueciæ oſtendet, nihil ſibi antiquius eſſe, quàm ut ſublatâ penitùs omni deſideriorum cauſâ rebus utriusq; populi malis temerario ac injuſto auſu laceſſitam eſſe dolet atq; illud quidem hac conditione, quiſquam Polonæ Gentis, interea militem, copiasq; Sueticas infenſet, ſibique crimini non vertatur, ſi ab illis, qui contravenire ſuſtinuerunt pariter ac viciniseam pœnam exigat, quæ damna ſibi illata æquare iudicabit. Datum in Statibus ad Pragam.

COPIA LITERARUM REGIARUM CARDINALI Mariæburgo 18 Aprilis.

JAM tibi innotuerunt rationes, propter quas conſilium more Comitiali intimatum placere nobis, & præſenti conſilio nullatenus potuit. Tractatus verò pacis, ſicuti apud nos inter prima deſideria & vota, ita nullus, nec invenitur, nec inveniri poteſt, qui tam pio & deſiderabili operi poſſit aut velit contrarius eſſe, tantò minus impedire, & invertere optimas pro pace intentiones, quinimò omnes ad hunc finem modos, & media adhibemus, & in eo fundamento præſentibus te compellare viſum eſt, ut cum Commiſſarijs ad Tractatum cum Corona Suetica à Repub. deſtinatis tecum ſecundùm Inſtructionem ſibi datam conſilia juncturis, quibus ut auxilio adſis, ferventiſſimè deſideramus, obteſtando per communem amorem univerſi, ut exoptatum hócce opus omni meliori modo in rem Patriæ continuare, & perficere velis, ut & nos particularem obligationem & Patriæ debitam pro bene operato gratitudinem, & poſteritas memorem nomini tuo rependat recordationem; à quo ſicuti optatum optimarum intentionum noſtrarum exitum præſtolamur, ita optimam ex animo precamur valetudinem.

COPIA LITERARUM REGIARUM EADEM DIE COMMISSARIIS AD TRACTATUS DESTINATIS.

HAbemus notitiam, Cardinalem Primatem, ægrè taliſſe, quòd in ultimo Mariaburgen. conſilio lege publicâ pro ſuperarbitro ad Tractatum pacis deſtinatus mentionem ſui non habuerit. Detulit jam hunc honorem magnis ejus meritis Sandomirienſe conſtitu-

ſtitutum. Dedit plenum Jus inſtructio vobis à Republ. eo nomine A.C. 1703
data, nec ultimi conſilij ea mens unquam fuit, ut ſemel placita pro æternis non haberentur. Quinimò quando jam Cardinalis Primas & authoritate gradûs ſui, & ex particulari in inſtructione dicta requiſitione potuit legitimo jure hanc ſibi prætendere provinciam; ſupervacaneum viſum eſt nobis novum robur addere. Fuerunt quidem unanimes ſenſus, ut Cardinalis Primas actum hunc ſub Tractatûs nomine non in forma conſilij, quòd jura Mtis noſtræ non permittunt, incipiat & perficiat, ſed per hoc non intendebatur, ut glorioſus hic & exoptatus actus tranquillitatis publicæ interrumperetur. Expreſſimus hujus perplexitatis geminam in literis noſtris eidem Cardinali ſcriptis elucidationem, deferimus idem vobis, inſtantiſſimè requirendo, ut hoc ſalutis publicæ opus quàm efficaciſſimè in aſſiſtentia Primatialis authoritatis juxta præſcriptos in inſtructione vobis data gradus, dependenter à nobis & Conſilio magno promovere, & ad effectum deducere curetis. &c.

LXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARMIEN. REGNI CANCELLARIUS STANISLAO MORSZTYN, PALATINO MASOVIÆ, COMMIS. AD TRACTAT. DESTINATO 18. Apr.

UTinam & Rex tam bonos ſubditos, & Reſpub. tam bonos cives habere poſſet, uti non ſine præcipuo inſtinctu in illa multitudine ſub Sendomiria elegit; meliores certè ſibi de factis ſuis formare ſpes poſſet. Comparent hic, nunciantur q; plauſibilia, optabilia, utinam nos non fallant, ut hactenus; ego ex omnibus illis, quæcunque ſive à te, ſive ab aliis ſcio, nihil boni ſperare poſſum, niſi Dñus DEUS ſolita miracula ſuper nos monſtraverit. Tempus jam eſſet, ut audientiam habere poſſitis, quæ denegari non deberet, etiamſi intentio non eſſet faciendi aliquid ad mentem.

Hæc perſona in Eccleſia inventa, optâſſem, ut ſaltem in Eccleſia verum confeſſa fuiſſet, quia Principalis ejus toto cœlo diverſa ad amicos hic ſuos ſcribere non deſiſtit, & injuſtè reprehendit aliena, qui pejora profert, ſed quod aſſequi nequit, vituperare invidioſè mavult.

Invertitur cerebrum authenticas recipiendo, quibus tanquam Evangelio credere debeo, relationes, & poſtea contraria legere, bibereque cum melle venenum. Video ſtultè facere eum, qui in poteſtate eligendi prætermiſſis optimis deteriora ſectatur.

Spero juvenem Dominum in intentionibus ſuis defecturum, ſi ex præmiſſis concluſionem formare volet. Crede mihi, nec vellem dicere falſum; dico iterum, quòd deficiet, credere multa poterit, habere, dubito, an poſſit? Non licet omnia poſtæ concredere, ſed generalibus terminis poſſum inſinuare. Regi noſtro nihil mali facere poſſunt, nos opprimere & mortificare poterunt, & ij, qui ſibi meliora promittunt, peribunt, & Regem illum, cui favent, & famulantur, fortè, ſi non in integro, tunc ex magna parte fallent. Ego jam de bonis & meis & fratrum meorum amplius cogitare nolo, quia non eſt, qui adjuvet ex illa parte. Palatium meum Varſaviæ inter amiſſa quoq; numero, & nihil eſt amplius, quod perdam, propter bonum interim publicum opto, &

ex

A. C. 1703 ex corde DEum precor, ut pax fieri poſſit, ex amore in amicos, ex charitate in inimicos, quia hic ignis cineri ſuppoſitus doloſo, dum in flammam crumpet, non erit in poteſtate noſtra, ut eum extinguamus, & juſtus DEus illos vel maximè hoc igne accendet, qui ligna ei apponunt.

In Saxonia non ſunt timendi motus. Exercitus noſter ut ſolet, dum neceſſitas requiret, non erit tam tenuis: in Rege optima voluntas, & ad fortia alacritas, ſi illam non mitigaremus; haud dubiè multum auſurus, dum licebit. Nobilitas virilia clamat, & fortè tunc optimi eſſe incipiemus, cùm infirmiores apparebimus. Si liceret mihi omnes diſpoſitiones ab extra & ab intra exprimere, ut libenter in omni confidentia facere vellem, ne præjudicata multorum opinio, cujuſquam aut animum avocet, aut veſtram retardet induſtriam; diceres & ipſe, quòd res noſtræ non ſint ita deſperatæ, ut idem DEus, qui videt, auditque cauſæ noſtræ juſtitiam, non debeat nobis aſſiſtere, in quo ego ſingularem repono fiduciam: miſera dum cupit pacem Patria, belli metu, ſerium bellum incipere debebit.

Habuimus heri conferentiam cum Legato Cæſareo, nec fefellit nos ſpes, nam, ubi nullam habuimus, ſolatium invenire non debebamus, hodie Moſchovitica poterit ſolari in publicum, quia in privatum (perfricent frontem, qui non habent) nihil faciet, ſubſequetur & Brandeburgica; omnes hæ bonum publicum concernunt, & cum ijs fiunt neceſſariæ diſpoſitiones &c.

CONCLUSUM CONSILII MARIÆBURGENSIS 22dâ Aprilis.

AUGUSTUS II. &c. Significamus cum Conſiliarijs noſtris & Miniſtris, cum Plenipotentiarijs quoq; ex Palatinatibus & Diſtrictibus Regni, & M. D. Lit. ad latus noſtrum deputatis, tam ex limitatione immediati Thorunienſis, quàm vigore Univerſalium Literarum noſtrarum, pro præſenti conſilio, pro 16 Martij in anno præſenti Mariæburgum, vigore Confœderationis Majoris Poloniæ, M. D. Lit. & conſtituti Sendomirienſis congregatis juxta præſcriptum ejus tenorem, ex conſenſu omnium ſtatuum conſtituimus.

Transgreſſis imprimis omnibus tam longæ patientiæ gradibus, poſt probatos omnes modos, & media per exteras mediationes, & proprias à tota Rep. legationes, cùm deſideratam ab omnibus pacē coronæ Sueciæ hactenus perſuadere nō potuim⁹ fundati in fidè & virtute Gētis Polonæ nobis & Seren: Anteceſſoribus noſtris, conſtanter, & indelebiliter conſervata, inſimul ſtabiliendo immobilem & indiviſam inter nos, & ſtatus unius & indiviſæ Reipub. confidentiam ſuper puncta in conſtituto Sendomirienſi deſcripta, & in diplomate noſtro fusè expreſſa circa obſervationem legum, immunitatum, & libertatum antiquarū ſacramento tacti pectoris Regij in facie utriusq; ſtatûs, viciſſim, uterq; ſtatus Senatorius & Equeſtris, per Plenipotentiarios, nomine Palatinatuum & Diſtrictuum unanimiter omnes rotâ in eodem ſtatuto expreſſâ, in hæc verba:

Ego N. juro DEO omnipotenti in Trinitate Uni, quòd penes fidem S. Catholicam, penes integritatem Seren: Regis AUGUSTI II, penes libertates & immunitates noſtras, penes conſervationem Reipub. indiviſibilis, vitâ, ſangvine & fortunâ meâ adeſſe, & omnia hæc

hæc defendere ſecundùm vires & poteſtatem meam me ipſum obli-go, & obligatus ero. Et ſi aliquis Regi Sueciæ, quocunq; modo, prætextu adeſſe, illi favere, factiones inire auderet, & hanc mutuam Reipub: obligationem obſervare nollet, talem pro hoſte habendum, & contra eum, me inſurrecturum declaro, bona ejus Regi ad confiſcationem, deſignandi in bene meritos &c. A. C. 1703

In publica & ſolenni forma, jusjurandum hocce explevimus, & mutuè nobis penes fidem S. Catholicam, integritatem legum & libertatum Patriarum, & perſonam noſtram, conſtanter adeſſe & Remp. in quacunq; fortuna manentem non derelinquere, quinimò vitâ, fortunâ, omnibus viribus, usq; ad ultimam guttam ſangvinis defendere, & ſuſtinere juravimus, & ut omnes incolæ, in Palatinatibus, Diſtrictibus & terris, in Regno & M. D. Lit. tam Equeſtris, quàm Senatorij Ordinis, qui necdum juramentum hoc expleverunt, in caſtris vel comitiolis futuris, idem expleant, vigore conſtituti Sandomirienſis, Confœderationis Majoris Poloniæ & M. D. L. & conſilij præſentis obligamus. In quo juratæ obligationis fundamento, animando totam Rempublicam ad generalem animorum & armorum unionem, exemplo tot Palatinatuum Confœderatorum, Provinciarum Majoris, Minoris Ruſſiæ & Magni Ducat. Lit. unanimi zelo, non videndo in hoc præcipiti periculo & caſu Patriæ, efficaciorem juvandi nos modum, conjunctim & indiviſim, in ſolidum omnes tres ſtatus pro uno, & unusquisq; pro tribus hoc vinculo unionis jungimur, nos fortificamus, & ſtrictiſſimè ligamus, manutenendo in integro jus vetandi. Et quoniam Corona Sueciæ tam numeroſum exercitum ſuum, hoſtili animo, in viſcera Reipub. induxit, & jam diutiùs, quàm anno integro, omnia Dominia ejus, Provinciam Livoniæ, Palatinatus, terras, & Diſtrictus ruinat, devaſtat, & ad incitas reducit, Eccleſias, Conventus Religioſos, Civitates, Domus, Curias Nobilium devaſtat, bona Nobilia, & Eccleſiaſtica, omnibus oneribus libera, contributionibus, & exactionibus, multò majoribus, quàm poſſunt, onerat, & pro arbitrio, libituq; ſuo, extradere pecunias paratas, aliaq; onera, jubet; Senatores, Sacerdotes & Nobiles tyrannicè carcerare, occidere, ſibi permittit; theſauros, clenodia, ſplendores, & omnia decora, ſacra & profana ſibi attribuit, magnam eorum partem extra limites mittit, reliquum ſecum educere intendit, fortalitia, Caſtella aliqua recipit, ſuis præſidiariis firmat, alia comburit, ad extremum Univerſalibus literis reſcriptis & inventionibus ſuis, Palatinatus, ad acceptandas & explendas, abominatas DEO, & omnibus Gentibus intentiones cogit, aliasquè innumerabiles, & evidentes hoſtilitates exercet. Videndo proinde tam evidens in nos & Regimen noſtrum, ſicuti in totam Rempub. integritatemq; ejus, periculum, & gravem vim, quæ, ſicuti ulteriorem moram non patitur, ita conjunctis, & unanimis viribus, defendere nos intendentes, omnia media & modos, ad exoptatam & fundamentalem defenſionem impendimus, & vigore præſentis Conſilii, ex concordi conſenſu, conſtituimus, obligando per amorem Patriæ Duces Regni & M. D. L. fideliter, & conſtanter, circa tuitionem Mtis, & libertatis exiſtentes, Exercitum Regni & M. D. L. quorum deſervitam mercedem, ſecuriſſimâ certitudine aſſecuramus, ut cum exercitu noſtro auxiliari, unanimiter ſecundùm propriam, & noſtram obligationem, juramento firmatam, more militari contra omnes hoſtiles & violentos progreſſus debitè reſiſtendo, integram perſonæ noſtræ, & totius

*A.C.*1703 us Reip. ſecuritatem, manutenere & defendere ſolitâ fortitudine & reſolutione curent.

Habendo etiam in recenti memoria nuperos, æternâ memoriâ dignos actus Adami Sieniawski Palatini Belzenſis Campi-Ductoris Regni, Januſſij Principis Viſniowieccij Vilnenſis Caſtellani, Joſephi Potoccij Palatini Kijovienſis, Lubomirſciorum, Succamerarij & Caſtrorum Metatoris Regni, Jacobi Potocij Gubernatoris Chmielnicenſis, in extinguenda rebellione Coſatica, Zamoſcij, in manutenendo proprio fortalitio, non tantùm illos, ſed & omnes in genere, & ſpecie, excitamus, ad ſimiles in defenſionem Patriæ reſolutiones, ut cohortibus & hominibus ad ſe pertinentibus, hoſtium intentiones & vires minuere velint, quibus particularem, & debitam gratitudinem declaramus & reſpectum.

Inſimul pro medicandis omnibus vulneribus publicis, pro tranquillitanda, in tam terribili motu Repub. & pro pleniori efficacioriq; defenſione, publicum motum nobilitatis, ſecundùm leges & conſtitutiones, ultimas univerſales Reſtium literas, ex quo jam primæ intimantes ſunt expeditæ, & eadem ejuſdem periculi permanentia urget cum deſtinatione Comitiorum, ad omnes Palatinatus Regni & M. D. L. etiam non obſtante tractatûs concluſione expedimus, obſecrando omnes, ut in his comitiolis, omnem apparatum & ordinem conſtituant, propriis pectoribus, pro conſilio & præſidio, ubi neceſſitas belli vocabit, & ratio boni publici ſuadebit, ad deſtinationem noſtram compareant ſub pœnis in legibus expreſſis. Aſſecuramus etiam ſtatûs Reipub. quòd eodem tempore, dum Palatinatus comparuerint, equosq; conſcenderint, comitia duarum ſeptimanarum extraordinaria exorbitantiarum, ſpectatâ temporis & loci ſecuritate, ad mentem conſtituti Sendomirienſis, & præſentis Generalis conſilij indicere non intermittemus.

Contra adhærentes Sueticos antiquiores & recentiores legum & ſancitorum rigores reaſſumimus, hos verò cujuſcunq; ſint ſtatûs, & conditionis, qui inſolentes cohortes congregarunt, ſub quibuſcunq; vel ſuis nominibus, cum hoſte contra Rempub. bellum gerunt, illiq; aſſiſtunt, in quantum acceptâ notitiâ hujus obligationis juramento firmatæ, non deſerent exercitum Sueticum, & partiſantes illorum, pro infamibus hoſtibus Patriæ, & capitibus invindicabilibus declaramus, & bona illorum confiſcamus, diſtributuri inter benemeritos in exercitu Regni & M. D. L. hæc bona, tanquam poſt Proditores Patriæ vacantia.

Congreſſus Varſavienſis ſub armis hoſtilibus more Comitiorum intimatus, cùm ſalvâ Regiâ authoritate, nec ex lege, nec ex amore, & conſvetudine, nec ex exemplis & præjudicatis legitimitatem ſuam deducere poteſt, tunc illum inhærendo ultimo Senatûs conſilio, authoritate præſentis conſilij, pro inſubſiſtenti declaramus. Non tamen per hanc animadverſionem debitam, jurium, Mtis, tuitionem, ad tractatum exoptatæ pacis, ſolitam viam, & veram claudimus; quin imo Stanislao Morſtinio Palatino Maſoviæ, Stephano Leſcynio Gubernatori noſtro Oſtrzezovienſi, ex Majori Polonia Andreæ Zydowski, Vexillifero Cracovienſi ex minori Polonia ex M. D. L. verò Komorovio, Culinæ M. D. L. Præfecto, cum de loco & tempore aviſati fuerint, ut ſuo officio, ſecundùm inſtructionem ſibi datam fungantur, ſeriò committimus, & pro Secretario legationis, Petrum Tworzyanski Theſaurarium Cracovienſem deſignamus, cum ea limitatione, ut pax hæc ſine avulſione minimæ partis Reipub. & annexarum Provinciarum præcipuè Livoniæ, Curlandiæ, & Diſtrictûs Piltenſis, ſicuti ſine involutione, in aliud exter-

externum bellum concludatur, & ſi aliquis aliud bellum proponere & *A. C.* 1703
incipere, quocunq; prætextu, ſine pleno conſenſu totius Reipub. auderet, pro hoſte Patriæ declaramus. Ergo eo modo cum ſtatibus Reip. viciſſim juncti, & obligati ad invenienda alia media, & modos efficaciſſimos pro ſalvanda Repub. plenum vigorem & ulteriorem præſentis conſilij continuationem, ſicuti cognitionem neceſſitatis, ad concludendas colligationes cum externis conſervamus, & hoc conſilium, ad diem Mercurii poſt Dominicam conductus, ad latus noſtrum limitamus, hanc verò juramento firmatam obligationem, ut imprimi, Miniſtri noſtri publicariq; in Palatinatibus & Diſtrictibus, faciant, committimus &c.

LITERÆ UNIVERSALES RESTIUM MARIÆBURGI 22dâ Aprilis expeditarum.

P*oſt tit.* In memoriam revocare glorioſæ Genti Regni, & M. D. L. antenatorum ejus parta geſtaq; decora, & dilatatos non tantùm Dominiorum, ſed & gloriæ limites calamo exprimere, tunc liceret, ſi innatam illorum in publicum promptitudinem, & capaces maximarum quoq; rerum vires, novis incentivis ad bella offenſiva ſolicitare vellemus, tranquillatam dulci quiete pupillam, immaturis excitando claſſicis, & ad arma ſub glorioſas aquilas & famam ſpirantes equites, ex bona voluntate & libera inter pacem & bellum electione convocaremus, ſed quia infracta obligatio, & magis, quàm adamantina neceſſitas, à maligno hoſte ex limitibus ſuis in viſcera Reip. hujus intrantis, & jam poſt invaſionem violentam, altero anno hic manentis impoſita defenſionem nobis perſuadet, & ipſa natura quæ nos vitâ, & DEus Omnipotens, ſuper alias nationes libertate donavit, & illâ nos ſuper illas extulit, ad tuitionem propriam admonet, & nobis obligationem noſtram Regiam conſervandarum libertatum & integritatis Poloni Orbis ante oculos ponit, quorum inermi, aut inſufficienter armatâ manu conſervationem manutenere difficilè, & interim intractabilis coronæ Sueciæ intentio, ſociata malis Civibus, ſeminatis tam multis in innocenti populo impreſſionibus, tota Reſpub. funditus omnibus bonis & decoribus ſpoliata, in viribus & intentionibus ſuis, in dies magis augetur, & nec mediationibus externis deferre, nec ad pacem honeſtam vult inclinare.

Collatis proinde in unum viribus, quæ diverſis inimicis Rempub. hanc aggredientibus, quondam ſufficiebant, nunc contra hunc hoſtem, ex conſilio Senatorum & Miniſtrorum noſtrorum, & legationibus reiteratis omnium planè Palatinatuum, & Diſtrictuum Regni, & M. D. L. conſtituimus, ut hoc tam clarum innocentium actionum & intentionũ noſtrarum, & inſimul virtutis & fortitudinis Polonæ, & incidentes ab Aquilone infelicitates avertere, & ex fundo Reip. expellere poſſimus, ad communem Nobilitatis motum, uti ad unum robur & proprium centrum, ad quod omnia tendunt, quæcunq; ad libertatem caram, & manutentionem integritatis Reipub. pertinere poteſt, recurrimus intimando paternè, omnibus Reip. Statibus, ut cum eo ordine, more militari ſecundùm ſtatuta, ſecundùm quantitatem & poſſeſſionem bonorũ, & redituum, ſecundùm Ordinem in conſtitutione 1621 deſcriptum, viritim vel expeditione Ducum ſuorum, ubi neceſſitas ſalvandæ Patriæ & ratio boni publici vocabit ad latus noſtrum, ad manutentionem naturalem & defenſionem, inſimul & pro conſilio, & præſidio ſine mora com-

A.C. 1703 compareatis, quos in tractu verſus nos jam progredientes, & appropinquantes, acceptâ menſurâ, ex progreſſu hoſtium & ſubſequentibus circumſtantiis de immediato loco, & tempore ad conjunctionem, in unam compagem totius Reipub: Univerſalibus literis noſtris reddemus certiores &c.

ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI PALATINO RAVENSI FRATRI SUO 29 Aprilis.

Audientia Commiſſariorum apud Regem Sueciæ

QUod habui, libens communico ac inprimis mihi ſcribitur, quòd poſt quotidianas ſolicitationes, quibus Theſaurarius Cracovienſis Tworzyanski urgebat, dari audientiam Commiſſariis Reipub. tandem 25 præſentis circa occaſum ſolis à Comite Pipero in ſequentem diem, circa horam decimam futura declarata eſt. 26ta, igitur die convenerunt ad Palatinum Mazoviæ, Vexillifer Cracovienſis, & Capitaneus Oſtrzeſzovienſis, auditoq; apud Patres Capucinos ſacro, ſimul cum Præfato Palatino in ejuſdem Rheda profecti ſunt ad Cardinalem cum denuntiatione, horâ decimâ declaratam illis eſſe à Rege Sueciæ audientiam. Excepit eam denuntiationem gratiſſimè Princeps Cardinalis, obtulitq; Commiſſariis ſuam rhedam, adjectâ aſſiſtentia ſuorum aulicorum, equitum præterea & peditatûs Ungarici. Mediâ ad decimam moverunt ex Palatio Cardinalis, in ejuſq; rheda profecti ſunt Commiſſarij, præeuntibus rhedis Palatini Mazoviæ & aliorum Commiſſariorum, decoro Comitatu eos ſubſequente. Caſus tulit ut in eodem ponte quo Viſtulam Sueci junxerant, eorum currus cum diverſis oneribus rhedis Commiſſariorum occurrerent, unde ob anguſtias equos retro agi neceſſe fuit, dum dicti currus tranſirent, quod ægrè trium quadrantum ſpatio perfectum eſt. Tum demum iteratò pontem invecti, ad ſtationem Regis Sueciæ inter hinc inde ſtantes cuſtodias honorificè ſua arma præſentantes (ut militum mos eſt) in ipſo veſtibulo ubi illis egrediendum ex rheda fuit, obviàm habuerunt Præfectum conclavis Regis Sueciæ, cum aliquot inſignioribus Equeſtris Ordinis, deductiq; ab illis per atrium ad Anticameram, ibidem ſalutati ſunt ab uno ex Miniſtris ſtatûs, tum denuntiatio Regi facta per prædictum Præfectum Conclavis, jam Commiſſarios adveniſſe & expectare declaratam audientiam. Vix effluxerat tantùm temporis, quanto medium Ave MARIA recitari poſſet, apertum conclave eſt in quo Regem, ſolo Comite Pipero & Armelino Secretario Statûs aſſiſtente ſtantem invenerunt, aperto capite, & per civilitatem uno, alteróve paſſu occurrentem, mox exhibitâ congruâ Regiæ perſonæ reverentiâ, competenti & honorifico, utriſq; Regibus & Regnis ſermone Regem allocutus eſt Palatinus Mazoviæ, finitoque eo literas ſtatuum Reipub. in manus ipſi Regi reſignavit. His ita peractis reſpondit nomine Regis latino itidem idiomate Armelinus in hunc ſenſum, gratum Regi Sueciæ, adventum Reip. legatorum eſſe, promittereq; ſe Commiſſarios ſuos indicaturum, præfixionem verò loci, & temporis ulteriori deliberationi relinquere, quo reſponſo accepto, iteratis reverentiis Regi factis, Commiſſarij ex conclavi exceſſerunt, & per Miniſtrum Statûs ad januam anticameræ, per atrium verò uſq; ad veſtibulum, per Præfectum Regij cubiculi aliquot inſignioribus equitum aſſociatum, imò ad lecticam uſque deducti ſunt, tum eodem honore à cuſtodia Regia, in exceſſu ſuo honorati, redierunt ad Palatinum Mazoviæ circa ipſum meridiem.

Leo-

Leopoli autem hoc habeo, quòd abſoluta expeditione in Ukraina ſub tempus rigidæ hyemis, defatigatus tam pedeſtris, quàm equeſtris exercitus ex ijs receſſit terris, relictis ad continendos rebelles tribus legionibus & duobus vexillis Valachorum Niemieroviæ, Bari autem vexillo Valachorum, itidem & ſaxaginta peditibus Succamerarij Regni. Contulit ſe verò exercitus in Volyniam, ibi reſpiraturus, altera pars ſub directione Referendarii Regni Belzum verſus, profecta eſt. *A. C.* 1703 *Stanislaus Rzewuski*

Palatinus Belzenſis, hebdomodâ præteritâ Brzezanos advenit ibi Paſchalia ſolennia celebraturus. Capita rebellium complura meritis ſupplicijs affecta ſunt, Samuſſius ſolus evaſit, in terras ultra Boryſthenem ſitas, Paleius verò Bialocerkviæ ſubſiſtit. Feriâ ſecundâ veſperi Caſtellanus Cracovienſis Leopolim ingreſſus eſt, inde abſolutis feſtis ad exercitum profecturus. Cuſtodes corporis Regij, qui hic pro præſidio tamdiu perſtiterunt, ſabbato migrarunt, ituri verſus Zamoſcium. Stephanus Czarnecki Notarius Campeſtris Regni in Volinia dicitur debitum mortalitatis perſolviſſe. Cameneco ſcribitur Turcas armari, idque forſan ea intentione ut præfatam urbem invadant. *Rebellio ſopita*

INFORMATIO PRO NUNTIO APOSTOLICO
De Intentionibus & ſenſibus Aulæ Polonæ.

SUpponendum quòd Sacra Regia Majeſtas unà cum Miniſtris & Conſiliarijs ſuis omni poſſibili ſtudio pacem ſinceram & honeſtam deſideravit, & hucusq; deſiderat, excitando quævis offendicula eandem impedientia, non aggrediendo arma ſibi infeſta, quæ facilè per totum Regnum diſperſa incommodare & reprimere potuiſſet. Inſuper adimplendo & obſervando omnes præcautiones, & perſuaſiones Mediatorum, ut tali moderatione ſuâ adverſam partem poſſet inclinare ad cogitationes pacificationis. Teſtantur hoc legationes à Republ. toties repetitæ, Conſilia Varſaviæ & Thorunij ad hunc finem celebrata, & alia infinita plùs quàm notoria documenta.

2do Supponendum S. R. Mtem & Conſiliarios ejus id poſitivè, & irrevocabiliter velle, ut ejusmodi tractatus cum dignitate & integritate Regis & Reip. per Commiſſarios deſtinatos, aut alios ad placitum partium deſtinandos, in loco ſecuro, libero, ab armis utrisq; remoto incipiat, & finiatur.

3tio Supponendum juxta univerſalem omnium Gentium & Regnorum praxim Conſilium publicum nec poſſe, nec debere eſſe in illo loco, ubi Tractatus fient, ſed ſufficere in præſentia Mediatorum exiſtentiam Plenipotentiariorum, ſive Commiſſariorum, qui juxta mandata Principalium ſuorum res & deſideria ipſorum promovebunt & determinabunt.

4to Supponendum, quòd conſilium legitimum à Statibus Regni ſub Sandomiria declaratum, poſtea ab omnibus Provinciis, Palatinatibus & Ordinibus Reip. acceptatum ad latus S. R. Mtis celebrandum poterit durante Tractatu protrahi, propter reſolvendas emergentias, quas proprio motu Commiſſarij non valerent reſolvere.

A.C.1703 510 His præſuppoſitis legitimè & demonſtrativè concluditur, quòd Emin. Cardinalis nullum Congreſſum in forma conſilij publici convocare nec poſſit, nec debeat. Quia indictio ſive convocatio Comitiorum, aut Conſiliorum publicorum vivente Principe ad Jus regale ſive Majeſtaticum pertinet, æquè ac juſtitia diſtributiva juxta leges & conſuetudines antiquas, in quarum poſſeſſione pacifica & interrupta omnes Reges Poloniæ usque ad præſentem feliciter Regnantem fuerunt. Nec ullus apex in voluminibus Conſtitutionum, & Statutorum allegari poteſt, qui ſtante vitâ Regis Primati Regni tribuat facultatem intimandi, ſive convocandi aliquod conſilium, ſive Congreſſum. Unde Eminen: olim Cardinalis Macieiowski Primas Regni in diverſis circumſtantiis tempore SIGISMUNDI III. à Senatoribus & plurimis Palatinatibus contra Regem malè affectis compellatus ad indicendum Congreſſum, viriliter recuſavit, aſſerendo id non eſſe ſui muneris, & poteſtatis. Nec importat, quòd habeat jus monendi Regem Primas Regni, ergo & indicendi Congreſſum. Nam hoc tempore Comitiorum à Rege indictorum mediante pleno conſenſu, & beneplacito omnium Ordinum Reipubl. juxta præſcriptos practicare debet gradus in lege, in qua nec unum Jota de intimando Conſilio per Primatem Regni ſcriptum eſt. In Jure autem non niſi expreſſa probant. Deniq; tota vis Reip. Polonæ in hoc conſiſtit, ut materias Statûs non niſi tres Ordines ſimul congregati concludere poſſint. Quomodo igitur in præſenti caſu excluſo primo Ordine, reliqui jam, non dico Ordines, ſed aliquæ privatæ Perſonæ, audebunt in materiam Statûs nempe belli, aut pacis ſe intrudere cum derogatione & poſtpoſitione totius Reipub. quæ à ſimilibus novitatibus everſionem Statûs, & Jurium Cardinalium ſapientibus ſemper abhorruit, & maluit tot bella, & incommoda ſubire, quàm novam formam antiquis uſibus & libertatibus contrariã pati. Hinc quamvis S. R. Mtas ex ſe vellet permittere hunc improprium Congreſſum, nihilominus ſine conſenſu omnium Ordinum Reipub. id præſtare non poſſet, tum vetantibus legibus tum pròpter evidens & inevitabile diſcrimen totius Regni, quia in hoc conſilio potior numerus eſſet, qui ſponte aut metu Partibus Sueticis faverent. Unde id concluderetur, quòd Sueci vellent, in perniciem univerſæ Reip. Vel, quamvis plures cordati, & indifferentes eſſent, & quidquid in præjudicium Regni concedere nollent, cogerentur defacto præpotentibus armis prout recenter factum eſt cum Palatinatu Lublinenſi, & ſic uno ictu & Regẽ & Regnum talis Congreſſus infallibiliter perdere poſſet. Prævidendo itaque S. R. Mtas, Miniſtri & Conſiliarij ejus ad has præjudicioſiſſimas Mtis ſuæ, & Reip. conſequentias ſolenniſſimè coram Nuntio Apoſtolico proteſtantur, quòd non per Suam Mtem ſtetit, ſtabitq;, quominus optata reſtabiliatur pax, ſed per eos, qui verbis profitentur velle quietem, factis & operibus negant. Unde, ſi pro jure naturalis defenſionis aliquæ competen-

petentes evenerint reſolutiones, Pars adverſa ſibi, non huic Aulæ imputare debet, quòd conſtantiſſimè parata eſt ſemper juſta & rationabilia acceptare pacis media, &c. A C. 1703

PUNCTA AD QUÆ DISTINCTÆ DESIDERANTUR RESPONSIONES PRO SUBMINISTRANDO LUMINE AULÆ.

1mum. Utrum potuerit, necne Eminentiſſimus Cardinalis Primas intimare congreſſum more Comitiorum (ut ex Aula ſcribitur) proprijs explicetur & deducatur rationibus

RESOLUTIO PUNCTORUM PROPOSITORUM.

Ad 1mum Cardinalis potuit, imò pridē jam debuit convocâſſe congreſſum idq́ à Senatoribus per literas, à Palatinatibus, publicis legationibus ſollicitatus. Nimia diſcretio rem hucuſq́ protraxit. Jus autem in hoc Primatis incontestabile, quod conſtitutionibus, exemplis, ſat ſuperq́ probabitur, quo ſublato vacillaret libertas ad cujus clavum Primas conſtitutus, cujus eſt prævidere ac providere.

Hoc autem verbum more Comitiorū prudenti reflexione ad cautelam adjunctum ad diſtinctionem ſanciti Sendomirienſis, ubi more tribunalitio Deputati ad tractatum conſtituti. More autem tribunalitio duo tantùm ex quovis Palatinatu eligendi eſſent, & per pluralitatem res decidenda, quod utrumq́ diſplicuerat Reip. Vana itaque & nimium ſuſpicax verbi hujus interpretatio.

2dum. Utrum taliter intimatus congreſſus debeat eſſe liber? cùm in illo tractandum ſit intereſſe Regū Poloniæ & Sueciæ, & quòd tractandum veniat per Eminentiſſimum Cardinalē Primatem, aliàs ne quidem adeſſe prædictum Eminentiſſimum Cardinalem expediret. Etenim hoc quæſitū decidendum eſt per primū hic præmiſſum, & purganda incumbit Eminentiſſimo Cardinali, quæ ſparſa currit vox de cointelligentia cum Suecis, & cum alijs illi adhærentibus.

Ad 2dum. Error eſt in ſuppoſito. In illo quippe congreſſu de modo ſalvandæ Reipub., conciliandæ Statuum confidentiæ, obliniendis publicis vulnerib⁹, ſiſtendi Martis, de norma, loco, tractatus agitari debet. Cùm autem ad tractatū (quod D. DEUS det) ventum fuerit, hoc abſq́ repræſentantibus utriuſq́ Mtis Poloniæ ac Sueciæ nullo modo fieri poſſet, res ſiquidem eorum tractanda. Circa autem cointelligentiam D. Cardinalis cum Suecis hæc à malevolis probanda, non per D. Cardinalem purganda venit, an non plus commercii cum Suecis, & illorum cohærentibus, quàm & Miniſtris externis, & hic moderatio D. Cardinalis, uſque dum Suecus pro hoſte Reipub. à Repub. integra ac indiviſa declaretur.

Proficua Reipublicæ uti patet ex ipſius operationibus, proficua Eccleſiæ, pro qua laborat, proficua civitati Regiæ Varſavienſi, quæ jam dudum per portas aufugiſſet, ſi eandem præſentia Domini Cardinalis non ſolidaret.

A.C. 1703 *3tium.* Ob quale motivum Eminentiſſimus Cardinalis Primas, quando ad inſtantiam Sueticam convocatorias pro congreſſu literas ſuas ad Palatinatus dabat, non priùs factum hoc Sacræ Regiæ Mti communicavit, ut accordatè procederetur.

4tum. Si priùs non concordatæ fuerint res, ſequetur omnino expectandas eſſe reſolutiones Regum quæ protrahentur in longũ cum irreparabili partiũ damno, & maximè Poloniæ.

5tum. Deſideraret Sacra Regia Majeſtas, ut declaretur fundamentum quo.

6tum. Dato quòd hic Varſaviæ inſtitueretur Tractatus tam grandis operis, neceſſarium erit, ut huc confluant Plenipotentiarii omnium Intereſſatorum, priùs ad S. R. Mtem præmittantur literæ, quæ abſolutè neceſſariæ ſunt. Petendus quoq; erit ab eadem S. R. M. conſenſus pro celebrando hoc congreſſu.

7mo. Hic conſenſus neceſſariiſſimus eſt ad ſanandos quoſvis defectus, qui unquam occurrerent in congreſſu celebrando ad tollendas ſuſpiciones & diffidentias, tum ad procedendum cum illa interna harmonia, ſine qua nihil.

8vo. Poſito quòd inchoaretur tractatus, quid agendum eſſet de ſuſpendenda hoſtilitate, exigendis novis contributionibus, & omni eo, quod populum gravare poſſit.

Ad 3tium & 4tum. Si D. Cardinalis ad inſtantiam Sueticam operaretur, non literas convocatorias ad Palatinatus miſiſſet, ſed populum à nexu juramenti abſolviſſet, hoc enim à Suecis potentiſſimè ſollicitatum, & pro ſuſtinenda nova Electione copiæ huic admotæ. Cujus autem conſilio hoc factum, jam innotuit D. Nuntio Apoſtolico, agendæ potiùs erant gratiæ D. Cardinali pro virili ipſius reſolutione, non poſteriora facta, quæ ad ſalutem diriguntur, examinanda, cùm & circulares ad DD. Senatores, & literæ convocatoriæ ad Palatinatus ſcriptæ in deſiderio ac plauſu omnium fuerunt, nec poterat Aula Regia hæc ignorare, quæ & D. Nuntio Apoſtolico, & D. Ablegato Cæſareo innotuerant, antequam emanarent.

Ad 5tum. Audivi interceptas fuiſſe literas ex Litvania venientes, ad Regem Poloniæ pacem dehortantes, non modicas ex Moſchouia ſum̃as ad alendum bellum tranſmiſſas, & hinc vox garrula auget apud Pop. ſuſpicionẽ, Saxonum immiſericordes devaſtationes, quòd Rex velit ad ultimam pauperiem Regnum deducere, ut eò faciliùs libertatem opprimat; & hæc com̃unis vox. Reliqua puncta facilè reſolventur inſtituto Tractatu, & primum erit armiſtitii, ceſſationis gravaminum, ſequentur alia ſecuritatis loca, nunc autem merè tractari debet confidẽtia, unio, cognitio boni & mali, media pacis, ſecuritas ejuſdem manutenendæ, media belli, ne pax irritetur. &c.

9no. Ut D. Sapiehæ dent aliquod documentum S. R. Mti, quòd velint amplecti pacem, &, ſi poſſibile eſt, priùs declarent media, quæ pro parte ſua adferre velint.

10mo. In caſu quo ſuppoſitus hic Varſaviæ celebrandus eſſet congreſſus, in quo loco is inſtitueretur, cùm arx forſan non permitteretur, multò minùs domus aliqua particularis.

11mo. Suppoſito quòd congreſſus hic non coaleſceret, aut celebratus nihil concluderet, cum ex nunc omnino alia excogitari deberent expedientia ad obtinendā pacem; ſi ſincerè ab utrinq; deſideratur.

12mo. Omnibus his punctis præſtat celeritas reſponſionum ad eadem puncta exhibendarum, nec non inchoandi tractatus, & eundem glorioſè perficiendi, aliàs S. R. Mtas proteſtari cogetur, de poſthabita facilitate ſua multoties oblata ad pacem.

PUNCTA AB ILLUSTRISS. & EXCELLENTISSIMIS DD. LEGATIS PORRECTA.

LUculenta Status & Ordines Regni Poloniæ ac M. D. Lit. dedêre amicitiæ ac obſervantiæ Pactorum cum S. R. Mte Sueciæ Regnoque ejus documenta, ubi non modò omnis belli Suetici ſpeciem recuſârunt, verùm etiam ne ullo modo in illud implicarentur, eo ipſo tempore, quo fortuna ad Suetica infortunia conſpirâſſe videbatur, obſervantiſſimi fœderum ſanctâ felices pace manere, quàm ex aliena infelicitate aliquid attentare maluerunt.

2do. His abunde præſtitis reciprocas iidem Ordines Regni non experiuntur vices, à S. R. Mte Sueciæ, ubi nomine quidem amico, ſed infeſtis ſignis Ducat. Curland., aliaſq; Provincias annexas occupavit, variiſq; gravaminibus innocuum Reip. fundum liberè in hunc uſq; diem premit, fortalitiis in morem hoſtilem captis, aliis verò tumultuariâ manu reſtauratis, præſidioq; ſuo cuſtoditis, ambigua omnia ſuſpectaq; conſtanter ſolidis & bonis amicis minari videtur.

3tio. Unde eſt quòd prædicti Status & Ordines Regni plurimùm perturbati, non priùs tamen juſtum naturalis defenſionis tutamen arripiunt, donec S. R. Mti Sueciæ amicas præſentet requiſitiones, ut ſecuram & tranquillam Rempub. in eo relinquat ſtatu, in quo Pacta Olivenſia provinciarum ſuarum limites conſtituerunt, & longiſſimo tempore ſolidârunt.

4to. Nec ultio aut vindicta quæpiam ab innocuis Reg. Polon. & M. D. Lit. provinciis ſumenda venit, ſiquidem non per titulum Regis Poloniæ, ſed Ducis Saxoniæ quærenda eſſet. Et, ſi quæ damna compenſanda prætenduntur, ijdem Status & Ordines causâ redintegrandæ bonæ viciniæ, & amore, ſuam inter S. R. Mtes offerunt mediationem, ut pax perpetua inter cognatos Reges, & vicina Regna ſtabiliatur, his tamen adjectis; *Imo* ut Copiæ S. R. Mtis Sueciæ ex fundo & Provin-

*A.C.*1703 ciis Regni Poloniæ & M. D. Lit. ſine omni mora factâ tamen priùs juſtâ damnorum illatorum compenſatione moveantur, & educantur. *2do* Ut tormenta, mortaria ænea, totaq; res tormentaria Saxonica Reipub. Polonæ per S. R. Mtem perpetuò donata, & recenter in fortalitio Dühnemündenſi rehabito, tum & in arce Birzenſi intercepta S. R. Mtas Sueciæ Reipub. Polonæ integræ reſtituat.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SUECIÆ COMMISSARII.

Puncta illa, quæ ab Excell. Illmis DD. Legatis nuper exhibita ſunt, diligentiùs paulò perpendentes, non pauca in illis inveniunt comprehenſa, quæ neq; juſtæ S. R. Mtis expectationi, neq; integerrimis ſtudiis, quibus ad ſalutem libertatemq; Reipub. Polonæ aſſerendam propendet, reſpondere videntur; nam licet amicitiæ aliquã præſeferant ſpeciem, ejus tamen re ipsâ ſunt indolis, ut non tantùm non ſint apta turbis hiſce ſedandis ſed poſſint utrumq; Regnum gravioribus inpoſterum incommodis, periculisq; involvere.

Imo. Ordines quidem Regni Poloniæ, & M. D. L. luculenta ſe dediſſe amicitiæ documenta tradunt, quòd non tantùm bellum recuſârint, verùm etiam, ne illo implicarentur, pactorum fuerint obſervantiſſimi, eo præſertim tempore, quo fortuna adverſùs Sueciam conſpiráſſe viſa erat. Atq; à S R. Mte Sueciæ abundè præſtitum invenient, quo fœdera religioſè colendo nullam iisdem rumpendi fœdera occaſionem dederat.

Itaq; ſicut Ordines Regni Poloniæ laude ſuâ defraudandi non ſunt, quòd pacta ſervâſſent, ita præter jus fasq; cenſendi eſſent egiſſe, ſi Suecos culpæ immunes, & innoxios bello petiiſſent ſolâ temporum opportunitate illecti, niſi quis meritum vocaverit ab injuriis abſtinere, quodq; ea non facit, quæ facere jure prohibetur, ſed neq; conſpiratione, perfidiaq; Vicinorum Principum impunè laceſſitos eſſe Suecos teſtantur luctuoſæ illorum clades, qui bellum hoc iniquiſſimum ſuſceperunt. Interea Ordines Regni Poloniæ, ſi ea amicitiæ documenta, quæ rigor fœderum exigit, dediſſent, facilè videntur cohibere potuiſſe Regis ſui molitiones, quibus uſus eſt ad Provincias S. R. Mtis infeſtandas.

Nota utique ſunt remedia, quibus generoſa eorundem Majorum prudentia exorbitantes Regum ſuorum conatus coercere voluerat. Nã cùm Rex Poloniæ legum fundamentalium vincula rumpens, ſemet eo ipſo facto exuat Regiâ poteſtate, & Statibus Regni, ſecundùm expreſſa Pactorum conventorum verba jusjurandum & obſequia remittat, jam Status Regni hoc nexu ſoluti per caput Reipub. conveniendi facultatẽ habent, deq; iis rebus conſulendi, quæ ad Patriæ ſalutem pertineant, quod tamen in hoc caſu neglectum erat. Tum quoque conſtat, quòd conſtitutionem Comitiis anni 1699 ſancitam, qua intra ſex hebdomadarum ſpatium Saxones Regni finibus excedere debebant, executioni non mandâſſent Regi Poloniæ facultatem relictam fuiſſe Provincias Sueticas aggrediendi. Quid quod ingruente neceſſitate Remp. per Senatusconſilium rebus ſuis conſulere poſſe, & exemplũ nuperum confirmat, & alia ſuperiori tempore acta. His remediis, ſi uſi fuiſſent Ordines Regni Poloniæ, credere licet bellũ hoc non exarſurũ fuiſſe. Interea dici poteſt permiſiſſe, atq; conniviſſe eosdem, ut Rex eorum violato fœdere Olivenſi bellum Sueciæ inferret, ut legiones & cohortes Prætoreas non minùs, quàm Magnatum aliquot contra Suecos duceret, & copias in hybernis per Litvaniam Curlandiamque collocaret ut milites

in

in diverſis Poloniæ Regionibus colligeret, ut Birzâ occupatâ hoc propugnaculo adverſus Suecos uteretur, ut Suecorum hoſtis Moſchorum Czarus in Litvaniam veniret, ad infeſta ibi conſilia adverſus Suecos fabricanda, ut tranſitus 20000 Moſchorum per fundum Reipub. concederetur, ut Miniſter Sueticus, qui non minùs ad Remp. quàm ad Regem Poloniæ miſſus erat, Varſaviâ expelleretur, ut Oginſcius antea, nuper Viſznioviecius copiis Sueticis inſultaret. Quodque maximum eſt, Regem hunc aggreſſorem, & auctorem tot malorum etiamnum Respub. tuetur, eiq; receptaculum præbet, unde non immeritò quis ſuſpicari poſſet Remp. eventum hujus belli ſpeculatam fuiſſe, ſed nolit tamen S. R. Mtas Sueciæ ſiniſtrè quidquam de Repub: opinari, quin potiùs credit illam in priſtina amicitia, ſicut Excell. & Illmi DD. Legati teſtati ſunt, perſiſtere inconcuſſam. *A.C.*1703

2do S. R. Mtas Sueciæ nunquam hoſtilem erga Remp. animum oſtenderat; Quidquid egiſſet, tum neceſſitate ipſa coacta eſt facere, tum omnium Gentium Jure facere potuit; fines Reip. ingreſſa eſt, non animi causâ, non eâ intentione, ut quidquam lucretur; ſed graviſſimis Regis Poloniæ injuriis laceſſita hunc hoſtem & turbatorem Pacis Olivenſis, qui tot damna Provinciis ſuis inflixerat, perſequi tantummodo inſtituit, atq; adversùs ejus inſidias non minùs eam Remp. quàm ſuum Regnum in tuto collocare. Si hac occaſione incommoda quædam Reſpub. ſentiat, Regi ſuo imputet, qui S. R. Mtem Sueciæ ad hanc neceſſitatem adduxit, aliosq; ſeditioſos Cives incitavit ad perniciem Suecis inferendam, donec tum Regi tum iis receptum præbet, Reſpublica ad eorum auſa connivet, tamdiu nullo jure queri poteſt, innocuum eſſe Reipub. fundum. Hinc, ſi antea Saxonicæ Copiæ tributa imperâſſent, quorum ſubſidio inſtructæ Sueticas Provincias invaſerant, neq; nunc eadem S. R. Mti denegari deberent, niſi unius partes magis foviſſe videri malit Reſpub. quàm alterius, atq; adeo belli ſe participem feciſſe, & ſicut commeatus militi neceſſariò eſt ſubminiſtrandus, cùm aliundè apportari nequeat, ſic quoq; cùm ita moderari curabit S. R. Majeſtas, ut quantum fieri poſſit, quàm minimum onus exinde ſentiatur, eâ maximè ſpe, ut Reſpubl. ſalutaris ſcopi intuitu facilem ſe præbeat ad ea ineunda, quæ optimo Jure S. R. Mtas poſtulaverat.

3tio Mirum quidem eſt Ordines Regni iis perturbari, quæ juſtitiæ & neceſſitatis innixa fundamentis perturbationẽ nullã provocare deberent ſed rem ex æquo reputantibus majorem adferre admirationem, naturalis quoq; defenſionis hic mentionem fieri, quâ non niſi adversùs hoſtes, & aggreſſores utimur. Juſténe hoc S. R. Mti Sueciæ crimini datur, quæ bellum non infert, ſed repellit, longè enim diverſa ſunt Regionem hoſtili animo invadere, & ingredi illam, eâ duntaxat intentione, ut hoſtem ibi commorantem perſequatur, ejusq; conata infringat, ut nocere deinceps nequeat. Sæpiùs autem S. R. Mtas Sueciæ declaraverat ſe pacem cum Repub. Polona conſtanter ſervare velle, omnesq; curas ſuas eò tendere, ut amoto malorum, quæ utraque Regna premunt, fomite, amicitia ſtabiliatur, nullo ævo interrumpenda, ut hac felicitate frui poſſint Ordines Regni Poloniæ, in quorum ſitum eſt poteſtate, qui, ſi ad propoſitũ hoc S. R. Mtis ſublevandum concurrunt, brevi Rempub. in eo ſtatu collocatam videbunt, ut domi foriſque tranquilla, & ſecura efflorescat.

4to. Quòd deniquè contendant Ordines Poloniæ non ex Rege Poloniæ, ſed Duce Saxoniæ ultionem eorum, quæ contra Sacram Regiam Mtem

A.C. 1703 Mtem patrata ſunt in Livonia quærendum eſſe, obſcurius paulò habetur. Nam ut nihil dicatur de jactata tantopere Regis intentione ea recuperandi, quæ Regno Poloniæ avulſa eſſent, notiſſimum quoq; eſt Saxoniam non eſſe Livoniæ vicinam, nec eſſe Duci Saxoniæ eam in Rep. Polona poteſtatem, ut per hujus Regiones Exercitum ſuum duceret ad bellum amicis fœderatis inferendum. Aut quare Reſpub. Duci Saxoniæ permiſit, ut in ſuo fundo exercitum habere & alere poſſet, atq; inde non tantùm in vicinos incurſiones facere, verùm etiam eo ſecum prædas recipere. Si regeratur, Ordines Poloniæ non id prohibere potuiſſe, fateantur neceſſe eſt, diſſolutum eſſe imperium, in quo quiſquis licentiam peccandi habet, quod tamen illos ſufficienter excuſare non poteſt, aut aliis populis neceſſitatem adferre, gratis injurias illas devorandi, quas lenitate Reip. abutentes inflixerint. Itaque, ſi Duci Saxoniæ licitum erat, è Polonia Suecos infeſtare, quare Suecis non licebit, in Poloniam recedentem eâdem viâ inſectari.

Major enim favor eſſe debet injuriam repellentis, quàm inferentis, quin inhumanum eſſet, in actu licito verſantem impedire, iniqua autem molientibus non obſiſtere, aut denique ſi adhibenda ſit diſtinctio inter Regem Poloniæ & Saxoniæ Ducem, quid moræ eſt, quin Duce hoc Saxoniæ expulſo, Rex eligatur, qui tantam facultatem, opportunitatemq; nocendi non habeat. Quod niſi factum fuerit, ratio non apparet, diuturnæ fidæq; inter hæc Regna tranquillitatis. Sic autem reatus à Repub. tolletur, quæ quamdiu noxam retinebit, & proteget neq; S. R. Mti Sueciæ jure denegabit, ut illam, ubi reperitur, quæſitum veniat.

Mediatio, quam Reſpub. offert S. R. Mti gratiſſima eſſet, hic verò non exiguam difficultatem obſtare facilè pro prudentia ſua Ordines Poloniæ intelligent, quamdiu Rex Poloniæ & conſiliis intereſt, & tantâ apud illos auctoritate valet. Neque enim quiſquam diſcerptatorem illis elegerit, qui non tantùm ab adverſa parte dependet, verùm etiam propenſioris in illam favoris aperta ſigna præbet. Mediatoris eſt omni partium ſtudio eſſe vacuum, neque uni magis addictum eſſe, quàm alteri. Quæ æquanimitas ex iis punctis, quæ jam ab Illuſtriſſimis ac Excellentiſſimis Legatis propoſita ſunt, profectò non apparet.

Atqui ſi Ordinũ Poloniæ interventu diſcordia hæc tolleretur, quam ſatisfactionem de injuriis, quam ſecuritatem de non turbando regno Sueciæ impoſterum pollicentur. Majora damna ſunt, quæ Provinciis Sueticis inflixerat Rex Poloniæ, majores etiam ſumptus, huic bello facti, quàm ut à Rege ſatisfactio juſta ſperari poſſit. Nec credi poteſt Ordines Reipub. hoc onus in ſe ſuſcepturos, quos tantæ felicitatis brevi procul dubiò pœniteret.

Deinde quæ ſecuritas haberi adverſus eum poterit, cujus levem & inſtabilem animum tot documentis experta eſt S. R. Mtas Sueciæ, ut fidem promiſſis ejus habere nequeat. Non opus eſt ſingula repetere, quæ hoc bello doloſè ac injuſtè acta ſunt. Ipſi Ordines Reipub. recenti memoriâ tenebunt, quot quibuſq; modis jusjurandum ſuum, pactaq; cum Rep. conventa violaverit. Quod ſi illa adjecerint, quæ per Königſmarkiam & per Cubicularium ſuum Fictumium S. R. Mti obtulerat, ut excluſâ Repub. ſeparatam pacem iniret, clariùs perſpicient, quæ hujus Regis adverſùs Rempub. intentio ſit. Eo enim tempore, quo Illuſtris hæc Legatio à Repub. miſſa, per has perſonas fidem ejus imminuere, & elevare voluit, niſi tanta S. R. Mti conſtantia fuiſſet, ut cùm abſq; moleſtia queſtuoſam habere pacem potuiſſet, ſterile maluerit continuare

continuare

tinuare bellum, quàm è fundis Reipublicæ ditari.

Fruſtra legibus cupiditatem illius refrænandā ſperant, qui jurisjurandi Religionem, & ſanctum humanæ ſocietatis vinculum temerare non veritus eſt; neq; Reſpub. ſi ſponſionem ſuam interponeret, illum magis ad fœdera obſervanda adſtringere poſſet, quàm antea, aut ſummorum Principum, qui Pacis Olivenſis ſponſores fuerant, authoritas ab injuriis eum retinere potuit. Cùm verò Reſpublica in illo Statu fuerit, ut tertiam perſonam, & Reipub. huic non obnoxiam repræſentare queat, tum demum de rebus pertinentibus tractandi locus eſſe poterit.

Illis autem conditionibus, quæ hic recenſentur, tantùm abeſt, ut ulla mediatio admitti, aut fida pax coire poſſit, ut averſi à pace Statuū Poloniæ animi potiùs ex illis cognoſcantur. Cùm juſtiſſimis S. R.Mtas cauſis inducta ſit, ut fines Reipubl. intraret, iniquiſſimum eſſet poſtulare, ut illis antea egrederetur, quàm ſatisfactio juſta ab eo accipiatur, qui tot injuriis illatis in Poloniæ receptaculum habet. Quam, cùm obtinuerit, non modò copias, è Repub. confeſtim educet, verùm etiam arma verſus illam plagam convertet, unde utriq; Regno emolumentū inſigne accreſceret. S. R. Mtas longè plura damna ex hoc bello paſſa eſt, quàm Reſpub. unquam toleraverat, quæ utriq; ab illo reſarciri æquum eſt, qui anſam belli dederat, atq; libidine ſuâ dominandi effecit, ut utrumq; Regnum tot incommodis affligeretur. Continget utrique ſatisfactio juſta, ſi ejecto Turbatore vetus amicitia arctioribus vinculis adſtringatur percuſſo fœdere, quo non tantùm domi ſecuritatem, ſed & foris incrementum habeat. Deniq; ſperare nemo poterat crambem de rei tormentariæ donatione, jam revectum iri. Quæ mens S.R. Mtis ſuper chymera illa fuiſſet antea, Ordinibus Reip. conſtat. Donare illa, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, aut quæ dubiæ belli aleæ dudum ſint expoſita, inter illa cenſentur, quæ omnium populorum conſenſu obſona exiſtimabuntur. Neq; majus jus in Remp. transferre Rex potuit quàm ipſe habebat, aut in ficto hoc prætextu S. R. Mtas illa eripere, quæ jure belli occupaverat, aut armis ſuis ita conſtricta teneret, ut manibus elabi non poſſent. Novum enim belli jus eſt, & ante hoc tempus inauditum, quo bello capta hoſti reddere juberemur, aut aliis, quæ hoſtis voluerit, victoriæ noſtræ præmia & ornamenta concedere.

Hæc ad illa, quæ Excell. & Illmi DD. Legati exhibuerant, viſum eſt reponere, neq; alia expectari poſſunt, niſi illo, qui hodie Reip. præeſt, longiùs amoto, tale caput conſtituatur, cum quo firma & ſecura amicitia reſtauretur, hoc eo magis fas eſt, ſi perpendatur, quàm atrociter læſa ſit S. R. Mtas Sueciæ, &, quàm multa Reip. Polonæ inimica, & noxia molitus ſit Rex Poloniæ, quibus avertendis nulla unquam melior, quàm quæ jam adeſt, occaſio affulſerit.

LXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO 1 Maji.

AD quæſtionem tuam, quomodò valeam? ante omnia reſpondeo, valeo, ut ſoleo, id eſt vivo magis, quàm valeo,

Ad ſecundam poſt expeditionem Kleſſovienſem venerunt ex Pomerania Sueci, cum ſumma mortificatione, quòd in prælio nupero præſentes eſſe non potuiſſent. Interim arx Cracovienſis tam pulchra,

A.C. 1703 & tam celebris ex accidenti tota igne periit, & Rex Sueciæ dum ſubſequi Regem noſtrum voluit, pedem cadens cum equo ita læſit, ut undecim ſeptimanas manere Cracoviæ coactus fuerit; fuerunt & hactenus ſunt non nulli, qui etiam mortem ejus publicârunt.

Dum Rex noſter Cracoviam Regem Sueciæ petiiſſe ſcivit, verſus Sendomiriam movit, ubi confœderatio nobilitatis non expectata Majoris Poloniæ nobilitate facta eſt in favorem Regis noſtri contra Suecos, quam tibi mitto. Poſt quam finitam concluſâ ad Regem Sueciæ Legatio, deſtinatiſq; ad id præſtandum Legatis, movit Rex Varſaviam, ubi conſilium tenuit illudq; diſtulit Thorunium.

Interim Rex Sueciæ, quanquam de ſalute ejus adverſus quidam ita pertinaciter duravit rumor, ut pauci eſſent, qui vivum eum crederent; ille autem poſt datum aliquod reſtaurationi ſanitatis ſuæ tempus exercitum movit, penes Viſtulam ſemper ibat, pro majori exercitûs comoditate. Acciderat, ut aliquot centeni Suecorum in multò plures noſtrorum caſu inciderint, omneſq; vel cæſi, vel captivati ſunt; undè Rex Sueciæ miſit Mareſchalcum campi Steinbockium cum quatuor millibus hominum contra Ducem noſtrum Lubomirſcium, ſed ille prævenit diſpoſitis in hyberna ſuis militibus.

Comes Steinbock Palatinatus Ruſſiæ, Diſtrictus; Præmislienſem & Sanocenſem ſub obedientiam ſui Regis reduxit, uti in annexis leges, quo tempore & Stadnicius Palatinus Volhynenſis in arce propria, quàm nullâ præcedente defenſione ſtatim reddidit, bonis ſpoliatus tandem ſub cuſtodia militari aliquo tempore non ſine dedecore fuit. Rex Sueciæ poſt ſex ſeptimanarum iter ex integro priſtinæ reſtitutus ſanitati Lublinum venerat, cui junctus eſt Mareſchalcus campi Maydel cum ſex millibus, quos Rigâ duxit, quo tempore Rex Sueciæ Varſaviam miſit Generalem locum tenentem Reinſchieldt virum prudentiæ ſingularis, & roboris particularis. Deſtinatus etiam Reſidens Wachtſchlager, ad tractandum cum noſtris Magnatibus in ordine ad dethroniſationem Regis noſtri AUGUSTI, qui induxit Cardinalem Primatem ad caſſandos omnes actus cum nonnullis Senatoribus ſub Sendomiria concluſos, tanquam conſtitutiones regni, libertâtes, & comoda Reipub. impugnantes.

In Menſe Aprili Rex Sueciæ reddidit ſe Varſaviæ, ubi cum Cardinale Primate habuit conferentiam repræſentando, quòd nullus ſit, quicunq; æquitatem amat, qui non conveniat, quòd bellum hoc inceptum fuerit, ſine ulla ratione juſta, & quòd continuetur modo indigno; ita nemo dubitat, quòd Rex Sueciæ tam injuſtè impetitus, juſtam habeat cauſam, ut non tantùm ſatisfactionem magnorum damnorum quæ tulit, exigat, ſed etiam ſecuritatem in futurum proportionatam &c. Jam tertius volvitur annus, ex quo Rex Sueciæ nec unum, nec aliud obtinuit, illudq; jam ſperare non permittatur. Secundùm reliqua quæ exprimuntur in reſponſo à Rege Sueciæ dato Palatino Maſoviæ, cujus

Stanislaus Morſtin ſermonem & dictum reſponſum adnecto; ſicuti & à conſilio Primatiali Cancellariæ Regis Sueciæ dato. Quamvis Rex Sueciæ ex impatientia non expectato eò 30ma Aprilis movit verſùs Pultoviam, ubi Generalis Steinau cum magna parte exercitûs Saxonici hiberna agebat. Volebat quidem Stienau impedire trnaſitum per pontem, qui in fluvio Bug per unam tantùm noctem conſtructus erat. Sed ita terror panicus illos occupaverat, dum Regem Sueciæ viderent, ut ad primum tormentorum ſtrepitum fugerint, major quotidie fugiendi cupiditas, minor verecundia, ut herba irrigua, ſic mores mali ſuccreſcunt uberrimè,

mè, & ut flumina per ſe dulcia cum in mare venerunt ſaleſcunt, ſic haud mali milites, conſortio quaſi facto inquinantur, quod adjicio non ut arguam, ſed ne de omiſſa veritate arguar. Tranſitus fluvii hujus non erat ſine difficultate, non tantùm quia rapidum curſum habet, ſed etiam quia largior erat, quàm credebatur, ſed nullæ unquam difficultates Regis Sueciæ impedire ſolent intentiones, & cum ſub ipſam auroram omnibus retentis quicunq; paſſus cuſtodiebant, Pultoviam veniſſet, & equites Saxones, quorum erant quinq; millia in duabus lineis diſpoſitos inveniſſet, qui credebant tantùm aliquam exiguam partē Suecorum eſſe nec potuiſſe tam citò fluvium tranſire, ſed, cùm vidiſſent Regem Sueciæ ducentem fortiterq; audere, audacter exequi, ſtatim retroceſſerunt in civitatem, quæ eſt quaſi inſula ex omnibus partibus brachiis fluvii circumdata, ita, ut ſit quaſi inacceſſibilis, ſi ex omnibus partibus pontes rumpantur. Rex Sueciæ, qui nolebat perdere fructum celerioris curſûs ſui, non illos perſequebatur, ſed aliâ viâ impediendo eorum Saxonum ex civitate exitum, illis occurrit, ſed quia iter erat anguſtum, jam magna pars illorum tranſierat pontem, nec remanſerant, niſi ſeptingenti homines, quorum ducenti occiſi, reliqui captivati, cum parvo damno Suecorum, quibus currus & omnes res Saxonum in prædam ceſſerunt. Generalis Steinau per pontem Collegij Soc. JESU ſalvavit ſe. Generalis Beiſt ſalvare ſe voluit in molendino funibus abſciſſis, & curſu fluminis reddito; ſed à Rege Sueciæ captivus factus, qui in craſtino ſexcentis ſecum ductis equitibus Saxones perſequebatur. Certus etiamſi inæquali numero victoriæ, ſed fruſtra novem milliaria confecit; velociores erant enim pedes fugientium, ita & commiſſi prælii famam certæ victoriæ Sueticæ rumorem accipe. A. C. 1703

Tu verò quem amandum delegiſti, non reijcies, ut ſpero, ab affectu cupientem eum ultroq; ambientem, utar enim iſto verbo, nam revera ambio amicitiam talium virorum, & te jam olim novi, & quia novi, amo.

RESPONSUM A CONSILIO PRIMATIALI AD MANIFESTATIONEM REGIS SUECIÆ. Varſaviæ die 5. Maij.

QUòd Reſp. Polona nihil habeat antiquius ſanctiuſq;, quàm pacta & fœdera cum vicinis ſemel inita ſemper inviolata ſervare, re ipsâ teſtata eſt, nullam videlicet volens habere partem in his turbis, quæ facto iniquo inter S. R. Mtes præter ſcitum & voluntatem ſuam excitatæ, tot tantaq; ab utrinque damna intulerunt. Itaque ſenſu vicini, & nullâ inconſtantiâ mutati affectûs libellum nuper ex mandato S. R. Mtis Sueciæ porrectum recepit, ad cujus contenta ſi punctatim reſpondere adnitatur, eſſet immenſum & operoſum nimis, [illegible]iuſq; exacerbando vulneri, quàm levamini ferendo pronum diu renovandis immorari doloribus. Sed cùm domeſticæ calamitates triſtitiâ ſunt operiendæ, tantorumque malorum levamen non niſi ex ſolo eorundem malorum dependeat fine, qui eſt Regnorum quies, & tranquillitas. Ad hanc igitur toto & ſincero aſpirando pectore non alio id etiam recognoſcit animo, omnia quæ hactenus non ſinè ingenti ejus dolore acta ſunt contra vota & intentionem ſuam facta eſſe, ſtipulaturq; abhinc omnimodā ſe adhibituram præcautionem, fortiùſq; in futurum, acturam ne contra leges & ſancita Regni, contra vincula fœderatæ amicitiæ, demum contra ipſam juſtitiam ſuſcipiendi ex inopinato belli ſimiles in poſterum

ſerum-

*A.C.*1703 erumpant auſus, metitur id quippe ſuo ſatis jam damno Reſp., quantum pœnæ, & tribulationum reportaverit toties, quoties arcanas ſuorum Principum meditationes nimiùm tutâ prætermiſit fiduciâ, quantúmq; deinceps cavere debeat, ne ſuper ſimilibus eorum actionibus incauto ſibiq; damnoſo corripiatur ſopore. Quod ut tantò firmiùs & fundamentaliùs peragatur per Commiſſarios ſuos plenariè in hoc puncto ab Ordinibus Regni & M. D. Lit. inſtructos cum Commiſſariis S. R. Mtis Sueciæ in ordine ad Tractatum, quantocius deſignandis, ſincerè & ſinè omni fuco rationes ſecuritatis inire parata eſt.

Conſilium præſens ab Eminentiſſimo Cardinale Primate Regni, & M. D. L. intimatum, quòd non fuerit ad palatum palatio, nemini poteſt eſſe mirandum, cùm enim Reſpub. deteſtaretur ſemper bellum ſe inſciâ ſuſcitatum, neutiquam tale conſilium, in quo ejuſdem belli rationes examinari, & improbari potuiſſent, gratum acceptumq; ſibi nullatenus habere poterant infauſti belli promotores.

Literis die 4. Men. Febr. ad Eminentiſſimum Cardinalem à S. R. Mte miſſis, iiſq; per Palatinatus communicatis, cum debita veneratione imò & cum intimo lætitiæ ſenſu, etiam Mariæburgenſe applauſit conſilium, quòd ſcilicet ſint bajulæ & prænuntiæ optatæ pacis oleæ, meditationumq; S. R. Mtis Sueciæ à triſti cruentoque Marte ad dandam tandem populis quietem declinantium; ſed quia eædem literæ cum contentis ſuis videbantnr proniùs referri ad hocce præſens conſilium jam anteriùs inviſum, tum quia in Mariæburgenſi illo congreſſu certò conſtat non omnes fuiſſe ejuſdem ingenii, nec omnes bene diſpoſitos ad ea, quæ ſalutis ſunt publicæ, ideo res admiratione non eget, potuiſſent taliter contrarii ibidem emanare actus.

Quòd verò idem hic conſilium conventiculi nomine per literas circulares repræſentatum fuerit, quodque literæ S. R. Mtis Sueciæ ſub ſcrupuloſiorem ſtylum interpretantis eas liberiùs Cancellariæ inciderint, id ſanè factum ſolis æmulationibus, & diffidentiis contra præſens conſilium, quas Mater Reſpub. charitate cooperire contendit, ut ſcilicet tantò efficaciùs pericuſoſa in uno membrorum corpore diſſidia, ad votivam & ſalutarem componat unionem.

Conſilium Mariæburgenſe licet quidem ſucceſſivè ex congreſſu Sendomirienſi diſputato, & per nonnullos in dubium vocato promanaverit, quia tamen ad diu optatam ſuavemque harmoniam res & animi civium deveniunt, oportet jam omnino ſcrupulos tollere, & ſicut in diſcordi & diſſona Repub. omnia tranſverſa, ſuſpecta, & dubia erant, ita in unanimi, pacemq; uno labio cupiente, omnia certa, firma, & fundamentaſia exiſtimanda ſunt, ita, ut ſecurè, & abſque omni ambiguitate votivus utrique Regno tractatus inſtitui poſſit.

Ad reliquum, quia pro unico præcipuoq; Statûs ſui, & avitæ libertatis, quâ nihil carius ſe habere fatetur, fundamento ſemper habuit, habetq; liberam, ne ullâ vel minimâ coactionis umbrâ obſcuratam Electionem, de qua vivente Principe vel cogitare nefas, cumq; Sacramento Regis fidei habeat corroboratas S. R. Mtis Dñi ſui declarationes, eam nempe nunquam in poſterum quidquam ſimile inſciâ vel invitâ Rep. tentaturam. Tum quia tot Palatinatus circa tuitionem ejuſdem Mtis Sacramento ſe obſtrinxerant, illudque velut acta Deorum reſcindere, nunquid coram Diis & hominibus æquum eſſet ideo rem & vocabulũ haud antea in Polonia auditum, Dethroniſationis Generali Ordinum, atq; moderni Conſilij conſenſu deprecatur. Declarans, & ſeſe ad Guar-

rantiam

rantiam obligans, S. R. Mtem D. ſuum clementiſſimum ſacroſanctè jam *A.C.* 1703
nunc renovanda, & ſecundùm gradus datæ inſtructionis, quàm melio-
ri modo reſtauranda Pacta Olivenſia, novaq; ineunda ſervaturum. Dat.
Varſaviæ in Conſilio Primatiali 5 Martij.

RESPONSUM à REGE SUECIÆ DD. COMMISSARIIS.

QUàm cordi ſit S. R. Mti Sueciæ, ut turbis hiſce ſedatis vetus amicitia inter Regna Sueciæ & Poloniæ ſtabiliatur, cùm antea ſæpius, tum in heſterna audientia non obſcurè indicatum eſt, quoniam verò S. R. Mtas Sueciæ in libello quem Eminent. Cardinali ac Primati Poloniæ exhiberi juſſit, fuſiùs voluntatem ſuam explicuerat, monſtratâ viâ, quam huic propoſito obtinendo aptiſſimam fore crediderat. Itaq; ſuper eodem priùs ſeſe Ordines Reip. declarent. Conveniens eſt, ut perinde actiones ſuas S. R. Mti poſſit dirigere. Quod Excel. Vræ, & Illuſtribus Comiſſariis ſignificandum erat, ne exiſtiment S. R. Mtem de optima erga Remp. propenſione quidquam remiſiſſe. Pragæ 17 April. *C. Piper.*

COPIA LITERARUM COMITIS PIPER AD EMIN. CARDI-dinalem ex Caſtris ſub Bobrowniki 9 Maji.

EMinentiæ Vræ ſuperiori Epiſtolâ indicavi reſponſum, quod à Conſilio Varſavienſi die 5 Maji adornatum eſt, S. R. Mti Sueciæ Dño meo clementiſſimo non viſum eſſe ad declarationem à ſe antea factam, usquequaq; accommodatum. Alienum enim ducit ab hoc rerum ſtatu, in iſto non tantùm propoſitionem ſuam omitti, verùm etiam feſtinato, ut apparet, conſulto præventos eſſe reliquos, quos Conſilio huic adfuturos non dubium erat, ſumptâ præcipuâ hujus facti ratione à plurium Palatinatuum conſenſu, ad tuendum illum, quem hoſtem ſuæ Mtis eſſe non negaverint. Quod certè S. Regiæ Mtem Sueciæ non magis adducere potuerit ad ea amplectenda, quæ Conſilium Varſavienſe videtur intendere, quàm ſperare, idem deprehenditur ad ſalutem Reip. Polonæ, ſtabilemq; tranquillitatem. Quapropter exiſtimat S. R. Mtas Sueciæ juſtam ſibi eſſe cauſam tale reſponſum expectandi, quod propoſitionem à ſe factam directè tangat. Et quemadmodum cum illa in hoc convenire Conſilium præſens apparet, quòd omnia, quæ à Rege Poloniæ circa hoc bellum acta ſunt, ac patrata, non modò improbet, damnetq; ſed etiam eas adhiberi præcautiones poſſe confidat, ne ſimiles in poſterum auſus erumpant. Ita S. R. Mtas Sueciæ, quæ alium quàm ſæpiùs indicaverat, modum hactenus invenit, quo fida, ſecura, ac diuturna inter Regna Sueciæ ac Poloniæ amicitia inſtauraretur, jam fas eſſe credit, ut Reſpub. ſuas, quibus juſtam ſecuritatem obtinere poſſe putat, rationes exponat, viamq; monſtret, æquè tutam aptāq; ad hunc ſcopum perveniendi. Cùm hæc deſignata fuerit, S. R. Mtas Sueciæ ulteriùs mentem ſuam aperiet, Commiſſariosq; quibus hoc negotium comittatur, tunc rectiùs nominandos eſſe ducit. Interea ſicut illa hoſtem ſuum tantummodo perſecuta omnem offenſionis anſam cū Rep. ſedulò evitaverat toleratis etiam iis, quæ arma ſibi gerenti non ferenda eſſent, ita porrò declarari juſſit ſe, quamdiu non laceſſatur, incorruptam cum eadem amicitiam ſervare velle, neque cuipiam pacato vim inferre, non poſſe verò non pro hoſtili aggreſſione reputare, ſi Palatinatus Exercitusq; Poloniæ ſe immiſcuerint, quemadmodum etiam

A.C. 1703 toti orbi ſe excuſatum cupit, ſi in eos, qui perſtiterint inſultare, illo rigore animadvertat, quem injuria ſibi allata poſtulaverit. Hæc erant, quæ nomine Regis mei ſignificare debui, cui ſumma Eñtiæ Vræ prudentia ſpem facit certatiſſimam, ſeriò hoc illorum animis repræſentatum iri, qui rem Polonam conturbare magis, quàm tranquillam reddere annituntur. De cætero Eñtiam Vrã quàm diutiſſime ſoſpitem eſſe voveo, meque ad omnia officia, quæ à me proficiſci poſſint, totum offero, qui ſum &c. *C. Piper.*

RESPONSUM à MAJESTATE SUETICA DATũ DD. COMmiſſariis ad Tractatum. In Caſtris ad Plonsko 10 Maji.

SI ſciviſſet Seren: Rex Sueciæ Dñus meus clementiſſimos, quòd tam allegoricæ prudentiæ, & inanis conſilij viros, ad congreſſum hunc reperiſſet, non modò eos ad hoc conſilium, quod levi ſtaterâ penſatum, admiſiſſet, verùm etiam & de Regno Vro nunquam ſomniaſſet. Nec vos Conſiliarij, ſed veriùs dixerim, ſeductores eſtis. Virus enim veſtrum hócce, non modò Regi meo clementiſſimo, ſed & toti Regno Vro propinatis. Nam ubi illa Veſtra toties publicata, & adjurata fides? & cùm res veſtra agebatur, pernicies veſtra perturbabat, ubi falſa denuntiatio Veſtra, de fuga Regis Veſtri in Saxoniam, ubi auxilia Vra promiſſa? tot cohortes? tot copiæ? qualis nunc contra Regem noſtrum livor, qualis fremitus de everſione ab eo libertatis, cùm illi iterum fidelitatem juratis, hoſtesq; Vos Regi noſtro declaratis, quem in protectionem libertatis vocâſtis? Timete, timete & videte, ne hic error veſter pejor ſit priore, errâſtis dum vocâſtis, & nunc erratis, dum diſſimulatis; Simulacra vera Paganorum, & Idola Atheiſmi eſtis. Siccine DEo quem inſimul colimus, ſervatur fides, experiemini ejus & Dñi mei clementiſſimi vindictam, quæ nunc ſtatim fieret, niſi certis rebus, & rationibus priorem nos locum daremus. Effudiſtis nunc, quod ſubdolo, & falſo corde formâſtis, ſuadebatis antea, nunc diſſuadetis, promovebatis antea, nunc amovetis, qualiter ergo de Vobis judicandum? Primas veſter eſt Hypocrita, Sapiehæ ſunt prævaricatores, alii à DEo ſunt puniti violentâ morte, cæteros ſylvæ & nemora tenent, quâ fide? quo fine, ubi timor & reverentia Veſtra erga Mtem Dñi mei clementiſſimi? dum nunc armari vultis contra eum. Non terretur his Dñus meus clementiſſimus, aderunt media, & ſubſidia, quibus Regno veſtro non injurij modò, ſed & vindices exiſtemus. Etſi aliter fata voluerint, Rex meus clementiſſimus cum Rege veſtro uti cognati facilè in caput veſtrum paciſcetur, & graviùs, quàm antea fortuna excipiet. Scitote ergo hoc, & penſate deteriora manere vos, quàm ſperatis, jugum, quod excutere voluiſtis, ipſum ultro humeris veſtris imponetur.

COPIA LITERARUM COMITIS PIPER AD EMIN. CARDInalem 15 Maji in Caſtris ad Drevenſam.

EX literis Emin: Vræ, quæ ad Illm̃um Theſaurarium Litvaniæ nuper datæ ſunt, percepi Eminen: Vram cupere certiorem fieri de pacto ſeu induciis operâ Miniſtri Cæſarei factis, inter S. R. Mtem Sueciæ Dñum meum clementiſſimum & Regem Poloniæ, quas violatas idem Rex queritur, cæſis ad Pultuſciam Saxonibus, à ſe verò ſanctè obſervatas dicit, juſſo non tantùm Steinavio Duce Copiarum ſuarum,

ut

ut à Suecis infeſtandis ſe abſtineret, ſed etiam tranſitu Duci Suetico Maydelio conceſſo, cum præteritâ æſtate nova in Poloniam ſupplementa adduceret, quin etiam reſpectu iſtius pacti Ducem Generalem Rheinſchildium, quem in hybernis ad Blonie opprimere potuiſſet, illaceſſitum relictum, absq; omni incurſione intactum. Equidem S. R. Mti Sueciæ omnino ſunt incognita, quæ maximoperè miratur voluiſſe quemquam tam enormia fingere, quæ ne ſpeciem quidem veritatis præbuerint; Notiùs utiq; eſt Emin: Vræ, quàm ut fuſè hic inculcari debeat, neq; in Cæſaris, neque in alterius cujusquam mediationem adhuc eſſe conſenſum, ſemper autem expetiviſſe Sacram Regiam Majeſtatem Sueciæ, ut ſecura priùs, tutaque deſignaretur ratio pacis reſtaurandæ, quàm de eadem Tractatus aliquis inſtitueretur. Tale igitur pactum quo utriusq; Regis arma ſuſpenderentur, cujus interventu, aut quo in loco factum eſt, aut quis unquam extendit poteſtatem ſibi datam tale quidquam inſtituendi, non opus eſt de hac re plura addere, ſufficit conſcientia Miniſtri Cæſarei, qui fabulam hanc diſſolvet. Quæ autem de Ducibus Sueticis, quorum mentio facta eſt, traduntur merâ vanitate, ac jactantiâ tam liberaliter prædicari conſtat, fuit uterq; horum ijs copiis inſtructus, ut laceras fugati hoſtis reliquias non tam metuere deberet, quàm pugnæ ſibi copiam optare, cùm ex prioribus ſuetam ſibi fortunam polliceretur. Et quid attinet morari? Literæ Regis Poloniæ, quæ inter prædam Pultovienſem ſunt receptæ, & ipſius Regis manu exaratæ manifeſtabunt, evincentq; hæc eſſe conficta, atq; habuiſſe Steynavium à Rege Poloniæ in mandatis Suecos obruere ſi quando opportunitas invitaret, ſed quò tendant hæc commenta, ſimulatæq; benignitatis commemoratio, neminem, qui aliquid de reb⁹ judicare poteſt, latebit. Quis enim non perſpicuè videt, hæc ita divulgare, ut pernicioſiſſimis deſtinatis, quæ adverſùs Suecos foventur, contectis, cùm Reſpub. Polona tum alij inducantur, ut credant averſari S. R. Mtem Sueciæ pacem, illamq; quocunq; modo impedire, atque invidiâ hujus belli in Suecos derivatâ Poloni faciliùs in ſocietatem illius alliciantur. Qui iniquiſſimum hoc & utriq; populo infauſtiſſimum bellum ſuſcitavit, illudq; ignobilibus prorſus artibus protraxit, geſſitque, hanc autem genuinam mentem Regis Poloniæ deprehendet, quiſquis noviſſima univerſalia, quibus ad militarem expeditionem nobilitas Polona convocatur, inſpexerit; in illis enim cauſa huic convocationi obtenditur, quòd S. R. Mtas Sueciæ pacem reſpuat, atq; abrupto omni tractatu, rejectisq; propoſitionibus infeſtiora contra Rempub. in dies patret, geratq;, ut ita liberæ gentis jura tandem opprimat, atq; evertat, idq; ex Dñis Commiſſariis, qui Reipub. nomine miſſi ſunt, compertum eſſe traditur; an verò ijdem Dñi Commiſſarii, qui rectiùs totam rem edocti ſunt, unquam talia potuerunt enuntiare, quàm falſa hæc ſint, quamq; malitioſè ficta, Eminentia Vra pro ſumma ſua prudentia facilè diſcernet. Illa enim perſpectiſſimum habet, S. R. Mtem Sueciæ, neq; ab amica compoſitione abhorrere neq; unquam recuſaſſe, propoſitiones à Repub. factas audire, ſed cùm tot experimentis didiciſſet, rem ſibi eſſe cum Aula multæ levitatis ac inconſtantiæ, voluiſſe tutiſſimam viam inſiſtere, adeoq; radicitus hujus mali originem evellere, ne in ſuam æquè ac Reipub. Polonæ perniciem repullulare illud unquam poſſet, atq; non alium ei finem propoſitum eſſe, tum ex declaratione ſumma, tum ex epiſtola nuper ad Eminentiam Vram miſſa non obſcurè indicatur. Qui verò hoc præclarum inſtitutum impedire, ſubruere, at- A.C. 1703

A.C. 1703 que convellere allaborant, nónne illi mentem ſuam nimis in propatulo ponunt, indicantq; ſibi conſtitutum eſſe, non tam revocare publicã tranquillitatem, quàm huic funeſto incendio, quo latè vicina Regna fumant, faces, tædaſq; aggerere, ſi ab amantiſſimo quoq; Patriæ ſuæ, ut fas erat, hæc expenderentur, non dubium eſſe, quin ſinceram S. R. Mtis Sueciæ intentionem, quam toties teſtatam reliquerat, deprehenderent, imaginem verò animis conciperent imminentium malorum, ſi inconſulto quodam ſtudio, ac fervore in illius ſententiam præcipites irent, qui tot præſtigiis dolisque ingloriis utramq; nationem collidere ſatagit, quo feſſis deinceps, damnoſoq; bello enervatis inſultare poſſet. S. R. Mtas Sueciæ quanquam iniquo bello provocata vindictam tamen juſtiſſimam quieti orbis condonare cupiens, non alio, quàm factum eſt modo, mentem ſuam hactenus explicare potuerat, & quamvis eidem nemo paulò humanior crimini verteret, ſi tot ludibriis circumducta diffidentiam paulò majorem adverſus ea, quæ toties vana fuiſſe experta eſt, in poſterum haberet, tamen in eodem propoſito etiam nunc inconcuſſa permanet. Hoc ſi Reſpub. Polona ſiniſtro genio impulſa non probet, aliamq; viam ingrediatur, quàm quæ jam ſterni cœperat, quod ſuo jumento ſibi accerſiverit malum, ſuæ inconſiderantiæ aliquando imputabit. Confidit autem S. R. Mtas Sueciæ ſe toti orbi approbaturam, quæ hactenus à ſe acta ſunt, eaſq; reportaturam actiones, quibus quævis hoſtium conata retundat, vindictamq; ſatis gravẽ de aggreſſoribus reportet. Hæc verò ſicut juſſu Clementiſſimi Regis mei perſcribere debui, ita nullus ambigo, quin Eminentia Vra, eâ, quâ ſolet ſagacitate perpendat, quantæ ſint malevolorum machinationes, quamq; nihil inexpertum omittant, ut radios illos Serenitatis publicæ, quæ eluceſcere nuper cœpit, extinguant, pellantq;, quibus ſemel disjectis non vana eſt conjectura procellam triſtiorem incubiturã, quodque imprimis verendum, totum hoc negotium, quo tranquillitas plena reſtitui poſſit, longè difficilius redditum iri. Quò major ſpes me habet Eminentiam Vram, quæ pro ſueta ſua prudentia hæc ſatis proſpiciet; conſilia quoq; inhibendis ejuſmodi machinationibus idonea inventuram, quod precatur Eminentiæ Veſtræ C. Piper.

COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ ad EMINEN. CARDINALEM ex CASTRIS ad Thorunium die 29 Maij.

PErlatæ ad Nos ſunt literæ Eminentiæ Vræ, quibus Rempub. bonâ fide propendere affirmat ad ſedandas haſce turbas; quæ noſtrũ pariter ac Poloniæ Regnũ hactenus exercuerunt, ſpe factâ non defuturas in ipſo tranſactu rationes, quibus tam ſalubre inſtitutum perficiatur, ſi abſq; mora Commiſſarios ad ipſum deligemus. Non poteſt eſſe nobis non pergratum, qui non minori deſiderio tenemur, finem huic bello imponendi, in quod inviti prorſus protracti ſumus, & ex quo compendium nullum quærimus, aut emolumentum, quàm ut noſtræ adverſus futura ſecuritati plenius proſpiciatur, omniſq; præſcindatur occaſio, quâ tranquillitas publica in poſterum ſolicitari poſſit. Quo autem pacto credimus votum hoc potiſſimum eſſe implendum, ſicut nos abſq; ambagibus ſæpiùs indicavimus, ita nunc conveniens judicamus, ut Reſp. ingenuè nobis

detegat

detegat aliam viam æquè tutam ac ſecuram ad hunc finem perveniendi, ſi quam nos monſtravimus, inſiſtere noluerit. Equidem etſi non dubitemus, quin Reſp. abſque fuco pacem cupiat ſtabilitam, rationem tamen illius obtinendæ nondum expeditam ſatis atque perſpicuam videre licuit, quamdiu non planiùs nobis exponatur. Nec immeritò hanc diffidentiam nobis eſſe fatebitur, quiſquis ingenium hoſtis arctiſſimoſq; cum Czaro nexus, & occultas machinationes conſideraverit. Quapropter cùm Reſp. ſuper hoc capite propiùs ſe declaverit, ut paulò majorem futuri Tractatûs ſpem concipere poſſimus, nos quoq; non morabimur in eam voluntatis certa documenta exhibere, illumq; amplecti modum, qui motibus hiſce componendis aptiſſimus viſus fuerit. Interea cunctis Reip. civibus, qui arma noſtra non provocaverint, integram quietem conſervabimus, neq; committemus, ut de milite noſtro quiſquam jure queri poſſit. Omni hactenus à Reip. munimentis vi abſtinuimus, idemq; porrò coſtituimus facere. Quamdiu verò civitas Thorunenſis hoſtem ſinu ſuo contineat, à ratione belli non diſcreparet, ſi eam non ut Reip. urbem, ſed ut receptaculum peregrini ex Saxonia militis reputaremus. Quin, ſi quod Reip. intereſt, rectè æſtimetur, facilè præſumi poteſt, quantùm inde periculi immineat, illo munimenta Regni præſidiis ſuis tenente, qui non nobis magis, quàm Reipub. gravis eſſe poterit, arcemq; Dominationis illic tandem conſtituere. Sed nos, qui nullam ex amicorum incommodis voluptatem capimus, nihil tam in votis habemus, quàm ut exciſâ penitus omnis diſſidii cauſâ, vetus amicitia, tranquillitaſq; refloreſcat. Cujus felicitatis curam Eminentiæ Vræ. commendantes &c. *A. C.* 1703

LITERÆ à REGE SUECIÆ AD DD. COMMISSARIOS ex Caſtris ad Thorunium 29 Maji.

Ex literis Veſtris 1. Junij exaratis percipimus, deſiderare Excell. Veſtram, & Dnaõnes Vras, ut mentem noſtram circa pacis negotium propiùs exponamus; Nos verò, quanquam cùm ſuperiori anno, tum nuper aliquoties cauſas indicavimus, quæ ſalubre hoc utriq; Regno propoſitum remorantur, monſtrato modo, quo facillimè omne diſſidium tolli poſſe credidimus, tamen non gravabimur ita denuò declarare nos ſeriò cupere, ut tranquillatis hiſce motibus, quibus Polonia jam concutitur, ſtabilis & ſecura nos inter & Remp. Polonam amicitia reducatur. Quo autem pacto ille ſcopus obtineri poſſet, ſicut animi noſtri ſenſa candidè aperuimus, ita ſi illud minus Reip. arrideat, fas eſſe arbitrabamur, ut ipſa aliam indicet viam, non minùs quàm altera nobis viſa eſt, huic fini accommodatam. Nam tametſi pacem à Rep. deſiderari ſignificetis rationesque in ipſo Tractatu inveniendas, quibus ſecuritati noſtræ ſufficienter cautum erit, donec tamen circa generalia hæreat, nec

*A.C.*1703 intimiùs, naturam earum explicuerit; non poſſumus optati exitûs ſpem ſuſcipere certam, adq; negotium hoc expediendi, propius accedere. Quod circumſpectius paulò nobis hic agendum arbitramur, non cuiquam improbabitur, qui cogitaverit, quo cùm hoſte nobis res ſit, qui dum pacem crepat, infeſta nobis moliri quàm maximè intendit. Quàm arctò fœdere Moſcho ſit innexus, neminem latet, ab illo, cum non ſolùm nervum belli habeat, verùm etiam Litvanos ſtipendiis ejuſdem alligaverit, non ſpes eſt, niſi ſummâ vi à nociva hac ſocietate avulſum iri. Quapropter cùm jam Comitia appropinquare audimus, ventilari hoc negotium accuratiùs par eſt, rationesq; certas & idoneas iniri, quibus hiſce malis obviàm eatur. Illis palamq; expoſitis, atq; ad nos perlatis non ceſſabimus teſtari, nihil tam nobis cordi eſſe, quàm æquis Reip: deſideriis ſatisfacere, cujus amicitiam, ſalutemq; vindictâ quâvis potiorem ducimus.

COPIA LITERARUM AD REGEM SUECIÆ A DD. COMMISSARIIS 1. Junij.

CUm in illo, quod ad Pragam nobis datum eſt, reſponſo inſertum fuiſſet, quædam dubia commodiùs per Eminen. Cardinalem Primatem Regni nomine totius Reip. agentem elucidari poſſe; nos tantiſper otioſi expectare debuimus, non tamen ſine magna ſpe, remotâ ulteriori dilatione inchoandi adeo ſalutaris negotii. Verùm quia ad hoc uſq; tempus nulla in literis ad Eminentiam ſuam ab Illmo Comite Piper datis invenimus certitudinem, terminus autem Generalium Comitiorum Regni immineat, ubi indiſpenſabilis negotiationis noſtræ ratio reddenda eſt; & inſuper inſtructiones pro iiſdem Comitiis expeditæ ultro ſtimulant, allaborandum eſſe, ut Tractatus non differatur, videlicet à tota Repub. brevi congreganda ratificandus. Ipſa nos neceſſitas adigit, & excuſat præmiſſo omni cultu & veneratione S. R. Mtem V. adire, cupientes non ex alieno diſcurſu vel conjecturis, ſed ab ipſo S. R. Mtis V, ad quam miſſi ſumus oraculo procedentem habere declarationem. Securitas concludendi, ſi DEo placuerit, Tractatûs, nullum movere debet ſcrupulum, cùm nobis ſit plenum Jus, dataque facultas in Tractu negotij, omnia quæcunq; inveniri poſſunt media licita ac honeſta amplectendi. Certi itaq; ſumus S. R. Mtem Vrã Heroem tantæ magnanimitatis non paſſuram ſiniſtrè interpretari hanc expoſtulationem noſtram, univerſoq; orbi teſtaturam non minùs ſe fortem & intrepidam contra inimicos quàm ſuavem & benignam cum amicis eſſe.

COPIA LITERARUM DD. COMMISSARIORUM AD COmitem Piper. 2. Junij.

CUM characteris noſtri obligatio crebram ſolicitationem excuſare debeat, non credimus aliquam incurrere poſſe reprehenſionem S.R.Mtem omni cultu & veneratione, tanto Regi debitâ compellando. Non enim nobis reſtat tempus ulterioris dilationis, cùm indicta comitia nondum inchoati negotij neceſſariò finem adferant, quæ in contrarium, in Tractu & ſpe optati finis exiſtentis certiſſimum ſunt

ro-

robur; ſecuritas & ratificatio; Nunquam Excell. Vræ mentem à tranquillitate publica alienam eſſe cognovimus, & nunc itaq; certò confidimus operam & favorem Excell. Vræ nobis non defuturam.

LITERÆ AB EMINENT. CARDINALE AD REGEM SUECIÆ Scriptæ Lublini 18 Julij.

NON vitio vertat Mtas Vra, quòd ad ultimas ſuas de datâ 8 Julij tárdiùs reſpondeã in materia præcipuè quæ quò gratior, eò promptior in reſolvendo credebatur, Comitiorum Generalium hæc mora, ubi privatorum planctus ac querelæ ſub ſenſum priùs venerunt, quàm publicæ rationes. Expertus ſum idipſum ſummâ gradus ac nominis mei moleſtiâ ſub abſentia adhuc mea, quando ſtudium meum Mti Vræ optimè notum in procuranda publica quiete iniquiùs interpretatum, non quia non rectum, ſed quia hucuſque inefficax, & hæc quæ mihi Mtas Vra per literas ſuas amicæ in gentem noſtram propenſionis protulit documenta, nocumento fuêre, dum hæc confidentia pro partialitate, media pro dilationibus vulgabantur, diſſipavit aliquantũ adventus Lublinum meus collectas has nubes, & mox ceſſavit quaſſatio. Apparet id ex ipſo eventu, quando & Comitia felicem coronidem ſortita, bellicus apparatus ad ſecuritatem magis, quàm ad noxam erectus, dexteræ ad amplexum priùs, quàm ad Capulum porrectæ, Illuſtriſſimi ac Illuſtres DD. Commiſſarii iidem approbati, qui tractatum ſub authoritate indicti ad hoc conſilii reaſſumant. Et ego in hæc vocatus, qui Mti Vræ integræ, ac inconſutilis Reipub. Guarrantiam pro ejuſdem tractatûs ſecuritate toties inſinuatam deferam, & ejuſdem Religioſam appromittam manutentionem. Nec aliquis ſuper eadem ex præteritis ſuperveniat ſcrupulus; neglecti hactenus ſuper ſancita noſtra rigoris, hoc quippe recens S. R. Mtis Poloniæ diploma jurisjurandi Sacramento vallatum explodit accuratior Reipub. ſpecula, & tot pœnitendis caſibus edocta cautela, quod tractatûs inchoationem moretur, dummodo aſſenſus S. R. Mtis Vræ accedat. In cujus voto & gratioſiſſimum Mtis Vræ reſponſum præſtolor, & ipſo in diſtincto cultu humillimâ inclinor veneratione. Datum Lublini 20 ut ſupra.

RESPONSUM à REGE SUECIÆ, AD EMINENTISSIMUM. CARDINALEM ex Caſtris ad Thorunium 21

NOS Carolus &c. Eminentiſſimo &c. Jam anteaquam epiſtola Eminentiæ Vræ ad nos eſſet perlata, publicâ famâ compereramus, quàm multa in nuperis Comitiis exiſtimatione, meritiſq; ſuis indigna pertulerit. Verùm quò infeſtiorem ſe ea factio oſtendit, eò minùs quieti pacificiſq; ſtudiis amicam exiſtimare illã licet. Cùm nos ipſi teſtes ſumus, quã ſollicitudine ad integritatem Eminentia Vra ea ſuggeſſerit, quæ componendis hiſce motibus, publicæque tranquillitati reſtituendæ viſa ſunt convenire. Edocti ſumus hoc eventu, inque ſententia noſtra confirmati, imbecillum valde à legibus, pactiſque, auxilium eſſe, neq; certam unquam ſtabiliſq; ſecuritatis rationem iniri poſſe, ubi effrænis licentiæ tantùm laxantur habendæ, ubi ambitioni locus adeo patet, atq; ubi turbidis

*A.C.*1703 dis ingeniis facultas nunquam deeſſe poteſt ea fabricandi conſilia, quæ in publicam demum immutabilemque erumperent perniciem. Non equidem dubitamus, quin erectæ indolis cives Patriæque amantes reperiantur, qui jusjurandum, pactaque ſummâ religione velint ſervata, quàm verò authoritas facilè poſſit conſtringi, tollique præteritorum Comitiorum exemplo, clarum evadit, quòd ſicut juſtam diffidentiam nobis auget, ita, cùm nondum compertum habemus, in quibus potiſſimum rebus ſecuritas illa adverſusque futura cautum conſiſtat, quemvis tractatum tamdiu reddi poſſe irritum; multa quæ à natura & conſtitutionibus liberis Reip. longiùs abhorrent, Regi Poloniæ conceſſa eſſe traduntur, quàm verò hæc noxia ſunt, quamque apta Remp. Polonam in præceps ducere, non dubium, quin Eminentia Vra animo ſuo prævideri. Quæ nos præcipuè moverint, ut ſummâ circumſpectione uteremur, incluſum literarum exemplar, quas ad Commiſſarios Polonos ſcribi juſſimus, fuſiùs demonſtrabit, ad illas jam Eminentiam Vram benignè remittentes, eam quàm diutiſſimè ſoſpitem, florentemque eſſe vovemus. Dabantur in Caſtris noſtris ad Thorunium.

COPIA LITERARUM COMITIS PIPER AD ILLUSTRISSIMOS DD. COMMISSARIOS ex Caſtris ad Thorunium 31 Julij

CUM ex literis Excellen. Dominationum Veſtrarum, quas die 4tâ Menſis hujus Lublini ſcripſerant, percepiſſet S. R. Mtas Sueciæ Dñus meus clementiſſimus illas in priori munere eſſe confirmatas, ac proinde jam expetere, ut ex hac quoq; parte certi denominentur Miniſtri, quibuſcum congredi, deq; pacis negotio agere poſſint, juſſus ſum Excell. DD. Vris in animum revocare, quæ circa hunc tractatum antea fuiſſent inculcata, cauſaſq; ſimul exponere, quæ hoc inſtitutum morari videantur. Indicavit autem S. R. Mtas rationem has turbas componendi, non tamen recuſavit, quin Reſpub. ſi poſſet, aliam oſtenderet viam, æquè tutam ac idoneam, ad hunc finem perveniendi; verùm ſupradictæ literæ reſponſum nullum adferunt huic deſiderio accommodatum, nec modum ſignificant, quo paci reſtaurandæ in poſterum foret proſpectum, ſed tantùm in Comitiis Lublinenſibus licitæ ac naturalis defenſionis rationem eſſe habitam. Equidem quare iſta cura potior ſit viſa quàm quo pacto S. R. Mti Sueciæ ſatisfieret, non difficilis fortaſſe conjectura eſt, attamen negari nequit juxta naturam licitæ defenſionis favorẽ illum tantummodo nacti, non qui infert injurias ſed qui propulſat. Jam verò toti orbi notum eſt, nec ulla cavillatio unquã contrarium evincet, non Remp. aut Regem Poloniæ verbo fuiſſe tunc læſos, cùm ſubitò erumpens è Polonia exercitus Saxonicus Provincias vaſtaret, bellumque hoc indigno prorſus illaudabilique more accenderet. Quod ſi publico univerſæ Reip. conſenſu hoc facinꝰ non ſit inceptũ, liquet tamen Regem Poloniæ hoc perpetrâſſe, multos etiã Reip. Poloniæ Cives, quà palàm, quà occultè non tantùm approbâſſe, verùm etiam opibus ſuis adjuviſſe hanc irruptionem. Quod, ſicut verum eſt, etſi opus fuerit, planius evadet, quã juris imagine naturalem defenſionem pro ſe interpretabuntur, qui fœderatum & innocentem primi ſunt aggreſſi.

greſſi. Provocata S. R. Mtas Sueciæ, non provocans, cùm nihil minùs, *A.C.* 1703
quàm bellum adverſùs Poloniam meditaretur, arma induere cogebatur, & cum jure naturæ hanc injuriam ſtatim potuiſſet ulciſci, maluit tamen de illa primùm expoſtulare datis ad Remp. ac Primores literis, quibus cauſam illati belli exquirebat, reſponſum autem tanto temporis ſpatio retulit nullum. Quo ſilentio quid aliud ſuſpicaretur, quàm ſpeculari Remp. eventum hujus expeditionis, & perinde conſilia capere velle. Nihil igitur ſupererat, quàm ut ad defenſionem ſui ijs uteretur auxilijs, quæ natura ipſa, & omnium Gentium aſſenſus licita ſtatuit, læſisq; concedit. Provenerunt illa tam feliciter, ut aggreſſores fuſos fugatosq; illuc ſequeretur, unde non tantùm eruperant primùm, verùm etiam quo ſe poſt damna illata receperant. Quod utiq; fas juſtumque fuiſſe, nemo paulò humanior unquam inficias ivit, nec dubitavit quisquam eodem loco habendum eſſe, qui noxam commiſit, & qui malefico receptaculum præbuit. Quare etiamſi ex hoc motu incommodi quidquam ſentiat Reſpub. ſibi ipſa acceptum referat, cùm evitari illud potuiſſet, ſi ſuo eſſet functa officio. Nunc damna fundo ſuo illata quem inſimulabit, niſi ſe ipſam, quæ noxij capitis partes amplectendo hanc tempeſtatem in ſe concitavit. Quare enim ab initio non prohibuit? quare aggreſſorem ſinu ſuo protexit? quare ſuam à nocente cauſam non diſſociavit? Prohibere autem ex tenore pacti Olivenſis debuerat, ne quid mali ſuâ culpâ Suecis proveniret; & cùm aggreſſorem protegeret, neq; ſe à noxa ſegregaret, approbâſſe factum intelligitur, eodemq; quo Princeps crimine ſe obſtrinxiſſe. Quæ progreſſu temporis acta ſunt, culpam adeo non diluunt, ut potiùs adaugeant. Immiſſi ſunt non modò graſſatorum globi, qui Suecos infeſtarent, verùm & integer exercitus, ut in Cliſſovienſi acie hoſti eorum auxilio ſubmiſſus. Quòd magis mirum eſt, cùm apertis ſignis in partes aggreſſoris tranſitum ſit, licitum tamen & naturalem hic defenſionem increpari; cùm tamen quamdiu in licito actu S. R. Mtas Sueciæ verſatur, illicitum utiq; cenſeatur oportet, omne illud, quo impedietur juſtam exercere vindictam. Quodſi componi hanc Controverſiam Reſp. cupiat, an ut atrociſſimas, quas paſſa eſt injurias gratis S. R. Mtas devoret, imperabitur; Damna Regionibus ſuis inflicta conterat, ſumptusq; immenſos, quos in hoc bello fecerat, compenſatos non habeat. Et deniq; ſi omnia, quæ poſcendi jus habent optimum, remittenda ſint, quæ ſecuritas in futurum dabitur? Nam ſolenni iſto Diplomate, quo Rex Poloniæ caviſſe traditur, ſe in Regnum Sueciæ nihil infeſti poſthac inchoaturum, eò minùs omnem ſcrupulum tolli S. R. Mtas exiſtimat, quò funeſtioribus documentis experta eſt, promiſſa, Pactorumque Religionem hoſti parùm eſſe cordi, quoque clariùs hæc ipſa Comitia evincent iis artibus, quibus novari, turbariq; res non difficulter queant, illum eſſe inſtructiorem, quàm ut leviter hoc prætermitti, adq; animum non revocari debeat. Fruſtra enim à publicis legibus, ſancitisq; præſidium petitur, ubi pro arbitrio hæc ſubruendi, evertendiq; expedita ſemper erit facultas. Non procul exemplum eſt arceſſendum, cùm ipſa hæc Reſpub. fidem faciat, nec tamen opus eſt retrò longiùs oculos reflectere, eaq; repetere, quæ annorum aliquot ſpatio ſunt peracta, cùm recentiori memoriâ obverſantur, quæ Mariæburgi poſſet conficere Rex Poloniæ hac hyeme. Hic cùm animis levium quorundam Civium in obſequiũ ſuum præparatis multa in perniciem noſtram eſſet machinatus viamque muniiſſet ad leges infringendas, vitioſa hæc auſpicia Lublinum tranſtulit,

*A.C.*1703 lit, ubi non ſueto more, non ex legibus & ſtatutis Patriis Comitia celebrata ſunt, ſusq; deq; omnibus verſis, & agendi concludendiq; poteſtate ſolerter in illos translatâ, qui conſiliis ejus innexi, diu ſe apertos Suecorum hoſtes profeſſi ſunt, ijs verò rejectis, ac excluſis, quos pro publico bono, pro legibus & avita libertate benè animatos eſſe conſtabat. Cùm Oginſcianorum Caput Viſzniovieciuѕ ab initio hujus belli Sueticos laceſſiverat, ſocietate initâ cum Moſcho acerbiſſimo eorum hoſte, atq; continuatâ in hunc usq; diem hoſtilitate huic præcipuas dari oportebat partes, cùm de ſatisfactione Suecis præſtanda deliberaretur; quod ut fieri poſſet, Conſtitutiones etiam publicæ evertendæ erant. Hoc igitur ſummam Comitiorum moderante, illisq; ſuffragantibus,quos variis promiſſis, artibusq;, partim metu ac licentiâ ſibi obnoxios ſervitioq; promptos Rex reddiderat, quid mirum? ſi laceraretur eorum exiſtimatio, qui Reip. conſulere voluiſſent, occluſis liberis vocibus, bonisq; Nobiliſſimorum Civium publicatis. Quid enim niſi iſtorum odiis tribuendum, quòd in Domum Sapieharum tam dura & inſolita decernerentur, quibus tamen aliud non poteſt objici, niſi quòd adverſariorũ viribus oppreſſi, poſtquam à Rep. nullam adverſus iſtos opem haberent, ad S. R. M. Sueciæ fidem confugiſſent: In Familiam innocentiſſimam quæ nullius in Remp. criminis rea eſt comperta, immerita acuetur pœna, illi verò, qui ſangvine & fortunis iſtorum ſe paverant, qui Suecos non ſemel infeſtârunt, non tantùm hoc impunè ferent, ſed etiam honoribus augebuntur immeritis. Quem verò ſat enormia, inſuetaque valuiſſe efficere, quem leges ac ſtatuta Reip. eludere, quem factionem, quæ ad nutum ipſius omnia ageret, magnam comparare viderat S. R. Mtas Sueciæ cum Exercitu tam propè conſtituta, illum ſublato hoc metu, nulloq; præſente, cujus reverentia à cupiditate illicita retineatur nihil non auſurum moliturumq; putat, præpollentibus præſertim iis, qui miſcere cuncta, publicamq; ſalutem privatis anteferre lucris jam nimiùm didicerunt. Hæc igitur quæ tam perſpicuè in oculos incurrunt,non animadvertere, diſſoluti eſſe exiſtimat, non prævenire imprudentis: Et cùm è præteritis futura conjectari debent, non tantùm jam non firmiùs, quàm antea rebus ſuis ſecuritatis momentum acceſſiſſe, ſed etiam ijs, quæ in hiſce Comitiis contigerunt, opportunè admoneri ſe, ut adverſus dubia ejusmodi ac ancipitia curam animumq; intendat; Confirmatur in hoc propoſito certis quibusdam documentis, ex quibus jam nunc conſilia agitari comperitur, quibus auxiliis Saxonum potentia, pace etiam redintegratâ in Polonia gliſcat, & firmetur. Hæc quidem juſſu S. R. Mtis Dñi mei clementiſſimi paulò fuſiùs perſcribere debui, nihilominùs ſicut illa prolixâ in Remp. Polonam voluntate ſemper fuerat, ita in eadem ſententia quoad liceat porrò permanere decrevit. Quamvis verò ob cauſas ſupra memoratas non expeditum inveniat Commiſſarios jam nominare, Propoſitiones tamen ſcripto comprehenſas, quas Excell. & DD. Vræ totius Reip. nomine communicaverint, ſuſcipere non gravabitur, iisq; perpenſis mentem ſuam propiùs explicare. Interea Excell. & DD. Vras quàm belliſſimè valere, remque ex animi ſententia gerere optat. Excellent. & Dominationum Veſtrarum humillimus Servus

Comes Piper.

COPIA

COPIA LITERARUM ILLMORUM COMMISSARIORUM ad COMITEM PIPER Lublin. 18. Julji.

REſpub. noſtra in Comitiis generalibus non ita pridem concluſis ad ultimas S. R, Mtis Sueciæ literas debita cum veneratione perpenſas, reſpondere gratiſſimam nobis impoſuit neceſſitatem, quam libenti animo exſolvendo Excellen. Vram enixè obteſtatam volumus, quatenus circa indilatam præſentium redditionem eidem S. R. Mti ſinceram ſtatuum Reipub. noſtræ intentionem, paciſq; ſtudium ſolito eloquio, & ad ea, quæ pacis ſunt, inclinatione, inſinuare non dedignetur, ſecuritati & tranquillitati utriuſq; fœderati Regni ſatis ſuperq; providebitur, ſi Diploma à S. R. Mte Dño noſtro Clementiſſimo, ne ſimilia in futurum eveniant, latiori forma datum. Si ſocietas nulla cum vicinis inita, ſi tandem concors univerſorum Ordinum eoſdem Commiſſarios ad tractatum confirmantium approbatio (cæteris ad ipſum negotii tractum reſervatis) ritè perpendatur, minimè dubitamus, quin Excellentia Vra propenſum ad pacem animum comprobare velit allaboraturamq;, ut univerſi operis ſucceſſus magni nominis ejus cedat gloriæ.

COPIA LITERARUM COMMISSARIORUM REGNI POLOniæ ad Tractatum Pacis cum Sereniſſimo Rege Sueciæ ad eundem Scriptarum unà cum Propoſitionibus & Punctis 20. Auguſti.

SPerabamus equidem ad ultimas noſtras Lublini ſcriptas optabile S. R. Mtis Vræ reſponſum, nec improbâ forſitan ſpe, ejus nimirũ Reip. plenipotentiarii, cujus amicitiam magni æſtimatam tot publicis privatiſq; ſcriptis S. R. Mtas vra non dedignata eſt manifeſtare, verùm tanto etiam fruſtratis ſolatio, nihilò remiſſiùs S. R. Mtem Vrã alloquendi, audaciam faciunt, tum Regiis curis & negotiis excuſandum ſilentium, tum ſummæ S. R. Mtis Vræ æquanimitatis perfecta cognitio. Ad ea, quæ ex mandato S. R. M. Vræ Illmus Comes nobis præſcripſit punctualiter reſpondemus, quamvis ſi liceat verum fateri, eam nobis vivæ vocis vocabulo ad Pragam Varſavien. redditum reſponſum fiduciam inſinuaverat, debere nos tandem non exercitationem ſtyli, ſed expetito cum mutuo deſignandis Commiſſariis colloquio rem aggredi, & non minùs ingentem S. R. M. Vræ gloriam, quàm ſalutarem populorũ felicitatem promittenti negotio ultimam imponere manum. Necdum patitur deſperare cognita bonitas S. R. Mtis, nos quoq; paratos ſemper ad ea omnia, quæ æquitatis ſunt, veteris amicitiæ obſervantiſſimos, magni nominis S. R. Mtis V. cultores, cupidoſq; novo & duraturo fœdere pacta antiqua confirmandi S. R. Mtas V. inveniet.

PUNCTA

& propoſitiones ſecuritatem & firmitudinem tractatûs cum S. R. Mte Regnoque Sueciæ ineundi ſpectantes, & à DD. Commiſſariis, Plenipotentiariis Reipub. Polonæ Sereniſſimo Regi Sueciæ porrectæ, ſuppoſitâ mutuâ firmitudine, ſecuritateque Reipublicæ Polonæ.

QUoniam Reſpublica Polona novo ſe Sacramenti fœdere Sereniſſimo Regi ac Dño ſuo clementiſſimo obſtrinxit, & eadem S. R. Mtas viciſſim novo diplomate ſacroſanctè omnia jura libertatum & im-

*A.C.*1703 & immunitatum, tum pacta & fœdera inviolabiliter ſervaturam ſe verbo Regio, & ſub juramento ſtipulavit, ideo in fundamento legum, & noviſſimi diplomatis nomine totius Reipub. ſequentia proponuntur.

1mo. Pacta Olivenſia tum quævis alia fœdera cum Sereniſſimis Regibus Regnoq; Sueciæ inita religioſiſſimè obſervanda in ævum reaſſumentur, & novo Seren. Regis, Regniq; Poloniæ, & M. D. Lit. Procerum Sacramento firmabuntur.

2do. Cavebitur quàm fortiſſimè, ne auxiliares copiæ, & quocunque titulo miles appellatus diutiùs in Regno Poloniæ, & M. D. Lit. Provincijsque annexis commorentur, ſed ab icto fœdere confeſtim extra fines Regni educantur, & in futurum ſub nullo prætextu & colore reinducantur.

3tio. Cavebitur, ne Sereniſſimus Rex Poloniæ modernus, & pro tempore exiſtens nullum unquam cum externis & vicinis Principibus fœdus inſciâ, inconſultâ, & non conſentiente Repub. ineat, & ſi aliqua ſunt inita, pro invalidis inſubſiſtentibus & nullis declarabuntur.

4to. Cavebitur, ne Seren. Rex Poloniæ modernus, & pro tempore exiſtens, per ſe aut per alium directè, vel indirectè, proprio vel conductitio milite terrâ vel mari Regnum Sueciæ, & Provincias annexas ullo modo infeſtet, hoſtiliter aggrediatur, & occupet, neque per ditiones Regni Poloniæ tranſire, & deduci permittatur.

5to. Cavebitur, ne Seren. Rex Poloniæ exercitum & copias ſuas, ſummas pecuniarias, & alia ſubſidia declaratis Regni Sueciæ hoſtibus ſubminiſtret, & provideat.

6to. Cavebitur, ne ullus in poſterum Regni Poloniæ civis ſimilibus ſe impunè ſine ſcitu Reipub. immiſceat, & quicunq; (quod tamen non ſperatur) adeo pervicax fuerit, uti turbator pacis publicæ ſecundùm leges Patrias, confiſcatione bonorum, honoris, & pœnâ criminali mulctabitur.

7mo. Ut prædicta omnia & quævis alia in tractu negotii per mutuos Commiſſarios inſinuanda & conſtituenda firmiùs teneantur, ſtat⁹ Regni Poloniæ & M. D. Lit. & Provinciarum annexarum in caſu infractionis & contraventionis liberi à quibuſvis vinculis conſurgere unanimiter contra infractorem, conjunctionemq; armorum cum parte læſa pro conſervandis fœderibus legibuſq; ſuis facere tunc tenebuntur ſalvâ reciprocâ ſecuritate.

COPIA LITERARUM COMITIS PIPER AD PALATINUM MASOVIÆ ex Caſtris ad Thorunium 11 Septembris.

PRopoſitiones ſcripto comprehenſas, quas die 31 Auguſti Excell. Vra huc tranſmiſerat, poſtquàm ad juſtam rationis trutinam S. R. Mti Dño meo clementiſſimo exigere licuit, juſſus ſum reſcribere. Illas quidem in eo capite, quod ad ſecuritatem pacis futuræ ſpectat; ſicut ex parte non idoneas, ita ad ejus diuturnitatem non uſquequaque ſuffecturas videre. Fundamenti loco huic ſecuritati ſubſternitur jusjurandum Regis Poloniæ, quoad leges Reipub. ſervandas denuo ſe obſtrinxiſſe dicitur. Atqui negari non poteſt, illum antea quoq; hoc vinculo adſtrictum fuiſſe ad Pacta Conventa, quæ ei cum Repub. intercedunt obſervanda. Quæ tamen ab illo infracta eſſe liquidò conſtat. Qui verò ſemel atq; iterum nauci habuit conventiones illas etiam jurejurando confirmatas violare, eundem non denuo patraturum, quæ ſemel

ſemel auſus eſt patrare; quæ juſta ſatis cautio erit? interponat Reſpub. *A.C.* 1703
ſponſionem, Regem poſthac illâ inſciâ nihil ſuſcepturum, ſubmoto etiam è finibus Regni externo milite, vititoq; ne unquam in Poloniam pedem referat. Enim verò hæc providentia, & adverſus futurum cautio, utcunq; ſpecie aliquâ blandiatur, non immeritò tamen ambigitur, an unquam præſtari, tradique executioni poſſit. Nam & Comitiis 1699 conſtitutum erat, atq; à Rege promiſſum copias Saxonicas è Regno exituras, eas tamen non tantùm remanſiſſe, verùm etiam in auſpicatiſſimo huic bello anſam præbuiſſe, certiori, quàm vellemus documento notum eſt, Repub. aut connivente, aut certè ad prohibendum invalidâ. Id profectò ipſum eò magis poſthac metuendum, quò plura dominationis ſubſidia Rex Poloniæ ab eo tempore ſibi circumpoſuerat, Majoremq;, quàm antea nactus eſt facultatem inſurgendi, cunctaque Reipub. munia ad ſe trahendi.

Nam ſi circa initia Regni nondum percognito Reipub. ſtatu, ut Excell. Vra judicat ſuaſu aut aſſentatione quorundam Reipub. civium ſe ad devia ac præcipitia conſilia induci paſſus ſit, evidens eſt, tantò flagrantiori ſpe deſtinata jam proſecuturum, poſtquam experiundo intellexerat Reipub. imbecillitatem, multorum pronos in corruptionem animos. Si examinet Excell. Vra præſentem Reipub. ſtatum, non diffiteri poterit, eum ambitioni & pravorum conſiliis ante omnia eſſe obnoxium, nec uſpiam turbidis ingeniis patentiorem aperiri campum; non animus eſt longo contextu evolvere, quæ circa hanc materiam contigerant, ne nimiæ fortaſſis in aliena Repub. curioſitatis arguar; occurrent ſcrutantibus exempla, ſponteq; ſe oculis ingerent, quæ in propatulo poſitæ inveniuntur. Legum ſuarum & libertatis avitæ à multis retro ſæculis retinentiſſima gens Polona fuiſſe perhibetur; quàm verò in iſto propoſito vacillare cœperit, multa hac tempeſtate documenta præſtant, inter quæ non reticendum factionis Litvanæ inſtitutum, ſuetam Reipub. formam in dominationem convertere, non ita pridem aggreſſæ. Quàm parùm abfuit;quin effectum id fuiſſet, non adeo ignotum eſt, nec habitum horum temporum, cùm Regi habenæ adeo laxantur, intuentibus, extra diſcrimen res videbitur.

Quâ enim ſit in miſcendis rebus ſolertiâ, re ipsâ cognitum eſt, & neminem niſi in propria cauſa cæcutientem latere poteſt. Non procul eſt accerſenda fides. Si quis illa percenſeat quæ in Conventu Sandomirienſi, quæ Varſaviæ poſtea, Thorunij, Mariæburgi, & deniq; Lublini in frequenti Ordinum conſeſſu acta ſunt, & ſtatuta, inveniet cuncta ad nutum arbriumque Regis fuiſſe attemperata, quidquid ipſi unquam libuiſſet, indultum, ipſaſq; leges ac ſanctiones, in quibus anima Reip. Polonæ conſiſtit, illius cupiditati eſſe immolatas. Quem tot enormia obtinuiſſe audit Rex meus, ſe validis copiis penetralia Regni inſidente, illi ſubmoto hoc metu invium fore, inexpertumq; non vanè ſe ſuſpicari putat. Eadem enim inſtrumenta, & factloſorum hominum obſequia remanere intelligit, eaſdem artes ſuppetere, & exinde vetere m cupiditatum fomitem tantò vehementiùs exarſurum, quantò liberiori aurâ relictus ſibi agitabitur.

Quapropter quamdiu illâ poteſtate ſe jactet Rex Poloniæ, eamque copiam habeat res turbandi, quamcunq; conventionem apparet, fragili admodùm niti fundamento, quod quâvis occaſione ſubrui & poteſt, & non fruſtra metuitur, Remp. quoq; coercendis ejus inceptis eò minùs idoneam fore, quo debilior interno morbo conſpicitur non exi-

*A.C.*1703 guâ parte jurium ſuorum arbitrio Regis permiſſâ. Quantum illa Regis ſui conſiliis ſe implicari ſinat, quotidie S. R. Mtas Sueciæ experitur, feſtinato præcipitiq; Conſilij Lublinenſis effectu. Nihil adverſi quod ad irritandos exacerbandosq; animos conducit, omittit, cernit publicata Sapieharum bona, quos in fidem ſuam receperat, ſuas copias crebris incurſationibus infenſari. Quæ actiones, quantum à pacifici animi ſtudiis, quæ Reſpub. præſefert, abhorreant, nemo paulò ſanior non viderit. Non temerè quisquam ſibi perſuadebit, ſeriò pacem ab illo expeti, qui alterum, cujus amicitiam ſibi conciliare cupit, retro laceſſiverit. Quâ viâ, ſi cum S. R. Mte tranſigendum ſibi Reſpub. putet, forſan non ideo citiùs finem attigerit. Interea ex hiſce cœptis aliquis colliget, non vana eſſe, quæ in exotica quadam aula Miniſter Regis Poloniæ venditaverat, non defore rationes in Polonia trahendi belli, pacisq; quamvis expetatur, impediendæ. Quæ omnia conſiderantibus non mirum fuerit, ſi promiſſis ejusmodi fidem habere Rex meus ſubdubitet, nullâ præſertim in illis factâ mentione, quibus modis ſatisfactio præſtanda, quamvis illam à negotio ſecuritatis nunquam ſeparâſſet.

Quid? quodſi Tractatum non alia cauſa moraretur, quid tuti & ſolidi ab Lublinenſium Comitiorum decreto ſperari poſſet, cujus robur & authoritatem non ignobilis Provincia in dubium vocat. Interceſſit Major Polonia toti huic actui, inq; eadem ſententia adhuc perſiſtit ſumptis armis ad everſionem jurium ſuorum vindicandam. Quodſi ipſi Cives Poloni hæc Comitia pronuntiâſſent illegitima, non quiſquam demiretur, ſi extraneus, cujus ſecuritas ab eorum integritate dependet, in iis agnoſcendis aliquâ utatur circumſpectione; Ab hiſce cùm auctoritatem habeant Commiſſarij Poloni ad fœdus cum S. R. Mte Sueciæ renovandum, quo fructu cum illis Tractatus inſtituetur? Conſpici Remp: in conſeſſu omnium Ordinum, quibus de illa conſtituendi jus competit, extra dubium eſt. Atqui illa ubi invenietur, quamdiu ſciſſi in contraria ſtudia Ordines diverſos cætus inſtituant, imò ne hi quidem ipſi, qui conſpiraverant, concordes agant; Quid Lublini actum ſit, alij exponent, hoc utiq; notius eſt, quàm ut contradici queat, ipſa Comitia à prævalente Litvanorum factione moderata eſſe, eorumq; minis ac ferro reliquos vel coactos eſſe dicere quæ nollent, aut prohibitos effari, quæ ſentirent. Proinde hoc rerum articulo, cum omnia lubrica adeo ac incerta ſunt, cum armis hoſtiliter certatur, quî fide juſſioni Reipub. locus eſſe poſſit Excellent. Vræ expendendum relinquitur. Antequam diſcedatur ab armis, reſtituatur Sapieharum Domus, Reſquepublica hâc incertitudine liberata, priſtinum ſtatum recipiat, omnem negotiationem fore irritam liquet, quantumlibet demum mutui ſtudij, ac proclivitatis ad amicitiam reſtaurandam, ab utraq; parte, ratio adferatur. Cætera quæ literis Excell. Vræ continentur, quanquam excutere non abs re fuerit, ne tamen contentionis ſerram ducere videamur, in negotio tanti momenti, præterire illa ſatius habetur. Hoc ſaltem monère liceat per literas expoſtulatorias, quarum mentio fit in ſuperiori reſponſo, illas intelligi, quas die 14 Martij anno 1700 ſtatim à Saxonum in Livoniam irruptione, ad Remp. exarari S. R. Mtas Sueciæ juſſerat. Quibus, quod nunquam reſponſum ſit, intentio Reip: primum ſuſpectari cœpit. Quod verò memoriam Caroli Guſtavi omnis ævi Regis Clariſſimi Excell. Vra exagitaverit, factum eâ ratione videtur, ut hoc exemplo invidiam iniquiſſimi belli, à Rege ſuo temere incepti obtegeret, minueretq;. Cum verò iſtius ætatis ingeniis diligentiſſimè discuſſæ

cuſſæ ſint cauſæ, quæ illum Regem ad arma inducenda impuliſſent, fruſtra in tanta rerum omnium luce, illius acta ſuggillantur. Conſtabit ex illis non rupiſſe illum inducias, ſed intempeſtivâ Regis Poloniæ JOANNIS CASIMIRI proteſtatione, in ſolennibus illius coronationis factâ, tam occultis, pernicioſisq; iſtius moliminibus, ruptas violatasq; bello vindicaviſſe. Quo igitur, majus diſcrimen utriusq; cauſæ internoſcitur, eò propiùs injuriam eſt, juſtiſſimis Caroli Guſtavi armis ſubdolam, ipſisq; Polonis damnatam invaſionem contendere. Verùm non attinet ea reſuſcitare, quorum memoriam ſubſecutum fœdus dudum aboleverat, optandum potiùs utriq; populo, ut omnes diſcordiæ quibus colliduntur, reſtauratâ veteri amicitia, æternæ oblivioni quàmprimum tradi, mandariq; poſſint. Quod ego amicis voveo qui ſum &c. A.C. 1703

LITERÆ UNIVERSALES REGIS SUECIÆ AD PALATINAtus omnes Regni Poloniæ & M. D. Lit. II. Septembr.

NOS CAROLUS REX SUECIÆ &c. Univerſis & ſingulis quorum ullo modo intereſt; imprimis verò Ordinibus Inclyti Regni Poloniæ, & M. D. Lit: cunctæq; in illis Nobilitati, præſentibus hiſce literis, notum teſtatumq; facimus. Nos cùm injuſtis Regis Poloniæ armis laceſſiti Poloniam, cum exercitu intravimus, nequaquam in animum induxiſſe, ut huic Regno Regnique Incolis, aliquod adferremus damnum, verùm ut labentem Polonam libertatem, quam bello hoc ſine conſenſu Reip. nobis illato, concuſſam, atq; fundamentis ſuis motam vidimus, erigeremus, antiquas leges, ex quarum conſervatione vigore noſtrorum cum Rep. pactorum dependere liquet, priſtino reſtitueremus uſui, ac ritui, perſiſtimus adhuc, in eodem propoſito, neq; à finibus hujus Regni, antea diſcedere ſtatuimus, quàm ſedatis hiſce motibus, ſalutem, Reipæq; libertatem, extra diſcrimen poſitam, noſtram ſimul incolumitatem, in tuto collocatam habeamus. Hanc noſtram intentionem, ab initio ingreſſûs noſtri candidè ſignificamus, ingenti fiducia illam tantò promptiùs arripiendam eſſe quantò juſtiorem, ac Reip. magis ſalutarem æquiſſimus quiſquam judicaret. Verùm extra opinionem experti ſumus, non tantùm indebitis ſtudiis hanc propenſionem noſtram eſſe acceptam, eam Reip partem, quæ Lublini nuper congregata fuerat, eum finem propoſiti noſtri intueri, vetera fœdera renovare, conſiliaq; proſpiciendi, tum ſua tum noſtra ſecuritati, capere deberet, ſpecie defenſionis, inductam & illuſam non minus infeſta quævis contra nos decreviſſe atq; promulgaſſe, ſuiſq; legibus ultimum ſanciviſſe exitum. Quo pacto omnis quidem ratio pacandæ Reip. abrupta videri poterit, & quanquam nos contra Remp. Polonam, quæ per nuperæ Comitia injuſtiſſimo bello ſe illigare paſſa eſt, jure noſtro uti poſſemus, cumq; grandi ejus pernicie, ac damno eidem repræſentare ea mala, quæ inimicis perverſiſq; ſuis conſiliis promoverat, attamen cum nobis ſatis conſtet, non paucos cives, qui hoc contagio illæſi proq; Patria

A.C.1703 *triæ libertate longè meliùs animati, nihil ardentioribus votis expe-tunt, quàm Patriæ tranquillitatem, juriumq; ſuorum integritatem, ac reſtitutionem, ad hanc tuendam certam contraxiſſe ſocietatem, in q; eum finem manus invicem conjunxiſſe. Nos quoque ſicut non dubitamus, quòd iiſdem hiſce malis juſta media ſunt allaturi, eamq; adinventuri viam, quâ utriq; Regno tranquillitas ſecuritaſq; juſta acquiratur, ita ipſorum inſtituto libenter acquieſcere volumus, propoſitionesq; quas exhibuerint, ſi paci reintegrandæ in ſe videantur idoneæ, amplecti. Quapropter iiſdem civibus jam congregatis, aut in eum finem congregandis poſthac, amicitiam noſtram conſervamus integram & illibatam, eorumq; bonis, ac perſonis omnimodam promittimus ſecuritatem, parati illis opem ac tutelam noſtram quovis modo præſtare. Quos verò in tranſverſum abreptos intellexerimus, non præſentibus Reip. periculis commoveri, cumq; cæteris ad vindicandam libertatem non convenire, eoſdem omnes pro hoſtibus noſtris reputabimus. Juſq; illud, quod natura, & ratio dictat, contra eos eorumq; fortunas, ubiq; & omni rigore exercebimus. Hæc verò præmonere volumus, ut quidquid incommodi ipſis eorumq; bonis contigerit, non nobis amica omnia offerentibus, ſed ſibimet ipſis benevolentiam tantam aſpernantibus acceptum referant. In quorum fidem &c.*

PLENIPOTENTIA COMMISSARIIS REGIS ET REIPUBLICÆ pro exlimitatione cum Commiſſariis à Porta Ottomanica deſtinatis data ex Cancellaria Regni 6 Maji.

Significamus præſentibus literis quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Quia nos repoſita inter Sanctiores curas fœdera Principum vicinorum perenni amicitiæ cultu, & conſtanti memoriâ revolventes in id ſeriò incumbimus, ut reſtituta poſtliminio pactorum interventu fauſto amicitia cùm fulgida Porta majora ſemper incrementa percipiat, & validior res coaleſcat. Hinc poſtquam illibatâ fide adimpleverimus Principaliora tractatus ad Karlowicz in Hungaria concluſi, extendimus ſolicitudines noſtras Regias, ut limitum Regni noſtri ad mentem ejuſdem tractatûs extenſio, prout erat ante duo bella ultima ambitu vetuſto complexa limitaneas Provincias, etiam ſecuritate perennaturâ complecti & beare poſſit. Eo fine deſtinavimus & deſignavimus ex parte noſtra, uti quidem præſentibus deſtinamus, & deſignamus, ad perluſtrandos & renovandos antiquos Regni noſtri limites certos Commiſſarios noſtros, nempe ex Senatu Magnificos Franciſcum Dziedufzycki Podoliæ, & Martinum Chomentowski Braclaviæ Palatinos, & ex Ordine Equeſtri Generoſum Joannem Koniecpolski Stabuli Regni Præfectum.

Qui præmiſſa omnia ad complementum memorati tractatûs ratione renovationis antiquorum limitum ſpectantia ritè & legitimè ſine intermiſſione peragere, exequi, & ad effectum debitumq; finem deducere, abſentiâ unius duorumve ex Magnificis & Generoſis Commiſſariis non obſtante, debebunt. Taliter verò præmiſſa exequentes, ut ab omni-

omnibus pro veris & indubitatis Commiſſariis noſtris habeantur, recognoſcantur, promptamq; ſi in quopiam opus fuerit, obedientiam ac obſervantiam mandatorum ſuorum Commiſſorialium referant, hiſce volumus, requirimus, fidem facimus, ac ad notitiam omnium deducimus. Quas ad majus robur & firmitatem manu noſtrâ ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. *A.C.* 1703

INSTRUCTIO S. R. Mtis COMMISSARIIS AD RENOVANDOS antiquos limites Regni à Dominiis Turcicis ex Senatûs Conſilio deſtinatis data 6 Maji.

FUndamentalis omnium punctorum pacificatio per renovationem antiquorum limitum, à Porta Ottomanica, quandoquidem eſt tractatûs ſub Carlovice in Hungaria concluſi eſſentiale reſultatum, & ultima pacis perfectio, ſicut hoc inſinuavit Seraskierius, id eſt Dux exercitûs Turcici ad eandem exlimitationem deſtinatus, in memoriam revocando, & ſeriò requirendo cum Hano Tartarico in hoc puncto tractatûs executionem. Proinde ne quid deſideretur ex noſtra parte, quidquid pertinet ad debitam bonæ viciniæ conſervationem, accelerabunt Commiſſarii à nobis deſtinati Leopolim, & ibi ſeriò & perfectè conſilia inibunt circa renovationem & conſervationem antiquorum limitum, ſicuti & de omnibus circumſtantiis cum Caſtellano Cracovienſi Supremo Exercituum Duce, à quo cum decoro comitatu ex dignitate ſuæ Mtis & Reipub. expediti propter ſecuritatem perſonarum ſuarum conferent ſe celerrimè ad controverſa confinia, ubi locus deſtinabitur à mutuo conſenſu Commiſſariorum ex utraq; parte ad renovandos limites deſtinatorum, in quo maturè conveniendum priùs per literas cum Seraskierio.

Comparendo verò in determinato loco, ſi aliqua occurreret difficultas in recognoſcendis ſuppreſſis limitibus, & præſertim ibi, ubi ſuſpecta ſemper vicinia, frequentiſſima hoſtilitas expulſis pridem limitaneis poſſeſſionibus Kijovienſis & Braclavienſis Palatinatûs incolarum, in deſertos redegit campos habitabilia quondam latifundia cum notabili præjudicio dictorum Palatinatuum, tunc inſiſtendo veſtigiis civitatum, præcipuè verò viciniori Dnieſtri, Czeherini, Koniecpolij, novi ſuper Boch, & ſuper Dnieſtr jacentis Raskovij, & ulteriorum locorum, ſicuti Budaki, & aliorum ruderum monſtrantium tantùm dominium Regis & Reipublicæ in illis vaſtis ſolitudinibus repræſentantium inveſtigabunt per omnes circumſtantias Commiſſarii noſtri antiquos limites, ductus trahentes ſe à civitatibus dictis cum his tribus fluminibus ſuperius nominatis verſus mare nigrum, quibus tandem repertis diſtingvent à Dominiis Tartaricæ Crimenſium ſubjectis juriſdictioni ſolennioribus notis, & renovabunt notabilioribus ſignis.

Provinciam Vallachicam, vel Collateralem Moldaviam, quandoquidem à Dominiis ſuæ Mtis & Reipub. ipſamet dislimitavit natura, deſtinato pro Rubicone Dnieſtro æternum & immobile monumentum, quamvis ex ſubjecto continuæ volubilitati elemento, tunc ex illa parte providendum tantum erit, ſi tam longè ſuper littus Dnieſtri Dominium Regis, & Reipub. extenditur, ſicuti in nominata Provincia in altero littore, & id propterea, quòd illa Provincia exiſtens aliquando ſub Dominio Anteceſſorum Regis, & Reipub. quandoquidem ſequitur curſum fluminis extenſione limitum uſque verſus Technam, tunc Polo-

*A.C.*1703 nia eò magis utriuſque ripæ antecedenter Domina ex parte ſua prætendere debet ex oppoſito ſuper altero littore, ulteriorem adhuc Dominii ſui extenſionem, quibus omnibus ex documentis evidentibus, aut probabilibus viſis ſeriò tractandum erit in rem Patriæ Commiſſarijs noſtris, idq; nomine publico efficaciter evincendum, ut littus Dnieſtri, & fluminis curſus incipiendo à Pokucie, uſque ad deſertos campos, ſicuti pertinebat ex antiquo ad corpus Reipub. ita & nunc maneat in poſſeſſione & uſu pacifico incolarum Palatinatus Kijovienſis & Braclavienſis.

Diſlimitatio ab illa Vallachicæ Provinciæ Pokucie, quò eſt vicinior & notior, eò facilior videtur ad pacificandam; quia tamen in locis quibuſdam ultra Smiatinum, & præcipuè inter Dnieſtrum & Prutum occurrunt circa limites differentiæ; proinde removendo occaſiones ulteriores ad læſiones ex aſſueto inter finitimos certamine exactè inquirent per omnes circumſtantias, & antiquos ex hac parte examinabunt ductus, ſi aliqui irrepſerunt, corrigent defectus, diſtinguent, renovabunt diſlimitantibus documentis & monumentis eorundem Commiſſariorum providentia & dexteritas. Factâ imprimis expoſtulatione & omni conatu adhibito, ut circa tractatum limitum ultra Smiatinum ſit limes, Bukovina per medium incipiendo ductum à Gier uſq; ad Dnieſtrum, in quo ſpecialiter activitas illorum obſtringitur.

Reliquas omnes, quæ inſperatè & ex inproviſo venire poſſunt difficultates, magnas poſt ſe trahentes conſequentias, deferent opportunè Caſtellano Cracovienſi, & ſociabunt cum eo, ut jam dictum ſuperius eſt, mutua & neceſſaria conſilia. Reliqua prudentiæ conſummatæ, dexteritati & amori in publicum Commiſſariorum committuntur.

COPIA LITERARUM CASTELLANO CRACOVIENSI à REGE 7mä Maji.

P*oſt tit.* Diutius effectum legationis Commiſſariorum ad tractatum pacis à Repub. deſignatorum expectabamus, & hoc magnum conſilium cum ſummo tædio, præcipuè Deputatorum à Palatinatibus in favorem exoptatæ pacis à termino unius poſtæ ad aliam differebamus, ſed quando ex relatione dictorum Commiſſariorum, ſicuti & ex literis Cardinalis Primatis nihil poſitivi recipimus, quinimò conjicere licet, quòd tantùm mora ſit, & ad ulteriorem eluſionem detinemur: debuimus conſilia aptare rebus & tempori; mittimus concluſionem tibi conſilij hujus, quòd in his rerum circumſtantiis diſlimitationem cũ Porta Ottomanica, & finalem motuum Coſaticorum determinationem per exdiviſionem alicujus Paleio reclinatorii, bina ſcilicet tanti momenti negotia virtuti tuæ committit. Quia verò defectus in theſauro eſt tibi notus, nec aliud ſuppetit medium, tantùm ut tu in fidem publicam eâ authoritate, quâ polles, tantam invenias ſummam, quanta pro neceſſariis expenſis ſufficere poſſit. Quæ omnia cùm ex mente conſilij dicti tibi intimamus, certi omnino ſumus, quod pro celebri tua in Patriam cura, & indefeſſo ſtudio ac zelo, ſpem & expectationem publicam non defraudabis cui bonam valetudinem &c.

COPIA LITERARUM AD MAJORES PRUSSIÆ CIVITATES
Mariæburgi 6 Maji.

OTioſum eſſet recenſere præſentibus, quantum hucusq; ſudatum ſit in concilianda pace & tranquillitate publica, ſed quia pertinaciſſima hoſtium conſilia vana ſpe Tractatûs hactenus Nos lactârunt, ut imparatam & quaſi ex inſidiis circumvenire poſſent Remp. diligentiſſimis externorum Principum mediationibus ingenioſâ dilatione eluſis. Ideo poſt longam maturamq; deliberationem in ſupremo conſilio Mariæburgenſi verſis ad fortia ſententiis deciſa concluſaq; defenſio naturalis eſt, Generali omnium Regni Ordinum expeditione adornanda. In tam ergo præſenti diſcrimine, & totius Reipub. apparatu, primarias quoq; Pruſſiæ Civitates par eſt pro amore Patriæ communi neceſſitati ſuffragari. Et hæc eſt demum occaſio, hic campus & theatrum demonſtrandæ illius erga Mtem & Remp. fidelitatis, quam omni ævo imitetur & laudet Poſteritas, hoſtes verò pertimeſcant. Quare pro noſtri officii munere per amorem communis Patriæ noſtræ obſecramus, ut non modo præſidii fides, ſed etiam Civium animi, ſicut commeatu, ita ſint armis inſtructi, ne ſibi hoſtis aditum quibuscunque demum artibus poſſit polliceri. Præcipuè cùm ſit jam non mediocriter attritus, & viribus noſtris feliciter, aliquando non fortior, ſi nobis mutuò conſenſerimus. Probrum enim eſſet immortale ſolâ hoſtium famâ vinci, ſolâ opinione ſuperari. Habemus quoq; præ oculis Europæ Civitatum Tragica exempla, quàm abominandos fructus ex deditione vel ab hoſtibus perceperint. Quod tantò majore fiduciâ Prænobilibus ac ſpectabilibus DD. Veſtris comunicamus, quantò ſecuriores ſumus eam illibatæ erga Mtem fidelitatis, tum invicti amoris erga veſtram comunemq; Remp. cum eo voto, ut nobiliſſima hæc Civitas ille ſit ſcopulus, ad quem ita ferox hoſtium illidatur & frangatur audacia. Quod dum non vano auguramur omine, feliciſſimum publicæ ſpei eventum precamur. Datum ut ſupra.

COPIA LITERARũ ILLUST. REGNI DUCUM AD MINIſtros Pruſſiæ ex Caſtris ad Siele 12 Junij.

CUM ita audacter hoſtis Reipub. per intima Regni Pruſſiæ viſcera, arma ſua promovere conetur, urgemur & nos ex obligatione muneris noſtri ad defendendam hanc nobiliſſimam Regni portionem, prorſus omni morâ cum exercitu univerſo Reip. in illam Provinciam properaturi. Unde ex reſpectu bonæ viciniæ & mutui fœderis exhibemus Excell: DD. Veſtris debitum venerationis & conſtantis amicitiæ cultum, explorando mentem ab Excell: Illmis DD. Veſtris, an hoſtibus, armis per ditiones ſuas, ſi precibus vel defacto tranſitum prætenderint, vel uſurpaverint, permiſſuri ſint, quia nos eodem jure omnibus licito hoſtem noſtrum ubicunq; reperibilem perſequi cogeremur, ſalvis nihilominus Tabulis Pactorum, quæ ex parte noſtra religioſiſſimè obſervare parati ſumus, certi, ſecurique de reciproca correſpondentia, quam unicè deſiderantes reverenter manemus.

A.C. 1703 CANCELLARIUS ET PROCANCELLARIUS REGNI AD PALATINATUS 12 Maji.

JUnxit nos voluntas DEI per manum Regis in obſequium Reipub. non nos disjungimus, & in his literis nolentes tam pretioſa & neceſſaria temporis momenta particularibus abſumere literis, ſed ſicuti indiſſolubili ſtudio & applicatione id agimus, ad quod nos & amor Patriæ, extra quam nullam ſalutem ponimus, & obligatio noſtra jurata adigit, ita indiviſim vos veneramur, totis exoptando cordibus, ut præſentia conſilia ſecundet Dominus ex alto, quia in eo ſolo omnis ſpes repoſita eſt. Agebamus per hos aliquot menſes, quidquid ex re, vel in rem Reipub. viſum eſt opportuniſſimum, arripiebamus omnes, quæcunq; demum occurrebant occaſiones ad exoptatam pacem, non intermiſimus & id, quidquid ad naturalem pertinere poteſt defenſionem; ſed quando adverſitas fatorum omnes noſtros ſuperavit conatus, quidquid antè exoptavimus, in eò nunc firmam reponimus ſpem, hoc eſt, ut Reſpub Domina ſui in tam gravi caſu ſolitum à ſæculis in ſe ipſa inveniat præſidium. Infortunatus Reipub. ſtatus eſt evidens, futura pericula, quæ indies videntur augeri, evidentia, inimicus non præ foribus, ſed intra nos eſt, & facit nobiſcum, quod vult, quia nos non facimus, ad quæ obligamur. Vicini amici noſtri miſerentur tantùm, ſed non ſuccurrunt. Ivit in confœderationem exercitus penes Religionem, Regem & Patriam, ſed & ſui non eſt oblitus, indiſſolubili ſtringendo ſe nexu, ut ſatisfactio deſervitæ mercedis fiat indilata. His omnibus in maturam acceptis reflexionem ampliſſima ad veſtra conſilia offert ſe materia. Si fortia, ſolida, & matura in præſentibus, futuris utinam felicibus Comitiis non accipiemus media, certò noſtra hæc citiùs nos perdet, quàm ſe finiet infelicitas. Accipimus notitiam, quòd bellantes in Europa ultimas vires pro præſenti expeditione ita parant, ut malint triennalem pro Exercitu impenſam in unum annum jungere, ut eò citiùs pace frui poſſint. Daret utinam eam mentem Dominus DEus toti Reipub. quia quamdiu ultimas non exſeremus vires, tamdiu noſtra non finientur mala. Pulſamus proinde cum debita ſubmiſſione ad fraterna corda veſtra, invocamus eum in Patriam amorem, pro qua plus Antenati noſtri ſangvinis effuderunt, quàm in noſtris reperiatur venis. Supplicamus vobis, ut repoſitis quibuſvis impedimentis concorditer & unanimiter in charitate tam neceſſaria non tantùm manus, ſed & corda jungatis, ut reliquum legum noſtrarum, fortunarum & immunitatum ſuſtinere poſſimus per fortem & virilem reſolutionem in agendo, per liberalem ad exſolvendam exercitui in reali mercedem, ad auctionem ejuſdem faciendam, per vivam & Polono nomine dignam deſtinatis è medio veſtrûm Nuntiis, inſtructionem, ut non tantùm videant, ne Reſpub. aliquod detrimentum patiatur, ſed etiam provideant, quatenus præſentes, quibus jactamur, & planè immergimur, finiri queant calamitates, viamq; futuræ, quæ ex unione armorum certa eſſe debet, faciant felicitati. Non moramur conſilia veſtra, inſinuâſſe ſufficiat, quia quivis ex vobis ſentiendo aggravationes, & ſuperaggravationes, videre debet neceſſitatem celerioris & indilati ſuccurſûs. Noſtrûm erit non intermiſſâ curâ hoc agere, quod publico debemus, expectando ſemper & privata cujuſvis ex vobis mandata, inter proſpera hoc numerando, ut poſſimus non verbis, ſed re ipſâ teſtari, ſicuti omnium ita & cunctorum nos eſſe &c.

CO-

COPIA LITERARUM STANISLAI MORSZTINII PALATI-ni Maſoviæ, Andreæ Zydowski Vexilliferi Cracovienſis & Stephani Leſzczynski Gubernatoris Oſtrzeſzovienſis Principi Cancellario Regni Magno. 21 Maji Varſaviâ.

PRimâ vice collegialiter ſcribimus, quia non habendo hucusq; ullam ab adverſa parte cathegoricam declarationem, contenti eramus particulariter, ſed fideli calamo deferre conjecturas, & quidquid rationabiliter ſperare vel timere debeamus pro tempore. Si in quamcunq; partem ultimariam recepiſſemus reſolutionem, cujus usq; nunc non ſublata ſpes, non intermiſiſſemus certè publicam noſtram deferre communicationem. Remedium ingentium Reipubl. malorum, quod non poſſit eſſe efficacius, & magis cum legibus Patriis concordans fatemur, quàm Comitia, præſertim communi nobilitatis motu fulta. Sed juſtúmne eſt, quòd univerſales literæ pro utroq; congreſſu expeditæ fuerint, in eo nominatim ſuppoſito, quòd præciſè deferre debuerimus poſtpoſitionem Tractatûs, & quòd ille penitus à Corona Sueciæ fuerit rejectus. Meruiſſet diſcretionem præcuſtoditio, ſi illam affectûs & ſolliciti timoris plenus amor expreſſiſſet, imò magis videretur expediens, ut nos non fuiſſemus nominati, quandoquidem hactenus nullam deciſivam declarationem recepimus, nullam etiam deciſivè referre potuimus, nec detulimus. Per quod inimico absq; hoc quærenti, quomodo ſe purgare, & in nos contrariam paci rejicere deberet inclinationem, facilè obtulimus medium, quo certè uti non intermittet. Minus eſt de nobis, quia omnia obligati ſumus, & parati pati pro bono Patriæ, ſed non videmus finem, propter quem hæc publicatio facta. Impoſſibile verò eſt dolorem noſtrum continere, præſertim quòd conſequentiæ ſubſequi poſſunt characterem, & intaminatam fidem noſtram ſiniſtrè interpretantes.

RESPONSUM AD EAS LITERAS PRINCIPIS EPISCOPI Varmienſis Supremi Regni Cancellarij. Elbingâ 25 Maji.

EXpreſſus in ultimis univerſalibus literis honoris & publicæ gloriæ cauſâ character veſter non deberet contrariæ ſubeſſe interpretationi in tam reali. & toti mundo nota veritate. Quia etiamſi fideles veſtræ defuiſſent præcautiones, quorum illibata in Regem & Patriam fides celare id vel neſciret, vel non poſſet. Sufficeret pro convictione cujuſvis ipſa notorietas abrupti tractatûs ex ultimo reſponſo adverſæ partis, & poſtea ex ſubſecutis tot apertæ hoſtilitatis attentatis reſultans. Quæ quamdiu durabunt, non tantùm ipſe tractatus, ſed & apparentia quævis ad illum, ſecundùm jura, & conſuetudines omnium gentium hærere debent. Per id tamen ſicuti authoritas characteris veſtri minimè vacillat, ita & Comitia ex publico totius Reipub. voto deſtinata ad honeſtam pacem viam non occludunt: quinimò dum adverſa pars ſincerè per acceptationem veſtri, & deſignationem Commiſſariorum ſuorum tractatum ſuum ſtabilire volet, infallibiliter faciliori, & feliciori curſu negotia publica expediri poterunt, cum univerſali ſtatuum totius Reipub. ſatisfactione, & immortali laudabilium meritorum veſtrorum reputatione; quorum magna nomina non tantum ex motivo fatalis ex ſiniſtra interpretatione innocentiſſimarum actionum magni Anteceſſoris Veſtri experientia, ſed etiam ex mea parti-

culari

A.C.1703 culari in quemvis veſtrûm obligatione, publico veritatis elevare teſtimonio, pro actu meritorio apud me pono, & pro teſſera ſinceræ meæ in vos propenſionis &c. &c.

UNIVERSALES LITERÆ REGIS PRO COMITIIS DUARũ ſeptimanarum extraordinarijs Elbingâ 12. Maji expeditæ.

POſt Tit. *Detulimus omnibus per nuper extraditas ultimas univerſales literas Reſtium extremam neceſſitatem celerioris & fundamentalis Reip. hujus defenſionis; Reiteramus iterum intenſiſſimam ſolicitudinem noſtram, acceptâ non tantùm reali à Commiſſariis noſtris, de poſtpoſito & rejecto penitus per Coronam Sueciæ Tractatu, quo nobis hactenus & Reip. illuſum eſt, ſed etiam de graviori indies hoſtilitate, quæ poſt toleratam omnium mediorũ patientiam, ne diutiùs ſuper liberâ Gente ſæviat, in Omnipotentis Domini exercituum ſpe omni repoſitâ, & in innocentia Reipub. dum caput noſtrum Regium in defenſionem fidei Catholicæ, templorum DEo conſecratorum, manutentionem legum & immunitatum antiquarum offerimus; Vobis juxta obloquentiam univerſalium literarum Reſtium ad communem congreſſum, & unanimem in unam compagem totius Reip. congregationem diem 19nam menſis Junij in anno præſenti & locum ſub Golab deſtinamus; Satisfaciendo verò ſimul & ſemel univerſali omnium Palatinatuum Regni & M. D. L. deſiderio, & evidenti neceſſitati ex Conſilio Senatorum, Officialium, & Miniſtrorum ad latus noſtrum exiſtentium Comitia duarum ſeptimanarum extraordinaria, ſicuti in improviſo caſu & ultimo periculo abbreviando terminum præciſis omnibus ſolennitatibus pro hac ſola vice pro eodem die ſuperiùs ſpecificato Lublini authoritate noſtrâ Regiâ indicimus, quàm diligentiſſimè & ferventiſſimè optando, ut in Comitiolis 31 præſentis imminentibus in præteritis immediatè univerſalibus determinatis Nuntios Terreſtres eligatis ſecundùm mores & conſuetudines, & illos plenâ facultate ad procurandam externæ ſecuritatis defenſionem, ad manutentionẽ integritatis boni publici ſine mora ordinetis, & fortunã hujus Patriæ publicâ lege aſſecurare velitis, certi in ea ſpe, quòd ſicuti nos vitas, fortunas, jura, & libertates veſtras vitâ noſtrâ & ſubſtantiâ fulcimus, incommoditates etiam caſtrorum ferre parati ſumus, ita vos viciſſim ad mutuos labores, ſumptus concurretis, & ita conſilia veſtra Comitiorũ futurorum moderari, & dirigere voletis, ut momenta ſalutaris tẽporis ad dandam reſiſtentiam intenſa in ruinam Regni intentioni inimico, non perdamus. Quas univerſales literas &c.*

INSTRUCTIO S. R. Mtis Dni N. Clmi AD PALATINATUS ex Cancellaria expedita.

EXprimere verbis ſummi diſcrimina fati, aut calamo delineare magnitudinem malorum, quibus in tam luctuoſo ſtatu Reſp:

no-

noſtra omni ex parte concutitur, ſupervacaneum eſſet, quando non verbis ſed rebus momenta ſalutis publicæ metiri fas eſt, & cum infelices effectus, eventusq; majorem ſenſum imprimunt, quàm poſſint ſtylo exæquari. Non claudit vigilantiſſimam in omnes rerum partes ſolicita S. R. Mtas D. N. Clẽmus palpebram, in tam gravibus & tantùm non perimentibus Patriæ periculis, ſed quo majoribus Regni tranquillitas oppugnatur procellis, tantò clariora erga bonum commune benevolentiæ & diligentiſſimæ ſuæ ſolicitudinis depromit in publicum documenta. Videre ſiquidem unusquisq; etiam ille, cujus ægro lumini lux invîſa, poteſt ſufficientiſſimè, quàm operoſos ſolicitosq; conatus adhibuerit, ut concreditis ſibi populis ab illa Mte, per quam Reges regnant, & Principes imperant, dulcem aliquando quietem, & inconcuſſam reſtituere poſſet tranquillitatem; Quàm diligentiſſimas huic negotio curas impenderit, ut Corona Suetica deſideratiſſimam ſortiri poſſet coronidem. Quantò tandem etiam nunc Regiæ ſuæ valetudinis, & fortunatum diſpendio redimere nitatur ſalutem univerſorum, quando per tot impenſas & caſtrorum incommoda ad aſſerendam integritatem jurium & immunitatum Regni avitarum contendat. Quod verò pertinax rerum eventus tam ſolicitis S. R. Mtis D. N. Clẽmi non reſpondeat curis, & nihil ita efficaciter ſalutares illius intentiones ad exitum deſideratum promovere poſſit, ultra ſupremas literas pro publica omnium Ordinum expeditione adornanda ſcriptas, Conventum præterea Generalem extraordinarium duabus ſeptimanis definiendum indulgere, ad omnium Regni & M. D. L. Provinciarum mentem dignatus eſt, non tantùm intimè optans, ſed etiam firmiter ſperans, quòd probarum hoc remedium, & in ſimilibus occaſionibus à Seren: Anteceſſoribus uſurpatum, cunctis Reipub. vulneribus medebitur feliciſſimè, & convertet aſpera in vias planas.

Et quamvis Seren: Mtas D. N. Clẽmus curam honorificæ pacis non omnino adhuc recipiat, imò adæquatis gradibus Tractatũ deſideret, tamen quia neq; certitudinem pacis hucusq;, neque apparentiam ullam affulgere animadvertit: Primum & principale punctum defendendæ naturali jure hujus Patriæ non modò per jugulum ab immani & pertinaci hoſte petitæ proponit omnium Ordinum maturæ reflexioni, optando, ſimulque per ſacra & civilia obligando, ut mutuo amore concordia, & antiquâ confidentiâ redditâ, quæ impenetrabilia conſuevit populis munimẽta, Generoſis pro Conventu Generali Nuntiis plenam conferre non renitantur facultatem adinveniendæ ſolidæ defenſionis, & providendæ ſecuritatis publicæ.

Priuſquam ipſa temporis felicitas magiſtra rerum efficaciora ſubminiſtrabit S. R. Mti D. N. Clẽmo ſalvandæ Reip. media conſueta & quaſi naturalia pronunc proponit; hoc eſt vel à propriis viribus, vel ab auxiliaribus externorum Principum ſuppetiis petenda; Primum

A.C.1702 Primum in Generali totius Regni expeditione, & in ſtipendiaria, auctioreque militia conſiſtit; Secundum à Tractatu cum externis Principibus, & utili armorum colligatione dependet. Utrumque S. R. Mtas D. N. Clēmus ſine ulla exaggeratione pleno totius Reip: ſubdit arbitrio. In hoc tamen pro paterno ſuo affectu præcautum deſiderat, quod præfata media ſalvandæ Reipub, vel alterutrum illorum, quantò celeriori executioni mandabitur, tantò citiùs calamitas armis fortiter admotis averti poterit.

Præmiſſo primo ſecuritatis puncto proponit S. R. Mtas D. N. Clēmus optime de Republ. meritæ tam Regni, quàm M. D. Litv: militiæ dilata ſtipendia, debitorum quantitatem & qualitatem non placet in publicam Inſtructionem inſerere. Non dubitat enim S. R. Mtas conſtare ſingulis Provinciis inevitabilem neceſſitatem componendorum præfatæ militiæ animorum. Ubi individuo nexu illigat S. R. Mtas D. N. Clēmus præclara merita, & erogatas de propria gaza ſummas ab Illuſtribus utriusq; militiæ Generaliſſimis, recommendando illos ſingulari Reipub: reſpectui.

Et quia ab Artileria ex bellicis machinis præcipua defenſionis & victoriarum dependet ratio, & illis ſubmotis numeroſiſſimi etiã exercitus efficaciter nequeunt operari, conſentaneum cenſet S. R. Mtas D. N. Clēmus, ut Ordines Reip. conſervationi & reparationi velint in tempore opportuno providere. Habendo ſingularem reflexionem ad curas præcipuas, & effuſos de penu propria ſumptus, ab Illuſtri Caſtellano Cracovienſi. Quod incendium rebellionis Coſaticæ dextera Domini ferro Polono repreſſerit, extinxeritq; in tam præſertim difficili gemini hoſtis occurſu ſolatium non tantùm in S. R. Mtem D. N. Cl. verùm in totã reddundat Remp. nihil ſupereſt, niſi ut quamprimùm Białocierkievienſe fortalitium de manibus Paley eliberetur. In cujus vindicationem ſicut S. R. Mtas omnes ſuas curas & ſtudia continuò impendit, ita parem ſolicitudinem omnibus Reipubl: Ordinibus recommendat.

Ingerunt ſe memoriæ complures aliæ ſtatûs præſentis materiæ, verùm quia de ſalute univerſi agitur, & anguſtioris intervallum temporis conſultationi uſitatæ ſpatium non concedit, reſervat illam ad feliciora deſideratæ pacis momenta S. R. Mtas D. N. Clementiſſimus, & interim unicum & principale objectum ſecuritatis internæ providendæ, univerſis proponit Provinciis. Cætera prudentiæ & dexteritati Generoſi Nuntij noſtri committendo, ſimul univerſis æque ac ſingulis favores & gratiam ſuam Regiam pollicetur.

Ad mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi.

COPIA

COPIA LITERARUM à CARDINALE AD COMITIOLA Varſaviâ 25 Maji.

A.C. 1703

Certum id eſt, quod in his Reipub. calamitatibus, vulneri ejus non niſi Comitia mederi poſſint, ijs ſolis ſciſſa civium ſtudia & corda, ceu ſalutari glutino in unum còaleſcere, læſam inter ſtatus confidentiam in priſtinam reſtaurari faciem, & jacta diſcordiæ ſemina convenire ad compagem, & harmoniam poſſe, confido. Utinam jam illo tempore ea ſtetiſſent, quo numeroſi undique à Palatinatibus Nuntij ad ea convenerant; ipſe meis inſtantiis urgebam, ſuadebat temporis opportunitas per occaſionem armiſtitii, ſub quod tanto tempore requieſcere utriusq; partis Bellona videbatur, forſanq; actu requieſcebat: profectò ſecuriora potuiſſent dari conſilia, maturiora provideri remedia, quàm in præſenti jam gradiente Marte. Non tamen deſperandum de gratia DEI; fient feſtina feſtiva, quodq; non valuit aſſequi diuturna meditatio, poterit donare ſubitanea celeritas. Sanciantur ergo ſubitanea, & ſine ſolennitatibus Comitia tantò ſolenniora & memorabiliora apud poſteros futura, quantò vigilantiora in id, ut priſtina fortuna Reipub. robuſtior evadat, corrigantur præterita acta, quorum malitiam incuſamus, fiantq; efficax inſtrumentum converſivum eorum ad orbitam legum, quæ ab ultimis Comitiis eandem exceſſerunt. Ad vos verò in Comitiolis præſentibus congregatos, quorum quemlibet diſtinctâ proſequor veneratione, quemadmodum pertinet ex amore in Patriam, & metu pejorum his, quæ nos premunt, cum magna prudentia providere de mediis ad aſſequendos hos fines; ita pro informatione eorum, quæ ipſe toto ſemeſtri hic reſidens egerim, in compendio refero. Conventum pro conſilio, in quem finem & exitum hic indixiſſem, (quamvis aut malevoli, aut ſuſpicionibus ſuis meticuloſiores variè & indebitè traduxerint) ipſæ actiones manifeſtant, vivumq; ſunt teſtimonium non inſervîſſe turbis, à quibus ſemper & mens, & vocatio mea abhorruit, ſed abbreviando diei malo, qui Rempub. extremè affligit, ponendo armis obici, verbo, quieti, & paci: nec falſus ſum in ſuppoſitione meâ, quòd ejus conſilii viam ad velociorem tractatum arripuerim. Siquidem hactenus adhuc in hoc ſuſpenſo aula Suetica hæret, ut conſilium ſit liberum, non partiale, & ſine omni dependentia, cui involvuntur omnia ab illis ad latus Regiæ Mtis conſilia expedita. Expreſſi perſuaſionibus meis à Rege Sueciæ reſponſum ad literas meas 4tâ Februarii datas, in quo primitus cœpit indicare ſuum affectum ad quietem. Commiſſariis non ſine difficultatibus audientiam & agnitionem characteris illorum conciliavi. Movit hinc Rex Sueciæ, ſimul etiam ſpes proxima tractatûs migrare à nobis paxq; ipſa recedere in longinquas Regiones videbatur: nihilominus non cedendo minùs placido vultu nos reſpicienti fortunæ, non deſtiti ab urgendo ſucceſſu. Expedivi duas ante ſeptimanas hominem meum reſcripto ad manifeſtum, aliisque meis literis; ſed quamvis necdum cathegoricam retulerim declarationem, ſolatium tamen ex ſecretioribus capio innoteſcentiis, quibus edoceor expeditionem parari. Deſtinantur Commiſſarii ad tractatum pro ejus ſecuritate, ipſiusmet Reipub. mediatio prætenditur extraneis omiſſis, quorum hactenus nullius opis interventum fuiſſe eſt manifeſtum, pro ſtrictiori autem fœdere armorum ſocietas. Hinc metus ſuboritur, quâ formâ & modo hæc Reipub. mediatio circumſcribetur? quod medium commoda belli effugiendi? (effugere autem ea impoſſibile futurum eſt)

A.C. 1703 eſt) uti ex conferentiis meis & ſcriptis Sueticis penitiùs intellexi. Res nobis cum dilemmate eſt, vel ſuccedet tractatus, vel non? ſi ſucceſſerit, nodus mediationis & armorum ſocietas in futurum, pro aliis bellis nos manent: ſi non ſucceſſerit (quod DEus avertat) certus in viſceribus Regni nos expectat conflictus, cui exercitûs noſtri vires ſine extero peditatu impoſſibile, ut ſufficiant: jam autem raptim & ſine ordine capere hoſtem incertum, Saxonicis auxiliis toties infelicem aleam expertis credere lubricum, ſtante præſertim eâ diffidentiâ, quæ à Kliſſovienſi ſubrepſit in utrumq; tam exterum, quàm noſtrum exercitum mutua. Unde nec Saxonibus ſine nobis, nec nobis ſine Saxonibus felicia (ut optamus) prælia præſumenda. Velitis igitur ipſi perpendere, & quomodo, quæ in bivio malorum conſtituta Patria vel utrumque vitare, vel minùs periculoſum eligere poſſit, decidere. Ego interim extendam manus ad cœlos, DEum obſecrans; ut ipſe dignetur ſuccurrere, ſana & conſentanea inſpirando vobis conſilia; mihi verò vires & ſanitatem indulgendo, ut & in poſterum de chariſſima Patria bene mereri mihi liceat, cui ab ea, vitâ, honoribus, & opibus in tantum evectus, pro his tribus gratiis, nonniſi millenis votis bene precari poſſum. Nequeo diſſimulare dolorem meum graviùs exinde ſaucientem, quòd nec in congreſſu Sendomirienſi, nec in aliis conſiliis ullam mei mentionem fecerint; tum primum non ex dignatione, ſed ex neceſſitate mei ſubit memoria, dum res indies in caſum vergunt.

Verùm hôc ad levamentum proprium commemoratô fraternæ me omnium veſtrûm gratiæ commendo, rogans, ut in ea ſupra livorem & affectum conſerver, utpote ſincerus &c.

COPIA LITERARUM CARDINALIS AD THESAURARIUM M. D. L. de data 30 Maji.

Rediit Dñus Jarzyna nullum tam longæ expectationis pretium ſecum referens aliud, præter Piperi literas; quæ non ut aliæ oſtenſivæ ſunt, ſed ſubobſcuræ in tantum, ut nihil ſolatii in publicum ex illis excerpi poſſit. Confirmor nunc primùm in ea opinione, quam pridem mente coquebam, Regem Sueciæ nec cogitâſſe quidem unquã de dethroniſatione, eam ſolùm pro titulo & fronte pixidis adhibuiſſe. Idem ſentiendum de longo totius anni magiſterio, ne ſcilicet erroris adverſio noſtram verberaret conſcientiam. Juſſit nos conſulere tractatûs ſecuritati, & hoc per literas: ſic indubiè tota hujus anni expeditio finietur, nec unica quidem finitâ quæſtione. Quid porrò hoc aliud quàm ludere latrunculis per poſtam? quæ materia in ipſo congreſſu conſulturis reſtaret? quod circa objectum verſarentur comitia? his antea jam expeditis, iraſcitur nos in caſum naturali favere defenſioni, eamque actu aſſumere velle, vetat ne aut exercitus, aut Nobilitas ſe moveant, otioſos tantùm nos eſſe deſiderat ſpectatores, cùm interea ſangvine noſtro luditur, Provinciæ in longum & latum vaſtantur, ſacra æquè ac profana violantur, hícne ſermo prudentis? ſanè bellum in hoſtem gerat Rex Sueciæ, ſi modò de proprio ſuiſq; ſumptibus: viciſſim Rex noſter defendat ſe, verùm itidem de ſuo: noſtrûm ſolùm ſit cognatos conciliare Principes, non autem plauſum dare triſti ſpectaculo. Jam in hac diſcretione unum anniverſarium M. D. L. alterum Provinciæ Regni ſpe ac amore pacis abſolverunt. Nolo ulteriobus tecum agere, polles cœlitùs tibi indulto judicio, conceſſum tibi ingens nomen, data & pro-

& proles eſt: imminent comitia, ijs me intereſſe, ſi tractatus in irritum *A. C.* 1703
ceciderit, oportet. Ibo nullis inſtructus armis conatum tantum meum ferens. Si mihi tam felicem eſſe non licuerit; ut in ijs cum ramo pacis compaream, quod fieri poſſe ſat manifeſtum eſt: facile quid tibi facto opus erit, arbitrari potes, imò jam nunc maturè tua caſtra metiri velis. Protectio Regis Sueciæ magnifica eſt ſed lubrica, & an illa indignationem Reipub. præſertim totam cùm colliget iram, vincere poterit, arcanum eſt, tutiora ſatiùs eligenda ſuaſerim, felicius optandum aſylum, cui nullum par credo præter ſinum Reipub. his pro affectu inſinuatis ſum &c.

COPIA LITERARUM à DUCE EXERCITUS TURCICI AD CASTELLANUM CRACOVIENSEM KILKO 6. Januarij.

CORreſpondentiæ & literis noſtris occaſionem dedit tractatus perpetuæ pacis, fœduſq; per DEI gratiam concluſum inter ſereniſſimum & invictiſſimum Portæ Ottomanicæ Cæſarem Dñum & Benefactorem meum Clementiſſimum ex una, & Seren. Chriſtianum Regem Poloniæ inclytamque Rempub. ex altera parte: vi cujus eò primam & impenſiſſimam curam noſtram convertere debemus; ut fines & limites ditionum utriuſq; Monarchæ juxta contenta ſua determinentur & firmiter ſtabiliantur. Neſcio verò fatóne an caſu tot jam præterlapſis annis negotium iſtud necdum optato fine coronatum eſſe. Per complures literas hac ſuper materia à vobis ad nos datas factum exiſtimaverim; ut quia deſideria veſtra in illis contenta penitiùs conſideranda & trutinanda fuerunt, differri ad hoc uſque tempus prædictum opus debuerit. Forſan cum majore diligentia, quo ad id, procedendum fuit, majoribuſque rationibus urgendum: nam vel exiguus neglectus & ceſſatio nullius origo boni eſſe conſuevit. Jam nunc ut expleamus & ſatisfaciamus tractatui Cæſareo, quo ad decretam limitationem, cum Turcico Exercitu ex hac parte Danubij parati ſubſiſtimus veſtram expectantes præſentiam. Hinc literas ad vos mitto innoteſcentiales; ut ijs acceptis & perpenſis etiam vos maturè parati eſſe poſſitis, quantociúſq; deſignetis tempus opportunum huic operi inchoando, & finiendo. Faxit verò DEUS ut hoc glorioſum opus felicia ſumat exordia, & ſimilem ſortiatur finem: quatenus Principis mei voluntati in tam neceſſaria parendo occaſione meo obſequio apud vos inclareſcam, & in diebus tam juſti Domini vulgus de quietis temporibus ſibi redditis, inopes de reſtituta pace læti gratulentur. Precor interea à DEO annos incolumitate integros, felicitate florentes.

Hadzi Japhet Baſza
Gubernator ad Boryſthenem.

LXV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB REGNI CANCELLARIUS COMITI PIPER CANCEL: SUETICO. 4. Junij.

EO fortiùs ad ſcribendum ſtimulari me ſentio, quò diutiùs exoptabam occaſionem mihi offerri tantum magni Regis conſiliarium compellandi aliquando, & demerendi. Interim cùm undiq; ad me infauſtus hic rumor deferatur, quòd pro fideli, conſtantique in Seren: Regem meum & Dominum obſequio, inſons Varmia plecti de-

A.C. 1703 beat, & jam in metam præſenti incurſioni deſtinetur, ſumo calamum, quo intimum doloris mei ſenſum coram prudentiſſimo Arbitro poſſim, ſubmoto ſipario candidè ſincereq; aperire, atq; illâ civilitate exprimere, ut te deceat legiſſe, & me ſcripſiſſe non pœniteat. Difficulter tamen adduci poſſum, ut fidem habeam, laudatiſſimæ clementiæ ac miſerationis Regem in eos velle arma ſua, manumq; tot palmis, laureisq; plenam extendere, qui Domino ſuo juratam fidei & devoti obſequij Religionem illibatâ conſcientiâ profitentur. Neq; me latet (prætertotius Europæ conſtans judicium) ita præſtantibus ſuam Mtem excellere Conſiliariis, ut facilè queant diſſuadere, ſi quis fortè adverſa fortunis meis, & celeberrimæ tanti Regis pietati ſuadere niteretur. His reflexionibus permotus, audeo iterùm, iterumque Te precari, quatenus Seren: tuum Regem, qui pariter ſibi fideles ſubditos ſingulari fertur complecti benevolentiâ, eò digneris inclinare, ne contra me, quaſi unum folium promoveat potentiam ſuam, majoribus dignam victoriis & trophæis. Confido ſincerè, ſicut laudatiſſimæ Sereniſ: Regis etiam in hoſtes ſuos clementiæ, ita efficaciſſimæ ſemper tuæ interpoſitioni, quòd fulmen hoc ſit ab innocentis Varmiæ jugulo, compluribus hactenus calamitatibus tantùm jam non fracto apud Seren: Suam Mtem deprecatura. Ita enim humile ſpolium vix tam fortem deceret militiam, tua deinde bonitas ſuperaddet faſtigium celeberrimæ ubiq; nominis exiſtimationi, ſi leo hic reverentiſſimè proſtratis more ſuo pepercerit. Utinam verò, faxint boni Superi! ut gemini iſti Reges, quaſi duo ævi noſtri & Martis fulmina, quorum florentiſſimam ætatem, & invicti animi robur, tota, quanta ſuſpicit Europa, atq; in ſuas ſuſpirat ſuppetias, in alium aliquando, quemcunq; demum illum hoſtem potiùs cognatas acies, quàm in mutuam Domûs ſuæ Seren: vertant gloriam. Sed jam fortè ampliùs quàm ſperabam mentem meam calamus prævolavit. Ego interim pro publici mumeris mei officio, ad Regni Comitia excurro, in quibus cognatæ Majeſtatis componendis negotiis omnes vires meas diligentiſſimè laborabo impendere. Interim & miſeram meam Mantuam infelici nimiùm vicinam Cremonæ, ſolius DEi exercituum patrocinio dedicatam relinquo, certus, quòd ea, quæ Regis Regum Paterna manus protegit, felici manu provehantur ad littus. Accedet ingens momentum gloriæ celeberrimo Tuo Nomini, ſi non averſâ aure ſubmiſſi hujus folii, & miſerabilis Varmiæ vocem exceperis. Quod dum mihi, illiq; à civiliſſima Tua benevolentia non vanus augur polliceor, teſtor, quòd ſim &c.

COPIA LITERARUM REGIS Ad MARESCHALCū REGNI 9. Junij.

Volentes omnia obſtacula, quæ debito ſucceſſu immminentia comitia fruſtrare poſſent, maturè de medio tollere, damus plauſum ſagaci tuæ in officio vigilantiæ, quam compellatus à quibuſdam Comitiolis, in expoſtulatione cum externis legatis oſtendiſti requirendo ab illis: ut juxta univerſalem Gentium morem, ſuæ legationis cauſam, & ad quem venerint, exponerent, ſuumq; characterem probarent, num in commiſſis, aliqua ad nos, & totam Rempub. deferrent? mandando item, ut depoſita reſidendi Varſaviæ ſpe, Lublini ubi etiam Ordines Reip. legitimè congregati erunt,

ea

ex nunc ſine ullo morarum obtentu, ad aulam noſtram accelerarent, A.C 1703
quod illis in loco ulteriorem incolatum prolongare non tantùm leges Patriæ ſed etiam ingruentia, ex tot exercituum concurſu, incommoda vetarent, imò nec tibi cum Officio collata poteſtas, ad id concedendum ſe extendere poſſet, ipſis etiam legatis, nè minimè id quidem prætendere valentibus, ex quo Aula Suetica, tam per Regis, quàm Miniſtrorum literas luculentè declaravit, mediationem exterorum à ſe non acceptandam. Quocirca ut obligationi Miniſterij tui inſiſtas, ſingulosq; legatorum, ad præſens usq; Varſaviæ morantium ſui muneris admoneas urgentiſſimè deſideramus. Tibi ſub hæc à DEo, bonam valetudinem precamur.

LXVI.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM ET SAMB. SUPREMUS REGNI CANCELLARIUS ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO Romæ degenti 18 Julij Lublinô.

QUanquam tenuitatis meæ conſcium me pudere deberet, quòd mihi plura tribui vis, quàm debita ſunt, tamen amari abs te, diligi, ac laudari ſummopere gaudeo, & imprimis triumpho. Venit nunc in memoriam Joannes Papa tertius & vigeſimus, is cùm plus æquo laudaretur, ſcio inquit me ludi, ſed falſa quoq; laus me delectat. Id etiam ego dicere poſſum, non ſunt meæ quas mihi attribuis laudes, ſcio quo pede claudicem, quo laborem dente, laudari tamen falſò, quàm verè vituperari malim. Sic ergo credo, quòd ſi peccare erga me aliquem oportet, malim laudando, quàm vituperando metas illũ tranſgredi. Feciſti tu quod amantes conſuevêre, ſcripſiſti de me, non quæ modò ſciebas, verùm ea quæ voluiſſes eſſe vera, quod magnitudini amoris in me tui acceptum refero, qui amor nullis terminis includi ſe poſtulat. Jucundum in primis accidit à te laudari, utpote à laudatiſſimo ornatiſſimoq; viro, ſed eatenus, ut laudes quibus afficior cum modulo meo conveniant, qui vix totus eſt bipedalis, non autem ut multis eum partibus excedat. At quod de me judicium facis longè majus eſt, quàm exigant merita, noſco me ipſum, nec fallor cum laudor, cum autem ſciam te non eſſe ex ijs, qui in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquuntur, & occultè ponunt ei inſidias, & verbo alia pandunt, quàm mente volutant. Vellem ea in me facultas eſſet, qua poſtea me gratũ oſtendere non verbo, ſed facto queam; ſcio tamen prudentiam, & manſuetudinem tuam ex me nihil amplius expectare quàm poſſim, & in redditione gratiarum animi tantùm inſpicere promptitudinem. Redditâ igitur gratæ mentis teſtificatione ad ea accedo, quæ aut me ſcribere, aut te ſcire maximè interſit, nec quidquam præteribo, quòd ad rem pertinet altiùs acta repetendo.

Scies imprimis quòd petij à Rege illo tempore veniam & licentiam appropinquante Paſchate, ut poſſim officio ſatisfacturus meo excurrere in Varmiam, & cum eam obtinere, quamvis juſta petitio fuit, non potuerim, ſtatim repræſentavi ſuæ Mti, quòd nullas occupationes, & curas Epiſcopales, quaſi leves, & nullius operis contemnere debeam, quibus ſi totas, nec ideo ſuffecturas ponderi vires obtulerim, adeò earum magnitudine premi me ſentiam ut onus Ætna graviùs ſuſtinere me ducam. Etenim Epiſcopo tot ſunt liberi, quot ſubditi, quibus ſin-

A C. 1703 gulis debet, ſi probus atq; perfectus eſſe vult, cœleſtium epularum alimenta ſuppeditare, & virtutum ornamenta comparare, ac proindè ita ſemper anxio vigiliq; intentus animo ſit neceſſe eſt, ut ſomnum morantibus ſollicitudinibus, nullam partem quietis capeſſere queat, inſolita quippe ea, atq; inuſitata amantis Jacob vigilantia ſollicitudoq; gregi Labani exhibita, Chriſti ovibus protegendis æmulanda eſt. Explicui quòd ponere mihi ſæpius ejus ante oculos debeam ſummam, ac pene incredibilem in frigore, & fame, & ſiti, ac vigilijs perferendis patientiam, in laboribus ſuſtinendis tolerantiam, ac perpetuam in propoſito ſuſceptoq; conſilio fortitudinem, atq; conſtantiam, video mihi illum videre dies noctesq; concurſantem, ſemper excubantem animo ſimul & corpore, nec partem ullam quietis capientem, & modò canes in venientes feras immittere, captas modò oves ex luporum faucibus eripere, modò eas ad paſcua ducere, aut paſtas indè reducere, nulla detrectare pericula, nullo labore teneri, & cum pluribus officium hócce meum deduxerim, & neceſſitatem indiſpenſabilem comparendi his diebus in Diœceſi oſtenderim, tandem habui licentiam, abij, & olea ſacra conſecravi Elbingæ, diem Veneris Sancti, Vormditi, & Sabbatum ſanctum cum Paſchate abſolvi Guttſtadii, ibi venit notitia de morte Dñi Joannis Gninski Palatini Pomeraniæ, cui ex gratia Regis Joannes Dzialynski dato D. Palatino Culmenſi Capitaneatu Tlomacenſi ſucceſſit, nec injuria magnam ſibi felicitatem peperit.

11. Aprilis mediâ nocte inſperatè (tantò enim ſecreto & dexteritate id actum eſt, ut nullus dolus metueretur) acceptus domo, & ductus in carcerem Saxonicum, arcemq; Königſtein fuit D. Bechling Supremus Regis in Saxonia Cancellarius, & primus Miniſter. Ita fatales calamitates, nullo humano conſilio poſſunt vitari. Humana conſilia reguntur temporibus, mutantur ratione utilitatis. Multa hic conſiliarius fecit, quæ ſunt in conſpectu omnibus, & propterea non iniquè feciſſe id Regem omnes exiſtimant. Venti Bechlingium impediverunt, ut ampliùs navigare nequiret. Scribere vereor ſingulariter omnia (ego novi ſilere) quia invidiam reformido, contra quam in veritate orationis nihil præſidii eſt, quia ſcio multos ei nocuiſſe, quibus ille multum nuper profuit, & contrarium ijs, quæ ſperabat expertus, & ſuperari eum fecit DEus ab amicis, quanquam nec inimici deerant; Varia de hac captivitate, & cauſis ejus, ſed præſtat fortaſſe hæc incerta, ita ut ſunt relinquere. Rerum progreſſiones oſtenderunt, multa quæ initio provideri haud facilè poterant, omnium facillimum eſt ſe ipſum decipere, quod enim quisq; vult, id etiam ſibi fingit, ſæpè autem natura rerum alia eſt. Optima via ſublimitatis humilitas eſt, quam Bechlingius planè ignoravit, & ideo periit. Quàm vana, & quàm imbecillis eſt rerum humanarum conditio!

Redij interim Mariæburgum, ubi inveni reſponſum à Cardinale & Dño Capitaneo Borzechovienſi, qui ut jam dixi independenter à nobis miſſus fuerat Varſaviam cum negotiatione ſecreta, ſed nihil perfecit ex ultimo eventu, & quæ præceſſerunt omnia ſolent æſtimari. Fieri non poteſt, ut Cardinalis rebus geſtis contentus otio ſe contineat. Facit ſemper aliqua, quæ tametſi parva exiſtimari poſſunt, magna ſunt.

Fuit iterum 18 & ſubſequentibus (eſt tamen pro nobis grande laboris opus) conſilium in quo magnus fremitus contra hanc expeditionem ad Cardinalem, & multa dicta ſunt, cum benedicendo nihil proficiatur, contra DD. Epiſcopum & Palatinum Culmenſes. Voluit omni-

no

nò D. Procancellarius Litvaniæ, qui nunc optimè mecum convenit, ut (quòd præſtari putabam & ego poſſe) expediantur ad Cardinalem literæ civiliores, vult Alexander DEUS fieri, fiat, ſed nullo modo id DD. Litvani permittere volebant ex odio & invidia ea vituperantes, quibus non edebant meliora, quis præſentia malè agens futura ultro bene proceſſura putat? ita quippe præſentia ſemper amittimus, & futura ſua ſponte ſe rectè habitura opinamur, paucis verò contingit amiſſam occaſionem recuperare, ſed optimè ſuadendi ſtudium magis nunc, quàm unquam fuit, redditur periculoſum. Interim concluſio facta erat extradendarũ literarũ Reſtium, & jam univerſales ſubſcripſerat Rex, quod peſſimè habuit D. Theſaurarium Regni. Quæ verò tunc facta ſunt, ea infecta fieri non poſſunt, dixi illi ſemel noſtra quid exagitas? nec meliora facis. *A.C. 1703* *Stanislaus Szczuka.* *Joan Przependowski.*

Tranſivit per Mariæburgum D. Generalis Horn, & prandit apud me 1. Maji optimè acceptus à Rege, cui multa dixi, & non diſſimulanter dixi, quâ die comparuit etiam Princeps Radziwil Cancellarius Lit.

Venerunt etiam puncta à Cardinale, quæ ipſi ratione pacis propoſuit D. Piper, ſed ſunt indecentiſſima pro Rege, nec æqua, nec ferenda, nec tuta, & ideo nullatenus acceptari poſſunt, & niſi prius à Primate, hac in materia ſæpè deceptus fuiſſet Rex, fortè jam Reſpubl. non tam laboraret.

Non utiq; res ab eo geſtæ obſcuræ ſunt, ut diſceptatio requiratur, ſed notum eſt omnibus præteritum tempus evidenti nobis argumento, quemadmodum, quæ facta ſunt ſcimus, ſic nec illa quæ fiunt ignoramus, non eum pudet magis Regi extraneo vivere, quàm ſuæ Patriæ, à quo ea munera, quæ accipit, ferre ſe domum putat, cum interim ea, quæ domi ſunt vendit, neq; ſanè velim conjecturas meas eſſe veras, ſed vereor, ut id jam nimis in propinquo ſit. Ipſa res ſe oſtendit, tu judex ſis, creditu difficile non eſt, cum intueamur.

Eſtne proh Divûm fidem! (exclamare libet) quiſquam ſanæ mentis, qui vel pacem ſervantem, vel bellum ſecum gerentem ex verbis magis, quàm ex factis æſtimet. Propoſitiones has mittendo, iſta agendo quid facit? Nonne quæ dicit multum ab aliis quæ facit diſſident? Non eſt oblitus eos, qui in rerum adminiſtratione conſtituti ſunt criminari (ut ſolet) calumniari, nihil aliud faciens, niſi ut Reſpubl: ipſa de ſe pœnas ſumat, & ea re occupetur.

Illi, qui præclariſſimè pro Patria agunt, maximis conviciis, & contumeliis, præter meritum proſcinduntur ab eo, ſed nos cedendum temporibus credimus, poſtquam nos non tam impares putamus, quàm non debere conſiderare ea pro bono publico credamus, injurias privatas publicis utilitatibus non anteponendo, & dum bene agamus, male loquentem de nobis non timemus, ille quod ore promittit, nunquam opere complet, ut toties & tempus, & res comprobavit. Nos autem facimus bonum in conſpectu Domini in corde perfecto.

4. Ejuſdem venerunt infauſta nova, Saxones pulſos eſſe Pultoviâ ab ipſo præſente tunc Rege Sueciæ, qui rei gerendæ tempus in apparando non conſumit, occaſiones, & caſus oblatos ultro ſuſcipit, ac flectit in conſilium, nec noſtram tarditatem expectat, & vix in campo Pultovienſi ante civitatem comparuit, tremor ſtatim, & horror invaſit ſenſus omnium, & fugit Iſráël, & ruina facta eſt magna in populo. Forté Generalis Steinau imitari voluit illum Scytham, qui Dario Regi pugnare volenti reſpondit, ſi tecum prælium inire volui, hoc ſedulò egi, ne

A.C. 1703 gi, ne tibi pugnam optanti obtemperarem, velut ille Antigonus Rex hoſtibus cedens non ſe fugere ſed utilitatem retrò ſitam perſequi dicebat, tanquam ſibi ab initio propoſuiſſet, ut neque hoſtem prælio laceſſeret, neque laceſſitus in aciem deſcenderet, forſan Fabianæ artis, & conſilij memor, bellum trahere, hoſtem morari, prælio abſtinere. Nec nomina (ut noſter ille apud Homerum ait) data ſunt hominibus ſimul, aliis enim ars vincendi, alijs celeritas fugiendi, tanquam conſervandi ſe ſtudium non deſit. Cum eo quippe rebatur hoſte agendum eſſe, qui nec victor, nec victus quieſcere poteſt. Quanquam videmus, Regem Sueciæ moram ſemper poſt victoriam trahere, & ſpatium quaſi dare hoſti ad reſpirandum, ſi enim proſecutus & tunc fuiſſet, omnes planè quotquot illic erant deleviſſet. Scripſit Romanus quidam alteri Romano quærens quid Antonius facit? repoſuit ille hoc, quod canes penes Nilum: bibit, & fugit; id forſan dici poteſt de D. Steinau, nimis enim vino & hinc prognato vitio quamvis provectæ ætatis deditus. Corrumpunt autem blandæ voluptates omne robur animi indolemq; virtutũ, ingenium labefactant, conſilium eripiunt, quidquid hoc perniciofius humano generi afferri poteſt? quæ omnia tantò graviora videri debent in illo, quantò eſt Regis Sueciæ continentiâ major. Nam hic Rex præter cætera virtutis documenta, nec in potu unquam excedit, & in omnibus locis in quibus hoſtem ſuperat, à captivis mulieribus ſemper victrices abſtinet manus. Tabeſcebat cor Regi Sueciæ tanquam inerti Varſaviæ ſedenti, nec pati potuit tam vicinos Saxones, quem ſemper deſiderium belli armorumq; tenet, ſed illi pugnam cum hoſte, videntes, quòd omnia ad futurum certamen præparaverat, committere voluerunt.

Hâc etiam die conſilium finitum eſt cum applauſu noſtro, & mortificatione æmulorum, ita conſervat Dñus, qui ſperant in eum, ſtrenuè quippè palàm ea dicimus, & agimus, quæ conveniunt. Erant literæ à Cardinale, à quo, & ſi ſpe fruſtrati ſumus, tamen decepti eſſe, & videri non potuimus, ego timeo valdè, & nimis, ne ille dum belli finem non quærit, Dñum, quem poſt nollet, inveniat.

Sparſus etiam eſt rumor, is verúſne eſt, an ut fieri ſolet plerumq; confictus neſcio, quòd jam Sueci fuerint in Praſniſz, ac proindè ſuadebatur Regi ut Elbingam eat, concluſum eſt fieri, debere Comitia Lublini, ſed hoc in ſecreto, utq; univerſalia pro ijs imprimerentur Brunsbergæ ordinavi, & ſic Sereniſſimus Rex cum tota aula Elbingam venit.

Die 11. Fuerunt Ablegati Gedanenſes cum deprecatione Regis, quid illis reſponderim accipe.

14. Fuit conferentia cum D. Oberbek Ablegato Regis Pruſſiæ, qui nomine Principalis ſui declarat quinq; millia peditum, qui poſſint eſſe in præſidio, ubi Rex voluerit in civitatibus noſtris, cum conditionibus plauſibilibus, ſed multis non eſt viſum acceptanda hæc, & plures contendebant hanc acceptationem non è re, timentes ne id verificetur, quod hiſtoria dicit, ut amicus, & ſocius in Theſſaliam ingreſſus occupavit, & tenet, ac poſtremo miſeris illis ſe miſiſſe ad eos ex benevolentia milites, qui eos viſerent, audiviſſe enim ſe, laboraſſe eos, eſſet autem ſocij, & veri amici hujuſmodi adeſſe temporibus, & proinde timentes Danaos, & dona ferentes, conſentire in hunc tractatum noluerunt.

De noſtris afflictionibus nihil tibi dico, quæ ex occaſione certæ promiſſæ ſummæ, & necdum exolutæ exercitui noſtro patimur à Deputatis, qui aliquoties in die impetunt nos, ſed fruſtra, optimâ enim voluntate noſtrâ nolunt eſſe contenti & nos præter id nihil habemus, pecunia

nia ſi rectè collocetur non deeſt, ſi malè deeſt, ac potiùs nulla ſatis eſt. A.C.1703
Miſi etiam expeditionem per manus D. Caſtellani Cracovienſis pro finiendis cum Turcis limitibus, cum tempus nunc inſtet, expeditio etiam ivit ad commiſſarios noſtros, qui erant deſtinati ad tractatum pro pace cum Suecis, in qua quia non eſt mentio ejus, Cardinalis furit.

De intentione Regis Sueciæ, quòd velit oppugnare Thorunium, venit notitia, quod Regem affligit, omnis enim peditatus ibi manet.

Tandem 27 præceſſi Regem Ser. qui ſe Heilsbergam venturũ intra aliquot dies promiſit, ubi ego 30 morbo calculi laborare cœpi, ita ut nec capax recipiendi Sereniſſimum fuerim, qui 31 venit à fratribus meis exceptus, nec tam lætus Herculem ſuſcepit Euander, & Anteſtes Anchiſem, quàm ego etiam ſi infirmus Regem. Voluiſſem florentes Metelli Hiſpaniæ Quæſtoris habuiſſe epulas, & ita fercula exquiſita, quæ Criſpinus, aut Apicius, & alii Romani vorabant, quæ Regi præſentaſſem.

4. Junij gratiâ DEI ſurrexi & manducavi cum Rege, & jam pridem concertatas nuptias unius ex meis cum quadã converſa abſolvi. Rexque fuit lætiſſimus, ſed in craſtino abiit, & ut præſens mentis meæ ſuavium erat, ita abſens triſtitia factus eſt, ubiq; per totum Epiſcopatum à meis exceptus, & tractatus lautiſſimè, ego etiam 7. ſecutus ſum Regẽ.

In Wengrow inveni Ser. Regem, & cum eo ivi in Sielec quò DD. Generales noſtri cum Exercitûs Poloni parte venerunt, tractavi eos apud me, & in craſtinum exercitus ſuos præſentaverunt, & fuit conſilium privatum, Rex, Dñi Generales, & nos duo cum D. Procancellario Regni, multa bona concluſa ſunt, DEus det ut veniant in executionem. Dixi illis aliqua pro ſenſu meo, quòd ſi unquam tunc certè Patriæ cauſam agentibus occaſio optima, quanta ulla unquam offerri poteſt, modò excuſationes temporum non adferent; Explicui quanta patimur omnes, quanta toleramus eodem modo, quo qui grandinem (ut mihi quidem videtur) ſpectant, optat quiſq; ne in ſuos agros deferatur, prohibere conatur nemo, tantùm autem abeſt, ut illatas Poloniæ injurias, & damna quiſq; vindicet, ut neq; ſuas quiſq; particulares ulciſcatur, quod jã extremum eſt, cum ad hunc modũ omnes cunctamur & effæminati ſumus, & ad proximos reſpicim⁹, alij aliis diffidentes hoſte tam apertè nobis inſultante. Quid verò facturũ putatis DD. mei eum, qui in univerſos ita eſt audax, ubi nos ſingulatim omnes ſubegerit. Et nos nec expergeſieri poſſum⁹, illis qui mandragorã, aut ſimile aliud venenũ biberunt, ſimiles, inimici interim fruuntur ignaviâ noſtrâ, otiũ agim⁹, & nunquam officio fungimur, tanquam illi Athenienſes emoti ex eo fundamento, in quod illos majores eorum collocaverunt, talibuſq; rebus jam circumventi ſumus univerſi, ut etiam, quod conſuli debeat, non ſit in promptu, & ego dicere vereor, dico tamen: Confido enim, ſi quis rectè conſideret, fore ut me vera, & ipſo eventu comprobanda dixiſſe appareat, & ſi vera occultanda ſunt, nihil dicere neceſſe eſt, non ergo ampliùs (petii per totum id quodcunq; ſacrum credunt) non ampliùs humiliter & non ut eorum animi magnitudinem decet ſe gerant; Quid Patriæ, quid Regi conducat, conſiderent, ſervent, & hunc, & hanc, & quæ tum illis ipſis, tum Reipub. digna ſunt, agant, ne poſteritas arguat illos, quòd fuerint otioſi, & quidlibet aliud agentes, neq; curaſſe quid hoſtis ageret; Manus fortium dominabitur, quæ autem remiſſa eſt, tributis ſerviet.

Tranſierunt illac DD. Ablegati Rubiſſon Angliæ, & Cravenborng Hollandiæ, ſed parum morati iverunt Varſaviam, quibus inſinuavi intereſſe omnium vicinorum, ut hanc potentiam coërceant, quam eſſe periculoſam agnoſcunt, quicunq; cerebrum in temporibus & non in calce-

is

A.C. 1703 is conculcatum gerunt. D. autem Caſtellanus Cracov. ad Comitia, & D. Palatinus Belzenſis minor Generalis cum exercitu, & optimâ informatione abiit, ego præceſſi Lublinum, ubi Rex 17. comparuit, Princeps Wiſzniowieccius in craſtino venit, qui ut ſit Director Comitiorum omnem conatum adhibemus, cras ſciemus. Tu interim vale, & me ama.

Hieronymus Lubomirski Adamus Sie nawski

P. S. Mitto tibi Diploma Regium, æſtimationem, quam de te Rex, amorem, quo ego te proſequor, clarè in eodem videbis. &c.

DIPLOMA REGIUM CONFERENS MARCHIONATUM DOMUI SALLAROLIANÆ.

AUGUSTUS II. REX POLONIÆ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c. Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Soles ſi radiis non illuſtrarent alios, nomen propè ſuum amitterent, & ſoli veriùs quàm ſoles appellari mererentur. Pariter Ser. Regum Mtas, inter ſingularia damna ſuæ cenſeret dignitatis, ſi deeſſent in quos munificentiæ, & gratiarum ſuarum teſtimonia, pro ſæculorum memoria poſſet diffundere, præcipuè quando non de uno Orbe meriti præmiandi oceurrunt. In tam illuſtri ſerie optimè meritorum, ex Primarijs Regni noſtri Miniſtris probè intelleximus eſſe nobiliſſimam Domum Sallaroli, tum antiquitate Familiæ, tum virtutibus, Togâ, & Sago, non minùs Eccleſiæ Romanæ Catholicæ, & Italiæ Provincijs, quàm etiam Regno noſtro conſpicuam & probatam. Quapropter ſincerâ Conſiliariorum noſtrorum informatione edocti non ſolùm de antiqua Patriaq; familia, inter Nobiliores & Illuſtres familias, quæ in Civitate Bononienſi florent, ac de animi generoſitate & laudabilibus virtutibus, ſed etiam de ſingulari ſtudio bene merendi de nobis & Rep. Nobilis ac Religioſi Alexandri Sallaroli Clerici Regularis Theatini Theologi noſtri & Miniſtri apud Sanctiſſimum Papam CLEMENTEM XI, dignum eſſe cenſuimus, ut propter multa ſervitia Nobis & Regno Noſtro, tam Romæ, quàm in Polonia præſtita, Ipſi Regiam Noſtram gratitudinem & affectum oſtendamus, & ſpontè recognoſcamus ipſum, ſuamq; Nobilem & antiquam familiam Bononiæ commorantem, & duos ejus Fratres Paulum, & Carolum Sallaroli, Nobiles Noſtros familiares, & Regni Noſtri Marchiones eſſe, prout de facto intuitu meritorum Nobilis, & Religioſi Alexandri Sallaroli Theologi Noſtri & Miniſtri, præfatos ejus duos fratres, Paulum & Carolum illorumq; hæredes ac Poſteros deſcendentes, qui legitimos utriuſq; ſexus ortos, ſive orituros, in veros Solij Noſtri Regalis, Regnorumq; omnium Marchiones creavimus, fecimus, ereximus, ſublevavimus, & Marchionatùs titulo, honore & dignitate inſignivimus, aliorumq; Marchionum catui, ac conſortio adſcripſimus, & aggregavimus. Quemadmodum tenore præſentis Noſtri Diplomatis, de peculiari noſtra poteſtate & plenitudine noſtra Regia creamus, exaltamus, facimus, ſublimamus, inſignimus, atq; aggregamus. Decernentes, & hoc noſtro Regali edicto firmiſſimè ſtatuentes, ut prænominati Alexandri Sallaroli Nobilis Familia ejuſq; duo fratres Paulus & Carolus Bononienſes, omneſq; liberi, hæredes, ac Poſteri ipſorum utriuſq; ſexus legitimè nati, & naſcituri in infinitum, Marebionum Nomen & dignitatem aſſequi, obtinere, & ferre, tam his literis, quàm nuncupatione verbali nec non in rebus Spiritualibus, & temporalibus, Eccleſiaſticis, & prophanis, in quibuſcunq; negotijs, & nationibus, à Nobis & Sueceſſoribus Noſtris, & alijs omnibus & ſingulis, cujuſcunq; Statûs, Ordinis, Dignitatis, Conditionis aut Præeminentiæ extiterint, pro veris Marchionibus haberi, teneri, nominari, & honorari poſſint, valeant & debeant, prout nos ipſos, eorumq; legitimos hæredes, ac poſteros utriuſq; ſexus Marebiones nominamus, declaramus ac approbamus ac ſi à quatuor Avis Paternis, ac Maternis tales nati eſſent, volentes & authoritate Noſtrâ expreſſè ſtatuentes, quod ubiq; locorum, & terrarum tam in judicijs, quàm extrà, omnibus & ſingulis privilegijs, indultis, & immunitatibus, libertatibus, juribus, conſuetudinibus, honoribus, prærogativis, exemptioni-

ptionibus, gratiis, & favoribus uti, frui, potiri, & gaudere valeant, quibus alij Regni Noſtri, & Imperij, ac aliorum Regnorum Marchiones, etiam ex vetuſta progenie orti, uti, frui, potiri, atq; gaudere ſolent, & potiuntur, quomodolibet de jure, & conſuetudine, omni contradictione, & impedimento remoto. In teſtimonium verò uberioris propenſionis, & gratiæ Noſtræ Regiæ, inſignia ipſius antiquæ Nobilitatis, & virtutis indicia, Albæ Aquilæ Polonæ decore amplianda, & cumulanda eſſe duximus, condecoramusq; & ampliamus, quemadmodum hic illa Pictoris induſtria conſpicuè delineantur & exprimuntur. A.C.1703



Damusq; eidem Nobili Familiæ, Alexandro ejuſque duobus Paulo & Carolo Fratribus Bononienſibus, cū omnibus & cunctis ipſorū deſcendentib9 legitimè Maſculis & Fœminis, plenariam poteſtatem, ſua arma & inſignia Marchionalia ubique Terrarum, quovis tempore, & occaſione, pacis, & belli, in ſerijs & jocis, cunctiſq; actibus, & exercitiis decentibus, præſertim verò Generoſis certaminibus, Haſtiludiis, aliiſq; exercitiis Equeſtribus privatis, & publicis, in ſcutis & vexillis, Tapetibus, Centuriis, Annulis, Sigillis, monilibus, clenodiis, in oſtiis, feneſtris, parietibus, & ædificiis ſuis, cunctâq; etiā ſupellectili quomodocunq; libuerit, jure, & more cæterorū Marchionū liberè, & abſq; contradictione cujusvis, geſtandi, affigendi, & exponendi, utq; iidem cum tota poſteritate ſua tam ſacris, quàm prophanis in locis, officiis, honoribus, & juribus ſuis, cum ſuis ſucceſſoribus gaudere, & potiri poſſint perpetuis temporibus benignè impertimur. Quod omnibus, quorum intereſt, præſertim verò Principatibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, Archiepiſcopis, Epiſc. Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, atq; Officialibus Civitatum, Communitatū quarumvis, & Communitatum Præſidibus, Gubernatorib9, Magiſtratib9 omnibus in univerſum cuiuſcunq; conditionis, ordinis, & Præeminentiæ exterarum Gentium fuerint ad notitiam deducentes juri gentium innixi conſtanter requirimus. Dignitariis verò, Officialib9, ac toti Nobilitati Regni firmiter notū eſſe volentes mādamus, ut prænominatos Alexandrum, & Paulum, atq; Carolum Sallaroli Marchiones, eorumq; legitimos hæredes, & Poſteros utriusq; ſexus ex ipſis deſcendentes, & deſcenſuros in dicto Marchionatûs gradu, ordine & dignitate permanere omnibuſq; & ſingulis præeminēntiis, privilegiis, prærogativis, & immunitatib9, exemptionib9, gratiis, & favoribus, Marchionibus de jure, & conſuetudine ſervientibus ex hoc Diplomate noſtro conceſſis liberè, quietè & abſq; ullo impedimento uti, frui potiri, & gaudere ſinant, & manuteneant, atq; alios ne quidvis contrarium attentent, vel moliantur pro viribus impediant. Pro gratia noſtra. Præſentibus RR. in Chriſto Patribus Dnis, Michaele S.R.E. Titulo S. Mariæ de pace Presbytero Cardinale Radziejowski Gneſ. Legato nato Regni Poloniæ & M. D. Lit. Primate, Conſtantino Zielinski Lepolien. Archiepiſcopis: Andrea C. Zalnskio Varm. & Samb. S. R. I. Principe, Terrarum Pruſſiæ Præſide Supremo Regni Pol. Cancellario; Caſimiro Kryſzpin Samog. Theodoro Potocki Culm. & Pomer. Nicolao Wyzycki Chelm. Epiſc. Illuſtri & Mag. Hieron. Lubomirski S. R. I. Princ. Caſtellano Crac. Supremo Regni Duce; MM. Franc. Sigiſmundo Galecki Culm. Joan. Odrowącz Pienionzek Sirad. Georg. Towianski Lanc. Joa. Jablonowski Ruſ. Alexandro Zaluski Rav. Staniſ. Morſtyn Mas. Joſepho Potocki Kijov. Martino Tarlo Lubl. Stanisl. Sapieha Minſ. Thoma Dzialinſki Culm. Petro Kczewski Mariæb. Franc. Zaluski Czer. Sigiſm. Dzialinski Pom. Palatinis; Joanne Duce Korybuth Viſniowiecki Vil. Alexandro Myſzkowski Marchione Pincz. Sandomir. Stanisl. Radomicki Culm. Caſimiro Waczyski Siradien. Hieron. Zaluſki Rav. Alexandro. Laſez Belz. Franc. Grzybowski Juniwladisl. Stanislao Procki Czernich. Chriſtoph. Skarbek Leopol. Andrea Dluski Goſtin: Matthia Lovienski Lubaczovienſ: Caſtellanis; Caſimiro Bielinski Supremo Mareſchalco Regni: Carolo Duce Radzivill Supremo M. D. L Cancellario: Joanne Szembek Procancellario Regni: Stanislao Szeznka Procancellario M. D. L. Georgio Przependowski Supremo Theſaurario Regni: Caſimiro Duce Sangusko Mareſchalco Curiæ M. D. Lit. Venerabilibus Alexandro Wyhowski Referendario M. D. Lit. nominato Epiſcopo Luceorienſi, & Breſtenſi: Adalberto Wolff, Coadjutore, Epiſcopa-

tus

A.C. 1703 *sus Livoniæ: Caſimiro Lubinski Epiſcopo Heracleenſi Suffraganeo Cracovienſi: Alexandro Zgierski Epiſcopo Martirienſi Suffraganeo Vilnenſi; Joanne Pokrzywnicki Decano Gneſnenſi, Præpoſito Cracovienſi, Referendario Regni: Paulo Antonio Załuski Canonico Plocenſi Præpoſito Solecenſi: Generoſis Georgio Dominico S. R. I. Principe Zubomirski Succamerario Regni: Stanislao Rzewuski Referendario, Adamo Tarlo Dapifero: Alberto Warſzycki Enſifero: Georgio Dziduſzycki Venatore: Georgio Tovianski Pocillatore: Joanne Jablonowski Vexillifero: Stanislao Potocki Metatore Caſtrorum: Franciſco Szembek Vexillifero Curiæ: Anaſtaſio Mączynski Theſaurario Curiæ Regni: Michaele Duce Korybuth Wiſniowiecki Exercituum Magni Ducatûs Litvaniæ Campi Duce: Alberto Wołowiz Notario Supremo: Martino Pociey Præfecto Vigiliarum: Caſimiro Sienicki Enſifero Magni Ducatûs Litvaniæ; Matthia Kolinski Notario Decretorum Curiæ Regni: Caſimiro Sarnocki Dapifero Vitepſcenſi: Alexandro Plezewski Subdapifero Braclavienſi: Nicolao Probrowski, Secretariis Noſtris, deniq; quàm pluribus alijs Senatoribus, Dignitarijs, Officialibus, & Nuntiis Terreſtribus Regni & Magni Ducatus Litvaniæ ad Comitia Regni Extraordinaria Lublinum congregatis. In cujus rei fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo Majeſtatis Noſtræ communiri mandavimus. Datum Lublini ſub tempus Comitiorum Regni & Magni Ducatus Litvaniæ Extraordinariorum: Die 30 Menſis Junij Anno Domini M. DCC III. Regni Noſtri Septimo Anno.*

AUGUSTUS REX

IDEM EIDEM PATRI SALLAROLI Lublino 20 Julij.

NEgotia (ut verbis Horatianis utar) per caput, & circum ſaliunt latus, nam quantum accedunt dies, augentur occupationes, non concedes tamen occupatiorem me eſſe Julio Cæſare, qui eodem tempore bellum Gallicum & geſſit, & deſcripſit. Utinam res eat ad vota tua, ut ſcilicet penes quem inchoati operis labor, penes eundem impoſitæ coronidis gloria, honorque maneat: ſed ſic vos non vobis fertis aratra boves: ſolatium meum, quod rectefactorum verus ſit fructus feciſſe, & ſpero, quòd habebit præteriti laboris ſecutura recordatio ſuam olim delectationem.

Prima Comitiorum dies à ſacro bello initium habuit. Controverſum inter Patrem Kozuchowski Regium Prædicatorem & Patrem Kaluski Ordinarium Lublinenſis Collegij, quinam in votiva Spiritûs Sancti prædicare deberet? Deciſum in favorem Patris Kaluski. Poſt miſſam in Camera Nuntiorum intra tres horas electus Mareſchalcus Princeps Michael Wiſniowieccius Campiductor Magni Ducatus Litvaniæ. Eadem die. 19 Junij Salutarunt Regem Nuntij, ego reſpondi, & poſt oſculum dexteræ Regiæ feci propoſitionem, ut in copijs leges. In fine nomine Regis propoſui ut in his circumſtantiis diſpenſaretur lex, ſtatimque ſine ſeparatione Status Equeſtris omnes jungeremur, metu appropinquantis periculi, aſt id ſine effectu. Duos ergo vel tres dies diſputarunt inter ſe Nuntij. Quæſitum primo, an Legati majoris Poloniæ admittendi? Nam Smigielski Capitaneus Gneſnenſis impugnabat Comitiola in quibus electi erant, adduxerat D. Pawlowski, qui ea rupit, oſtenſis (veríſne an confictis, non dijudico) proteſtationibꝰ. Multū altercatum inter Nuntios, quibusdam Regi Seren. ſuadentibꝰ, maximum momentū publicis negotijs affore, ſi hi Nuntij abjudicabuntur voce activa, ego tutiora quàm ſpecioſiora conſilia proponebā, & durū credidi eſſe relegare eos, quos poſſumꝰ neceſſitate ad illicita impellere, & diſſimulandū credidi, ſerviendumq; ætati ſecuturæ, quæ ſemper exempla deſiderat, ne quæ ea deſperatio inſpiret, timui nec ſine ratione: ac proinde voluiſſem ut exacto fierent omnia judicio, quod fieri non ſolùm poterat ſed & debebat, & quamvis excepto uno D. Jeruzalski, omnes idem ſentiebant, ut rejicerentur, quia aliter ſentire (ſi vera dicenda ſunt) non poterant; Major pars populi facit libertatis im-

ma-

maturæ cupidine, quod cur faciat ignorat, inſtigante præſertim quodã, *A. C* 1703
& vincente qui ſua tantummodo æſtimat, cætera conſilia contemnit. Hæc certè non erant mei arbitrij, quæ prædixi non præſcripſi, timeo enim ne hæc ſcintilla ad magnam contentionis flam̃am exardeſcat, & deſperatione ultimâ temeritatis aliquid faciant, cujus rei eſt tam liquida, & obvia apparentia, nec ferendo par eram, quin erumperem diceremq; ſenſum meum, & dolorem privatum oſtenderem, qui re vera eſt publicus: Sed dum omnes in id conſenſerunt, ego quamvis probare volo, damnare non poſſum, æquius apparuit quod validius. Poſtquã ergo hæc materia abrogatione Nuntiorum Majoris Poloniæ poſt varios verborum magis, quàm rationum conflictus eſt finita; venit iterum magis ardua, quàm prior erat circa DD. Sapiehas, quos ſolus D. Jeruzalski defendebat, & ſuſtinebat, (utinam omnes conſtantiam amicitiæ ab eo diſcant) Connotatæ ſunt pòſt vacantiæ, quæ ſatis paucæ erant. Archiepiſcopatum Gneſnenſem notari voluerunt plurimi, tanquam poſt traditorem Patriæ vacantem non parcendo honori ejus, qui in id evectus, ſuper quod aſcendi non poteſt, quam ſacra purpura texit in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

23. Junij comparuit D. Cardinalis Primas Lublini, cui in occurſum ſolus Epiſcopus Culmenſis, cum Palatino itidem Culmenſi ivit, in craſtino ſalutavit Regem, ſed omnes torvo oculo aſpiciebant; Ita judicia DEi multa occulta ſunt, nulla injuſta, capti quippe ſemel in ſuſpicionem animi omnia ſecus & in pejus interpretantur, omnia ſuſpecta de eo fuerunt, omnia ex præteritis ejus actionibus timebantur ab eo, omnes ex ramis de arboris trunco, ex pampinis de vinea, ex frumento de area, ex frutice de radice, judicium ferebant. Confundebatur ille, non perfunctoriè, cum propinqua plùs mentem, quàm remota feriant, ubi videbat irritatos & ubiq; omnes quocunq; tendebat, & quod omnes lætabantur (ut Pòëta vetus loquitur) malo alieno.

24. Devotio fuit ſolita, prædicavit Pater Kozuchowski, venerunt Angliæ, & Hollandiæ Ablegati, cum quibus ex mandato Regis habuimus conferentiam cum D. Procancellario Regni, quos vidimus tentare in apparentia multa, ſed agere nihil, & ad famam non ad verum lingvâ eſſe ad pacem inclinatiſſimos, cor autem eorum longè fortè eſt, & ego adverti ex certis circumſtantiis, is novit quâ quæq; faciant fide, qui ſolus corda hominum explorata habet. Fateor me non ex vano timore inſinuâſſe verendum eſſe, ne potentiæ, & vicinæ, & remotiores promittentes ſibi læta ex hoc bello, quod intra Poloniam occupat Regem Sueciæ, olim non experiantur triſtia, & dum roſas colligere pro ſe videntur, referant aliquando ſpinas, forſan meliùs eſſet junctis viribus, conſociata ope, in herba ſupprimere hoc malum, quod poteſt colligationi magnæ, quandoq; præjudicare, expectant imminentem procellam, non adeo nocituram, ſi prævisâm.

Habuimus etiam privatam conferentiam, quomodo ulteriùs proſequi debeamus Comitia, & concluſum, differendam eſſe diſtributionem vacantiarum Litvanicarum.

26. Poſt conferentiam privatam cum Seren: Rege evicimus tandẽ, ut Camera Nuntiorum jungeretur cum Senatu, & ex conſilio Rex tranſtulit ſe in locum commodiorem, ubi Camera Nuntiorum primò fuit, quo dum venimus, fecit ante omnia relationem D. Morſtin Palatinus Maſoviæ de gradibus, quibus pacem tractare voluit, & concluſit, ſicut nullam ſalutem in bello, ſic nullam ſpem eſſe pacis.

*A.C.*1703 27. Compellatus Cardinalis per DD. Epiſcopum, & Palatinum Culmenſes, ut Seren: Regi præſtaret juramentum, ſecundò, ut ſatisfactionẽ daret publicam, tandem dum venit in Senatum, Nuntii Lencicienſes ejicere omninò volebant curulem D. Palatino Lencicienſi, & tumultus fuiſſet factus ingens, niſi impediviſſemus. Tandem mille criminationes, & improperia dicta Cardinali, qui dum ad juramentum accedebat, clamabant multi contra infidum mobileq; ejus ingenium, qui æq; citò ad fidem dandam, atq; mutandam propendet, exprobrabant, alij quòd ultra quam ſanctioris Togæ deceret Antiſtitem, turbida quietioribus proferret, objiciebant alij quòd nulli jactantiùs fidem ſuam obligant, quàm qui maximè violant, alij quod proprium ejus ſemper ſit mutare & pœnitere, & ingenium ejus inſita quâdam vi ad mutationem feratur. Interim ille inter has acclamationes me dictante (publicè rotha juramenti confecta erat, nec mutari potuit) juramentum præſtitit, ſcilicet ſe nunquam fuiſſe cauſam, introitûs Suecorum in Poloniam, nihil ſe molitum eſſe, nec unquam moliturum contra Regem. Votijam reus eſt, quidquid pollicitus, & juravit, DEus ſcit an opere complebit, & ego timeo, ut irritas faciat pollicitationes, verbaq; quibus obſtrinxit animam ſuã, hæc poſtea rei probabit eventus.

Tobia Towianski. Juniorem Towianski Pocillatorem Regni terribiliter plurimi confundebant, inſultando, & vocando filium mulieris qui eſt de Galadd, quòd ſpecificis verbis Dñus Warſzycki Enſifer Regni plena Rep. exprobravit. Quis virtuti laudem detrahet? aut non adnectet, quam meretur.

Veſpere autem facto fuit Rex apud legatum Cæſareum in cœna, ubi cum Ablegatis Angliæ & Hollandiæ ego quoq; præſens eſſe debui.

28. Habuit Cardinalis audientiam privatam apud Regem, ubi ſua Mtas, & nos reconciliavit cum illo, fuimus ergo pòſt apud ſuam Eminentiam cum Dño Procancellario Regni, & D. Palatino Mariæburgenſi. In Senatu iterum curulem ejicere volebant Domino Palatino Lencicienſi, ſed tandem hæc ſeſſio ſopita, & negotia publica in ſeſſiones Provinciales accepta ad referendum Reipub.

29. Fui in ſeſſione Majoris Poloniæ, ubi reſcivi quod promittebam magis, quàm optabam Cardinalem non ſiccata juramenti rotha contra Regem agere, omnia ejus facta ſuſpecta facere, & ſiniſtrè interpretando corrumpere, conari, pecuniasq; expendere ut Comitia hæc rumpantur, ſed cum DEi auxilio, quamvis ſit eo animo, ut velit, non erit ejus roboris, ut id facere poſſit, ſi error errori accumulatur peſſimo ejus facto, timendum enim ne ad propriam ruinam exdeſtinato perveniat, qui impotenter graditur ad alienam, & ne ſit tam contemptus, quàm contemnens. Idem Cardinalis 30 Junij poſt exacerbatum iterum animum Regis aggreſſus eſt me. cum actiones meas ſemper pro Repub. rectas magis vellet impedire, quàm eſſet in publico, ratione ſigilli, cùm nuper dato applauſiſſet, ſicuti ejus literas manu ſubſcriptas penes me habui, ubi quæſitam meritis ſumere ſuperbiam jubet, easq; præſentavi, per quod patuit fluctuare eum ſemper inter varia conſilia, nihil libere velle, nihil abſolutè, nihil ſemper, cum ex laudatore damnator factus eò acrior, quò fortior erat prius laudator. Juſtam ergo defenſionem eſſe cum opprimitur innocentia arbitrabar, & ſiniſter ejus in me affectus effecit, ut longiùs (neminem lædendi) ab inſtituto aberrarem, & contra ingenium, & conſuetudinem meam aliquid iracundius, ac arrogantius (quamvis & id ipſum modeſtè) de me dicerem. Venit mihi in mentem textus ille Scripturæ Sanctæ: Pone Domine cuſtodiam ori meo,

&

& oſtium circumſtantiæ labiis meis, & obſervatio Sanctorum Doctorū, *A.C.* 1703
dicit Gregorius: Sanctus non petit poni ori ſuo parietem, ſed oſtium, & origines addit proprium eſt juſti tacere, ſed non obmuteſcere, ne ut dicit Ambroſ: tacendo confirmâſſem, & defeciſſem non refellendo, acceptâ proinde voce, quia tantum dolorem ſuperare non poteram, & ut vela pro magnitudine navium, ſic verba debebant eſſe pro rerum, ergo qui proſperitate rerum in vanitatem nunquam uſus ſum, tamen ſic reſpondi, ut redux ex Senatu domum in recenti proter te ipſum dictavi.

Gratijs relatis univerſis & ſingulis, omnibus, & cunctis pro eo favore, quem prius Thorunij concedendo, nunc tacito conſenſu approbando eam gratiam, quam Rex in reddenda mihi in cuſtodiam aquila Polona præſtiterat, teſtatur; permittendo me laboraturum, ſudaturum, & toto affectu Reip: ſerviturum, cui à juventute mea integer, eoq; interritus ſervivi ſincero In Majeſtates, vero in Patriam zelo: Proſecutus ulterius ſum quòd ſcilicet declaravit mè Rex Sereniſ: dignum hoc honore, ex quo me juniorem protunc excluſerat, hæc quæ pro more, non pro crimine in multis invenitur invidia. Egit hæc partes ſuas non oblita quamvis innocuum, etiamſi nihil cuipiam mali fecerit, ſed compenſat Regia gratia cum nunc ſine curſu video me in culmine, cùm ſua Mtas in eo me conſtituit gradu, & officio, quod non ſperavi unquam, & jam poſſum dicere ingenuè, nec deſideravi, optando reliquum vitæ in tranquillitate finire, nec cogitans de aſcenſu, quia timebam de lapſu. Nihilominus tamen tanquam Apelles cui amicus ſecreto in lecto ægritudinis certam repoſuerat ſummam, inveni potiùs, quàm accepi beneficium. Extraxit me Mtas ſua ex angulo ſatis quieto, ubi DEo ſervire, & æternitati laborare propoſuerā, ſcribendo im̄ediatè præteriti & nunc præſentis ævi acta, excuſabam me tenuitate meâ, in memoriā reducebam in compatibilitatem cum Epiſcopatu meo, nec plus valere volebam quàm leges ſinunt. Sed hæc omnia bonitas Imprimis Regis ſuperavit, & poſtea congregati ſub illud, tempus per ſtatutum Sendomirienſe, confœderationem Palatinatuum majoris Provinciæ ſub directione Dąmbſcii Mareſchalci Curiæ Regni, & acceſſum M. D. L. & tot Palatinatuum Nuntii libenter hanc Regis electionem approbârunt, ita ut fuerim planè conſtrictus eundi viâ ab Evangelio demonſtratâ. Cum invitatus fueris recumbe in noviſſimo loco, poſtea tamen dum mandatum venerit ſine ulterioribus ceremoniis aſcende ſuperiùs, & ſicut Iſaias nolebat acceptare officium uſq; dum aperuiſſet labia ejus carbunculus ſacer de altari, ita nec ego auſus fuiſſem ſine calculo communi, & aſſenſu omnium id acceptare, imò gloriari (ſi id quoq; licet) audacter poſſem, quòd numerari deberem inter Senatores Venetos, qui Prægati, id eſt rogati vocantur, quia illud quod Rex juſſit, ſine perſuaſione magnorum in aula virorum non acceptaſſem, ſed eâ vel maximè ad extremum convictus ſum ratione, quòd ad me pertinet, datam mihi perſonam bene agere, eligere ad Mtem, nunc ſi liceret DEus mihi teſtis, in cujus conſpectu ſto, quod libentiùs, ad meam reverterer ſolitudinem, quàm cognoſcendo imperfectum meum locum occupare, quem dignior habere poſſet, præcipuè cum is, qui in eo loco invenitur, collocat cum fortuna in ſignum, cui contradicetur, quia inveniuntur tales, qui honorem alienūm injuriam ſuam putant. Notum eſt interea omnibus, quòd ſicut nunquam manus mea ſuppoſita eſt lucro, ita non me inflat ullus honor, vitium rebus ſolenne ſecundis; ſcio enim fortunam vitream eſſe, quæ dum ſplendet, frangitur. Habeo illam pro ſpeculo, nec in ea

A. C. 1703 quidquam difformiter agendum puto. Præſento me coram illa ſæpiùs, ut videam quis ſim, quantum ſit munus meum, quid Patriæ, quid Majeſtati, quid vobis omnibus debeam totus in tuenda lege deſudat labor. Libenter in memoriam revoco acta Anteceſſorum meorum, Magnorū virorum memor, quòd cui plùs committitur, plùs ab eo exigitur. Nihil opinionis, omnia conſcientiæ cauſâ faciam. Si diſpenſabitis legem, quæ non tam ſtrictus carcer eſt, ut egredi ex illo nunquam liceat, maximè ubi illi diſpenſant, qui condidêre; libenter laborabo utorq; verbis magni illius Romani civis: Itáne Patres conſcripti magis veſtra intereſt ubi habitem, quem Epiſcopatum teneam, quàm quis ſim. Cæterū ſi diſtinguere voluerimus cauſas hujus impetitionis Eminentiſſimi Primatis, inveniemus eſſe alias, alias videri: invehit ille in me non cauſâ ſed morbo; ſi enim Eminentia ſua, ſi Stephanus Widzga Epiſcopus itidem Varmienſis per diſpenſationem Reipub. id munus & officium tenebant, cur & ego (non jactantia, ſed fiducia eſt) non impar meritis tenere non debeam, apud quem plùs utilitas publica, quàm mei nóminis ratio Patriæ comodis, non verbis, ſed re ipſâ proſpiciendi deſiderium ſemper fuit, eſt, & erit. Sigillum aliis donum erat, mihi merces & labor, quia gradior viâ publicâ, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinante. Accepi ſigillum ab illo Principe, cui renuere non poteram operam. Suſcepi neceſſitate coactus, ſed ſi id non eſt è commodo Reip. redonare illud libens, & fortè lætus inſinum dantis, & Reipub. diſponentis promptiſſimus ac paratiſſimus ſum. Reſigno illud in manum Regis, à quo accepi in facie Reipub: totius, cedat digniori; obedientia mea vadit, quò ducitur, & quò debet; abſolvat Reſpub, innocuum. aut damnet accuſatum, conſtituo & confirmo voluntatem meam Reipub. beneplacito. Zelatus ſum ſemper bonum, & cùm nunc licebit renuntiare officio tam laborioſo, minimè confundar, nec propterea derelinquam animum bene agendi, & in privato, ſi vota mea cum Eminentiſſimi Primatis concordaverint deſideriis, ut me mihi vivere Reſpub. permittat. Veniam date ſi in aliquo per hoc tempus per ignorantiam, voluntariè enim nec per negligentiam, quidquam eſſe potuit, peccaverim: nemo magnorum fuit, qui non aliquid habuetir ignoſcendum. Imitabar in zelo Anteceſſores meos, quamvis eos aſſequi meritò deſperabam, pro laude magna reputans è magno campo aliquid decerpſiſſe. Iterum ergo iterumq; in manus Mtis Vræ cum ſubmiſiſſima devotione repono reverenter, quod mihi clementiſſimè contuliſti &c. Hæc & ſimilia dixi, fecit enim indignatio verſum, & DEus juſtus Judex, cui in corde, & corde hanc atrocem injuriam, quâ me onerare voluit, vindicandam reliqui conſolatus eſt, nam pulvis à quo excitatus eſt, in eum converſus, & per ipſas meum luxit ærumnas decus, cum illi poſita eſt ara confuſionis, mihi publico ore nemine excepto, & contradicente, integra compatibilitas à tota Repub. conceſſa eſt, ita quandoq; non tantùm in bellis, ſed & in conſiliis, plus valet ſcutum Palladis quàm gladius Martis.

Diſputabamus poſt (hac cum gloria mea ſopita materia) circa modum contributionum & Diploma Regium.

1ma & 2da. Julij vacabat, dies enim Dominica, & Feſtum Viſitationis impedivit. Concredita mihi Thorunij Privilegia DD. Litvanorū reddidi Principi Cancellario Litvaniæ. Interim die nocteq; ſudavimus componendo differentias, diſponendo materias ad bonum finem Comitiorum, cùm etiam ſapientiſſimos fruſtrantur ſua conſilia.

3tia.

3tia. Fuit Cardinalis Primas apud Regem, & multa contulimus, ille prolongationem optabat Comitiorum, quæ intelleximus, ut erant magis, quàm ut dicebantur, quam nos non conceſſiſſemus, ſed quia multi ebrij in ſeſſione comparuerunt, & timuimus aliquem diſordinem, ac proindè maluimus prolongationem promovere, quæ & conceſſa. *A.C.* 1703

4ta. Fuimus ad combinandum ſcriptum ad Archivum, voluit Cardinalis ut ad Suecos ſcriberet Reſp. & peteret pacem ab illis, cùm bellum tolerare non poſſit. Sed id non eſt viſum ex honore Reipub. Duo dies impenſi ſunt combinationi contributionum, ſed die 7ma D. Tarlo Culinæ Regni Præfectus ebrius fecit inſultum D. Meſcinski Colonello in Senatu, indè vix non fuit ortus tumultus; & ſolvi debuit ſeſſio. Interim quidquid illud peccati & facinoris fuit, ut mos eſt, etiam fortuita ad culpam trahere, & nulli in contrarium deeſt cauſatio, qua culpam ſuam elevet, Rex gratiam indulſit, & cauſa hæc fuit in privato accommodata quanquam huic actioni honeſtam non poterant prætexere libertatem. Per tres dies continuos, horas 15 quandoq; ſeſſionibus impendimus cum magno labore meo, non ut me venditem hæc ſcribo, nam non is ſum, qui ita mihi placeam, ut quod de me alii, ſentiant ſus-deque feram.

Tandem à decima hora matutina uſq; ad noctem diſputatum, & veſperè facto ſvaſit D. Cardinalis, & D. Theſaurarius, ut ſeſſio in craſtinum differretur, ſed ego ſuſpecta videns conſilia petij, & ſuaſi Regi, ut noctem impenderet totam, ut & factum eſt, horâ quintâ matutinâ lectum ſcriptum ad Archivum, & Conſtitutio de contributionibus, & horâ ſecundâ poſt meridiem in abſentia Cardinalis Primatis qui abiêrat, nec ita citò ſperavit finem, finita ſunt glorioſiſſimè Comitia, & tanti in caſum non cecidere labores, nam à longo tempore, cum tanta concordia, cum tanto plauſu, & utilitate Reipub. non fuêre, modò in executionem conſtituta veniant. Ivimus in Eccleſiam, & tunc venit etiam & Cardinalis, & ſumma cum devotione cantatum Te DEUM laudamus, & pòſt prandit apud me Princeps Wiſniowieccius Mareſchalcus cum ingenti numero Senatorum, & Equeſtris Ordinis undè caput parùm dolet, & finio cum fine Comitiorum, in quibus quæcunque dixi, quoniam ſimilia cupis, libens tibi ut amico adnecto. *Joannes Przepedowski*

LXVII.

ANDREAS C. ZALUSKI PRINC. EPISC. VARM. ET SAMB. SUPREMUS REGNI POLONIÆ CANCELLARIUS NUNCIIS REgem ſalutantibus in Comitijs Lublinenſibus 19 Junij inceptis reſpondet.

Benè venerint lectiſſimi Filij Coronæ, & M. D. Lit. Portitores libertatis, Tutores indemnitatum & legum, Hæredes illibatiſſimi, delicatiſſimi, & ab omnibus propè Regnis, ac Imperij invidendi Theſauri. Advenientes fauſto utinam pede, bonis avibus bonum Ave dantes, reſalutat S. R. Majeſtas Dñus meus Clementiſſimus. Venite & videte, finito lingvæ officio aperiantur oculi, videte opera non Phidiæ, non Liſippi, non Protogenis, verùm opera Domini. Opera nimirum ſunt jam non verba, quodſi adhuc videantur verba, verba ſunt per oculos ad cor loquentia, verba conſpicua; cunctus populus videbat voces. Venitis & videtis Regem in decore ſuo. Quia non eſt ſplendidior Corona præter hanc, de qua ſacer Textus; Circa illum corona Fra-

A. C. 1703 trum, non eſt comitatus Aulæ dignior: in multitudine Populi dignitas Principis. Quid eſſet ſol abſq; radijs? Vos eſtis radij, non Veſtro tantùm bono Sereniſſima relucet Majeſtas, ſed Veſtrâ luce etiam reſplendet. Si ego Aquilæ, Vos Alæ. Quid decentiùs? quàm omnes lineas ad Centrum ſuum convenire? cœli ſphæras cum primo ſuo mobili concordare? apes ad ſuam Matrem convolare, communi Reipub: profuturas, dulci extendentes nectare cellas. Gratiſſimum eſt S. R. Mti Dño Noſtro Clementiſſimo, videre filios ſicut novellas Olivarum in circuitu; jucundum eſt audire gratas voces, quoties aperiuntur intimè corda Veſtra, plena avito, & priſco candore. Imparem ſuis votis, & paternis affectibus reputaret metam, ſi nudis verbis promiſſa conſtarent. Sed illo ſtylo ſingulorum proteſtationes intelligit, quòd non aër, quo verba traduntur; ſed pondus ineſt verbis. Non redduntur contenti Magni Principes, pretioſis muneribus, quibus Sereniſſima Regia abundat, hoc unum par eſt Majeſtati munus; ſincerum purumque cor ſubditorum, quod ſicut perfectò admittunt guſtu, ita mutuis grati animi deſiderant teſtimonijs remunerari. Atq; ideo vellet S. R. Mtas D. N. Clementiſſimus viciſſim animis, non auribus loqui ſingulorum. Optaret Regium ſuum pectus perinde conſpicuum eſſe univerſis, atq; illa fuêre mutuæ benevolentiæ adyta, quæ Platonici ex puriſſimo cryſtallo fieri exoptabant, ut omnibus animus pateret ſingulorum. Non cedit Magni Auguſtini deſiderio Sereniſſimus AUGUSTUS Noſter, qui optabat vitreos Mortales, atq; ſuam propè Majeſtatem, deſiderat eſſe Seren: AUGUSTUS Dñus Nr Clementiſſimus, quo univerſis pariter ac ſingulis demonſtrare poſſit plenum integerrimæ benevolentiæ Cor, quod non aliter liqueſcit, in Veſtræ conteſtationis æſtu, atq; hybernæ nives in conſpectu ſolis, vel cera propè ignem. Imò totum ſe ad Nos transfert, non relinquendo niſi cordis, pro corde locum, aſſecuratq;, quod affectum, quem ſemel induit, retineat, ſitq; ad ſupremas tabulas retenturus.

Mirabilis profectò fuit Ægyptiorum Principum Procerumq; conſuetudo, ut toties ſuos convocarent populos, quoties publicos viſui, non uſui Coloſſos, aut Pyramides cogitarent erigere. Diſpar eſt Sereniſſimorum Poloniæ Regum intentio; congregant ſuos ſubditos, ut non modò coram illis, ſed cum illis conſtituant monumentum ære perennius, ponantq; Coloſſos, quibus pertingendo à fine, usq; ad finem, & in omnes partes ex alto proſpicientes, eò firmiora providere conſilia, in illisq; ſecuritatem publicam fortiùs firmare poſſint. Si ejuſmodi apparatum, atq; aſſiſtentiam ſpectaret ille, qui dixiſſe fertur: Principi nemo leges ſcribit, erubeſceret tandem. Quia in hoc publico conſilij theatro, nemo eſt, qui non ſit legiſlator, & non alio fine huc convolâſtis univerſi. Spectat hoc benevolentiſſimo oculo Seren: Mtas D. N. Clmus, ibitq; per omnium vota Regiâ viâ, acceptando, & ſubminiſtrando illa media, qualia & libertatis incremento, & Patriæ ſolatio, & communi commodo cenſebit convenire. Simul ſicut antea, ita in præſentiarum, omni voto priùs habebit condeſcendere, & ſuam inclinare ſententiam, ad deſideria & vota Ordinum Reipub. Emendaturus inſanum Caligulæ votum, qui optabat unam Populo Romano cervicem, ad unum ictū omnibus ſimul infligendum; S. R. Mtas D. N. Clmus, unam omnibus deſiderat Cervicem ad amplexum. Præibit ad Bonum publicùm promovendum ſincerè, & Majeſtate, & diligentiſſimâ applicatione, idem ab omnibus & ſingulis ſibi ſua Mtas pollicetur; Medium non deferet unquam, cœli Phæbus iter; Communicabit Sereniſſimi Throni ſui radios

dios univerſis, paratus ſingulos ſicut accendere, ſplendore ſuo, ita vegetare, animareq;. Non tædebit moleſtiſſimi quantumvis laboris, in præſenti illorum comitatu, quorum robur in armis, & pace probata fides. Congregantur nubes, ut ſitientem terram cæleſti rore aliquando recreent, ac refocillent. Dominus benignitatem & terra Noſtra dabit fructum ſuum. In eam viciſſim ſpem erigitur, quòd illum mutua benevolentia, & activitas Veſtra non deſeret, apud quos omne neceſſariis conſilijs robur, & ſine quibus quamvis egregia invalida ſunt. Non eſt dubium, quemadmodum de Paterna ſuæ Mtis, ita de mutua ſubditorum, & inviolabili ſocietate. Confirmat ſpem illius locus ipſe conſilij, Societati JESU conſecratus; atq; ita frequens Aſſiſtentia Mtis, qua illam, & Patriæ famam cumulatis, cujus quia immortale olim Nomen, jam viluit, hodie per bella civilia, vel diſcordias, unanime decet eſſe omnium Noſtrûm ſtudium, ut in ſtadio boni publici promovendi, decurrendo, ita ſinguli conſilia noſtra moderemur, ex quibus DEus Opt: Max. gloriam, S. R. Mtas D. N. Clmus ſolatium, Patria defenſionem, Hoſtes repulſam, omnes ſecuritatem poſſint decerpere. Non putandū porrò eſt, quòd ille Supremus rerum Arbiter, qui congregatis in ſuo nomine, promiſit ſingularem ſuam benedictionem, & aſſiſtentiam; ſit ſuam negaturus præſentiam, Conſilijs Noſtris, modò Nos obliqua non diſſociet diffidentia, quos mutuus jungere debet amor. Procedamus ergo in viam pacis, & proſperitatis. Difficillimum videtur primum paſſum facere; tantillum ubi pedem ponam, ſat mihi eſt præcipuè jacienda, firmandaq; eſt (ante omnia) linea rerum agendarum. *A.C.* 1703

En S. R. Mtas Dnus Clementiſſimus exemplo Regis Aragoniæ (nam & ibi celebrabantur Regni Comitia) inquit: Hodie nubo Reip. vel potiùs, veriuſq; hodie renovo votum, nunquam violandi fœderis mei cum libertate, & confidentia ordinum percuſſi, quando cunctis ex more vocatis, quaſi inter Hymenæi cujuſdam Hilaria Regiam ſuam manum porrigit, ad oſculum, ſingulos invitando.

PROPOSITIO DICTA NOMINE SERENISSIMI REGIS ab eodem Supremo Regni Cancellario primo itidem die inceptorum Comitiorum Regni Lublini 19 Junij ad Senatores, & totam Rempublicam congregatam.

Locum hunc in quo Vicaria S. R. Mtis poteſtas juſtitiam ſitientibus adminiſtrat, inimicæ Reipub. circumſtantiæ, ad danda jura, legeſq;, ex neceſſitate veriùs, quàm libera voluntate, deſtinârunt. Caſus agit virtutis opus, quando lucens & lugens aliena delicta, Reſp. damnata antequam rea in medio congregatorum ordinum ſuorum conſtituta, ſua fata narrans, contribules cives (nam fermè univerſi parifato, pœnâque plectuntur) claſſico inimici excitata judicialiter compellat; quis lachrymas Matris extinguet veſtræ? ecquod remedium tam gravi erit malo? Erigit in hoc publico theatro, Regina libertas, iniqua preſſa jugo ſua jura plangens, gravem memoriam, acerbamq; præteritarum calamitatum, producit ſcenam deplorandam malorum præſentium, juſtum metum excitat futurorum. Conqueritur dolentiſſimè: vos videntes hoc, non videtis, ſentientes non ſentitis. Interrogat vos; quonam uſq; feretis exitiale jugum? Reſpicite quæſo Patriæ veſtræ Provincias; Tellus hæc, nidus veſter eſt gratiſſimus, à quo primam vitæ auram traxiſtis. Excitat è lethali ſomno, ſepultam Regni gloriam. Ænea

Tribunalitia Regni Lublini peragi ſolent judicia.

A. C. 1703 nea poteſne ſecuros hoc ſub caſu ducere ſomnos? Hortatur nos dolens, & chariſſima noſtra Parens; induere fortitudine tua, excutere de pulvere, conſurge, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion.

Repetamus exactorum memoriam temporum, præterita recolamus, an aliquando Polonia paſſa fuerit, quibuſcunq; demum fulminibus aut procellis ſe deterreri, quoties ritè atq; legitimè conſilia ſua ordinabat, quoties media defenſionis tempeſtivè providebat, quoties venenum boni publici, & plurimorum fontem malorum diſcordiam è medio ſui eliminabat: revocando ſibi in memoriam veterem illam paræmiam; quod ipſius quoq; cœleſtis Sphæræ Machina rueret,caderetq;, ſi civium illorum animos poſſet diſcordia ſubintrare. Præterita recolamus; quando innatus amor Patriæ, agebat, ſtimulabatq; Polonos ipſa animi magnitudo, vigorem ſuppeditabat: retinebant, confirmabantque conſilia. Nam etſi quandoq; contingeret, humanam providentiam privatorum immemorem offenſarum, ſuas repoſuiſſe,& alteri tempori reſervâſſe vindicias, & tamen ſemper media ſuggerebat, quæ verus inpublicam tranquillitatem dictabat affectus, & amor incorruptus. Generoſi civium animi, nullis difficultatibus exterrebantur. Quo graviores motus occurrebant, eò glorioſiores palmæ legebantur. Siquidem ingenium naturaque palmæ eſt, contra adverſa ſurgere pondera, ipſisque attolli oneribus. Molles ferire dedignantur metas fulmina. dura petunt, franguntq;. Fortis leo ſuimet ſangvinis profluvio ingentem ſitim temperat: illi animus maximè erectus eſt negotii magnitudine.

Excitat S. R. Mtas Dñus meus Clementiſſimus priſtinam annorũ elapſorum recordationem, & præſentes cum præteritis confert, comparatq; tragœdias Reducit in memoriam, cordis Poloni ſemper ſibi ſimilis, conſtantiam; quod neque proſperis fortunæ Etheſiis attollebatur, neq; ſecundis rebus nimium confidebat, neque tandem adverſis ſuccumbebat, aut deficiebat, ſed eundem ſemper ordinem, ſtatumq; ſervabat, ubiq; veram ſui referebat imaginem. Præſentia reſpiciamus. Non reperiemus in Annalibus Poloniæ, extitiſſe aliquando corda civium Regni hujus, & M. D. L. inter ſe ita diſcordantia. Privatorum amor commodorum diſtrahit, diſcerpitq; colligatos publicâ unione affectus. Ut aliqui juventur, plectuntur patiunturq; univerſi: Manifeſta boni communis oblivio, ſumit vires: inhumana ſævities in proprium ſangvinem arma cudit, contra jus & fas ipſiusmet naturæ. Inde eſt, quòd omnia deſiderabilia noſtra, verſa ſint in ruinas; non exiſtimo enim ita infelicem eſſe in toto orbe terrarum Rempublicam, quæ minùs habeat apud ſuos cives, filioſq; amoris, atq; Polonia. Omnia magis curamus, quàm nos ipſos. Unde timendum eſt, non ex vano; ne mala quibus premimur, non tantùm non deſinant, ſed ne vincant. Quando jam hodie omnibus calamitatibus obvia Reſpub. noſtra, infeſta laſſat fata, & excutere jugum impoſitum, non tam nequit, quàm non vult. Ecce pulchritudo & claritas noſtra deſolata eſt; cui aut non credet poſteritas noſtra aut non ignoſcet. Quare tam præterita, quàm præſentia reſpicientes, comparanteſq; ſæcula futura provideamus tempeſtivè. Excitamur ab illo, qui præſidet. Permovit hic ſonus S. R. Mtem Dñum noſtrum Clementiſſimum, qui omnes nos affatur; vellem omnes vos eſſe ſicut me ipſum. Obſecro vos, ut ſalvi eſſe velitis. Nihil à vobis deſiderat, niſi ut ſepultam Poloni nominis gloriam eruderare, ſuſcitareque contendatis, & antequam de vobis opinionem poſtliminiò reducatis, convenientem unicuiq; ſecuritatem providendo, ſingula ſervari

toti-

totius intereſt.

Inſpirat univerſis æquè ac ſingulis, veram, puramq; ad bonum publicùm animi propenſionem, & mutuum Patriæ amorem, quo inflammati contendamus ad metam ſine metu, ponamus ſtudia, ſequamur antiquos mores, donemus occultas ſpes utilitati Reipub. ſine affectu. Optat ut ſcopus conſilij noſtri non alius prætendatur, niſi ſalus publica. Prodromus ſeu ductor neceſſitas. Comes unio animorum & concordia. Satis abundeq; loquitur, qui amat: ſatis & ego dictum arbitror illis, qui me dicentem intelligunt.

Non onerat vos S. R. Mtas gravi & prolixâ propoſitione, ut tantò celeriùs ad metam pervenire poſſimus præſentis conſilii. Uno illo Gorgiæ utitur vocabulo: proponite; proponite inquam id, quod ad integritatem Reipub. ſpectat, quod ſolidam unius Patriæ defenſionem concernit. Proponite deſideria fratrum veſtrorum, reſpondebit affectu Paterno, & quæ ſtatim concedi poſſunt, ſine cunctatione tribuet. Proponite & deponite in ſinum paternum. Conferte ad invicem vobiſcum, in fiducia plena & ſincera; accedite ad thronum gratiæ fiducialiter cum ſecura ſpe omnimodæ ſatisfactionis, & conſolationis. Qui molem aliquam erigit, altiorem, à profundo incipit fundamento, qui evertit ædes, aut proſternit, à ſupremo tecto inchoat. Ut perfecta præſentis conſilii coaleſcat ſtructura, fundamentalia nobis tractanda ſunt, omiſſis inanibus. Non modo audimus, ſpectamus, verùm etiam ſentimus intimè noſtra mala, quæ nos undiq; circumſtant. Lactabamur hucuſq; vagâ & vanâ ſpe componendi Tractatûs pacis, ſolo oſtentatorio, & nudo promiſſorio circa quod ſtabiliendum omni conatu, omni ſtudio (vivit Dñus) laborabat S. R. Mtas, Dñus meus Clementiſſimus. Deponebat & ſeponebat Mtem, ut ad eum finem pertingeret, qui publicæ calamitati poſſet eſſe terminalis. Quærebat & apud exteros Principes media, ad hunc finem obtinendum; non omittebat ad intra quidquam eorum, quæcunq; ex re, vel in rem pacis videbantur præſtanda. Deſiderabant nonnulli, ne hoſtis infeſtis à nobis irritaretur armis, fecit hoc Rex Clementiſſimus, quanquam invitus, refrænando heroicam ſuam indolem, ad res agendas promptiſſimam, quamvis probè intelligeret; hoſtem non domare, cum potes, eſt armare ut pereas. Quemadmodum poſtea contigiſſe palam eſt. Nam S. R. Mtis militia, nihil minùs ſperans, circumventa eſt, & non ita deleta, ſicut diſſipata, diſperſaque. Nihil amplius exambivit, quàm ut poſſet generoſitate nixus, nec timidè nec tumidè cuncta gerendo dare orbi quietem, & ſæculo pacem ſuo. Veruntamen cuncta hæc ſtudia diligentiſſimæ ipſius non correſpondêre applicationi. Proinde extraditis univerſalibus ſuis literis pro communi omnium Regni & M. D. L. Provinciarum expeditione, & rem populi populo relinquendo, Comitia Reipub. Generalia ad mentē omnium ordinum indulgere dignatus eſt, ut Rempub. relinqueret in manu conſilii ſui. Quando jam nulla ſpes refulget concludendi tractatûs pacis; quando jam Regia non tantùm penitùs exhauſta, ſed jam per jugulum ab hoſte trahitur. Quid ulteriùs agendum, quoq; modò adornanda ſit publica defenſio? audiet ſenſus veſtros, & parem conſiliis diligentiam ſuam applicabit. Nullibi promptior ad conſilia monſtratur via, quàm ubi Magiſtram agit calamitas. Diſcernat Reſpub. & decernat, cui viæ ſit inſiſtendum? ſi habere poſſumus fructum labiorum, & laborum noſtrorum pacem, hanc S. R. Mtas Dñus meus clementiſſimꝰ non tantùm non refugit, ſed avidis ſpectat & expectat oculis, ſiquis ejus

A.C. 1073 jus radius affulſerit. Nam utilius ac meliùs arbitratur frui pace, quàm bello vexari: verùm quando deſideratæ pacis oleam referre non poſſumus, votis hoſtem frangere non poterimus; fortuna non eſt ſocia nihil conantibus; aut propriæ vires ad id præſtandum adhibendæ, aut tandem auxiliares externorum Principum copiæ invitandæ nobis ſunt. Domeſticum robur in publica Provinciarum expeditione, & ſtipendiaria militia, nec non in novis auctoramentis conſiſtit. Proponit igitur hoc S. R. Mas Dñus meus Clementiſſimus diligentiſſimæ omnium ordinũ reflexioni, & comendat, atq; optat ex corde, ut ante omnia hæc ſit materia conſiliornm, votorumq; omnino concludendorum; ad media deinde indifferibilis executionis accedendum erit. Ad te o inclytum Regnum ſpectat, demonſtrare aliquando, quòd ſicut olim innumerabiles hoſtium legiones fugare, frangereq; conſueveras, & invidiam vicinorũ, nec non orbis expectationem vincere; ita & nunc, quando nos ad præclara quæque abſolvenda, conſumandaq; DEus Optimus maximus ducit, tempus urget, virtus accendit, totus quantus expectat orbis, dum tempus habemus operemur bonum. Secundus modus ſalvandæ Reip. conſtat colligationibus cum externis Principibus, quas quia non optabat S. R. Mtas Dñus noſter Clementiſſimus, ſine Comitiis, atq; omnium Regni Ordinum conſenſu concludere, ſubijcit hoc arbitrio Reipublicæ totius, inſinuando, quòd ſine præfatis colligationibus vix poſſimus ſubſiſtere. Meliùs enim eſſe duos, quàm unum. Habent ſiquidem emolumentum ſecuritatis ſuæ, ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. Quò verò celeriùs præfata media fuerint adhibita, tantò promptiùs publica quoq; calamitas, ſiue per pacis tractatum, ſive per juſtum bellum declinari poterit.

Poſt primum propoſitæ ſecuritatis punctum ponit ante oculos Reipubl: S. R. Mtas Dñus N. Clmus emerita Regni militiæ ſtipendia, & ſatisfactionem. De quantitate debitæ, & inevitabilis recompenſæ otioſum eſſe loqui, cùm omnibus palàm ſit illius neceſſitas. Proinde omnino concludi debet realis ſatisfactio. Cùm verò totam Regni ſui Militiam S. R. Mtas D. N. Clmus ſingulari omnium recordationi commendat, non poteſt Generaliſſimorum Ducum Militum obliviſci, qui cum notabili fortunarum ſuarum jactura, tam difficilem officij ſui Provinciam hactenus impleverunt. Faciet S. R. Mtas, quantum ad ſuæ munificentiæ ſpectabit exemplum, interim confidit quoque memoriæ gratæ Reip. quòd tam inſignibus promeritis ſuum non denegabit reſpectum.

Artilleriæ, tanquam præcipuam defenſionis, & victoriarum rationem habendam eſſe cenſet S. R. Mtas D. N. Clmus. Sine illa enim maximi etiam Exercitus vix poſſunt aliquid inſigne, præcipuumq; operari. Proinde de conſervatione, & reparatione illius ſine mora cogitandum, agendumq; hic arbitratur. Ex hac occaſione Illuſtrem Palatinum Cracovienſem emeritum utraq; Pallade Civem ſuo inprimis paterno cordi impreſſum, ſingulari commendat reſpectui. Incendium Rebellionis Coſaticæ dexterâ Domini, & armis Polonæ militiæ feliciter extinctum, poſt Generaliſſimos Exercituum Duces, quorum primus authoritate, & debitâ diſpoſitione; Alius ſuæ præſentiæ aſſiſtentiâ bellum hoc adornavit, in Comitatu Illrmorum & Generoſorum Principis Caſtellani Vilnenſis, Palatini Kijovienſis, Succamerarij, & Metatoris Regni, Gubernatoris Chmielnicenſis, & aliorum, qui & gazas ſuas & vitam impenderunt, ut procellam hanc glorioſè componerent, debemus univerſi. Meruit gratam recordationem Palatinatus Volhinenſis, in quo inter primos

Martinum Kącki — *Hieronymus Lubomirski* — *Adamus Sieniawski.* — *Janus Wiſniowiecki.* — *Joſephus Potocki* — *Georgius Lubomirski*

mos eminuit Illuſtris Caſtellanus Volhlnlæ. Rependent ſuum cuiq; decus, tam præſens ætas, quam ventura poſteritas. Quia tamen in hunc uſq; diem fortalitium Białocierkevienſe hæret in manibus iniqui poſſeſſoris, intereſt cogitare, ut quamprimùm nobis reſtituatur. *A.C.* 1703 *Wielkowſki*

Occurrunt hic, & ſe inſinuant complures aliæ, tam difficiles, ac perneceſſariæ ad trutinandum materiæ, ſed quia illæ moram aliquam requirunt, naturalis verò defenſionis, ſive per auctionem militiæ, ſive per Colligationes, inevitabilis, & manifeſta eſt neceſſitas, quemadmodũ & ſolutio ſtipendiorum militiæ debitorum, & reſtauratio Artileriæ, nec non repetitio Białocierkeviensis Fortalitij, ſunt prima & præcipua objecta deliberationis, præſentium Comitiorum, pondere ſuo, non numero debent æſtimari.

Unum adhuc punctum reſtat, quòd non ex oblata publicè pro Comitiis Inſtructione, ſed ex paterno S. R. Mtis D. N. Clmi promanavit affectu; hoc nimirum; quòd optaret ex corde Sua Mtas, ne ampliùs Terreſtres Nuntij, ab aliis duobus Regni Ordinibus, etiam loco dividantur. Tot enim tamq; neceſſariæ materiæ in tam anguſto temporis ſpacio, junctim atq; indiviſim commodiùs, & faciliùs poſſent examinari, diſcutiq;. Non libenter ergo jam Vos optimus Pater à conſpectu ſuo dimitteret, optaretq; reliquum hoc publicæ conſultationis tempus ſibi à vobis donari. Quando ille quoq; neq; ſolicitudine, neq; ſtudio in promovendo Bono publico ſe vinci ab ullo patietur, quando & illas horas, quas ſuæ quieti aut ſolatio, aut remiſſioni, otioq; poſſet dedicare, indiſpenſabiliter conſtituit, impendere curis publicis. Præteriti Poloniæ Reges martirij ſui nomine Comitia Regni appellabant, & fortè jure merito. Nobis enim prodire, redireq; atq; mutare ſubſellium licet, Mtas verò poſtquam ſemel conſcendit ſolium, nunquam ſuam mutat ſtationem, atq; ideo ſerò ad Senatum venire conſueverant. S. R. Mtas D. N. Glmus, audire Comitiorum conſilia, ultrò quærit, & ambit. An non eſt par ad reciprocam excitari correſpondentiam? nimirum ne Vos ſubtrahatis à conſpectu benevolentiſſimi Regis, qui delicias eſſe ſuas ducit, vobiſcum Conclavi uno contineri.

Diffamavit Nos malitiâne humanâ? an data à Nobis ipſis occaſio, quòd mutuâ inter Nos diſcordiâ laboremus, quòd ſit ingens inter ſtatus diffidentia. Confundamus hac actione obliquas aliorum de nobis interpretationes, ne ſcilicet ampliùs à Nobis ſeparemur, ſemel in unum congregati. Sument ab exemplo noſtro animos reliqui cætus, qui per omnes Palatinatus inſtituuntur. Amittet cor, animumque hoſtis, poſtquam de tam ſtricta & indiſſolubili noſtra audiêrit unione. Quodſi agetur de conſervatione jurium Conclavis Terreſtrium Nuntiorum, hæc non cogitat tangere S. R. Mtas D. N. Clmus, quinimò ſicut Auguſtus I. maximis Conclave hoc auxit prærogativis, ita non modo in hac Regiæ munificentiæ laude Anteceſſorem ſuum deſiderat imitari, verum etiam ſuperare. Cùm igitur de præſentibus Comitiis extraordinariis debet ſcribi conſtitutio, facilè poterit hoc punctum ſuperaddi; ne in futurum niſi in ſimilibus (quæ divina procul à nobis avertat manus) ſimilis trium ordinum fiat congregatio. Præterea in Conclavi Nuntiorum ſcribuntur jura & leges, eædem hic quoque ſcribentur in præſentia trium ſtatuum. Quodſi alicui placuerit, ſed aliqua lege diſceptare, aut in aliquo puncto diſſentire, eadem erit omnibus hic libertas, quæ eſt in Conclavi Nuntiorum terreſtrium. Gratum tamen erit S. R. Majeſtati Domino N. Clementiſſimo fugaces temporis horas unà vobiſcum boni publici votis conſecrare. Quod inſtanter, Inſtantiùs in-

ſtan

A.C.1703 ſtantiſſimè paternè requirit, ſpemq; certam concipit, quodſi ad extremum non rationi, quæ tamen eſt irrefragabilis, & nixa fundamento tam affectus paterni S. R. Mtis, quàm urgentis neceſſitatis, ſaltem cedetis affectui invitantis.

Quo ex re boni publici & ex mente Principis mei (nam ad mentem ignoro loqui) purâ ſimplicique ſuadâ communicato, finem impono; hæc eſt via, ambulate in ea. Nam hic quod aſſeritur; veritas, quod ſuadetur; utilitas, quod promittitur benignitas eſt.

VOTUM EJUSDEM IN IISDEM COMITIIS.

ITA ſunt pretioſa præſentis conſilii momenta, ut piaculum quoddam videatur in nudis allocutionibus, & otioſis Propoſitionibus illa deterere, conſumereque, quando infelicitas Reipubl. facta non verba requirit. Res agenda, dictis non eſt opus. Aut ſilere ergo oportet aut afferre meliora ſilentio. Quare breviſſimè ſine præludio poſt debitæ erga S. R. Mtem D. N. Clmum fidelitatis meæ, & ingenitæ erga Rempub. ſinceritatis, ac conſuetudinis meæ conteſtationem, accedo ad hoc, quod eſt primum horum Comitiorum objectum. Dant animum ad loquendum ultimæ miſeriæ, quas non exaggero, quæ Nos non tantùm nunc premunt, verùm & in generatione altera legentur, ſentienturque. Nullus adeſt, qui ſit publicæ ignarus calamitatis. Non amplifico cauſas noſtræ infelicitatis, hanc nihilominus inter præcipuas repono; quòd errarintque conſilia noſtra hactenus, quia non habebant metam, ad quam dirigerentur. Promittebatur nobis pacis tractatus, & quia illum optabamus, facilè promiſſis credidimus. Ecce verò finis nullus, ubi finis putabatur. Bellum inchoare non potuimus ſolidum, quia non licuit contemplari, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Credere jubebamur, diſcutere prohibebamur. Hoſpes ille nonnullis aliquando gratiſſimus, hodie graviſſimus univerſis. Quid igitur nobis agendum nunc? ego cenſerem nondum ita nos eſſe perditos, ut deſpectui ſimus. Tam freqentibus circumventam malis Rempublicam ex tam difficili diſcrimine vindicabimus, ſi unum DEUS Opt. Maximus pro conſcientiæ noſtræ officio cordi profundè impreſſum, ſi unam Religionem, ſi unam legem, ſi unum Regem præ oculis habuerimus, ſi ad mutuam omnes ſincerè concordiam redierimus privatiſque injuriis condonatis, idipſum dicamus omnes; ut non ſint inter nos ſchiſmata.

Malè fuerunt natæ Athenæ, juxta commenta Poetarum; quia inter diſputationes acerrimas DEORUM; verùm longè deterius perierunt, quia inter diſcordias civium pertinaces. Non facio comparationem, ſed vehementer reformido, ne ſimiles præmiſſæ parem (DEus avertat) adferant conſequentiam. Dico proinde, quòd ante omnia neceſſe ſit; ut ponamus odia in perniciem Patriæ itura. Primus do exemplum & deprecor ex ſtatione mea ſi fortè cuipiam vel minimam offenſæ occaſionem præbui, polliceorque inviolabiliter ſeriam emendationem, paratus ſenſum meum pro Repub. toties mutare, quoties quidpiam ſalubrius in rem ejus advertero. Nunquam enim fui pertinax in ſententia mea, plùs æquo propugnanda, magis dicendo, quàm docendo, confirmaturus voti mei ſenſum.

Concordiâ mutuâ pro fundamento poſitâ per debitam animorum, & affectuum compoſitionem, aſſumamus hoc, per quod infallibiliter poſſumus eluctari. Si Pacis tractatus conciliari poteſt, quis illum non optat? quis non deſiderat? quodſi verò illius conſequendi, parva aut nulla

nulla ſpes, procul omni morâ, amplectamur defenſionem & armà. *A.C.* 1703

Duas vias ſalvandæ Reip. in ſua propoſitione demonſtravit S. R. Mtas Dñus Noſter Clmus: Non alterutram, ſed utramq; amplecti par eſt. Et quamvis audiverim certum diſcurſum colligationibus repugnantem; nimirum: quòd emptori volenti obſervare dentes equi vendibilis, aliquando Venditor reſponderit; noli, inquit, reſpicere dentes hujus equi; optimè enim manducat, quamvis parùm laboret; facta deinde applicatio ad propoſitas cum externis & vicinis Principibus colligationes; quòd ſcilicet plurimùm conſumant, & parùm admodùm proſint; non diffiteor ego potuiſſe hoc, poſſeq; contingere non bene ordinatis ſubſidiis: verùm plurimùm mihi placuit propoſitus in Sendomirienſi confœderatione modus ineundæ colligationis; ut nimirum ejuſmodi nobis ferant ſubſidia, quæ nos per diverſionem armorum, & non per ingreſſum in viſcera Regni tueri poſſint. Non teri igitur tempus neceſſe eſt, ſed ad neceſſitatem fœderum deſcendendum. Interim ſecuritatem repono in præſtanti militia Regni, modò in illam, non in foliis deſcriptam ſtipendiariis, aut per agros, pagoſq; noſtros vagantem, neq; pictam, ſed realem ſub ſignis cenſere poſſimus. Cenſebimus porrò, ſi ex æquo, & poſſibili, emerita priùs ſtipendia, exſolverimus, & futura non verbis, aut ſubſcriptionibus nudis, ſed reali aſſecuratione firmaverimus, & providerimus.

Priuſquam verò de hac materia loqui exordiar, non licet præterire uſitatam eò loci, ante me conſuetudinem, publicas referendi gratias Generaliſſimis belli Ducibus, pro indefeſſa ſalvandæ Reipub. ſolicitudine, & cura. Illorum nullo nutans conſtantia caſu, vitam & ſangvinẽ, imò & fortunas ſuas Reipub. litare par eſt, ut nos quoq; gratæ mentis conteſtationem, ad hanc publici conſilii aram offeramus; Sacra verò Vra Regia Mtas dignetur juſtitiæ oblationem adornare; hoc eſt, ut obtineant, quod optabant. Huc refero gratæ memoriæ teſtificationem animis generoſis Principis, Caſtellani Vilnenſis & Palatini Kijovienſis, Generoſorum pariter Succamerarii Regni, nec non Caſtrorum Metatoris, Magnificorum Rubieſzovienſis, & Chmielnicenſis Gubernatorũ, quia illorum indefeſſâ ſolicitudine redempta Vkrainæ ſecuritas, illorum armis noſtra tranquillitas compoſita, illorum ſangvinis diſpendio, ac diſcrimine, ſalus, vitaq; noſtra comparata. Non ſe ferro, ſed ferrum ſe ipſis armabant, non expaveſcebant ſed terrebant mortem, nunquam interrogabant, quot hoſtes forent, ſed in quo loco conſiſterent? Quomodo ergo illorum gratiſſima non debet hic celebrari memoria? quomodo S. R. V. Mtas tanta merita ſingulari ſuo reſpectu non præmiari? quomodo nos diſſimulare debitas gratiarum actiones poſſumus? qui ſponte propriâ tot diſcriminibus ſe amore Patriæ obtulerunt.

Janus Wiſniowiecki · Joſephg Potocki Georgig Lubomirski

Poſt grati animi officia ex ſinceri cordis mei inclinatione profecta, quantumvis intra verba ſtetêre, jam ad rem ipſam accedo. Omnino emerita ſtipendia militibus exſolvi debent, & futura providenda. Nimirum: tam ferreo ſæculo amandus miles, & emendus. Verùm unde ememus panes? unde pares debito contributiones extorquebimus? Subditi noſtri ad incitas redacti, & exhauſti, ut illâ penè videantur inopiâ laborare, quam deſcribit Hiſtoricus. Tanta inedia erat, ut mendici paſſim proclamarent; da quod manducem, & poſtea interfice me. Videtur mihi prorſus impoſſibile, quòd liceat nobis ſperare tempeſtivum & certum, ex ſolitis contributionibus ſupplementum: fruſtra mungis capram, ad tres ollas lactis, & illa hectica eſt. Ille, qui vult ſibi a-

A. C. 1703 liquid dari, neceſſe eſt, ut demonſtret, unde poſſit accipere, aliàs non poteſt ſubſiſtere ratio facti; quando populus nullâ vi, nullo imperio cogi poteſt, ut det, quæ non habet. Nemo eſt, qui ignoret, quomodo derelictus ſit in medio noſtri, populus pauper & egenus. Quare ſi deſideramus benedictionem divinam, ſuſcipiamus protectionem & defenſionem miſerabilis populi; conſolemur eos, qui in omni preſſura ſunt; non ſimus graves ſubditis noſtris. Ferant nos ac ſuſtineant; ſed perinde, atq; Chriſtum nubes portabat; & non gravabatur, quamvis ſubtilis & infirma. Si volumus nobis viam à DEO demonſtrari, per quam tot, tantorūq; malorū Labyrinthū evitare poſſim⁹. In difficillimo rerum articulo præterita bella poſuerant noſtram Rempub. quæ illam ſimul tanquam dato ſigno, ad permiſcenda omnia, ſternendaq; invaſerant, quidam vir ſingulari inſignis probitate, ex ſpeciali S. Spiritûs inſtinctu (ut effectus docuit) ſuaſit p. m. Caſimiro Regi Sereniſſimo, ut votum conciperet; pauperum ſubditorum egeſtatem ſublevandi, & à gravibus, quibus premebantur, tributis vindicandi. Secutus conſilium viri Sancti Rex pientiſſimus. Ceſſavit exactor, quievit tributum, & ecce illico præpotenti DEI O. M. dexterâ, qui exurgit propter gemitum pauperum, ab extrema calamitate eluctati ſumus. Darent utinam boni ſuperi, eam Sereniſſimæ Mti Vræ, nobiſq; omnibus mentem. Quia certus ſum à nullo prorſus mortalium efficacius poſſe inveniri medium impendentia declinandi, evadendiq; diſcrimina. Quia nulla potentia par omnipotentiæ Divinæ cogitari poteſt.

Sed dicet quiſpiam: Numerari debent Militiæ Noſtræ ſtipendia emerita, & futura provideri; quod eſt juſtiſſimum; ut ſuum conſequantur præmium, qui ſuum Reipub: præſtant obſequium. Quomodo verò debita ſtipendia numerari poſſunt, abſq; Contributionibus ſubditorum? Grave eſt demonſtrare viam, quam nemo amplectatur, & tritam præterire. Appareat, cuicunq; libet difficile hoc Paradoxum, ego tamen illud explico. Non eo, etſi poſſem ad Romana exempla, qui pariter, atq; nos etiam, ſuis afficiebantur libertatibus; nihilominus præter ordinarias contributiones publicas, ex ſuis facultatibus pendi ſolitas, habuerunt quoq; penſionem quandam, quam appellabant Tributum temerarium. Quoties procella quæpiam, aut diſcrimen repentinum Imperio imminebat, ad Capitolium ſe omnes conferebant; & quidquid illis in auro, argento, & ære ſignato ſupererat, mutuò dabant Reipubl. Unde quidam Scriptor Magnus, inquit, erat amor Civium erga Patriam, ſed non minor fides publica erga Cives. Nam illa, quæ mutuò data fuerant, depoſita iterum omnibus integerrimè cum ſolenni gratiarū actione reſtituebantur; Non recurro, inquam, ad hoc medium, quia hic poſſet non ſuccedere; hic verò certitudine Phyſicâ opus eſt, quia agitur de Contractu, qui, licet habeat nomen: Innominati; do, ut des, facio, ut facias; realiter, non tantùm coli, verùm etiam integrè ſervari impleriq; debet. Verùm in memoriam imprimis revoco, modum contribuendi propoſitum in Comitiis ejuſdem à zeloſiſſimo Miniſtro M. D. Lit. Procancellario. Petiit protunc contributionem ſolidariam; *Stanislaus Sczuka* denegavit Reſpub: ſeu potiùs nonnulli ex Proceribus fuerunt contrarij, ideo, quòd Reſpubl: illo temporis intervallo, tanti fuiſſet, ut plus ſolidò poſſet in ſuæ tuitionem conferre ſecuritàtis. Nunc verò cùm ſit ad tantas Reſpub: redacta anguſtias, cur pro ſuimet conſervatione, ſolidū hunc negare debeat, non video. Supplicat cum mendicante Belliſario afflictiſſima Patria; Date Obolum. Objurgat amantes filios, emollit la-

chrymis

chrymis indurata, ſi quæ fortè ſunt corda, ut in hoc caſu rejectis in aliud tempus privatis offenſis, aut injuriis pro hac ſola vice, non præjudicando (quod metuebatur, & adhuc fortè metuitur) curſui Comitiorum, diſpenſare, indulgereq́ velint, quantumvis ſuperari aliqua deberet difficultas. Præſtat aliquos potiùs gravari, quàm totam Remp.(DEUS avertat) mergi. Quia ſi pondere hoc, quod nunc urget, nonnulli flecti nolumus, fortaſſe frangemur univerſi. *A.C.* 1703

Memini ante receptum nobis à Turcis Camenecum graves fuiſſe Nuncios Palatinatus Podolienſis ad aſſentiendum cuidam contributioni, ad quam extradendam tota quanta Reſpublica jam conſenſerat. Avunculus meus, f. m. protunc Regni Procancellarius fortiter cum illis expoſtulabat, & cùm neq́ rationibus neq́ precibus flecti, moveriq́ poſſent, ut in aperta illa, graviq́ neceſſitate Reip. à privata vellent recedere pertinacia; cùm nec ſuadendi locus, nec ratio eſſet, his formalibus illos, me audiente, affatus eſt: Vultis Dñi mei hac veſtrâ pertinacia perdere Remp.? non eſt dubium, quia periclitabitur, veruntamen ſuperabit tandem aliquando difficultates, & procellas; Vos verò primi peribitis. Dictum, factum. Nam eodem anno Camenecum expugnatum à Turcis, & Podolia recepta. Ita non deſunt ſapientiæ increatæ media, prius illos perdendi, qui ſe publicæ opponunt felicitati & ſaluti. Audeo proinde ſupplicare, ut, ſi quis vellet contradicere, tam juſtis, tamq́ facilibus mediis, ſalvandæ Reip: donet hoc utilitati, & neceſſitati publicæ, ne impediat tam facilem à tam gravi debito, moleſtoq́ expeditionem, & militiæ ſtipendiariæ manutentionem in futurum in obſequio Reip. Non deerunt alia quoq́, quæ etiam ego ſuggerere poſſum media; ſed optarem ad hoc punctum componendum aſſignari Deputationem à S. R. Mte Vra ex Senatu, & à Mareſchalco, ex conclavi Nuntiorum Terreſtrium, ut Arbitri Deputati de mediis mutuò conferant, & illa jam poſtea condicta, proponant Reipublicæ, ſinè arbitriis. Quia multa poſſunt ejuſmodi reperiri, quæ prius impediri poſſent, quàm proponi ſolidè. Antiqua conſuetudo fuerat Comitiorum, ut per Deputatos tractandæ conferentiæ, deſtinarentur, aut circuli, in quibus materiæ condicebantur. Projecta ſcribebantur, moles curarum devolvebatur. *Andreas Olſzowski*

Sunt tot materiæ, quæ dividi poſſunt inter deputandos alios, ad has, allos ad illas facilitandas. Conſtituantúrve Deputati in primis ad ordinandos gradus colligationis; alij, ad combinandas prætenſiones exercitûs; alij ad invenienda media ſublevandæ Patriæ ab oneribus.

Satisfiet hac ratione tempori, quòd admodùm eſt compendioſum, & breve, quando ſimul & ſemel omnes ſeſſiones expediri abſolvique poterunt. Poſtea verò relationes ad omnes pervenire, & mutuo conſenſu fraternè ſtabiliri. Quod enim omnes tangit, ab omnibus cognoſci debet. Gravis profectò eſt procella, gravis caſus involvit nunc Rempublicam, verùm ſi efficacia adinvenerimus media, poterit doloris magnitudo, gaudiorum ubertate ſuperari.

Aſper quidem eſt ventus, qui nos afflat, dicebat Auguſtinus, & claſſem impellit, ſed erit proſper cum labore; ſed citiùs ad littus nos deducet.

CONFOEDERATIO ITERATA MAJORIS POLONIÆ Oblata confœderationis Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuū 6 Julij.

AD officium & acta præſentia caſtrenſia Wſchovenſia perſonaliter veniens Generoſus Andreas Kozierowski, Magnifici Petri Jacobi

A.C. 1703 bi à Paradyſz Broniſz, Capitanei Pyzdrenſis, confœderationis Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuum Mareſchalci aulicus, nomine ejuſdem Magnifici Dñi ſui, obtulit officio præſenti ad actícandum & actis præſentibus ingroſſandum, literas confœderationis, præfatorum Palatinatuum Majoris Poloniæ, in Conventu particulari Sredenſi proximè præterito ſancitas, manu propriâ ejuſdem Magnifici Mareſchalci ſubſcriptas, ſigilloq; ejus communitas infra ſcriptas, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, eſtq; talis:

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Amen.

Nos Conſiliarij, Dignitarij, Officiales, & Equeſtris Ordo Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuum ad Comitiola ex limitatione pro die 9 Julij incidentia Sredæ congregati, volentes in illis rebus ſecurrere lapſis & de interna ac externa Palatinatibus proſpicere ſecuritate, nec interim ſecundùm tam pia intenta procedere valentes, conatus noſtros, annihilante quorundam malevolentiâ; qua factum eſt ut ruptis præſentibus Comitiolis liberè conſulendi & ſentiendi activitas ſiſteretur, acceptâ notitiâ in iiſdem Comitiolis à reducibus Lublino Legatis noſtris, quos illuc nemine contradicente ad extraordinaria Regni comitia duas hebdomadas duratura de medio noſtri, in ſecundis per iterata S. R. Mtis ad Caſtra Palatinatuum noſtrorum univerſalia deſignatis in commune de Repub. conſulturos deſtinaveramus: qualiter eadem malevolentia quibuſdam perperam adinventis procuratiſq; proteſtationibus, quarum nullam ſub tempus noſtrorum comitiolorum illatam audivimus, activitatem ijs inhibuit, & à communi Reipub. conſilio per ſpeciem inæqualitatis illorum cum aliis Palatinatibus, ſeparavit præſentiaq; comitiola conſumare negavit Hinc nolentes eſſe ſine conſilio domi, ſine armis foris, videnteſq; undiq; in Palatinatus noſtros ingruentia pericula & diſcordiam perniciei eorundem Palatinatuum per diſſolutionem inſolito prorſus modò comitiolorum intentam, confugimus ad media in hac Repub. toties practicata, ad confœderationem ſcilicet, quam more majorum noſtrorum & exemplo pro fide Sancta Romana Catholica, Eccleſijs & aris Dñi, Mte Regia Sereniſſimi AUGUSTI II (ſalvo per omnia vinculo pactorum conventorum ex vi juramenti Regii promanante) pro juribus Regni & M. D. Litv. libertatibus & prærogativis, ſangvine Anteceſſorum noſtrorum partis, juramento & tot privilegiis Sereniſſimorum Regum ipſiuſque Sereniſſimi Regis AUGUSTI II feliciter moderni roboratis, In quibus potiſſimum ceu fundamento libertas noſtra ſubſiſtit, defendendis & tuendis condimus, conſtituimus, vinculumq; hoc noſtrum juramento infra poſito roboramus, proteſtando coram DEO; qui ſolus penetralia cordis inſpicit, nos ad hanc colligationem mutuam non niſi ſalute publicâ & conſervatione jurium Patriæ, ut illa in eodem ſtatu, in quo ab Anteceſſoribus accepimus, poſteris & ſucceſſoribus relinquamus, non autem per rationem aliquorum molíminum, à quibus procul mentem & intentiones noſtras removimus, pacis utpote amantes, eamq; & integritatem jurium unicè deſiderantes, induci & inductos eſſe. Proteſtamur coram S. R. Mte nos pro ejus conſervanda dignitate (ſalvâ integritate jurium noſtrorum) ſangvinem, vitam, & fortunas noſtras immolare paratos eſſe, manifeſtamus nos coram univerſa Repub. tanquam communi matre noſtra, quæ nos omnes complectitur charitate, nos non ex intentione & reſpectu excitandæ alicujus confuſionis & turbarum, quibus Regna evertuntur, & Dominia ad incitas rediguntur: ſed merè intuitu reſtaurandorum jurium

rium & libertatum noſtrarum, defenſionis tam Palatinatuum noſtrorum, quàm totius Reipublicæ noſtræ, inhibitionis damnoſarum factionum, reductionis jurium quæ ex ſuis cardinibus mota ſunt, denīq ex ratione probationis, quòd legitime Nuntios noſtros in iteratis Comitiolis abſq ulla contradictione electos, ad extraordinaria Lublinenſia duarum hebdomadarum Comitia deſtinaverimus, hoc ſalvandæ libertatis medium arripere conjurando & obligando nos ad Sacræ Romanæ Catholicæ fidei, Eccleſiis Dñi, integritati Patriæ, Mti R. AUGUSTI II. (ſalva integritate jurium noſtrorum) juribus Regni & M. D. Lit. libertatibus & prærogativis, honori perſonæ & fortunæ Mareſchalci noſtri, & Senatorum Conſiliariorumq noſtrorum, & viciſſim Mareſchalcum cum Senatoribus & Conſiliariis nobis invicem, nemine uno alterum deſerente aut ſe ſeparante, ſed mutuò ſingulis ſingulos defendentibus, ſangvinem ad ſupremam uſq guttam impendendum, aſſiſtendum, pectoribuſq noſtris pro muro propugnandum. Cui præfato Mareſcalco Confœderationis noſtræ, omni ſecuritate, quo ad vitam, honorem & fortunam, conſulturos & proſpecturos declaramus, eumq ab omni in omni caſu impetitione evicturos, nec citiùs hunc nexū diſſoluturos, quàm & ab intra & ab extra univerſa Reſpub. pacificata fuerit, & jura, libertates, prærogativæ, quæ ſua firmitate exciderunt, ſervatis gradibus in Comitijs conſultandi priſtino reſtituantur ſtatui. Ad quæ fidem, honorem & conſcientiam noſtram obligamus. Ut verò cuncta ſuo ordine tractarentur, invitavimus & elegimus in Mareſchalcum hujus confœderationis Petrum Jacobum à Paradyſz Broniſz Capitaneum Pyzdrenſem, declarantes illi omnem modeſtiam, quodq quæcunq præfatus Mareſchalc⁹ cum Senatoribus & Conſiliariis in rem & commodum boni publici conſtituet, pro rato & grato habebimus, jam nunc ad executionem (dummodo ea pertineant ad conſervationem libertatis) deducere concedentes. Omnem inſuper Authoritatem tribuimus & facultatem damus eidem Mareſchalco convocandi nos univerſalibus, ubi id neceſſitas & quando poſtulaverit. Speramus interim huic tam ſanctæ confœderationi noſtræ univerſam nobilitatem adſtituram, ad quam præviā noſtræ promptitudinis fraternæ commendatione Senatores & univerſos confratres Palatinatuum noſtrorum invitamus. Quæ omnia ut nobis mutuò præſtemus, datam fidem nunquam falſuri in has juramenti rothas conjuramus. Et imprimis Mareſchalcus:

Ego NN. juro Domino DEO Omnipotenti uni in S. Trinitate, me ex voluntate Confratrum Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuum in Comitiolis ex limitatione die 9. Julij incidentibus ruptis confœderatorum, ſuſceptum miniſterium Mareſchalcatûs Confœderationis ſine ulla partialitate (ſecundùm id quod mihi per Confœderationem ſcriptam commiſſum eſt) geſturum & inſimul cum Senatoribus & Conſiliarijs uti etiam Confœderatis Confratribus pro Fidei Sacræ Romanæ Catholicæ, Eccleſiarum Domini, Majeſtatis Regiæ AUGUSTI II. (ſalvo per omnia vinculo pactorum conventorum ex vi juramenti Regij promanante) item jurium, libertatum, prærogativarum Regni, & M. D. L, jurium omnium Cardinalium omniumq Confratrum in ſubſcriptionibus hujus Confœderationis expreſſorum ad effuſionem ultimæ guttæ ſangvinis mei defenſione laboraturum & ſtaturum, nec functioni meæ Mareſchal-

A.C. 1703 *cali renuntiaturum, donec Reſpub: tam ab extra quàm ab intra pacificetur, & jura noſtra, quæ ex orbita ſua mota ſunt, ad ſuum ſtatum eſſe, & vigere reducantur. Cauſas omnes ad judicium meum Mareſchalcale pertinentes itidem ſimul cum Conſiliariis ſecundùm jus ſcriptum, juſtitiam & æquitatem ſine ullo reſpectu amici & inimici, civis & peregrini, diſcrimine ſublato judicaturum. Ad quæ omnia manu tenenda, implendaq; ſub fide, honore & conſcientia ut verus honeſtiq; amans Nobilis me obligo, ſic me Dominus DEus adjuvet, & ejus S. innocenterq; intolerata Paſſio.*

Conſiliarii autem, quos è medio noſtri eligimus, ut Vladislaum Poninski Subpræfectum Stabuli Regni &c. Stephanum Urbanowski Notarium Caſtrenſem Wſchovenſem Secretarium hujus Confœderationis, &c: &c. Quibus omnibus uti Mareſchalco noſtro ſic & illis usq; ad ultimas vires noſtras aſſiſtemus, & honorem illorū æquè ac Mareschalci tuebimur, in hanc nos viciſſim defenſuri, juramenti Rotham jurabunt:

Ego NN. juro uni in Trinitate Sancta DEO Omnipotenti, me ex voluntate Confratrum Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuū, poſt rupta ex limitatione die 9 Julij incidentia Comitia Confœderatorum, aſſumptum miniſterium Conſiliariatûs Confœderationis ſine ulla partialitate (ſecundùm quod per conſcriptam Confœderationem mihi commiſſum eſt) geſturum & inſimul cum Mareſchalco & Senatoribus uti etiam Confratribus Confœderationis pro Fidei Sacræ Romanæ Catholicæ, Eccleſiarum Domini, Mtis Regiæ AUGUSTI II. (ſalvo per omnia vinculo pactorum conventorum ex vi juramenti Regij promanante) jurium item libertatum & prærogativarum Regni, omnium Jurium Cardinalium & omnium Confratrum in ſubſcriptionibus Confœderationis expreſſorum defenſione, ad effuſionem usq; ultimæ guttæ ſangvinis laboraturum & ſtaturum, nec muneri Conſiliariatûs mei renuntiaturum, donec Reſpub: tam ab intra quàm ab extra pacificetur, & noſtra jura quæ ex orbita ſua mota ſunt, ad priſtinum ſtatum eſſe & vigere reducantur. Cauſas omnes ad judicium Mareſchalcale pertinentes, ſimul cum Mareſchalco ſecundùm jus ſcriptum, juſtitiam & æquitatem, ſine ullo perſonarum reſpectu amici & inimici, civis & peregrini diſcrimine ſublato judicaturum. Ad quæ omnia manu tenenda implendaq;, ut verus honeſtiq; amans Nobilis ſub fide, honore, & conſcientia me obligo: ſic me Dominus DEus adjuvet, & ejus S. innocenter tolerata Paſſio.

Nos verò ipſi Mareſchalco, Senatoribus, & Conſiliarijs noſtris nobisq; invicem adſtituri, obligamus nos in eam juramenti Rotham:

Ego NN. juro uni in S. Trinitate Omnipotenti DEO me pro Fidei Sacræ Romanæ Catholicæ, Eccleſiarum Domini, Mtis Regiæ AUGUSTI II. (ſalvo per omnia vinculo pactorum conventorū ex vi juramenti Regii promanante) item jurium, libertatum, & prærogativarum Regni, Magniq; D. L. omnium jurium Cardinalium, noſtrimet ipſorum & Mareſchalci noſtri Senatorum & Conſiliariorum noſtrorum mutua & reciproca defenſione ad effuſionem

nem

nem ultimæ guttæ ſangvinis noſtri laboraturum, & ſtaturum, nec A.C. 1703
à vinculo hoc me abſoluturum: donec Reſpublica tam ab intra quàm ab extra pacificetur & jura noſtra ex ſua dimota orbita ad priſtinum ſtatum eſſe & vigere reducantur, obligatumque futurum jubeſſe judicio Mareſchalci, obſervare, mandatisq́ ejus parere, ad quæ omnia implenda & manu tenenda ſub fide, honore, & conſcientia uti verum & honeſti amantem Nobilem decet; ſic me DEus adjuvet & ejus Sancta innocenter tolerata Paſſio.

Quam Confœderationem noſtram quemadmodum fide juratâ confirmavimus, ita ſeorſivis manuum noſtrarum ſubſcriptionibus roboramus, prædictasq́ ſubſcriptiones in depoſitum Mareſchalco noſtro reddimus. Congreſſum verò futurum hujus confœderationis noſtræ, pro die Comitiolorum futuræ relationis, quorum ſpem habemus, nobis deſignamus. Caſu quo verò Comitiola relationis non forent, declaramus, & fraternè nobis promittimus 30 Auguſti nos huc Sredam more militari conventuros. Hæc ipſa Confœderatio cum juramentis ut ad acta authentica quævis Regni contraderetur, unanimi conſenſu Mareſchalcum ejusdem noſtræ Confœderationis rogavimus. Datum Sredæ ab inchoata Confœderatione die 9. menſis Julij. Anno 1703.

Petrus Jacobus à Paradyſz Broniſz Capit. Pizdrenſis Mareſchalcus Confœd. Poſnan: & Caliſſ: Palatinatuū &c.

LXVIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. REGNI CANCELL. BENEDICTO SAPIEHÆ THESAURARIO LITVANIÆ 25. Julij Varſavia.

ET ante poſſeſſionem ſigilli, & poſt immediatè & conſequenter, per totum infortunij hujus noſtri tempus, non aliud prædicavi Evangelium, niſi quòd Chriſtus, Pax, Charitas; Pax neceſſaria in hac vita, charitas neceſſaria propter futuram, quæ eſt æterna. Et quicunq́ cogitat, recogitatq́ ea, ſi habet præſentis temporis ſenſum, debet habere & futuri. Æternitas nunquam finem habens, quemcunq́ non penetrat, aut non eſt homo, aut minùs eſt, quàm homo. Sed relictâ quanquam neceſſariâ moraliſatione, recurro iterum toties repulſus à te, nihil veretur veritas, ut velis cogitare, quòd conſcientia nominis tui memorat, magnæ arbores diu creſcunt, unâ horâ extirpantur, & ad extremum tam glorioſi Principis, qui protegit commodum, & intereſſe vertitur evidens, ut ampliùs innocentiſſimam ex parte omni Rempub: aggravari non permittat, ultra id quod eſt, cur quisquam meliora ſperare, aut cur non etiam graviora metuere debeat?

Comitia ultima, quia, ſine illis nulla Reipub: authoritas, nulla etiam Regi Sueciæ in futurum eſſet ſecuritas, finita ſunt feliciter. Videt orbis univerſus, quòd Polonia etiamſi in disordine, ut prætenditur ſuo, in obſequio erga Reges non mutatur ſuos, & tamen erat tam provida, ut nihil deſiderari poſſit, quod pertinet ſive ad proviſionalem, vel belli, vel pacis ſecuritatem. Conſtitutiones noſtræ, nullatenus lædunt quenquam, niſi aliquis velit adimere Poloniæ hoc, quod, & minimæ muſcæ indulſit natura.

Securitas, quæ prætendebatur, in futurum proviſa plùs quàm ſatis

Domui

AC.1703 Domui tuæ, modò ſinè præoccupatione judicare velis, eſt tam clara, & evidens, quâ majore non eſt opus. Tempus videtur breve, melius tamen ſex ſeptimanarum ſpatium, quàm nunc immediatè, ſi ad communem Nobilitatis ventum fuiſſet motum.

Si poſſem cor meum in his tibi mittere literis, videres in eo, quòd Patriæ meæ, Regi, quia aliter non licet, benè ſerviendo non oblitus ſum, magnis adjutoribus fultus, & his, ſine quibus pax eſſe non poteſt. Agamus ergo junctim. Si verò præoccupata à quocunq; demum impedit, DEUS, qui eſt omnium noſtrûm Dominus, & ſupremus arbiter judicabit, & ſimul puniet.

Hic qui mittitur, reliqua ore dicet: O ſi conceſſiſſes fraternum colloquium, adhuc ànno præterito! vidiſſes, quòd ego non quærram, quæ mea ſunt, agnoviſſes res, tam benè accommodatas, ut nemo accuſandi occaſionem & rationem habuiſſet. Memineris tamen, quòd ubiq; benè, optimè tamen in propria Patria, redibunt priſtina ſæcula, modò ipſe velis.

LXIX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM ET SAMB. REGNI CANCELLARIUS STANISLAO LESZCZYNSKI PALATINO Poſnaniæ. 25ta Julij

Redditæ mihi literæ tuæ, & in illis mandatum, ut quas ſcripſiſti, Regi præſentarem, ſed id factum eſt præpoſterè, quia priùs Rex, quàm ego accepi. Nec ſic quidem malè, quia libens habeo, quòd non tantùm ore meo, ſed & propriâ tuâ manu convicta Mtas, de tua in ſe verbo antecedenter, nunc effectu, confirmata propenſione.

Longæ literæ ſcribi deberent, dando reſponſum ſuper omnia puncta, ad quæ Rex ſuccinctè reſpondet, ego verò tantùm innuo, quòd præſens tantùm temporis circumſtantia, res interturbet.

Receperam de data 8va Junij literas tuas, in quibus, non tantùm prima Comitiola, & juſtè quidem, ſi ita ſe geſſerunt, incuſas, ſed & alia condemnas abſolutè, nullam eis tribuendo authoritatem. Et ego in eodem fundamento nunquam credidi, ut iterum quiſpiam authenticare illud deberet, quod illi non placuit, & quòd inde nulla deberet oriri conſequentia. Venerant tandem Nuntij veſtri & nemine viſitato, nec ulli verbo dicto, priùs ab activitate erant abjudicati, quàm ego ſciviſſem, quòd eam prætenderent.

Abſolvebantur apud me judicia pro more, miſi ad conclave, quid ibi ageretur, & ecce miſſus, reſpondet, quòd Nuntij Majoris Poloniæ judicantur, venit alter brevi, quòd nemine contradicente fuerint abjudicati.

Memini in omnibus Comitijs controverſos, recordor multos repulſos, ſed in memoriam non venit, ut nemine contradicente fuerint aliquando quipiam abjudicati, & quando iidem Domini Nuntij, honorem mihi fecerunt, poſt aliquot dies me viſitandi, querulabar, coram illiſmet ipſis, quòd non fuerint dignati, promptitudine meâ & obſequio uti, quia utrumq; efficaciter adhibuiſſem. Quis ergo cauſa hujus mali, non eſt res prima, nec nova, quòd Comitia, ſine Nuntijs aliquorum Palatinatuum abſoluta fuerint, poſſem & ego ex memoria mea, non una Comitia allegare à quibus Nuntij Majoris Poloniæ, vel aliorum Palatinatuum abſentes erant. Aut tollendum omnino, liberum veto ubique aut non licet in uno, contra illud agere Palatinatu.

Nunc

Nunc Comitiola, non ex legitimo termino, ſecundùm te ipſum rupta, & quomodo confœderatio ſtabilitur? quare non expectâſtis ad comitiola poſt-Comitialia, quia quomodo legitimè illud, quod ab illo venit principio, quod fuit invalidum. Vir magnus in Repub. ultrà alios, & præ alijs emeritus dictus eſt Mareſchalcus, & ego inde ſummè gaudeo, quia ſciet in bonam partem Miniſterio hoc uti ſuo, & fateor habuiſſe me aliquam voluntatem, ad ſcribendum illi, ſed ex reflexione matura, malo, ut ipſe ſibi plura dicat. Illud tantùm inſinuo, quòd non ſit de tempore ſcindi; diſcordia nihil facit, charitas ſola ædificat, rogo te tantùm, ut velis & ipſe perſuaſus eſſe, & ipſum convincere, quòd amicitia mea, nec eſt, nec eſſe poteſt mutabilis, & quòd tam tenere Patriam diligam, ut nemo ampliùs. Confidenter ergo agite mecum, quæ vultis, ſed etiam velitis agere bene. *A. C. 1703.* *Petrus Bronisz.*

LXX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC PRINC. VARM. ET SAMB. CANCELLARIUS REGNI STANISLAO LESZCZYNSKI PALATINO Poſnaniæ 7ma Auguſti.

Libenter ſcirem, quem effectum literæ meæ fecerint, quas ad primam notitiam concluſæ confœderationis expediveram ad te, ſcribendo non tantùm ex mente Principis, in fundamento legum & conſuetudinum, ſed & pro tenui ſenſu meo avertendo te, & Gubernatorem Piſdrenſem antiquum amicum, ne in his infelicibus conjuncturis nodum in ſcirpo quæreretis, & ut id incipiatis, quod moribus Patriis non eſt contrarium, non id, quod nec in publicum Palatinatibus, nec in privatum magnis nominibus ullum poteſt adferre commodum. Nunc debeo confidentiùs & ſinceriùs ſcribere, quia etiam me profundiùs hoc tangit, quò injuſtiùs patior, quaſi hujus mali ego eſſe deberem cauſa remota idq; eo modo.

Scis quis adverſam partem ſuſtinet in Majori Polonia, quamvis ego pro munere meo, ſicut & tibi ſincerè conſulebam, ita & illis perſuadebam, ut ſepoſitis omnibus diffidentiis obſequium Regium aggredi, obſequium Patriæ agere velint, quia ita citiùs veniemus ad finem malorum, quæ nos premunt, & prement ulteriùs. Veniſti Mariæburgum & quamvis non fuiſſes in pleno innocentiæ ſtatu, habuiſti tamen ex bonitate Regis omnia, quæ voluiſti, etiamſi te nudo tantùm promiſſorio obligaſti; ſtrepitus ergò contrà me, quod ego tibi in obtinendis conſenſibus ſerviverim, quos etiam non habere fundamentum aſſeverant; quia magna mater tua jus communicativum non habuit, probareque illud volunt, allegando, quòd, ſi hoc beneficium Principis non habuiſſes, Regem certè non deſeruiſſes, ſufficit, quòd ego omnium dicar eſſe cauſa remota, nemo te meliùs ſcit, quia conſcientiam & fidem tuam appello, ſi potui plura dicere, & perſuadere in favorem tuimet ipſius, ut tandem videndo quid nocuerit in præterito, velles abjicere obliquas vias & arripere rectum iter. Promiſiſti diſertis & expreſſis verbis, & ego, qui libens manuteneo cuilibet verbum, eram plùs quàm certus omnium. Quotieſcunq; tuæ literæ veniebant, ſemper tanquam in triumpho gloriabar, coram Rege, apud quem magno deſiderio deſiderabam, commoda tua & utilitates quàm optimè ſtabilire. Hanc confœderationem ego optimè interpretarer, & non pertinaciter, ut alij damno, ſi hoc ſalvo meas non confunderet rationes, quia eſt extremum

A.C. 1703 tremum quando cuipiam cantatur ſalve. Alterum eſt, quòd diploma datum & in volumen legum inſertum abſorbet omnes ſuſpiciones, & vanos metus. Per amorem DEI cogita, ne ex tam parvis initijs, magna exoriatur ſcintilla & aliquid tale naſcatur, quòd ſit directè contra commoda Patriæ, adjuro te non tantùm per DEum, ſed per omnia jura amicitiæ, ut ſicut hæc cœpiſti, ita in bonam reducas viam, non quod fit, ſed quod fieri debet incipiendum, & abſurdum quandoque toleratur, ut evitetur abſurdius. Non des gloriam alijs, monſtra quòd ſcias bono ſervire Principi, & quòd meam nolis fallere fidejuſſionem.

IDEM, PETRO BRONISZ GUBERNATORI PISTRENSI, eâdem die.

SCribo fuſè Palatino Poſnaniæ non dubitans, id, quod ſcribo tibi cõmunicandum, ac propterea dicta non repeto, ſed tantùm invoco illam prudentiam, & æquanimitatem tuam, quam in omnibus tuis demonſtrâſti actionibus, ſine rerum novarum cupidine & odio præſentium, ut ita res moderari velis, quatenus & antiquis legibus non ſint contrariæ, & intricatis his temporibus, ad majores motus non aperiant campum, nec dent occaſionem, & ne ex illis Palatinatibus, ex quibus alij, ad res benè, pro publico gerendas, normam accipiebant, ſemper aliquod ſcandalum Patriæ præjudicioſum veniat & oriatur. Plenus ſpei imò fiduciæ ſum, quòd tua conſummata prudentia id efficiet, indeq; ego, quidquid ingraveſcens ætas virium reliquerit, majorem campum ſerviendi habebo. Quandoq; conſtabit me tui gratuitum non mercenarium eſſe cultorem.

MANIFESTATIO CASIMIRI JOANNIS SAPIEHA DUCIS Exercituum M. D. L. facta nomine Senatorum, Dignitariorum, & Officialium, Nobilium, ſive domi in oppreſſione degentium ſive extra limites vitæ ſecuritatem quærentium. Nomine quoq; totius ſuæ Familiæ, & Exercitus M. D. L. in Auguſto.

VIX primum in hoc afflicto & turbulento Reipub: ſtatu, poſt finita extraordinaria Lublinenſia Comitia, ex conſtitutione Regni, & M. D. Lit, actis ejusdem Regni, & Palatinatuum eorum, in quibus eò temporis manifeſtantes contra eadem Comitia verſabantur; ingroſſatâ, accepimus notitiam de imperfecta nec ſatis firma pacificatione Reipubl: Polonæ, & M. D. Lit, ex nunc ad providendam, conſervandam, & roborandam; tam publicæ libertatis, quàm ſalutis propriæ, honorumq; & fortunarum noſtrarum ſecuritatem, invocato in teſtimonium innocentiæ noſtræ DEo Exercituum, coram toto orbe, Regno Poloniæ, & M. D. Lit. ſolennem & publicam hanc fecimus manifeſtationem, de tenore ſequenti:

Manifeſtum eſt DEo, orbi, omnibusq; Statibus totius indiviſæ Reipub, quomodo poſt factam per eandem Rempub. coæquationem jurium M. D. Lit, annexarumq; Provinciarum, Comitijs Coronationis & pacificationis approbatam, à nobisq; amore æqualitatis ſincerè acceptatam, quidquid in M. D. L. effrænis furor in Domûs noſtræ, aliarũq; magnarum bene meritarum de Rege, & Repub. in ſago & toga familiarum, ruinam, invidioſo ſtruxit molimine, quidquid ſplendorum, ſubſtantiæ, & fortunarum ſangvineo conâtu acquiſitarum, funeſta ſeditio legitime

legitimè poſſeſſionatis, violentâ manu eripuit, quidquid civilis licentia ferri fraterni ſangvinis, lachrymabili profudit alveo, totum id in proximè præteritis Varſavienſibus Comitijs, paternâ Regiæ Mtis curâ, interpoſitione Senatûs, authoritate Primatialis Dignitatis Regni Poloniæ, belli Ducum cooperatione, Mediatorum & Nuntiorum ab Equeſtri Ordine, & amicorum utriusq; partis applicatione, cum ſumma noſtra injuria, unicè ideo ut benè ſit Patriæ, cum triumphali in Eccleſiis DEo, Principi pacis gratiarum actione, cum ſummo populorum applauſu Chriſtiana animorum teneritudo, æterna ſepelivit oblivione, pro firmiori documento, omnia ſubſcriptionibus utriusq; partis ea ſpe roborando, ut victrix vulneratorum cordium patientia furentium refrænaret ferociam, Patriorum jurium robur conſervaret, concuſſæ civilibus odiis Patriæ conciliaret tranquillitatem. Id quoq; notum, quomodo tam ſanctum, & laudabile pacificationis publicæ opus, applicatione Reipub: in Comitiis concinnatum, habituata invidorum malitia tam valido è fundamentis evertit impetu, ut tota illa machina, planè dexteræ Excelſi ſtructura, in minutiſſimas atomos abire concuſſa debuerit, in turbidam quandam deſinens maſſam, ex qua cudendis dolis, machinationibus & civili tyrannidi materia ſubminiſtratur: de quo in manifeſtatione ultima noſtra in flagranti facta, multæ querulantur paginæ. *A.C.* 1709.

In hoc quoq;, quod præter expreſſas jam injurias nova patravit nequitia, ex dictamine juſti doloris, quem ſilentio premere impoſſibile, coram DEo & orbe, totaq; indiviſa Repub. convenit proteſtari, quomodo ſcilicet iidem authores criminum, immemores factæ in Comitiis conſtitutionis, callidiſſimis artibus, ipſam Mtem in eam induxerunt diſſimulationem, ut potiùs conſentire eorum machinationibus, quàm Regia authoritate, delicta juxta ſequentem legum Mtis obloquentiam reprobare videretur: *Jura conſervabimus, nulliusq; bona recipi mandabimus, aut captivari quempiam faciemus, niſi fuerit jure victus.* Quinimo pax & concordia à Regibus cuſtodienda, juſtitia tenenda, licentia frænanda, ut cives Regni non vi, ſed jure ſecum experiantur, unumq; ſit omnibus jus, & æqualiter unicuiq; tribuendum, ne veniant Guerræ & privatæ ultiones: Legum authoritas retinenda propter vitia comprimenda, moresq; corrigendos, & juſtitiam ſervandam leges eædem ſunt conditæ, nam juſtitia Regis pax populorum. Poſt prætactam verò pacificationem omnia inverſo ordine practicata, quando magnâ & forti Regiâ protectione fretæ pertinaciter contra nos obſtinatæ partes, in conventiculo Rozanenſi, Vilnenſi, Grodnenſi, cruentis inſuper conſiliis Wolczyni, per crudelia ſancita, conſummatis, illa, ex ordinatione adverſarum partiũ, exequente Zaranek Vexillifero Samogitiæ, loco reſtitutionis per officia Caſtrenſia juxta inſtrumentum pacificationis, manifeſtantibus injuſtè ereptorum; ſubſtantias eorum, fortalitia in eisq; tormenta & amunitiones, Palatia, populoſas urbes, etiam infantibus non parcendo, in Ducatu Samogitiæ, aliisq;, plùs quàm Trojano incendio incinerata, æquârunt ſolo.

Loco traditionis, rebellis Exercitûs ſub Ducalem meam poteſtatem, non ſolùm inſolentis militiæ per oppreſſionem pauperum in ruinam, novam erexerunt auctionem, verùm etiam Saxonicos Exercitus, contra tot ſtatuta & conſtitutiones Comitiorum, & pactorum conventorum ac coæquationis intra limites continuerunt, & Moſchoviticis Coſaticisq; Exercitibus, ut ſuo furori ſatisfacerent, in magno numero in viſcera Patriæ introductis, fortalitia Reipubl: & Terreſtria, ut Biaſcirkenſe

A.C.1703 kenſe cum excidio populorum, & præſidiariorum, cum avulſione per Moſchos Provinciæ Vkrainenſis, contra pacta Andruſovienſia totiq; tractatus per Nuntios, præſertim ultimum de perpetuæ pacis fœdere: Item Bichovienſe, Lachovicenſe, Bierzanenſe hoſtiliter expugnârunt, & partim ſuo muniverunt præſidio; partim tormentis & amunitionibus abductis, devaſtarunt. Loco reſtitutionis miniſteriorum & poteſtatum, contra jura Reipub. inter ſe de eis tractârunt, ſibiq; appropriârunt, exercitum M. D. L. exauthorando, novos inſcia Repub. erigendo, tributa ex bonis terreſtribus inſolita praxi & locis, imperando, & extorquendo: unde corruit immunitas bonorum Eccleſiaſticorum, nobilium, aliorumq;, quæ ab omni contributionum genere, per legem poſitivam, immunia eſſe debent. Antea 10000 Exercitûs pro uno quartuali ſexcentis ſexaginta millibus contenta eſſe poterant, nunc minori Exercitûs numero longè majores impendunt ſummas, quando non tantùm exquiſitæ, abſoluti Dominij methodo, præſenti injunctæ conſtitutione contributiones, verùm etiam in ijs bonis Terreſtibus, in quibus, per internecionem plebis, domorumq; incinerationem, ſola ſupereſt abominabilis deſolatio & locatio Exercitûs, contra naturam bonorum terreſtrium facta, & gravaminoſiſſimæ in neſcio quas expenſas imperatæ extorſiones; cum tamen ſub electionis tempus, typo expreſſus computus prodiêrit, authore Kociel Palatino Trocenſi, probans duas hybernas, 8000 Exercitûs & aliquot centenis millibus pro hyberna, & ſtipendio ſufficere, poſt quod redditum militibus; ex ijſdem duabus hybernis 600000 pro ulterioribus Reipub. neceſſitatibus remanere debere, nunc verò tam hybernæ, quàm agrariæ contributiones, variæq; emunctiones per novam quandam computationem conſtitutæ cum oppreſſione populorum, quæ tamen Miniſtri ſtatûs M. D. Lit. ſub tempus modernorum comitiorum (parcent dicenti vera; cui ſalus populi ſuprema lex eſt) aut præcavere noluerunt, aut conniventer permiſerunt; non offendetur dictis Palatinus Trocenſis Kociel, cujus aliæ erant pro ſeditione propoſitiones, aliæ nunc populorum emunctiones; quibus continuò enervata jam, premitur Litvania: & tamen ex tantis importantiis Exercitui M. D. L. antiquioris expeditionis, pro quinquaginta quartualibus, quibus antea contra Ottomanicam potentiam, nunc pro Patrijs juribus & libertate militat, nulla pars deſervitæ mercedis relicta, imò, quæ illi proprio meruerunt ſangvine, hi novæ militiæ aſſeclæ, domeſticis non niſi immorantes rapinis, inter ſe partiti ſunt. Loco conſervationis jurium circa correſpondentias cum externis inconſultâ Repub. literalia conſilia & occultas combinationes cum Czaro Moſchoviæ in perniciem Patriæ practicârunt, reſidentes Czari foverunt & hactenus fovent, propter facilius cum eo conferendum, à quo pecunias, invadiatis forſan ſecreto & ſuſpecto condictamine limitibus, acceperunt, in ſuasq; partes diviſerunt. Loco ſuppreſſionis violentarum invaſionum, quib9 Dom9 Nobiliũ opprimebantur, crudeliores nocendi modos arripuerunt, quib9 nõ tantũ aliquot millia iñocuæ plebis crudeli internecione delerunt, verùm etiam contra eas Domos, quibus pro eorum inſignibus in Patriam meritis, tota Reſpubl: æternam debet gratitudinem, ſeditioſo tumultu inſurgentes, Comitem in Rozanka Pac, Succamerarium M. D. Lit. Mareſchalcum Vilkomirienſem; & Szołkowski, Notarium Terreſtrem ejuſdem diſtrictûs, aliosq; complures magni Nominis, in variis Palatinatibus & Diſtrictibus in propriis degentes Domibus, publicâ aſſecuratos pace è domibus extractos ſtupendo ſicariatu, alios ſclopeta-

riis

riis exploſionibus, alios aliis tyrannidis artibus in metam poſuerunt, bonis illorum in ſpolium heroæ virtutis, in authores criminum diſtributis. Et quod maximum ut à malis ruerent in pejora, meliorem, in male ceptis perſeverantiam, quam reſipiſcentiam è ſuæ ſenſu nequitiæ judicantes, tribunal M. D. L, Areopagum juſtitiæ in majorem legum convulſionem de ſuis cardinibus everterunt, quando unâ cadentiâ Nobilem Kotowski Capitaneum & Deputatum Mozyrenſem, ex Tribunalitiis redeuntem judiciis, contra conſtitutionem de ſecuritate euntium, & redeuntium in publica via, operâ Chaleccij, crudeliter curârunt interfici; collato in præmium ſangvinei operis authori, Capitaneatu Caſtrenſi Mozyrenſi. In eodem Tribunali quinq; perſonæ, numero ad decidendum non ſufficiente, in expreſſionem civilis ſangvinis, volendo limitatione, contra omnia jura; de Tribunalibus, congregatarum ſub Olkiniki turmarum augere numerum; contra hæc vota dum aliquot ſupra decem judices, civiles flammas, adjectis augere nolentes ignibus, pro Patriis juribus proteſtarentur, non habito reſpectu pluralitatis votorum, tam perſonaliter contradicentes, quàm aliquot decades aliorum abſentium activitate judiciali, ipſi judicij rei abjudicârunt. In aliâ verò cadentiâ, non habita ratione inchoati ſecundùm legem antiquam Vilnæ completo numero, Tribunalis ſub directione jurati ſine ulla contradictione Mareſchalci Zawiſza Capitanei Minſcenſis, ubi Tribunalia niſi contra leges inchoari poſſunt, aliquot Perſonæ judicia Tribunalitia fundârunt & tractârunt; verbo concludam, in Litvania nihil priſci & integri, nec pudet dicere leges erant, ſed invalidum earum auxilium, quæ vi ac externâ potentiâ, poſtremò pecuniâ turbabantur; hæc verò ideo, quia deſuper jus datum ſceleri. A. C. 1703

Cum ergo tam ſacri circa publicam tranquillitatem laboris amari comparuerunt fructus, difficilè nobis erat, ad protectionem Regis & Reipub: vel ad fraternos confugere affectus, ubi in variis Palatinatibus per expeditas legationes ac ſi contra everſam per nos coæquationem via præcluderetur: adverſariis verò noſtris reconciliari erat impoſſibile, quorum omnes in ruinam noſtram congeſtæ actiones, poteſtate, & authoritate Mtis nitebantur. Quapropter DEus innocentiæ vindex, ultra ſpem & vota noſtra externæ potentiæ mirabili ſua coordinatione nos erigendos commiſit. Dum enim Rex Sueciæ non per nos introductus ſed à Rege AUGUSTO, ultro contra pacta Olivenſia, inſciâ Republica per inductos, vetantibus pactis conventis, ac conſtitutione ultimâ comitiorum pacificationis, tum ſtatibus tot proteſtantibus, quà Senatorij, quà Equeſtris Ordinis Exercitus Saxonicos, tempore domeſticorum turbinum, ſub prætextu recuperationis avulſorum, laceſſitus ſuper colla eorum Exercituum à Rigenſi oppugnatione fugatorum illatus potiùs, quàm inductus, tum ſui Regni tum noſtræ Reipubl: conſulturus integritati, obſervatâ per omnia ejuſdem Reip. amicitiâ, ut toties univerſalibus ſuis literis eſt proteſtatus, introivit in viſcera Regni. Nos in tanta oppreſſione nullam vitæ habentes ſecuritatem; perterriti præſertim, non ſervata ſub Olkiniki verbali adverſariorum aſſecuratione & crudeli ſangvinis Michaëlis Sapiehæ Præfecti Stabuli M. D. Litv. per Sieniccium, Voynam Braslavlenſem, & Bokum Ryczywolenſem Capitaneos effuſione, factâ manifeſtatione in Curia Regia Branſcenſi, coacti ſumus, ad protectionem ejus recurrere, qui & vinculo colligationis cum Repub. & conſcientiæ rectitudine, manifeſtabat ſe auxilio affuturum violatis legibus & libertatibus per exoticam potentiam; etiam

A.C. 1703 tamen hac habitâ protectione, exulantes domibus & fortunis in Rep: quæſivimus juſtitiam, jam nunc cum Philoſopho Athenis Athenas non inveniente, in Rep. quærimus nec invenimus Remp. quò abiit Patria, quò ejus decora, ubi Priamus & Ilium & ingens gloria Dardanorum? ubi libertates, jura, juſtitia, veri, rectique cultus? ut hac ſaltem echo, quòd non ſimus Gens ſervilis, nec Filij ancillæ ſed liberæ, oſtendamus. Dum verò à protectione ejus, Lublinenſium comitiorum nos avocat conſtitutio, ſcire vellemus quæ ſecuritas regreſſûs, ubi eadem conſtitutione, Sandomirienſis, Thorunenſis, Mariæburgenſis congreſſûs acta, aliaque omnia privatorum Congreſſuum Lauda (quæ ab iisdem Palatinatibus, tum per reciproca lauda, tum per legatos ad Regem miſſos, reprobantur) ſunt confirmata? Ibidem cum receſſu à protectione Suetica vitæ tantùm nobis bonorumq; declaratur ſecuritas, honores vitâ cariores, ſuſpectâ taciturnitate ſuppreſſi. Nolentes tamen contravenire voluntati Regis, & Reip. ejusq; conſummatam optantes pacificationem, in fundamento S. Fidei Catholicæ, pactorum cum Rep. Conventorum, obſervationis Patriarum legum, licet contra novellam Lublinenſium Comitiorum conſtitutionem, in plurimis Palatinatibus factæ ſint proteſtationes, & perplexæ Cancellariorum & Procancellariorum circa ſubſcriptionem præcuſtoditiones, aliquid nocivi divinantes, magis tamen amorem Patriæ, quàm naturæ dolorem obſervando conformiter ad novellam legem, ſalvâ per omnia ſecuritate Miniſteriorum & omnium honorum, vitæ, & bonorum omnibus manifeſtantibus in toto reſervatâ, non aliâ viâ, niſi in virtute ſacroſanctæ Confœderationis Majoris Poloniæ, omnes injurias doloresq; noſtros in ſinum afflictæ chariſſimæ Patriæ reponendo, ut in patientia noſtra poſſidere poſſimus animas noſtras ſacroſanctè, quidquid per ulteriores hujus Confœderationis progreſſuum ſeries in bonum Reipubl: conſtituetur, filiali cultu amplectimur. In quo coram DEo & orbe toto, cum tota Domo noſtra, omnibusq; injuriatis & cum Exercitib⁹ unà nobiscum ſub vexillo Crucis exemplo innocenter paſſi Ducis patientiæ militantibus, publicè nos manifeſtamus.

ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI PALATINO RAVENSI FRATRI SUO Imâ Auguſti.

JUſtè apprehendit futurum Reipub. malum, quiſquis maturè conſiderat incipientis confœderationis Majoris Poloniæ principia; quæ vereor, ne in interitum potius multorum, quàm in ſalutem ſit nata. Feci ego, quæ potui in eo puncto, nec facere deſiſtam, quamvis plerumq; impedior. Expedita hic eſt ad Regem Sereniſſimum ab eadem confœderatione Legatio, Mſcislavius Zaleski Pocillator Breſtenſis Cujavienſis, & Stanislaus Morawski legati ſunt. Verbis portant magnifica, timeo, ut re inania ſint, facilè id ex annexa inſtructione, quàm cum reſponſo etiam à ſua Mte tibi mitto, conijcies.

Plura oretenus referet lator præſentium, cùm nec ſcribere vacet, nec expediat.

COPIA INSTRUCTIONIS A PALATINATIBUS CONFOEDERATIONIS MAJORIS POLONIÆ.

QUando jam ad eum infelicitatis devenimus gradum, quòd non tam nobis fatorum vis, quàm oblita Patriæ matris ſuæ malitia omnes

omnes maligne per continuas inſolito more Comitiorum ruptu- *A.C.* 1703
ras, & excogitatas contra Nuntios noſtros pro extraordinariis Comitiis Lublinenſibus ſine ulla ſub tempus Comitiorum contradictione electos, & miſſas proteſtationes, abrupit conſilia, & nos Mti ſuæ, & toti Reipub. in varias expoſuit interpretationes, à mutua & debita conſiliorum communicatione abalienavit. Tunc petiimus expeditos hos à nobis Nuntios, ut Sereniſſimo Regi Dño N. Clmo non tam in verborum ſplendore, in quibus vanam non quærimus gloriam, quàm in antiqua Polona veritate & virtute fidelis ſubjectionis noſtræ Sereniſſimæ Mti ſuæ cum profundiſſima veneratione tenerrimam exprimant conſtantiam, manifeſtando nos coram DEO, qui corda hominum ſcrutatur, coram Regia Mte, & coram tota Repub. quòd nos ad hanc, in qua nunc conjurati ſumus, confœderationem, non alia induxit cauſa, niſi ſalus publica, conſervatio legum Patriarum, ut illas in eodem ſtatu, in quo ab Anteceſſoribus accepimus, ſucceſſoribus relinquamus. Redintegratio verò inter ſtatus confidentiæ non pro aliquibus moliminibus, à quibus ſumus alieni, quinimò omni deſideramus conatu, ut poſt tam gravem Patriæ lethargum ſub Augusto ſuæ Mtis nomine, tam ab extra quàm ad intra, & quàm celerrimè, & quàm efficaciſſimè pacificata reddatur. Quod unicè ſupplicabunt Nuntij noſtri, petentq; à ſua Mte Regia nomine Palatinatuum Confœderatorum, ut exoptatâ tanquam Dominus fideles ſubditos, tanquam Pater filios poſt tanta gravamina ſolari & contentare velit pace. Securam reddendo Mtem ſuam, quòd penes integritatem ejuſdem, penes prærogativas legum, immunitatum, & libertatum noſtrarum vitas & fortunas noſtras, fide, honore, & conſcientiâ ponere noſmet ipſos obligavimus &c.

RESPONSUM EX CANCELLARIA datum 20 Auguſti.

Sicuti arcano ſtatus Reipub. hujus vinculo Majeſtas cum libertate & his quibus imperatur, cum imperante ſunt conjuncti & combinati, ut unus ſtatus ſine aliis nec ſtare, nec cadere, niſi unà poſſint, & ſicut in corpore humano mens ſana eſſe non poteſt, niſi illo tempore, dum vitales ejus functiones in integro vigore exiſtunt, ita & in politico Reipub. hujus corpore cùm Mtas in perfecto manet felicitatis vigore, floremus, cùm verò in prærogativa authoritatis ſuæ convellitur, & quaſi deficere incipit, labimur, aut ruimus cum illa. Regum motus cuncta ſequuntur. Conſiderarunt id providenti conſilio, & providentiâ Palatinatus Poſnanienſis & Caliſſienſis, qui ſicuti ſemper celeriùs præſtare, quàm promittere, celeriùs juvare, quàm jurare pro defenſione integritatis Regiæ, & ſalute Patriæ conſueverunt, ita & nunc, cùm accommodando ſeſe ad Generalem totius Reipub. in Comitiis præteritis unionem ſacro fœdere penes Mtem Regiam, & integritatem boni publici confœderantur. Sua Regia Mtas compendium hoc filialis amoris per Ablegatos exquiſitis verbis, & candore ſponſionum repræſentatum pleno gratitudinis corde accepit, eam non tantùm ſpem, ſed & fiduciam habens, quòd digni illi prænominatorum Palatinatuum Accolæ ſicuti unius & indiviſibilis Reipub. filij unanimi conſilio, & viribus depreſſam Rempub. in ſpes meliores erigere volent.

Et ſicut S. R. Mtas præterita extraordinaria Comitia, feliciſſimè finita, principaliter ad inſtantiam Palatinatuum Poſnanien: & Caliſſienſis indicere dignata eſt, ita deſiderando ex illis decora ingenia in con-

*A.C.*1703 filio habere præſentia ultra univerſales literas pro primis Comitiolis, etiam pro ſecundis in caſu rupturæ primorum, expeditionem ex Cancellaria ſua proviſionalem ex particulari affectu & æſtimatione eorundem Palatinatuum extradere juſſerat, conſequenter, quo magis in gremio conſulentis Reipub. Nuntios eorundem habere præoptabat, eò ſenſibiliùs cum magno ſuo mœrore & dolore carentiam illorum tulit. Quarum circumſtantiarum cum Palatinatus geminam ſine mixtura falſi habuerint relationem, non tam quæſitis, quàm improviſis ſtudiis adſcribent hunc eventum.

Non ceſſans unquam S. R. Mtis ad celerem & veram pacem applicatio, ſicuti univerſali Poloni & exteri mundi conſenſu agnoſci debet, ita dum inimicus pro libitu ſuo agens abjecit non ſemel & nunc oblata media ad tractatum pertinaciter abjicit, non invenit ſua Mtas certiorem & veriorem ad aſſequendam honeſtæ pacis viam, niſi per fortes more Majorum auſus, qui quandoquidem ſine debito in numero & contentato in deſervita mercede exercitu practicari non poſſunt, ad executionem ſancitorum novellæ legis, quàm celerrimè, & quàm efficaciſſimè dictos Palatinatus S. R. Mtas authoritate ſuâ Regiâ invitat, ſollicitat, & amore Patriæ ſtringit &c.

COPIA LITERARUM CARD. PRIMATIS AD MARESCHAL. CONFOEDERATIONIS MAJOR. POLON. Varſaviâ die 1. Aug.

HIſce periculis, quæ ad interitum premunt Rempubl. etiam hoc accedit infortunium, quòd ad defenſionem ejus pacifica haberi non poſſint conſilia: Et quod maximum eſt; in inclytis illis Palatinatibus, in quibus exemplarem tot ſæculis unitatem omnes reliqui Palatinatus ſuſpiciebant, nunc nidum fundavit ſciſſio & æmulatio, Diris utraq; devovenda. Pridem ego prævidi hanc, quæ nunc ſecuta eſt, Comitiolorum rupturam, ſiquidem illa in quibus Nuntij electi erant, ſtudiis malevolorum ſunt invalidata; conſequenter ſicut in Comitijs Nuntiis negata activitas, ſic objicientibus cogitandum erat, ut relatio in Comitiolis impediretur.

Bonum nihilominus opus operati ſunt Palatinatus illi eum confœderationis modum arripientes, qui ut ad reinducendam animorũ harmoniam, ſic ad tollendas diviſiones & particularitates efficaciſſimus, utpote ruptioni minimè obnoxius. Quia verò eſſentia hujus Confœderationis eſt, agere pro fide catholica, Mte, legum Patriarũ & libertatum integritate, nemo eſt, cui non placeat tam præclarũ opus, inde maximè, quòd te Directorem elegerit, cujus delicata conſcientia, zeloſi pro libertate Reipubl. ſenſus, ac ipſis major prudentia fatis, id ominis ferunt, quòd tanto oneri minimè lacertos ſubmiſiſſes, niſi prævidiſſes, Te illud aliter non poſſe, niſi cum gloria tui nominis & ſolatio Reip. deponere. Quomodo verò tibi agendum ſit, non ſuggero conſilia, inſpirabit ea ſpiritus unionis, in cujus fundamento & voto fabricata eſt hæc confœderatio, cui non prævalebunt adverſæ partes, quarum unica occupatio eſt, moliri & demoliri.

Erit enim non dubito, tibi tam tuus, quàm illius Palatinatûs in refle-

reflexione honor, ne integritati illius quidpiam derogetur, per abi- *A.C.* 1703
tura in caſſum tanta ſtudia, quæ ſicut in ſolam Reip. ſalutem eſſe impenſa, non ambigo; ſic intra votum perſeverantiæ, unum velle & ſentire vobiſcum deſidero, qui Patriæ velle non poteſtis niſi optimum. Honori, qui ſe tibi ultro ingerit, humeros non ſubtrahas; dulce quid libertas eſt, qui eam conſervat, vel reſtituit, favus mellis in ore ejus. Grave id quidem & moleſtum eſt, at coram DEo & hominibus meritorium: experto crede mihi, qui licet lapidor pro bono opere, non deſero tamen pingvedinem meam, cùm fructus boni operis ſit perſeverantia.

UNIVERSALE MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS PALATINATUUM POSNANIENSIS & CALISSIEN. 30. 7bris

UNiverſis & ſingulis, præſertim Senatoribus, & officialibus Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis notum facio, ex mente confratrum eorundem Palatinatuum confœderatorum, quod ſiquidem ex hoc loco cum vexillis moturi ſumus, pro die 15. menſis Septemb: congregari vexilla ſub Starzyn volumus, in quo loco pro præfixo tempore nomine publico ex obligatione confœderationis noſtræ, quæ quò magis placuit Mti, ut reſcriptum ejus ex cancellaria per Legatos teſtatur, eò confidentius, ut debitam conſervandæ integritatis Reip. promptitudinem & zelum teſtantes, cum requiſito bellico apparatu, die & loco deſignato compareatis, poſtulo, ubi omni curâ & ſtudio deſideratam totius Reip. quæremus pacificationem.

COPIA LITERARUM PALATINI VILNENSIS AD PRINCIPEM CARDINALEM, 5. Auguſti.

JAM finita Comitia Lublinenſia ſunt, quid in iis actum & deciſum ſit? quali reſtauratione infirmatis juribus ſuis Reſpub: conſuluerit? quo defenſionis modo malis præſentibus occurrere decreverit? quomodo Majeſtati proviſum? quid in ejusdem ſuccurſum valiturum putaverit? non ex conſtitutionibus ut ſolet in typum datis, ſed ex projectis tantùm didicimus. Roborata Mtas eſt, at per diſpendia Reipubl, utq; mihi videtur ſumpſit illa vires ex hujus debilitate & detrimento. Nihil adhuc hactenus mihi audire licuit; quod fatiſcenti Patriæ afflictisq; rebus ſpem faceret melioris fortunæ. Nec disquirere ampliùs de his mihi placet utpote exulanti. Obtrudit nihilominus interdum fama vel invito, quæ illa authoritas conſiliorum? quæ facies rerum ibi fuerit? ut Sacra profanis mixta ſunt? in ruinam inde juribus, libertatibus, & honore humano euntibus. Devenit in manus meas projectum domum meam concernens, in quo jubeor me ſiſtere, & ad latus Mtis intra ſex hebdomadarum ſpatium comparere. In caſſum id à me petitur: nôſti enim ipſe, quibus nuper adminiculis nixi in facie Reipub. comparuerimus, quâ præcuſtodiâ & cautionibus honoribus, fortunis, & Perſonis noſtris beneficio Reipub: indultis, interpoſitione tua roboratis conſultum fuerit: per hunc reſpectum te potiſſimum ſuadente rediimus

A. C. 1703 Varſaviam. Subſcripſiſti ipſe complanationi authoritate Regis & Reip: interpoſitâ. Hæc mediatio tua & Ducum Regni exercituum columen & mora labentis domûs noſtræ ſub illud tempus eſſe debuerat; cùm contrarium experti ſumus: in gremio Reipub, in oculis Mtis vitæ noſtræ, quam maximè ſecuram arbitrabamur, ſubiîmus periculum. Cùm verò tantam hanc noſtram oppreſſionem Regi inſinuâſſemus, pro reſponſo retulimus querelas & cenſuras libertatis noſtræ, quam in licentiam verſam eò jam perveniſſe, ut ei ſuſtinendæ & frænandæ ſe imparem agnoſceret, licentiâ noſtrâ fieri, quod quisq; pro ſuo poſſe quàm plurimorum collectâ aſſiſtentiâ ad comitia adveniat, aſſeruit. Altiſſimo judicio tuo id conſiderandum relinquo: an non hac in re fuerit aliqua conniventia? nobis nonniſi exiguo numero venientibus, illis verò Varſaviæ ad opprimendam domum meam in comitatu aliquot millium comparentibus. Verùm non opus eſt, ut de hac materia pluribus ad te ſcribam; ipſe enim fuiſti ſpectator, tu vitæ noſtræ dediſti ſecuritatem, azylum innocentiæ noſtræ præbuiſti, te fulciente & protegente ſecuri viximus Varſaviæ. Nunc ex directione Mareſchalci Lublinenſis complicis & majore ex parte Authoris omnium harum calamitatum approbata ſunt omnia lauda contra jura conſtituta, in quibus pro capitibus invindicabilibus agnoſcimur & declaramur. Homicidia patrata amniſtiâ ſepulta ſunt, jus datum ſceleri, unde facilè colliges ex ſancitis Comitiorum, quis conſul fuerit? quem conſtitutio cooperuerit nónne eos ipſos, qui propria confeſſione convicti, ut pœnas luere deberent, primùm Authores, tum ſub ipſius favore diverſimodè complices ſcelerum, evaſerunt, ac ſi innocentes ac puri corde forent. Quamvis in propatulo eſſet, quàm ſecretis legationibus cum Moſcho, & Coſacis egerint, quantas in nervum belli ſummas contraxerint, quantum per latrocinia ſævitum ſit, bonis noſtris & nobilium in communem prædam deſignatis, actuque ad ultimam ruinam redactis; nihilominus his corvis veniam per conſtitutionem Reipub. in præſentibus Comitiis non juſtitia ſed potentia dedit, nos interim culpamur ſoli, quòd declinaverimus tantiſper & abſconderimus cervices noſtras coram ſæviente cæde. Volunt nos ſuis imperiis adigere, ut majora adhuc amemus pericula in ijs perituri, eoq; advolemus; ubi adhuc imminent in omne momentum tam per vias, quàm ipſo in loco certæ inſidiæ: quibus an parendū ſit? ipſe diſpice. Securitatis hic quo ad perſonas noſtras mentio nulla, violatorum jurium reſtauratio itidem nulla, ea inſuper complanatio quæ jam facta fuerat, funditùs ſublata, ſimplici & crudo citamur mandato ad Comitia, ut ſub eorum favore liceat nos adhuc ſuperſtites eſſe. Velis altiſſimâ tuâ prudentiâ arbitrari, ſecurúmne vitæ noſtræ ſit, huic furori nos objicere, & iſthinc movere, ubi adhuc ſpiritum ſecurè ducimus, & utcunq; inter tantas calamitates ſub umbra protectionis reſpiramus. Non pono obicem viæ, ſi quæ ſupereſt ad pacem, imò quantū ex me eſt, allaboro, optans Patriæ meæ quàm conſtantiſſimam pacem, quò tandem in libertatibus & juribus ſuis refloreſcat, quæ uti hacten⁹ te ſtante ſteterunt, ita DEum meum precor, ut tibi vires & incolumitatem conſervet, nos verò cum tota domo noſtra gratiâ & protectione tua foveas, humiliter ſupplico. Non dubito, quemadmodum domui meæ experiri favorem tuum hactenus licuit, ita & impoſterum experturam, quam ob cauſam obligo me &c.

ANDRE-

LXXI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. STANISLAO GODLEWSKI GUBERNATORI NURENSI in Praga ad Varſaviam 6tâ Auguſti.

Literas ſuæ Mtis, & conſtitutiones Comitiorum immediatè finitorum, pro Comitiolis relationis ibi mittendo, non poſſum & amicitiæ jura debitis officiis & publicas utilitates, neceſſario deſtituere præſidio, ſed noſcendo, in tuo Palatinatu, populare tuum nomen, ſicuti in anteceſſum efficacia ſemper noſcebam ſuffragia, ſic & nunc depono, in ſinum tuum authoritatem ſancitorum Reip. minimè ambigendo, quòd pro innato in publicum zelo, ita voles diſponere res, ut ad quàm celerrimam deducantur executionem. Quia verò livor edax malevolorum, & optimas plerumq; actiones, ſiniſtrè interpretari ſolet, & ſæpe libertas noſtra ab aliena judicatur conſcientia, ſæpiuſque qui minus commiſit, plus patitur; recurro & in eo puncto ad affectum tuũ, ut in illo conſiliorum publicorum loco, ſuppetias ferre digneris, ſi in aliquo honor & Miniſterium meum impeti deberet, quidquid gratiæ, & efficacioris applicationis tuæ mihi obvenerit, mutuò rependere non intermittam.

RESPONSUM EJUSDEM STANISLAI GODLEWSKI 31 Aug.

Literas tuas cum conſtitutionibus, ſigillo Regni ſigillatas, quamvis jam poſt Comitiola Diſtrictus noſtri accepi, nihilominus in futuro ex limitatione termino delatas mihi tuas conſiderationes, in particulari habebo animadverſione, & ipſemet ex ſtudio conſtantiſſimi affectûs mei faciam id, quod impoſitæ mihi ad obſequia tua, tot beneficiis tuis debeo obligationi. Eo vel maximè anguntur Diſtrictus noſtri, quòd illud, quod concors jam in Comitijs, quaſi perfecerat confidentia, iterum corrumpit quædam occulti fati diffidentia, quando non tantùm ſuprema militaris Gubernii capita, ſed etiam ipſa corpora exercitûs ſcinduntur, titubatq; foris, quod diffidet intus, & tamen non habent illi occaſionem, ad deferendam Rempub. quæ ſicuti in comitiis tributa laudavit, ita & in Comitiolis exequitur ſancita, & poſitum eſt bravium, ſi currere velint. Interim tamen quando tempeſtas hæc Reipub. prudentiſſimo tuo regitur ſtatûs Miniſterio, tunc ex authoritate & mediatione Regiæ Mtis, brevi DEO ſic volente civiles iras, in exitium hoſtium vertendas, ſperamus, nunc verò &c.

LXXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM ET SAMB. SUPREMUS REGNI CANCELLARIUS STANISLAO LESZCZYNSKI PALATINO Poſnaniæ, 28 Auguſti.

Longas literas tuas accepi, & detuli omnia ad quem pertinebant, vellemq; & optarem, ut hæc conteſtatio conſtantis tui affectûs, eam faciat impreſſionem, ſicuti facere ſolent illæ relationes, quæ videntur habere fundamentũ certũ, in quo pro candore meo informavi Abbatẽ Rozrazewski. Dilectiſſime frater, perim⁹ ita aut peribim⁹ ſucceſſivè õnes, agimur eo modo in ruinã quotquot ſum⁹ nõ alio quàm temporis

diſcri-

A. C. 1703 diſcrimine, per has diviſiones, ſi pars operis erimus & nos. Cur non debere⁹ condonare Domino DEo injurias noſtras, & inſimul bonū publicum Patriæ huj⁹ curare, quæ proxima eſt ruinæ, cū ſciam⁹ pro certo, quòd inauſpicatus eſt medicus, qui necando diſcit mederi. Non dubito retuliſſe Nuntios Veſtros, quàm bene fuerint recepti, quàm bene expediti, quid ergo reſtat? niſi ut conveniamus ad intra, & inſimul jungamus manus, cordaq; ad conſervandam cum Mte Patriam, quia unum ſine alio ſalvari nequit. Explicui in eo ſenſus meos eidem Abbati, utinam efficacem faciant impreſſionem! ego ex corde toto diligo te, nemo eſt, qui plus vel melius tibi optet, modò ipſimet non impediatis. Nolite Patriam durioribus remediis, quàm pericula ſunt velle ſalvare, quæramus populo pacem, non malum, ne eò rem deducamus, quod in proximo jam eſt, ut è Repub: non mala peſſimam reddamus. &c.

STANISLAO LESCZYNSKI PALATINO POSNANIÆ 30 Auguſti.

INcredibiliter lætatus ſum, dum in Palatino Inowroslavienſi, Majoris Poloniæ Generali, eam ad concordiam & unionem inveni facilitatem, quam à tanto tempore, utriq; parti prædico moderans ſemper ne offendam, quem minimè volo, & nunc quaſi fato quodam res benè proceſſuras ſpero. Per amorem DEI, jam tempus eſt, nos de ſomno ſurgere, tempus eſt cogitare, quòd nihil boni hæc diffidentia nobis adferet, quod illa ſolamen hoſtibus auget, vires firmat, & roborat. DEus Charitas eſt, coram illo comparere, Patriæ reſpondere debebimus de futuris, ſi diſcordiâ noſtrâ provocabimus mala. Sit optimum etiam inſtrumentum, dum chordæ non concordabunt, tangere illud benè, etiam perfectiſſimus non poterit Muſicus. Obſecro per DEum vivum concurramus omnes ad harmoniam, tam neceſſariam, applicemus ſtudia noſtra, quis enim medicus ægros in tranſitu curat. Si vis benedictionem habere deſuper, concurras ad id omni ſtudio, quod millies & millies inſinuando &c.

PETRO BRONISZ GUBERNATORI PISDRENSI MARESchalco Confœderationis Majoris Poloniæ eâdem die.

SCribo ferventiſſimè, nam poſſibiléne eſt in ſimilibus frigidum eſſe, Palatino Poſnanienſi. Non repeto dicta, ſed te eadem charitate in DEum, & Patriam conjuro, ut regimen hoc quod tibi impoſitum eſt, in bonum Patriæ vertas, proſperum cœptum virtus vocatur. Minimè verò id ſperandum eſſet, ſi deerit unio animorum, disjunctorū fatiſcunt vires. Inveni in D. Generali æquanimitatem, dicam tibi con-
Petrus Radomicki fidenter, quod multis ante hac putabam eſſe cornua, nunc agni ſunt, balant tantùm; Fac idem Chariſſime Dñe ex parte tua, & ita benedicet Nobis DEus, & hæc miſera Patria eluctabitur, non ago multis quia ſcio & noſco cui ſcribo, & tu ſcis meum, & bonorum omnium votum.

COPIA LITERARUM PALATINI VILNENSIS Ad PALATINUM PODLACHIÆ ex Caſtris die 17. Auguſti.

ACcepi literas tuas datas 12 præſentis, quibus me certiorem reddis de adventu Theſaurarij Regni tædioq; Principis Cardinalis inde concepto, quod reditum ſuum non maturet Tworzyanski

qui

qui hic tanquam debellaturus Alexandrum in præſentia Regis Sueciæ *A.C.* 1703 cum Generali Steinbock fecit mirabilia; ſed non laudabilia, & abſceſſit tanquam importunus. Scripſi jam ad te per Zabrzeſcium famulum Principis Cardinalis, illum ſtudio accurriſſe, ut de pace ſolicitudinem ſuam oſtenderet, peteretq; deſignari Commiſſarios pro tractatu, ipſum etiam Theſaurarium Regni antecedenter in eadem materia laboràſſe. Præclarus hic ſanè labor & conatus, nam filium tenebrarum cum eſſe neceſſè eſt; cui pax in votis non eſt. Reſponſum ab aula Suetica, à Principe pacis nos peſſimis puniri conſiliis Reipub. (uti in præſentiarum conſtat) clandeſtinâ colligatione confœderatâ Moſcho Litvaniâ, Oginſcianis viribus eidem adjunctis; qui Oginſcius quamvis malo ſuo Sueticas infeſtet copias, nunquam fere victor, ſemper victus; nihilominus ſalaria pecuniarum percipit, tractatus facit & concludit. Reflexione dignum & illud: Moſchum limites Lit. tranſgreſſum ex ea Livoniæ parte, quæ Litvaniæ adjacet illiq; addicta eſt, invaſiſſe & irruiſſe in Livoniam Suetico Regno incorporatam. In aperto eſt qualiter privatis conferentiis Rex noſter cum Legatis agat, item conſideranda etiam Comitia, quæ ex conſilio Szaniavij hic & nunc fuerunt, impetrantibus id Moſchoviticis pecuniis, aliàs non prius futura, quàm prout Commiſſarii Reipub. in conferentia cum Comite Pipero declaraverant, pacis negotium concluderetur. Nunc verò contrarium factum eſt; unde eventus Comitiorum expectatur, conformiſne Comitiolis futurus? in quibus propoſitio de colligatione Regis cum Moſcho primum locum habuit, de quo ipſo ex fonte, literis ſcilicet Regis Sueciæ ad Principem Primatem & Commiſſarios datis informari poteris. Reddet rationem DEO, quiſquis ille Author eſt, ut tam pulchram machinam pacis venales animæ in gratiam monetæ diſſiparent, utq; Saxonicæ copiæ in extremum periculum urbem Thorunium conjecturæ eidem pro præſidio imponerentur. Jam deſignati fuêre Commiſſarii, ipſe Comes Piper jam in procinctu erat ad tractatus; cùm interim defertur Legatis exteris mediatoribus intra triduum diſceſſum Varſaviâ imperatum, apprehenſum id; quia non ex communi conferentia tractatuum factum. Jam per conſequens præſumere poſſumus & augurari iniquam ſortem revolutionis; niſi enim Moſcho renunciatum fuerit, privatamq; ſuam colligationem, quæ libertatibus noſtris & pactis conventis periculoſa eſt, Rex Poloniæ caſſaverit; tractatui locus non erit. Ideo non neceſſario præceſſerunt tractatum pacis Comitia, melius ſi ſecuta fuiſſent. Licuiſſet enim tum Reipub. ex duobus malis minus feriens cum minore incommodo & difficultate, tutiora, firma, utilioraq; eligere. Corrupit hæc omnia Regis cum Moſcho confraternitas. Non iſtud pacis ſtudium eſſe debuerat, ut Regem Sueciæ cum exercitu ſuo ex Patria exeſſe vellemus, Rege interim cum Saxonibus ſuis ſuæ privatæ colligationi Moſchoviticæ citra conſenſum Reipub. factæ incumbere permiſſo.

Quod privata mea concernit, uti honores & fortunas, fiducialiter præmoneo; Regem Sueciæ declaràſſe priuſquam bellum ſumat, expectaturum ſe, an jus & Reſpub. ex æquo mecum procedet? an verò in extraordinarijs Comitiis duarum hebdomadarum confiſcationem bonorum & honorum contra innocentem decernet? Num autem huic fini cogenda Comitia ſunt; ut honores & bona noſtra nobis vi erepta ijs in præmium cedant, qui juribus injurij, libertati inimici, Reipub. turbatores audiunt; hi noſtris muniis exaltentur innocentiâ gemente? inſontē me eſſe ſciens & pericula magnarum conjunctionum quæ Patriæ fatales
eſſe

A.C.1703 eſſe poſſent, proſpiciens, pto poſſe meo non omiſi decora excitare ingenia in variis Palatinatibus uti majoris Poloniæ, Pruſſiæ, Breſtenſis Kujaviæ; quæ nos, uti luculentè de hac re informatus ſum, jure & laudato à ſæculis more defendant, trutinentq;, quomodo pacificatio M. D. Lit. quem inter & nos, fortunam & honores noſtros mediatio Reipub. declarata eſt, in ſalvo eſſe poſſit. Neſcio quomodò ejuſmodi Principi quiſpiam aliquid perſuadeat, qui cum ſibi Rex & Conſul ſit, in DEUM tamen & Rempub. omnia devolvit: ad quam quomodo redeam, non video, quandoquidem non niſi vitam conſervamus, expectamusq; dependentem ab illius fortuna fortunam noſtram, calamitate calamitatem. Aliter antiquitus proceſſit Reſpub. Januſſio ſub tempus vitæ clava adempta non eſt, tum priùs parenti meo ceſſit, dum ille fatis conceſſit: Boguslao Radivilio Præfectura Stabuli erepta non eſt, non niſi cum vita finivit officium, bona omnia, Capitaneatus, manſerunt Succeſſori, Sobieſcium tum adhuc Mareſchalcum & Ducem exercituum Regni, quamvis eum per communem motum congregata Nobilitas ſub Golembio judicaverit, honoribus & bonis tamen non ſpoliavit. Nos verò nullo jure convicti, ſolâ violentiâ ac conniventiâ Majeſtatis (verius dicam) mandato irati Dñi oppreſſi, honore & bonis exuendi ſum⁹? vindicabit is qui juſtitias noſtras judicabit. Opto ut filij Patriæ ſuaviora & meliora conſilia, aliaſq; ex his literis meis inſtinctu optimi affectûs ſcriptis facere velint conſequentias & menſuras: nihil mihi relictum eſt præter id, ut me reſignare poſſim divinæ voluntati, & tuæ de me ſolicitudini. Scias me perire malle, quàm in exemplum eſſe malitiæ de innocentia in Patria triumphantis. Et profectò eò per malevolentiã deveniemus; ut & impoſterum ſub hoc jugo ingemiſcam⁹. Veneror Theſaurariũ Regni, alioſq; Miniſtros; te verò oro has meas literas nolis ſub modio poſitas deliteſcere, quinimò ſtatue ſupra candelabrum, ut videant, quid domi noſtræ agatur? quid futurum? quis cauſa ſperatæ tantũ & non ſecuturæ pacis? Prognoſtico tuo de iminente domui meæ, quo ad honorem & fortunam occaſu, an eventus reſponſurus ſit? à Comitiis expecto. Memini civilium bellorum, par furor inter ſimiles & malevolentia dominabatur, quæſita civilia remedia ſunt; his ſcriptis maneo &c.

UNIVERSALE PRÆMONENS, & EXPRIMENS PERICULa Reipubl. ſimulque ſtimulans executionem ſancitorum in Comitiis Lublinenſibus Menſe Septemb.

Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, nobis fideliter dilectis. Quis non ſperaſſet conſtitutum laudabiliter in Univerſalibus Lublinenſibus Comitiis, renovato juratæ fidei ſacramento confirmatũ; mutuo indiſſolubili inter nos, ſtatusq; Reipub. compactorum vinculo colligatum, & unanimiter à tota Repub. per omnes Provincias, Palatinatus, Terras & Diſtrictus vulgatum & acceptatum generalis unionis animorum & armorum claſſicum, ſecuritatem internam & externam dignitati noſtræ, omnibusq; ſtatibus Reipub. vigili cuſtodiâ, animoſâ reſolutione, promptâq; conſtitutionum executione, allaturum; expulſo è limitibus Regni, poſt tam longam, moleſtamq; hoſpitalitatem graſſante hoſte? & ecce iiſdem callidis artibus conciliato à Rege Sueciæ lethargo ſopiti, non tantùm ſalutaria defenſionis media, debitâ promptâq; reſolutione obſervare & exequi nolumus, verùm etiam ſponte propriũ præcipiti fato quærimus interitum, non tam perſequendo, quàm ſequendo

quendo hoſtilis potentiæ ludibria, quibus idem Rex Sueciæ à prima, in *A.C.* 1703
Dominia hujus Reipub: irruptione, magis quàm potentiâ & viribus, à libera gente, quæ vult, deſpotica poteſtate evincit, & evincere deinceps juxta ſuum beneplacitum intendit, quando, partim inſolenti armorum terrore, partim ſubtilioribus machinationibus, tot innocentûm incolarum dejectis animis, potiusq; confuſis, quàm devictis, ſub colorato, & ad ſpeciem grato, inſtaurationis jurium, & libertatis prætextu, per immutationem dignitatis noſtræ, commotionem, & à fundamentis cardinum ſtatûs Reipubl: everſionem, univerſalibus edictis, & literis ſuis, atroci, & ab univerſali more, gentium & Principum inter ſe contendentium, alieno ſtylo, publicatis & vulgatis, per abſolutam hoſtilis Imperij tyrannidem, noſtri dethroniſationem, ſtatibus Reipub: intimavit, adigens eos, non tantùm ad deſerendam juratam nobis fidem, verùm etiam ad patrandum abominabile, nec unquam in Polonia auditum facinus: Verùm, ubi Status Reipubl, congenita ſuorum Majorum virtute, nunquam ulla diffidentiæ, aut non ſervatæ ſuis Regnatoribus fidei labe, notatorum, (quorum magnus quondam Anteceſſor noſter SIGISMUNDUS I, coram quibusdam Monarchis ſuas opes, Theſauros & magnalia exaggerantibus, integram nec unquam violatam fidelitatem, omnibus ſplendoribus & divitiis prætulit, coram iis totoq; orbe gloriatus, usq; ad invidiam, poſſe ſe in cujusvis Poloni ſinu ſecurè quieſcere) tam in particulari Palatinatus, Terræ, & Diſtrictus Regni, & M. D. L, tam in Comitiis per Lauda, quàm per Generalem Provinciarum Majoris Poloniæ & M. D. L. ſtatuta, & confœderationes, poſtea univerſale Mariæburgenſe & Thorunenſe Conſilium, & deniq; tota Reſpubl: in Comitiis præteritis Lublinenſibus, legitimè juxta leges & conſuetudines conſervata, univerſali omnium Ordinum conſenſu, per proteſtationem, & aſſecurationem propriam, in prima conſtitutionum ſuarum facie, novo jurisjurandi nobis obſtricta vinculo, & per reciprocum à nobis factum juramentum, novumq; Diploma, mutua ſecuritate roborata; malignũ Regis Sueciæ Projectum, quod etiam intueri Gens Polona dedignabatur, pro deteſtabili, nec unquam acceptabili declaravit, reaſſumpto antiquorum jurium rigore, contra quosvis ſimilia fomentantes. Poſt quæ Comitia, quamvis ex mente Reipub: habentes proviſa ad proſequendum hoc bellum, media; potuiſſemus ipſa inſtigante juſtitia, tã grandes Reipubl, noſtrasq; injurias jure armorum vindicare; vitantes tamen Chriſtiani ſangvinis effuſionem, præferentesq; omnibus noſtris injuriis, tranquillitatem publicam, ſimul volentes lenitate bonitateque noſtra furorem Regis Sueciæ & ejus adhærentium mitigare & vincere, Commiſſarios à Repub: deſignatos, ad reaſſumendos offerendosq; Tractatus aulæ Sueticæ deſtinavimus. Præterea per Cardinalem Primatem legatosq; exterorum Principum, de eliberanda Thorunenſi Urbe ab obſidione, & oppugnatione, repetitis vicibus inſtitimus, proponentes, non ſolùm omnem facilitatem ex parte noſtra, verùm etiam per interpoſitionem, & mediationem exterorum Principum, ſpontaneam deditionem noſtrorum militum, pro præſidio illius fortalitij relictorũ, declarantes, dummodo ſalva integritate ejusdem fortalitij, & reſtitutione in manus Reipub, more militari, liberè dimitterentur, imò appromittentes, licet bellum id diutius duraturum eſſet, illos milites, extra limites dominiorum hujus Reipub, ex nunc educendos, nec unquam directè vel indirectè adverſus Sueticos Exercitus ſervituros aut militaturos. Rex tamen Sueciæ, hanc propenſionem & inclinationem noſtram, cum grandi

A. C. 1703 grandi poſtpoſitione Mtis noſtræ, totiusq; Reipubl: aſpernatus, Commiſſariis prius acceptatis, poſtea negato competente titulo, poſtpoſitis, non tantùm ex ingenita & hæreditaria erga hanc Rempub, malevolentia, verùm etiam ex fomento eorum, quos ad illum, vel diffidentia cum noſtra Mte compulit, vel pertinacia deduxit, volens in conſtructo à ſe omnium infortuniorum theatro, hanc tragædiam, nunquam in Polonia practicatā, totiq; deteſtandā orbi, ulterius continuare, poſteaq; per ruinā boni publici triſti epilogo concludere, aliam ſpeciem & figurā continuandæ illuſionis aſſumpſit, quando alios imagine inſidioſæ pacis, quoſdam exquiſitis opinionibus & impreſſionibus, alios jam proprio, jam amicorū intereſſe ſeductos, in diverſa diſtractos ſtudia, plurimos verò vel graviſſimis & intolerabilib9 contributionibus, vel violenta expoſtulatione: ſi non iveris ad confœderationem, mittam centum amicos ad te invitandum; coactos; vel intentata ignis & ferri ſuper colla & ſubſtantias nobilium executione proſtratos, ad privatos congreſſus ſub titulo confœderationis, domeſticis legibus, & noviſſima conſtitutione, anni 1699. condemnatos; velut jura Mtis & Reip: tollentes; ordinem, publicam pacem & authoritatem Comitiorum, religioſiſſimè ab anteceſſoribus noſtris conſervatam infringens & invertens, angariavit, & hactenus angariare, infeſtis armis per Palatinatus graſſando, non ceſſat; tot Senatoribus, Officialibus & Incolis ob generoſam conſtantiam extra patrios limites pulſis, qui quidquid chari & pretioſi erat, relinquentes, in alieno ſolo vitæ quærere ſecuritatem ſunt coacti. Ad hæc univerſalibus ex mente ſua traditis, liberæ genti, quæ nemini ſervivit unquam, conventicula cogere, ubi verò nulla ſpes evincendarum ſuarum intentionum, propter conſtantem Equeſtris Ordinis erga Mtem noſtram, fidelitatem, apparet, iterum domos repetere imperat, inventa ſub velamine reaſſumendi Tractatûs, faciliore & compendioſiore viâ, aſſequendi intenti, per expoſitos ad tractandum, in re verò, ad cointelligendum ſecum, Deputatos, ut in perſonis eorum, inverſos ſtatûs ordine, informi acephalæ vel diſmembratæ Reipub: monſtro efformato, ſine nobis, aliisq; ſtatibus, ex integro ad negotia publica pertinentibus uno ictu totam poſſet Rempubl: jugulare, quodq; Avus ejus violento conatu, & præcoci fato efficere non potuit, id occultis machinationibus & conſpirationibus, modernus Invaſor, tentare cœpit, in hoc exquiſitis artibus intentus, ut primo fundamento libertatis Polonæ, de libera electione everſo, & per vim throno nobis, ad quem legitimè, unanimi totius Reipubl: conſenſu, evecti ſumus, erepto, vel ſe ipſum hæreditarium Dñum, abſolutè Regnantem declararet, vel ſimilem ſibi Invaſorem, pari emolumento, inthronizaret, poſtea verò pro ſuo placito, de Dominiis & ditionibus Reipub: diſponeret, hocq; fine omnia fomenta diffidentiarum, oppreſſionum, invaſionum, captivationum, violentarum coactionum, ſtatus nobilitatis, tum ex propria malevolentia, tum ex ſuggeſtione ſuorum Adhærentiū, continuare non deſiſtit, ut ſonant originales literæ, quas nunc ad manus habitas, ſuo tempore & loco coram tota Repub: producere, non omittemus. Ideo, ubi in pleniorem omnium actionum, artium, & malignorum intentorum Regis Sueciæ agnitionem, propriâ tum noſtrorum, tū totius Reip. infortuniorum venimus experientiâ, juſtum & neceſſariū, noſtræq; Mti conſentaneum judicamus, ut collata re cum Senatoribus & Deputatis, ad noſtrum latus pro tempore exiſtentibus, fidelitates Veſtras de omnibus præteriti ſtatûs & præſentibus Reipubl: circumſtantiis perfectiùs informemus, quidve ſequendum aut fugiendum ſit, o-

omni

mni genuinæ veritatis manifeſtatione deferamus, & præcaveamus. Ma- *A.C.*1703
nifeſtamus itaq; nos hiſce Univerſalibus coram ſuprema Majeſtate cœli terræq; Domini, per quem Reges regnant, & jura Regnorum ſubſiſtunt, quòd, ſicut nihil magis quàm ineundam cum Rege Sueciæ pacem deſideramus, ſemperq; convenientem Tractatum, ſine ullo Mtis noſtræ, & Reipub: præjudicio, ſequentes preſſè præſcriptum præteritorum Comitiorum Ordinem, circa gradus, perſonas Commiſſariorum, & alias ſolennitates, in novella lege expreſſas acceptare volumus, ad mentem & beneplacitum deſignati à tota Repub: ex præteritis Comitiis, ad latus noſtrum Conſilij, ita, omnia tam contra antiquas, quàm contra novellas leges attentata, vel qualeſcunq; innovationes, corruptelam, & everſionem ſtatûs redolentes, novamq; Reipub: formam, & (quod abſit) nocivam ſciſſionem inducentes, quocunq; colore, prætextu, aut titulo, convocationes & privatorum conventicula quæſita; vel quærenda, occurrendo ulterioribus turbinibus & infallibili interitui Reipubl, nolenteſq; in eodem ſtatu, in quo ab Anteceſſoribus accepimus illam, Succeſſoribus noſtris, juribus, libertatibus, & conſuetudinibus, integram & inviolatam relinquere, omnes hos, ſimileſq; ſive ſecutos, ſive ſecuturos, ſicut in virtute publicæ legis ſunt annihilati, & caſſati, ita pro interdictis, invalidis, nullis & irritis habendos volumus, præſertim in virtute conſtitutionum Comitiorum præteritorum, quas conſervare & executioni mandare omni conatu allaboramus, jamq; eo fine vigore ſcripti ad Archivum, lege publica approbati, manu Cardinalis Primatis, & Mareſchalci conclavis Legatorum in præteritis Comitiis ſubſcripti, legationes ad externos Monarchas pro implorandis ſubſidiis, obſervatis gradibus, per Cancellarias Regni & M. D. L, accelerando, quàm maturiſſimam præparationem & tempeſtivam virium auctionem ad humiliandum & deprimendum hoſtem, pro ſalute & utilitate communis boni ritè & legitimè expedire non intermiſimus, præveniendo doloſos conatus eorum, qui unam à nobis potentiam externam avellerunt, alteramq;, à qua præſentiſſimum in rem boni publici ſperamus ſubſidium, avellere nituntur: verùm etiam animitus optamus, ut omnes Regis Sueciæ intentiones, molimina, actiones, depopulationes Provinciarum, direptiones, ruinas, tot fortalitiorum urbiumq; incinerationes, Eccleſiarum vaſtationes, Theſaurorum ſpolia, ablationes artileriæ, omniaq; in Sueciam tranſmiſſa, & alias violentias, invaſiones, extremam jurium & libertatum convulſionem, ſimulq; inceſſantia ejuſdem Regis Sueciæ molimina, factiones, & ab aliis extorſiones, ab aliis ereptiones pecuniarum, aliaq; juratæ hoſtilitatis facinora, ſine mora, providâ cenſurâ, & maturâ penſantes conſideratione, unicum ſalvandarum rerum medium, ſcilicet, indilatam ſancitorum, in præteritis comitiis executionem, ad contentandum alliciendumq; militem arripere velitis, & voce promulgati prius claſſici, ad generalem armorum unionem excitari, ſupprimendo & annihilando omnes inter vos diffidentias, diſcordias, contradictiones, privatas publicaſve oppoſitiones, & reclamationes, authoritatem præſertim Comitiorum infringentes, ultima auxilia ſubſidiaq; Patriæ eripientes, & præſertim tumorem & pervicaciam hoſti cōciliantes, qui unicè quærit, ut artibus ſuis noſtram perſonam totamque Remp. uno poſſit operire ſepulchro, ſuperboſq; in eo triumphorum Coloſſos erigere. Hinc dum ſola non niſi ſpes relicta in armis, unicūq; libertatis remedium ſit, vi jugum excutere; obligamus, noſtrâq; Regiâ authoritate monemus, quatenus ferro, noto quondam & terribili ho-

*A C.*1703 ſtibus, quod inclyti Majores ideo appenſum gerebant lateri, ut ſanctam Fidem Catholicam, Regiam Dignitatem, Patria jura, libertatesque in integro conſervarent, obſtinatam Regis Sueciæ ferociam coercere, & & ſupprimere velitis, hac noſtrâ certi aſſecuratione, quòd nos non ſolùm perſonâ, capite, viribus, opibus, omniq; conatu; verùm etiam vitâ, & extremâ guttâ ſangvinis, integritatem Reipubl: Dignitatisq; noſtræ, defendere & tueri ſtatuerimus, & ſicut ſingulari propenſione, & affectu erga Polonam Gentem propter conſervationem jurium ejus & libertatum, quæcunq; in proximè præteritis Comitiis Lublinenſibus à nobis unanimi voto affectabant ſtatus Reipubl: promptè implevimus, eaq; ſacroſanctè conſervare volumus: ita in ſequentibus, DEo dante, exorbitantiarum Comitiis; quæ, collato conſilio cum Senatoribus & Miniſtris ſtatûs, ſine mora convocari optamus, quidquid antiquis juribus, & integritati Dignitatis noſtræ non repugnare judicabitur, conformantes nos communi omnium Ordinum ſenſui, adimplere parati ſumus, ſimulq; contra omnes eos, qui apertè vel occultè Regi Sueciæ, ejusque Exercitibus per contemptum legum & abuſum ſui ſtatûs aſſiſtere quocunq; titulo vel prætextu auſi ſunt, nec hactenus à male ceptis deſiſtunt, vigori & rigori communis juris conformantes nos menti totius Reipublicæ, inſiſtere declaramus.

LITERÆ UNIVERSALES AD TOLLENDAM CONFOEDERATIONEM MAJORIS POLONIÆ Varſaviæ die Sept.

AUGUSTUS II. &c. Poſt Titul.

UNiverſali Poloni & externi orbis judicio perſuaſi eramus, quòd feliciter finitorum ad vota populi Comitiorum Authoritas ſacroſanctè & immobiliter à Majoribus noſtris conſervata, in cujus manutentione integritas jurium, vigor omnis regiminis, poteſtas efficacis defenſionis, & ſalus publica ædificari ſolet, indiviſibilem unionem, & invictas vires ſtabilire debuiſſet, per inventa efficacis ſubſidii media, auctos & aſſecuratos exercitus, laudatas in exſolvendam mercedem contributiones, extincta diffidentiarum ſemina, quando, quidquid ad manutentionem libertatum & jurium, quidquid ad auctionem eorundem pertinebat, per ſeperatum, diploma noſtrum Statibus Reipub. aſſecuravimus & totum illud inviolabiliter manutenere voluimus. Et ecce inventi ſunt tales, qui privatis inducti paſſionibus fumos aliquos ſiniſtrarum interpretationum ante oculos hominum innocentium ponendo, claritatem juris publici & Statutorum Comitialium obſcurare, & ignem diſſidiorum inter Status diſſipatum de novo accendere cupiunt. Et quod vel maximè dolendum, ſpecioſum nomen vindicandæ libertatis præſeferendo, ut eò ad metam deſtinatam propoſita ſua perducere poſſint. Comitia ſolitum à ſæculis in ſimilibus Reipub, paroxiſmis expertum antidotum in virulentum venenum tranſmutant, uſurpando ſibi novo exemplo, & maximè nocivo abjectâ ſuperioritate authoritatis noſtræ Regiæ particulares legibus vetitas pacem communem ex fundamento evertentes congreſſus, & tales actus, qui publicum ſcan-

dalum

dalum compactatorum Statûs ſolutionem, & omnis boni Ordinis A.C. 1703
everſionem cauſare ſolent, & quantumvis prima illorum principia in meliorem partem interpretati ſumus, & ulterius propter conſervationem pacis internæ in eadem opinione manere parati ſumus, cùm tamen effectus patientiæ noſtræ doloris ſint pleni, quos in ultimo reſponſo Aulæ Sueticæ legimus, quòd oblatæ à Commiſſarijs cum notabili authoritatis noſtræ & Reipub. demiſſione, ſatis fructuoſæ & utiles pro parte ſua à Rege Seciæ conditiones poſtpoſitæ, faſtuoſéque tractatus reiectus, nullamque ad pacem reliquit ſpē, monſtrando palàm fatale omnium malorum fomentum diſcordiam civium, ſeparata conſilia & diviſa veſtra, nonnullorumque repetitos congreſſus. Proinde obviando his, & ulterioribus in ruinam Patriæ paratis impetibus, ab hoſtibus verò in favorem proprium ſcandaloſè acceptis, volendo inſimul manutenere authoritatem Comitialem in ſuo vigore, & ut his ſubtilibus practicis per longanimitatē noſtram ad majores auſus contra nos & Rempub. ulteriora inconvenientia tentandi & moliendi occaſionem non demus, Comitiola Relationis hactenus ad effectum non deducta per univerſales literas noſtras vobis indicimus, optando, & per amorem Patriæ obligando, ut exemplo antiquorum Polonorum, qui non in ſermonibus aut verbis vanis, ſed in negotiis & actionibus fortitudinis & unionis fundamentum conſiliorum ſuorum ponebant, pro defenſione authoritatis noſtræ, & ſecuritatis miſeræ hujus Patriæ juſta & ſalutaria contra tam fortem inimicum more antiquo Polono acceptis reſolutionibus ad communem Statuum Reipub. concordiam conformando ſe, & ſtatuta Comitiorum ad executionem deducere non intermittatis. Relictis à parte omnibus privatis conſiliis, congreſſibus, conſcriptionibus, quæ & antiquis legibus & recenter reaſſumptis, titulo de Guerris inhibentur, interpoſito pœnarum rigore ipſo facto incurrendo, & irremiſſibiliter extendendo, & ad Domos veſtras redeatis, curando tranquillitatem publicam, quam omnibus Gubernatoribus etiam adhibito forti brachio manutenere jubemus ſecundùm leges, & conſtitutiones Comitiorum. Quod ut notum ſit. &c. &c.

LITERÆ REGIÆ AD SENATORES ET DEPUTATOS ad latus ſuum eâdem die expeditæ.

Sperabamus infallibiliter, quòd Comitia præterita feliciter concluſa, poſt fundatam tot vinculis & reſtabilitam inter Status confidentia, exoptatam ab extra, & ad intra, adferre debuiſſent tranquillitatem: Ita in eodem fundamento vocatis Varſaviam Commiſſariis ad Tractatus, deſtinatis obligavimus, ut etiam non ſine diminutione noſtræ authoritatis Regiæ & Reipub. propoſitiones, ultimos altiſſimæ ſecuritatis gradus includentes ad aulam Sueticam mitterent, ut ultimam deſtinatorum ejus reſolutionem explorare poſſent.

A.C.1703 *Et ecce loco exoptati reſponſi, & expectatæ inclinationis ad Tractatus contrarium reſcriptum ad normam ſolitæ Cancellariæ illius ſtyli, quæſitis & improprijs argutiis impletum, omnem ſpem pacis excludens recipimus, cujus totum tenorem aperta invidia, & ſingularem cauſam in motus domeſticos, & prohibita conventicula authoritatē Comitiorum, & ſuperioritatis noſtræ evertentia rejiciunt, & illa pro obtentu continuandæ hoſtilitatis allegant, quando magis privata ſtudia eorum, qui cointelligentias habendo cum hoſtilibus machinationibus jura & hoſtilitates antiquas aggrediuntur, & juratā abrumpendo fidem, obſtinatas intentiones ſuas per extremam ruinā Patriæ erigere intendunt potiùs, quàm authoritati totius, & indiviſibilis Reipub. providere. Proinde in tam ſubito publici periculi caſu inſiſtendo novellæ legi, cum Conſiliariis & Deputatis ab Equeſtri Ordine conferre volumus, & te pro die 16 Menſis Novemb. in anno præſenti ad latus noſtrum, ubicunq; tum conſtituti fuerimus, pro conſilio & auxilio invitamus, ut his & ulterioribus inconvenientijs maturè obviando, ita ex conſilio & ſenſu tuo procedere poſſimus, ſicuti authoritas legis communis, & ultimorum Comitiorum reaſſumpti vigores informabunt. Minimè dubitamus, quòd ſicut ſoles conſtanter in his difficultatibus nobis & Reipublicæ veram teſtari fidelitatem, & nunc ad manutenendam integritatem boni publici laborem hunc indulgebis, certus meritorum tuorum recompenſam, apud exteras verò nationes immortalem nomini tuo vendicabis gloriam &c. &c.*

RESPONSUM STANISLAO GODLEWSKI 5tā Septembris.

ACcepi literas tuas de data 21. Auguſti plenas conſtantis affectûs, plenas dignarum pro bono Reipubl. defenſionum, ſingularem inde habui ſatisfactionem. Ago gratias pro primo, accedoq; ſententiæ tuæ, ſecundo illud tantummodo addo, neceſſe eſſe dura Mortales pati, ſic volente DEo; cauſa malorum omnium hujus infelicitatis noſtræ eſt pœna peccatorum noſtrorum, quæ juſtitiam DEI in nos armant. Diffidentiæ injuſtæ, ſimultates quæſitæ, tanquam in medio pacis oblivio commodorum publicorum, tanquam Patria non noſtra eſſet, inſenſibilitas ſuper infortunia, & oppreſſiones tanquam non ſatis jam nos perſtrinxerint, & quod majus malitiæ genus, plurimorum cauſa malorum, quòd unus contra alium agit, alter alterum perſequitur, & etiam bonam aliorum voluntatem ad bene agendum alii impediunt, quod nimium alienum eſt ab ingenio meo. Comitia tam bene finita, merces tam abundanter laudata, & tamen exercitui cum ſuis Ductoribus non videtur eſſe ſatisfactum, & ſic quod erat, eſſe non deſiſtit, quia odio infelicitatis operoſæ ad otium, ut ſolent, nunc anhelant. Multa accuſant, & pauca agunt, & multi ita ſunt conſtituti, ut amiſſâ Republ: piſcinas ſuas fore ſalvas ſperare videantur. Sed omnia hæc, quæcunque ſcribo, ſcienti dico, qui his plura ſibi dicere poteſt. Non moror proinde, ſed vel è longinquo cordialiter amplector, ſecurumq; te reddo, quòd omnia agam pro bono publico, nam turpe crederem, cedere oneri, luctari cū officio, quod ſemel recepi &c.

Adne-

Adnecto Univerſales literas ad Palatinatus Majoris Poloniæ, ut vi- *A.C.* 1703
deas nihil intermittere Nos, quidquid ad pacificandam Patriam proficuum eſſe credimus, maluimusq; interdum, ut multi nos nimis exactè, quàm pauci nimis negligenter facere exiſtiment. &c.

COPIA UNIVERSALIUM LITERARUM AD PALATINATUS MAJORIS POLONIÆ. 2. Septemb.

POſt *tit.* Poſt finita feliciter Comitia Lublinenſia inter primas ſolicitudinis noſtræ curas, celerem & indilatam ſancitorum executionem omni conatu & applicatione promovere volumus, ut in omnibus Palatinatibus & Diſtrictibus Comitiola relationis votivo Reipublicæ eventu finita, præſidium & ſubſidium integritati boni publici adferant, & eo fine Univerſales literas noſtras pro Comitiolis relationis pro termino in Conſtitutionibus deſignato Palatinatibus Majoris Poloniæ expedire demandavimus; quæ quia propter pericula præſentia alicubi detentæ in tempore ad loco conſueta non devenerunt, & publicari non potuerunt, conſequenter illa Comitiola annullari debuerunt. Proinde ſatisfaciendo neceſſitati publicæ ad mentem novellæ legis in loco conſueto pro die,, Comitiola iterata relationis authoritate noſtrâ Regiâ indicimus, & conſtituimus: obligando omnes, ut eradicatis ex cordibus veſtris diffidentiarum ſeminibus, alienatis omnibus nocivis juribus, & conſuetudinibus, antiquis obſtaculis, ſequendo tritum Anteceſſorum veſtrorum iter, conſtituta Comitiorum in omnibus punctis ad conſervationem univerſi neceſſaria, quàm celerrimè & efficaciſſimè executioni demandetis; & ſimul fortibus conſiliis & viribus conjunctim cum exercitu Reipub: & noſtro auxiliari reſiſtentiam graſſanti inimico dare non intermittatis. Quas Univerſales literas &c.

MEMORIALE Ad SERENISSIMUM & POTENTISSIMUM POLONIARUM REGEM LEGATI CÆSAREI 6. 7bris.

INfra ſcriptus S. R. Mtis legatus in Polonia S. R. Mti Vræ eo, quo par eſt, debito reſpectu, nomine & ex parte S. Cæſareæ Mtis Domini ſui Clementiſſimi exponit. Quod quamvis ab aliquo tempore S. C. Mtas ex diverſis partibus certior reddita fuiſſet Ragoccium, poſtquam per fugam ex carcere Noſtradienſi evaſerat, in Poloniam ſe contuliſſe, in hocq; Regno pro ſe, ſuiſq; adhærentibus receptaculum & protectionem non ſine publico ſcandalo inveniſſe, non potuiſſe tamen eam hactenus talibus Nuntiis fidem adhibere, neq; ſibi imaginari, fore, ut aliqui in hoc ſibi vicino, amico, & confœderato Regno reperirentur, qui nullâ habitâ causâ, & quidem eo tempore, quo ipſa omnem operam & curam impendit, ut priſtina in hoc Regnum reducatur tranquillitas, quieſq;, talibus hominibus de conſpiratione in caput Auguſtiſſimi Imperatoris legitimi ipſorum Dñi, inq; perniciem à DEo ſibi datorum commiſſorumq; Regnorum, & Provinciarum convictis non ſolùm hoſpitium dare, verùm etiam conſilio & auxilio aſſiſtere, in eoq; ſummam ponere ſoli-

Ragoccij in Polonia

A.C. 1703 ſolicitudinem, ut in ſuis Regnis atq; Provinciis novi motus & turbæ ipſorum operâ & induſtriâ excitentur, conſerventurq; proprio, & nefando auſu, inauditoq; apud alias gentes, quæ in mutua amicitia, atq; bona vicinitate vivunt, exemplo, privatâ authoritate præſumerent. Niſi modò certis Sacra Cæſarea Mtas edocta eſſet documentis, dictum Ragoccium', aliquotq; ipſius adhærentes non tantùm longo tempore in Polonia commoratos fuiſſe, & à diverſis incolis omnia hoſpitalitatis beneficia recepiſſe, ſed etiam in Hungariam ad exequendas pernicioſas ſuas, & à quocunq; deteſtandas intentiones diſcedentem, validas auxiliatrices aliquot copias ſecum ex Polonia, Magnoq; Ducatu Lit. eduxiſſe. Neminem latere poteſt, dictum Ragoccium cognitâ cauſâ, obſervatisque juris formalitatibus læſæ Mtis. perduellioniſq; reum à Commiſſariis ad hoc conſtitutis pronuntiatum fuiſſe, & cùm pravâ ſceleratâq; conſcientiâ ductus ex carcere ante latam ſententiam evaſerat, decem millia florenorum Germanicorum illi, qui vivum, ſex autem millia, qui mortuum ad manus juſtitiæ conſignaret, publico diplomate promiſſa fuiſſe. Hæc etenim principalis omnibus Regibus, Regniſq; ac Rebuspublicis cauſa comunis eſt, & eſſe debet, ne talia & tam enormia crimina, quæ in perniciem, interitumq; cujuſcunq; Patriæ tendunt, maneant impunita, multò minùs ut illi, qui talia perpetrârunt in ſinu vicini, amiciq; Regni foveantur, aſſiſtentiaq; ipſis præbeatur. Sacra verò Regia Mtas veſtra, hæcq; inclyta Reſpub. utpote quæ nihil hactenus habuit antiquius, ſanctiusq; quàm pacta & fœdera cum vicinis Principibus ſemel inita ſemper illæſa ſervare, neque permittere, ut illa, à quocunque ſubditorum propriâ & privatâ authoritate violentur, ob fœdera & compactata perpetua, quæ à longo jam tempore Sacram Cæſaream Mtem inter & hanc inclytam Rempub. pro utriuſq; partis bono & cum optimo repetitis exemplis comprobato ſucceſſu intercedunt, & quæ ſemper etiam ſanctè & inviolabiliter à S. Cæſarea Mte obſervata fuêre, quæque graves & ipſo facto incurrendas pœnas contra illos, nullo penitus excepto, qui rebellibus unius aut alterius partis receptaculum dare, protegere, aut quomodocunq; aſſiſtere auderent, decernunt, magis & ſine mora mutuo iſto pactorum & fœderum ligamine tenentur, ut contra illos, qui in hoc Regno, Magnoque Ducatu Lit. nunc recenter ſupradicto Ragoccio ejuſq; adhærentibus in Domibus, Palatiis, fortalitiis, terris propriis, aut juriſdictioni ſubjectis refugium recipere permiſerunt, illoſque ibidem protexerunt, nutriverunt, pecuniâ & conſilio adſtiterunt, & foverunt, ſeriò inquiratur, contraq; eos, qui rei inventi fuerint, ſecundùm compactorum fœderumq; tenorem rigoroſè, & exemplariter animadvertatur, prout etiam illis, qui in Hungariam pro rebellium aſſiſtentia ex Polonia, & M. D. Lit. vel ſeparatim, vel copijs immixti ſe contulerunt, ut quantociùs, & quidem intra præfixum certum temporis ſpatium ad Provincias ſuas redeant, nullumq; ampliùs in futurum neq; in Poloniam, neq; extra Poloniam directè vel indirectè per promotionem, cambium, vel tranſmiſſionem pecuniæ, munitionum, armorum, victualium, aut cujuſcunq; alteriùs rei ad nocendum aptæ auxilium præſtent, ſeverâ fœderumq; & compactorum legibus præſcriptâ comminatione injungatur. Quod, dum nihil æquius ac juſtius non ſolùm, quia reciprocis pactis innititur, verùm pro utriuſq; partis Regnorum, Provinciarumq; mutuâ proſperitate & conſervatione plurimùm ſalutare imò neceſſarium eſt, ita S. Cæſarea Mtas notâ & ubiq; deprædicata æquanimitate pollicetur fore, ut huic indies magis,

gis, quia impunè gliſcenti malo remedia ſine mora adferantur oppor- *A C. 1703*
tuna: offertq; ſe in ſimilibus, aliiſq; compactatis & fœderibus inſertis, tum etiam in omnibus ſe præſentantibus occaſionibus juxta bonæ vicinitatis & amicitiæ jura idem ſine ulla dilatione, debitâ deſuper factâ requiſitione facturum. Ego verò ſummo profundiſſimoq; reſpectu & cultu maneo S. Mtis Vræ, Humillimus & obſequentiſſimus ſervus. Henr. C. de Stratman.

IN VIM RESPONSI EXPEDITÆ SUNT LITERÆ UNIVERſales ad Civitates limitaneas die 9. 7bris.

POſt *titulos*. Quando nihil ſanctius & antiquius Status Reip. ſuper conſervationem fœderum & Pactorum cum vicinis Monarchis eſſe credunt, & unanimi conſenſu immotam in eo nominis Poloni po- *Receptores Ragoccij*
nunt reputationem, nullâ re violentiùs & ſenſibiliùs cor noſtrum paternum poteſt affligi, quàm notitiâ & querela ab Auguſtiſſimo Imperatore per legatum ejus ad latus noſtrum nunc manentẽ nobis delatâ; quòd Princeps Rakocius pro rebelli declaratus, in Regno Hungarico graſſans, quaſi haberet aliquos ex Dominis noſtris Regni & M. D. Lit. faventes, qui obliti ſeveritatis pœnarum in conſtitutionibus Comitiorum contra violatores Pactorum cum externis expreſſæ, non tantùm conſilio adeſſe, ſed & pecuniâ juvare, & copiis auxiliaribus, ut in deſtinatis ſuis & rebellione faciliorem poſſit habere progreſſum, non intermittunt. Per quod omnes tales ipſo facto non tantùm in pœnas legum infamiæ, perduellionis, & confiſcationis bonorum inciderunt, ſed etiam pro hoſtibus Patriæ cenſeri debent. Proinde nos nihil magis nobis, quàm obſervationem & conſervationem in integro bonæ cum Auguſtiſſimo Imperatore amicitiæ & vicinitatis optando; obviando etiam ulteriori ſubditorum noſtrorum tam in Regno, quàm in Magno D. Lit. licentiæ, his univerſalibus literis ſeverè intimamus, ut omnes, quicunq; aliquas copias eidem Principi in ſubſidium miſerunt, illas in tempore à publicatione harum literarum univerſalium ſex ſeptimanarũ omnino revocent, & hi omnes, quicunq; quomodocunq; ſive ſparſim, ſive ſub ſignis aſſiſtunt, in domos ſuas redeant, & impoſterum, ne quiſquam ex iſtis vel aliis omnibus Regni noſtri, vel Ducatûs Lit. incolis audeat ullam Principi huic, & ejus adhærentibus, nec hominibus, nec pecuniâ, nec armaturâ, nec ullis aliis neceſſitatibus bellicis auxilium ferre, nec etiam correſpondentiam ullam cum illo habere ſub pœna de Gverris & aliis rigoribus in conſtitutionibus Regni annorum 1588. 1590. 1607. 1609. 1613. 1618. expreſſis, quarum executionem contra tranſgreſſores & violatores legũ irremiſſibiliter extendi debere declaramus. Eodem tempore Gubernatoribus, Capitaneiſque noſtris, præcipuè limitaneis hos inſolentes homines rapiendi, delendi, extirpandi, ad executionem leges deducendo, omnimodam permiſſionem damus, ſub nexu officiorũ eorundem, & ſub pœnis iiſdem conſtitutionibus determinatis. Has verò univerſales literas, ut eò citiùs publicari poſſint, ad civitates, oppida, & loca conſveta mandare jubemus. &c.

STANI-

A.C. 1703 STANISLAO LESZCZYNSKI PALATINO POSNANIENSI Varſaviâ 7. Septemb.

PLenas teneritudinis literas tuas accepi; Vellem abſtinere à ſcribendo & tantùm cor obſigillatum meum tibi mittere; Plura enim in illo legeres de affectu meo erga te, quàm invenies verborum, quia hæc non invenio, quibus expectationem noſtram deſcribere poſſem, deſideria verò ex alia parte tua queam adimplere; Hoc eſt certũ, quod medium à te conferendi ad invicem datum videtur mihi eſſe efficaciſſimum, quia in uno quadrante plura loqui, quàm in toto papyri libro ſcribere poſſumus. Non recuſarem ego etiam medium itineris conficere, quia ubi agitur de obſequio Patriæ, nullus me antecurret, ſed præſentes conjuncturæ iter meum nullatenus permittunt. Si tu velles, poſſes tanquam in ea ætate conſtitutus venire in Caſunum tuum, tunc & ego non gravarer ibidem comparere, & in medium conferre de modis, ex quibus hic & nunc non video ullum meliorem, quàm illum, quẽ toties tibi inſinuavi, ut ſancita Comitiorum acceptentur, concordia inter omnes fiat. Omnium enim noſtrûm in eo conſiſtit utilitas, ut è malis eluctemur, & junctim de miſera hac cogitemus Patria. Expecto proinde à te notitiam, an venies Caſunum &c.

P. S. Per amorem DEI, extingvamus hunc ignem, cùm eſt exiguus, quia nemini eo nocebimus, niſi nobiſmetipſis.

LXXIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. S. R. CANCELL: ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO ROMÆ 13 Septemb. Varſaviâ.

GAUDIUM mihi à te vir amiciſſime, ſunt enim amoris velut vades, qui nubeculas mœrorum diſpellunt, & dulcia dant curarum ac laborum intervalla, ſed magis mihi gaudium ab affectu, quem purum oſtendis, & ſine fuco; illum jam pridem calentem, magis quàm lucentem. A prima notitia amavi te, & occultiùs ab initio, aſt pòſt apertè, & ſine velo; Repentinas illas amicitias non probo, quæ paleæ aut ſtraminis inſtar leviter accenſæ citiꝰ evaneſcunt, quàm coaleſcant, nectare dulciores, dum novæ, & recentes, poſtea vappa. Qua jactura quid leviùs eſſe poteſt, ſi amicus eſſe deſiit, qui nunquam fuit? ſolidus amor à virtute profectus, tam finem neſcit, quàm ipſa virtus. Cui poteſt eſſe vita vitalis, qui non in amici mutua benevolentia acquieſcit. Quid dulciùs quàm habere, quî cum omnia audeas ſic loqui ut tecum. Quis eſſet tantus fructus proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æquè, ac tu gauderet. Adverſas verò ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas graviùs, quàm tu, ferret.

15tâ elapſi menſis venit mandatum Regium, ut ſummo manè ducerem mecum Principem Wiſzniowieccium ſolum, ſine ulla caterva, quam ſecum trahere ſolet, Odſochium, quo etiam venit itidem ſolus D. Caſtellanus Cracovienſis, fuit privatum conſilium bellicum circa quid agendum? combinare voluit Rex DD. Generales & ad fortia agenda excitare. Juvi & ego ut potui, affectus enim ſincerus in Patriam urſit, & eo ardore, quo ſoleo, non cunctarer dicere, quæ ſentio. Noſti genium Caſtellani, unde concludes quantam difficultatem habuerimus in perſuadendo eo, quod è re Reipub. eſt, cùm præſertim Cardinalis Primatis

matis diverſis gnomis imbutus videatur. Concluſum in hoc conſilio, *A.C.* 1703
ut Dñus Caſtellanus ex hac parte Viſtulæ ubi Thorunium eſt, Princeps verò Wiſniowieccius cum Exercitu Litvaniæ in aliam tranſeat, & uterq; verſùs Thorunium conſilia ſemper & progreſſus ſuos communicando progrediantur. Vidimus autem nihil magis nunc Regem cogitare, quàm ut peditatus ejus Thorunio ſecurè exire poſſit. Poſt concluſum conſilium dixit mihi Rex delatum ſibi à Cardinale, quòd ego correſpondentiam habeam cum Dño Piper, aſt hoc à veritate alieniſſimum eſt, & non niſi unam epiſtolam ipſi ſcripſi, idq; cum ſcitu ipſiuſmet Regis, dum Lublinum ad Comitia irem; item quòd eidē inſinuaverim regere me abſolutè & quòd ſine me Rex nihil faciat, è converſo faciat, quæcunq; demùm mihi placuerint; hoc quoq; ab omni veritate abludit, neq; enim id prætendo, neq; prætendam unquam. Nihil facio quòd me pudeat feciſſe, & iniquè redarguor in multis, undè laudari mereor. Mens enim mea quam ſemel in Regem & Patriam implevit charitas, ſui juris eſſe non ſinitur, metuit quòd neſcit, dolet quandoq; quòd non oportet, ſollicitatur plùs quàm noluerit, & undè noluerit, compatitur nolens, miſeretur in vita. Cùm ergo nullius mali mihi unquam conſcius ſim, nihil commiſerim cui peccatum ſubeſſet in Regem, & Patriam, vel nunc etiam, cujus me mea accuſet conſcientia, ut ergo me juſtificarem, & adverſariorum iniquas calumnias oſtenderem, petii à ſua Mte, ut mihi permitteret expoſtulare cum Cardinale, ut quòd aſſeruit, probet, cùm valdè mirer, & plurimum doleam, quomodo pro certò affirmare id potuerit, de quo certum eſt, quòd certus minimè ſit, nemini enim de me magis credo, quàm mihi. Et dum permiſſionem à bonitate Regis habuerim, in craſtino ſtatim, ne quis ſilentium meum, & modeſtiam in conſcientiam deduceret, fui apud D. Nuntium Pignatelli, quamvis mihi parum amicum, non meâ certè culpâ, ſed aliquâ ſiniſtrâ relatione, & petii ut tanquam Miniſter Pontificius vellet loqui cum Cardinale Primate, & rogaret ipſum, ut quod contra me injuſtè dixit, verè ſi poteſt probaret. Jam pridem ego vexor, ſcindor, laceror & creſcit indies malum, & ingraveſcit; ne ergo dilatio & mora ſit harum probationum, petij inſtanter, inſtantiùs inſtantiſſimè non dubitans de Miniſtro capitis noſtri, quin vicem meā ita animo apprehendat, ut etiam plura hoc in paſſu curet, quàm ego nunc poſſim deſiderare, cum credam firmiter, rectiùs hæc eundem cognita habere, quo zelo ſerviam Regi, & cujus rei ſim capax. Accidere poſſe ex his principiis quædam, quibus ut D. Nuntius provideat, neceſſitas exigit. DEum teſtem citavi, Poloniamq; univerſam non tantùm me non quærere, ſed etiam diligentiſſimè evitare, omnes quaſcunq; occaſiones offendendi Primatis, ſed tamen minimè ejus auctoritatem timere, primus eſt in Senatu, ſed par in ſententia dicenda. Faciat ergo Dñus Nuntius, quod videbit ex uſu fore, & conſilium capiat, quod credet propoſitis magis conjunctum, quia diu in eodem loco res non poſſunt, ut jam ſeſe habent, commorari. Expectabam aliquot diebus, & reſponſum non habui ex impatientia, fultâ ratione iterùm adij Dñum Nuntium, qui, reſpondit mihi, Cardinalem id ab alijs audiviſſe, nec velle mihi probare, eò quòd non poſſit, evidenter verò putet deteriora illum ſemper velle, quæ, quia ego viriliter impedio, vellet me ſi tantùm virium eſt, quantùm voluntatis, præcipitare, & ſic juſtus fert crimen iniqui. Quod ut Sereniſſimo Regi referret Dñus Nuntius enixè petij, ſufficit enim mihi quòd in probationibus defecerit, & quòd dixerit, non

quæ

A.C. 1703 quæ ego mereor, ſed quæ ille dicere ſolet.

18 Fuit apud me iterum Dñus Caſtellanus proteſtando contra Exercitum Litvanum, quòd ex hac parte progredi velit Viſtulæ, quamvis eo concluſo contentus nuper fuerit & cum ego de communi malo collocutus, remedia communicavi, interim tamen, ut ille oſtendat mihi quid poſſum, quid velit, & lenire volui quæ exterrent, compeſcere quæ irritant, diſcutere quæ fallunt, perſuadebam, ut daret operam, ne quid unquam invitus faciat, quod neceſſe facturus eſt, & dimittere volui illum plenum fiduciæ, promittens, me evicturum apud S. Majeſtatem, quòd etiamſi ſit contra conſtitutum nuperi conſilii permittet, ut etiam Exercitus Polonus hac ex parte eat, ſed ille (neſciens ſanè quid velit) nolle ſe ſimul cum Litvanis ire, cum enim eorum Exercitus ſit abſq; omni diſciplina, nolle ſe pro eo reſpondere tot injuriatis. Quædã eum magis torquent, quàm debeant, quædam ante torquent, quàm debeant, quædam torquent, cum omninò non debeant.

Futurum enim primum deſpicere deberet, quod non facit, an certa ſint argumenta venturi mali, plerumq; enim ſuſpicionibus laboramus, & illæ illudunt nobis. Quàm multa non expectata veniunt, quàm multa expectata nunquam comparent! Senſus noſtri nimius amor timoribus nos inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumeliis objicit.

Tandem 19nâ ſcripſit fortiſſimè D. Caſtellanus Cracovienſis, quòd ſatius eſſet, ut oſtenderet Rex Seren: ſimpliciter ſe contemnere, quàm perpetuâ ſimulatione torquere, petiit ne Litvani tranſirent pontem, ſed illâ parte Viſtulæ irent, continua & ex intervallis rediens mutatio, & ſemper præſentibus infeſta levitas, ſed hoc nunquam fiet, etiam ſi ſemper optetur, reſponſum datum negativum, ego voluiſſem civiliùs quia diffidentia hæc multa poteſt cauſare mala, & ea ad augmentum depreſſæ publicæ ſervient certò fortunæ.

23. Tranſtulit reſidentiam ſuam Rex in Uiazdow; Captus eſt in taberna bibens Canonicus Vnieiovienſis Jaſinski vocatus, mali corvi malum ovum, qui cum literis à Cardinale ad Generalem Reinſchild tũ ibat, interceptæq; literæ, quas conſuerat in pileo. Tunc recentia magis clareſcunt, cum fuerint malis comparata prioribus, nollem hæc dicere, ſed neſcio quid proſit, ſi quod mundus clamat, ego tacuero. Me ipſo meliùs cognitum hoc habes, atq; perſpectum, recordor enim ſemel de hoc nos invicem contuliſſe, quomodo certus Jaſinski (& eſt Pater hujus de quo hiſtoria) arbor mala non poteſt bonos facere fructus, cujus eſt memoria in conſtitutione ea, in qua perduellionis, & læſæ Majeſtatis reus, Hieronymus Radzieiowski parens noſtri Primatis condemnatus, ab hoc miſſus erat ille ad Coſacos ſub JOANNE CASIMIRO, ut eos contra Regem, & Rempubl: adduceret, qui interceptus, à ſtrenuo & bellicoſo viro Wyżycki Patre hodierni Domini Epiſcopi Chełmenſis faſſus eſt, & non negavit omnia ea, quorum fine ad Coſacos ibat. Hujus ergo boni Patris non melior filius has literas portavit, in quibus præmonebatur Dñus Generalis Reinſchildt, appropinquare exercitus noſtros in illam, ubi caſtra ſua erant partem, ut eſſet cautus paratusq; ſive ad aggrediendum, ſive ad ſe defendendum. Nolim laborẽ ſubire, ut tam clarum crimen deſcribam manifeſtè, quod evidenter ſpectari poteſt. In ſummo ergo diſcrimine, ac perarduo, quale unquam evenire potuit, Primas noſter verſatur, non opus eſt teſtibus, propria manus convincit.

24. Fuit Cardinalis Primas apud Regem, & præſumens animo poſ-

fe

ſe aliquid inveniri, quo ſe excuſare valeret, & deſtinata Regis prohibere. Quidam nunquam magis, quàm cùm erubuerint timendi ſunt, quaſi omnem verecundiam effuderint, volebat in recenti ſtatim publicè ſe (non tantùm præſentis, ſed vigilantis eſt occaſionem obſervare properantem, vel fruſtratrices moras proponentem) excuſare, ſed privatim tantùm admiſſus, & eadem, ſed non eodem modo fecit, meliùs probat honeſta, quàm ſequitur; ad confeſſionem nempe dum adducebatur aliud reſpondebat, aliud putabat. *A.C.*1703

Dixit nobis pòſt Rex oſtendiſſe eum literas à D. Reinſchildt, cui has, quæ interceptæ, reſponſorias eſſe declaravit, ſed illæ primæ ſunt frigidæ, nec tantam in reſponſo requirebam confidentiam, non eſt hujus animus in recto, cujus acta diſcordant, cùm præſertim hæc, quæ dicebat, non poſſunt ita bene exprimi, quàm videri. Deinde nullam excuſationem id admittit, quod hoſti conſilia contra Regem, & contra Patriam inſinuet.

Interim Rex, qui multa, & quàm ſæpe in caput ſuum caſura tentat, pro malis bona rependit, quaſi injuriam oblivíſci deberet, officijq; meminiſſe, petiit à nobis, ut in hac materia parùm, aut nihil loquemur, & dolorem non oſtenderemus, ſed comprimeremus, ſopire hæc in occulto prætendens, ſed patet omnibus veritas, & magiſtra omnium rerum ratio, nondum eſt occupata multum, ex illa etiam futuris relictum eſt, quod factum eſt infectum fieri nequit, quod auditum eſt, celatum eſſe non poterit, cùm præſertim levis eſt malitia, ſæpè mutatur non in meliùs, ſed in aliud. Sed Rex hæc non conſiderat aliis intentus, & hunc ſuum publicum dolorem æquo animo tulit. Evenit enim in his morbis, quibus afficiuntur animi, quò quis pejùs ſe habet, minus ſentit, hoc ſemper erit pòſt, quod ante fuit. Inter nos dicimus tam imbecillem eſſe qui nocet, quàm cui nocetur, & quòd deliberare res neſcimus, de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt, cum ſimilia fiant, aut metu pejoris, aut ſpe bonorum, conſilium enim futuri ex præterito venire debet.

Apparuit & in eo, quod dicam obliquus in Regem Cardinalis affectus, permiſimus, & facultatem dedimus poſtulatam DD. Ablegatis mediatorum, ut puncta hæc, quæ inter nos ſunt conſcripta communicarent, tanquam ex ſe Cardinali Primati, quod dum fecerunt, placuerunt illi, & acquieſcere ſe in his ſimulabat, tamen morem priſtinum inivit, cum addi voluit (nota animum) ut ſi Rex hæc non ſervaverit, quæ in ſcripto promittuntur, ut Reſpubl: ab ejus ſit obedientia libera, cum quo puncto nocte fuit apud me D. Rubiſſon. Hæ prætexebantur cauſæ ad continuandam potentiam, adhibendum ſemper prætextum contra Regem. Ab homine homini quotidianum periculum, una hæc illi cura, in alia negligenti; Facilis quippe in proclivia decurſus eſt.

25 Interum Cardinalis audacior jam tentat, movetq; magiſtra præſumptio ex declaratione Regis facta, quia acrior illi lucta adverſùs fortunam blandientem, quàm tonantem, petiit ut Senatûs-conſilium convocaretur, ut in illo literæ interceptæ legerentur, ut ibi ſe purgare poſſet, ſed hoc non eſt viſum.

26. Dum Cardinalis in Palatio comparuit, Nos Miniſtri Statûs conſultò abivimus, ſine quibus conſilium eſſe non poteſt, quod valdè illi diſplicuit, fuimus immediatè apud D. Nuntium, qui mirabatur tam malam Cardinalis (formalia ejus verba) conſcientiam, cum illi omnia, tanquam in ſpeculo oſtenderemus. Quanto non naſci (addidit) meliùs fuit,

A.C 1703 fuit, quàm numerari inter publico malo natos.

Theodorus Potocki. 29 Epiſcopus Culmenſis dixit mihi incuſari me à Cardinale, quòd ſcilicet ſcripſerim Romam, quòd de genu deprecatus fuerit Regem Lublini, & mille alia, quæ nec in cogitatione quidem habui. Primo ſcribere non ſoleo niſi vera, Lublino vix cuiquam ſcripſi, cùm tempus ſcribendi abſolutè defuerit aliis occupato. Ego his minimè movebar vitā beatam efficiunt, tranquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ. Recordor bene moniti, ſi videris inimicum in manus tuas incidiſſe, noli putare tempus eſſe vindictæ, ſed ſalutis, & tum maximè parcendnm eſt inimicis, cùm in noſtra fuerint poteſtate. Injuria propoſitum hoc habet, aliquem malo afficere, ego nihil minùs cogito, ſunt alij, qui ſcribunt, & quorum major pars conſtat vitio interpretantis, & augentur ſemper in majus rumores, ego verò nunquam, aut alienis infortuniis intentus ſum, aut meis anxius, & in hoc ſtudio ſine offendiculo conſcientiam habeo ad DEUM, & ad homines ſemper.

31. Venit notitia à Colonello Nowoſielski Litvano percuſſos Suecos quingentos in acie ſtratos, Saxones autem debilitate equorum ſe excuſaſſet (tanquam niſi ad fugam ſint fortes & expediti) quod adeſſe huic occaſioni non potuerunt.

11. Currentis Procancellarius Litvaniæ, & Theſaurarius Przependowski evicerunt à Rege, ut copias literarum harum interceptarum ſubſcriberent Senatores, tanquam cum originali concordantes, & ut originalia redderentur Cardinali, ſed ego de hac re dixi, & ſenſi absque præjudicio, vel aliorum ſententiæ, ſi quid meliùs ſapiunt, vel cujuslibet ſapientis, ſi hoc modò Rex vult, aut fortè ita expedire videt, ut reddat originalia, ut ſaltem in copia ſit nomen Cardinalis aſſerentis concordare cum originali, nihil enim prodeſt nos ut ſubſcribamus, ſi originalia reddentur, quod & factum eſt.

Scripſi expeditionem pro legatione ad Regem Pruſſiæ ex concluſo Senatûs, Legatus autem declaratus eſt Dñus Szczuka Procancellarius Litvaniæ.

COPIA LITERARũ CARDINALIS PRIMAT. ad REINSCHILD.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Dñe. Nihil magis mihi volupe fuit, nihil ſolatio magis, quàm redditæ mihi nuper ab Illma Excellentia Vra literæ, quæ & de ſtatu proſperæ valetudinis & de continuato in diſtans erga me affectu, Illmæ Excellentiæ Vræ me informant, firmant, & roborant. Si cordis & affectus mei ſenſus leviori chartæ confidere valerem diſtincta hæc in me legeret: hoc unicum queror, quòd nulla mihi hucuſq; detur occcaſio realitate teſtandi, quòd animo optarem, nec opportunitas colloquii in his, in quibus Excellētiam Vram inſtructam vellem. Supplebit in aliquibus præſentium lator, dum ego in diſtincto affectu, & veneratione maneo, Illmæ Excellentiſſimæ Dñatiois Vræ, affectiſſimus ex corde ſervitor. Varſaviæ die 21. Anno 1703. M. Cardinalis Radziejowski Primas.

COPIA INSTRUCTIONIS DATÆ LEGATIS AD BELLI DUCES REGNI POLONIÆ, die 17. Septembris.

NON orbi ſolùm Polono, verùm exteris quoq; eſt in propatulo nationibus, quidnam cum noſtra agatur Repub. quæ in ultimo verſatur diſcrimine. Nemo enim eſt, qui eam bellis oppreſſam pernici-

nicioſis concuſſam, proſtratam, & everſam machinationibus, non ſuſpiciat, eique non compatiatur. Unicè, libertates ejus ſuſtentant, cum inclytis Heroibus, Belli-Duces, pro quo nomine confœderatorum Palatinatuum, Nuntij noſtri referent grates, id eis denuntiantes, quòd ad exigentiam confœderationis noſtræ, ſolam non niſi Reip. pacificationem intendentis, cuncta eò dirigimus ſtudia, ut tranquillitatem Principi, Patriæ integritatem, jurium, & libertatum provideamus: Ideo cùm nulla ſalus bello, nec ſalubriora pacis tractatu, reſtituendæ publicæ felicitatis dentur media, ad quem novo diplomate Rex Sueciæ, ſe eſſe propenſum declarat; etiam nos pleno corde & affectu ad heroicam Ducum & Exercitûs recurrimus ſocietatem, ut ſimul omnes, nimiùm motos componere fluctus, valeamus; metuentes ut plurimùm, ne bellis exhauſti, aut ſolvendo heroæ virtuti ſtipendio ſimus impares, aut extremis ipſi ruinis opprimamur. Petent ergo nuntij nomine & voto confœderatorum Palatinatuum Belli-duces, eorumq; Exercitus, quatenus ad conciliandam Reipub. tranquillitatem pari nobiſcum concurrant applicatione, qui opus pacificationis aggredi nolum⁹, niſi prius fundata cum militari Ordine confidentia; ut, ſi quæ fatorum iniquitas, quæpiam executioni obligationis noſtræ poſuerit obſtacula, eò confidentius ad eos poſſimus recurrere, à quibus ut Reſpub. habet præſidium, ſic & nos ad reſtituendam ejus libertatem, habeamus ſubſidium. Pro quo ut Ducibus, ſic Exercitui debitam appromittimus ſatisfactionem. Cætera dexteritati & activitati Nuntiorum committimus. *A.C.* 1703

RESPONSUM Ad PRÆCEDENTEM INSTRUCTIONEM. Datum à Ducibus, die 2. Octobris.

MInimè ignorant belli-Duces, indiviſæ Reipub. cives, nec perire, nec ſalvos fieri, niſi ſimul poſſe; ſic enim cujusvis, in æqualitate degentis, fert naſcendi fortuna, ut bona, malaq; ejus ad Rēpub. pertineant: Ideo fiducialem Confœderatorum Palatinatuum ad cōmune Reipub. ſubſidium compellationē, inter fauſta boni publici auguria, & efficaciſſima erigendarum libertatum recenſent media. Licet verò inter incerta famæ numeranda ſunt, quæ hactenus ſiniſtræ interpretationes de natura & fundamentis hujus ſpargebant Confœderationis, non ſine ſcrupulo tamen ea audiebatur diſſonantia, quæ communi paci, & firmatæ Comitiis unioni, videtur contravenire. Si enim idem objectum intentionum confœderatorum fratrum, ſcilicet Regis manu tenere dignitatem, Patriam reſtituere libertatē, ad Regni concurrere tranquillitatem; ad quid rebus iiſdem diverſa nomina? ſingularis Reipub. facies eſt, unanimiter concluſorum Comitiorum authoritas, qua vocatâ in dubium, nihil in Regno ſtabile; ſublatâ verò ruit forma Reipubl, Nimiam libertatem ſentiendi trahit Rex Sueciæ in ſuarum favorem intentionum, diſcordias noſtras ſtatuens pro lapide offenſionis, ad Tractatum; & tamen conformius juſtitiæ videretur, omnium ferè Palatinatuum ſenſui, & Comitiorum authoritati noſtra conformare judicia, cùm, ubi ſunt plures, ibi omnes. Quia verò confœderati Palatinatus Majoris Poloniæ concludendi Tractatûs ſpem faciunt, id optandum magis eſt, quàm ſperandum; gratulabuntur tamen belli-Duces, ſi populorum vota, ſub horum Palatinatuum auſpiciis deſideratum obtinuerint portum; tam glorioſo operi non animo ſolùm, ſed viribus etiam & authoritate aſſiſtere parati; dummodo ſine præjudicio fiat juratæ fidelitatis, & læ-

*A.C.*1703 ſione ſancitorum in Comitiis, à quorum ſtabilitate, non authoritas modò Reipub. verùm etiã prætenſionis Exercitûs pendet ſatisfactio, quam quia illi confœderati promittunt Palatinatus, ad fortiores pro Patriæ defenſione heroa accendunt pectora.

LXXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. REGNI CANCELLARIUS HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO CRACOVIENSI SUPREMO EXERCITUUM DUCI

Varſaviâ 28 Septemb.

GAviſus ſum ex corde dum reſponſum tuum ad confidentiores meas recepi, & ſpem firmam habeo, quòd non erit neceſſe currenti calcar, ardenti addere flammam, quandoquidem imbutus & edoctus ad fortia à juventute animus, idem vigor in hiſce conjuncturis, idem amor in Patriam, cujus jam toties evidentia dediſti documenta, in tuis clarè patet literis; & hoc eſt unicum ſolamen meum in afflictione animi, quæ undiq; augetur, quando etiam nunc videmus omnem ſpem pacis abruptam ex parte Suetica. Non vanus ex alia incutitur metus, ſi puncta hæc, quamvis ea abnegat Baro Overbeck Brandeburgicus Ablegatus, ſunt vera, quæ tibi adjungo; quanquam pro particulari mea opinione, & ego plenam illis adhibere nequeo fidem.

Dum hæc ſcribo, accipio alteras tuas de data 26 Septemb. quæ augent triſtitiam, dum tanquam ex condicto inimica fata indies nova obſtacula ad defenſionem Patriæ ponere videntur; ſuper quibus, dum profundiùs cogito, evidentem DEI pro peccatis noſtris video pœnam, & ultimum miſeræ Patriæ excidium, & fateri tibi ingenuè cogor, quòd nec verba dolori paria inveniam, quibus amaritudines meas exprimam, & tantò minùs inveniam media ad lenimentum mœroris; ergo in hoc angore ſcribere plura nequeo, ſed eo immediatè ad altare indignus, triſtia hæc noſtra ipſi DEO, à quo ſolo conſolatio dependet noſtra, offeram &c.

P. S. Miſerere amantiſſime frater Religionis & Patriæ, quia utraque peritura brevi, ſi efficaciter ea non defendes, media, ut aliquid facias, cœlum dabit; aggredere eò audentiùs ea, quò te Martia mens ducit; non avellant quævis obſtacula, ne ullo negotio perfecto redeas; propterea DEus te conſtituit in eo loco, ut quò difficiliores ſunt conjuncturæ, eò meliùs affectus tuus in Patriam pateat, experientia belli, vigor animi palàm ſint. Soli tibi hic honor & fortuna debebatur, ut educas Patriam ex hoc labyrintho; confirmet ergo DEus, quod operat⁹ eſt, ſcis, quàm omnia vellem tuâ cauſâ, mihi nec conſilium, nec prudentia adeſt mala noſtra conſideranti. Quotieſcunq; verò, & id fieri ſolet ſæpè, infelix hoc adminiſtrando munus & miniſterium, idipſum cogito, hoc unicum me ſolatur, quòd tu ad regimen navis hujus, & ita firmiter credo, ſereno cœlo navem regit ultimus nauta, quòd vigorem tuum naturalem revocabis, & repoſitis in vulneribus Chriſti injuriis tuis, ſi quæ ſunt à quocunq;. Imbecillia ſunt, quæ ſe lædi putant, dum tanguntur, etiamſi habeas, quod doleas, quod querâre, hac viâ tamen eas, quâ & apud Dominum DEUM immortale meritum, & in poſteritate proſperam famam, & in domum magnam, pulchramq; prolem omnem deſuper attrahas benedictionem. Hoc non ſine lachrymis ſcribo, quia ſum ſincerè & inviolabiliter tuus &c.

PUN-

PUNCTA INTER REGEM SUECIÆ ET PRUSSIÆ

Tractatum inter Reges Sueciæ & Boruſſiæ eſſe offenſivum, ſubſtitiſſe in his articulis.

1mo. Quòd Rex Sueciæ agnoſcet pro Rege Boruſſiæ Electorem Brandeburgicum.

2do. Quòd ambo Reges æqualiter agent, pro conſervatione Religionis proteſtantis, & quòd eorum Miniſtri cum mutua intelligentia agent in Comitiis imperij.

Quod diſcordiæ circa limites Pomeraniæ terminabuntur, quòd Rex Boruſſiæ nullum Regi Poloniæ præſtabit auxilium, quin in contrarium ſi Reſpub. ſe declaret in favorem ſui Regis contra Regem Sueciæ, & ſe contra Rempub. declarabit, & quòd Rex Boruſſiæ utetur prætextu evictionis Pacis Olivenſis pro declaratione belli contra Rempub. Polonam.

Quod nulla fiet pax ſeparata, nec abſq; eo, quòd prius habeatur ſatisfactio à Rege vel à Repub. Polona.

Quòd Rex Sueciæ aget in favorem Regis Boruſſiæ pro ſucceſſione defuncti Regis Angliæ.

LXXV
PETRO BRONISZ GUBERNATORI PISDRENSI IDEM CANCELLARIUS 29. Septemb.

Variæ hic interpretationes occurrunt recentis poſt finita Comitia Palatinatuum Majoris Poloniæ Confœderationis, cujus tu diceris Alpha, non potui & neceſſariæ in hoc caſu, curioſitati, & affectui meo in perſonam tuam ſemper ad menſuram boni publici agentem temperare, quin cordialiter te veneratus ea in confidentia, quam ſemper tecum colui, à te quæram. Quis ardor ô Cives? ad quem finem dictus actùs ſic ſtantibus rebus tendit? Scio, quàm ſis rigidus in omnibus honeſti exactor, nulli humanæ neceſſitudini, legiq; ante æternam nullo commodo bonoque ante ſummum addictus, famam multum & maximè conſcientiam revereris. Recenter finita Comitia concluſerunt, & ſigillârunt Generalem animorum & Statuum unionem, circa quod videbantur omnes præteritæ particulares laborare Confœderationes, & ita omnia nunc univerſali jurisjurandi ſolennitate abſorpta, ut videatur nunc periculoſus, & ad minimum inſuetus morique priſco contrarius particularium ſenſus. Aut ergo præſens Confœderatio veſtra volet propriis viribus niti, ipſa in ſe fiduciam animosq; ponet, tunc horum excelſorum Palatinatuum corpus quidem grande; particulare tamen ſeparatum ab univerſali Repub. ſeparare videtur, quæ dividi nequeunt. Aut omnibus aliis Palatinatibus jam authoritate Comitiali junctis ſuos ſenſus & arbitria propinare intendet; & hoc eſt nimis arduum & operoſum, mutandiq; Statûs periculum; generalia ſancita particularibus inflectere; Metam hujus Confœderationis, ut parva capacitas mea concipere poteſt, attingere ex ſalva Pactorum ex juramento Regio promanantium aſſequenda executione. Sed & hic dubium dubitatione majus occurrit; quid eſt deſiderabilius & ſecurius? an nunc primùm ſalvam eorundem pactorum ſtabilire, an verò jam ſalvatos pactorum articulos novo Diplomate & Jurejurando Regio in uſus Reip. proſperiores manutenere, & cùm mutuis id jam omnes Status vinculis conſtituerunt in præteritis Comitiis, mutuis oculis in his & ſimilibus inſpicere caſi-

A.C. 1703 bus, ne quid inpoſterum Reſpubl. detrimenti capiat. Hi & his ſimiles, dum debitam meam in Patriam teneritudinem, eamq; ſemper disintereſſatam ab iis, qui publico obfuêre, ſcrupuli divexabant non pruritu ullo, quia vellem in profunda ſepeliri ſolitudine, ſed ne deſim, ut innui, officiis confidentiæ, & affectûs in te, magnarumq; ejus dignitatum, ſed etiam juratæ fidei publicæ, manu propriâ privatim, & ſine tuba hæc vel leviter tangens precor per mutuum, cujus ſum certus, affectum, per amorem boni publici, quem ſemper in te ad imitationem aliorum vidi, velis me confidentiſſimè, ſi mereor, de finibus rei geſtæ edocere, ad quam ſcilicet metam finemq; res dirigatis? Non abutar confidentiâ, & tantùm ideo vellem aliquid ſcire, ut cognitis iis bene ominari de Patria, vel meliora precari liceat; Maneo interim &c.

LXXVI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. ALBRACHTO KAWECZYNSKI SUCCAMERARIO CULMENSI 29 Septemb.

NON invenio rationem propter quam duæ meæ primæ literæ (religioſiſſimè enim illis, qui mihi ſcribunt, reſpondeo) ad tuas non pervenerint manus, cùm omnes ſolitâ viâ ad manus Dñi Grata mitto, & nunc ad tuas 19nâ Sept. ſcriptas breviter repono; Amicitiam tuam & affectum ſemper æſtimavi, uti decet, curaviq; ſemper, ut darē documenta reciprocè. Nec defecit in me idem ſincerum deſiderium, & dedi vindicias honori tuo, quotieſcunq; impetebatur, & recurrebat frequentiùs hæc occaſio. Caſtellanum Elbingenſem amore ſemper dignum; ſi quid dulcius dici poteſt, amavi ſemper, æſtimavi, confidentiā ejus deſideravi, quamvis me ab illa malignitas alia ſemper amovebat. Libentiſſimè vellem communicare ſenſus meos ſicuti cum dicto Caſtellano ita & non abs re eſſet, ut nobiſcum conveniamus aut inſimul perituri, aut inſimul nos ſalvaturi. Scio ego quòd contra Varmiam meam multa agantur, ſed hæc in bona eſt protectione, quia eam in DEI manus reddidi, & non confundar. Et, ſi ejusdem DEi eſt voluntas, ut hoc fruſtum panis mihi adimatur; nudus egreſſus ſum de terra, & nudus revertar. Obligato obligatiorem reddes, dum confidenter denuntiabis aliquando de iis, quæ ibi gerentur. Apud nos omnia diffidentiæ deſtruunt; unus ædificat, alter deſtruit; unus alium impedit, & ita efficacia juvandæ Patriæ media adimuntur, Patriæ ſpes omnis evanuit, ac proinde ſolidiora conſilia & fortiora arripienda forent. Si eſt aliquis modus, ut pro antiqua confidentia videas Theſaurarium Litvaniæ, libenter vellem, ego jam ſcribere non audeo; Omnes enim meas originales literas huc mittunt, & quamvis aliquid innocentiſſimè, & ſolo intuitu boni publici ſcribo, totum id ſiniſtris ſubjacet interpretationibus, & mihi omnis facultas ſerviendi iisdem adimitur. Si tamen poſſes coràm loqui, facias certiorem, quòd, quantumvis viderem in ſupremo domum ejus felicitatis gradu, compati tamen non deſiſterem ex amico & ſincero meo affectu futuris, quia quod præſumunt, fieri non poterit, & Patria tantùm patietur & perire poterit. Interim verò Religio ſancta, quam tamen DEUS manutenebit, periclitatur, & pauper Populus, qui vindictam ad cœlum clamat, perit, & præ fame moritur, uti in multis locis jam id eſt, quod in animas eorum cadet; Affligitur cor, dum conſideramus, quæ nobiscum fiunt, & quæ fient, quia DEUS novit, quòd non ſine lacrymis ſcribam;

bam; Priùs omnes peribimus, antequam id, quod prætenditur effectuari poterit. Per amorem DEI cur à pace alieni ſumus? ſcripſi & dixi toties, quòd ſecuritas ſit, & eſſe poteſt; cur de illa non loquimur? cur illam abjicimus? Spes in Confœderatione Majoris Poloniæ, DEUS det, ut ſit in effectu, ſed quærere libertatum remedium in perditione ejusdem libertatis, non invenio apud me, quomodo id fieri debeat. Aboleatur tantùm Cardinaliſſimum Jus, ut Conclave Nuntiorum non habeat poteſtatem judicandi, & abjudicandi illegitimitatem Nuntiorum, tunc non ampliùs Comitiola neceſſaria erunt, quia quicunque volet, conſtituet ſe Nuntium pro libitu, & activitatem in Comitiis habebit; Abolere autem una Comitia, quod hactenus nemo cogitare auſus eſt, quid eſt aliud, niſi omnem libertatem adimere? & ad Patres, vel ad unum omnia referre. Sedete paululum cum Caſtellano Elbingenſi, & cogitetis ſtatiſticè ſuper hæc; certè invenietis, quòd magis hic libertatem adimit, qui ſancita comitiorum abolere in animo habet. *A.C.* 1703

Princeps Viſznioweccius Dux campi Litvaniæ; Magni enim Ducis titulum non præfert, nec fortè præferet, comparuit hic. Exercitus Litvaniæ tranſibit per Varſaviam, quia ex rationibus judicium convincentibus magis ſunt neceſſarii in Litvania propter diverſionem, juncti cum colligatis vel colligandis, quàm hic evitando exacerbationem Nobilitatis. Difficilè enim denegare victum; exercitus verò Poloniæ ulteriùs procedit.

LXXVII.
STANISLAO LESCZYNSKI PALATINO POSNANIÆ IDEM CANCELLARIUS REGNI 30 Septemb.

SI ex literis meis ſolatium aliquod capis, tunc mihi illud maximum obvenit ex tuis, certamen amoris & officij, in quibus lego ſenſus tuos, ſed illud gaudium perfectius eſſet, quod ex affectu tuo habeo, niſi miſceretur triſtitia, quæ eſt juſta, conſiderando, quòd tamen disjungamur. Iterum ergo clamo, iterum pulſo, & ſi non clamoſis vocibus, certè lachrymoſis gemitibus. Cura, quam habes circa bonum publicum, eſſet laudabilis, ſi concordaret cum legibus Patriis, ſi ex fundamento non confunderet omnia jura & antiquas conſuetudines. Didici ego ſemper ſincerè ſenſus meos depromere in publicum, quomodo tibi, cui vellem cor meum & omnia aperire viſcera, illud, quod ſentio, celare poſſum? Sentire enim contrarium tuæ ſollicitudini debeo, quia apud me invenire non poſſum, in quo fundamento hæc ſit confœderatio veſtra ſtabilita, quomodo fieri poteſt? quòd homines tam prudentes, tam Patriæ amantes delicias cum ea exercendo, in ſinu eam opprimant, dum primæva libertatum & immunitatum fundamenta evertunt. Ceſſent in Comitiis judicia, ceſſent abjudicationes, cui uſui erunt comitiola, cùm cuivis liberum erit venire ad Comitia, ſedere, extra controverſiam, loqui, conſulere; quomodo ergo volumus ſine radice arborem creſcere, ſine fundamento domum ædificare? Non meum eſt veſtram docere ſapientiam, noſcitis hæc omnia; videte, ne hoc intereamus vulnere, quod paramus; nam hæc fundamenta nota ſunt omnibus. Pax promittebatur nobis nec ex vano ſperabamus, quia optabamus, & ecce fundamentum rupti tractatûs confœderatio, uti ex adnexis intelliges. Bone DEUS! ubi promittebatur tranquillitas, inde majores oriuntur motus. Juràſtis AUGUSTO, & in favorem CAROLI univerſales prodeunt literæ. Legimus nova Regis Sueciæ mandata, miramur,

A.C. 1703 & indolemus ſuper fata noſtra, quia, quod fuit ante, eſſe non deſiſtit. Jubes, ut fides adhibeatur verbis tuis? ô quantum optarem, ut convinci ipſe, & convicere alios poſſem, ſed manifeſta, quæ non egent probatione, in contrarium credere jubent, trahuntq; vel invitum.

Remedium contra mutationem ſtatûs confœderationem eſſe allegas, & nemo eſt, qui non dicat, quòd principium mutationis ſtatûs ſit hæc confœderatio, quæ evertit Comitia, & ſe erigit magis, quàm in Litvania, quia ibi fuerunt tamen omnes Palatinatus, & hic ſola major Polonia Rempublicam totam repræſentat, & vult haberi pars pro toto.

Scribis mihi confidenter; des etiam veniam, ſi & ego plenâ itidem ſcribo confidentiâ; quanquam id à multis vitio mihi vertitur, quòd etiam tibi ſcribam, quia id inimici mei mihi publicant, crediq; volunt ea, quæ contra Mtem & libertatē directè pugnare videntur, obijciendo quoq;, quòd literæ meæ per copias de manu in manum eundo animent multos, & trahant ad confœderationem; quanquam à principio ſtatim finem ejus videre voluiſſem. Quidquid ſit, liceat mihi (quia ego de iis, quæ dicuntur de me, incurius, quid agam planè attentus) adhuc ſemel tibi ſcribere, & obſecrare per DEum vivum, & per id, quod omnes charitates complectitur, per propriam Patriam, extra quam non eſt ſalus, ut cum gubernatore Piſdrenſi in maturam reflexionem accipias omnes rationes & conſequentias, iiſq; conſideratis, ſi prodeſſe aliis ſtudetis, vobis profitis ipſi, & tandem maturè id concludere velitis, quod poteſt pacificare Remp., & non magis confundere. Cedet hoc coram DEO, qui lentus, ſed certus vindex in meritum, cedet in gloriam utriuſq;, quòd ultra ſpem ipſorummet hoſtium aſpera hæc mutabitis, monſtrabitiſque, quòd amando Patriam, amatis & jura ejuſdem, quæ hactenus de Comitiis erant inconteſtabilia, nec voletis evertere Comitia, quæ ſemper antidota fuerunt contra omnia in Repub. pericula. Plura vobis dicetis ipſi, & tu adamantino vinculo junctum ama; nam amoris mei votum eſt, ut perennet. &c.

COPIA LITERARUM IMPERATORIS TURCARUM Ad REGEM POLONIÆ, AUGUSTUM II.

Sultanus Achmed Chan, Filius Sultani Mechmet Chan, ſemper Victor.

IN præclara natione Chriſtiana & inclyta religione piè degenti, ſummè Nobis fideli & ſincerè dilecto Regi POLONIÆ, Domino Litvaniæ, totiusq; Ruſſiæ, aliorumq; omnium pertinentium ad eorum dominia, Monarchæ AUGUSTO II, incolumitatem, ejus ſucceſſus optans, hisce, meæ Cæſareæ præcelſæ Majeſtatis, defero ſciendum literas.

Totius orbis Supremus Dominus, Hæres æternus, qui moderatur Cœlum, Terram & fortunam, eamq; largitur juxta ſuum beneplacitum, cui & quomodo vult de liberali clementiq; dextera ſua, primo tritam viam, & veſtigium dilecti ſui, magni & ultimi Propheta Mahomet Muſtaffi contemplatione, & miraculis Beati, poſtquam me fecerit imitari; in ſublimis Monarchiæ thronum evexit, & Imperij latè dominia extendentis diademate decoravit, Anno 1115 *menſe*

Menſe Rebigilachyr die 9, feriâ quartâ: Sit DEUS benedictus, quòd A.C. 1703 *me extulerit ad tam ſublimiter Magnificum thronum, qui orbis eſt prima maximaque columna, usq; ad admirationem; quod factum non ſine ſpeciali prædeſtinatione Divina, ubi obtenta ab omnibus fidelibus Adoratoribus Turcis oratione & benedictione ex ambona publicè in omnium devotionum fanis, nominis mei coram DEO commendationem conſecutus, monetâ eâ, quæ in quavis Monarchia ſub nomine ſui Domini eſt & eſſe debet, ſub meo titulo & nomine, propter contentationem omnium Statuum, cudi juſsâ, ſolitâq; ejus in ditionibus meis, coæquatione ordinata injuriis omnibus & diſſenſionibus in Monarchia mea ſublatis, proviſa ubiq; in Regionibus meis, non ſuſpectâ juſtitiâ, ubi velut ſol inter ſplendores remanſiſſem Sereniſſimus, placuit mihi, ut omnes Tractatus Nationum quicunque cum Sereniſſima Porta mea de recenti ſunt concluſi juxta conditiones circumſcriptorum pactorum, more antiquo à Majeſtate Monarchiæ meæ, non tantùm conſervarentur, verùm etiam approbarentur. Quapropter poſt felicem coronationem Imperij in Monarchia mea, cum hujusmodi notitia & declaratione, ad Regnum tuum à latere Majeſtatis meæ, Terſanu Emirri (ſcilicet Commiſſarium Navis Turcicæ) Nominis magni & exiſtimationis apud me, valde dignum virum Hrabinum, & cum eo literas mitto, quibus feliciter redditis, & honorificè acceptatis, intelliges, quòd, ut debitæ nobiscum, ſummeq; omnibus neceſſariæ pacis conſtitutus Tractatus fideliter, ſine ulla violentia in infallibili integritate, ſacroſanctè manuteneatur, & obſervetur, approbando, Regno tuo, Miniſtris, uti & Officialibus omnibus, dominij tui, denuntio ſtrictæ inter Nos amicitiæ pacem, quæ recenter ante Imperium meum ſtetit, & jurata eſt, ut tempore Monarchiæ meæ, in nullo quo ad omnes conditiones lædatur, imò omni, ſolidaq; integritate & amore ſacroſanctè colatur, & approbetur; cum hac declaratione proteſtor, quamdiu ex parte Regni Tractatus in obſervatione erit, tamdiu ab Imperio meo, nullam dando rumpendi occaſionem, debitæ pacis affectus ſolitâ amicitâ exhibebuntur. Hujus pacis, & Tractatûs approbatio adfert ſecuritatem, & ſubditis ſine omni ſuſpicione quietem. Opto interea felicem ſucceſſum & optatum à DEO finem. Datum Adrianopoli, Menſe Rebigilachyr medijs diebus. Anno 1115 in Palatio Cæſareo Adrianopolitano. Id eſt ultimis Septembris 1703*

Titulus ſuperficialis.

Sereniſſimo in Natione Chriſtiana, & Potenti ex Principibus in Religione JESU, Amico mihi Fideli, Regi Poloniæ, AUGUSTO II, ut feliciter reddantur literæ. Cæſariatus Noſtri.

COPIA

COPIA LITERARUM VEZYRI TURCARUM, AD REGEM POLONIÆ.

IN præclara Chriſtiana gente religionis Chriſti Cuſtodi, Noſtro Amico valdè Nobis Dilecto Sereniſſimo Regi Poloniæ, Ducatûs Litvaniæ, & Ruthenarum Regionum Monarchæ immutabilem valetudinem omniumq; ſublimium fortunarum ſucceſſus, & ſemper optata ſolatia à Domino DEO amicitiâ noſtrâ optantes, ſciendum deferimus.

Gratia ſummi DEI illius, qui omnia Dominia & Monarchias diſtribuit, anno 1115 (ſcilicet 1703) menſe Rebigilachyr, die 9nâ (ſcilicet mediis diebus Auguſti) Majeſtatis Cæſareæ, Coronæque ejus ſereniſſimæ, potentiſſimæ, fortiſſimæ, Dominus meus, magnificentiâ amplæ Monarchiæ Præcelſus Cæſar, Sultan Achmet Rex (cujus incolumitatem & Dominia in felicitate Dominus DEUS quàm diutiſſimè conſervet) coronâ, omnibusq; ab altitudine Divina promanantibus benedictionibus, dignitatibus, divitiis totius Monarchiæ Imperio privilegiatus Dominus & Hæres factus, rem dignam eſſe judicavit, ut omnes Tractatus, qui intervenerunt ante Imperium ejus, cum Porta Othomannica & variis Nationibus, ſub tempus Imperij ejus approbarentur. Quapropter cum tali declaratione ad Veſtram Regiam Majeſtatem cum literis Majeſtatis Suæ Cæſareæ, in officio magnæ authoritatis exiſtentem antea Nobis fideliter dilectum Hrabin Age, mittit, per quem etiam Nos, teſtantes Noſtram, Veſtræ Regiæ Majeſtati ſpecialem amicitiam, ſimul literas mittimus: DEUS ipſe id efficiet, ut omnia juſtè conſtituta pacta, in nullo labefactentur, quinimò approbationem firmam, ſolidamque obtineant, quamdiu ex parte Veſtræ Regiæ Mtis contra Tractatum non delinquetur, ex hac quoque Imperij Turcici parte, non habendo ullam rumpendi ſuppoſitionem, nec eam apprehendendo, in omni reverentia, & arcta pacis amicitiâ, juxta circumſcriptionem Tractatûs, & punctorum ejus colentur. Erit id tam toti Dominio Veſtræ Regiæ Mtis, quàm Incolis ejus, non ſine quiete, & non ſine fructu; aſſecuramus. Opto interim valetudinem à Domino DEO & fortunam immutabilem, & feliciter efficacem. Datum Conſtantinopoli, anno 1115 Haſan Baſza, Magnus Vezyr Imperij Turcici.

LXXVIII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. CANCELLARIUS REGNI HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO CRACOVIENSI Varſaviæ 5. Octob.

EXpoſtulavi immediatè poſt acceptas tuas cum Secretario Cameræ Mtis ſuæ, cur punctualiter non reſponderetur tibi, & ſtatim Kicinius deducebat, qui curam ſigilli privati habet, quòd miſerit reſponſum, certumq; me reddidit, quòd hactenus illud receperis.

Re-

Reſponſum Palatinatibus Majoris Poloniæ non poterat à te melius pro circumſtantia temporis dari, ſimile & ex Cancellaria Regni accipient, mitto tibi illud. Legatio hæc, ut videbis, aliud portat in titulo, aliud in pyxide. *A.C.*1703

Locutus ſum etiam, ut voluiſti, cum Principe Viſnioviecio, quòd non adſtiterit in tempore opportuno Exercitui Polonico, repoſuit non ſine dolore, quòd diu expectaverit, diutiùs expectare non potuerit propter ruinatum tam longo tempore in campo manentem exercitum; qui feſſus labore nihil aliud, quàm requiem anhelabat, Ducis autem cura miles eſt. Jam video, quòd à tempore, quo nos fortuna rotare cœpit, ita variis & inenarrabilibus viis ducit ad interitum; compatior ex tota anima juſtis tuis angoribus; ſcio enim, quo animo, ipſe tuæ laniena vitæ, ſervire vis Patriæ, & obliviſci non poſſum ingeniti zeli, quem habuiſti ſemper ad obſequium ejus. Spero, quòd Dñus DEus nolet contriſtari te, & nos te amantes, & adhuc aliquam ad manus dabit & inſpirabit circumſtantiam, ut hic annus non tam ſteriliter finiatur, & hoſti animum non addat, tunc enim erit gloria tua coram ſimul diſcumbentibus. Quis verò ego ſum, ut dem conſilium, circa quid agendum? quomodo ego docere te debeam id, cujus ipſe inſcius ſum. Male agitur cum Domino, quem docet Villicus. Opus ante oculos, ſi vires aderunt, ſcio pro certo, quòd non intermittes bene agendi occaſionem. Thorunium ſupra opinionem multorum ſe defendit. Si non veniet auxilium, timeo, ut diu ſuſtinere illud poſſit. Ut verò illud veniat, voveo magis, quàm ſpero. Quamvis nolo injuriam facere, nec per imaginationem magnis conatibus, & ingentibus auſis tuis, qui commoda Patriæ tibi prima putas &c.

INSTRUCTIO AD REGEM à PALATINATIBUS POSNAnienſi & Caliſſienſi Confœderatis data Sigiſmundo Unroug & Raphaëli Thomicki ſub Staviczin 22 Septemb.

QUis non fatebitur magnas eſſe curas S. R. Mtis Dñi N. Clementiſſimi circa ſtabiliendam pacem, qui ut Pater Patriæ curà & ſollicitudine, bello quaſſatam Rempub. in deſiderata videre pace deſiderat. Fatemur magnam inde ſalutis ſuæ Mtis Dñi N. ruinam, cui Reipub. calamitates tanta adferunt incommoda, ut Sereniſſimum fatigent caput. Curabunt proinde imprimis Dñi Ablegati noſtri, ut pro hac Paterna Mtis ſuæ cura & ſollicitudine, quàm diſertiſſimo ſermone gratias referant, illud conteſtando, quod gratam in pectoribus noſtris ad feram poſteritatem laborum & ſollicitudinum Paternarum ſuæ Mtis geremus memoriam.

Deferent inſuper ſuæ Mti cum humillima ſubmiſſione Dñi Legati, quòd non ad turbandam Patriam, imò ad pacificandam eandem penes Mtem Sereniſſimi Regis conjuravimus, & nos confœderavimus, ut compoſitis manibus non aſpiciamus ruentem à culmine Trojam, deſiderando adhuc ſalubria inire conſilia, tanquam quondam Abydeno populo, de quo ſcriptum eſt; triduum tantùm Abydenis ad moriendum datum eſt, ita nunc omni ſtudio & applicatione conamur penes authoritatem S. R. Mtis Dñi N. Clmi conſervandam, & videndo, quòd nulla ſalus bello, curamus pacem, ad quam non minor videtur apparentia, dum Rex Sueciæ propalavit nuper manifeſtum, in quo propoſitiones idoneas pacis acceptare ſe declaravit. Imus proinde in aſſiſtentiam Cardinali

A.C. 1703 dinali Primati, Commiſſariisq; noſtris ad tractatum deſtinatis, ut non tantùm mutuâ cooperatione ad finiendum eum juvemus, ſed etiam videamus, quis turbo nos vehit, quòd ad exoptatam pervenire nequeamus pacem. Alij enim imperium Mtis Suæ volunt videre glorioſum; nos verò veſtigiis antiquorum Polonorum inſiſtendo, volumus, ut illud faciamus tutum, & tranquillum. Addic non minùs pondus ad pacificandam Rempub. & non vanas facit ſpes, quòd una pars M. D. Lit. per confœderationem noſtram pro pacificanda Patria proclamatam, optat ſibi redintegrari cum Republica. Ad alterius verò corda pulſamus per publicam noſtram legationem, ut in unione animorum domeſticæ poſſint accommodari colliſiones, & ita ſecurius erit labenti ſuccurrere Patriæ. Non deſperamus proinde, dum unione animorum juncta erunt civium corda, quòd refloreſcet pax, & quod domeſtica diſſidia & diſguſtus incommodorum attulerunt, hoc ex Paterna S. R. Mtis Dñi N. Clmi cura priſtinæ reddetur felicitati. Exprimient igitur Ablegati noſtri intentionèm noſtram ad pacificandam Rempub. cum qua ſicuti coram ſua Mte humillimè nos manifeſtamus, quòd illam quàm celerrimè ad effectum deducere deſideramus, ita ſupplicamus, ut cooperationem noſtram Paterno recipere dignetur reſpectu.

Repræſentabunt etiam Legati noſtri oppreſſiones noſtras, quòd non nobis ſerimus, non nobis metimus, quia quidquid labor æſtivus pauperi populo panis attulit, illud varij Exercitus conſumpſerunt, & reverà res intolerabilis, quando ſtatus nobilitaris, tanquam ſervitio nata gens debet eſſe vectigalis. Rogabunt proinde ſuam Mtem Ablegati noſtri, ut ex paterna gratia avertere hæc noxia dignetur, ac propitius eſſe velit, quia uſq; nunc nullum habemus remedium contra potentiam, niſi ſolam patientiam. Quid enim valent leges, ubi prævalent legiones? Iterabunt adhuc Nuntij noſtri, quòd fide, honore, penes integritatem ſuæ Mtis Dñi N. Clmi, penes conſervationem jurium, libertatum & immunitatum Patriarum acturos nos obligamus, optando, tanquam fideles ſubditi, ut aut nulli ſuæ Mti ſubſint inimici, aut ſi qui ſuperſunt, fiant amiciſſimi. Cætera activitati Nuntiorum committimus.

Petrus Jacobus à Paradis Broniſz Capitaneus Piſdrenſis Mareſchalcus Confœderationis Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuũ.

RESPONSUM EX CANCELLARIA S. R. Mtis IISDEM LEGATIS datum Varſaviæ.

Adhuc non ceſſat vis occulta fatorum poſt tot labores, fatigationes, curas, & ſollicitudines S. R. Mtis deploratum caræ Patriæ exercere ſtatum, & omne illud, quidquid demum pro ſalute & emolumento ejus ſalubria conſtituerunt conſilia, & diligentes Comitiali fultæ authoritate prætulerunt curæ, uſq; nunc ſine effectu & fructu in publicum manent, cùm tam nunquam compenſando publicorum damno, ita cum ingenti dolore & ipſas medullas cordis Paterni ſuæ Mtis perſtringente, qui nihil intermiſſâ curâ infinitos in rem publici labores pro ſolatio accipiens, & cuncta in melius trahens expreſſos excelſorum incolarum ex Palatinatu Poſnanienſi & Caliſſienſi filialis compaſſionis ſenſus aperto ingenitæ bonitatis acceptat affectu, & ſicut horum laborum & inceſſantium applicationum ſua Mtas pro principali objecto habet tranquillitatem publicam, ſperando, quòd accelerata conſtitu-

ſtitu.

ſtitutionum Comitialium executio honeſtam à Corona Sueciæ extor- *A.C.* 1703
quebit pacem, ita ſtatim poſt hæc finita Comitia non intermiſit compellatione ſuâ ſollicitare Commiſſarios ad tractatum pacis deſtinatos, ut etiamſi non ſine dolenda diminutione Mtis ſuæ & totius Reipub. authoritatis ultimos gradus offerrent, intentionesq; aulæ Sueticæ menſurarent, & obligarent ad exoptatam pacem, & ecce aula illa, pleno contemptûs & elato animi reſponſo, excluſâ omni ſpe ad tractatus uſitatis hoſtium artibus per civilia diſſidia, & diviſa partium ſtudia evertendo authoritatem Comitiorum, & diſſolvendo Generalem totius Reip. unionem Sacramento jurisjurandi obſtrictam, ſciſſiones & diffidentias domeſticas, ſingulariter tamen diſcordias, & contradictiones Incolarum Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatuum allegat, & ſumpta ab illis arma tanquam ad everſionem non ſiccatarum adhuc legum pro ſummo & inſuperabili obſtaculo, non tantùm ad concludendum, ſed etiam ad incipiendum Tractatum opponit, & in hoc fundamento totam machinam ulteriorum infelicitatum, abominabilium practicarum exequendarum, propoſitorum ſuorum, & prolongandi hujus belli in ultimam perniciem & ruinam, ſi non omnium hujus Reipub. Regnorum, ad minus adnexarum, & pingviorum ejus Provinciarum ædificare intendit, quando ad hanc confœderationem ad favorem ſuum artificioſè tractam quibuſdam gladio & igne minando per rigoroſa edicta, alios actu in ſubſtantiis ruinando, congregari omnes incolas deſpoticâ poteſtate inhibet; & quod majus, ut imperium evertat, libertatem præſefert, ut hâc everſâ illam aggrediatur. Inſuper Urbem Thorunienſem, decus & præſidium Reipub. non acceptando ullas oblatas ſibi tam à ſua Mte Regia, quàm à Præſidiariis, ſatis juſtas conditiones, plus quàm hoſtili ferocitate combuſſit, & tam multos innocentes homines perdidit, dominari contendit, & alias innumeras longiſſimas à cogitationibus pacis attentare non prætermittit actiones. Proinde S. R. Mtas poſt toleratā tot malorum patientiam deſiderando Rempub. ex his tam magnis difficultatibus educere, & in ſolitam redigere viam celerioris & fundamentalis defenſionis, magnum conſilium Comitiis ad materias belli vel pacis tractandas deſignatum intimandum credidit. Ad quod quandoquidem tractatus cum omnibus conditionibus & circumſtantiis per deſtinatos Commiſſarios regulari & referri debet, non eſſet ex dignitate, & utilitate Reipub. ut cuivis ex incolis Regni promiſcuè, aut cumulativè, maximè ſub ipſum negotiationis hujus tempus accedere liceat, cum diminutione authoritatis imminentis conſilii, ſimul & characteris Commiſſariorum, & cum contemptu tam dignorum & bene meritorum in publicum integræ reputationis. Accedit, quòd ſicuti quivis, ita & hic tractatus certis inſtructionum circumvallatus cancellis mitteretur in mare minus neceſſariarum diſſertationum, & non tantū propter inuſitatum inter gentes in publicis tractatibus exemplum, qui limitatum tantùm numerum ex utraq; parte Deputatorum admittere ſolent, ſed etiam propter infallibilem confuſionem, & majorem motū, quem aula Suetica per hoc medium ſemel ſub ſpecie vindicandæ libertatis, alterâ vice ſub imagine inſidioſæ pacis notabiliter augere, & quàm diutiſſimè fovere curabit, ut ſolutis Cardinalium legum repagulis, & conjuratâ Magiſtratuum poteſtate in tale intrudat periculum Rempub. unde nunquam enatare poſſit: cunctaq; diſcordiis civilibus feſſa, arbitrio & diſcretioni ejus in finem committat. Et propterea ſua Mtas D. N. Clmus ſicuti omnes ſubditos ſuos libenter vellet dulcedine
quie-

A.C. 1703 quietis perfectè ſaturare; ita à cooperativo concurſu neminem arcere vult, talibus tamen mediis, quæ hoſtium vires diminuere, & humiliare, & cogere, Rempub. verò fortificare & exaltare ad acquirendam honeſtā pacem quàm celerrimè poſſint, & ob hanc rationem omnes inſimul & quemvis in particulari Accolas in Poſnanienſi & Caliſſienſi Palatinatu paternè præmonere & obligare S. R. Mtas dignatur, ut antevertendo tam clara molimina aulæ Sveticæ, & propter incerta, periculoſaq; veſtigia apertè à Repub. & tritè per Commiſſarios aliàs jam prius à Corona Suetica receptos & acceptatos non declinando viā, quinimò omnia particularia conſilia & congreſſus, inteſtina odia, & diffidentias, convulſionem legum, everſionem ſtatûs producentes, tanquam prætenſum & allegatum ab aula Suetica ad tractatum obicem avertendo, & caſtrenſia, campiq; incommoda in domeſtica tranquillitatis publicæ mutando commoda, ad communem Reipub. concordiam ſeſe conformando, per indilatam Conſtitutorum Comitialium executionem & punctualem deſervitæ mercedis exercitui exſolutionem ad tranquillitatem publicam laudabiliter & efficaciter cooperari non intermittant. Et cùm exoptata in illis Palatinatibus accedet animorum unio, & antiquus Polonus penes integritatem Regiæ authoritatis ſancitorum Reipublicæ in juribus & libertatibus eluceſcet zelus, infallibiliter tædioſus armorum ſtrepitus ceſſabit, & brevi ſupremus pacis Author diſſipabit gentes, quæ bella volunt, & in conſpectum producet univerſo orbi, quòd Rex noſter Sereniſſimus unicè id optat, & vel maximè id curat, ut ſit bene Patriæ, & fidelibus ejuſdem filiis, quibus in communi & particulari gratias & favores ſuos clementiſſimè offerre dignatur.

AMICO CONFIDENTI Varſaviâ 6. Octobris.

NON relinquis petitioni locum, omnia faciens antequam rogeris, Meq; tibi ſummo, & inexplicabili amoris obſervantiæq; nexu in perpetuum obſtringis. Accepi & literas, & adnexa. Cùm totum me dedero tibi, parum eſt, ut dignè mihi videar recompenſaſſe dimidium benevolentiæ, ſufficit tamen quòd me ſemper memorem dices eſſe, & gratum. Nullo meo merito fateor, ſed ſolo impulſu affectûs facis, quod facis, tangere jam & tenere videor tuum cor. Scias reciprocè velim te à me coli, obſervari, ac diligi, quemadmodum & tuæ eximiæ virtutes, & meæ antiquæ, & recentiores obligationes poſtulant. Precor interim, ut exequaris, quod promittis, meq; facias tam optati Nuntij quàmprimùm participem per literas, ut mihi gaudeam, tibi gratuler. Accipe interim hæc pauca ab homine ſummis negotiis, & infinitis propemodū occupationib⁹ diſtracto, & vix aliquid otii ad ſcribendū habente. Tā multis enim moleſtiis implicor, ut dies ad me expediendum non ſatis ſit totus, imò interdum tempus adeo (tanquam alas habeat) mihi ſe ſubripit, ut vix aurora illuxiſſe, mox terras nox opacare videatur, ut non poſſim quandoq; eſſe, quin exclamem ! ô nimiam temporis nobis ad vitæ uſum dati celeritatem ! ô nimium fugaces ac labiles dies ! non ita citò per mare curſu naves remis, veliſq; impulſæ feruntur, non ita celeri telū fugâ ex arcu, undè dimittitur, ad ſcopum, quo dirigitur, abit, ut vita mortalis ad interitum, cui nos noſtraq; debentur omnia, contendit. Sed de velocitate temporis ſcribens tempus perdo. Ergo ad rem.

Ad corrigenda errata & inconvenientia, quæ ſunt ſatis magna, hoc eſt inventum medium, ut fiat aliquod ſcriptum per modum aſſecurationis

onis, quòd ab exercitio horum officiorum & titulis abſtinebunt, à D. D. *A.C.* 1703
Nominatis ſubſcribendum, ſed meo judicio magis firmantur in his officiis, quàm arcentur ab iis, ſcriptum itidem ad Principem Wiſniowieccium, ut abſtineat à titulo magni Generalis, quod ſcriptum præſentavimus Ablegatis Mediatorib⁹, ſed illi non rectè, nec ſincerè cum illis agi palàm, nec ſine ratione murmurabant, quis audivit unquam tale, quis vidit huic ſimile? Rem inauditam dicebant ab orbe condito, nec audiendam futuris ſæculis exclamant ſæpiùs; Vos videte, quî vobis undique conſtetis?

Die 14. fuit quædam Seſſio, quam denegare Provinciæ Pruſſiæ non potui, apud S. Crucem, ubi concluſum eſt, ſupplicandum eſſe ſuæ Mti, ne legatio ad Regem Pruſſiæ mittatur, donec hic cum Ablegato ejus D. Overbeck aliqua concludantur, præcavendo indemnitati Reipub: & in particulari Provinciæ, & hæc fuit quaſi indirecta negatio D. Procancellario Litvaniæ, ne eam legati ad illam in ſe ſumeret poteſtatem, hoc verò ut ego cognovi factum eſt, ut D. Palatinus Culmenſis Działynski, qui legationem Moſcoviticam prætendit, eò facilius voto ſuo potiri poſſit. Venit etiam hoc veſperi D. Patkul à Duce Moſcoviæ, non eum vidi, nec ſcio quid portet, ego ſemper hominem hunc uti Reipub. periculoſiſſimum timeo, & non tantùm abhorreo, ſed & abhorreſco, ſpecies quidem præbetur indoctæ plebi, quaſi quid ſolidum, ac neceſſarium tractetur, cùm nihil ſit, quam ariſtæ puræ, quæ non perforant. *Stanislaus Szczuka.*

Miſit interim Rex Epiſcopum Chełmenſem Wyzycki, ad D. Gubernatorem Samogitiæ (qui cauſa melior, Patrocinio pejor) emolliendum, qui unius in poſſeſſione virtutis eſt, hoc eſt reſolutionis conſtantis, ex qua depelli nunquam poteſt, cæteris precariò utitur, & cùm videat inſidias, quas paraverant illi, furit, & commovetur, dolet ſe perdidiſſe, quod habuit, & iiſdem ſe manibus cadere, quibus ſublatus erat, quin & celeriùs, ſurrexerat. Promiſſum enim à Rege Generalatum Litvaniæ Exercitus habuit, & quidem majorem prætendebat, nimis eſſe Principem Wiſzniowieccium juvenem dicens.

Voluit D. Procancellarius Szczuka, ut ſeſſio eſſet apud Cardinalem, cui Rex conſenſerat, & mihi id commiſſum fuerat, quod ego boni publici cauſà, etiam privatas ſimultates poſtponendo, paratus eram facere, ſed D. Procancellario Regni non eſt viſum, & 17 manè nomine Regis, ne id fieret, venit ad me: mihi par eſt fieri vel non fieri, tamen libentiùs viderem res pacatas, quàm turbulentas, & diffidentiæ undique plenas. Tandem 17. Caſtellanus Cracovienſis, tranſtulit exercitum per Viſtulam, tanquam diceret: jurisq; locum ſibi vindicet enſis. Præſentavit exercitum ſuæ Mti in illa arena circa tranſitum Viſtulæ, ubi omnes videndi cauſâ fuimus, pulcher ſatis exercitus, ſed non faciunt meliorẽ equum aurei freni, ſi agere tantùm vellet, ſi omnes non diſcurrerent cùm multorum manus, paucorum debeant eſſe conſilia, & ſi diffidentiis non neceſſariis, certoque timore, incertâ ſpe impediretur; Inſuper tanta torpedo ſenio cauſata invadit quandoq; noſtrum Ducem, ut ſi Generalem eum eſſe cæteri non meminiſſent, ille obliviſceretur, & meritam tot per annos gloriam omnia tuta timens, jam quaſi videtur ſepelire; Non ego is ſum qui mentiri ita facilè poſſim, quiq; non ſuo quemq; merito, ſed meis commodis, atq; rationibus pandam, poſſunt quidem affectus, & confidentia me cuivis adſtringere, ut autem laudabilis mihi quiſquam, qui in aliquo non ſit, videatur prorſùs, non poſſunt efficere. *Joannes Szembek.* *Hieronymus Lubomirski*

A.C. 1703 28. Stante pede fuit conferentia in præſentia Regis Seren: ubi le-gatio declarata eſt D. Palatino Culmenſi in Moſcoviam, habui parum differentiæ, ſed cum modeſtia cum Cardinale Primate, cui ſemper reſiſto in faciem, quotieſcunq; id res utilitatis publicæ requirit. Fuerunt in prandio apud me uterq; Generalis, cum magna copia officialium militarium, exercitus verò movit ſub Bielany.

19. Fuit Ablegatio Senatorum ad D. Nuntium, ratione retardatæ expeditionis Epiſcopatus Cracovienſis in favorem Domini Bokun, fuit autem facta me inſcio, timebant enim, ſed injuſtè, ne ego impedirem. Ubi D. Palatinus Mariæburgenſis vir ingenio & eruditione aliàs pollens multa dixit, inter alia cum minis, quodſi non venerit brevi expeditio, D. Caſtellanus Cracovienſis movebit, D. Nuntius non expectato fine ſermonis dixit, movebit verſùs Thorunium, unde Deputatis riſum excitavit, nec aliquid eſſentiale facere potuerunt. Interim D. Procancellarius Regni nomine Regis voluit, ut ego adeſſem examini Sacerdotis intercepti Jaſinski cum literis, ſed conſulto hoc examen declinavi inſinuans, ut id fieret coram loci Ordinario, & foro Eccleſiaſtico.

Franciſcus Pinatelli.

Petrus Kczewski

22. Exiſtimavit D. Procancellarius Szczuka neceſſitatem eſſe indiſpenſabilem adeundi, & conferendi cum Cardinale circa negotium Regis Pruſſiæ, & colligationem, ſed hoc non eſt viſum D. Procancellario Szembek. Veneram ego, & caſu inveneram D. Cardinalem apud magnam Mareſchalcam, ſed dum ego veni, ille abiit, nec copia dari potuit ſimul colloquendi.

Bilinska

23. Tandem fuimus DD. Procancellarij Regni & Litvaniæ, & ego ex mente Regis apud Cardinalem ratione harum legationum, ipſe credit, & ſuadet, ut neceſſariam ad Regem Pruſſiæ, hanc autem ad Ducē Moſcoviæ pauliſper vellet differri, & in illa, ut dicit temporizare.

25. Significavit mihi Cardinalis Primas veniſſe D. Overbeck, & noſtros Miniſtros, me tantùm expectari, ubi comparui rogans, ut ſtante pede id fieret, ne ſcilicet D. Overbeck prætenderet locum tanquam charactere inſignitus. Dixit ergo Cardinalis Primas multa, quæ ad renovandum antiquum, & ſtabiliendum novum affectū mutuum neceſſaria eſſent, melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur, & quoniam currebant puncta quædam, quæ aliquam conjunctionem inter Regem Sueciæ & Pruſſiæ confirmabant, quæſivi à D. Legato, veráne eſſent, an non? cum credamus multa eſſe, quæ latent, quæ verò patent non pauca, ſed ille productis aliquot originalibus literis à D. ſuo abnegavit, nihilominus, quò magis negabat, eò veriora eſſe concluſimus; Hoc etiam veſperi venit reſponſum ad Commiſſarios noſtros à D. Piper nihil de pace ſperandum eſſe..

26. Suadebat mihi D. Procancellarius Regni, ut conferrem cum Patkulio, quòd ego usq; in hanc horam declinavi, cum concluſerimus cum D. Procancellario Szczuka non eſſe utilem Reipub. præſertim hoc quo prætenditur modo hanc Colligationem, reſpondi ergo acrius D. Szembeck; Vobis Diis Dñe mi, ſolum inter vos licet videre, mihi ſola credo licere laudanda, Colligatio eſt neceſſaria, ſed per diverſionem, nec unquam permittere poſſum, ut hæ copiæ auxiliares intrent in viſcera Regni, ut recognoſcant oculis ſuis debilitatem noſtram, ut ipſis pateant defectus noſtri, ita amicos habeamus, ut pòſt inimicos eosdem non timeamus, & quia ego firmiter, conſtanter, & indubitanter credo, quod multiplicabimus Gentes, & non magnificabimus lætitiam. Sed hæc ſurdis

dis narrabantur. *A.C.1703*

27. Fuit ſtante pede conſilium in præſentia Regis, qui & propoſitionem, & concluſionem fecit obſtantibus aliquorum ſenſibus, quidam enim, cum non ſit ulla ſpes pacis congreſſum Generalem Nobilitatis ſuadebant, ut quantocius ſcriberentur expeditiones pro ineundis colligationibus, quod mihi ſine mora ut facerem injunctum fuit, & ego Regi conſtanter adhærens mandata ejus impigrè non interpretando ea executus ſum dictis nihilominus ijs, quæ ex re Reip. viſa ſunt, cum mihi præſertim, ut Miniſtro non liceat non facere, quæ jubeor. Habuimus interim notitiam de creſcente in majus ſemper confœderatione Majoris Poloniæ, quæ ſuis modis, & parvo negotio ſopiri poterat, ſed ob ſubortas ſuſpiciones, & diffidentias non pro tempore. Deſiderium hoc meum do tibi ſub cenſuram, ipſum pro me loqueretur cælum, & in expedito res eſt conſtantibus impulſa cauſis, timeo enim ne gravida hæc nubes damnum pariat, nocentius vulnus eſt, quòd propius cordi eſt, volentes palpitamus compreſſis luminibus, in media luce quærimus aliud ſemper, & aliud occurrit, quàm quod quærimus, & timendum, ne idcirco veniat ſuper nos magna, quam non timemus, tribulatio. Quamobrem ſapienter facturum Regem credebam, credoq; ut in hoc genere caſtigandi Medicorum conſuetudinem ſibi imitandam ducat, qui quoties alia ſpes reliqua eſt, nunquam ad urendum vel ſecandum accedunt, quid enim tam periculoſum eſt, quid ſaluti magis contrarium, quàm cùm relictus eſt lenitati locus, objurgationes cæteraq; acriora remedia adhibere, quæ vel in caſu hoc noſtro, quam rationem habebat non video, & non eſt hic modus, ut rivulus aliquis avertatur, ne in mare influat. Confœderatio hæc non eſt nimis adverſùm nos, ac proinde pro nobis eſſe poterit, ſemper quidquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius. Scit DEus ſimplicitatem meam, quòd conſilium bonum dabam, doq; ei qui non habet, ſed dici poteſt: fruſtra Job aperit os ſuum, & absq; neceſſitate verba multiplicat, illi enim aliter ſuadent, quibus non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre, quàm grave aliquem ante ſe, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Ego autem non profecturis littora bobus aro, omnia nobis difficilia facilium faſtidio facimus, cujus fortunam mutare conſtituit DEUS, conſilia corrumpit, quæ aliis ſunt excelſa, ipſis prærupta videntur, ſed hæc ſatis apud te, ſatis eſt quod confœderationi huic, quam attrahere omninò deberemus, ſæpius reſpondet Rex dura derelicto conſilio ſeniorum, utinam non pœniteat, ſed ſerò & fruſtra.

28. Fuit apud me D. Overbeck in memoriam revocando imminens tempus pro exolutione ſummæ Elbingenſis, quòd D. Theſaurarius Regni nullam ſpem eſſe exolvendæ, quamvis Comitiis ultimis fuerit indicta, aſſecuravit; ne ergo Principalis ejus jure ſuo uteretur præcavebat, & ſe manifeſtabat. Ecce ego ſuper vos adducam mala, de quibus exire non poteritis. *Joan. Przebendowski.*

29. Habui literas ab Epiſcopo Poſnanienſi, in quibus coram me proteſtatur, utq; id deferrem Regi precatur, contra omnes quaſcunque legationes, videtur eſſe partus D. Theſaurarij, quòd & Regi ſtatim præſentavi, ſed his non obſtantibus, ut expeditiones pararem juſſus ſum. Fuimus hoc eodem veſperi apud Cardinalem conferendo de hac Confœderatione Majoris Poloniæ, quam ille venturam Varſaviam fortiter aſſeverat. *Nicolaus Swięcicki.*

30. Valedixit D. Nuntius Pignatelli Regi Seren: ſed absq; ceremoniis.

A.C. 1703 nis. Rediit verò viâ quâ venerat 1. Octob. Princeps Wiſzniowiecki, qui tanquam magno celebris fœnore nominis tentaverat multa, ſed dici poteſt tentavit potiùs majore animo, ſed non fortuna, ubi gloriæ ſuæ initium poneret. Iniquus eſt qui rem ab illo exigit, in quo videat animum non defuiſſe. Fuit cum multis in prandio apud me, & ſe excuſabat, quòd nihil facere in rem Reipub: potuerit, tanquam ei finis inſtaret, impetu fatorum jam urgente; contra Cardinalem multa dicebat. Interim Thorunium fortiter impugnari ſcribunt.

4. Nov. Venit notitia Generalem Styrum fuiſſe malè tractatum ab Electore Bavariæ; Venerat etiam à Majoris Poloniæ Confœderatione ablegatio ſpecioſa verbis, re inania portans.

5. Reſcivi omninò me conſulto ab his abſtrahendo, quòd jam concordia ſit finita inter DD. Litvanos eo modo, quod Rex delinitus obſequiis acquieverit conſilio in aliud tempus valituro, & ſic omiſſis eò verſæ erant omnium curæ, ut Major Principi Wiſzniowieccio, Minor Generalatus Capitaneo Samogitiæ daretur, nunquid qui cadit non reſurget? & qui averſus eſt, non revertetur? Theſaurariatus D. Pociey, & Mareſchalcatus D. Wołowicz, Palatinatus Vilnenſis Principi Wiſzniowieccio majori natu, & Caſtellanatus D. Principi Generali, ſic de plenitudine Regis omnes acceperant, nimia celeritas plerumq; in lapſū præcipitat, nam imparem hanc credo vulneri huic medicinam, & per hoc certè Reſpub. meo judicio magis implicabitur, quàm liberabitur, multi enim ſub ementito boni publici zelo intenta ſua velant, & cùm publicam fortunam bonam valdè inclamant, privatam ſtruunt, & alienam injuriam putant ſuam prædam, mel muſcæ ſequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ, ut Saluſtius dicit bonum publicum ſimulantes, & de privatis commodis dimicantes, quibus tamen dici poteſt: Nunc gaudete breviter, nam longum lugebitis, ita incendio propior erit, qui ignibus eſt, & præcipitio vicinior, qui montium vertici inambulare cupit.

Oginski

Te interim rogo, ut quoniam ſemel amicitia tua me non indignum judicaſti, judicium tuum tuearis, & me amare pergas. Copiam Inſtructionis, quam in manibus Regis depoſui ad aulam Berolinenſem tibi communico.

PLENIPOTENTIA Ad REGEM IN PRUSSIA menſis 8bris.

NOS AUGUSTUS II. &c. &c. Notum teſtatumq;, quorum intereſt, univerſis & ſingulis facimus. Quia nos poſt longam & maturam totius Reipub. deliberationem; tum aſſopiendis occaſione aſſumptæ nuper in Pruſſia Coronæ, & certi pignoris Reipubl. eliberandi difficultatibus, tum hoſtilibus Suecorum armis amicitiatenus per ditiones noſtras graſſantibus, inq; ulteriorem, quod Superi avertant, perniciem noſtram, vicinorumque noſtrorum, ni obſiſtatur ituris occurrere ac providere cupientes, ad aulam Brandeburgenſem noſtro & Reipub. nomine, legatum extraordinarium magnum & plenipotentiarium Illrm̄um Stanislaum Antonium in Szczuczyn & Radzyn Szczuka Pro-Cancellarium M. D. Lit. Caſtrenſem Lublinenſem & Vechſnenſem Gubernatorem plenariè inſtructum, nominandum & deſignandum cenſuimus, uti quidem præſenti-

ſentibus literis noſtris nominamus & deſignamus, dantes & concedē- *A.C.* 1703
tes ipſi abſolutum & omnimodam, prout eſt inſtructus, facultatem, cautis prius cavendis, evictis evincendis, abolitis abolendis, agnitionem Regii tituli & Mtis Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino Friderico III. Marchioni & Electori Brandeburgico &c. tribuendi, cum eo Pacta antiqua, recentia, & nova revocandi, conſervandi, ſtabiliendi, Pignus certum pro ſumma Elbingenſi depoſitum levandi, de levato prævia & mutua de prætenſionibus quietatione, quietandi, contra infeſtas Suecorum vires Pacta & Societatem reaſſumendi, & ſecuritatem omnimodam mutuam parti utrique providendi, concertandi & concludendi. Cæteraque in talibus neceſſaria & obſervari ſolita, peragendi, exequendi, conficiendi, ac in tabulas referendi, ita, ut, quidquid per eum geſtum, conſtitutum, ac inſtrumentaliter conſcriptum & confectum fuerit, Nos totum id cum Republ. pro rato, firmo & grato ſuſcepturi ſumus. In quorum fidem præſentes noſtrâ manu ſubſcriptas ſigillo Regni communiri juſſimus. Dabantur Varſaviæ die Menſis Octobris.

CREDENTIALES Ad REGEM IN PRUSSIA.

AUGUSTUS II. &c. Poſt Tit.

POſteaquam nobis, ac univerſæ Reipubl. cognitum eſſe potuit Mtem Vram non ideo nuper Regium in Pruſſia aſſumpſiſſe titulum, ut veteribus atq; recentibus cum Sereniſſimis Prædeceſſoribus noſtris Regibus Poloniæ atq; Republ. demptum aliquid imminutumq; fœderibus queri poſſit, quin potius, ut auctus hic Regius ſplendor uberiorem in vicina, fœderataq; Regna ac provincias noſtras utilitatis commodorumq; explicet ſphæram; poſitis demum, qui hucuſq; liberam Remp. fatigavêre ſcrupulis, quò firmiori nexu vetera & recentia conſtabiliantur Pacta, obortæq; difficultates omni meliori modo aſſopiantur, atq; contra communem olim hoſtem, nunc Regni noſtri ſub fucato amico nomine graviſſimum vaſtatorem, mutuis viribus deſiderata ſecuritas, promptaq; periculi propulſandi media pro nexu fœderati perpetuò Principis adinveniri, & exequi valeat, extraordinarium legatum noſtrum magnum & plenipotentiarium ſufficienter inſtructum Illrmum Stanislaum Antonium in Szczuczyn & Radzin Szczuka Procancellarium M. D. Lit. Caſtrenſem Lublinenſem & Vechenſem Gubernatorem ad Mtem V. deſignari fecimus. Huic itaq; tam publicè quàm privatim eandem accedenti, quatenus benignas & faciles concedere admiſſiones, plenamq;, quidquid nomine noſtro & Reipub. propoſuerit, fidem tribuere velit, quemadmodum à Mte Vra enixè contendimus, ita eidem à nobis viciſſim redhibitum iri omni occaſione pollicemur, ac interim fauſtiſſimos auſpicati regiminis cum longæva valetudine à DEo T. O. Maximo animitùs precamur ſucceſſus. Dab. Varſaviæ die menſis Octobris.

A C. 1703 INSTRUCTIO SACRÆ REGIÆ MTIS DOMINI NOSTRI Clmi ſuo & totius Reipul. nomine ad Sernmum Principem Dominum Fridericum III. Electorem Brandeburgicum, nominandum verò prævijs effectuandis infraſcriptis conditionibus Serenmum & Potentiſſimum Regem in Pruſſia Illrmo Stanislao Antonio in Szczuczyn & Radzyn Szczuka Procancellario M. D. Lit Caſtrenſi, Lublinenſi, & Viechnenſi Gubernatori, Magno Legato & Plenipotentiario data in Cancellaria Regni die Menſis Octobris.

POſtquam ea in Rempubl. noſtram ſuperingruerint tempora, ut jam in ſecundum annum improviſis Suecorum laceſſita armis, nec oblatis ad tractatum conditionibus valens hæcce quovis caſu concitos ſiſtere motus, omnimodæ ſecuritati ſuæ conſultura, ad externa demum Vicinorum, fœderatorumq; Principum tum vel maximè ſuæ Serenitatis Brandeburgicæ, naturalis & perpetui cum Repub. ex pactis Velavienſibus fœderati ſubſidia reſpicere teneatur, ad eumq; eo nomine interpellandum difficultas de aſſumpto nuper in Pruſſia Regis titulo plurimùm anxiam, & dubiam hærere faceret, tandem juſtos hucuſq; habitos ſcrupulos in eum modum S. R. Mtas Dominus N. Clmus, atq; Reſpublica reſolvit.

1mo. Feſtinatis quantocius itineribus nominatus Illuſtriſſimus Legatus Regius & Reipub. magnus & Plenipotentiarius in perſona, vel etiam per Nuntios & literaria commercia Legationem ſuam magnam ad aulam Brandeburgenſem inſtitutam eſſe manifeſtabit, eam tamen non prius adornandam & publico charactere ac ingreſſu ſolenniſandam, donec privatus omni depoſito charactere, difficultates, ſcrupulos & deſideria Regia ac Reipub. aſſopita, excluſa, & conceſſa obtineat.

2do. Utpote ne uſurpatio Regis in Pruſſia conſtitutis pactis Velavienſibus & Feudo perpetuo Reipub. in Pruſſiam Ducalem per eandē cauto, quidquam deroget, ſed valida, firma, nec in quopiam mutata, licet Titulus Ducalis in Regium mutetur, permaneant, quo nomine ſecuritas omnimoda ſtipuletur, ita, ut mutatio ſolius tituli nihil ſubſtantiæ rei prædictorum tractatuum addere vel demere poſſit. Quapropter cavendum erit, ne ulla nova telonia, impoſitiones, ſeu quocunq; nomine exactiones, terrâ, mariq; in ditionibus ſuæ Serenitatis Electoralis uſurpentur, ne limites antiqui vel tractatuum uſurpatione, vel quovis alio colore prætendantur, ne in lacu Drauſen ſemper & antiquitus ad œconomiam Mariæburgenſem ſpectante piſcatura per ſubditos ſuæ Serenitatis Electoralis prætendatur, néve iidem in præjudicium Magnifici Palatini Mariæburgenſis, & plurium ejuſdem Palatinatûs nobilium aggerem in torrente Soigen moliri præſumant, ſed omnia & ſingula juxta veteriora & recentia Velavienſia pacta inviolabiliter conſerventur. Tum quoq;, ut Epiſcopatuum Vladislavienſis Varmienſis & Culmenſis aſſopitis ad præſens juſtis prætenſionibus in poſterum eædem Cathedræ, circa jura, juriſdictiones & immunitates, juxta eadem pacta ſolenniter manu teneantur.

3tio. In favorem verò præmiſſi concedendi Regii tituli ſumma Elbingenſis trecentorum millium imperialium pignore certorum clenodiorum, & in oneratione Territorii Elbingenſis nuper per Rempub. aſſecurata in perpetuum aboleatur, nec quidquam juris, prætenſionis vel

vel prætextûs in civitatem Elbingenſem, vel ejus Torritorium inde relinquatur, clenodiaq; invadiata Reipub. integrè ſub ſigillis inſignita reſtituenda in manus ſuas extradantur. Eadem civitas Elbingenſis, & quævis alia loca ac ſubditi Reipub. in Teloniis ſive prætoriis juxta vetera pacta conſerventur, ſublato onere Strandtgeld dicto, ſeu quovis alio, contra quem hucusq; civitas Elbingenſis queſta, abuſu in perpetuũ.

4to. Summa ſuper Capitaneatum Drahimenſem integra Reipub. remittatur, ipſeq; Capitaneatus poſſeſſioni Reipub. reſtituatur, aut ſi id nullatenus fieri poſſit exemptio ejuſdem juxta anteriora diplomata omni beneplacito tempore caveatur.

5to. Præter ordinarium ſubſidium ſemi duorum millium peditum pactis Velavienſibus pro quolibet bello in rem Reipub. cautum, in poſt verò ſublato quovis diſcrimine novi vel veteris belli tamdiu, quam diu duraturo, cavendum, deſiderabit Illuſtriſſimus Plenipotentiarius Legatus, quatenus viribus ſuis ſua Serenitas Electoralis contra Regem Suecíæ in ejus ditionibus per diverſionem belli quantocius operationes bellicas incipiat, quo nomine de mutua belli diverſione contra communẽ hoſtem, ſi ita viſum fuerit, ineundi & conſcribendi tractatûs plenariam habiturus eſt facultatem, vel ſaltem punctum tertium pactorum Velavienſium reaſſumptum per ſuam Serenitatem Electoralem manutenendum, ſufficienti modo & effectu aſſecurari curabit. Cùm verò ſubſidium illud ordinarium jam binis annis, nec ullâ vice ſtante moderno S. R. Mtis Dñi N. Clmi regimine, uti intererat ſit ſubminiſtratum in compenſationem prætermiſſorum, atq; in conteſtationem ſinceram optimæ erga commoda & ſecuritatem Reipub. voluntatis pactis Velavienſibus l. 10. & 11. punctis profeſſæ & aſſecuratæ expetet, quatenus auctas ad plura vel ad minimum ad duo millia peditum copias cum re tormentaria, ac propria alimentatione pro binis ſaltem expeditionibus Sua Serenitas Electoralis ad primam S. R. Mtis Domini noſtri requiſitionem impertiri velit.

6to. His demum evictis, cautis, & obtentis ingreſſum publicum, & audientiam, uti & tanquam ad Regem in Pruſſia Magnus Legatus pro honore Regis & Reipub. ad honorem quoq; Regiæ Mtis in Pruſſia omni meliori apparatu adornabit, ſolennemq; faciet, plenum in publica audientia ſuæ Serenitati Electorali titulum Mtis, ac poſthac in conferentiis & congreſſibus tribuet & à S. R. Mte Dño N. Clementiſſimo & Repub. in pôſt tribuendum, & dandum, ita tamen, ut Regis in Pruſſia Legatus, vel Miniſter Regis Poloniæ & Reipub. Legato aut Miniſtro quovis loco manum vel præcedentiam ſine omni controverſia deferat, aſſecurabit, neceſſariaq; hujus rei inſtrumenta ſive pacta mutua ſemper ſtando in pede pactorum Velavienſium conficiet.

7mo. Quod ſi præmiſſæ conditiones nullum apud ſuam Serenitatem Electoralem momentum ſortiri valebunt, tum Legatus magnus charactere ſuo & agnitione Regii tituli omnino abſtinens, de ſola tantùm numeratione pecuniæ per Rempub. in exemptionem pignoris Elbingenſis nuperis Comitiis laudatæ, ac temporis certi lociq; præfixione, uti privatus tranſigere, declarationemq; obtinere annitetur, vel ſi pecunia laudata interea ſupervenerit, exnunc eandem numerari faciet, præviis, quietatione de eadem, & Territorio Elbingenſi, ac reſtitutione clenodiorum oppignoratorum, idq; in manus ſuas.

8vo. Difficultas in quopiam vel in quibuſdam non reſoluta, ſi ſupervenerit pro reſolvenda ea ad S. R. Mtem, Primatem Regni, & Miniſtros

*A.C.*1703 niſtros Status Regni faciet. Quo nomine S. R. Mtas & Miniſtri literariam correſpondentiam ſemper tenendam cum magno Legato animadvertent, & viciſſim idem eandem diligenter eſt obſervaturus.

9no. Interim quàm primùm ex Cancellaria, & Theſauro Regni neceſſarias ſumpſerit expeditiones ſui muneris & negotii momenta auſpicanda ex nunc curare omni formâ & modo meliori non intermittet.

Reliqua fidei, prudentiæ, & zelo in publicum magni Legati & Plenipotentiarii ſemper probatis agenda & perficienda plenè committuntur.

Ad mandatum Sacræ Regiæ Majeſtatis proprium.

LXXIX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. CHRYSOSTOMO CZAPSKI CASTELLANO ELBINGENSI

14 Octobris.

COmmunis totius Patriæ infelicitas non tantùm nos à communi converſatione arcet, ſed etiam viciſſim nobis de nobis conſulere non permittit. Non habuimus fortunam videndi te in Comitijs, nunc quamvis pro brevi tempore habitâ licentiâ propter intereſſe Epiſcopatûs mei huc venerim, nec ſperare quidem licet, quòd poſſim fraterno colloquio publicum lenire dolorem, cui etiam ſinum pectoris aperire voluiſſem, liceat ſaltem literis compellare, & quærere, quid tandem cum noſtra Provincia fiet? de qua cogitare multis titulis pro officio juxta & voto meo reputo. Paratam jam habebam in Cancellaria mea expeditionem pro Comitiolis Relationis, ſed non eſt viſum Senatoribus noſtris quibusdam præſentibus publicare hanc expeditionem, quandoquidem commoditas coeundi nobilitati adempta. Expeditæ ſunt Univerſales literæ ad ſancita Comitiorum exequenda, præcipuè civitates invitando, ſed nec hoc, ut audio, placuit, cauſa hujus vel maxima, diſſenſiones & diffidentiæ noſtræ, quæ hoc tempore, quo ad unum conjungi deberemus, ceſſare deberent, eò magis fato quodam noſtro, & irrevocabili damno augentur, quia diſcordes bonum publicum privatis ſimultatibus impediunt, & ultra id, quid miſerius accidere poteſt, quàm is ſtatus in libertate, quem aliæ Nationes non ferrent unquam in ſervitute. DEus, (quem licet indignus ſincerè indies invoco in teſtimonium) Judex & Vindex erit publicæ, & Provinciæ noſtræ injuriæ. Plura non ſcribo, ne plura, quàm licet, dicam, tuam fraternam invoco gratiam, ut velis antiquo me complecti affectu, & ſi quis uſus mei, jube, quid velis, ut tibi ſervire poſſim, & hic, antequam abeam, & ibi, quò me infortunatum vocat miniſterium, bonâ ergo fide utere me, ſicubi usq; erit, reperies pronum & affectum. Volo enim palàm, tibi monſtrare, quàm ſim. &c.

IDEM STANISLAO MORSZTYN PALATINO MASOVIÆ

Commiſſario ad Tractatum 8. Decemb.

LÆtatus ſum in his, quæ ſcripta ſunt mihi, quando jam certo ſcio de adventu tuo, & ulteriori Varſaviæ reſidentia, quia afflictus eram, & ſollicitus, ne prætextus abſentiæ Veſtræ accipiatur pro alienatione à pace. Jam nos DEus punivit, uti Dominus, & deſtinavit tanquam malos & perverſos in id, ut ſemper ei humiliemur. Non eſt ulla ſpes hoc rerum ſtatu, ut vel minimus reſpectus glorioſæ quondam

Gentis

Gentis apud exteros habeatur; quomodo enim illi aliquid in favorem *A.C.* 1703 noſtri cogitare debent? quando nos ipſi nihil boni de nobis cogitamus. Non ſemel petij animæ meæ, ut moreretur præ tædio præſentium, præ metu futurorũ, ſine ſpe lætiorum, cuncta quæ lenit mala. Comprimo calamum, quia fortè plura ſcriberem, quàm licet, ſed in paſſionibus meis tam corporis, quàm animi, quia fluxiones ex oculis manant cum magno dolore. Angor animo inde vel maximè, quòd iterum poſt numerata ab Epiſcopatu 125 millia florenorum bonæ monetæ, non numerando honoraria, requirunt Sueci hyberna agere hic, ubi alij jam ſibi deſtinârunt hoſpitia. Et ſic vivo, tanquam unus ex Patribus in limbo, expectans unde auxilium, vel timens, unde malum veniet mihi: Intelliges ex annexa copia, quæ nobiſcum fient, ſi pro una nocte tantùm dari debet, quieſcere ne poterit vox à ploratu, & oculi à lacrymis?

LITERÆ GENERALIS REWELL COMMENDANTIS CIVITATIS THORUNII. 14. Octobris.

Deſcriptio obſidionis & deditionis Thorunij.

VEſtra Celſitudo non in malam interpretabitur partem, quòd tamdiu nullas literas narratorias miſerim, ſiquidem ita circumcluſus hucuſq; fuerim, ut intra 14. ſeptimanas nullas literas à S. R. Mte acceperim, quamvis ultra 10. ad eam tranſmiſerim. Poſt hoc tempus ſatis S. R. Mti miſerandam militis noſtri conditionem, neceſſitatem victûs & pecuniæ pateſeci, quòd milites gregarii unà cum exercituum Officialibus per 20 Septimanas durante primum æſtatis fervore, pòſt ingenti frigore, ac tempeſtate iniquâ ſub dio in madente terra veſtibus amicti, cubare coacti fuerint ideo, quia hoſtis vix 300 paſſus à noſtra muralis foſſæ lorica diſtabat, & periiſſent fame ac injuriâ tempeſtatis, niſi Generalis D. de Canitz alijq; exercituum Duces oppignorando res, bonaq; ſua gregario militi ſuccurriſſent. Præterea morborum multitudo, & vehementia ita hic graſſatur, ut decumbentium multitudo 2188. hominum numerum excedat, medicamenta cæteraq; vitæ ſubſidia deficiunt. In hoc tantoq; rerum diſcrimine S. R. Mtem imploravi, ut circa medium 7bris nos liberaret, ne aliâ ratione ſalutem quærere cogamur. Hac dulci liberationis aut ſubſidiorum mittendorum ſpe freti quovis momento votorum exitum expectavimus, ſed fruſtra. Nihilominus cùm interea 19 7bris hoſtis nocte appropinquaret, & in monte leporũ inter Culmenſem & Veter-oppidanam portam pedem fixiſſet, laborare incepiſſet, lineas aliquas formâſſet, D. Major de Sacken juſſi, ut cum 200 militibus eruptionem faceret, quod feliciter ipſis ceſſit, ut non ſolùm extra ſuas lineas non ſine exigua hominum jactura (quod jam ipſe fatetur, actionemq; totam laudat) fugaverint, at noſtri perditis tantum octo hominibus, ex quibus aliqui vulnerati feliciter huc ſe receperint, 24 Septembris circa meridiem Sueci ex 6 locis bombis, globiſq; igneis nos, urbemq; noſtram infeſtare cœperunt, illudq; ad horam ſeptimam matutinam continuabant, ſtatim etiam curiam unà cum 14 domibus incenderunt, ſoloq; æquârunt, ut ſileam damna, quæ templis aliiſq; Domibus inde obvenerunt, etſi enim hæc omnia prævíderimus, omnemq; curam dederimus hæc avertendi, metus tamen & ſocordia civium, Magiſtratuſq; obicem poſuit; ſequenti die 25 7bris duas poſt horas bombis, globiſq; igneis eàdem vehementiâ in nos jaculabantur, quod totam per noctem durabat. Die 26 manè poſt horam nonam vehementiùs adhuc tormentorum ignis fulgurabat, multaq; damna templis

A.C. 1703 plis, domibuſq; dedit, ita tamen ut in flammas non eruperit, nihilominùs ultimo die bombus aurifabrum quendam nomine Medinus diſſecuit, ſimul etiam D. Capitaneum de Pontzig, & Dñum Capitaneum Carlvitzium ita tetigit, ut ille paucos poſt dies obierit, alter adhuc lethaliter decumbat. Hic tormentorum furor animavit cives, ut factiones concitaverint, & publicè per Præcones ebuccinaverint, quos tamen Dñus Generalis à Canitz prout meruerant, excepit flagitantes, quòd in Caſtra quidam mitterentur, & induciæ peterentur, quod cùm factu eſſet impoſſibile, omnibus modis rebelles conciliandos, & leniendos tentavimus, ſed fruſtra cùm tumultus magis, magiſq; creſceret coactus ego Ducem Colonellum de Goitz cũ 500 hominibus in civitatem mittere, quo ſeditioſos comprimeret, quod etiam Dñus Generalis à Canitz per Magiſtratum obtinuit, protinus tamen cœptâ ſententiâ deſiſtere noluerunt, ſed conſilium cœperunt de conſignandis articulis tranſactionum. Interea in hoc conflictu & graſſante adhuc morborum lue multi hominum periêrunt per præſidia in Inſula novo opere aliis in locis poſita, multum decrevit noſtra militia, ut ad tuitionem Caſtelli non plus quàm 1121 gregariorum remanſerint. Cum igitur impoſſibile mihi viſum fuerit tantillo hominum manipulo me defendere diutiùs, D. Generalem de Canitz cœteroſq; omnes Exercituum Duces convocavi, certa puncta ipſis propoſui, illorumq; ſententiam requiſivi. In tanto ergo rerum periculo deficientibus omnibus defenſionis remediis magno animi dolore tranſactiones quærere coactus ſum. Quare 7 Octob. Tympaniſtam in caſtra miſi, qui Officialem belli expeteret, quo cum pacis conſilia caperem, reſpondebatur Sereniſſimum Regem Sueciæ non eſſe præſentem, & ita nihil certi à Ducibus poſſe conſtitui, ut cras iterum accederemus, inſurgebant, nec tormentis explodendis ceſſabant. Sequenti die alius delegabatur, qui efficiebat, ut ad nos Generalis Adjutor ante lineam ad Dñum de Haud, quem illuc deputaveram, accederet, nullaſq; tranſactiones Regem Sueciæ accipere velle, niſi quæ eſſent ſub diſcretione, hocq; primam & ultimam fore reſolutionem. Secundâ vice exire juſſi dictum Majorem, ut S. R. Mti ob oculos poneret, non poſſe nos datas conditiones accipere, noſq; videri coactos extrema quæq; expectare, ſperare tamen nos ſubmiſſâ mente fore, ut ceu juſtiſſimus Rex ſecundùm gentium jura conditiones rationi belli conformes ſit conceſſurus. Reſpondit, ne quidquam ipſum recedere à priori reſolutione, eſſe jam 5 Menſes, quòd hanc urbem concluſerit, & certè parùm honoris & gloriæ in ipſum redundaturum eſſe, ſi patiatur ſibi leges à nobis præſcribi. Reſpondebatur nos haud eſſe in culpa, & ſi ab exercitu exegiſſet, refractarios non deprehendiſſet, nec potuiſſet urbem eidẽ ultro offerre. Decimâ, ultima Reſponſio facta priorem reſolutionem adhuc manere firmam & immutabilem, nec aliter niſi ſub diſcretione illa tranſactionem ſuſcipi, majori etiam vehementiâ tormentorum rugitus in nos fremebant, taleſq; faciebant progreſſus, ut paucis paſſibus à noſtra muralis foſſæ exteriore lorica diſtarent. Cùm ita jam extrema iminerent pericula, quid rebus ſic ſtantibus faciendum? an gratia à Rege clementiſſimè ſtipulata arripienda, an defatigati milites internecioni immolandi? anceps hæſi. Hinc denuo 12 die Dñum Sogentin duabus vicibus ad hoſtis lineam miſi, ut alias expeteret conditiones, ſed nihil effecit, quod ſemel ſtatutum erat immutabile, & niſi hoc acceptaretur, non admiſſuros Tympaniſtam ullum. Tandem ergo Regis clementiâ confiſi die 13 ſub veſperam nos dedidimus hoc annexo petito, ut

ut uſq; ad hanc diem nos in priori ſtatu ſineret, prætereaq; ſperantes A C.1703
non facturum nos captivos belli. Inde Sueci prætendebant, ut præſidia in porta Culmenſi ponant, quod eſt illis conceſſum. Sueticæ militiæ à noſtris militibus & civibus arma, quatuor vexilla equitum, & 18 peditum, & 12 tormenta tradebantur. Quales præterea vices ſimus experturi, experientia docebit; ſumus quidem facti certiores nos eſſe futuros captivos belli, ſed hæc omnia tempore fient manifeſta.

ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO.
16 Octobris.

NON dubita, quòd hodie, qui olim fuit, nihil eſt imminutus amor. Hæc verò tibi communicanda cenſui· videns Rex Sueciæ, noſtrum nolle, in campo ſecum decertare, aggredi Thorunium omninò concluſit, non tantùm quòd illud fortalitium ſit ſatis munitũ, ſed etiam quia per poſſeſſionem ejus omnem adimet communicationẽ cum Gedano, & accepto illo totum planè peditatum Saxonicum ſub poteſtate ſua habebit. Datis igitur mandatis, ut peditatus ſequeretur, citiſſimis paſſibus cum Equitatu movit. Sciendum autem Regem noſtrum plus quàm 5000 Saxonum in illo fortalitio reliquiſſe, cum ipſe Mariæburgum deinde Elbingã divertiſſet. Saxones reſoluti ad defenſionẽ primò ſuburbia, & Eccleſiam in illis, omneſq; hortos incinerarunt ad tollendam omnem Suecis facilitatem. 16 Maji incepit Rex Sueciæ oppugnationem tantùm cum 8000 hominum. Præſidium urbis unà cum Civibus erat tam numeroſum, ut in fortalitio tam inſigni 40 millibus hominum reſiſtere potuiſſet. Aggreſſi erant Valachi Suecorum Saxones, qui pontem ſuper Drweraca poſitum cuſtodiebant, & victi fuiſſent, niſi Rex ipſe Sueciæ comparuiſſet. Interim cùm Rex Sueciæ informatus fuiſſet de majori Polonia minus affecta Regi noſtro, miſit illuc Generalem Reinſchildt, ſtrenuum & fortem ne invidia quidem negaverit, qui cum ſua prudentia non tantùm animos devicit ad libenter contribuendum, cùm jam populus vel Regis Sueciæ metu, vel ſuâ ſponte fuerit depravatus, ſed etiam ad Confœderationem pro Rege Sueciæ ineundam. Principium hujus prudentiæ Generalis hujus adſcribendum, qui ita Polonam Gentem tractavit, ut illibenter Regem ſuum contributiones requirere aſſecuraverit; omnes, quicunq; partium eorum eſſe vellent, ſecuros reddendo, quod extra omne periculum requirendarum contributionum ſint futuri. Jungebat ille ad valorem & experientiam Magni Ductoris affectum boni ſubditi, & intellectum delicatum conſiliarij. Unde non tantùm meruit beneficia ſui Regis, ſed etiam Poloniæ æſtimationem.

Non habebat à principio Rex Sueciæ, ea requiſita, quæ ad aggrediendum & expugnandum fortalitium ſufficerent, & quamdiu hæc ex Suecia non veniſſent, tamdiu fortalitium ſtrictè quidem tenebatur, ſed fortiter non oppugnabatur. Quando autem Rex Sueciæ Thorunium oppugnare cœpit, Primas Regni Manifeſtum publicavit, quod tibi adnecto, ex quo patebit contra animum multa ſcripta fuiſſe; quamvis Rex Sueciæ non eſt viſus contentus ex hoc ſcripto, & Comiti Piper mandatum fuit, ut id ipſum ſignificaret Cardinali, quod reſponſum conſilij Varſavienſis non concordabat cum declaratione Suæ Majeſtatis, quòd miraretur, cur expectabantur illæ perſonæ, quæ ſuſpicionem movebant manutenendi inimici Regis Sueciæ. Addidit

*A.C.*1703 didit hic idem Miniſter quòd hic modus agendi non haberet pro fine tranquillitatem publicã; Unde Rex ejus majus poſitivum expectabat reſponſum. Et ſicut illud conſiliũ non tantùm videbatur condemnare omne id, quidquid ad bellũ campũ dedit, ſed etiã, quod ſit diſpoſitum ad invenienda media, quibus impediri poſſint ſimiles intentiones; credens Rex Sueciæ, quòd neceſſe eſſet, ut Reſpub. ſe explicaret clarius ſuper iſta media, non videns alia efficaciora, quàm illa, quæ indigitavit pro ſtabilienda ſecura pace inter Sueciam & Poloniam. Ultra id addidit Comes Piper, quòd Sua Mtas Dominus ejus evitaverit ſemper differentias cum Repub, nolendo ſentire etiam certas res, quas non patitur, qui arma in manu habet; non aggredietur, niſi ſibi contrarios; Reges ut fulmina ſunt, dura frangunt, mollibus plerumq; illæſis. Rapidus fluvius eſt, non temerè transvadari poteſt. Signum autem hoſtilitatis reputabit; ſi aliqui Palatinatus huic ſe immiſcuerint bello, ita, ut Rex excuſandus ſit, ſi vim vi repellere cogetur.

Conſilium noſtri Regis credebat, quòd Legatus Imperatoris armiſtitium concluſerit inter Reges, & quòd illud ruptum fuerit à Rege Sueciæ per victoriam Pultovienſem, ubi Generalis Steinau tanquam ex mandato Regis ſui non ſe defendiſſet, & quod Generalis Maydel ſine ullo impedimento in Poloniam intraviſſet. Rumor hujus armiſtitij aliquem ſtuporem Cardinali incuſſerat, qui dum Theſaurario Litvaniæ eo nomine ſcripſiſſet, & ille Comiti Piper literas communicaſſet, reſponſum eſt nomine Regis Sueciæ armiſtitium hoc fuiſſe falſò publicatum, utq; ſcirent vel ex hoc ipſo, quantum interſit inter verum & falſum, cùm Rex ejus, nec Imperatoris, nec alicujus alterius potentiæ mediationem acceptare voluerit. Eſt litera Miniſtri hujus ſcripta contra Regem noſtrum, quam curabo tibi mittere, in qua etiam idem Piper amicitiam cùm Repub. velle manutenere Regem ſuum aſſecurat. Videntur etiam Primatis Regi Sueciæ ſcriptæ literæ, in quibus brevi pacem fore ſperat, dum utraq; Pars illam deſiderare videtur; utque id melius fieri poſſit, precatur Regem Sueciæ, ut quantocius mittat Comiſſarios Varſaviam & ab oppugnatione Thorunij ceſſet; cùm ſcilicet illa Civitas ſit innocens, & ſub protectione Reipub. & eò magis, quòd expugnatio ejus alienare poſſit animos à parte una & altera.

Reſpondit Rex Sueciæ Cardinali, & Commiſſariis, qui ei ſcripſerant, quod eſſet in tam proxima ad pacem diſpoſitione, ut illis propoſuerit ſecurum medium ad illam perficiendam, ſed ſe mirari, quòd illud nec exequerentur, nec acceptarent. Ingratum decus alit illorum mentem, ſemper aliam, nunquam diu eandem, quod tuta conſilia ſpecioſis non anteferrent, imò tuta & præſentia negligant, vetera & periculoſa malint, & quis illi ſecundus ventus, cui nullus certus fuerit portus naviganti. Proinde hoc quibus vacat, examinent, videantq;, adhortabatur, qui cum habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus, ut in tenebris tanquam cæci & debiles ambulaturi ſint, niſi eos retrorſum infatuata pravis opinionibus pertinacia averterit. O ſi ratio ipſa quaſi per anatomiam rerum momenta perpenderet, & oculatiùs inſpiceret, plura, quæ Rempubl. aut abſentia terrent, aut præſentia torquent, torquendi aculeo exarmarent, aut futurorum minis prudenter extenuarent, & præſentium moleſtiarum per reſolutionem in tempore ſumptã mitigarent, aut moleſtiarum incrementum ab imaginatione duntaxat magnum prudenter diminuerent, qui è nuce vult eſſe nucleum, frangat nucem, explicent ergo ſe clarius ſuper his quæ illi proponere volunt.

lunt. Quantum ad Thorunium, non urbem aggreditur, ſed Saxones, qui ibi ſunt, nec omninò ab aggreſſione eorundem abſtinere debet, tanquam contra inimicos. *A.C.* 1703

Poſt Comitia Lublinenſia, de quibus credo te informatum eſſe ex antecedentibus meis, ex una parte Poloni 100 Suecos aggreſſi, vicerunt, ex altera Litvani 400 Equitum pro contributione deſtinatorum, itidem in poteſtatem ſuam redegerunt.

Propoſitum erat ab Ablegatis extraneorum Principum Regi Sueciæ, ut Thorunium acciperet, & Saxones dimitteret, ſed ille nihil ſe contra Thorunium habere, ſed ſolos Saxones debellare velle reſpondit.

Cùm hæc agerentur, Naves Sueticæ venerunt à Pucko cum Artilleria & 4000 hominum, & 20 Septembris fortiter aggredi cœperunt Sueci; unâ nocte 40 domus cum Prætorio Civitatis (cum Archivis non ſine ingenti damno totius Pruſſiæ, ibi enim conſervari ex lege & conſuetudine ſolent) tam pulchræ, ut vix Amſtelodamenſi cederent, combuſtæ ſunt. Noluit Rex igne conſumere Civitatem, ſed tamen ita eam aggrediebatur, ut Generalis Rewell, qui nomine Regis noſtri fortalitium hoc defendebat, evitando aggreſſum, qui parabatur, 12 Octobr: colloquium petierit, ſed illud Rex denegavit, utq; ad diſcretionem ſe dederent, ad finem quinq; menſium obligavit. Dumq; in conſpectum ejus veniſſent Generales Rewell & Canitz, optimè ſunt excepti, & ad menſam Regiam tractati. Non multos perdidit Rex Sueciæ ex ſuis, Generalis tantùm Lieben, cùm vicinus eſſet Regi, occiſus eſt, quem Sua Mtas ſatis doluit. Quàm pulchra fuerint ibi tormenta, explicare non vacat, miſſa ſunt in Sueciam, & plùs quàm 4000 hominum cum duobus Generalibus in captivitatem ceſſerunt. Omnis ergo pene peditatus Regis noſtri periit. & fortalitium terræ ferè æquatum fuit.

Poſt hæc Reſidentia mea Heilsbergenſis in Varmia honorem habebit (utinam eo privaretur) Rex ſcilicet Sueciæ ibi hyemare cum exercitu deſtinavit, ſed memoriâ memor ſum præmoniti: cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius, quia quidquid ab hoc Rege decretum, id jure factum cenſendum eſt. Prophetat tamen verum ignorans Caiphas, quòd magnum Epiſcopatui huic immineat malum, non à perſona Magni & clementiſſimi hujus Monarchæ, ſed à numeroſo comitatu, & rigido Commiſſariatu. &c.

LXXX.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM ET SAMB. LAURENTIO NYCZ CANON. VARMIEN. 26. Octob.

DEUS mihi teſtis, in cujus conſpectu hæc ſcribo, quòd rumpar, & diſrumpar præ afflictione, conſiderando non tantùm præſentia, quæ jam videmus, ſed & futura, quæ infallibiliter imminent, mala noſtra. Nimia liberalitas eorum, quos delegâſtis ad tractandum cum Generali Steinbock omnem poſt ſe traxit infelicitatem, quia concedere tam magnam ſummam, quæ erat omninò impracticabilis, & quæ hactenus congregari non poteſt, dedit motivum ad majores prætenſiones. Volunt, ut adferatur Tariffa contributionum, quid hoc ſignificat? niſi quòd nova inſupportabilia timenda onera, ſub quibus ſuccumbendum erit. Petii, optavi, ut cum remiſſione quinquaginta millium florenorum temporiſaretur, & exſolutio differretur, cùm non deſint juſti prætextus, quia quando jam tam largè dare incepimus, verendum, ut

*A.C.*1703 ut nos etiam Brandeburgici ſalvent, qui quomodo intraverint, jam ſcis, & præſentes Canonici teſtabuntur, quantum fecerim, ut hæc declinaremus mala. Inceperant imprimis tractare nobiſcum, & cùm nec mihi, nec præſentibus Canonicis viſum fuerit, ut vel minimam conniventiam in eo monſtraremus, & illi revelârunt arcanum primò verbis, nunc effectu, quòd volentibus, vel nolentibus hoc imponetur præſidium. Ad primam notitiam, quam habui de Wormdito, acceſſi ſtatim Ducem Holſtienenſem, incuſavi factum, ſed contra omnes rationes meas hoc repoſuit, quòd omninò velint defendere Varmiam. Si verò nos idipſum nolumus, vel ſumus ingrati, ipſi ſibi providere debent, quia, ſi Suecos intrare permitterent, magna eſſet ruina in Varmia, & ſic prætendunt favorem nobis præſtari, ſibi autem præcavent, quia infallibiliter venirent exercitus Polonici, Litvanici, Saxonici, & theatrum belli poſſet inſtrui, injuriæq; inferri Pruſſiæ eorum cum periculo incipiendi novi belli, quod illi minimè optant, & quamvis non negant intrâſſe ſe in colligationem cum Suecis, non prætendunt tamen unquam vel minimum Reipub. præjudicium, offerendo omnimodam ſecuritatem, quòd quidquid nunc ob rationes ſtatûs fit, nullum inde Varmia habebit damnũ, imò defenſionem. Rogabant inſuper, ut repartitio per nos fieret, ne ipſi illam facere cogerentur. Conſideres ergo, quid mecum agebatur. Si eſſemus in ſtatu dandæ reſiſtentiæ, libenter priùs darem vitam pro ovibus, & habeo tantum animi, ut ante aciem ponerem me primus. Sed quia vana ſine viribus ira, ferendum erit, quod mutari non poteſt; interea verò optarem, quàm ſecretiſſimam, ne irritemus Crabrones fieri proteſtationem meo & Capituli nomine, coram Notario publico ſuo tempore tranſportandam, vel ad Nuntiaturam, vel ad Metricam Regni, vel ubi demùm videbitur, ut orbis videat, quòd non tantùm inſcijs, ſed & invitis hæc ſervitus imponitur. Optarem etiam, ut aliquem mittamus Berolinum, qui loquatur pro nobis, & numerum ſaltem exceſſivum deprecetur, ſecuritatem procuret, quia hæc loqui, vel tractare cum Principe Holſtinenſi, vel Regimine Regiomontano vanus labor, quia illud quodcunq; Berolino præſcribitur, ita ad literam exequitur, ut nihil unquam plus ultra ſibi permittat.

Hæc eſt infelicitas, quòd vobis ipſis non conſtitiſtis, indixerâſtis Capitulum Regiomonti, & in hoc ſuppoſito omnes meas cogitationes, quæ certè non tendunt, niſi ad optimum pro Eccleſia finem, reſervaveram, & pòſt mutatio facta, quæ omnia confudit.

Quantum ad literas Generalis Steinbock videtur habere rationem aut enim non erat promittendum? aut quando jam (abſit injuria verbo) præcipitanter promiſiſtis, numerare cœpiſtis, neſcio quomodo reliqua evitari poſſunt, nam & Regiomonti nimiam hanc noſtram accuſant punctualitatem, cum ſolita noſtra applicatio Divino fulta auxilio, ea invenire potuiſſet media, ne ex uno bove duæ pelles traherentur. Reſcribendum credo civiliſſimè Steinbockio, excuſando imprimis hanc moram pauperis exoſſati Populi, à quo vix extorta prima ſumma immediatè miſſa, reliquum colligimus, quantum fieri poteſt celerrimè. Quando verò nihil minus ſperantibus comparuit apud nos miles Pruſſicus, quando ſub ejus ſumus regimine, poſſibiléne eſt, ut immediatè ſatisfiat utriq;? Spem non dubiam habemus, quòd juſtiſſimus æquè ac clementiſſimus Rex indolebit potiùs malignitati Fatorum, & non extendet potentiam ſuam; Neſcio, ſi addi & id non deberet, ut Reges inter ſe conveniant, & nos, quoniam aliter fieri non poteſt, ſortem, quam volu-

voluerit, patiamur. Interea ego etiam, quidquid mediorum inveniri *A.C.* 1703
poterit, faciam, nihil magis, & præ oculis, & in corde habendo, niſi ut calamitati in præſens tam magnæ, indemnitati in futurum tam periculoſæ provideri poſſit. Et hoc eſt certum, quòd diu vivam, ſi me hi circa bonum Eccleſiæ non conficient angores, inter quos hæc ſcribo.

DECLARATIO AD CAPITA ILLA QUÆ EXHIBUERANT Illuſtres ac Mag. DD. Joannes Chryſoſtomus Czapski Caſtellanus Elbingenſis, Valerianus Turuſzynski Enſifer, Andreas Kczewski Vexillifer, & Adamus Potulicki à Palatinatibus Culmenſi, Mariæburgenſi, & Pomeraniæ Nuntio facta in Caſtris penes Thorunium 26 Octobris.

INter Regni hujus Cives, quibus Patriæ ſalus curæ cordiq; Provinciam quoq; Pruſſiæ Majoris Poloniæ fœderi accedere, tantò majorem S. R. Mti Sueciæ parit animi voluptatem, quantò illam credibile eſt magis additūram pondus conſiliis, quæ circa evertenda, quibus cum hactenus afflictata eſt, mala & revocandā ejusdem proſcriptam felicitatem occupantur. Quæ cùm S. R. Mtis Sueciæ votis, deſtinatisq; omninò reſpondeant, nullum dubium eſt, quin S. R. Mtas Sua, deſideriis Provinciæ annuat, quàm non agnoſcere tantùm in tuendis vindicandisq; Gentis Polonæ oppreſſis Juribus, ſed curas ejus gemitusq; levare, atq; ad conſequendum tam ſalutarem finem, conſilia viresq; bene ſentientibus jungere fixum habere propoſitum intelligit.

Imo. Quod igitur ad primum Inſtructionis caput attinet, ubi de tributorum mole queruntur Illuſtres & Mag. DD. S. R. Mtas Sua optaret, ut ab omnibus oneribus Regni hujus Incolas levare poſſet; ſed cùm ea ſit belli ratio, ut ſine milite geri nequeat, miles ſine annona ſubſiſtere non poſſit, ad ſuſtentandum exercitum aliqua conferre non gravabuntur, qui dum S. R. Mtis injurias ultum it, Jura ſimul & libertatem Polonam defendit. Cui enim ignotum eſt quibus S. R. Mtas Sua provocata offenſiſſima inducere, & vim illatam, vi repellere ſit coacta aut cui non conſtat bello, contra ipſam inſciâ Republ. ſuſcepto, everſa Cardinalia Jura, vim illatam Regibus, & ad conculcatam libertatem viam paratam, quæ, cùm cauſam S. R. Mtis Sueciæ, & Reipub. communem faciant, & æquiore animo ferent onus. Unde maximum ad illa redundat emolumentum, utq; tantò citiùs eo liberentur, executionē bene deſtinatorum maturabunt, cum temporum momenta tranſeant, & rerum gerendarum occaſiones evaneſcant, militarem, ſi quæ demonſtrari poterit, licentiam ſeverè puniendam S. R. Mtas Sua promittit, cōmodamq; ſecuritatem pollicetur, bonis fortunisq; omnium, inprimis autem illorum, quos domo abeſſe communis cauſæ, publicorumq; conſiliorum ratio coegerit.

2do. Thorunij fatis S. R. Mtas Sua indolet, cauſam tamen eorum Saxones eſſe fatetur, quorum reditus, ſi curas S. R. Mtis ſollicitudinemq; intendiſſet, minus in deſtruendis munimentis adhibitum fuiſſet diligentiæ, ſed intereſt S. R. Mtis trahendi belli hoſtibus adimere opportunitates. Cæterū ſicut S. R. Mtas Sua de Provinciæ Pruſſiæ, Palatinatuum ſinceri affectûs & promovendæ communis cum fœderata Nobilitate cauſæ conſtantia, ſit ſecura, cùm ipſorum maximè interſit pacari Rempublicam, & iis quæ bella comitantur calamitatibus liberari, ita de Regia ſua certas quoque reddit benevolentia, quam univerſis & ſin-

A.C. 1703 ſingulis, & peculiariter Illuſtribus & Magn. DD. Deputatis teſtificari cum occaſio tulerit, memor erit.

Ad Mandatum S. R. Mtis Sueciæ

C. Piper. Senator & Secretarius Status.

JOANNI SZEMBEK PROCANCELLARIO REGNI 5. 9bris.

DUM credebam, quòd triumphabo ex iniqua loquentibus, palàmq; faciam, quòd præter alios amem punctualitatem, magis id ſponte meâ, quàm metu alieno faciens, & ecce DEus nunc vel maximè me affligit, quia res eſt impoſſibilis, ut me in evidens & certum exponam periculum. Si ſcirem, quòd hæc præcipitata audacia mea uſui eſſet obſequio Regis, DEus mihi teſtis, quòd inferiùs haberem & perſonam meam, quia ſatis ex gratia ejus habeo cordis eundi audacter in media etiam pericula. Sed quia hoc eſſet & clavim frangere, & ſeram non aperire, perdere me, qui poſſum adhuc utilis eſſe ad obſequia, perdere omnia: non poteſt enim tam longum iter ſine bono expediri pro aliquot menſibus ſupplemento, quod cum difficultate acquiſivi, & iterum eſſet impoſſibile acquirere. Inſuper terret me, ſi ad redemptionē mei veniretur, cum magnum pretium perſonæ meæ infallibiliter impoſitum, vitam etiam periculo exponerem, quia ea non admitterem abſurda, quo fine hæc contra me cuditur faba. Naturaliter non ſum timidus, ſed hic metus cadit in conſtantem virum, in qua materia fuſiùs ad D. Referendarium Litvaniæ. Cognovi ſemper affectum tuum: monſtra ergo illum in hac neceſſitate, quâ majorem vix habere poſſum. Da vindicias honori meo, ſecurum redde Regem, quòd mea nullo nutans conſtantia caſu, quòd nihil me avellet, & dummodo aliquam non viam, ſed ſemitam, etiam tranſeundo inveniam, certè nec juſſus nec vocatus curram, modò indormiant vigilantes nunc contra me. Pluribus non moror; inter amicos namq; prohibita eſt verboſitas, quia ſpem non dubiam habeo, quod tu in tam juſto negotio eum mihi teſtaberis affectum. &c. &c.

INSTRUCTIO A SENATORIBUS DIGNITARIIS, OFFICIalibus, & Equeſtri Ordine Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis, pro tunc congregatis, data Hieronymo de Konari Kolaczkowski, Pocillatori Caliſſienſi & Stanislao de Szoldt Szoldrski, Nuntijs ad Regem deſtinatis 13. Novemb.

SIquidem publica tranquillitas ita violento è cardinibus eſt mota turbine, ut diſtracta in diverſum ſtudia Civium & liberæ gentis non ducantur ſed cogantur in devia animi, nos ad hunc locum congregati tempus id nolentes intermittere, quin in eo operemur bonum, committimus electis è medio noſtri Nuntiis, quatenus præmiſſa profundiſſimâ veneratione Majeſtati, bonam valetudinem gratulati, longiſſimamque annorum precati ſeriem, agant gratias pro paterna cura & ſolicitudine circa commune bonum. Exponent ſimul inſuperabilem magnitudinem malorum, & preſſurarum, quas iniquo patimur fato: Quare ut Regia Mtas valido auxilio, & quovis

vis ſuccurrat ſubſidio, ſi honeſta & utilia pacis media non ſuccedent, nomine congreſſus noſtri demiſſiſſimè ſupplicabunt. *A. C.* 1703

Deferent quoq; cum profundiſſima veneratione & proteſtabuntur, quòd permanenti zelo, inconcuſſa fide, inviolabili voto, pro fide Sancta Catholica, Majeſtate, libertate, Patriisq; legibus fortunas, ſangvinem, & vitam bono publico immolando, ſtare ſimus parati, viritimq; & indiviſim cum omnibus Statibus, & indiviſibili Repub: nos habere velimus, ſolo intuitu firmatæ per Comitia generalia unionis animorum; & per immutabilem coadunationem & inconcuſſam, inviolabilemq; adhæſionem firmandæ; imò invariabilem fidelitatis conſtantiam nomine noſtro, ut conteſtentur, fraternè obligamus. Et ſicut omnes deteſtamur ſciſſiones, blandiſſimo quovis coloratas vocabulo, ſolam non niſi habentes præ oculis non interruptam hujus Patriæ unionem, ita poſtulantes Regiam Mtem, ut per datas univerſales literas pro Comitiolis, quæ privatas exſtirpare poſſint ſciſſiones, rebusq; in deterius labantibus ſuccurrere, paternam pietatem R. Mtis omnium noſtrûm demiſſiſſimas exprimendo preces ſupplici conveniant deſiderio.

Ut verò hujus Reip: corpus indiſtincto & indiſſolubili nexu cohæreat, ſupplicabunt Mti Regiæ, quatenus alios Palatinatus, paterna præmonitione præoccupet, ut à ſimilibus abſtineant attentatis. Poſtulabunt quoq;, quatenus R. Mtas urgentibus literis Duces extimulet, ut ſuorum more Anteceſſorum, noſtris ſubſidia afferant Palatinatibus.

Cætera dexteritati & activitati Nuntiorum pro opportunitate & exigentia, peragenda committimus. In quorum fidem petivimus Palatinum Inovladislavienſem, Generalem Majoris Poloniæ, & Præfectum excubiarum Palatinatuum noſtrorum, quatenus tam Senatorum, quàm Officialium, & Equeſtris Ordinis pro nunc congregatorum nomine, hanc ſubſcriberet inſtructionem. Actum Kuciani.

LAUDUM CONFOEDERATIONIS PALATINATUUM MAJORIS POLONIÆ, 14 Novemb.

NOS Senatores, Dignitarij, Officiales, Equeſtris Ordo Palatinatuum Poſnanienſis & Caliſſienſis Confœderatorum, in caſtris ſub Uniejovia ſubſiſtentibus ad circulum militarem congregati: cùm Commiſſariorum à Rege Seciæ, reſcripto noſtris Nuntiis dato, hic præſentem cernamus, & cum eo ſpem deſideratæ pacis, ob abſentiam Cardinalis Primatis Regni & M. D. Lit. ſine quo hoc negotium tractari nequit, & ob abſentiam aliorum Palatinatuum, qui pari nobiſcum Confœderationis vinculo ad defenſionem Patriæ conjuncti, nec per ſe, nec per Commiſſarios nobiſcum comparent, tractare minimè poſſimus, nec hybernum tempus ulteriorem nobis in campo conſiſtentiam permittat, actum Confœderationis

A.C. 1703 onis noſtræ limitamus, obligantes nos tamen, antiquâ Polonorum Fide, & virtute, ad comparendum cum omni apparatu bellico in eo loco, ad quem univerſalibus Mareſchalci literis, cum ſcitu Cardinalis Primatis, datis, evocabimur. Quapropter omnem authoritatem Colonellis erigendi vexilla, ſi opus fuerit præſenti Laudo tribuimus, fraternâq; fidelitate appromittimus, quòd ſatisfacientes obligationi noſtræ, ubi convenerimus ad locum Tractatui deſtinatum, cum Mareſchalco noſtro, Senatoribus & Conſiliariis, omnes uniformiter, prævio juramento accedentium ad confœderationem, quæ ſituri ſimus omni cura & ſtudio modos concludendæ pacis. Quia verò Tractatus hic ſine ſcitu Regis nec inchoari, nec conſummari poteſt; ideo de medio noſtri elegimus ad Regem Nuntios; ſcilicet Raphäëlem Tomicki, & Stephanum Walknowski, quibus; acceptâ de loco & tempore Tractatûs à Cardinale Primate notitiâ, Mareſchalcus ſcribet inſtructionem etiam id non omittens, ut legationes ad Carum Moſchoviæ, & aliæ ex Senatûs-conſilio contra jura deſtinatæ, ad conferendum cum tota Republ: in Comitiis differantur. Petimus quoq; Mareſchalcum noſtrum, quatenus Nuntiis ad hanc legationem deſtinatis ſcribat, nomine confœderationis noſtræ poſtulando, ut interim hiſce legationibus ſuperſedeant, in quo etiam Miniſtros ſtatûs requiret. Palatinatus, qui tum per legationes, tum per literas proteſtati ſunt, ſe nobiſcum eandem ſuſcepiſſe confœderationem, ut ulteriorum conſiliorum noſtrorum habere poſſint cõmunicationem, Mareſchalcum, ut cum illis conferat, poſtulamus. Sicut verò in anteceſſum Magno Duci Exercituum M. D. L. totiq; Domui Sapiehanæ, cum eaq; militiam tractantibus, omnes ad pacificationem appromiſimus applicationes, ita idem nunc quoq; declaramus, de quo illos in reſponſo nobis dato certificabit Mareſchalcus. Occurrendo præterea omnibus domorum noſtrarum periculis, quæ ſecuritatem internam turbare poſſent, & inſolentibus voluntariorum infeſtationibus, petimus Colonellos noſtros qui vexilla propria habent, quatenus in caſu ingruentis alicujus periculi acceptâ ordinatione Mareſchalci, ad tollendasq; hujuſmodi inſolentes turmas, illa ordinent. Quod ſi verò eorum milites tollendis illis impares fuerint, nos ipſi, univerſalibus literis à Mareſchalco acceptis, arma contra hoſce libertinos ſumemus, invicem nos, nullus alium deferendo; defenſuri. Quod Laudum noſtrum ut Mareſchalcus m. p. ſubſcriptum, ſigilloque munitum, actis Caſtrenſibus Palatinatuum noſtrorum ingroſſari curet, poſtulamus.

Datum in Caſtris ſub Uniejovia. &c. ut ſuprà

MANI-

A.C. 1703

MANIFESTATIO NOBILITATIS PALATINATUUM POSNANIENSIS & CALISSIENSIS 15. 9bris: Acta in Coſten feriâ ſecundâ poſt feſtum S. Martini Pontificis proximâ Anno 1703.

AD officium & acta præſentia Caſtrenſia Coſtenſia perſonaliter venientes Generoſi Joannes Zakrzewski Notarius Caſtrenſis, Pyzdrenſis & Jacobus Stawicki quàmprimum ſub hoſtili manu acta præſentia adire & congregari potuerunt, illico ſolenniſſimè tam ſuo, quàm aliorum confratrum & concivium à nexu confœderationis abhorrentium, dieq; hodiernâ, in Coſten de mutuo ſuo conſenſu congregatorum nominibus manifeſtantur, & proteſtantur in eo. Quod poſteaquam nec magnitudine periculorum, nec paternâ monitione, & repetitis obteſtationibus S. R. Mtis Dni noſtri Cl., immotæ nonnullorum mentes à conflato cœtu præfatæ confœderationis abſtinere videntur, imò altiùs, quàm par eſt, deſtinata ſua intendunt, ad afflictionem gementis Patriæ, & ſolum plauſum hoſtium. Quapropter iidem ſupraſcripti manifeſtantes, & proteſtantes inhærendo generali unioni animorum, ſeu confœderationi lege publicâ proxmè præteritorum Comitiorum ſtabilitæ, tum quoq; obviando hiſce inconvenientiis, per quas non ſolùm interna concutitur tranqullitas, fundamentales convelluntur leges, & ipſa ſtatuum ſymmetria confunditur, ſed & externo hoſti animus augetur, & vires adduntur ad evertendam Patriam, uti ad præmiſſa exequenda ab iiſdem deputati per mutuam colliſionem palàm ac publicè teſtatum faciunt, ſe ſe præ primis in præfata unione generali animorum ſeu Comitiali confœderatione firmiter & inſeparabiliter cum univerſa Republ. perſiſtere, & circa verã orthodoxam Religionem, Mtem coronati capitis, pretioſa jura libertatũ vivere & mori in concluſa fide, ac per innatum zelũ in omnia adverſa & extrema perſeverare velle. Porrò contra omnes diviſos & particulares actus, diſmembrationem Reip, & manifeſtam ſciſſionem præferentes juribus Patriis repugnantes, omniaq; exinde ſecuta, & ſecutura Reipubl. incommoda, atque quævis abrupta per impeditam executionem iterum atq; iterum hanc ſuam ingeminant manifeſtationem, cum ſpeciali proteſtatione, & nullitate de invaliditate omnium horum actuum illegitimè & indebitè prætenſorum, & uſurpatorum ſalvam ſibi hujus manifeſtationis, & proteſtationis, augendi, corrigendi, meliorandi facultatem reſervando pleno in robore. (L.S.)

DECLARATIO REGIA CIRCA CONCLUSIONEM CONSILIJ Jaworovienſis 20 Novembris.

EXperientiâ didicit in hoc conſilio Majeſtas Regia Diadema ad unum, conſilia ad omnes pertinere, ideoq; toties rariſſima moderationis ſuæ datura documenta, quidquid vnanimi voto optabat Reſpubl: etiam cum ſenſibili Regij honoris, ſincerarum in rem boni publici intentionum, & opulentorum theſaurorum præjudicio, clementer indulſit. Certo certius, ſi mota quæſtio nominata hic legationis penderet à ſingulari voluntatis Regiæ reſolutione, pridem majori ſibi duxiſſet gloriæ & ſatisfactioni, obtemperare, quàm etiam clementiſſimè imperare liberæ genti. Verùm quia tanta importantia negotium jam antea à tota Republ. per Comitia determinatum,

non

A.C.1703 *non potuit, niſi ab omnibus Reipubl: Statibus reſcindi, Mtas Regia optabat omnium per turnum exploratos habere ſenſus, eorumq́; conformi, ac concordi voto ſe accommodare. Dum tamen partes inter ſe certantes, unam alteri non ceſſiſſe, pro conſtantia aut puncto honoris judicarent, interea proximè imminens hybernalis commiſſio, avocans belli-Duces totq; alios ex Senatu & Equeſtri Ordine à quotidiana continuatione ejusdem Conſilij excludat, anguſtia quoq; loci præſenti Conſilio & Aulæ Regiæ, debitam impediat commoditatem, cum hoc ſe manifeſtat coram vobis omnibus Mtas Regia, quòd præponendo commune bonum & publicam tranquillitatem omnibus intentionibus, negotijs & neceſſitatibus proprijs etiam maximis ex puro in publicum amore, ſimulq; præcavendo quæſitas invidiarum & ſuſpicionum inſidias, publicam dat omnibus ſponſionem, quòd in quantum à die hodierna, in ſpatio quatuor ſeptimanarum, ſine ulteriore protelatione Tractatus veræ convenientisque pacis cum Rege Sueciæ concluſus fuerit, Palatinum Culmenſem, cum materia & forma, totaq́; ſubſtantia legationis revocare declarat, hocq́; ipſum per univerſales literas ad executionem ſancitorum accedentes cum plena informatione de ſtatu præſente Palatinatibus omnibus deferre non intermittet, ſimulq́; præſens Conſilium, licet juxta expreſſum conſtitutionis tenorem ad quosvis emergentes caſus ſemper præſentem habere ad latus deſiderat, à quotidiana tamen illius reaſſumptione, curſuq́; continuo liberat ad diem & horam alligato, aſſecurans, ubi aliqua belli, vel pacis materia contigerit, ſe Palatinatibus ſignificaturum.*

MANIFESTATIO ILLUST: & MM. INFRASCRIPTORUM
contra legationem Moſchoviticam in Decembri.

QUia ipſi inhærendo ſolenniſſimis proteſtationibus & oppoſitionibus ſuis in proximè præterito Magno Conſilio Javoroviæ inductis ſolenniſſimè manifeſtantur in eo. Quòd cùm Jura Cardinalia Regni, conſtitutiones publicæ, Pacta Conventa Seren: Regum, & moderni Regnantis, ac noviſſimum Diploma pro medela vulnerum, proximè celebratis Comitiis Regni Lublinenſibus Statibus & Ordinibus Regni, à Sacra R. Mte Dño N. Clmo ultro oblatum & juramento firmatum per expreſſum reſonat, ſe inſciâ & inconſulta Republicâ, nulla unquam fœdera initurum, & ſi quæ inita fuerunt, vel per imaginationem obtrudentur, pro nullis & invalidis declarat, nihilominus hisce omnibus non attentis, certæ legationes, ad vicinos Principes ex certa conferentia, ſtante pede Uiazdoviæ expeditæ non attentis obſtantibus contradictionibus interpoſitis ex Cancellariis Regni & M. D. L. emanarunt, atq; ad eosdem Principes Vicinos, Exteros Legati nulliter & indebitè, ac illegitimè per convulſionem legum, deſignati, etiam ad Seren: Carum Moſchoviæ inſtructio ex Cancellaria M. D. L. extracta & Legatus Magnus uſurpato charactere veſtitus & quæ nec Regibus conceſſa, nec ullo modo concedi poteſt, facultas, ac poteſtas ſolo arbitrio Cancellariæ Regni, & M. D. Lit: neſcitur quo colore, & ſiniſtrâ inter-

pre-

pretatione ſcripti, ad archivum demandata tamq; ingentes & nunquam *A.C.* 1703
practicatæ ſummæ impoſitæ, ac ſi hac egeſtate temporum Reſp: abundaret, & ad faciendam inutilem profuſionem pecuniarum. Cum verò hæc omnia abſq; ſcitu, & conſenſu Ordinum Regni, ad hunc finem deſignati magni Conſilij Lege novellâ, titulo Deputacyi do Boku Páńskiego: in qua per expreſſum cautum eſt, quod hocce Conſilium Deputationis, in toto juxta ſcriptum ad archivum Conſilia belli, vel pacis, perficere debeat, nulliter geſta & attentata fuerint, neque per privatas conferentias, neq; per particularia Senatûs-conſilia, multo minus Cancellariarum miniſteria expediri poterant, atq; confuſionem Status, imò manifeſtam everſionem præſeferant; tum poſtpoſitis Ordinibus Regni ea authoritas ad S. R. Mtem D. N. Clem. & totam Remp. ſpectans, unico beneplacito Cancellariarum, contrariisq; Ordinibus ſtatui, & legibus, Conſiliis, in pernitiem Reip. & convulſionem fundamentalium Jurium Regni ſit relicta, Ea propter fatiſcente Patria conſulendo convulſioni, legibus in præceps ruentibus, & libertatibus ac juribus hujus Patriæ, tum ne præfatus eo modo inſignitus legatus, propter præproperam limitationem, præteriti proximè Conſilij Magni, ullatenus uſurpatum legationis characterem, queat, tum Cancellariæ Regni, & M D. L. ultra paritatem Status, de nullitate earum legationum Jura Mtis & Reip. ſibi præſumat prætendere.

Iterum de nullitate earum legationum præcipuè Moſchoviticæ manifeſtantur & proteſtantur, & ſe ad præſidium legum publicarum recurſuros declarant. Salvum hoc totum & integrum negotium futuro magno Conſilio in termino quovis incidenti reſervant.

Hieronymus Lubomirski Caſtellanus Cracovienſis Supremus Exercituum Regni Dux. Martinus Kącki Palatinus Cracovienſis, Artileriæ Regni Generalis. Adamus Sieniawski Palatinus Belzenſis Capitaneus Leopolienſis. M: Warſzycki Caſtell: Lencicienſis. Staniſlaus Koſſakowski Caſtell: Kijovienſis. Chriſtophorus Skarbek Caſtell: Chalicienſis. Ligeza Minor Caſtell: Chelmenſis.

COPIA RESPONSI PALATINI CULMENSIS CASTELLANO CRACOVIENSI. Leopoli menſe Decemb.

JUſtam ignorantiæ Patriarum legum cenſuram incurrerem, ſi tamdiu practicando, tam condendarum, quàm exequendarum legum Magiſtratum, qualibuscunq; de Repub. benemeritis, ſat longo tempore ad hunc ſerpendo honorem, aliquid auderem, vel attentarem, contra leges Patrias in earum everſionem. Hinc non mediocris mihi attulit admirationis materiam, tua requiſitio, ſuſpicans me contra conſenſum Ordinum nocivam Reipubl. ſuſcepiſſe legationem. Sat multas & quidem fundamentaliſſimas pro defenſione ejus, rationes adducere poſſem, nam ſicut conſcius non ſum, me intuitu Senatûs-conſilij hunc ſuſcepiſſe characterem, ſed authoritate ſcripti ad Archivum dati; ſic prorſus ignoro, quomodo illi contradicere Cardinalis Primas potuit, cum ejus dexteræ ſubſcriptione, idem ſcriptum ſit authoriſatum. Id quoq; allegare poſſem, quod, ſi prætacto ſcripto ad Archivum, aliqua objiceretur invaliditas, vel totum reſcindi, vel integrum valere deberet; & tamen quorundam legationes in præteritis Conſiliis diſtingvebantur.

Idem

A.C. 1703 Idem ſcriptum ad Archivum complectitur auctionem Equitatûs ad 2000, licet illi Reſpub: à 1ma Febr. Peditatui verò à 1. Maji, ſequentis anni, adjudicaverit ſtipendium. Neſcio ergo, utrum ex toto an ex parte nominatum ſcriptum ad Archivum, ſuum habere valorem debeat? Non deeſſent plures aliæ defenſionis rationes, à quibus ne propriæ cauſæ judex eſſe, aut pro domo mea perorare videar, ſuperſedeo. Sicut verò ſcripti ad Archivum poteſtas, ex voluntate gratiaq; Regis, hoc me charactere authoriſavit, ita, dum ad latus Regium deſtinatus, publico Conſilij revocabor inſtrumento, certè non recalcitrabo; & ſicut tuam requiſitionem debitâ accepto veneratione, ita, quando authoriſabitur conſenſu omnium Ordinum, præſentis ad latus Regium Conſilij ſine mora exequar. Vitio verò mihi nec debet, nec poteſt verti, quòd tam ſcrupuloſè procedam hoc in negotio, triplici titulo juramenti, uni ac indiviſæ obſtrictus Reip, quæ excluſo primo Ordine, nequaquam integra cenſeri poteſt, id me verò eò magis reddit ambiguum, quòd hanc requiſitionem, præſentium ad latus Principis factam, ſine Principe accipiam.

Nunc interim conjunctum cum Majeſtate Imperium, & veſtros, quibus me commendo, favores præſtolabor.

Staniſlaus Morſztyn.

COPIA LITERARũ PALATINI MASOVIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM. in Decembri.

SEmper quidem ſperavi promiſſam per Expreſſum tuum notitiam, illo tamen diutius inter viarum impedimenta morante, & tardante; aliquot grandioribus negotijs coactus diverti Cracoviam, ad judicia, ubi mihi tuæ redditæ literæ, ad omnes nos, ſed jam ante ſeptimanam ſcriptæ; in hoc tamen opportunè, quòd hic Vexilliferum reducem Lublino invenerint, ſimul penè mecum ingreſſum Urbem, cũ quo inito conſilio, ex nunc expedivimus ad Capitaneum Oſtrzeſzovien: Præfectũ Gulinæ M. D. L. ignari, ubinam ſit? Gratum Nuntium; pro quo ingentes recipe grates, à te accepimus, de inclinatione, utinam verâ, Aulæ Sueticæ ad pacem, eò magis afflictæ Patriæ neceſſariam, quò ſenſibilius tot inter ærumnas illud ingeminat, Nulla ſalus bello. Impietas porrò eſſet, non ſolùm imprudentia, Sueticos repudiare Comiſſarios, tamdiu deſideratos, nec niſi illis diſplicentes, apud quos publicis neceſſitatibus privatum præponderat intereſſe. Nos verò quia nihil præter publici boni commoda intendimus, ideo tua juſſa capeſſere parati, prompto ea animo exequemur, ſi perpenſis rerum circumſtantiis, præſentiam ibi noſtram neceſſariam eſſe judicaveris. Quod ſi Confœderati, nobis excluſis, ſoli tractare voluerint, ſecundet DEus, minimè nos invidemus. Parum intereſt, quiſnã ille ſit, qui ramum olivæ ferat, modò hic mancus non ſit, aut aridus dishonore & publica calamitate. Nos apud Rempub. à qua toties confirmato inſigniti ſumus charactere, erimus excuſabiles, utpote conſcij nos feciſſe, quæ potuimus tuo id teſtimonio approbante.

COPIA LITERARUM EJUSDEM AD EUNDEM PRIMATEM Varſaviæ 1. Decemb.

POſt acceptas Cracoviæ tuas literas, non habito licet iterato mandato, quod ſupplici tibi literâ poſtulavi, huc me convertere malui, quàm eo, quò forte ſuaſiſſet præconcepta opinio inhibitionis, licet etiam

etiam hæc, ſi in his anguſtijs impeditura eſſet bonum publicum, acceptari, & venire in conſiderationem non deberet; nullam tamen fuiſſe, certò noveris. Non me latet fidelis Patriæ filij obligatio, quæ, quia debiles ſuper lacertos meos, & collegarum, non leve in his circumſtantiis, ipſâ tamen confidentiâ ſuave impoſuit obſequij onus, magnam nobis inferret injuriam, qui ineſſe nobis reſpectum quempiam arbitraretur, qui diſtrahere aut impedire poſſet perpetuas cogitationes de ſalute Patriæ, quam aliter, niſi unico pacis remedio ſalvari non poſſe, omnes, ſupra, quàm infelici experientia didicimus. Non dubito etiam Collegas meos tuis perſuaſionibus, & præmiſſis accenſos literis, Primatialẽ curam & paternam ſolicitudinem exprimentibus, minimè tardaturos: Ego interim tua hic mandata & ulteriores expecto diſpoſitiones. Si vera eſt, ut innuis, ad pacem inclinatio; cur ergo Tractatus ſine mora ſub auſpiciis glorioſoq; ductu tuo non aggredimur? niſi fortè aula Suetica in noſtris nimiùm conſtans miſeriis; non levem vellet oſtendere inconſtantiam, iterumq; diſputare, cùm jam ſemel nos poſt multas diſputationes pro legitimis & conſenſu præſentium, aſſenſu abſentium electis recognoverit; quod ſine gravi injuria tuæ authoritatis eſſe non poſſet, ad quem immediatam habemus relationem; & niſi eadem aula propter novos Comiſſarios, qui ab una parte, inconſulta altera legitimari non poſſunt, optaret, ut tota Reſpub. quocunq; titulo ad unum locum congregaretur, vel potius comodiorem datura piſcaturam extremè turbaretur, utq; impoſſibiles intentiones mordicus promovendo, quæ ſine totali everſione ſtatûs & libertatis ſuccedere non poſſent, loco prætenſæ injuriatis aſſiſtentiæ, (quos nemo, niſi impius tam illicitis mediis ſalvare optat) vellet nos, honoribus, ſplendore, armis & fortunis ſpoliatos, ultimæ objicere perniciei. An non enim in tanta ſenſuum diſcrepantia totalis eſt potiùs metuenda ruina, quàm ſperandum; ut in materia non ſolùm ſtatus, verùm etiam conſcientias involvente, eſſe poſſimus unius labij, unanimiq; conſenſu, ad Tractatum iteratò eligere Deputatos. Non tamen etiam hujus ſum ego opinionis, nec tantum tribuo Græco ſubere ducto funiculo, ut nos ex infortuniorum labyrintho poſſit educere, timeo potiùs magnis motus rationibus, ne in funeſtum nobis laqueum convertatur. Verùm ſi naufragio extremè periclitantes, etiam ea, quibus acriter vulnerantur, prenſant & arripiunt, quid mirũ nos etiam periculoſa arripere media, quibus putamus nos è profundo calamitatum emerſuros? virtus dexteræ Excelſi, Angelusq; conſilii & pacis Vobis porrigat efficaciora; & cùm promptâ ad magnos ſenſus veſtros, ſalutem populi proculdubio pro ſuprema habentes lege, acceſſione me non tardaturum appromitto. *A. C.* 1703

COPIA RESPONSI CARDINALIS PRIMATIS AD IMMEDIATÈ poſitas Palatini Maſoviæ. Dat. 3 Decemb. Skiernievicijs.

SUbductus tantiſper tubæ & turbæ populi, ad quietiorem locum, accipio literas, tuum mihi nuntiantes adventum Varſaviam, in ſpem inchoandi Tractatus in vimq; literarum mearum, quibus te ad illum invitavi. Verùm quidem eſt, me ſcripſiſſe, hæc enim mens erat Confœderatorum, ut & tibi ſcriberem, & illos ad me ad mutuum conſiliorum conſortium convocarem; ſed quia tu per Epiſtolam proteſtatus es, te expectaturum, iteratam à me de hoc notitiam,

A.C.1703 tiam, interea, quia ſub rigido Jove diutiùs Confœderatos morari erat impoſſibile, Varſaviam verò convocandi multas ob rationes non videbantur, limitatio actûs fieri debuit, cujus acceptâ notitiâ inforformari potuiſti, fueríntne tua hic neceſſaria præſentia, aut ſaltem iteratas meas literas expectare; nunc verò, neſcio quam tibi daturus ſim reſolutionem. Mitto tuas in originali literas Poſnanienſi Palatino, quidnam reſponſi ferent, ignotum eſt, certum tamen Confœderatos vobis inire velle, mutuaq; vobiſcum ſua ſtudia opportuna judicare: à Wachſchlager verò didici, principalem ſuum, minimè veſtrum curare characterem, ideo forſan, quòd illi innotuerit expreſſa Regis inhibitio, ne vos Confœderatis aſſocietis, ex quorum manibus licet rem optimam non acceptabit, econtra Rex Sueciæ cum nullo præter Confœderatos ſe velle tractare dicit: Si ergo nullum eſſet impedimentum, quid obeſſet, conjungi vos Confœderatis? cùm parum interſit; omnium ne ſimultaneo concurſu an quorundam operâ, aliquid in ſalutem Reipublicæ peragatur.

LXXXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. JOANNI GEORGIO KUNIGK CANTORI, OFFICIALI, & VICARIO SUO GENERALI VARMIENSI. 7. Decemb.

JAM ego hanc notitiam Gedanô à Canonico Nycz habui, nec quidquam mihi novi venit, quia omnia hæc verebar, quæ accidere poſſunt. Obviabam varijs vijs infortunio huic, & finitum fuiſſet feliciſſimè hoc negotium, ſi malignitas horum, in quorum amicitia ſpem habebam, non impediviſſet. Alterum eſt, quòd non tantùm præcipitanter conceſſiſtis tam magnam ſum̃am, ſed etiam ſine ulla adhuc neceſſitate eandem miſiſtis, re mecum non com̃unicatâ. Quia quò faciliùs hæc pecunia eſt miſſa, eò majorem fecit appetitum; Inſuper, quòd Rex in Pruſſia ex proprio motivo, quia certè, ut peſſimè interpretabantur mei inimici, nullam in eo habui partem, nec id factum ex voluntate mea, defenſionem aggreſſus eſt, & fortè perfeciſſet eam, ut hic ſecurum me reddunt, cum magno pauperis populi emolumento, ſi diſcurſus, & literæ quorundam publicatæ non improperâſſent. Ego coram DEO non tantùm proteſtor, quòd fecerim, quæcunq́ tantùm humanitus fieri poterant, in utilitatem pauperum ſubditorum & imprimis pro conſervatione Eccleſiarum DEI, ſed etiam in eo reſpondebunt Dño DEO, quicunq́ dividi & avelli cupiebant propter ſuos privatos & obliquos ſenſus à ſincera mea applicatione; Hi enim & coram DEO, & coram hominibus, cauſa omnium malorum erunt. Hæc ex intimo cordis, quod in me rumpitur, exprimo; Nonne meliùs erat nunc habendo pecunias, habendo etiam aliquam ex Brandeburgicis defenſionem, & prætextum, ut occurriſſemus venientibus, illosque deviciſſemus, Nam illi pro nihilo habent, quod jam acceperunt, quandoquidem hoc magis præcipitanter, quàm neceſſariò conceſſum, & datum eſt. Sed hoc jam tranſijt. Ego tamen facio, quæcunque facere poſſum. Miſi hinc ad primam notitiam Officialem certum, qui bonæ mercedis ſpem habendo, quis ſcit an aliquid boni in rem noſtram non faciet? Quod inter angores &c.

DE-

DECRETUM IN PERSONAM COMITIS BECHLING CANCELLARII SAXONIÆ LATUM. A. C. 1703

UBivis locorum notum eſt Sacram Regiam Majeſtatem Poloniarũ nuper obligatam ſe ſenſiſſe, ut Supremum Cancellarium ſuum, & Conſiliarium intimum Comitem Volffgangum Dittriachum de Beüchlino in arcem Königſteinianam ducere, & ibidem areſtare curaret. Poſtquam illum priùs ad tales dignitates promoverat, & ob ſpecialem in ipſum poſitam pro negotijs, & ſervitijs ſuis peragendis confidentiam innumerabilibus beneficijs & gratijs dotaverat. Qui autem nullo modo ſe his conformiter geſſit, ſed per malam & injurioſam rerum adminiſtrationem perfidias plurimas cōmiſit. Expertum enim habemus prædictum Comitem Magicis & prohibitis artibus per certas ad hoc expreſſè conductas Perſonas ſe applicuiſſe, & ijsdem in ipſam S. R. Mtis Perſonam periculoſo modo, & alios, quos inimicos ſuos eſſe præſumpſit, intentâſſe; Imò terras Hæreditarias, & Electoratum ſub certo prætextu cujusdam adminiſtrationis (pro qua ſe prædictus Comes ipſe obtulerat) fraudulenter S. R. Mti ſubtrahere præſumpſiſſe. Varias pro propria & ſola S. R. Mtis Perſona deſtinatas, ſecretas & maximi momenti correſpondentias in ſum̃um præjudicium authoritatis, & intereſſe S. R. Mtis retinuiſſe. Propoſita S. R. Mti referenda aut ſimpliciter ſiluiſſe, aut non cum ea, quâ decet fidelitate, & ſinceritate retuliſſe, & ita cum magna injuſtitia & perfidia expediviſſe, Cartis blanquis à S. R. Mte ipſi ad petitum pro certis & determinatis expeditionibus datis turpiter abuſum fuiſſe, cùm multas earum pro negotijs S. R. Mti incognitis, & non priùs relatis in ſum̃um præjudicium ejusdem S. R. Mtis & aliorum adhibuerit ad quod meliùs perficiendum, Doctori Ritter (ejus enim elaboratione, aſſiſtentia & cooperatione ſpecialiter uſus) inſolitã contra omnem Collegiorum & Cancellariæ S. R. Mtis conſuetudinem, tribuit Inſtructionem; vi cujus à nemine, quàm ſolo Comite dependeat, & donationes avertendi jus habeat. Quemadmodum autem per has & ſimiles praxes nihil, quàm ſe divitem, & magnum facere intendit; ita ad meliorem eventum Theſaurum Regium ubiq; cum privatis ſuis promiſcuit, cum maxima confuſione adminiſtravit; Falſos calculatores, & quidem cum Juramento ſuſceptos confirmavit. Econtra in S. R. Mtem continuò maximarum ſum̃arum prætenſionem fecit, non alium in finem, quàm ut hoc modo diſpoſitionem proventuum Regiorum retinere poſſet; prout etiam ad obcæcandam S. R. Mtem, & univerſos certam & ſpecialem Com̃iſſionem Cambialem extra Ducatum inſtituere prætendit, ad demonſtrandum, quaſi pro neceſſitate S. R. Mtis alibi pecunias procurare deberet, perſuadere etiam præſumens, ut in poſterum S. R. Mtis idem in terris ſuis hæreditarijs juxta modum ejus calculandi inducat. Certas incompetentes authoritates ſibi vendicavit, quæ malevolam intentionem ejus detegere videntur, dum non abhorruit partim in certis expeditionibus, aut mandatis nomen ſuum eum in locum ſubſcribere, ubi aliàs ſola Regia Mtas ſuum notare conſueta, partim in certis monetis ſub nomine S. R. Mtis cuſis crucem cum Ordine Equitum Danebrogenſium ponendi; partim inſignibus Comitialibus à Cæſarea Mte ipſi conceſſis Mitram Ducalem adjungendi; & ſpecialiter, dũ certam Genealogiam Majores ſuos ex Familia Vittenkindiana, & conſequenter linea Ducali oriundos demonſtrare præſumpſit; Quod tamen vi Hiſtoriarum manifeſtè falſum, ſexcenarios rubros, quorum S. R. Mtas ad

A.C. 1703 ad demonſtrationem ejus certam ſummam cudi permiſerat ad 600000 imperiales augmentavit; neq; etiam ignotum eſt, quantas alienationes magnarum Terrarum, imò & Provinciarum, aut earundem Juriū partem perfecerit, partim perficere intenderit, apud quas multæ perfidiæ, imò & delicta criminalia detecta ſunt. Quibusdam enim votum & ſeſſionem in Imperio, cum ſum̄o præjudicio S. R. Mtis cooperatus eſt; quibusdam etiam totas Provincias, & magnas Terras partim in vim Hypothecæ, & Antiochreticè partim in damnoſam reemptionem extradere non erubuit. Quasdam etiam terras non conſiderando, quòd ex dignitate earum multò plùs valeant, viliori pretio, quasdam etiam Jurisdictiones, Bona, & alios proventus perniciofis conditionibus, vi prætenſionum à ſe in S. R. Mtem falſè licet factarum ſibi ipſimet vendicavit, & appropiavit. Per quas alienationes magnas omninò pecuniarū ſum̄as lucratus, iiſdem tamen minimè contentus, ſed usq; ad 4. milliones ejusmodi Terrarū alienationes adinvenire præſumpſit. Soli S. R. Mti, & Statui Electorali Jus competens belli & pacis diminuere intendit, cùm certos ratione certarum Terrarum contractus in ſum̄um præjudicium S. R. Mtis perfecerit, alias etiam conſtitutiones Electoratûs turbaverit, & mediis prohibitis locum tenentem Electoratûs de Fürſtenberg aggredi attentaverit. Ultra alias perfidias, hoc etiam innotuit, quòd cujusdam extranei Miniſtri manum imitatus, in ejus nominè falſa ſcripſerit & notificaverit. De reliquo per ipſum expedita Reſcripta & Reſolutiones demonſtrantes perfidas ejus intentiones, & confirmant perniciofum ejusdem Miniſterium. Cum toto vitæ tempore in prohibitas artes, delicioſam vitam, & alias otioſas expeditiones incumbens, ſolùm ad ſe exaltandum, & ditandum ſolicitus S. R. Mtis negotia multipliciter neglexerit, Intereſſe Regio apud multos extraneos Principes non invigilaverit, magna ſtatûs & pecuniarum negotia Fratri ſuo ſupremo Hieracothidi, & Dominæ Reichenbergianæ confiſus fuerit, magni momenti conceptus per extraneas Perſonas juraverit, & pauciſſimas earum relegerit, plurimas expeditiones in Chartis blanquis à S. R. Mte eidem datis ſine ſcitu Regio exequi curaverit. Quia itaq; per has & ſimiles praxes, ingentes tam pro ſe, quàm pro fratre ſuo pecuniarum ſum̄as cumulavit, ideoq; ſine pecunia nihil, pro pecuniis autem, & injuſtiores proceſſus, & deciſiones expedivit. Injuſtitiæ & Politiæ ſeu Statûs negotio per conceſſionē abolitonum Monopoliorum, Privilegiorū, protectionum, & Promotionum (quæ com̄uniter absq; prævia cauſæ cognitione, ſolùm ad ſibi divitias ex iis cumulandas partim S. R. Mti ab eodem certis coloribus, & ſimulationibus propoſita, partim ab ipſo meliùs aliàs ſcire obligato iniquè approbata, partim etiam in Chartis blanquis ſine ſcitu Regio expedita ſunt) com̄ercio, & publico damnum irreparabile cauſavit. Non minùs damni S. R. Mtas in Oeconomicis per ipſum perpeſſa, dum prædictus Comes non ſolùm ſalinas & alios proventus Poloniæ cum ſum̄a perfidia adminiſtraverit, ſed etiam Cameram Electoratus per damnoſas, & malè perpenſas alienationes plurimorum Bonorum Cameralium Jurisdictionum, ablationem ſum̄arum capitalium & alias perfidias, inſtitutiones & ordinationes debilitaverit. Omnes enim proventus tam pro Theſauro Aulæ quàm militari deſtinatos in caſſam ſuam importare curavit, & ab iisdem pecuniis S. R. Mti uſuram ſum̄am (ſub prætextu magiæ cujusdam) in S. R. Mtem capere præſumpſit. Prout etiam aſſignationes in futuros proventus non magnum præjudicium Statûs, Com̄erciorum & Theſauri, lucrum autem proprium expediri

pediri fecit. Quemadmodum autem S. R. Mtas, de his omnibus clarius & ſtrictius inquirendi certam Comiſſionem deputavit, & poſt habitam notitiam pœnam exemplarem nullatenus differre reſolvit. Ideoq; ad notitiam omnium hæc ſub Sigillo Electoratûs Saxoniæ publicata voluit. Dresdæ 19 Decemb. (L.S.) *A.C.* 1703

COPIA LITERARUM PALATINI MARIÆBURGENSIS Ad Caſtellanum Cracovienſem, 21 Decembris.

PetryKozowski Lubomirſki

SPerabam, meis obſequijs non fucato candore, ſincerâ applicatione, integrâq; fide tibi præſtitis, tantum me gratiæ, fidei, & reſpectûs tui meriturum, ut ſinceris præmonitionibus, & demonſtrationibus meis acclinem præberes aurem; verùm fatóne, an demerito meo, ſpe deluſus contrarium experior: ubi enim ad omnia, quæ optabas Regem perſuaſionibus inclinaſſem, ubi nihil amplius deſiderandum ſupereſſet, præter ſtabilimentum mutuæ confidentiæ & aſſecuratio Principis, in debita & accommoda defenſione, tu in arena mutaſti conſilium, acceptisq; vocatorijs Principis, illi viciſſim factâ tui adventûs, per Epiſcopum Coadjutorem Livoniæ, certificatione, comparere Jaworoviæ ante Regis abitum dignatus non es. Ego quidem devincto tot titulis affectu, plurimum tuæ me affici Perſonæ fateor, nec ulli palmam, in debitorum tibi à me obſequiorum puncto, concedam; capere tamen aut divinare nequeo, quiſnam ille fuerit, qui diverſas tibi, à primis inſtillavit cogitationes, avernaliq; planè nequitiâ, per tot commenta tuum à Principe cor avertere, omniaq; jam pene ſuo ſtatui reſtituta, in deplorandam auſus eſt impellere extremitatem, matricidam hujusmodi auſim dicere Patriæ, qui inermem ejus jugulat cervicem, ultroq; internos quærendo tumultus, civili ſangvine per inteſtina bella, publicam demergit ſalutem: Labijs doloſis & lingvâ iniquâ id tibi delatum noveris: certè dicet cauſam ſæculis, qui tam nociva propinavit, panditq; viam ruituris in præceps rebus, Regnum enim in ſe diviſum deſolabitur. Moſchus namq; eâdem ratione ſuos quæret hoſtes in fundo noſtro, qua Rex Sueciæ, titulo amici, hoſpitis & ſocij, qui ſi à Saxonibus ſe eſſe dicit laceſſitum, in Saxonia eos quærere debuit, non in Polonia. Ex quo manifeſtas quis jam non videt conſequentias? legiones enim trans-Boryſthenenſium in propinquo, Coſatica ſævitles eſt in promptu, Moſchovitici Exercitus ſuum fors accelerabunt adventum, & nec Pruthenica tardabunt caſtra. Quib9 ſi civile accedet malum, certè erit una ſalus miſeris, nullam ſperare ſalutem Nonne convenientiùs fuerat, arctare legibus, juſtisq; conditionibus, vicinam potentiam, roborare amicitiam, acceptare ſine onere Reip. tam inſignia ſubſidia impenſa gratis, quæ à nullo hactenus habuimus, niſi per verba rebus inania, aut ſubdola? quod ſi porrò, id unum fuerat neceſſarium, ut per authoritatem magni Conſilij hujuſmodi negotia ſolennizarentur, ô quàm facilis eſſet inter homines bonæ voluntatis conſenſus! Corruiſſet tota moles invidiæ, demiſiſſent grave ſupercilium hoſtes, omnes demum difficultates facilitâſſet felix combinatio. Nunc ſum extra conſilium, nec quidquam, quod ſcribam, ſupereſt, præter dolorem; damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum, indies altius mergimur in profundum. Legatus itineri ſe accingit in Moſchoviâ, Reſp: tot in partes dividitur, & quot capita, tot ſenſus; pacis ſpes nulla. Palatino Mazoviæ, irrito ceſſit conatu acceleratus Varſaviam adventus, Clas Bonde Commiſſarius Sueticus novum

*A.C.*1703 vum genus contributionis invenit pro ſpiritualibus, ſcilicet ex quovis Decanatu 600 imperiales menſtruatim dandos, non tam ſepiâ hæc tibi ſcripta, quàm lacrymis intellige.

CONSTITUTUM AB EXERCITU REGNI POLONIÆ IN CONSISTENTIIS EXISTENTE.

NOS Equites Regni Poloniæ ſub ſignis infra nominatis militantes, aſſignatione Caſtellani Cracovienſis Magni Ducis noſtri ad Provinciam Majoris Poloniæ pro conſiſtentia ordinati, non tantùm in Palatinatibus nullam ſecuritatem ab exercitibus Sueticis habentes, verùm etiam acceptis per eos aliquot vexillis noſtris, cum magno exercitûs detrimento aggravationes, perſonarum captivationem, bellici apparatûs ereptionem, ingentesq; aliâs patientes injurias, ad hunc locum pro circulo congregati, occurrentes ulterioribus Exercitûs Suetici moliminibus, noſque ipſos cum fortunis noſtris ſalvare volentes, cum ſub ipſa caſtra hoſtium, quibus cum in præterita expeditione confliximus, ſine legionum Præfecto eſſemus miſſi, nec, qui nos in tam gravi periculo tueretur, haberemus; elegimus Stanislaum Comitem in Leſzno Leſzczynski Palatinum Poſnanienſem, Odolanovienſem, Novodvorenſem, Kazenſem Capitaneum, eandem unà nobiſcum militiam tractantem, in legionum Præfectum, illiuſq; ſubjecti regimini obligamus nos, ejus in omnibus mandata, ordinationeſq; exequi, cujus authoritate, rerumque bellicarum experientiâ, tantis nos eripiendos periculis, hybernumque hunc panem, quem ſangvine proprio meruimus, nobis conſervandum confidimus. Ut verò eò majorem habere poſſimus ſecuritatem, hoſtiq; eſſe magis formidabiles, jungimus nos confœderationi Palatinatuum Majoris Poloniæ, proteſtantes, velut filij ejuſdem Matris Patriæ, pro ejus integritate, ſancta fide Catholica, authoritate Ducum noſtrorum unà cum eadem confœderatione Majoris Poloniæ, quam in toto approbamus, nos uſque ad extremam ſangvinis guttam acturos: hac ſpe freti, quòd poſt pacificationem Reipub. reſtitutionem ſuæ integritati patriorum jurium, mercedem noſtram, ſangvine deſervitam, ex promotione omnium ſtatuum, ſimus recepturi, ex qua hactenus non redditâ, & præoccupatione ab exercitibus externis debitarum nobis hybernarum, juxta noſtras ex Palatinatibus repartitiones, ingentes patimur injurias. Quod ut fideliter impleamus, verbo nobili & militari appromiſſa ſequenti juramenti formâ, roboramus.

Nos *NN.* juramus DEo Omnipotenti, quòd fidem Sanctam Romanam Catholicam, Eccleſias, Dignitatem Regis AUGUSTI II. (ſalvo vinculo pactorum conventorum, ex vi juramenti Regii promanante) authoritatem & perſonas belli Ducum Regni Poloniæ, jura, libertatesque patrias, unà cum confœderatione Majoris Poloniæ, (cui nos aſſociamus) viciſſimq; nobiſcum confœderatio, noſtrarũ

ſtrarum modernum Legionum Præfectum, noſque invicem ſimus *A.C. 1703*
defenſuri, nec nos, nexu hoc citiùs ev nculaturi, quàm tota Reſp.
ab intra & ab extra fuerit pacificata, ſic nos DEUS adjuvet & innocens Chriſti Paſſio. In cujus rei fidem conſtitutum hoc manu noſtra ſubſcriptum in manus Præfecti Legionum noſtrarum conſignamus. Actum in circulo generali die 24 Decemb.

AMICO CONFIDENTI. 30. Decemb.

Quid ante abitum Regis Varſaviâ, quid Javoroviæ actum ſit, quid nunc Cracoviæ agitur quæris? accuſando inertiam meam in ſcribendo, ſed ſcias me propriis impeditum, aliena minus curare, ut tamen votis tuis reſpondeam, punctatim reſpondeo, dicoq́ꝫ, quòd in medio Octobris ita Varſavia panico percuſſa metu, falſoq́ꝫ perterrita fuerit rumore, quod Sueci appropinquarent, & quoſdam Saxones non ita procul trucidâſſent, ut totâ ſemel nocte trepidaverit, ubi non erat timor, & quidam ex Miniſtris ocreatus in anticamera Regis ſedendo totã noctem conſumpſerit, quòd mihi ita deſcriptum erat, ut à riſu, quanquam non ſit tempus ridendi, abſtinere non potuerim. Jam quamvis armatæ erant manus, nullum niſi ab inermibus pedibus præſidium ſperabant, & certè fugam, quam parârunt nocte, manè arripuiſſent, niſi ab aliquibus Senatoribus falſum rumorem diluentibus cohibita fuiſſet. Nihilominus poſt alterã diem Rex Ujazdoviâ ad Odſoccum ſuum tranſtulit domicilium, ibiq́ꝫ Conſtantinum Szaniawski Regentem Cancellariæ Majoris, poteſtq́ꝫ dici, quòd ſit & minoris, & ſi verum ſcribere licet, Generalis omnium Cancellariarum digniſſimus Regens, Referendarium M. D. Lit. poſt evectionem Vyhowſcij ad Epiſcopatum Luceorienſem, creavit, cõmendavitq́ꝫ illi, ut lingvam Gallicam vel Germanicam diſceret, ſed hic coram amicis neglecturum ſe id ſtudium omnino declaravit, aſſerens magis ſibi profuturam earum ignorantiam, quàm peritiam. Callens enim eas lingvas cogeretur ſæpe interroganti Regi illico reſpondere, & ideò ſæpius minùs proſperè quàm ſi per alium quæſita Regia ipſi innoteſcerent, ſpatiumq́ꝫ meditationi ſuper reſponſa præberet.

Ingratum accepit etiam illo tempore aula ex Majori Polonia Nuntium de indicta à confœderatis conventione Generali in Uniejow, & cogitatum eſt, & ſeriò quidem, ut altare contra altare erigeretur. Conſilium magnum vigore Comitiorum Lublinenſium indictum, de loco tamen ejus deliberatum, dum alij Cracoviæ, alij Zamoſcij commodiùs illud peragendum contendiſſent. Interim tamen Javororia deſtinata, & pro die 16 Novemb. pro iſto conſilio Senatores & Deputati convocati.

Agitata fuit cauſa Varſaviæ divortij inter Georgium Lubomirski Supremum Regni Cancellarium & Urſulam Bokonowna ejus hucuſq́ꝫ conſortem, poſtquam verò deductum eſt Matrimonium illorum in quarto conſangvinitatis gradu fuiſſe contractum coram fratre ſponſæ Epiſcopo nunc Præmislienſi, ſine ſcitu & conſenſu Parochi declaratum eſt fuiſſe, & eſſe nullum. Multæ circumſtantiæ mihi in hac materia nuntiatæ, ſed parco famæ. Nam ulcus hoc niſi tactum non appareret.

In vigilia Ss. Omnium Epiſcopus Poſnanienſis benedixit matrimonium coram Regia Mte celebratum inter Erneſtum Dönhoff Archi-Camerarium M. D. L. & Generalem locum tenentem Gvardiæ ſuæ Mtis, & Ma-

A.C. 1703 & Marianam Bielinska, filiam ſupremi Regni Mareſchalci. Tota nox Hymenæo erat data, cum ſequenti die Omnibus Sanctis dicata, quæ erat profectioni Regis verſus Javoroviam deſtinata, ſed ob injectum ab aliquibus ſuperſtitioſis infortunii metum, ſi eâ die, in quam eo anno feſtum Sanctorum Innocentium inciderat, iter arreptum fuiſſet, revera autem propter majorem nuptiarum honorem & hilaritatem, non niſi teriâ die Rex movit, & Javoroviam decimâ tertiâ Novembris pervenit, & palatium pro manſione ſua elegit. Convenerant non pauci Senatorum, & Equeſtris Ordinis; Caſtellanus & Palatinus Cracovienſes, Belzenſis, Ruſſiæ, Kijovienſis, Podoliæ, Mariæburgenſis, Czerniechovienſis, Palatini, & quidam Caſtellani, Culmenſis, Kijovienſis Epiſcopi.

Inchoatum conſilium majori apparatu, ſeu veriùs apparentiâ quàm boni publici ſtudio, per Procancellarium Regni à throno propoſitio facta, cultis verbis impleta, quæ nonnullorum animos ita movit, ut Palatinus Belzenſis non potuerit comprimere ſuum exacerbati animi ſenſum, quem poſt limitatam eâdem oratione ſeſſionem conducendo Regem ad ſuum cubiculum aliquo murmure contra Procancellarium prodidit, mox in majorem erupturum flammam, ſingularis inter eos certaminis, niſi authoritas Regia poſtea interceſſiſſet.

Adamo Sieniawski

In illa prima ſeſſione diſtributa ſunt Conſiliariis puncta conſilij habendi modo inverſo & inuſitato, praxi in anteceſſum obtinente, ut puncta ante inchoationem conſilii ad hoſpitia Senatorum mitterentur. Verùm id puto factum, ob timorem qui tamen accidit. Nam cùm ea eſſent verbis ſpecioſa, re inania, non ſolùm tam magno, ſed etiam minimo haud erant conſilio digna, ut videbis eorum copiam. Ad nomen magni conſilii, magni cætus magnorum hominum, omnium intentæ erant expectationes magnorum negotiorum de ſumma rei, ac nominatim de colligatione cum Moſcho & aliis Principibus externis ibidem tractandorum. Sed nihil de his. Illa magna à parvulo conſilio, quinque perſonarũ ſtante pede Uiaſdoviæ abſque præmiſſis punctis tractata, colligationes concluſæ, legationes expeditæ, Viales expenſæ, nimium extenſæ, & determinatæ. Uno verbo meſſis finita. Conſilium verò magnũ convocatum eſt ad ſpicas quaſi colligendas. In primo puncto invocata authoritas conſilii magni ad compellandum Theſaurarium Regni, ut enumeraret deſtinatam Uiazdoviæ ſum̃am Legatis ad Moſchum & Brandeburgicum per quinquaginta millia imperialium ſingulis, ad Danum decem millia. Intellexere id Proceres noſtri, & primum mirari ſuper tales artes, dein ſtomachari cœperunt, illudi ſibi tam fœdè indignantes, ac Duce Caſtellano Cracovienſi in proxima ſeſſione expoſuerunt ſuum dolorem, quòd vocati eſſent ad conſilium, nec tamen data eſt eis materia conſilii, ea enim, quæ in punctis ſunt poſita, magis executionem quàm conſilium ſpectant. Proinde declararunt non poſſe ſe conſentire in conſilii hujus inchoationem, niſi reſtituta prius eius materia, ac dato campo deliberationi, de colligationibus ineundis nec ne? Attonitus hac reſolutione maſculâ Procancellarius Regni ſcipionem tenens directorium, quòd ejus tela non ſic proceſſit, ut eam eſt orſus, rogat, ut more ſolito Domini Senatores ad vota ſua promenda ex ordine accedant, ſed obruitur communibus omnium vocibus, ſeu potius uno omnium clamore materiam conſilii ſibi reddi poſtulante, & abſque ea nullam hic haberi activitatem, nec quemquam loqui, niſi tantùm paſſivè poſſe proteſtante. Dum in his paſſivis vocibus, ſcilicet abſque petita licentia Mareſchalci, & ſine allocutione Majeſtatis (ut mos eſt in activis

vis vocibus) hebdomada una extrahitur, eandem ſemper recoquendo *A.C.* 1703
cramben de reſtituenda materia conſilij, ita, ut, unus ferè Procancellarius contra omnes, & omnes contra unum in hoc decertârint. Tandem Proceres noſtri inito inter ſe conſilio domi, clam aula ſcribunt & ſubſcribunt ferè omnes epiſtolam ad Dñum Palatinum Culmenſem deſtinatum ad Moſchum Legatum, qui tunc Leopoli agebat,& itineri in Moſchoviam ſe accingebat, mittunt eam epiſtolam per unum è medio ſui Equeſtris Ordinis exponentes dicto Palatino, qualiter indebito modo & contra leges ipſius legatio fuerit deſtinata,rogantes proinde ac obteſtantes eũ,ut ſuſpenſo tantiſper ſuo charactere ad illos veniret in commune conſultaturus, an illa colligatio & legatio ſit Reipub. expediens; quòd ſi ita conſilio viſa fuerit, non ſe eam impedituros ſpondentes. Magis fortis quàm felix hæc noſtrorum reſolutio fuit. Nam & Culmenſis indignè reſcripſit, & Rex id reſciens indignius tulit. Cùm enim conveniſſent, frequens Senatus & Equeſtris Ordo die lunæ ad Palatium pro continuando conſilio, ſtetiſſentq; ad ſecundam circiter horam poſt meridiem, ecce tandem egreditur Rex è ſuò cubiculo, & indignabundus mox talia fatur Gallico idiomate: Quid eſt hoc Domini mei? ubi nam eſt conſilium, hic ne apud me, an apud vos? ſi apud vos? pergite igitur ad vos, & facite illud vobis. Et ſtatim vertens terga abiit retrorſum ad ſuum cubiculum claudens oſtium cum furore, & ſtrepitu. Ita nempe loquitur Antonius ut Cicero timeat. Conſternati noſtri, quaſi perculſi fulmine Jovis obmutuerunt tantiſper & ſiluerunt à bonis: interim audiebatur hinc inde cordatiorum quorundam Equitum vox, non tamen ultra dentes: modò Rex ſibi nocuit! modò ſuam cauſam deſtruxit! modò aliquid agendum: verùm facilius iſta dicuntur, quàm fiunt, pro more noſtro facilius eſt inchoare, quàm perficere fortia. Poſt quadrantem horæ intrat ad Regem Procancellarius, deinde paulò pòſt Theſaurarius, ac poſt puſillum aggreſſi ſuadent Primoribus noſtris, ut Regem deprecentur offenſum illâ epiſtolâ ad Culmenſem, reſpondent illi non agnoſcere ſe in hoc ullam culpam, nec proinde poſſe petere veniam. Referuntur hæc Regi ab eiſdem, & fortè ſuadentur molliora. Nam Rex contentus fuit, ut ab accitis ad ſe primoribus rogaretur ad conſilium. Quod præſtiterunt ambo belli Duces, excuſantes epiſtolam, uti conformiter ad ſenſum communem in conſilio expreſſum, exaratam, quòd literis, id voce aſſeruiſſe, & ſemper ſe aſſerturos eſſe, declarantes. Itaq; Rex proceſſit ad locum Conſilij, ubi Caſtellanus Cracovienſis paſſivâ voce ſatis animoſâ, idem, quod antea repetebat. Suboriuntur, vel ſubordinantur querelæ aliquorum Deputatorum Ordinis Equeſtris ratione defectûs hoſpitiorum, ad quorum reviſionem & diſpoſitionem deputantur quidam è medio, & donec ea perficiatur, limitatur ſeſſio ad feriam quartam. Non tam erat cura hoſpitiorum, quàm hoſpitum adventantium è Litvania, à quibus rem ſuam reſtituendam ſperabat. Uti defacto illâ die venerunt DD. Wołowicz, Pociey cum fratre & alij quidã, ac Regiam cauſam egregiè propugnare conabantur, ſed quia mordicus, qui prius, reſiſtebant, res in eodem ſemper hærebat vado. Ne tamen nihil omninò ageretur: permiſſum eſt Dño Tworzyanski Theſaurario Cracov: ac Secretario Tractatûs cum Sueco facere relationem illius negotiationis, & in quibus eſſet terminis. Cùm verò jam altera exſpirabat hebdomada, obfirmatis utrinq; animis, Sabbatho plurimi convenerunt ad D. Caſtellanum Cracovien:, omnes ſolliciti de tempore conſilii inaniter extracto, ac de remedio aliquo adinveniendo, inclinabantque omnium

ſenſus,

A. C. 1703 ſenſus, ut illud conſilium limitaretur ad aliud commodius tempus. Sed varias formabant clauſulas & præcuſtoditiones, quibus limitatio illa circumſcribenda foret. Eunt inde omnes rectâ ad Palatium ipſâ horâ duodecimâ, & dum ſtantes erant pedes eorum in atriis domûs Regis noſtri, per horam circiter Rege non apparente, tædio in illa ſtatione affecti iverunt ad locum conſilii, ſeſſionis gratiâ ibique Regem præſtolabantur, qui horâ tertiâ venit, ſedit, & Procancellario chartam aliquot verbis plumbeo ſtylo notatam dedit, ac aliquid inſuſurravit, quaſi tunc eum informaret quidnam nomine ejus proferre deberet, quod tamen jam prius bene cum eo ruminatum & concoctum erat. Vix aperuit os Procancellarius ſtans penes Regem, ecce hinc inde interrumpunt eum Deputati, ingeminando, quòd præcuſtodimus nobis voces, ſi limitatio hujus conſilij ſit facienda. Proſecutus nihilominus Procancellarius, quòd & piè cœpit, ac declaravit nomine Regio, quòd in gratiam eorum, qui pacem ſperabant, & promittebant cum Sueco, Palatinus Culmenſis ſiſtet gradum Leopoli ad proximè ventura feſta Natalis Domini. Intra quod tempus ſi nihil certi de optata pace habebitur, liberum erit dicto Palatino elapſo eo termino iter ſuum proſequi in Moſchuam. Conſiliū præſens limitatur, (abſq; ullo præfixo illius reaſſumendi die) verùm ſi & dum occaſio poſtulaverit, non dedignabitur S. R. Mtas conſilium expetere praxi uſitatâ à præſentibus Senatoribus & deputatis ex Comitiis Lublinenſibus. His dictis illico Rex ſurgit, & regreditur, unde erat progreſſus. Interim, vix ſe movit, admirabundæ erumpebant voces lamentis ſimiles præſertim à Jeruzalſcio vexillifero Bielſcenſi, & à Skrzenſcio Succamerario Lęcycienſi. Quid eſt hoc? jamne hoc eſt dominium abſolutum? jam ne hoc Gallico vel Anglico more? & ubi jam noſtræ voces? jam actum de nobis. Audiens hæc Rex, ſubſiſtit in medio illius conclavis, & in hanc ac illam partem, unde illi prodibant planctus vertens atrocem vultum, & oculos flammivomos, elatiori voce ait: Quid hoc vos vultis? quid eſt, quod vociferamini? an hoc veſtrum eſt limitare conſilia? & percuſſo aliquoties pectore ſuo dexterâ ingeminavit, ad me, ad me hoc pertinet non ad vos. Et proceſſit uſq; ad cubiculum nemine jam hiſcente, ac ſi eſſent Raymundi ſerâ habentes occluſa ora. Puſillanimitatis ne id vitium, an venerationis Regiæ ſit virtus? ſub judice lis eſt. Caſtellanus Cracovienſis ſecutus Regem ad cubiculum, ſtatim valedixit ei paucis verbis, nullis verò à Rege acceptis, quem tamen honorem habuit Palatinus Belzenſis eodem tempore pariter valedicens. Tantæ molis erat Polonam vexare gentem per tot itinera & ſumptus ad ſolum Conſilij nomen. Obſervârunt quidam reſuſcitatam in hoc conſilio libertatem dicendi pro ſenſu ſuo, quæ vel jam ſepulta erat, vel in turpem aſſentationem, vel in ſpeciem ſervitutis degeneraverat. Quapropter ex hoc eventu maximopere damnabatur conſilium eorum, qui perſuaſerunt Regi hanc Ruſſicam manſionem, inter medios, ut ipſi ajebant, hoſtes.

Magna pars eorum, qui interfuerunt huic nominali conſilio profecti ſunt eâdem die Leopolim ad Commiſſionem Hybernorum. Ad quos paulò poſt miſit Rex Dñum Volff Coadjutorem Livoniæ, invitando eos Javoroviam ad certum colloquium, ſed excuſarunt ſe. Quo obtento reſponſo, ſtatim Rex migrare ſtatuit.

Poſt Conſilium advenerant Duces Wiſzniowieccij, & D. Przependowski, Theſaurarium Regni in Anticamera Regis inſigni affecerunt injuriâ, & contumelijs, quinimò etiam manus injeciſſent in eum, niſi à circum-

circumſtantibus fuiſſent impediti. Intrepidum tamen monſtravit animum ſtans immotus, & æqualem ſe omnibus aſſerens, & de illo dici poteſt, quòd ſit ita contra caſus induratus, ut nec quidem inclinari, ac nedum vinci poſſit, adverſus apparatus terribiles, rectos oculos tenebat, nihil de vultu mutabat, quamvis illi dura dicebantur. Libertas verò Principum tanta erat, ut libertatis nomen excederet. Cuivis poteſt accidere, quod cuiq; poteſt. Hæc tamen læſio à Ducibus per bona verba coram Rege fuit compenſata Theſaurario, qui etiam eos in abitu convivio excepit. Secutus doctrinam Apoſtoli docentis: Si habes inimicum, ciba illum, ſic enim congeres carbones in caput ejus. Adveniebant etiam ex variis Palatinatibus & terris legationes, partim cum ſolitis aſſentationibus, partim cum lamentationibus contra Saxonum oppreſſiones, ſed omnes eodem ſtylo expediebantur promiſſis ambagibus, amphibologijs; ita ut Cancellaria audito legationem ex Palatinatu Sendomirienſi cum gravibus querelis adornari, non dubitaverit audacter dicere; quòd jam haberet paratum ipſi reſponſum: Sic illudimur, & allidimur: D. Szaniawski ad Abbatiam Coprinicenſem, nominatus eſt à Rege, qui etiam expreſſum miſit ad Urbem curſorem, inſtando ad Summum Pontificem pro conceſſione ejus Abbatiæ in commendam ſuo nominato. Sed nec hæ preces, nec ſolicitatio Comitis Laniaſchi Ablegati Regij Romæ, nec Authoritas Cardinalis Pignatellij idem urgentis, nec unanimis Electio Monachorum potuerunt perfringere obfirmatũ Pontificis animum, qui pro piaculo ſibi duxit illam Abbatiam, antea commendari non ſolitam, concedere in commendam. A.C. 1703

Movit Javoroviâ Rex 18 Decemb. & venit Cracoviam ipsâ vigiliâ Natalis Dñi, & poſt ea feſta profectus eſt in Saxoniam comitante eum Franciſco Szembekio Fratre Procancellarij, qui Cracoviæ remanſit, & figuram Aulæ repræſentat. Theſaurarius verò Przependowski dicitur eſſe disgratiatus, quinimò nonnulli, quibus datum erat noſſe myſteria Aulæ, credebant, in proximo illum fuiſſe vitæ diſcrimine apud Regem contendentibus ejus æmulis, ſed ille non minus factis Achillem, quàm verbis ſe probat Ulyſſem, & ridet hæc, parumq; curat. Nec plura &c.

DISLIMITATIO INTER POLONOS ET TURCAS.

In Nomine Sanctiſſimæ, Individuæq; Trinitatis Amen.

EX mandato Sereniſſi Potentiſſimiq; Imperatoris Turcarum Sultani Achmetani Filii Soltan Mechmetani cujus felicitatem Imperii DEus protegat & conſervet. Emanarunt plenipotentes literæ ad Illum & Excellentiſſimum Chadzi Juzow Baſza ratione Diſlimitationis cum Regno Poloniæ de tenore tali.

Quoniam ex gratia DEi ſubſecuta eſt felicitas ad pacificationem & communem quietem; ex poteſtate itaq; Imperii noſtri demandamus, cùm inter Serenum Regem Regni Poloniæ, M. D. Lit. nec non hæreditarium Ducem Saxoniæ, & Electorem Imperii ſui & Carum Moſchoviæ acceptatus ſit Tractatus Pacis, firmamque habet authoritatem. Exinde Magnifice Gubernator Baſſa imperamus, ut juxta obloquentiam ejuſdẽ Tractatûs & omnia puncta cum Regno Poloniæ, & Ducatu Moſchoviæ in negotio Diſlimitationis procedas, & te ita regas prout deſtinatus & deſignatus eras ſuperintendens, à præterito imperatore Soltan Muſtaffa Chano Fratre noſtro; nam & à Mte noſtra in eadem Juriſdictione tua confirmes, ſicut & penes te reſidens fama, & virtute probatus Imbraim Aga, quem

A. C. 1703 quem uti muneris iſtius capacem deſignamus Commiſſarium, ad dislimitationem cum Regionibus Poloniæ, cum quo & Juriſperitum Notarium mittas, ubi unanimiter ſatisfacere Tractatui neceſſum eſt, nimirum ut fundus Thenimenſis incipiendo à littoribus Tyræ Imbraim Aga cum Dnis Poloniæ exdividat juxta officium ſibi competens, & quàm diligentiſſimè negotiationem ſuam ex integro perficere curet. Tali itaq; Ordine & expeditione, & gratiâ DEi acceptâ ab Illmo & Excellentiſſimo Dno ſuperius ſpecificato Baſſa; ego Imbraim Aga diſceſſi Themiâ acceptis in Crimenſibus & Budziacenſibus dignis ſenibus fineq; confinio carentibus ſubſtituto in loco, ubi fluvius Jahorlik in Tyram incidit, ubi à Serenmo & Potentiſſimo AUGUSTO II. Rege Regno Poloniæ communicato prius conſilio cum Illmo & Excellentiſſimo Domino Hieronymo Lubomierski S. Romani Imperii Principe Caſtellano Cracovienſi, Supremo Exercituum Duce, ut Generali cuſtodum Duce comparuerint cum plena & perfecta ad determinanda confinia poteſtate Illmi ac Excellentiſſimi Commiſſarii, videlicet 1mus Martinus Chomętowski Palatinus Braclavienſis. 2dus Joannes Koniecpolski Stabuli Regni præfectus. 3tius Stephanus Humiecki Subdapifer Regni & in vicino ubi Tyram præfatus fluvius influit, ſubſtiterunt, cum quibus in primo ſtatim congreſſu, & in negotio dislimitationis plurimæ ab utrinq; propoſitiones factæ ſunt, poſt quas petiêrunt documenta, inſtrumentaq; ſibi exhiberi, & veritatem deducere: Quæ confinia à memorato fluvio incipere debeant, quibus teſtimonia dignorum tam Crimenſium, quàm Budziacenſium hominum pro infirmitate limitum ab hoc fluvio incipientium pro documento produximus; Poloni itidem Commiſſarii produxerunt primam dislimitationem ante 70 annos ad datam præſentis inſtrumenti factam, quæ fuit inſuper attendentia Abazi Baſſa cum Commiſſario Muteſenica, Chuſeim Aga, & Stanislao Koniecpolski, Caſtellano Cracovienſi ſupremoq; Duce Exercituum Poloniæ uti Commiſſario ex parte Poloniæ, cujus dislimitationis ductus eſt Jahorlik turcicè Cainar appellatus, & hoc documento confinia ipſa demonſtrârunt, & ſic unanimiter ſinè ullo dubio cognovimus eſſe fines, & initia eorum à memorato fluvio, & ita non procul à memorato, ubi ſe jungit cũ Tyra in fundo Thunico, quẽ nõ ita pridẽ inhabitant Coſaci ſubditi feliciſſimi Chani Crimſcẽſis ſupra eundẽ fluviũ ex oppoſito Polonæ villæ, ubi itidẽ habitãt ſubditi & incolæ. Ex illis locis verò, ut memoratæ villæ transferantur, fuit propoſitũ, atq; pars propoſuit transferri debere, ſequitur ut tranferantur & veſtræ; concluſum itaq;, ut, ſi in concordia non habitabunt, & ſi injuria aliqua inter illos oſtendetur, tunc omnia ab utrinq; demoliri debebunt, ſi verò in eſſe ſuo & integritate per villam permanſerint, tamen nulla fortalitia ex utraq; parte erigi debent, & hæc eſt impoſita conditio concernens Raſzkow & Kamionka oppida. Quondam Palatini Valachiæ Baſili filia Dominia tenebat in poſſeſſione ſua in ſumma Palatino Sandomirienſi data 40 florenorum jure obligatorio Raſzkow, Kamionka verò etiam Palatino Sandomirienſi data viginti millium Polonicorũ ſimiliter jure obligatorio cum eadem declaratione, ut tamdiu præfata oppida in poſſeſſione uſq; ad præſentem limitationem fluvii Kainardzie & juriſdictionem ejus teneat, donec ipſa præfata ſumma reponetur, & ideo clara res eſt, ut hæc prætenſio cum Actoribus & Succeſſoribus defunctæ Dominæ pacificetur; ut aut oppida ſucceſſoribus Dominæ, aut ſumma reſtituatur. Ad quam propoſitionem ſubjuncta eſt ratio quòd Podoliam & Vkrainam totam Sſmus Turcarum nobis reſtituerit, & hæc prætenſio reſpicit modernum poſ-

ſeſſorem

ſeſſorem Raſzkow, & Kamionka id eſt Illm̃um & Excellentiſſimum *A.C.* 1703
Dñum Koniecpolski, qui uti præſens poſtquam illi circa requiſitionẽ futuram ab actoribus demonſtratum fuerit documentum, ſatisfactionẽ obtulit, & obligavit, & ſuper hoc medio aſſenſum eſt. Econverſo propoſuerunt Illm̃i & Excell. Domini Com̃iſſarii, ſiquidem occaſio præſentationum orta eſt, habemus & nos quoq; huic ſimilem prætenſionem. Nonnullus enim Dominus de Regno noſtro habet ſimilem prætenſionẽ requirendi debitum apud Bojaros & incolas Valachiæ, uti hæc prætenſio jam delata eſt Illuſtriſſimo & Excell. Dño Baſſa Seraskiero quâ cognitâ cauſâ injunxerat, ut officioſè ſatisfiat, ſed quia & Hoſpodar & Bojari protunc erant Adrianopoli, ideo hæc prætenſio ſortiri non potuit effectum, & hæc prætenſio eſt unius ex Regno noſtro Magnatis evidens, & in quo com̃iſſa eſt cura Illm̃is & Excellentiſſimis DD. ad Dislimitationem Deputatis, & ſeriò inquirebatur dicendo, quod in ſimili occaſione, & negotiis docent nos & tractatus ipſi, ut juſtitia conſervetur, & exinde pro re juſta cognita eſt ad Valachos prætenſio, & mutuè ad Valachos requiratur. Item ut confinia inter Poloniam & Valachiam ſint munda, proponebatur, repoſitum inter nos & Valachos ipſe DEus fulmine & irâ dislimitavit, ut nunc temporis quoad fundum nemo queritur ex Valachis, neq; de læſis finibus, aut damnificatione eorum, nihilominus habemus à Valachis multas injurias contra veterem conſuetudinem in aliquibus locis circa Sorikau & Chocimum trajectus vulgò promi ſolùm noſtri erant, & ab aliquot annis Palatini Valachiæ, illos quoq; ſibi uſurpârunt; quod eſt veteri, & moderno tractatu (quoniam nobis ſolùm competunt) cautum. Itaq; ut præfati trajectus Polonis tantùm ſerviant deferri id præfulgidæ portæ volunt, optimaq; formâ ad Palatinum Valachiæ appromittitur, ut hæc injuria ceſſet, quæ parti infertur. Item vigiliis ad Tyram poſitis ex parte Poloniæ Valachi ad fines circa fines reſidentes multa damna accerſent in expilandis alvearibus & aliis rebus, quod damnum, ut recompenſetur requirebatur, & hoc ſimilitur deferre Præfulgidæ Portæ declaratum, ut exeat Ferman ad Palatinum Valachiæ pro compenſatione damnorum. Item Poloni tribus vicibus ad Jahorlik prætenſionem ſuam promoverunt, quod ab antiquo fundi Vkrainæ ad illos tantummodo pertinebant, ſed ſub tempus hoſtilitatis Turcicæ, & Chami Crimenſis rebellis Chmielnicki violenter Regionem illam poſſedit, cujus poſtea filius duxerat uxorem Dominam, & hæc à Palatino Sandomirienſi uſq; ad medietatem fluvii Kainardzie jurisdictionem ſuam habuit, & quoniam hoc realiter deductum eſt, unanimiter decernimus, ut Cairar fluvius, ſit communis partibus, qui in Tyram defluit. Et in iſto loco ex una parte hoſtium ſit Turcicum, ex altera verò ſit poſitum Poloniæ, in quibus hoſtis electi ſunt de novo à nobis Commiſſarii duo ſcopuli, & quidem Poloni ſuo ſcopulo impoſuerunt, in memoriam lapidem cum inſcriptione anni & perſonarum Dislimitantium; inde circa Villam Carter, ubi fluvius oritur, proceſſimus & incolis idoneis ex utraq; parte ſupra fluvium ſigna metallina fecimus, & ex una parte Turcica ex altera Polonica in oppoſitum ſibi in oſtiis montium locata, uſq; ad ſiniſtram ejuſdem rivuli, itidem ubi duos magnos ſcopulos unum ſpectavimus, à quo loco in declivitate montis circa Cairar inter medios montes eundo in partibus noſtris ſimiliter ſcopulos poſuimus uſq; ad montem eandem vallem in dexteram & ſiniſtram partem dividentem, ut alii vocant, Widły, à quo loco duæ valles, una dextra, quam pro ductu noſtro accepimus, ſiniſtrã
Polo-

A. C. 1703 Poloniæ, dexteram verò Ottomañis attributam, & in dextera parte Ottomanni, in læva Poloni ſigna ſua locârunt, inde unâ horâ itineris ad locum Kokantik capitalem appellatum per tranſverſum tractus, ut vocant, Kuczmanski Szak tranſivimus, ubi repertum eſt ſignum aliàs Stara mogiła & nomen ei Jagnizcia mogiła, quæ, cùm non ſit reperta alia ſimilis, pro ſigno utriuſq; partis habetur. Inde ſolitâ viâ Humanium verſus tendente venimus ubi caput Dely lacus nuncupatur, ulterius verò eundo Markow appellatam ſylvam ad meridiem ex parte noſtra accepimus, in ſiniſtram verò partem ubi magna auris Acodema ad Septẽtrionem finitur. Ubi ſylva eſt Poloniæ; hæc ergo mercatoria via per edita montium eundo ad finem Defy Icziora, Ucha lacus appellati ſylvula eſt ad meridiem Ottomanica, & quæ aqua nullibi reperiri potuit, ductum habere per vallem Codema eſt ductus Poloniæ, magis verò remotior ad meridiem tendens Turcicus & taliter ad Septemtrionem ultra & ultra per dorſum montis proficiſcendo in locis Vidonerſis exſtruebantur ſcopuli, donec ad locum confiniis noſtris determinatum, id eſt flumen Boh, quem Sina woda ingreditur, pervenimus, & ibi ſubſtitimus, ibi circa oſtium fluminis duo ſcopuli Turcici ſunt erecti, ad meridiem & Septemtrionem, item duo ſigna metallina ſunt fundata à Polonis, & vertici unius, id eſt proximiori littori Boh impoſitus eſt lapis annum & finem & limitem continens propter majorem notitiam & memoriam, & hoc ordine Regnum Poloniæ cum imperio Ottomanico confinia Dominiorum ſuorum emundârunt, innovârunt, & diviſerunt nihil intacti, obſcuri, & controverſi relinquendo pro majore firmitate & ſecuritate mutua, limites inter nos unanimiter conſtituti, & ſuperiùs ſpecificati in caſum alicujus controverſiæ ſupra hæc produci & demonſtrari debebunt, & ideo ab invicem inſtrumenta hæc Diſlimitatoria in manus Commiſſoriales traduntur, & pro majori robore mutuis manibus ſubſcribuntur, & ſigillis muniuntur. Datum ad ſcopulos terminales fluvium Boh nuncupatum, ubi Sina Woda influit ex altera parte 14 9bris & Turciæ diebus primis lunæ 9bris Anno 1115 in originali Turcico ſubſcriptum.

Hadzi Imbraim na Rozgraniczenie z Polską Commiſſarz naznaczony za Hetmanem Ceſarskim.

(LS)

Marćin Chomętowski Woiewoda Bracławski Commiſſarz J.K. Moſcy y Rzeczypoſpolitey

Jan Koniecpolski Koniuſzy W.K. Commiſſarz y Regimentarz J. K. Moſcy y Rzeczypoſpolitey

Stephan Humiecki Podſtoli Koronny Commiſſarz J.K. Moſcy y Rzeczypoſpolitey cum Sigillis propriis.

LITE-

LITERÆ OFFICIOSÆ PARITER AC COMMONITORIÆ à SACRA CZAAREA MAJEſtate AD REIPUBLICÆ POLONÆ PROCERES. Anno 1704.

A.C.1704

NOS PETRUS DEI GRATIA IMPERATOR AC MAGNUS Dux Moſcoviæ, totius Magnæ, Parvæ & albæ Ruſſiæ Autocrator, quin & multarum aliarum Orientalium, Occidentalium & Septentrionalium Provinciarum atq; Regionum antiquus Hæres, Dominus atque Monarcha &c.

Percrebuit quidem ab aliquo tempore per univerſam ferè Europam conſtans fama, eſſe in Seren: Republica Veſtra non paucos, qui ex inveterato odio omnes cogitationes in id deſigunt, ut Regia Sua Majeſtas Poloniæ, dilectus nobis ſanctioriq; fœdere junctus Frater, amicus ac vicinus Noſter, Throno dejiciatur, ipſiq; eò meliùs, quæ mente conceperunt, perficere, ac res novas moliri poſſint; Ea tamen noſtra ſemper fuit de æquanimitate, fide atq; prudentia eorum, quos tanquam pravi hujus conſilij fautores publica fama haud obſcurè deſignavit, opinio ac judicium, ut fidem his rumoribus adhibere vix potuerimus. Exiſtimavimus enim, etſi hujusmodi perverſa conſilia inter Ordines Sereniſs Reipub. Veſtræ gliſcerent, bonos cives, ac religioſos officii erga DEum ac Patriam obſervatores, malevolos, qui partium privatique quod ſibi fingunt commodi ſtudio excæcati omnia miſcere cupiunt, neque quid agant, aut cœptorum finem reſpiciunt, & authoritate & numero longè ſuperare, nobisq; perſuaſimus, hos quorundam conatus domi etiam ſine interventu Potentiæ exteræ facilè extingvi poſſe.

Poſtquam verò pro certo cognovimus malum hoc indies latius ſerpere, præ omnibus aliis Principibus, qui hac re meritò commoveri deberent, officij noſtri eſſe putavimus partes noſtras interponere ac publicè teſtari, nos intellectis iis, quæ ad hoc propoſitum gentibus Chriſtianis indecens tendunt, valdè conturbatos penitius omnem hanc rem examinaſſe, tandemq; decreviſſe interveniendo id agere, quod & DEum & honeſtos quoſcunq; probaturos exiſtimamus; Excitati ad id imprimis vi officij, quod in terris gerimus, & obligatione illa generali, qua quilibet Chriſtianus Princeps, DEo totiq; ſocietati humanæ eſt adſtrictus ad coërcendam vim & injuſtitiam, aliaq; prava conſilia refrænanda, quibus jura & vincula ſocietatis humanæ convelluntur & publica Chriſtianitatis Pax turbatur, ut ita jus & juſtitia ubivis ritè adminiſtretur, innocentes protegantur, inprimis verò cauſa Principum communis Regumq; jura integra conſerventur, ne in locum honeſtæ ac legibus divinis humanisq; conceſſæ libertatis, quâ gentes liberæ jure meritoq; gaudent, Regum Principumq; contemptus invaleſcat, majeſtas coronatorum Capitum, quæ imediatè à ſolo DEo eſt, pedibus quaſi conculcetur, unctiq; Domini turbulentorum libidini, qui res novas cupiunt, exponantur, leges deniq; fundamentales, quas ipſa natura ad conſervationem ſocietatis humanæ ſancivit, convellantur, homines verò ad DEi imaginem formati in belluas, quæ ſine legibus vivunt, degenerent.

Verùm alia adhuc eſt ratio particularis, quæ nos movet, ut huic negotio Nos immiſceamus, Pax videlicet cum Regno Poloniæ an: 1686 inita, quâ expreſſis verbis cautum eſt, uti ex adjuncto ſub lit: A. apparet, ut inter Nos & Seren: Regem Poloniæ, *Art. 1. Fraternus amor & in*

A.C.1704 *& inviolabilis Pax colatur, Art. 5. quilibet alterius commoda & utilitatem curet, ac tanquam Fratres ſibi invicem auxilia præſtent,* deniq;, *Art. 23. ambæ Majeſtates ab una & altera parte, uti fratres inter ſe omnia humanitatis, amicitiæ ac Fraternæ benevolentiæ Officia, quæq; ad commoda utriusq; ſpectare poſſunt, ſibi invicem præſtent, efficiantq; ne inimicitia vel aliqua occaſio violandæ Pacis, multò minus bellum inferendi, ſangvinem humanum effundendi, terras utriusq; devaſtandi ſuboriatur, quin potius omni ſtudio hæc omnia declinent, atq; impediant, omnem, quæ Chriſtianos Principes decet, curam adhibentes ut Pax integra conſervetur, neq; ob quamcunvis emergentem cauſam nova bella ac diſſenſiones ſuſcitentur.* Quæ omnia ſolenni juramento in Sacroſanctum Evangelium præſtito utrinq; corroborata vim indiſſolubilem obligandi *Succeſſores quoſcunq;* in utrisq; Regnis acceperunt.

His fundamentis præcipuè nixi fœdere arctiori cum moderno Seren: & Potent: Poloniarum Rege anno 1699 cuſo ſtatim in primo articulo ſub lit: B. hic adjecto Nos Nobismet invicem fidem dedimus, quòd, quamdiu ſupremo Numini placuerit Nos in Regnis Noſtris, quæ DEus fauſta eſſe jubeat, conſervare, ſinceram amicitiam ac omnia vicinitatis jura ſanctè ac conſtanter inter Nos colere, nunquam illa violare, verùm potius contra quoscunq; hoſtes noſtros Nosmet invicem juvare defendereq; velimus.

Auget verò hanc obligationem præſenti Veſtro negotio Nos immiſcendi cura, quæ Nobis incumbit, pacem ac ſecuritatem terris Noſtris ad limites Poloniæ ſitis quovis meliori modo præſtandi. Quamdiu enim hic ignis inter Vos gliſcit, & proximus ardet Ucalegon, Noſtram quoq; rem agi exiſtimare vereriq; debemus, ne flamma ad terras usq; Noſtræ ditionis ſerpat, illæq; commodis priventur, quibus, Poloniâ pacatâ, gaudere ſolent.

Deniq; non ignoramus, quid nonnulli è medio Veſtrûm monſtri in ſinu contra Nos alant, eosq; non dubitaſſe tam nefaria conſilia ſuſcipere ac palàm ferè profiteri, quòd, obtento adverſus ſacratiſſimam Perſonam Regiæ Poloniarum Majeſtatis propoſito, ſe cum hoſte Noſtro conjungere Nosq; hoſtilibus armis aggredi velint. Quod ſupra memoratæ æternæ Paci tanta cum ſangvinis humani effuſione partæ expreſſè repugnat, ubi Art. 23. diſertis verbis Regia Sua Mtas ejusq; Succeſſores, vel poſt eandem electi Reges & Magni Duces Litvaniæ, imò Univerſa Reſpubl: Coronæ Poloniæ Magniq; Dtûs Litvaniæ, tam Eccleſiaſtici quàm Seculares utriusq; Nationis ordines, promittunt nolle ſe, nec ipſos, nec per alios ſubordinatos, hoſtes Noſtros, vel apertos vel tectos, fovere, commercium cum illis habere, vel deniq; hoſtile quid illis permittere. Sic facilè quisq; videt, quanti Noſtra interſit, ut ignes hi cineri doloſo ſuppoſiti, antequam in flammas erumpant, tempeſtivè ſupprimantur.

Quoniam ita ex adductis jus Noſtrum negotio Veſtro interveniendi coram facie totius mundi ſatis ſuperq; evictum eſſe credimus, ad Seren: Rempub. Polonam ante omnia Nos convertere eandemq; amicè requirere voluimus, dignetur in hoc frangenti illos, qui tam exitioſa ac bonis omnibus deteſtanda conſilia agitant, monere, ut ad ſaniorē mentem redeuntes cogitent, quid moliantur, & quantis periculis non

ſe,

ſe, honorem atq; exiſtimationem, verùm etiam totius Patriæ ſalutem A.C.1704
exponant. Cauſæ enim, quas habere putant legitimè electum & ab omnibus etiam infenſiſſimis hoſtibus agnitum Regem ſolio deturbandi, tam frivolæ minusq; legales cuivis à ſtudio partium alieno videntur, ut artifices hujus conſilij nomen Perduellium ac Perfidorum, quod à proprijs eorum fratribus in diverſis & laudis & concluſis ipſis imponitur, effugere, impedireq; nequeant, quò minus omnes Chriſtiani Principes, inprimis illi, quibus vel per fœdera, vel ex aliis cauſis politicis, Regiæ Poloniarum Mti ſuppetias ferre incumbit, ne in locum ejus Rex alius bono publico adverſus ſubſequatur, ad negotium hoc omnibus viribus accedant, ac impia hæc conſilia infringant. Neq; enim perturbatores iſti cogitant S. Regiæ Mti, tanquam Electori Saxoniæ, tot vires ſupereſſe, ut inimicos hoſce facilè confundere, bonamq; cauſam & jus ſemel quæſitum tueri poſſit, inprimis, quia major Seren: Reipub. pars Officii ſui & jurisjurandi memor pro Rege ſangvinem libenter effundere, omniaq; pro defenſione ejus immolare paratam ſe eſſe glorioſè admodum declaravit.

Cùm hæc ita ſint, quid ex perverſis, de quibus egimus, inceptis provenire poterit aliud, quàm quòd Patria Veſtra Theatrum belli futura maximo periculo ac Vicinorum deprædationi exponetur, Authores verò hujus propoſiti eorundemq; fautores meritas pœnas luent, ſibi ac poſteris indelebilem notam inurent, ac exitium proprium pœnitentiâ nimis ſerâ deplorabunt?

Sed demus, unum alterumq; ex gremio Veſtro, (probè enim ſcimus, non omnem Seren: Rempubl. hæc conſilia ſuſcepiſſe, potiorem verò ac ſeniorem ejus partem Regi optimè velle) cauſas aliquot querendi habere; illud tamen certum eſt, etiam Jovem ipſum, optimosq; ac prudentiſſimos Principes non omnibus æquè placere poſſe; reprehenſiones verò ac gravamina quorundam privatis affectibus, qui voces calamumq; dirigere ſolent, & ſtudio partium privatiq; commodi ortum ſuum debere. Demus etiam querelas aliquas juſtas eſſe, quales quidem hic nondum videmus, illud tamen conſiderandum foret, morbos hos politicos Reipub: tantum detrimenti non inferre, quàm ſolent remedia, quæ in præſenti caſu adhibere quidam nituntur, quæq; Legibus divinis & humanis repugnant, dum neglectis viis amicabilibus ac lenioribus, quas tamen Leges Poloniæ fundamentales læſis præſcribunt, ſtatim ad extrema eaq; violenta proceditur.

Sed etſi tandem iſti novarum rerum ſtudioſi, providentiâ DEi propter cauſas occultas ita volente, (cujus rei non deſunt exempla) propoſitum ad finem perduxerint, quid quæſo lucrabuntur, niſi quod tardius ocyus pœnas privatas luent, ac maculam, quam ſibi totiq; genti adſpergent, diluere nunquam poterunt? Videtur quidem ſpes auxilij cujusdam externi Principis animum calcarque eis addere, verùm exitus acta redarguet tempusq; docebit, in arena eos ædificaſſe, ac fundamentum, cui ædificium tam vaſtum ſuperſtruere conati, nimis debile fuiſſe, arundini tantùm eos innixos talem cauſæ ſuæ Patronum elegiſſe, qui ad mercedem navatæ operæ ſumptusq; repetendos jus ſibi ipſe cum Internecione Patriæ dicturus erit.

Pluribus hac de re tot periculis plena hic agere ſupervacaneum eſſe judicamus, confidimusq; illos, qui Seren: Rempub. ſalvare cupiunt, inter quos multi prudentes Senatores boniq; cives exiſtunt, ſua ſponte id acturos, ut fratres ſeducti ac errantes prudenti commonſtratione a-

A.C. 1704 lioq; meliori modo & dexteritate in rectam viam reducantur.

In præſens illud tantùm declarabimus, quomodo ac in quantum Officia Noſtra interponere decrevimus, ut non tantùm boni Cives, qui Regem ſalvum eſſe cupiunt, ſed etiam illi, qui officij DEo Regiq; debiti immemores perversâ fronte Regiæ Mti adverſantur, omnemq; lapidem movent ad propoſita perficienda, mentem ac intentionem Noſtrã cognoſcant. Notum ergo ſit, Nos ex ſincero animo ad ſopiendas querelas ac diſſenſiones, ſi quæ inter S. R. Mtem, & Seren: Rempubl. ſubortæ, tanquam à ſtudio partium alienum reſpectivè fratrem, amicum ac bonum vicinum, omnia bona officia offerre, Nobisq; perſuaſiſſimũ habere, Nos, DEo juvante, aliisq;, ſi viſum fuerit, amicis ac fœderatis Noſtris, quos hæc res tangere poteſt cooperantibus, ad beneplacitum, & ſatisfactionem utriusq; partis, & ad commoda Regni Poloniæ Magniq; D. Litv. internam concordiam, Pacem ac tranquillitatem reducere poſſe. Neque dubitamus, quin hæc Noſtra è ſincero animo profecta Officiorum oblatio eadem ſinceritate ſine ſuſpicione inſidiarum accipiatur. Prout enim S. R. Mtas Poloniæ de Amicitia Noſtra ac fraterno amore abundè certa eſt, ſic Seren: Reſpub. hanc non fucatam intentionem Noſtram, qua libertatem Ejus ſartam tectam ob ante allegatos ex Pace æterna articulos propriumq; Noſtrum Noſtrorumq; ſtatum intereſſe ſervare ſtudebimus, ſibi promittere poteſt. Deſideramus igitur, ut, quamprimùm fieri poteſt, reſponſum cathegoricum Nobis mittatur, an hæc oblatio eodem affectu, pacis amore & tranquillitatis in Regno Poloniæ & M. D. L. reſtituendæ deſiderio acceptabitur, quo à nobis, (DEUS teſtis ſit) in præſenti facta eſt. Interim non intermittemus omnes eos apparatus facere, quibus, ſi Adverſarij in propoſito perſiſtant, S. R. Mtem in ſolio, quod legitimè occupat, contra quoſcunq; tueri ac confirmare valeamus. Eos quidem, qui partes Sereniſſ. Regis ſequuntur, vel tempeſtivè ad officium redeunt, tam ſingulari gratia ac benevolentia complectemur, ac ſi Nobis ipſis Noſtrisq; propriis cõmodis gratificati eſſent, neq; deerimus omni ope & auxilio ad ſedandos hos motus illis adeſſe. Eos verò, qui Seren: Poloniarum Regi obnituntur, neq; ab exitioſo propoſito reſilire volunt, pro hoſtibus Noſtris, quos unà cum ijs, qui eorum partes ſequuntur, flammâ, ferroque ubivis aggrediemur, declaramus, neq; ceſſabimus hoſtilia quævis in eos exercere, donec hi pacis publicæ perturbatores & hoſtes Patriæ (quæ nomina eis in laudis ac decretis præſentium motuum occaſione factis ab ipſis eorundem Fratribus imponuntur,) in exemplum aliorum dignis pœnis affecti è Regno Poloniæ & M. D. L, quorum tranquillitas curæ cordiq; Nobis eſt, zizaniæ inſtar extirpentur, Noſtraq; Vicinia à ſimilibus exitioſis hominibus purgetur. Ut verò eò major vis hiſce literis Noſtris inſit, & non ſolùm Seren: Reipub, ſed univerſo terrarum Orbi innoteſcat, hanc eſſe ſeriam voluntatem Noſtram, præſentem declarationem cum omnibus, qui cauſæ noſtræ favent, Principibus communicabimus, ut extet paſſim eventualis eorum, quæ geſturi ſumus, juſtificatio. Vicinos verò, quibus cauſæ eæq; juſtiſſimæ ſunt hanc rem tanquam cõmunem Nobiſcum conſiderandi, ad conjunctionem & conſiliorum & virium invitabimus, nihil cæterum intermiſſuri, quod ad dignitatem & defenſionem S. R. Poloniarum Mtis, cujus cauſam Noſtram facimus, quovis modo ſpectare poterit. Quod ſupereſt, omnibus illis, qui Sereniſſimæ Reipubl: Veſtræ commodis ac integritati conſervandæ ſtudent, gratiam ac benedictionem Omnipotentis, utq; conſilia, quæ ſuſcipi-

ſcipient, in gloriam DEi, tutelam Regis, Patriæq; decus & emolumentum feliciter cedant, ex animo optamus, eosque bene valere cupimus. *A.C.*1704
Datum Slosburgi in Ingria 12 April. Anno 1703.

Bonus ac benevolus amicus PETRUS.

Adject. ſub Lit: A.

Clauſulæ quædam ex Tractatu Pacis inter Moſchos & Polonos Anno 1686 initæ.

Artic. I. Hoſtilitates quæcunq; ab utraq; parte in omnem æternitatem abolentur, prout omne, de quo in præcedentibus tractatibus Andruſſovienſibus convenit, perpetuæ oblivioni traditur. Inter Sereniſſ. Cæſares Moſcoviæ verò eorumq; Succeſſores, ac Sereniſſ. Reges Poloniæ Magnosq; Litvaniæ Duces ac eorum Succeſſores æterna Pax, fraternus amor atq; amicitia ſtalitur.

Artic. 5. Subditi Smolenſcij, Kijovienſes & Czernichovienſes, aliiq; in locis ac oppidis Czareis Majeſtatibus ceſſis, ubi immorigeros ac refractarios ſe gerent, neq; à Succeſſoribus ulla protectione gaudebunt, viciſſim Czareæ Suæ Mtes Subditos Regios neq; fovebunt neq; recipient, verùm quilibet alterius commoda curabit ac tanquam fratres ſe invicem contra quoscunq; juvabunt.

Artic. 23 Inprimis verò Regia Sua Mtas ejusque Succeſſores vel poſt eandem electi Reges & magni Duces Litvaniæ, imò univerſa Reſpubl. Coronæ Poloniæ & M. Drûs L, tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares utriusq; Nationis promittunt, nolle ſe nec ipſos, nec per alios ſubordinatos, Czarearum Majeſtatum hoſtes vel apertos vel tectos fovere, vel commercium cum illis habere, vel deniq; hoſtile quid illis permittere. Viciſſim repromittunt Czareæ Suæ Mtes pro ſe & Succeſſoribus magnisq; Ducibus Ruſſiæ ſe nunquam velle apertos vel tectos hoſtes, qui R. S. Mti, aut Coronæ Poloniæ & M. Ducatui Lit. infenſi ac nocivi eſſe poſſent, ſuſcipere vel aliquod commercium cum illis habere, neq; pecunia vel militibus opem iis ferre, neq; occaſionem vel ipſas vel per alias ſubordinatas perſonas præbere, quæ anſam ad inimicitiam dare poſſet. Neq; permittent Czareæ Mtes hujusmodi hominibus in Provinciis vel oppidis ſuæ ditionis verſandi, multò minus hoſtilia quædam moliendi poteſtatem. Imò volunt Majeſtates ab una vel altera parte, durante hac Pace æterna, uti Fratres inter ſe omnia humanitatis, amicitiæ ac fraternæ benevolentiæ officia, & quæ ad commoda utriusq; ſpectare poſſunt, ſibi invicem præſtare, efficereq; ne inimicitia vel aliqua occaſio violandæ Pacis, multò minus bellum inferendi, ſangvinem humanum effundendi terrasq; utriusq; devaſtandi ſuboriatur, quin potius omni ſtudio hæc omnia declinabunt, atq; impedient, omnem, quæ Chriſtianos Principes decet, curam adhibituri, ut Pax integra conſervetur, neque ob quamcunvis emergentem cauſam nova bella ac diſſenſiones ſuſcitentur.

Adject. ſub Lit: B.

Ex Tractatu Fœderis inter Sereniſſimos & Potent. Principes Ruſſorum Imperatorem ac Regem Poloniæ. Anno 1699 cuſi.

Artic. I. Promittimus, quod cum Czarea Sua Mte ſinceram ac Fraternam confidentiam, bonamq; Vicinitatem colere, neque committere velimus, ut, quamdiu DEo placuerit, Nos in Regnis Noſtris, quæ ſupremum Numen fortunare velit, conſervare, hæc conſtans inter Nos ac fidelis amicitia aliquo modo violetur, quin potius unus alteri contra

*A.C.*1704 hoſtes auxilia præſtabit, idq; efficiet, ut unus alterius commoda atque emolumenta tanquam propria promoveat, eaq; omnia præſtet, quæ veros amicos & fœderatos decent, eisq; alias incumbere ſolent.

AD MAGISRATUM GEDANENSEM à STANISLAO SZEMBEK EPISCOPO CUJAVIENSI.

Oppreſſio ſubjectorũ Nobiles Dñi &c. Forſitan viſus ſum ſilere, quòd ad acceptam ante aliquot tempus à Nobilibus Dominationibus Vris epiſtolã animũ non habuerim reſpondendi. Epiſtola illa tanquam poſt attentatas noviſſimè violentias, & commiſſas authorizationes in facto ſcripta non merebatur reſponſum; Si quid enim à Patre & Paſtore erat exoptandũ: ſed quantumvis non ſcripſi, loquendum commiſi nomine & authoritate meâ cum Nobilibus Dominationibus Vris Reverendmo Dno Officiali noſtro Gedanenſi, & Perillri Dno Canonico Grafinski Præfecto clavis noſtræ Sobcovienſis. Cùm autem ſermo eorum quà privatim, quà publicè nihil proficeret, compertum habeo nonnullos Proceres Regni Eccleſiæ, & nobis addictos motu proprio & ſcripſiſſe Nobilibus Dominationibus Vris, & locutos fuiſſe, ut incolas vicorum noſtrorum **Schottlandt/ Stoltzenberg/** & montis Epiſcopalis ampliùs non impetrent, atque ab aggravationibus eorum deſiſterent: ipſum quoque Venerabile Capitulum Eccleſiæ nræ Cathedralis Vladiſſavienſis in abſentia noſtra multas fecit requiſitiones, partim per epiſtolas, partim per Comiſſarios. Quando neque ad perſvaſiones Procerum fuit auditus, neque ad compellationes Venerabilis Capituli fuit intellectus, viſum eſt, ut exportaretur mandatum Regium prohibitione omnis injuriæ, & gravaminũ memoratis vicis noſtris illatorum vel inferendorum; aſt neque huic Nobiles Dominationes Vræ obedire voluerunt. Ne itaque credant, aut me non vivere, aut ſi credunt, ne putent mala fundi mei, & Capituli non ſentire, vel ſic publicis ex munere ſenatorio functionibus abſtrahi, ut quod eſt Epiſcopalis officii omittam facere, & ne dilatam magis ad epiſtolam ſuam reſponſum obliquè præſumant in vitioſum aliquem conſenſum trahere: ecce ſcribo, & præſenti epiſtolâ Paſtorali Nobiles Dominatioues Vras convenio, magnam mihi & Venerabili Capitulo meo Nobiles Dominationes Vræ feciſtis injuriam, quando acciſas quaſdam, & alia multa onera, authoritate propriâ ſuper memoratos vicos noſtros proprios impoſuiſtis, & uſque adhuc præter omne fas & æquum extorquetis. Numquid bona Epiſcopi & Capituli ſunt bona Magiſtratûs Gedanenſis? numquid incolæ & ſubditi vicorum noſtrorum ſunt ſubditi veſtri? unde tanta juris alieni uſurpatio? unde tanta præſumptio? tanta poteſtas, & authoriſatio? injurias injuriis accumulatis, quando jam & aquâ eiſdem incolis vicorum noſtrorum à die 12 menſis currentis interdicitis. Poteſtné quidquam pejus ad opprimendam gentem excogitari? poteſtné quid magis immane in præjudicium jurium Eccleſiæ, Epiſcopi, & Capituli attentari? jam & res in præjudicium, veriùs quoque in exitiũ vicorum noſtrorum quærebatis, & tentabatis, ut quod Magiſtratui negat jus & juſtitia, hoc tribueret potentia. Si Vatinianum odium ſuaſit plus mali cogitare, quomodo ſanum & prudens ex ProConſulatu judicium permiſit aliquid ſinè nobis contra nos facere, & à Regibus poſtulare Rationes hoſtilitatis attentatæ; quæ res, non excuſant, ſed accuſant; ergo cùm proprium mantellum vi repetere non licet, alienum, quando quis opus habet, licet vi tollere? an jam ſic depreſſæ e-

rant

rant anno præterito res civitatis? ut niſi ſubitò opprimerentur vici noſtri, aliter tunc ſalvari non poſſent, an non mons meus Epiſcopalis pro muro aheneo toti civitati eſt? an & ego ipſe, quantum in me eſt, & erat, bonum civitatis agere, tueri, & defendere non eram paratus? ſed, ut video, moribus antiquis placuit in turbido piſcari; num autem hoc liceat, num deceat, & tam nobili ac inſigni civitati conveniat, judicet omnis ætas; ego autem requiro, & obteſtor Nobiles Dominationes Vras, ut ab inceptis violentiis, & aggravationibus vicorum noſtrorum ſtatim abſtineant, & ſuperſedeant, damna quævis illata compenſent, & convulſum bonum pacis, & tranquillitatis, quod mihi ſemper erat in voto, & expectatione reducant, & redintegrent. Si verò vocem meam non audient, me declaro, quòd ad ultimum uſquè ſpiritum reſolutus ſum agere, & audere, quidquid tantum humanis viribus auxiliante Domino DEO datur, potero pro juribus meis, & Capitularibus defendendis, vindicandis, ac reſtituendis, &, dum incipiam agere non nova tantùm, ſed & vetera conabor etiam cum diſcrimine vitæ, ſi opus fuerit, vindicare. Vivit Rex, vivit Reſpub., nec adhuc ultimam animam agit; dabit Dominus DEus qui nos & percutiendo ſanat, & ignoſcendo conſervat, præſentibus malis finem, & noſtræ paſtorali ſollicitudini latum campum, & ſpatioſum nimis ad agendum, & viriliter decertandum aperiet. Dabantur in claro monte Częſtochovienſi die 22. Julij. A.C. 1704

UNIVERSALE REGIS SUECIÆ

NOS CAROLUS DEI Gratiâ Succorum, Gothorum, Vandalorūq; Rex &c.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt, inprimis verò Reverendiſſimis Illuſtriſſimis Magnificis ac Generoſis Ruſſiæ Ordinib9, cunctæq; illic Nobilitati, præſentibus hiſce literis noſtris notum teſtatumq; facimus. Quòd Poloniam cum exercitu ingreſſi, non illud magis in animum induximus, ut illatum nobis iniquiſſimum bellum ruptamq; æternam pacem ulciſceremur, quàm ut Rempub. ex cuius incolumitate Regni noſtri ſalutem non parum dependere intelleximus, à Saxonicis inſidiis oppreſſam ſimul aſſereremus. Juſtiſſimis armis noſtris adeo favit cœleſte Numen, ut hoſtis non una clade affectus non modò conſiſtere magis nuſquam auderet, ſed etiam Reſpub. Polona tempus nanciſceretur à malis, quæ illam affligebant, pauliſper reſpirandi, ſuæque libertati quam multifariis modis convulſam videbat, conſulendi: facto initio à fœderatis in majori Polonia ordinibus, qui tot malorum non aliud remedium inveniebant, quàm ut abdicato injuſto Domino eodemq; omnium diſcordiarum fomite, in locum eius in conſvetis campis Varſavienſibus eligerent, Sereniſſimum Principem Stanislaum Primum Regem è ſuo ſangvine, qui Patriarum legum, morum, lingvæ, ac conſtitutionum gnarus, ac amans, Rempub. ſibi commiſſam ex præſcripto conventionum regeret avitamque gentis libertatem, cui ipſe innutritus fuerat, ab interitu revocaret, conſervaretq;. Nos igitur ob Excellentiſſimas animi ingeniiq; dotes quas in hoc Principe cognovimus eſſe

ſitas,

A.C. 1704 ſitas, ſpem certiſſimam capientes, eum ut indigenam, veram & genuinam Patriæ ſuæ utilitatem quæſiturum, non tantùm pro Rege agnovimus, verùm etiam amicitiam, opem ac auxilium noſtrum, eidem promiſimus & obtulimus, contra quoſcunque tam extra, quàm intra Regnum, qui illius thronum infeſtare oppugnareq; ſuſtinuerint, atq; ut eo ſincerior amicitia coniunctiorq; vicinitas inter Regna Sueciæ ac Poloniæ conſtitueretur, legatos noſtros miſimus, qui abolitis diffidiorum cauſis, æternum fœdus Olivenſe reſtaurarent, eaq; paciſcerentur, quæ ad utriuſque Regni emolumentum, ſecuritatem, tranquillitatemq; pertinerent. Huic propoſito firmiter inſiſtentes, vagum ac profugum hoſtem, omnesque eius aſſeclas perſequi eouſque cogitamus, donec fractis penitusq; extirpatis eorum viribus, novum Regem extra diſcrimen poſitum videamus, pacatamque eſſe Rempublicam. Nunc verò in has oras delati quas fugiens hoſtis metu ſui exolverat, confidimus inclytos huius Provinciæ ordines laudabile cæterorum exemplum ſecuturos, erectoque libertatis ſigno ſeſe aggregaturos, eorumque corpori, qui aſſumpto ſibi capite ac Rege STANISLAO I. libertates, jura ac privilegia ſua ſimul vindicatum iverant. Speramus hoc conſilium eò promptiùs ab illis ſuſceptum iri, quod recuperandæ tranquillitatis non aliam ſupereſſe rationem perſpicuè viderint, omniaq; Saxonicæ factionis molimina unicè illuc tendere, ut inclyta Polona Natio diutius ſub intolerabili exterorum iugo cervices inclinatas gerat, Regnumque hoc quondam florentiſſimum inducta barbararum gentium colluvie, miſerrimè devaſtetur, inq; deformem convertatur ſolitudinem. Quapropter cum malis hiſce averruncandis arma noſtra dicavimus eos omnes ac ſingulos, quibus libertas ac Patria cordi eſt, ad fœderis huius ſocietatem invitamus, parati eos in fidem ac tutelam noſtrã ſuſcipere, eos à quorumcunque hoſtium injuriis ac inſultibus tueri, vimque omnem ac vexationem ab eorum bonis, fortunis, ac perſonis pro virili prohibere. Quo pacto ea ſimul conſiliorum ratio iniri poterit, ne hoſti occaſio aut libido unquam redeat inclytas haſce Regni Poloniæ partes denuo invadendi. Quos verò hac benevolentia noſtra ac ſincera propenſione ſuſque deque habita, adverſariorum partibus pervicaciter adhærere intellexerimus, inque pernicioſa adverſus Patriam intentione perſeverare, eos omnes hoſtium loco habebimus, & tanquam turbatores Reipub. quam defendendam ſuſcepimus, eò rigore perſequemur, quem natura ac jus belli dictaverit. Quod antequam ad extrema hæc progrediamur, promonere volumus ab inclytis Ruſſiæ ordinibus, univerſaq; Nobilitate, qui exitium evitare cupiunt expectantes, ut nulla interpoſita mora ſuam ad nos declarationem mittant. In quorum omnium fidem &c. Dabantur in Caſtris ad Leopolim die 13 7bris Anno 1704.

(LS) *CAROLUS* *C. Piper.*

LITE-

LITERÆ à S. R. Mte Ad Civitatem Gedanenſem Lipſiâ 7. Jan. *A.C.* 1705

NObiles ac Spectabiles fideliter nobis Dilecti. Nunquam crederemus fieri poſſe, quod jam per audaciam, an audentiam factum fuiſſe nunciatur nobis. Res ad Regiam perſonam noſtram pertinentes, ex hoſtium ereptas faucibus, parum amicâ manu, ſine ullo fidei, juris, & æquitatis reſpectu intercipi, ſigillis inſolitis muniri, in granario noſtro, tanquam ſub areſto indebito detineri, cum gravi cordis noſtri ſenſu accepimus. Tantúmne ſiniſtri animi fidelitatibus vris ineſt? ut hoſtem vereri eligant, & nos (quibus ſacramento juramenti, nullo alio, quod vi vel metu extorqueri poterat abolendo obſtrictæ ſunt) omittant revereri. Optaremus proinde ex animo, qui in civitatem veſtram verè paternus eſt, ac ſemper fuit, ut negotium hoc ſi nolint affectu, velint reputare ratione, ut ſcilicet, quod juſtè cupimus, & vobis expedit, ex detentione hac violenta, nec ſperata, ſupellex noſtra Regia abſque ulla mora reſtituatur, omnino nobis præcaventes, & FF. veſtras præcuſtodientes, ſi quid damni acciderit, eiſdem tanquam hujus immediatæ cauſæ reputandum fore. Deſideraremus etiam opinionem hanc amotam ab eiſdem, quod fortuna noſtra juncta ſemper cum integra Republica ita ſit deſperata, ut nos deſpectui eſſe debeamus, & vos prævalente fidei factione, vobis quodvis licere credatis. Eſt profectò DEUS, in quo nos fiduciam omnem ponimus, is certè juſtæ aderit cauſæ, à quo interim FF. veſtris meliora de eiſdem ſperantes, bonam valetudinem, æquiorem mentem, & accuratiorem in præſentem ac futurum rerum ſtatum, reflexionem ex animo optamus.

Res Regiæ areſtatæ à Gedanenſibus.

COPIA LITERARUM SERENISSIMI REGIS ad SUMMUM PONTIFICEM Dreſdâ 22. Februarij.

POſt oſcula pedum, mei & Regni mei humillimam commendationem, ſupremum in terris S. Sedis Apoſtolicæ regimen ſorte naſcendi alii, ego lumine tactus ab alto liberè recognovi, libenter & fide ad ultimum invicta veneror. Singularem verò Sanctitatis Vræ obſervantiam, quæ ſemper fuit, eandem eſſe, conſtantérque futuram re magis, quàm verbis teſtor. Notum bene eſt Sanctitati Vræ, quomodo D. Epiſcopus Poſnanienſis, qui accommodans privatæ libidini publicã authoritatem, velamen malitiæ habens libertatẽ, audientiùs, quàm conſultiùs ea patravit, quæ niſi facta fuiſſent, fieri non crederet orbis, inter hoſtes hæreticos, quibus ope, conſilio, & adjumento fuit, armis noſtris captus ob reſpectum immunitatis Eccleſiaſticæ, & imprimis authoritatis Stis Vræ communicato ſtatim conſilio cum Rndmo Sanctitatis V. Nuntio, eſt detentus, & uſquè nunc ſub cuſtodia Sanctitatis Vræ fuit. Ad primum autem ejuſdem beneplacitum ſub manuductione venerabilis Abbatis Morenda à Rndmo Dño Nuntio ad hoc deſtinati raræ activitatis & dexteritatis viri, nullâ interpoſitâ morâ Romam, uti voluntas dirigentis eſt, ad reddendam facti rationem, & recipiendam pro culpa pœnam, unde metus incutiatur aliis, transfertur. Sanè lentus in dolore meo à natura eſſe ſoleo, libentérque morbos tollendo, non ægros, univerſis ignoſcerem, ne ſingulis iraſcar, ſed Reipub. in everſionem ſtatûs, tam graves inflictas injurias præterire, vel diſſimulare non poſſum, neq; ſi poſſem, debeo. Opinari proinde, & planè ominari licet, quòd Sanctitas Vra cui Summus DEus in terris judicium dedit, in dictum D. Epiſco-

Nicolaus Swięcicki mittitur Romam.

*A.C.*1705 Epiſcopum animadvertet, neque uti ſpero, imò & credo Româ dimittet, ne ianua aperiatur ad res novas & pejora prioribus, quorum eſt capaciſſimus, audeat. Quod reliquum eſt, Illum, qui omnia poteſt, precor, ut Sanctitati Vræ firmam, in qua meæ ſalutis partes poſitas ſcio, det valetudinem; mihi verò ejuſdem Sanctitatis Vræ amorem paternum demiſsè depoſco, & pedes ſanctiſſimos reverenter exoſculor.

LXXXIV.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. PETRO KCZEWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI 9 Jan.

Epiſtola tua ſermonibus tuis ſimillima, quàm me affecerit, quâ voluptate perfuderit, quem ad meam ſuperiorem erga te voluntatem cumulum addiderit, nec mihi verbis explicare, nec tibi mente conſequi facilè eſt, exequar eâ diligentiâ, quâ ſinceritate jubes, loquar Regi, & loquar non perfunctoriè, ut efficaciter tibi ſervire poſſim, nihil enim eſt, quod ego te jubente facere recuſem, tum quia toto te pectore amplector, tum quia impietatis crimen mihi incurrere videor, ſi quid officii in te prætermiſero. Informationem quam exoptas talem, qualem ipſe habeo, tibi mitto.

INFORMATIO DE VARIETATE POSTÆ IMPERIALIS.

Ordo Poſtæ Polonicæ, ex ſpeciali gratia ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando III, glorioſæ memoriæ ad interpoſitionem Sereniſſimæ Cæciliæ Renatæ Sororis ſuæ Poloniarum Reginæ Divi Regis Vladislai Conjugis conceſſæ, non interruptâ temporis ſerie 1637. cum ſummo Regni & Reipublicæ, & commerciorum emolumento, ac incremento, uſque ad finem exſpirantis ſæculi, pacificè continuatæ. Huius Poſtæ curſus ita erat inſtitutus, ut ſingulis hebdomadis Cracovia Holeſcioviam per expreſſum Curſorem literæ, & faſciculi totius Regni, tum in Imperium, & potiſſimùm in Italiam expedirentur, Holeſcioviæ poſt modum alteri Curſori poſtæ ſarcina obſigillata, à Cracovienſi extradebantur, à quo huc Viennam deportabatur & Regio Reſidenti Poloniæ ibidem conſignabatur, à quo omnes literæ & faſciculi ex ſarcina pro more inveterato recepti, mercatoribus & aliis remota jurium poſtæ ſolutione diſpenſabantur. Duo verò literarum faſciculi, Regius & particularium Venetias, ad poſtæ Polonicæ Præfectum Dominum Joachimum Albertum Süz adhuc ſuperſtitem à Regio Reſidente ſingulis ſeptimanis, ſolutis porrò juxta pondus, ſcilicet pro uncia quatuor groſſis Germanicis Poſtæ Cæſareæ, juribus pro faſciculo particularium hinc Venetias duntaxat, tam expediendo, quàm illinc adventante, juxta conventionem hocce Cæſareæ poſtæ officium inter, & Magiſtrum Generalem Regiarum poſtarum ſtatim ab initio ſupradictæ poſtæ inſtitutionis initam expediebantur. His ſtantibus Magiſter poſtæ Cracovienſis ſingulis menſibus, pecuniam pro exſolvenda ſumma officio poſtæ Cæſareæ debita, prout etiam eidem poſtæ Magiſtro Cracovienſi, incumbebat poſtilionibus ſeptimanalem curſus mercedem, ex ærario illius poſtæ ſatisfacere, de quibus omnibus & ſingulis Domin⁹ Bartholomæus Sardi, olim generalis poſtarum Regiarum Poloniæ Præfectus, ad ungvem informatus eſt. Præfuit huic poſtæ Polonicæ 40 annis liber Baro Nicolaus Siri, Antonius Colleti & Joannes Baptiſta Romani

mani 18 pariter annis, donec Chriſtianus Schierl dictus, de Schierndorff, dum Regii Reſidentis in aula Viennenſi fungebatur munere, iuitis cum Domino Comite de Paur ſupremo poſtarum Cæſarearum, in Provinciis Hæreditariis Præfecto tacitis contractibus, & pactionibus, prout creditur ſine Sereniſſimi Regis & Reipub. Polonicæ conſenſu, poſtam Polonicam Viennenſem oppreſſit & totaliter extinxit. Appulerat hanc in urbem ante 18 menſes modernus Generalis poſtarum Poloniæ Magiſter, ut de hoc facto ſe informaret, dictum fuit illi à quodam incorruptæ fidei erga Sereniſſimam Rempub. viro, quodſi præfatus Schierl, ſine conſenſu Regis & Reipub. hoc vulnus inflixit Poloniæ Regno, graviſſimã & exemplarem promeruiſſe pœnam, cum tali prærogativa, & inſigni unionis pretioſæ ornamento, in Notorium Regni & commercii præjudicium, & jacturam, Rempub. auſu temerario exuerit, & publicè illimet poſtæ Polonicæ Præfecto objectum fuit, ſi hac ſuper re colliſionẽ cum ſupradicto de Schierndorff habuiſſet, pari pœna imò detruſione à ſuo munere, in pœnam perpeſſi præjudicii fore mulctandum. Ipſe verò jurando affirmavit, id ſine ſuo præſcitu actum fuiſſe, qui deinceps ad evitandum Ssmæ Reipub. de patrata in eandem injuria, juſtam indignationem, ab amicis præmonitus fuit, quòd ad ſe ſalvandum, eam arripere poſſet reſolutionem, ad ſui Cracoviam reditum, poſtam in priſtinum pedem & ſtatum remittendi, verùm hucuſq; ſaniori huic conſilio, propter particulare fortaſſis ſuum commodum & privatum lucrũ ſe ſubmittere tacitè reluctatur. Exiſtimatum ſalvo tamen meliori judicio, ut moderno poſtarum Polonicarum Præfecto, ad præſcindendos omnium tricarum, quæ intercurrere poſſent, nexus, feriò & ſub amiſſionis ſui muneris cõminatione committeretur, quo poſtam priſtino reſtituat ſtatui, poſtiliones priores, aut eos ſibi magis bene viſos ſuſcipiat, & ad Dnum Comitem de Paur, cum hac excuſatione perſcriberet, in oppreſſionem poſtæ Polonicæ Viennenſis, nunquam ſe aſſenſiſſe, ideoq; nullam & irritam eſſe, & hac ratione coram Republica ſervare ſe poſſet. *A.C.* 1705

Prædictum etiam fuit Domino Comiti de Paur, contractum hunc cum Schierliano ſtipulatum, ideo reſcindendum fore, ſiquidem à Sereniſſima Republ. nunquam ratificabitur, cum quæ in commune præjudicium cedunt, approbanda & ratihabenda non ſint. Sublato hoc temerario & pernicioſo contractu literarum cõmercium eò ſecurius reddetur, & Regni Poloniæ cõmodum reſtaurabitur. Hac in re non intercurrit Auguſtiſſimi Imperatoris aſſenſus, ſine quo tractatus, & quidem inter ſolum Dominum Comitem, & prænominatum Schiel, fuit concluſus.

LXXXV.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. CANCELL: REGNI THOMÆ DZIAŁYNSKI PALATINO CULMENSI Lipſiâ 17 Januarij.

PLurimum nuper & ex corde gaviſus ſum, dum te peracto glorioſẽ negotio jam proximum Patriæ eſſe inaudij: nunc jam, dum feliciter intra ejuſdem fines conſtitiſti, de reditu tuo integrâ valetudine gratulor, ex ànimo optans: ut hæc negotiatio novis Patriam fortunet emolumentis, tibi verò immortalem progerminet gloriam.

Legens conferentiam tuam circa limitationem ob abſentiam Principis tot rationibus fultam, comperi præcautionem & quidem meritò additam, quâ deſideras: ut pro futuro conſilio Legatus Moſchoviæ para-

ta

A.C. 1705 ta habeat omnia, quæ ad Tractatum ratificandum pertinent requiſita, nec dubito ea habiturum: accurata enim valdè illa aula eſt, præſertim in rebus ſuis. Quia nihilominus mihi innotuit & quidem magnis Authoribus, eas auxiliares Copias tam Eccleſiaſticæ quàm Nobilitari obfuturas immunitati, quòd Eccleſias Noſtras in Rutheni Schiſmatis, ritûsq́ Græci converſuræ credantur templa, & à Nobilitate contributiones exacturæ, & ſi mihi conſtet de incomparabili tua prudentia & innato circa utrumq́ zelo, quo factum eſſe exiſtimo, ut his malis abundè obviàm itum ſit & cautum: pro munere tamen Officij mei & imprimis ex motivo conſcientiæ, audeo te ſolenniſſimè rogare; ut maturè cum legato expoſtulare velis, quatenus id, ſi forſan per inadvertentiam vel conniventiam quid tale conceſſum eſt, corrigatur & annihiletur: periculoſiora enim hoc modo auxilia forent. Habebo ampliorem campũ; collatâ prius tecum re in omni confidentia, in futuro, DEo dante loquendi de iis, quæ ad conſervandas ſtatûs noſtri reliquias pertinere credam. Illud inſuper pro certo allatum eſt, Palatinatus Vitebſcenſem & Polocenſem quoſdamq; alios diſtrictus, quantumvis perſolverint ſummam, nihilominus pretioſæ hoſpitalitatis immeritas luiſſe pœnas. Verùm etiam quo ad hoc tibi tuas non defuiſſe cautelas & præcautiones exiſtimo. Mihi inſinuâſſe ſufficit, nunc iterum iterumq; &c.

LXXXVI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI MINISTRO REGIO ROMÆ DEGENTI Lipſiâ 20. Januarij.

Mille annis ſi tacuiſſes, nihil ad me ſcribens, nihil tamen de meo erga te amore diminuiſſem. Acceptis tamen his literis tuâ manu exaratis, quæ multos jam dies, ob ſummas, ut dicis, & innumeras occupationes tuas ſiluerunt, perinde exhilaratus ſum, ut ille qui ex diuturnis tenebris tandem fuerit ad aſpiciendam lucem emiſſus, nam & illarum ſuavitate mirabiliter ſum recreatus, & incredibilem ex eo voluptatem accepi, quòd intellexi occupationes tuas, quantumvis maximas, nempè quæ ad utilitatem Regno noſtro pariendam ſpectent, quo nihil nec excogitari quidem utilius, vel ſalutarius poteſt, non eam vim poſſe habere, ut me tibi ex memoria evellant, neque adeo omne tempus eripiant, ut nulla ejus pars reliqua ſit, qua ad literas à me dandas utaris. Reciprocum accipe præmiſſo priùs ſincero voto, ut hic annus & ſubſequentes gratiam DEi in te augeant, amoremq́ versùs me, qui te amo, & amando favebo, nec ulla tam alta erunt montium juga, tam vaſta ſolitudinis maria, quæ te mihi præripient, quin locis diſſitus tibi adſim, ſemper affectu, quoniam corporibus non datur. Interim rogo ne tibi calamus plumbeus ſit, nec papyrus aurea, quam diſſipare formides, quia nunquam tantùm ſcribes, quantùm legam libenter, quamvis ex veteri amore, & propter ſilentium, ſi quandoq́ eſt diuturnum effectu meo non detrahitur aliquid, nam qui me amari præſentio, non redamare confunderer; amo te proindè non immerito, quia amor ſinè merito, amo ſinè fine, quia ſinè principio me cognoſco amatum.

Pernoctavimus ultimâ anni in arce Meyſſenſi, ubi etiam D. Legatus Cæſareus cum uxore fuit, manè die 1. Januarij ego apud me abſolvi miſſæ ſacrificium, antequam incepiſſet dies, & Dñus Kors ante Regem poſtquam autem aſcendiſſemus currum, facta eſt tanta tempeſtas,

&

& ventus tam inuſitatus, & violentus, ut à memoria hominum ſimilis *A.C.* 1705
non recordentur. Venimus tamen prandi apud D. Bozen, ubi biberunt ſatis, 12 noctis Lipſiam, ubi frigidiſſimum cubiculum inveni.

3. Venerat expreſſe Princeps de Domo Radivilia vidua, cum qua duas horas impendi in antiquis commemorandis, illa abiit ad Deſſau, & ego fui in collatione apud Dominum Theſaurarium Regni, ubi notitiam inivi cum Ablegato Daniæ Alfeld, & D. Procancellarius ſcripſit pro Capitaneatu Ravenſi in favorem Dñi Subdapiferi Regni, infortunium hoc eſt noſtri temporis, ut tunc potiſſimùm diviſi ſimus, cùm expediret maximè eſſe unitos.

4. Habui permiſſionem Principes noſtros Regios videndi in arce, quod ſine lachrymis eſſe non poterat, barbas longas alunt, & relationē diſcurſuum feci Regi corq; ejus emollire ſtudui, quanquam vix præ dolore lingva mea fari, & mens aſſequi quibat.

5. Accepi literas ab Illuſtriſſimo Dno Nuntio cum adnexis ad Regem pro eliberatione Dni Epiſcopi Poſnanienſis, cui Rex reſpondere fecit, ut mittat aliquem, cui conſignari poſſit & Romam duci, libens in id conſentiet Rex, aliàs non.

6. Princeps Fürſztemberg fecit convivium magnum, ubi 60 Perſonæ erant, ego interim omnes adhibeo modos, ut Principes eliberari poſſint, & habui conſolationem, jam enim Rex inclinaverat pro eliberandis, & jam mihi locutus de modo eliberandi, ſed

7. Primo ex conſilio, pòſt ex acceptis ex Polonia nonnullis literis quidam in literis ad me vocat, & quòd utilitas fide ſit illis antiquior, (quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt) ita certè hi ſcelerum fraudumq; repertores vi cuncta trahunt, multa quotidie gerunt, de quibus præter eos, qui ea conficiunt, nemo quiſquam certa cognoſcit, pleriq; etiam ne facta quidem eſſe audiunt. Iſtis quæ miſeratio, & moderatio? qui nihil unquam moderatè, nihil clementer unquam fecerunt. Et quanquam hoc conſilium uti nimis crudele à multis improbetur, quia vi mera Rex ex bona intentione exturbatur, tamen intentum habuerunt, quòd in literis ſuis expreſſerunt, ut cautè in eo puncto procederet Rex, imò procuratus eſt articulus ab exercitu, ne dimitterentur, & ſic in ipſo conatu rerum circumegerunt, irretiverunt Regem plurimis rationibus, & blanditijs calami pertraxerunt illum, & ego validâ tempeſtate jactatus, ablatâ ſpe omni liberationis, mutationem vidi. Ex corde id dolui, cùm præcipuè Rex Sereniſſimus miſerit ad me Mareſchalcum Fluk, quas rationes allegare poſſumus D. Stratman ulterioris detentionis, & quòd Rex excuſet ſe Imperatori, nullatenus poſſe ſe hic, & nunc illos dimittere. Quanto mœrore affectus fuerim, nec dicere poſſum, DEUS, & Pater Domini Noſtri JESU Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quia non mentior.

8. Fuit magna orta difficultas ex occaſione, quòd Rex priùs acceperit ad ſaltandum poſt Reginam, Principiſſam Vaſſenfeldt, quòd Dña Stratman tanquam magni Legati uxor prætendebat, & totum diem inſumpſerunt in negotio hoc, quærendo modos, ut accommodaretur, ut & ſequenti veſpere factum, dum enim conveniſſent, ex condicto Principiſſa Waſſenfeldt ad parvam menſam incepit ludere chartis, & interea poſt Reginam ſucceſſit in ſaltu Dna Comitiſſa Stratman. O quanta vanitas, ſed ab his Epiſtolaris brevitas ſuperſedendum judicat,

10. Habuimus conferentiam in domo D. Stratman cum declaratione,

A.C. 1705 one, & rationibus, quæ nec fortes erant nec bonæ, ſed tantùm prætext⁹ ut Imperator ſit contentus quòd Principes non dimitterentur; Rigidius reſpondit Dnus Legatus cum zelo negotiũ hocce tractans, ſi fortè quod credi nefas dicebat competens deſiderium fuerit Imperatoris eluſum, nova hæc auribus ejus afferentur; ſed pòſt muliebre conſilium frigidiorem fecit, interim (non ſinè lachrymis hoc ſcribo) Principes patientur, adeò improviſum eſt, quidquid fortuna efficit, vires meæ pro animo non fuerunt, & magis me velle, ſcivi aliquid in favorem Principũ præſtare, quàm poſſe, cum jam antecedenter induxiſſem bonum quandoꝗ animum, ingeniumꝗ benignum Regis, non utrum, ſed quomodo & quàm citò dimitteret? ſed cum hæc evanuerunt, diſſimulare non valui triſtitiam cordis mei, nec pati ultra latere omnem cruciatum quem patiebar, quia vermis ille continuò rodit me, & dolor meus in conſpectu meo ſemper, & quidem aliàs ſatis tribulor ſed ut verum fatear, in nullo æquè, cujus doloris prima & maxima cauſa literæ ex Polonia ab illis, qui quaſi mare fervens quieſcere non poſſunt, quorum pedes ad malum currunt, duplexꝗ illis lingva atra ex mente ſonat, ſed venit tandem dies ſemper quæ malas detegit artes. Quæremus eos & non inveniemus, fuerunt, quaſi non fuerint, vetus renovabitur proverbium, magna eſt fornacula perituros audio multos, & ſummus iſte locus, nullâ non arte petitus vertetur in infimum, non magna gratia completum debet accipi, quòd velociter, quàm oporteat videtur aperiri. Quæ cita ſunt poſt ſe pœnituiſſe trahunt. Onera interim non ferenda felices mali, qui tum præcipuè bene eſſe ſibi credunt, dum Principibus ſerviunt, quorum res præter ſententiam eunt, habui à quodam amico recentes literas in hac materia, &c. ſed ego nolo ſerere ſuper ſpinas, nec plus dico, quia dolor prohibet.

LITERÆ REGIÆ AD CONSILIUM LIMITATUM AD DIEM 8 Febr. Dresdâ 26 Januarij.

AUGUSTUS REX.

Reddidit nobis Lubinius Colonellus noſter, exaratas publico nomine Veſtras literas. Non miramur per dilationem reditûs noſtri, cujus non voluntas, ſed neceſſitas cauſa fuit, mœrore tantiſper præſentem in tempore, limitati Concilij congreſſum affectum eſſe, imò hoc ipſo velut manifeſto illibatæ fidei, nec mutati erga nos affectûs documento, lætamur. Approbamus omnia, quæcunꝗ, ibi prudenter acta intelleximus, nihil nobis gratiûs, hac deſiderij Veſtri, quo celerrimum adventum noſtrum præſtolamini, expreſſione; quia id vobis optatis, quod nos enixè deſideramus, ibi magis anhelantes eſſe, ubi non ſumus, quàm ubi ſumus. Nec putamus majus votis noſtris Veſtrum eſſe deſiderium, quo nunquam diviſa ut ſperamus, membra jungi capiti Veſtro anhelatis. Aſſecuramus ergo, brevi Nos ſupra ſpem omnium, voto prius & deſiderio, ibi corpore comparituros, ubi continuò mente præſentes ſumus. Deſideramus nihilominus, affectusꝗ, Veſtros invocamus, quatenus æquibonꝗ, conſulere velitis, ſi impoſſibilitas ipſa in termino nos comparere non permiſerit, tum propter ſtructas, undiꝗ, nobis inſidias, tum propter innovatam ordinariam pedis noſtri affectionem, quæ

ſeriam

ſeriam aliquot dierum exigit curam, ut ad inſtantes labores, & de- fenſionem Patriæ, cui impendi, & ſuperimpendi deſideramus; ſimus aptiores, omninò perſuaſi, Vos paſſuros minimè & Perſonam noſtrã in periculum, & valetudinem conjici in incommodum, cùm præſertim toties certificemus, nos omnia faciliùs, quàm moram perpeti poſſe. Ne bona hæreditaria aggravationibus opprimerentur, continua noſtra hactenus cura fuit, qui immutabilem inclytæ gentis erga nos experti affectum, voluimus non mercenarium, ſed Paternum erga eam gerere pectus. Expedimus ſeveras inhibitiones ad Generales noſtros; quatenus omni poſſibili & imaginabili modo hisce bonis ſecuritatem provideant, cujus etiam nos ipſi, ubi feliciter, & utinam celeriter redierimus, convenientia quæremus remedia. In reliquo affectum, cujus ab omnibus accepimus documenta, ſingulis noſtrâ benevolentiâ rependimus, & in ulterioribus occaſionibus, ut Confœderationis generalis Mareſchalco, cujus in Nos & Rempub. zelus ſingularem ab utrisq; meretur gratitudinem, ſic toti Confœderationi, quæ practicato à Majoribus uſu & more, circa Mtem noſtram, & conſervationem jurium ac libertatum, conſtanter perſiſtit, rependere conabimur; bonam omnibus & ſingulis à DEo precantes ex animo valetudinem. A.C. 1705

EXCOMMUNICANTUR INVASORES BONORUM ECcleſiaſticorum ab Eminent. Cardinale, 30 Januarij

MIchaël S. R. E. tit: S. Mariæ de pace Presbyter Cardinalis Radzieiowski Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Legatus Natus Regni Poloniæ & M. D. L. Primas, primusq; Princeps. Perilluſtribus & Rndmis Illuſtribus & Adm̃ Rndis Venerabilibus ac Religioſis, tum & univerſo Populo Archidiœceſis Noſtræ Gneſnenſis Salutem in Domino, & Paſtoralem Noſtram benedictionem.

Admiſſa toties ſuper mala Reipubl. hujus profundior contemplatio noſtra, aliam rimari nequit tanti infortunij cauſam, niſi peccatum, quod ordinariè miſeros viventes facit; nec ſæculorum hæc culpa eſt, quæ propter calamitatem temporum ferrea vocitari ſoleant, ſed morum noſtrorum pœna, quos à tramite recti aberrantes, & in omne nefas laxis velut habenis, labantes ulciſcitur ipſamet Divina juſtitia. Hinc eſt, quòd permittat etiam potentiſſima Regna ab alienigenis invadi, premi, debilitari, aliquando dirui & incinerari, viros bellicoſos ac fortes, viros conſilij aufert, ſpiritum ſuum Principalem, quo tanquam glutine Civium animos ad unionem ſuavem, & harmoniam componere & confirmare conſuevit, in ira ſua revocat, poſtquam verò chaos, confuſio, & diſcordia inteſtina triſte Dominium obtinent, utitur iisdem tanquam rigoroſis ſuis inſtrumentis ad punienda delicta noſtra. Nonne ejus rei ſatis, ſuperq; elucet veritas, dum Regnum iſtud vicinis olim formidabile, nunc ita contemptum, & oppreſſum, ut priſtinæ libertatis & gloriæ vix jam umbra ſuperſit. Eædem nobis erant, antequam fuiſſent direptæ, ut ante opes, eædem vires, quæ & ſuperiori ævo, adeò evidens eſt, non degeneràſſe nos ab Anteceſſoribus noſtris, ſed tantùm ex gra-

*A.C.*1705 tia Omnipotentis, ob flagitia noſtra, quæ cum illa commanere nequeunt, excidiſſe, idem fervor, idem ſangvis, idem robur, ſunt & nunc viris animæ capaces mortis, nec ignominiam hanc, quam ſibi vident inferri ab externis potentiis usq; ad tam longam, & ſcandaloſam paterentur ignaviam, niſi Divinæ benedictionis fruſtrarentur ſuffragio, reſpicere tamen & intelligere protervus impedit animus, imò quod audire dolentius, etiam nunc, dum bella fremunt, peſtes graſſantur, emuncta plebi, ultimaq; vitæ ſuæ ſuſtentacula perdenti crudelis minatur fames: his non attentis omnibus, quamvis patientiſſimis infallibilis iræ Divinæ ſignis, bibunt ſicut aquam iniquitatem, ac ſi non eſſent Chriſtiani & Catholici, ſine illo timore Domini non tantùm in proximos ſæviunt, per cædes & rapinas, quidquid ad illas poteſt eſſe obvij in urbibus, pagis, villis, domibus, ſed etiam Eccleſiis & Sanctuarijs DEi non parcendo, inferunt manus, ut hoc in plurimis Archidiœceſis noſtræ ſacris locis horrendè practicatum, nobisq; delatum eſt, rapta ex illis eſſe effractis Ciboriis ſancta vaſa, ejectoq; malitioſiſſimè ſuper terram Sanctiſſimo Corpore Dñi noſtri JESU Chriſti. Pyxides aureas & argenteas ceſſiſſe in prædam deteſtabilem adeò, ut non tantùm de gentibus, verùm etiam de indigenis poſſit juſtè dici: Venerunt impij Domine, polluerunt templum ſanctum tuum. His itaq; meditationibus ægrum ac ſollicitum exercendo animum noſtrum, judicando ſimul, quòd juſta hæc ſuper nos ſacra Nemeſis aliter leniri, & mitigari nequit, niſi per humiliationem, pœnitentiam, ſupplicationes ac devotiones fidelium, ad quas fervidius peragendas ipſummet quadrageſimale imminens incitat tempus, tum etiam per aliquod adinveniendum ſerium & efficax medium corripiendi hanc effrenem licentiam, reducendiq; ad ſaniorem mentem illos, quorum impietas diſcrimine nullo Divina & humana conculcat Jura, conſultum eſſe duximus, recurriſſe hac in parte ad Paſtoralem animadverſionem noſtram, uti quidem authoritate ejusdem mandamus per totam Archidiœceſim noſtram *1mo* ut omnes Concionatores toties quoties prædicaturi ſunt Verbum Divinum, commendent ſeriò univerſo Populo placandam Divinam Mtem pro pace, & unione animorum, ut ex fructibus & effectibus his poſſimus mereri miſericordiam, & videre opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella usq; ad finem terræ, atq; ad hanc intentionem ultra ordinarias ſupplicationes, ex ambonis ſuis ſaltem diebus Dominicis, & diebus feſtis, ſi non quotidiè tria Pater noſter, Ave Maria, & unum Credo, aut ipſi recitabunt cum populo, aut dicenda inſinuabunt. Diſtinctè autem Confeſſariis præcipimus, & authoritate noſtrâ injungimus, ut ſuper pœnitentes, illorumq; laxam, ac divagatam conſcientiam diligenter animadvertant, & omnes, quicunq; manum miſerunt ad iniquitatem, & raptores fuerunt rerum ſacrarum vel profanarum, aut de Eccleſiis, Monaſteriis, locis pijs, aut de bonis quibuscunq; & à quocunq; poſſeſſis, etiam circa confeſſionem Paſchalem tales abſolvere nolint, & dimittere peccatum, donec reſtituant ablatum, imò nec in ipſo mortis articulo, niſi viſa impoſſibilitate reſtituendi. Tum circa lectionem Bullæ Cœnæ Dñi itidem omnes generaliter, quicunq; ordinatione vel executione, conſilio vel manu auſi ſunt Eccleſias, Monaſteria, & alia Divino cultui dicata profanare loca, immunitatem illorum tollere, depoſita qualiacunq; illa fuerint, inveſtigare, quærere, fodere, & unà cum ſepulchris mortuorum eruere tales ſine quavis exceptione mandamus ſub eodem die & actu, tanquam putrida & ſcabioſa membra, à conſortio fidelium abſcindere,

dere, in illosq; fulmen Excommunicationis vibrare, & totaliter pro excommunicatis & ab Eccleſia DEi abjectis declarare, uti quidem & nos authoritate noſtrâ per præſentes omnes tales pro excommunicatis declaramus. Quod ut ad notitiam omnium facilius & celerius pervenire poſſit, literas hasce indilatè publicari, & ad valvas Eccleſiarum Archidiœceſis noſtræ Gneſnen: affigi deſideramus & injungimus. Dab: Gedani. A.C. 1705

COPIA LITERARUM REGIS SUECIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM REGNI POLONIÆ Ravicij 1 Februarij.

NON parum in ea opinione, quam de prudentia & integritate Eminentiæ Vræ ſemper habuimus, nos confirmavit Sereniſſimus Rex Stanislaus, cum ab itinere Pruſſiaco redux rationem conſiliorum ejus nobis explicuiſſet, ipſemetq; pro reſtaurando tractatu cum Republ. ſat tenerrimè egiſſet. Viſa res hæc eſt tanti momenti, ut neutiquam permittendum nobis exiſtimaremus, quò minus Excellen: Vræ, quæ noſtra circa eandem ſit ſententia dilucidiùs indicaremus, & primum quidem, cùm ea cupidè amplectamur, quæ ſedandis hiſce turbis, ſolioq; Electi Regis conſtabiliendo inſervire videbuntur, moram conſtituimus facere nullam, quin tractatus Varſavienſis, qui improviſo eſt abruptus caſu, quàm primum reſtauretur, eo fine atque propoſito, ut abolitis ibi omnium deſideriorum ſeminibus Reſpub. Polona ſecuritatem conſequatur pleniſſimâ in omnibus, quæ ad jura ejus, libertatemq; avitam, ac limites Dominiorum ad eam ante inceptum per Regem Auguſtum bellum ſpectantes integerrimè conſervandos pertineant, & æterno fœdere, inter Reges Regnaque Suециæ ac Poloniæ redintegrato arctior armorum ſocietas contra communes eorum hoſtes conſtituatur, cùm hoc noſtrum ſemper fuiſſet propoſitum, in eodem permanere conſtanter decrevimus, ſimul ac intellexerimus nominatos eſſe eos, qui Reip. nomine, huic negotio intereſſe debent. Nos quoque abſque mora deſignandos curabimus, qui in loco conventui huic deſignando maturè comparebunt. E re quoque exiſtimamus ab Eminentia Veſtra & Illuſtri Mareſchalco publicari ejuſmodi literas, quibus reliquæ Provinciæ, quæ nondum acceſſerunt ad ſocietatem fœderis Varſavienſis invitentur, atque ad ea perficienda convocentur, quæ ad pacandam Rempubl. ſpectant, in quibus ad oculum ipſis exponi poſſit præſens rerum facies, ac diſcrimen Poloniæ, tum quoque non aliam ſupereſſe rationem ex his malis eluctandi, niſi ut diſcordiâ amotâ Reipub univerſæ membra in unum corpus coëant. In eum finem tractatum, qui Varſaviæ eſt ſub auſpiciis Electi Regis inchoatus, nos continuare velle, inque illo Regis ſecuritati in poſterum cavere, ac proſpicere. Omnino enim perſuaſi ſumus hæc ab Eminentia Veſtra, & Mareſchalco decenter expoſita, longè majorem vim in animis ordinum Reipub. habitura eſſe, quàm ſi nos ipſâ operâ defungeremur, qui neque videmus partibus noſtris convenire, ut ve-

A.C. 1705 teribus incerta judiciis, exiſtimationem noſtram committamus, poſtquam tot ſcriptis hactenus publicatis ad tædium uſque propenſiſſima noſtra in rem communem ſtudia manifeſtavimus. Quodſi illi, quorum maximè intereſt Patriam ſuam liberari, integerrimam noſtrã intentionem deſtituere perſeverent.

Nos quidem propterea minimè ab inſtituto noſtro abducent, ſed impellent magis ad alias circumſpiciendas rationes, quibus bellum hoc explicari poſſe æquè confidimus, ſibi verò ſuæque Provinciæ acceptum referent, ſi tunc fortè cum majori eorum incommodo illud terminari contigerit, quò magis etiam ſperamus Eminentiam Vram, quæ induſtriam nunquam ſatis laudandam ad communem caſum hactenus contulerat, neque nunc oneri ſe velle ſubtrahere, verùm tantò majori curâ, ſtudio, ac diligentia eniti, uſque dũ in utriuſque Regni emolumentum præclarè ab ea ſuſcepta ſunt, lætum, optatumque ſortiantur eventum. Quam cœleſti gratiæ commendatam rem gerere, quàm proſperimè vovemus.

EJUSDEM Ad MARESCHALCUM EJUSDEM CONFOEDERATIONIS. eâdem.

Quanquam non dubitamus, quin ex reſponſo, quod per Senatorem Comitem noſtrum Piper edi curavimus, Dnationi Vræ perſpicuè innoteſcat, quàm prona ſimus voluntate ad continuandum illum, qui cum Republ. Polona Varſaviæ inceptus eſt, Tractatum, nihilominus tamen cùm ad nos reverſus Sernmus Rex Stanislaus, idem nuper à fœderatis experi docuiſſet, noſtris quoque literis confirmare volumus apud nos nullam fore moram hujus rei reſtaurandæ, quàm primùm à parte fœderatorum accipiamus nominatos huic fini eſſe legatos, locumque deſignatum, ubi conventum redintegrari poſſe cenſuerint. Quâ occaſione utiliſſimum fore ducimus, ſi Eminentiſſimus Primas & Dominatio Vra, qui fœderatorum Rempub. repræſentatis, publico diplomate cæteros ſtatus, qui à corpore Reipub. ſeceſſerant, ad ſocietatem fœderis Varſavienſis, eaque conficienda, quæ ad pacem pertineant, etiam nunc & poſtremò allicere, & convocare tentent, ubi præſens Reipub. conditio, noſtraque ad eam juvandam intentio, diductius explicari poſſent, præſertim verò, quòd in futuro Reipub. tractatu, ita cavere, & proſpicere parati ſumus, ut compoſitis hiſce motibus, tranquillitatem, ſecuritatem, jurium ſuorum nanciſcantur pleniſſimam, quemadmodum hæc fuſius ad Eminentiſſimum Primatem perſcripſimus, exiſtimamus non vanam omnino fore hanc admonitionem, qui ſi ſuſque deque abeant, ſibi ipſis poſtea imputabunt. Si aliam quæramus viam deſtinata noſtra proſequendi, cujus facti fortaſſe illos poſtea magis pœnitebit. Cùm verò in Dominatione Vra & ſummum in cauſam communem ſtudium, & induſtriam plurimam fuiſſe inve-

invenerimus, ſpem quoque indubiam nunc concipimus eandem o- *A.C. 1705*
nus humeris ſuis ſuſceptum non citius depoſituram, quàm liberatæ Patriæ ſuæ conſummatam reportet gloriam, quàm ſic non defore prævidemus, ſi ultimum hunc actum pari, qua cœperat, prudentiâ ac ardore terminaverit. Nos eam interea bene valere jubemus, & rem proſperè gerere.

LITERÆ REGIÆ Ad SUMMUM PONTIFICEM 27. Martii

POST oſcula Sanctiſſimorum pedum, & Regni mei humillimã recommendationem. Nunc verè ſcio, videoq; ſigna non obſcura nec dubia Paternæ in me voluntatis. Securitas mea quoquo modo diligentiſſimè procuratur. Caſus exactiſſimè pro menſura periculi prævidentur, & caſibus opportuniſſimè providetur. Obviàm futuris malis jactum anchoræ antevertendo, non minùs à maximo, quàm ab optimo Patre itur. Reverendiſſimo in Chriſto Patri Nuntio digniſſimo omnis animadverſio injuncta, utrum ſcilicet aliquis ex Epiſcopis in Regno inveniatur qui ante ſolis occaſum Orientem adorare velit? Num ſit aliquis, qui audax unius inceptum proſequi, & ad coronationem accedere præſumat, quam jam malitia inimicorum meorum, ſi tot modos, quot conatus haberet, perfeciſſet. Caſu quo reperietur aliquis, ut comminatione fulminis Vaticani abducatur, & detineatur. Omnia ergo Sti V. cùm me debere profitear quid ei amplius jam debere poſſum? Tantùm jam obſtrictus, obligatus, & devinctus ſum, quantùm perſolvere in mea ampliùs non eſt poteſtate. Unicum mihi illud reſtat, ut pro hac cautione, quæ ubi quid timetur multum prodeſt, & pro hac immenſa & plùs quàm Paterna ſollicitudine de genu agam, quas referre nequeo gratias. Cura una & unicum id ſtudium mihi erit, ne moriar Sanctitati V. ingratus.

Accedit & alius recens ſed non minor Sanctitatis V. favor, cùm id, quod optavi, ſupplexq; petij obtineo. Quod ſcilicet Rdmus Nuntius Spada, non tam ob tituli munerisq; dignitatem, quàm ob inſignes, magnoq; Præſule, & tanti Pontificis Miniſtro dignas virtutes, quæ illum æquè, ac honor characteris, quem portat, illuſtrant, mihi deſideratus, & omnibus exoptatus ex beneplacito Stis V. manebit meo in Regno, donec tanquam melius ſciens negotia incepta cũ Illmo Cardinale Primate, & Rndo in Chriſto Epiſcopo Poſnanienſi ad finem perduxerit perfectum. Et hæc ſunt beneficia Stis V. Paternæ, quæ me in adverſis ſuſtentare ſolent, & pro quibus acclinis profundiſſimâ cum veneratione, quam mihi, niſi mors adimet, nemo, debitas gratias, quarum nullus eſſe debet finis, humiliter iterum reddo, DEumq; in omni corde, & in omni anima mea precor, ut det Sti V. longævam vitam, mihiq; filialis, quam unicè in votis habeo, obſequij gloriam. Cujus pedes Sanctiſſimos demiſſiſſimè exoſculor. Dabantur Dreſdæ &c.

CARDI-

A.C. 1705 CARDINALIS PRIMAS ANDREÆ EPISCOPO PRIN. VARM. REGNI CANCELLARIO 28 Februarij Gedanô.

Quanquam nos hoc tempore æquavit calamitas publica, de qua quivis habet ſatis, & quiſq; ſuos patitur manes. Quæcunq; tamẽ potui, ex affectu meo in hac vicinia in favorem Epiſcopatûs Varmienſis feci; Regi Sueciæ ſcripſi, cum Generali Steinbock & Soldano Commiſſario contuli, petii, obligavi, ut vellent ſuper hunc gregem, cujus & ego quondam fui Paſtor, aliquam monſtrare compaſſionem. Notabilis proinde facta eſt moderatio, uti ex tuorum literis intelligere potes; verum quidem eſt, quòd & hoc grave erit exhauſtæ ſolvere plebi, minimumque onus redactis ad incitas pro maximo, tanquam, ſi quis frequentiùs venam aperiendo, ad extremum ſangvinem & vitam amittit; Sed quandoquidem aliter fieri non poteſt, pro remedio debet eſſe patientia, pro teſtimonio autem cordis mei promptitudo, tantùm vadens, quantùm valens. Cùm verò hæc omnia pro te, & ex bona amicitia facio, eò majorem mœrorem habere debeo, quòd ex tua parte videaris diverſum cor ab ore & calamo habere.

RESPONSUM EIDEM AB EODEM 11. Martij Dresdâ.

Habui jam notitiam à meis, & parabam debitam tibi gratiarum actionem pro ea cura & ſolicitudine, quâ afflictos, & ſub imminiti gravioribus malis preſſos jugo tandem reſpexit Subditos Epiſcopatûs mei. Utinam antecedenter eum meruiſſent reſpectum, dici poſſet cum Evangelio; Domine, ſi adfuiſſes protectione tuâ, non abiviſſent nunquam reparabili damno tot villæ cum fumo, non fuiſſet converſa tam pulchra Diœceſis ſub felici Regimine tuo in Arabiam deſertam. Sed, quandoquidem ſic placuit Domino dominanti, ut manus ejus nos tangeret; nos humiliamur ſub potentia ejus, & ego pauperem, & nunc ſine fine, ſine modo, juſſis aggravatos contributionibus magis defleò, quàm propriam meam ſortem; nihil autem intereſt, unde venerit, quod omnino venit. Quæcunque tu pro conſervandis reliquiis his facis, & facies, uti apud Dñum DEum meritum, tibi æternam memoriam, à me non morituram habebis gratitudinem.

Quantum ad intereſſe, rogo te imprimis, ut meliùs de me judices; Quod enim lingva confitetur, tenet affectus; ambiunt defendi, qui timent vinci, non accuſationem confirmo tacendo, ſed deſpicio. Tot enim melioris ævi tranſegi annos; nollem eam poſt me relinquere memoriam, quæ nec ætatem, nec Natales, nec characterem decet. Si ſcripſi Dño Grata, & aliis, cùm ad liquidum veritas explorabitur, non invenies, quòd verba mea operibus ſint contraria. Infelicitas ævi hujus, quòd optima pars ſocietatis humanæ è medio tollatur, quando literarũ nulla ſecuritas. Quia, ſi Dominus Grata meas primas literas jam pridem ſcriptas recepiſſet, non incidiſſem in eam ſuſpicionem & cenſuram, à qua me DEUS, qui veritatis clavem in cinctura portat, aliquando eliberabit &c. Interim ſpem habeo non dubiam, quòd Dominæ Palatinæ tandem aliquando ceſſabit perſecutio Perſonæ, & Domûs meæ, quando jam illud effecit, quod publicè toties promittebat, quòd ſcilicet & me, & totam Domum meam ad ultimam reducere intendebat paupertatem. Cecidi ego, cadet, qui ſequitur.

Dolor tuus contra me defacto impedimento eliberationi Palatini Len-

Lencicienſis eſſet juſtus, ſi eſſet; jam te toties ſiniſtræ hæ relationes fruſtratæ ſunt, conſideres, quomodo res fiat, non quomodo fieri dicitur. *A.C.* 1705
Poſt calumniam natam turpiore & apertiore calumniâ nemo petitus. Non judices ex rumoribus vulgi de me, nec credas id, quod eſt alienum ab ingenio meo. Perfricent frontem, ſi quam habent, maledicti hi homines, qui pingunt, quæ pingi non poſſunt. Non mihi ſcribo panegyricos, quia naturaliter à vanitatibus abhorreo; ſed ſecurè ſcribere poſſum, quòd nemo me diligentiùs, ſinceriùs, & ferventiùs usque ad importunitatem circa hanc egit eliberationem. Si verò usq; nunc fortunam & efficaciam non habui, apparet voluntatem DEi non fuiſſe. Hanc proinde juſtificationem in ſinum tuum depono, & cum debito Perſonæ, & dignitatis tuæ cultu maneo &c.

CARDINALIS PRIMAS ANDREÆ EPISCOPO PRINCIPI VARMIENSI REGNI CANCELL. Gedanô 31 Martij.

Accepi heri ex literis Palatini Lencicien. indubium Nuntium translationis ejus de Stolp Dresdam ac ſpem plenioris libertatis, habui ab eodem informationem ſolicitudinis & efficacis curæ tuæ pro hac eliberatione. Unde tibi debitas effundo pro hac charitate gratias, quòd infortunium innocentis Senatoris tanquam Miniſter, afflictionem & ſenis, & valetudinarij tanquam Paſtor reſpicere dignatus es.

Cùm conſidero cauſas, propter quas Patria noſtra in ruinam inclinata eſt, propter quas rationes tota Natio noſtra in contemptu apud exteras Nationes, aliam rationem non invenio, niſi illam, quòd homo homini factus ſit lupus. Mordemus nos ad invicem, devoramus nos, & attraximus feriſſimos, qui nos conſumunt, ſecundùm Prophetam; Devorans devorabitur; Et quia ſermo ad prudentem; Prætereo præterita, quod malè factum eſt corrigendum, non viribus, quia in his deficimus, ſed animorum concurſu & glutine, abalienatâ à nobis invidiâ, æmulatione, & omnibus præſentis temporis venenis.

Quantum ad me multa ſum paſſus, ſed necdum ſepultus; ſi poſſem invenire viam ſalvandæ Patriæ, irem etiam duplicatis tormentis. Sed necdum video terram mollem, in qua poſſem ſecurè figere pedem.

Condoleo & tuis paſſionibus & ruinis, & maledico homini, per quem ſcandalum venit, ac proinde maximam prætendo à te mihi factam injuriam, quòd cogitare potueris me aliquid ad eam addidiſſe. Maxima inimicitia, maximum pretium non me induceret ad eam Caſtellani Polanecij mentem, in cujus literis Anti-Chriſti legere mihi contigit opus; Populi lachrymis ſe paſci, audito eo, quòd iterum aliquot villas combuſſerunt Sueci in Varmia; Scripſi Regi Sueciæ ſemel, bis Comiti Piper, bis Theſaurario Litvaniæ ſat patheticè; Aliis punctis reſpondent; ad hoc nec verbum. Inſtigâſſe eosdem ſcio, contra Civitates, ut comburerentur, & tamen hic ignis extinctus. Aggravatio & nunc magna, quanquam notabilis ab anno præterito alleviatio. Jam alium Curſorem expedivit Generalis Steinbock, quòd impoſſibilè ſit indictã congregare ſummam, quòd in Varmia non amplius reperiantur pecuniæ. Non tantùm Varmiam Sponſam quondam meam amantiſſimam, ſed, ſi poſſem etiam incognitos defendere, id ex anima libenter facerem, cùm non poſſim lachrymas & miſerias hominum inſpicere. Diutiùs hunc Articulum tractavi, quia mihi eſt graviſſimus. Rogo te, ut Chriſtianè de me judices, cui interim intereſſe Palatini Lencic: iterum iterumq; recomendo, & me dico in affectu &c. RES-

A. C. 1705 RESONSUM EIDEM AB EODEM Dresdâ 11. April.

IN ipſo ſeptimanæ ſanctæ curſu humaniſſimas tuas accipio literas; unde ante omnia in vota eo, eaq; ex intimo cordis deprompta, ut Dñus dominans reſurgere faciat ex tam gravibus miſeriis afflictam Patriam tuâ manuductione, quia ego (nunc primùm veteris voti reus) credo, quòd nihil melius optari poſſit, quod & tibi gratius, & magno nomini eſſet convenientius.

Tale quale obſequium Palatino Lencicienſi exhibitum amplam habet mercedem ex beneplacito tuo, & majori gratitudine quàm merebar.

Tangis acum pro ſumma prudentia, & verum malorum noſtrorũ demonſtras fontem; quæ grata ſunt nobis, haud difficulter ea nobis perſuademus. Nam etſi Patria pro ſe loqui poſſet non aliis verbis, quàm his uti vellet; Sumus & ad extra circumdati, & ad intra inimicis repleti, quia ego quemvis, qui mihi mea abripit, inter hoſtes numero, quanquam in fronte amici, colligati, aut auxiliarij præferat nomen.

Devenimus jam fermè omnes; quia, neſcio, an aliquis inveniri poſſit ab hac calamitate liber, ad extremam ruinam, & brevi diſſipatis mobilibus, quæ magno labore colligi debebant, deerunt media ulterioris vitæ, & interim tanquam in integra pace, tanquam id nos non tangeret, nihil agimus, nihil cogitamus, nihil facimus, niſi id, quod Chryſoſtomus Sanctus ad caſum noſtrum ante aliquot centenos annos ſcripſit. Feriorem feris vivimus vitam, non mordentes tantùm, ſed & vorantes alios alii, & propterea etiam, quia charitas, quæ ædificat, abeſt, cadunt fortunæ noſtræ, cecidit omnis ſpes meliorum. Prævidi ego hæc quanquam parvus homo, & ab eo tempore, quo infelici hoc Miniſterio angarizatus ſum, ſcripſi, reſcripſi, petii, repetii, feci, quæcunq; potui, ut omnes ad Regem traherem, Regem ad quemvis alligarem. DEUS mihi teſtis, in cujus conſpectu omnia nuda, quòd ſangvine proprio redimere voluiſſem hanc gemmam, ut in unione cogitarem, & averterem proxima, & iñinentia mala, inventi ſunt inimici homines, qui partes diaboli in ſe aſſumpſerunt, triticum in zizania, bonas intentiones aliter veſtiêrunt, & me tot invidiis, & tot tanquam metam expoſuerunt ſagittis, ita, ut nemo ſit infortunatior, quando alii per intervalla ſaltem, ego continuò patior cum eo majori cordis dolore, quòd pauperes homines propter me, & ſicuti illi, ita & ego coram DEO patimur innocentes & patiemur, quamdiu intra nos fuerit, dæmonis operatio; nam multi, qui de leonibus ſecuri ſunt, de hominibus pertimeſcunt, tanquã, ſi fugiat vir à facie leonis, occurrat ei urſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſuâ ſuper parietem, & mordeat eum coluber.

Per amorem DEI Princeps Eminentiſſime, quamvis terra non ſit mollis, ſume audaciam, & in duram accede, ad defenſionem hujus Patriæ, pro gloria Primatûs tui. Graves morbi vel temerariis medicamentis curantur, licet inauſpicatus eſt medicus, qui enecando ſcit mederi; conſilium tutum celeritas faciet, temerarium morando fiet. Non dubites, quòd deeſſe debeant ſequaces, quia jam omnes notabiliter in his infortuniis nauſeant. Monſtres & mihi iter; curram viam mandatorum, & ſincerè hoc negotium aggrediar, etiamſi deberem eſſe Anathema pro fratribus, ut tuum de me judicium ſuſtineam, & aliqua ſaltem ex parte reſpondeam illi expectationi, quam de me boni omnes habere debent.

Peto veniam, quòd id ſcripſi, quod à Claſſico Authore magni in vulgo nominis, ſed non pretii magni, mei habuerunt, & qui aliquando illud

illud ipſum coram iiſdem, qui dixerunt, teſtari genuinos terminos, quibus eſt dictum, non intermittent. Scripſi autem ea, non quod perfectè crederem; noſco enim Chriſtianum cor, & bonitatem tuam; ſufficit ergo mihi verbum tuum, quod cum indicibili ſatisfactione mea recipio. Vindicet DEUS injurias pauperis populi, & ſuper hoc, qui erat Author facti, & qui erat rumoris hujus, & delationis itidem Author. Caſtellanus Polanecenſis ea egit in Polonia, quæ hoſtes in alieno facere ſolent Regno. Nihil eſt crudelius, quàm Rempub. corrodi ab ijs, qui in eam parum labore ſuo conferunt; propterea etiam ſæpius affligitur, & non reſipiſcit, quia & nunc non de præda hoſtis, ſed de lachrymis pauperum, cùm omnia perdiderit collecta, damna ſua recompenſat, ut mihi ſcribitur ex bonis meis, & fratrum meorum hæreditariis. Finio, ut incepi infinito voto, ut DEus inſpiret tibi ea conſilia, quæ tibi gloriam, nobis ſalutem adferre poſſent &c. *A.C.* 1705

CARDINALIS PRIMAS ELECTO REGI STANISLAO 7 Apr.

EXpecto, ſed neſcio, ſi venient illa magnalia, quæ promulgabat hic Kaweczinſcius Culmenſis Succamerarius, ſicuti de minori Polonia, ita & de Rege Sueciæ, quæ dare impulſum debebant ad proſequendas operationes. Videndo verò tam publicas, quàm privatas calamitates ſemper magis in auge, & unum ſemper ſiſtema Sueticum, jam & Mareſchalcus confœderationis, & ego cerebrum perdidimus, quomodo collapſa firmiori debeant reſtaurari conſilio. Offert Rex Sueciæ per literas tractatum pacis, credimus, quòd erit ad vota & ſolatia publica, & ego literas ad nos ſcriptas ſtatim per copias publicâſſem per extenſum, ſi illa verba ab initio non fuiſſent, ſolioq; electi Regis conſtabiliendo inſervire, quæ non judicavimus congrua ad alliciendos eos ad unionem, qui non habuerunt partem in hac Electione, & quibus priùs inſtillandus eſt affectus, & confidentia ad Regem, & pòſt ſuaviter inducendi.

Quòd illi Palatinatus tyrannidem Saxonum faſtidiunt, & quòd libenter commutarent Dominum, veritas eſt inconteſtabilis, ſed hoc non indicat acceſſum ad illum, quem violenter ſibi impoſitum credunt, & ſi tota Reſpub: cùm fuiſſet in ſtatu vitandi primo anno in primis viribus, in recentibus erga Regem ſuum diſguſtibus, hanc, quam nunc patitur calamitatem, faciendo id, quod Palatinatus Majoris Poloniæ ſeriùs inceperunt, & tamen abſtinuit à dethroniſatione, non ob aliam rationem, quàm quia hæc imperabatur magis, quàm ſuadebatur, idem & de præterita Electione, quæ impoſita magis quàm propoſita, evangelizandum priùs, ut acceptetur.

Scribit Mtas Vra, quòd in Palatinatu Cracovienſi arma in manibus teneant, fortè ideò, ut exeuntes Saxònes illa non eripiant, & ego heri inde habui literas, quòd in illis partibus neque de Confœderatione cogitant, imò priùs ibi ſperant Saxones, quàm Suecos. Palatinus Belzenſis in Breſzani, Kijovienſis in Stanislawow ſedent. Optando proinde veræ meæ in Mtem Vram inclinationis dare documentum, liberiùs ſcribo, ut Vra Mtas hoc in corde ſuo impreſſum habeat, quòd non omnis, qui dicit Domine, Domine, ſincerus ejus ſit amicus. Scripſi ego, & miſi in diverſa loca, communicavi excerptum literarum Regis Sueciæ, undiq; mutua ac jejuna reſponſa, ac proinde ſuſpecta, quia ſi illi, qui habent inter ſe ſocietatem animorum, ſincerè cogitarent in commune

bonum

A.C. 1705 bonum agere, nonne me convenire deberent in ſecuritatem & authoritatem agendorum.

Multa Mtas Vra aggreſſa eſt, quòd ſe nominare permiſerit. Si hoc in Italia, vel alibi eſſet, nonne ſacrificarent omnes conſanguinei, colligati fortunas ſuas pro manutentione Mtis Vræ, & hic movit ne ſe vel unus in auxilium, vel ſaltem ad conſilium. Mareſchalcus confœderationis vult extradere univerſales literas pro reaſſumptione conſilii & congreſſûs, pro quo ſi non venient, niſi Palatinatus Majoris Poloniæ, quæ utilitas inde? & ſi adhuc non comparebunt, niſi illi, qui nominârunt, quis honor? Si verò violenta adhibere volumus, quæ ſecuritas regnandi ulteriori tempore? debetne Polonia, teneturne pati infinitum? Si Generalis Strombeus loco Vielunii Cracoviæ conſiſteret, nónne melius foret, & convenientius? nónne facilitaretur reaſſumptio congreſſûs? Acceſſus Provinciæ Minoris Poloniæ? fuiſſentne ita fortes Saxones, qui extractis tot millionibus, illas deſerunt partes, & verſus Litvaniam movent. Succedent, credo, Sueci, ſed pro parva conſolatione, quia jam emunctus populus. Vidit hæc ipſa Mtas Vra, ſi mala conſilia dabamus, acceptatúmne eſt vel unum? Generalis Reinſchildt nónne aliquot menſes inutiliter conſumpſit eundo Varſaviâ Cracoviam. Neceſſarióne Rex Sueciæ verſus Leopolim movit, cùm potuiſſet utroq; latere conſtringere inimicum. Nónne conſilium erat? ut in aliam Viſtulæ partem aliquem exercitum ordinaret, quâ Rex AUGUSTUS in ruinam & confuſionem noſtram intravit. Datuſne eſt ſuccurſus Palatinatibus Majoris Poloniæ in tempore? & tamen legendæ ſunt declarationes Regis Sueciæ, literæ ejuſdem, quomodo fortunas & bona noſtra ſecura reddidit. De me loquor, & illis, qui ad me pertinent. Perii ex integro, ſicuti in honore, ita & in fortuna; perierunt mei proximi, & libentius perire vellem & ego, & alii, ſi hanc fatalem non acceptâſſemus protectionem, quanquam maxima à Saxonibus fuiſſet tempeſtas. Peſſimus Caſtellan9 Polanecenſis, ſcit Vra Mtas, quomodo omnia bona ruinavit, nunquam reſtauranda ævo meo. Punitus quidem à Suecis, ſed quid mea intereſt? quando deſunt boves poſcentibus agris? Palatinatus Ravenſis ad maximas condemnatus contributiones, & ipſi non habent, quo vivant, & ita, quod non conſumpſit Bruchus, conſumet Locuſta. Quæ omnia conſiderationi Mtis Vræ defero, verbo, concludo, nuce Iliadem &c.

MANIFESTUM PRINCIPIS RAKOCII, in Aprili.

UNiverſis orbis Chriſtiani Principibus, & rebus publicis, nec non aliis quibuſvis præſentes has patentes noſtras viſuris, lecturis, & legi audituris Nos Franciſcus Rakoczy electus Tranſylvaniæ Princeps &c. Salutem à Duce juſtorum armorum DEo, & felicia quævis.

Sciat orbis Chriſtianus eam unicè animi noſtri, Confœderatorumq; Hungarorum fuiſſe ſemper, eſſeq; in præſens propenſionem, ut, quemadmodum ſuſceptis juſtis armis oppreſſas ſub rigido Domûs Auſtriacæ regimine florentiſſimi olim Regni libertates redintegrare, priſtinamq; dulciſſimæ Patriæ quietem reducere coacti propoſuimus, ita à pace nunquam alieni mitiora quoq; media ad conſequendum felicem rerum eventum lubentes admittamus. Proinde ſcopo huic firmiter inſiſtentes, licet Divina Nemeſis inter tot circumadjacentes, ac in ipſis Regni quoq; viſceribus conſtitutos hoſtes, æquitati cauſæ noſtræ ſecundis ſucceſſibus hactenus faverit, ac ulterius quoq; ſub decurſu temporis autumnalis felices

liceſ exercituationi noſtræ ſperâſſemus progreſſus, nihilominùs quàm pri- *A.C.* 1705
mùm per Deputatos Commiſſarios denuntiata paſſimq́ devulgata Domûs Auſtriacæ de reddendis proſtratis Regni libertatibus, eumq́ in finem ſubſecuturo armiſtitii tractatu, propenſa mentio nobis innotuit; ſummâ animi alacritate ſperantes, tantæ felicitatis, quam armis reſtituere ſtuduimus, mitioribus mediis per armiſtitium, itemq́ ſecuturum pacis Tractatum, futuram conſecutionem, non modò victricia arma à perſecutione ingratæ Regno Raſcianorum gentis reduximus, ſed & inſuper poſt occupatam inſultu ſangvineo civitatem Szegiedienſem, quamvis omnes apparatus bellici eò erant directi, ut ipſius quoq́ fortalitii expugnationem quàm primùm DEi benignitate ſubſecuturam ſperâſſemus, nihilominùs ut proclivem in rebus tractandis ſinceritatem noſtram magis, magiſq́ luculentiorem reddere queamus, opus inceptum irritum linquentes, ac ab oppugnatione dicti fortalitii non ſine modica armorum progreſsûs jactura ſponte ſuperſedentes, ad concurſum in oppido Gyongios celebratum ſub ſpe in dies meliora pollicente, iis cum Ordinibus ad officiales bellicos datis venimus, ut ob commodiorem Tractatûs armiſtitii effectuationem ab omni hoſtilitate offenſiva ſeſe arceant. Hunc infucatum in ſuſceptis negotiis bono fine terminandis candorem noſtrum declarantes recepimus Armiſtitii puncta ab aula Cæſarea per Deputatos Commiſſarios nobis exhibita, quibus controverſivè ab utrinq́ diſputatis, ac in uberiorem conſiderationem ſumptis eam quoq́ ac tam ſinceram ſuperinde dedimus replicam, ut non modò omni belli jure acceptabilis ſit, ſed & ex ea unicè propenſam ad reductionem pacis intentionem noſtram orbis Chriſtianus dignoſcere poterit. Par nobis indies de pari Domûs Auſtriacæ conteſtando erga afflictam hanc gentem ſtudio & candore fuit fiducia, eumq́ in finem Ordines noſtros de prolonganda armorum ſuſpenſione reiterantes ſperavimus, Cæſareum quoq́ Generalem campi Mareſchalcum in parte Trans-Danubiana quietè ſubſtiturum, neq́ ulteriùs progreſſurũ. Verùm enimvero non curatâ inceptæ negotiationis ſinceritate, oſtensâq́ in præmiſſis proclivitate noſtrâ, dum opportunum ad effundendam hoſtilitatem tempus ſepereſſe ratus, non modò totam plagam Trans-Danubianam nullis ſibi obviis armis, ſolo prætextuoſo aſtu occupavit; ſed & poſt communem, eiq́ præcognitam mutuò tranſactæ armorum ſuſpenſionis publicationem; fortalitia quoq́ Simon, Tornya, & Sziklos præſidiis noſtris munita contra ſolitũ activitatis modum ad partes ſuas traxit. Hinc plenis juſto dolore animis circumſpicientes tot documentis probatam ſinceritatem noſtram contrariis eludi artibus, quamvis hoſtilem in Auſtriam irruptionem permittentes profligatâ Cæſareæ militiæ ibidẽ repertæ certâ parte amplior quoq́ victoria armis noſtris ceſſerit; nihilominus exmiſſi ab aula Cæſarea Commiſſarii præfatum campi Mareſchalcum ſubſtitiſſe referentes, Legatoſque Sereniſſimæ Magnæ Britanniæ Reginæ, ac præpotentum Confœderati Belgii Dominorum Ordinum pro medianda negotiatione ad nos venire notificantes occaſione bellici progreſsûs tam opportunam è manibus remiſſam, denuò quoq́ duplicatis Ordinibus determinatam ſuſpenſionis armorum prolongationem extendendam toties reſolvimus. His præmiſſis tantâ ſinceritate peractis, divulgata erat paſſim per totum Regnum communi rumore longè lateq́ in exteris quoque Regnis ſparſa ea opinio, quaſi Domus Auſtriaca æquitate cauſæ noſtræ cognitâ realem quoq́ priſtinæ tranquillitatis, mutilatæq́ Regni libertatis reſtitutionem exoperari velit, eo ſuppoſito firmiori, quòd intercedente

EXPEDITIO PRO CONVOCATIONE M. D. Lit. Dresdâ.
UNIVERSALE.

AUGUSTUS *II.* Omnibus & ſingulis quorum intereſt, notum facimus. Juſto DEi judicio (cui pro omnibus ſit honor, & gloria) blandæ ad ſpeciem, fictoq; amicitiæ nomine palliatæ Suecorum pollicitationes, à quibusdam prævisæ, ſed pro levibus judicatæ, ab alijs ſuſceptæ, ita jam prævaluerunt, ut zeloſus ille Defenſor, quidquid in hac Patria florens fuit aut ſplendidum, abſtulerit, & hactenus auferre non deſiſtat; verùm etiam ſervili impoſitâ formâ, plus, quàm juratâ obedientiâ, in gente libera, extorſit, à malitioſis, quaſi libertatem quærentibus, Electum ad coronam; hunc & non alium, nunquam auditis, in hac Republ: modis. Et quod atrociſſimum eſt, fidemq; ſuperans ſæculorum, quòd convocato, velut tibiâ dulcis Tractatu pacis, congreſſu Varſavienſi, æterna bellorum excitavit incendia, dividendo fratres à fratribus, filios à parentibus, ſubditos à vero legitimoq; Principe, quo nihil in Monarchiis Regnisq; fatalius & abominabilius, omnes furiæ poſſent concitare. Jamq; non ceſſante quorundam hujus Patriæ filiorum nequitiâ, in eo infortuniorum gradu conſiſtere Reſpub. coacta eſt, ut nec modus conſulendi, ſuccurrendiq; ſuperſit. Palàm eſt omnibus, quantum ſtatibus M. D. L. poſt conſtitutionem Comitialem ad unius tantùm anni ſpatium, condictam, neceſſaria ſint conſilia, non tantùm ad conſervandum, firmandumq; robur domeſticum, verùm etiam ad providenda matura præparamenta contra hoſtem, ſi eò, (ut non vani ſpargunt rumores) greſſus direxerit. Non potuimus nihilominus poſt longam deliberationem, in hiſce turbinibus alium adinvenire conſulendi modum, niſi ex ſingulari noſtra bonitate & clementia diſpenſando, & indicendo iisdem M. D. L. ſtatibus, exemplo à Majoribus noſtris practicato, generalem duarum ſeptimanarũ convocationem, quam præſentibus literis noſtris, paternè diſpenſamus, & indicimus, habendam in loco deſignando die.. Menſis.. anni præſentis. Ad quam, ut inclyti M. D. L. ſtatus; Senatorius per ſe, Equeſtris per Legatos, in modum Comitiorum electos, cum debita promptitudine & zelo, circa bonum publicum congregati, nihil amplius tractent, niſi quod pertinet ad augendas & roborandas vires proprias, & ſatisfaciendum Exercitui bene merito; ſimulque prævidenda omnia pericula, obnixè & inſtanter, per amorem Patriæ, aureæq; libertatis commendamus & obligamus. Quod Univerſale noſtrum actis ingroſſandum, & publicandum comittimus &c.

INSTRUCTIO REGIA, DATA PRO COMITIOLIS, ANTE-CONVOCATIONALIBUS M. D. L.

NOndum placata ſatis Divina Mtas, (cui pro miſericordia inceſſanter eſt ſupplicandum, trahit omnes hujus Patriæ afflictionum & infortuniorum terminos, ut forſan ipſorum temporum acerbita-

*A.C.*1705 te, probet Regis noſtri nullis frangendum caſibus zelum circa bonum illius, & amorem: Econtra verò velut in ſpeculo manifeſtavit illudentes libertati Polonæ Sueticæ ſimulationis colores, ſub eisq; relictis dignis æviternâ deſtinatione ſuorum filiorum imaginibus, docuit, ubi verus jurium Patriarumq; libertatum amor, ubi genuinus, ſua unicè quærens commoda fucus, hocq; ipſo ad optatam cordium & conſiliorum traxit unionem. Tacente jam Majeſtate, viva loquantur documenta: Poſt tot contributionales unà cum ſangvine Nobilium, expreſſos milliones, quæ jam Civitas cum Eccleſiis ſupereſt theſauris & ſplendoribus non ſpoliata per proclamatum doloſis ſcriptis protectorem? quod fortalitium, aut armamentarium, ablatis amunitionibus non exarmatum? Imò quod tormentum in tota Patria relictum eſt, à provocante ad validam defenſionem, in re verò, disarmatis vix animam relinquente? Magis porrò arduum erit divinare, quid intendat, aut quò collimet ingenioſus Protector. Quid ubi ſtatuetur Tractatus pacis, tot ſpecialitatibus, & conceptibus oblatus, dummodo cum diviſa, quam talem fecit, fiat Repub. At fecitne pacem? innovavitne pacta Olivenſia? fecitne aliquam ſolatij ſpem iis etiam, qui ei tam ſerviliter ad perficiendam hanc exdiviſionem, ſuam impenderunt operam? Imò verò in profundiorem infortuniorum abyſſum præcipitavit Rempub, ignominioſè, loco promiſſi Tractatûs pacis, ad nunquam ſatis deplorandam, per calcata omnia jura, adactis illi faventibus Electionem, exhibuit in inſolito monſtro toti orbi ſpectaculum, & ludibrium, non ut periclitanti Patriæ ſuccurreret, verùm ut ea velut acrioribus civilium odiorum flammis incensâ intentos aſſequeretur fines. Unde cum tam manifeſta documenta, & ipſi præteriti eventus, magiſtri debeant eſſe futurorum, ad avertendos tam pernicioſos, & periculoſos caſus, Mtas Regia, ut ipsa, quantum ex ſe, jam hæreditarias impendens fortunas, auxiliaremq; ſuppeditans militem, jam perſonam Regiam, omnibus incommodis & periculis, in Saxoniam animo providendi futuræ expeditioni, per ſtructas ab hoſtibus inſidias, excurrens, pro poſſe agit, ita invocandi colligatos Exercitus, qui auxilio videntur futuri, modos non intermiſit; Actu Czareo Exercitu in ſocietatem armorum adſcito, qui, licet tranſeundo, & ſubſiſtendo non poteſt nō eſſe incolis oneroſus, & moleſt⁹, humanis tamē loquendo & agendo modis, eſtne poſſibile infirmitatem ſine amara potione & quali tali curare patientia? Manifeſtiùs eſt, quàm ſcribi aut dici poteſt, quantis Reſpub. convulſa ſit ſymptomatis, & debilitata, poſſibilene erit, ut ſine acerbitate ſenſuq; mali, priſtino reſtituatur ſtatui? Inde potiùs gaudendum eſt, quod hi advenæ non aliò collimant, niſi ad optatam, ope Numinis redintegrandam publicam ſalutem, pacificationem, & antiquam ſtatuum felicitatem. His tamen ſtantibus, niſi propria ſtatuum Reipubl. acceſſerit applicatio, etiam proviſio virium externarum ſubſiſtere non poterit & conſervari, nec, efficaciſſimæ licet R. Mtis intentiones & curæ eum aſſequentur finem, à quo dependet omnium ſalus & liberatio à tam pernicioſo & omnia depaſcente bello. Nulli verò magis, ac ſtatibus M. D. L. omnia in promptu habenda ſunt præparamenta, cùm, ex omnibus apparentiis eò vires hoſtiles converti poterunt, unde à valido Czareo Exercitu majorem metuent aggreſſionem. Tempeſtivè ergo R. Mtas futuris occurrendo periculis, ne ſine convenienti Conſilio ſtatus Reipub. corruerent, alium non habens ſuccurrendi modum, Paternâ clementiâ & providentiâ generalem duarū ſeptimanarum convocationem, omnibus M. D. Lit. ſtatibus clementer

di-

diſpenſare, concedere, & deſignare dignata eſt, obligando omnes amore conſervationis Patriæ, & quod in ea chariſſimum, Fidei S. Catholicæ & Eccleſiarum, ut in hoc actu practicatis jam ſub Anteceſſoribus Regiæ Mtis exemplis, id tractandum aſſumant, quod ad defenſionem, & danda hoſti repreſſalia, efficaciſſimum videbitur; ſimulq; ad providenda bene merito Exercitui, ſive juxta conſtitutionem Comitiorum Lublinenſium, ſive alio modo., ſtipendia. Ad hocq; ipſum Legatos, viros dignos, & pro publico bono zeloſos, ex omnibus Palatinatibus & Diſtrictibus in modum Comitiorum eligendos, ad eandem convocationem optat Majeſtas Regia, ſubmotis aliis omnibus materiis. Omnia tamen reliqua conſummato judicio, & zeloſæ circa bonum publicum inclytorum filiorum ſolicitudini, ſicut plenè Mtas Regia committit, ita Paternam impertitur benedictionem, ut eis mittat ſpiritum auxilij & conſilij ille, à quo robur, poteſtas & omne bonum deſcendit ſuper Regna & Imperia, & cujus nutu omnes aguntur motus. *A.C.* 1705

UNIVERSALE PRO COMMUNI MOTU Dreſdâ 13 Aprilis.

AUGUSTUS REX.

OMnibus & ſingulis, quorum intereſt. Fallitur ſiniſtra, planè illis ſubjectis congenita erga Eminentes interpretatio, malitioſè falſa pro veris ſeminans; calumniánsve nos, Regno noſtro, medias inter ſyrtes & charybdes relicto, unicè nâtalis ſoli illectos dulcedine, ad hæreditaria dominia eſſe elongatos. Perfricent frontem, ſi quam habent, injuſti ſimpliciſſimarum & innocentiſſimarum actionum interpretes, & invenient, nos in hac elongatione, utilitati publicæ, ad quam velut centrum omnium noſtrarum cogitationum lineæ diriguntur, quàm privato cuipiam intendiſſe guſtui ſacrificare. Licet igitur euntes ſemper viâ Regiâ, viâ lacteâ candoris & perfectæ cum ſubditis confidentiæ, (quidquid dicat malevolorum livor) non ſupponimus; hiſce ſiniſtris non rectè de nobis ſentientium informationibus, ullas in cordibus fidelitatum veſtrarum factas eſſe impreſſiones; ſi quæ nihilominùs exorta eſt triſtium cogitationum nubecula, vellemus omnes à nobis informari, quod deſertam non reliquerimus Rempub. de ea continuas facientes conferentias cum Senatu & Miniſtris, cum Mareſchalco & Deputatis ad confœderationem Sandomirienſem, ex Palatinatibus deſignatis. Abitus verò noſter, ex neceſſitate factus ultima, quæ dat, non accipit leges. Commoda enim Regni Poloniæ ita ſunt cum commodis hæreditariorum dominiorum noſtrorum, præſertim ſub tempus belli conjuncta, ut niſi hic ad vota omnium ordinarentur, manifeſtum Reipub. eſſet præjudicium, in qua nec ſufficiens miles qui legatur, nec pecunia, quæ in ſtipendium detur, hiſce deploratis temporibus, quibus omnia deſiderabilia verſa ſunt in ruinas; inveniri poteſt. Interea hoſtili potentiâ indies invaleſcente, proportionatas conveniebat nobis, quibus cura de omnibus; & convenit providere vires, cum claſſica, non ore tantùm, ſed & ære ſonare debeant, quod ſine præſentia & diligenti ad faſtidium uſq;, & ſudorem applicatione noſtra, ſperari non poterat. Elongavim⁹ nos igitur ad breve tempus, qui immutabilem, quàm celerrimi reditus non voluntatem tantùm, ſed & cupiditatem habuimus. Fuimus, ſumusq; alibi, non alii abſentes, tanquam præſentes, quia ſupra omnes privatas neceſſitudines, charitatem æſtimamus hujus Patriæ, cui viſcera fortunarum, & redituum hæreditariorum, nunquam clauſimus, ſæpius effudimus: optaremus, non avellendo perſonam noſtram, ſi poſſibile

A. C. 1705 bile eſſet, ſemper ante oculos, interq; manus commorari, qui nobis abſumus, cùm illi: nihil etiamnum nobis gravius, quàm, quod in curſu inſtitutorum noſtrorum, cùm progredi maximè vellemus, conſiſtere ſumus coacti. Omnis celeritas in deſiderio, mora eſt; cùm eo reditûs teneamur anhelitu, ut in puncto eſſe ibi velimus, quo votis ferimur. Factâ convenienti, ultimis curis, negotiorum non tam noſtrum, quã bonum commùne concernentium, diſpoſitione; toti in eo fueramus, ut eò quàm citiſſimè rediremus, unde avelli non poſſumus, niſi fato: Verùm, cum interceptis undiq; tractibus, ſecurum nullibi, ad tranſitum patebat iter, licuitne contra præſcriptum prudentiæ perſonam noſtram præcipitare, & feræ pœnitudini præceps conſilium damnandum tradere? Expediebàtne prævifis ultro nosmet flammis injicere? Omnia ſunt compenſabilia, omnia in melius poſſunt converti fata: ſed ſi caput Regium, quod non ita corona circumdat, ut animum ſolicitudo manifeſtis objicientes periculis, manibus hoſtium tradidiſſemus, quid reliquũ ſupereſſet? Non ſupponimus itaq; affectum illum, quem ambiguis temporibus juxta ac lætis, conſtantem ſemper experiebamur, eò deveniſſe, ut nollet æqui boniq; conſulere, acceptareq; tam juſtas, ſummas, & ultimas, tam abitûs noſtri, quàm retardati, nobis invitis, reditûs, rationes. Siquidem nos velut fluvius ille (excurro huc illuc, ſed nunquam à fonte recedo) ſi quando elongamur non tam libenter, quàm neceſſariò, nunquam cor noſtrum avellimus, imò vel illud inter ſubditos noſtros non fucato ardens amore relinquimus, vel in eo exarata ſubditorum nomina, & perennem eorum gerimus memoriam; omnia noſtra ſtudia & conatus unicè ad ſalutem publicam dirigentes, ut ea jura & libertates, ſuper quæ ſemel juravimus, quocunq; demum flante vento, conſervemus: Nunc quoq; de immutabili noſtra, Fidelitates Veſtras aſſecurantes ſolicitudine, ſincerè dicimus: Ut liberi noſtri eſtis, ſic eritis; Non in verbis ſed in effectu patebunt impenſi noſtri pro defendenda libertate labores. Redibimus DEo dante, licet voto noſtro tardiùs, expectatione tamen populi noſtri velociùs, & quidem redibimus, non tantùm Fidelitatum VV. adimplendo deſideria, ſed etiam expectationem ſuperando. Quare valitudinem noſtram in proximis thermis, beneficio vicinitatis utentes, ex præſcripto medicorum roborare brevi tempore volumus, & debemus, ut eo majorem, & ſinceræ noſtræ promptitudini parem, firmioris ſanitatis adferamus cum perſona noſtra ad fortia agenda aptitudinem, optantes cum felici reditu noſtro non tantùm ſolatia exhibere, verùm etiam illa in complexu totius congregatæ quærere Reipub. Præcavemus proinde omnes ſtatus; hominesq; pertinentes ad communem motum præſentibusq; unis pro duabus Reſtium literis certiores facimus, quatenus per Palatinatus, Terras, & Diſtrictus omnis debita ſit præparatio ad expeditionem bellicam juxta jura & conſuetudines antiquas; de expeditione bellica; expectando tamen ſine omni motu tertias Reſtium literas, quas poſt reditum noſtrum, obſervatâ temporis opportunitate, & loci juxta præſentes conjuncturas, commoditate, traditūros nos appromittimus. In DEo verò, qui eſt judex & vindex noſter, & in virtute ac reſolutione inclytæ gentis Polonæ cum tanta auxiliarium Copiarum potentia ſpem reponimus, quod ubi conjunctis omnibus viribus, fortiùs reſiſtemus, non prævalebit adverſùm nos inimicus, imò ope Numinis adjuvante, abibit correctior viâ, quâ venerat. Non quærent amplius infenſi Polonæ genti, ubi ſunt fortes Iſraël? Redibit totum quidquid ſub immiti gemens Reſpublica amiſit

amiſit fortunæ, peribit, quidquid admiſit infortunii. Pro noſtra ſpondemus perſona, corpori valido, non defuturum caput, dummodo poſitis aliis curis, antiquam reaſſumere virtutem, conſecratisq; occultis ſpebus utilitati Reipub. in communibus infortuniis, reſolvere vos velitis ad propriæ Patriæ defenſionem; cùm, etiam miſera, fel licet non habens columba, roſtro tamen & pennis pro nido pugnet. Præmonemus interim omnes jurisdictiones, Capitaneos, omnesq; Caſtrenſes Officiales, quatenus plus non audeant, quàm jura finunt, ſcilicet nullorum univerſalium exceptione legitima ſe tutando, illa quocunq; titulo vel nomine, à quocunq; data in derogationem Mtis noſtræ non ſuſcipiant, cùm non obſequi quiſq; teneatur, quoties imperatum aliquod videtur contra leges. Inſuper ut nemo audeat ullos congreſſus, & conventicula cogere, aut vexilla erigere, ſub rigore pœnarum in legibus expreſſarum, quas aliàs cogeremur jubere ſecundùm præſcriptam normam executioni mandare. Quod reliquum eſt, proponentes hoc univerſale cordibus & oculis, commendamus, quàm urgentiſſimè, animorum unionem, à qua, tota publica pendet felicitas; perſeverantiam quoq; in affectu erga nos, non quærimus tantùm ſed & ſperamus: Diligite diligentem vos, ſicq; ubi invicem amaverimus, certè pro ſtilla, Oceanus ſperandus erit. Imperamus inſuper feriò Magiſtratibus civitatum noſtrarum & oppidorum, ut in præparatione ad obeundum munus ratione comunis motus, ita ſe gerant, quatenus, ubi pro eo tertiæ Reſtium literæ traditæ fuerint, nullum obſequij bellici ſit ex eis detrimentum; volentes habere, ut hoc univerſale noſtrum, manu noſtra ſubſcriptum, ſigilloq; munitũ, in Palatinatibus, Terris, Diſtrictibus, actis caſtrenſibus, Parochiis, aliiſq; conſuetis locis, propter meliorem omnium notitiam publicetur. Datum Dreſdæ in arce noſtra hæreditaria.

LXXXIX.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. PETRO KCZEWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI
Dreſdä 15 Aprilis.

INcredibiliter & ego gaudeo, & communicatione miſeriarum meas lenio, quotieſcunq; documentum gratiæ tuæ, literas ſcilicet accipio, quibus inſtruor, doceor, informor, in uno tantùm meæ non ſatisfit voluntati, quòd etiamſi vellem tuæ deferre ſpei, tuos ſenſus aliis explicare, in quibus ego per omnia convenio, non tamen licet adire Corynthum. Alii non audiunt, alii optima conſilia ſiniſtrè interpretantur nonnulli, quod eſt peſſimum, omnia invertunt, quia ipſis nihil placet, quod verè cum commodo noſtræ Patriæ convenire poſſit. Cederet alius, tanquam defatigatus, proijceret curam cum deſperatione; curavimꝰ Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam. Sed non licet per conſcientiam, & ſit, quodcunq; volet, ad ſervilem uſq; patientiam jam aſſuetus facio, & facere non deſiſtam opportunè, importunè, etiam cum evidenti, quam non perfunctoriè jam experior, periculo offenſionis, eò enim dementiæ venimus, ut qui parcè adulatur, pro maligno ſit.

Quodcunq; mihi pro ſumma prudentia tua in literis tuis de data 4. Aprilis, propinare dignaris, nihil ſalutarius in præſentibus circumſtantiis, nihil convenientius pro publicis commodis inveniri & excogitari poteſt. Nec pacem, quam nobis heſternum denuntiat Evangelium, ſinè interna unione, nec bellum perfectum ſine perfecta confidentia habere

&

*A.C.*1705 & proſequi poſſumus, nec ad extremum aliquid boni peragere, ſi aliis diſtrahemur, tanquam ad nos res noſtræ non pertineant, ſi conſtantem in rebus perficiendis, & rectè componendis non habebimus applicationem. Et hæc eſt ſumma votorum, hæc meta omnium meorum ſimplicium conſiliorum, quamvis hactenus multum laboraverim, parum fructûs cepi, utinam quantocius in Poloniam redire liceat.

Habui notitiam de Generali Steinbock, cognoſcit eum optimè Varmia, noſco Simonem, & Simon me. Placet tamen mihi actio ejus in defenſionem Eccleſiæ die Beatæ Virgini ſacro facta. Dubito, ut alia natio inveniatur, quæ id faceret? Quantum ad contributionem, ex Varmia homines pellentur, ut mihi ſcribitur, quòd in magna copia extra limites exeant, contributiones verò tantas, quantas habere vult, non poterit.

Sueci, ut notitiam habui, non movent ſe, nec certè citò movebunt ex magna Polonia, indulgendo tempus copiis auxiliaribus ad conſumendos nos. Venit huc heri notitia, faciat DEus, ut mutetur, quòd Częſtochoviam Sueci circumdent, & ubi illud promiſſum, quod fecerunt, quòd illum locum intactum eſſent relicturi.

Proclamavit hic Patkolius, quòd illa quatuor millia Exercitûs, cum quibus Generalis Levenhaupt ibat, ad internecionem deleverunt Moſchi, ſed credo hæc nova egent confirmatione &c.

UNIVERSALE REGIS STANISLAI Imi.

P*oſt tit.* DEO Exercituum armatam innocentiam Noſtram, & Omnipotentis diſpoſitioni innixam ingenitam Nobis à Majoribus generoſitatem pro clypeo oppreſſæ Patriæ & libertatis, ſimulque pro ſigno ferimus Noſtri ſine clade triumphi in Patriam arenam. Non intromittimus Nos in altercationem & prælium quarumcunq; prætendentium rationum & prætextuum; quia innatus in hanc Patriam amor, debitus jurium & libertatum ejusdem zelus, & pretium ſangvinis inclyti Equeſtris Ordinis omnes in Nobis moderantur paſſiones: primas & præcipuas Nobis duntaxat aſſumpſimus curas, & in id toto corde & conatu intendimus, ut in contraria ſtudia animos ſciſſos feliciter componeremus, viresq; diviſas in unionem conglutinaremus: quò tandem humeris Noſtris hanc in caſum inclinatam Patriam ſuſtentare contingeret, & ad primum vigorem ac decus revocare Rempubl, tum in tot Provincias amplificato nido grandis magnarum alarum Aquilæ renovare liceret juventutem. Dedimus hujus tam in Confœderatione generali, quàm etiam transactionibus Varſavienſibus manifeſtum argumentum: in quibus propriæ confiſi & conſcij cauſæ, omnimodâ applicatione & conatu incubuimus, omnem poſſibilem modum & illicia adhibere ſtuduimus, nec opum quidem Noſtrarum, & ſi quid præterea in hoc arduo & turbido ſtatu contribui poſſe vidimus, pepercimus diſpendiis, intendentes hoc modo potiſſimam inclyti Equeſtris Ordinis potentiam, præcipuasq; Patriæ vires, vos ſcilicet hac veſtri æſtimatione Nobis quàm arctiſſimè devincire & obligare: & quamvis per diviſionem animorum & virium veſtrarum fructu fruſtrati fuerimus, nec eum, quem Patriæ & libertati precabamur retulerimus effectum; conſtitimus tamen Nobis, nulloq; nutans conſtantia caſu ſpem præconceptam depoſuit nunquam. Expectavimus cum patientia & fiducia; dum hiberna ſtativa appeterent; ſub quæ uti ab actionibus bellicis fatigatis Quiritibus ferias & quietem indulget Reſpub, ita opportunum reflexioni & meditationi de bono

bono publico tempus fore exiſtimavimus: ſed & tum in patientia poſ- *A.C.* 1705
ſedimus animam noſtram. Nunc dum tempus acceptabile & dies ſalutis publicæ proximè præ foribus eſt: velut meta ad ſagittam expoſiti & unicum tot periculorum objectum, quamvis elingves hucusq; ſiluêre dolores, gravibus nihilominus ſuſpiriis eosdem prodere neceſſitamur: quando heroica & triumphalia, in ſera ſæcula glorioſa, extra Patriam etiam multùm inclyta Sarmatarum acta vi, mole, & fide laborant ſuâ, jamq; in ſua juratos vulnera cives, & propria victrici converſos viſcera dextrâ non ſine ingenti dolore ſpectare cogimur. Agnoſcit præſens ævum, quia experitur: ſecutura tempora dolore & admiratione abſorpta audient cives acuiſſe ferrum, quo graves Moſchi meliùs perirent. Gens ea barbaro elata faſtu, ſuâ tyrannide inſolens, tot nobis ereptarum Provinciarum, Ducatuum & non pridem 60 milliarium terræ necdum ſatiata lucro; adeò noſtris pingveſcunt monſtra ruinis. Nec minùs damnoſi adlecti & hæreditarij AUGUSTI Regis auxiliares, qui jam octavum annum intima hujus Regni viſcera, angulos atq; receſſus in profundum, longum, & latum ſcrutati, hanc tam refertam nuperq; lacte & melle manantem adamârunt in tantùm terram; ut panem benè meritorum, ſtipendia, & cruento Equeſtris militiæ obſequio parta præmia interverterent, eaq; velut hæreditatis titulo ſibi debita vendicarent; Et jam ea arma quibus pacificum, ſuosq; intra limites contentum æterno fœdere & vinculo pactorum ſecurum Vicinum infeſtaverant, nunc cum Moſchoviticis conjuncta in Rempublicam videmus verſa. Quomodo igitur armata pietas non vocaret Danaos, quibus fiducia major, major in arma manus? quomodo non meritò communes jungamus vires; cùm pietas & amor in Patriam id ipſum ſuadeat, & exigat; ut latè graſſantem flammam tandem reſtinguamus? ſingulare ſolatium capimus ex ſpe, qua de vobis auguramur, futurumq; præſumimus, ut vos calamitatem præſentium temporum in veſtram & Reipub. transformetis gloriam, ac ubi ſinceriùs perſpexeritis, quis ille aureæ libertatis oppreſſor fuerit? quis regnum, quod integrum acceperat diviſum & ſciſſum reliquerit? quiſq; internam pacem ordinum & magnarum familiarum colliſione, externam verò bellicâ vicini impetitione ex fundamentis ſuccuſſerit? concludatis; gloriæ ac libertatis, non autem flagitioſæ ſervitutis Ducem & Commilitonem ſequendum eſſe. Invitamus proindè ad mutuum amplexum apertis præcordiis, ex quibus tam maximas, quàm minimas offenſas eradicavimus, & ad æternam oblivionem damnavimus, omnes & ſingulas amaritudines, quas pridem nobis in Patriam dulcoravit amor, in candidam erga vos tranſmutamus confidentiam, exq; ſpeciali æſtimatione veſtri illud nobis aſſumimus, ut votis flectere cives, non armis tentare velimus. Et idcircò velut inermes in Patrium progredimur campum, illudq; pro teſſera edimus, ſervare civem, qui, quemadmodum unius nobiſcum Patriæ Parentis proles, & in eadem libertate & juribus ad invidiam exterorum educatus eſt, ita, abſit, ut hoſtilem fraterno ſangvine infundat & opimet campum. Progredimur heroo & invicto corde, vitam noſtram pro integritate Patriæ & defenſione fortunarum expoſituri, & quidquid cariſſimum eſſe poteſt, eidem immolaturi, ſecuri interea fatis nos ſcuto bonæ voluntatis veſtræ, unione cordium & virium, eâq; fiduciâ quæ firmat animos & roborat auſus, fore confirmandos. Illud verò compendium votorum noſtrorum eſt, ut bella plus quàm civilia avertamus, ſangvinem innocentem occaſioni feliciori ſervemus, ne gignat Patriæ lis inteſtina ruinam.

Preca-

*A.C.*1705 Precamur ſub hæc bonam à DEO vobis valetudinem. Univerſale verò, ut quantociùs ad omnium notitiam deveniat, per Caſtra, Parochias & loca conſueta publicari mandavimus. Datum Rydzini 7. Maji Regni Noſtri Primo.

CONSIDERATIONES PRO FUTURO CONGRESSU VARSAVIENSI.

1mo. INtimatus Tractatus in univerſalibus Cardinalis Primatis, ſine ullis avulſis, juxta diplomata Regis Sueciæ, magnam exigit circumſpectionem, ſolidamq; circumſcriptionem, ut corona Sueciæ non ſolùm nihil prorſus prætendat, verùm etiam alij Intereſſati ex poſt, & ante, nihil prætendendum habeant, etiam imaginabili titulo, colore, & prætextu, ita, ut Livonia, Pruſſia & Curlandia in ſalvo remaneant, ſine ulla etiam particulæ cujuſpiam avulſione; id ipſum non tantùm per tractatum cum Rege Sueciæ, verùm etiam per pacta conventa quàm optimè aſſecurandum; ut licet cuipiam etiam pretio adipiſcendæ coronæ aliquid promitteretur, ſit inane

2do. Id quoque cavendum eſt, ne liberum Regnum Poloniæ in præſenti revolutione trahatur ad aliquam dependentiam à corona Sueciæ, verùm ut ſemper ſit liberrimum, nec novus Rex ſit obligatus ad aliquas (ſuperi avertant) Vaſallagii præſtandi Regno Sueciæ conditiones: quod doluiſſe Avum Regis Sueciæ refert hiſtoria Puffendorff, quòd ſcilicet Protectorem ſe fecerit Poloniæ, & non potiùs talem Regem ſtatuerit, qui ab eo tanquam Vaſallus dependeret.

3tio. Quæritur, quinam ex Principibus vicinis Mediatorem, Cautorem, & fidejuſſorem aget, ad conſervandum hunc tractatum? ſi enim Rex Sueciæ nollet ſtipulatas implere conditiones, ampliuſq; fortunâ, & ambitione proveheretur, quò eſſet refugium?

4to. Quandoquidem tota Reſpub. patens à parte Saxoniæ habere nequit plenam ſecuritatem, per Guarrantiam totius Imperii vel per abdicationem Regis AUGUSTI quæ deinceps erit ſecuritas? ſic enim Reſp. infinito bello implicaretur.

5to. Non eſt alius modus pertrahendi alios Palatinatus, qui non fuerunt in campo electorali, ad accedendum; niſi unica iteratio & roboratio electionis, quo, in anteceſſum ſciſſionibus finis imponebatur, ſtatuſq; Reipub. adunabantur; aliàs liberum & electivum Regnum converteretur in deſpoticum & abſolutum dominium; cavendæ verò omnes proſcriptiones, pœnalitates, condemnationes, confiſcationes bonorum & honorum partis non accedentis, hac enim via unitas & concordia non reſtitueretur, ideoq; in charitate non ficta, ſine ſpiritu vindictæ & rigore agendum & procedendum.

6to. Si ventum fuerit ad agnitionem tituli Regij in Pruſſia hic quoque ſumma animadverſio habenda eſt, ut non tantùm affirmentur pacta Welavienſia ſeu Bidgoſtienſia, verùm etiam elucidentur; præſertim hæc formalia pactorum conventorum verba: ***Perinde præfatus Ducatus nunquam à Regno Poloniæ avelletur.*** Item alterum punctum: ***Perinde tamen feudi alienatio in perpetuum non ſubſequetur:*** Id verò ideo faciendũ, ut per aſſumptum titulum in Pruſſia, non tantùm Pruſſia Regalis ſeu Polonica ſit extra omne periculum & metum, verùm etiam ut Pruſſia Brandeburgica in perpetuum à Polonia non avellatur, & ad imperium non pertrahatur. Sciendum enim, quod poſt extinctam lineam Electoralem

ralem ad præſens Regnantem, ſucceſſuri ſunt collaterales non jure ſu- *A. C.* 1705
premi dominii, ſed jure Vaſſallagii, adeoq; hoc jus feudale in cardinib⁹
priſtini Vaſallagii iterum reaſſumere & determinare omnino expedit.

7mo. Explanandæ etiam ſunt aliæ conditiones: ut de ſubſidiis ferendis, quoties novum bellum oriatur, ut hoc ſit in effectu non ſolùm in codice. Roboranda etiam renovatio fœderis perpetui circa futura homagia Regum Pruſſiæ, ut iiſdem ſolennitatibus & formalitatibus, quibus ante, in futurum conſerventur & obſerventur. Tractatusq; hic quàm firmiſſimis vinculis circumſcrlptus & ſub Guarrantia & ſtipulatoria authoritate, earundem Potentiarum, quæ pacta Bidgoſtienſia ſtatuebant, concludatur. Quibus, quàm diligentiſſimè Palatinatus Pruſſiæ attendere debent, totaq; Reſpub. concurrere. Si enim Crucigeri Pruſſiam poſſidentes ex telonio frumentis Poloniæ impoſito, 5000 formalis exercitus imò plura ſubinde conſervabant, hiſque contra Polonos bellabant, certè multùm conſiſtit Polonis in conſervatione Pruſſiæ, ſine qua nec ipſi ſtare, nec ſuum poſſunt ſtatum conſervare.

8vo. Non faciet difficultatem aula Berlinenſis; quia nunc poſt aſſumptum titulum per publicum ſcriptum, quod Varſaviæ typo edidit Overbeck, item in diplomate, quod Regiomonto tulit Pocillator Regni, cavit Rex Pruſſiæ; quòd ubi id à Repub. deſiderabitur, vellet validiſſimum conſtituere tractatum.

9no. Præterire non licet etiam Elbingenſem civitatem, ut ſaltem pretio coronæ Pruſſiæ remittatur illa ſumma, quia hujus, Miniſtri Regis Pruſſiæ magnam videbantur promittere facilitatem.

10mo. Indemnitas & ſecuritas jurium pactis Bidgoſtienſibus, Lemburgenſi & Bittovienſi Diſtrictibus, cauta, poſtea verò conſtitutionib⁹ publicis & pactis conventis firmiter roborata, curæ eſſe debet, & cordi, ne qualicunq; modo aut prætextu ſupprimatur.

UNIVERSALE MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS SANDOMIRIENSIS. 15. Julij.

Quandoquidem progeditur indies nefando auſu in Patriæ perniciem, & delicatiſſimorum jurium libertatumq; ruinam obſtinata adverſariorum malignitas, ſimulq; exulcerata effræni ferociâ gerens præcordia, eâdem lethali gangrenâ, Palatinatus & fida in eis pectora, hactenus afflare intendit & afficere, nova toties quoties novis titulis expediendo univerſalia, ſpecioſis duntaxat prætextibus, & ſuo favo aculeum portantibus, plena; cujus vidimus & funeſtâ didicimus experientiâ, tot probatæ fidei documenta: Ipſa majoris Poloniæ confœderatio quàm pulchro tegitur velo, ſub quo tamen informe, nec hactenus auditũ in Polonia monſtrum alitur; ſcilicet dethroniſatio, everſio fundit⁹ Cardinalium juriũ, jugulata libertas, conculcatus gentis honor, per ſubjectionem ſervili & infami obſequio in arbitrium externæ potentiæ, toti ad continuationem Tractatûs, cum Regno Sueciæ quem tumidus fortunâ hoſtis concludere nunquam volet, vocatoriæ; quem alium fructũ poſt congreſſus attulerunt, niſi quod dulci ſpe amariſſimæ credulis illuſerint miſeriæ? Unde etiam impræſentiarum colligendum eſt, non alio fine data eſſe univerſalia, niſi ut iniquarum machinationum velle non habens, Nobilitas Gotico leoni de fratribus noſtris immolaretur in hecatomben. Quapropter ex vi functionis meæ, ſuffragio Reip. mihi impoſitæ, in fundamento generalis Confœderationis Sandomirienſis, quæ prohi-

A.C. 1705 prohibet omnia conventicula extra ſphæram generalis conſilii ab eadem Confœderatione ad latus Principis deſignati, in fundamento univerſalium Regis AUGUSTI II. de recenti pro communi motu extraditorum, hoc meum univerſale, unà cum commendatione promptitudinis ad fraterna obſequia, in vim præcautionis expedio, poſtulando, Capitaneos, Judices, Notarios, Regentes, ſuſceptantes, totumq; ſimul officium omnium in genere caſtrorum, & amore boni publici obteſtando, ne ullus univerſales literas convocantes Nobilitatem, ſeu conventicula indicentes ad acta ſuſcipiat, aut publicari permittat; alias juratæ fidei, & ſacroſancto vinculo, (quo nos in Confœderatione adſtrinximus) expreſſæ legi, quæ ſimiles actus reprobat, præjudicaret, & ſuſpicione aperti fautoratûs adverſæ parti, laborare cenſeretur. Quod univerſale ut quantocius per acta caſtrenſia publicetur, obnixè commendo, & poſtulo, ac propter meliorem fidem ac valorem manu propria, cum appreſſione ſigilli, ſubſcribo. Actum in caſtris ſub Loſovo.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD PALATINUM KIJOVIENSEM.

UNiverſalia mea pro congreſſu Varſavienſi die 11. Julij, ex deſiderio publico, ſimulq; moræ impatienti Aulæ Sueticæ inſtantia, ad poſtremum in fundamento initæ à Rege Pruſſiæ colligationis, data; etiam me tacente, ipſa loquentur affectum & gratitudinem meã, pro nunquam ſatis laudandis tuis tuæq; Domûs intentionibus: Id enim innato erga jura Patria, libertatesq; feciſti zelo, quod nulla ſatis celebrabit ætas; mihi nihil reſtat, niſi ut ſupplices fundam Superis, quatenus tua bene cœpta ſecundent, quem pro termino prætacti conſilij, eò fortunatiores habituri ſucceſſus; quò numeroſiore Civium conſtabit frequentia, invito; minimeq; dubius de adventu ſincero expecto affectu.

COPIA LITERARũ PALATINI KIJOVIENSIS AD DAPIFERUM REGNI. Viſznicij 10. Maji.

EXpeditus utinam fauſto omine in hanc viam cum Fratribus ad defenſionem libertatis, nec ignarus te in propinquo reſidere, ea in qua ſemper vixi, & opto vivere tecum confidentia, ad te cum humili excurro poſtulatione, ut tuam mihi ad horæ ſpatium dones præſentiam, quatenus communicato tecum conſilio, ruentem Patriam ab extremo vindicare poſſimus interitu: Præſtitit mihi conſimilem hodiernâ die gratiam Succamerarius Cracovienſis, aliiq; complures, probè præſentem rerum ſtatum penetrantes, qui ad penitius conferendum, ſuam mihi circa ſecundam feriam promiſerunt præſentiam: Tu quoq; mea, hoc in puncto, coronabis vota, ſi in corona congregatorum fratrum comparueris, quem ut iteratis invito vicibus, ſic ad futurum non ambigo.

RESPONSUM SUBDAPIFERI REGNI AD PRÆCEDENtem invitatoriam. 13 Maji.

HOdie primùm dum in procinctu eſſem itineris, allatæ mihi, ſed cancrino, quia effœtæ vetulæ paſſu, tuæ literæ, hacq; cunctatione præteriit ſecunda feria; qua tua perſpicacia neceſſariam judicavit meam Viſznicij præſentiam. Humiles refero grates pro ſublimiori

ori meæ perſonæ, non tam meo merito, quàm gratulto juxta te ac gratioſo tuo erga me affectu, exiſtimatione: Verùm novi ego imperfectū meum, novi exilitatem judicij mei, tam implicato conſilio, minimè ſufſecturam. Renuimus conſulere, dum eſſemus robuſtiores, nec ita diverſas in partes diſtracti; rectè nobis fieri videbatur, dum una dirueretur Domus, forsq; auxilio fuimus ad ruinam: quæ tamen menſura fuerat cæterarum, eidem infelicitati deſtinatarum; ut in conferentiis comitialibus audacter ſtatibus Reipub: proponebam. Succeſſit in eandem infelicem ruinæ ſortem inclyta in Regno Domus, nec niſi per miraculum reſurget hic Lazarus. Fauſtiore tua, Illuſtrisq; tuæ Domûs cœpta coronentur eventu, cujus æqua vel iniqua fortuna, etiam mihi velut colligato communis foret. Non ambigo te dolore oppreſſæ libertatis eò eſſe adductum reſolutionis, ut arma capeſſeres, in quo tamen id feceris fundamento, penitus ignoro: Reſolutio enim hujusmodi inniti deberet ſtatori cuipiam, quem tamen in Polonia non reperio. Non deſunt equidem ſat victorioſi Exercitus, at contra nos potiùs, quàm pro nobis. Suſcipiunt alia quoq; Dominia protectionem Vicinorum, verùm à quibus defendantur, non expilentur: ſic noſtrâ jam ſtante vitâ, Hollandia injuſto licet prætextu tuebatur Angliam, conduxit cum claſſe, Principem Deonangum Vilhelmum; innocenter inſimulatum per odium relegionis Jacobum Stuartum expulit, inductum verò Principem ad ſolium evexit; non legi tamen, Angliam vel obolum Hollandiæ contribuiſſe. Defendit etiamnum Gallia Hiſpaniam, pro qua tamen pugnantem exercitum ſuis ſuſtentat ſumptibus, ſuo illi pretio conquirit commeatus. Defendebat efficaciter expeditione præterita ex ordinatione Angliæ & Hollandiæ Princeps Marlbourus Imperatorem à prævalentia Bavariæ; nemo tamen audivit, ſub hiſce auxiliaribus ejus gemuiſſe Provincias, nec hiſce ſubſidiis enervatum, incineratum, & ſepultum ruinis Imperium. Erigit nunc collapſam Gallia libertatem Hungariæ, at erigendæ impendit, non eripit nervum. Defendit inſuper & Portugallia Carolum Auſtriacum, adeo tamen abeſt, ut quidquam ab eo acceperit, quin potiùs in omnibus gratis ſuam præſtiterit aſſiſtentiam. Et hæc ſunt juſta Chriſtiano more facta ſubſidia, quibus ipſe DEus Exercituum robur ſuppeditat. Si itaq; tua reſolutio & ſincera Domûs ejus intentio ſimilem reperit Protectorem, impletum jam eſt conſilium, nec quidquam deſideratur ampliùs, niſi ut illuminetur hac in parte nobilitas, nec contributionibus, coactione, igni aut ferro, verùm mollioribus perſuaſionibus pertrahatur; nam libera gens etiam optimos fines aſſequi aliter non vult niſi liberè. Et licet violenti modi ſucceſſum ab initio habuerint, quàm facilè tamen mutari ſoleant in deterius, teſtes hiſtoriæ. Utinam fortunatiore auſpicio & eventu, præſens fiat expeditio quàm præterita, in qua ad orientem alij, alij ad occidentem converſi ſunt, Apoſtolorum more, non Bellatorum. De meo erga libertates Patriamq; aſſecuro amore, præter quam, cùm aliam extra limites non habeā, ubi Veſtram ſeriam circa ejus defenſionem applicationem videro, certè mea non deero promptitudine, qua nunc tua ſum paratus ad obſequia.

A.C. 1705

UNIVERSALE SUPREMI REGNI THESAURARII
datum Berolini 16 Junij.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, præſertim verò Teloniorum Adminiſtratoribus, Mercatoribus, quà domeſticis, quà è poſtliminio, merces venales advehentibus notum facio.

A.C. 1705 Indolere ſummoperè cogor in modernis turbinum domeſticorum occaſionibus, varias exorbitantias, & inconvenientia, contra poteſtatem miniſterij mei, & in præjudicium fiſcalis jurisdictionis, tot Patriis legibus, omni ex parte, roboratæ, patrari; Quidam enim intruſi à primordiis ſtatim ampliatæ Sueticæ potentiæ, ſponte ſub præſidium armorum Sueticorum confugientes, irruerunt auſu illicito, poſtpoſitâ pœnâ peculatûs, contra hujusmodi, Patriis ſancitâ legibus, in fiſcales proventus, ſuggerentes ad eorum interceptionem conſilia, obſequia & auxilia, in detrimentum Reipub, illi verò, qui ante ſtipendiarij erant ejusdem ærarij, facti ſunt perfidi & perduelles, ſpargentes & vulgantes per aurã publicam, ſe ad exigendos ex iisdem Telonijs Reipubl. cenſus, comportandosq; ad fiſcum Sueticum, coactos eſſe, & violenter tractos; interea ipſi per potentiam Sueticam, eorumq; adhærentium, quærebant & curabant, authoritatem ab eis, penitus ad theſaurum non pertinentibus; & quidem non tantùm propter rapinam, faciliùs in mercatoribus exercendam, ſaginandumq; ex turbido; Cùm, Sueci, eorumq; adhærentes, qui jactabant, hactenúsve jactant in publicum tuitionem libertatis, juriumq; Reipub. non deberent ullum cogere ad eadem jura violanda, & contra authoritatem mihi datam, ad interceptionem prætactorum Proventuum: Quod licet iisdem Intruſis ac aggreſſoribus ærarij publici impunè hactenus tranſiêrit, ſtrictam tamen aliquando daturi ſunt rationem, quidam verò malitia & audacia, qna theſaurum Reip. diſpoſitioni & protectioni Sueticæ implicuerunt, alij pro ſuffurationibus, alij pro utroq;. Volabant enim imprimis Univerſalia quædam, adhuc in Decembri anni proximè præteriti, per Cameratus Reip. erantq; principia; ſucceſſerunt his armatæ diſpoſitiones Sueticorum Officialium,& erant pejora, inde enim proventus fiſcales, ſecuti ſunt factionem, & caſtra. Nunc iterum à poſteriori & de novo emergenti, expeditus eſt non pridem quidam Commiſſarius cum aſſertione cujuſpiam datæ ſibi deſuper, ſine meo ſcitu, poteſtatis; iterando iniquam hanc theſaurorum tutelam; quia propter faciendam calculationem in Cameratibus Majoris Poloniæ & Wieruſzovienſibus, partim cum Notariis proventualibus, partim cum Intruſis ad eadem telonia, & propter ulteriorem quampiam eorundem theſaurorum diſpoſitionem, quaſi ex motivo abſentiæ meæ & fiſcalis generalis Notarij. Quod factum etiam in Cameratibus Dybovienſibus, fitq; hactenus, in Cameratibus Min: Poloniæ. Imprimis notũ toti fere univerſo, me in functione publica extra Regnũ commorari, ubi me præter, tot alios Senatores & Miniſtros,ſola evitandi mali intentio, & idẽ turbo diſtinet extra limites: Reliqui nihilominꝰ ex vi officii mei ſat bene diſpoſitum Theſaurũ ,ad recipiendos omnes, ſi qui ſic ſtantibꝰ rebus turbulentis, inventi fuerint proventus; nec fuit neceſſaria tam Suetica, quàm alia quæpiam eorundem tutela; niſi hiſce temporibus, quibus jus eſt in armis, opprimeret leges timor, & omne illicitum quaſi jure fieret.

Probè novi etiam ipſos Regnantes conſenſu omnium electos & coronatos non prætenſos & controverſos; non habere à Repub. poteſtatem involandi in juriſdictionem ſupremorum Regni Theſaurariorũ, multò minùs eorum violandi prærogativas, quos ſolos eadem Reſpub. ex ratione ſtatûs ſuis præfecit proventibus, totq; conſtitutionibus, & ſtatutis Regni circumſcripſit: conſequenter iidem Regnantes, etiam legitimati, legitimè vacante throno ſublimati, præconiſati, & coronati, nullas poſſunt diſpoſitiones, & ordinationes facere, nec Cõmiſſarios privato motivo & ſola ſua authoritate, ad exigendos proventus Reip. dele-

delegare, ſolumq; à Repub. ſit liquidatio per Commiſſariòs à Deputatis *A.C.* 1705
deſignatos. Proceſſus ergo ille, prætacti Commiſſarii adhærentis Suetici, uti & aliorum alibi, nullum habentium fundamentum præſumptionis ſuæ, quid aliud ſpirat, niſi ingens gravamen juriſdictionis meæ, conſequenter mutationem ſtatûs, ubi ſine Comitiis, ſolâ prætenſa authoritate, hujuſmodi intruſi incipiunt ab executione, & quaſi ſummario proceſſu miniſteria Regni excutere, & infringere, hocq; ipſo me provocant ad manifeſtandum. Unde quia id ad totam ſpectat Rempub. non ad quempiam alium, nova regimina, & impracticatas unquam diſpoſitiones, inducentem, ideo præſenti univerſali, de poteſtate & munere meo, pro ſuprema in theſauro & indubitatâ authoritate meâ, univerſis & ſingulis defero, prædictis verò Superintendentibus & Notariis teloniorum Reipub. à fiſcali officio conſtitutis intimo, omnibuſque in teloniorum adminiſtrationem intruſis ſeverè, ſub dicta pœna peculat⁹ inhibeo, quatenus, accepto hoc univerſali meo non audeant, ullos expedire Mercatores, dependenter à dicta præſûpta diſpoſitione, & ingerere ſe hujuſmodi functionibus, de quo etiam cum potentioribus adhærentibus Sueticis in tribunali Regni fiſcale aget officium, iique clientes ſeverſſimas luent pœnas, ſi quocunq; modo, ſive à Suecis requiſiti & coacti, (ſi enim id ipſi non procurarent, vitare poſſent, quod illis in poſterum ſummè erit pernicioſum) ſive à Commiſſariis non à me delegatis, conſtituti, auſi fuerint continuare ſua importuna & illicita officia: Regeſtra cum perceptis exactis conſervent, idq; ad repetendam ab eis rationem in fiſcali judicio, quod ſicut ſolùm ad extenſionem juriſdictionis ſuæ, & non quiſpiam alius interpretativè ſeu intruſivè pertinet; ita non ſolùm de bonis eorum, verùm etiam de perſonis ea repetet, in quibus patitur injuriam: Non enim me latet, quòd non tam Sueci ex motivo ſuo id fecerint, faciántve, quàm ex eorum inſtinctu, & ſuggeſtione, ut ſub hoc prætextu, aliqua Suecis offerentes, rapinis à Mercatoribus extortis, falſiſq; expeditionibus, ſuam augeant fortunam. Nemo verò prætendere poteſt quocunque titulo in præjudicium meum ſe fiſco ingerere, ſeu uſurpare ſibi aliquam ejus diſpoſitionem. Quod autem hactenus mercatores ſive externi, ſive domeſtici, cujuſcunque nationis, Sueticis dederunt aut dabunt ſubjectis, quocunq; titulo intruſis; fiſcale officium non cenſebit pro ſatisfactione teloniorum Reipub. debitorum ordinariorum; ſed quodcunq; dederunt aut dabunt reputabit, uti & impræſentiarum reputat, potius pro extraordinaria redemptione, quæ pro libero paſſu eorum mercaturæ extorquebitur, & extorquebatur, nec poterunt dicere ſe bis ſolviſſe, potius enim deſiſtant ab exercitio mercaturæ, quàm ut debiti ab eis proventus intereant. Quodſi incolæ Regni non ſatisfaciunt ordinariis contributionibus publicis, licet Suecis contribuant, verùm etiam debent illas contribuere, cùm id præſentes temporis exigant circumſtantiæ, quantò magis tolerare debent, utrumq; tam externi quàm domeſtici Mercatores? Hujuſmodi mercatores refragarios, qui ſolvendo Suecis aliiſq; intruſis theſaurum defraudant, debitaq; ad illum non comportant telonia, in omnibus locis declaro ſequeſtrandos, merceſq; eorum fiſco ceſſuras. Si quis verò ex mercatoribus à teloniis fugerit, id, quod ille ſolvere tenebatur, ex aliis ejuſdem mercibus, vel mercatoribus ejuſdem nationis, etiam in futurum repeti & exigi curabo, malens potiùs ut non mercentur, quàm ut mercando præſens & emergens inferant theſauro damnum. Quos Mercatores Notarii teloniorum, in Regeſtris connotabunt, ut theſaurus, ſua aliquando cum lu-

A.C. 1705 cro poſſit vindicare. Eodem univerſali meo, in prætactis Cameratibus Wieruſzovienſi, Krzepicenſi, & Wielunenſi, aliiſq; circumcirca, ut ſit à Theſauro feria inſpectio, ſtatuo Alexandrum Paulum Smolenski exhibitorem præſentium, Reviſorem Generalem, qui non tantùm diligentem habebit curam dictorum Cameratuum, tamdiu, donec à me mittatur Superintendens; verùm etiam præmonere debebit omnes Notarios teloniorum; tam à fiſco conſtitutos, quàm intruſos ſive à Suecis, ſive quocunque alio titulo authoriſatos; de hac mea diſpoſitione & univerſali, illudq; ad acta publica quævis authentica Regni, per oblatam dabit. Quod etiam Superintendentes mei facere tenebuntur, non tantùm quo ad publicationem quivis in ſuo Cameratu, verùm etiam quo ad oblationem ad acta publica, in cujus rei fidem, univerſale hoc manu mea ſubſcriptum, ſigillo muniri juſſi. Datum Berolini.

ALIUD UNIVERSALE EJUSDEM 23. Junij.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, notum facio. Nulla, ut video, calamitas ſola; non ſatis enim, quòd Patria noſtra quondã ſtupor, nunc ludibrium gentium, data non pridem ad arbitrium hoſtis, nunc jam familiaris Martis, in iis eſt circumſtantiis & conjuncturis, ut vix eum non hæredem civilium & internorum malorum nanciſcatur; ſiquidem nos Patriæ filii, qui eſſe deberemus ex re boni publici, velut unus faſciculus, ideo firmus, quia in unum colligatus, acti ſumus in diverſa ſtudia, affectuum & paſſionum noſtrarum, excluſa confidentiâ & unione animorum, pertinente ad conſervationem noſtri ipſorum, & ad idem bonum publicum; ſectamur privata commoda, quidã præſentia ſat miſera, alij futura ſat incerta adamantes, alii ex nauſea quietis vetera contra jus, faſq; cùm everſione libertatis faſtidientes, eligimus qualeſcunq;, licet cum periculo ſtatûs inconvenientias, per inſuſurrationes eorum, qui intentiones ſuas, etiam per omne nefas mandare executioni cupientes, ſub nomine pacis vix non hæreditarium, inteſtinum fovent bellum, eò ſuis collimantes ſtudiis, quò ſua quemq; trahit voluptas; immemores boni publici, priſcæq; virtutis majorum: & hæc eſt calamitas una & univerſalis. Accedit, has inter Patriæ noſtræ circumſtantias, alia nec minor nec major, ſed velut pediſſequa & ſocia præcedentis, incongeſta à vicinis potentiis & Principatibus moneta, quam, licet non inanes ſimus in Patria umbræ, nec vana nomina, vel per diſſimulationem, vel per ignaviam, non ſe Patriis juribus dirigentis Regionis, tam cæca cupiditate acceptamus, ut ſine diſcrimine conciſum argentum, in titulos faſcéſve minutos in unius marſupio lecta planè ex toto orbe numiſmata poſſint reperiri: in quo, licet toties quoties de coæquatione monetæ, cum vicinis & externis Principibus laboravit Reſpub. ad effectum tamen deduci, aut ipſi (ut nundinationibus miniſteria redimerentnr) non permiſimus, aut aliqua alia circumſtantia, ſollicitos ejuſdem Reipublicæ conatus irritavit. In præteritis immediatè comitiis Lublinenſibus, proponebatur ſtatibus Reipub. commiſſio in re monetaria, quæ tamen non tantùm effectum, verùm etiam plauſum non habuit, fors ſola libertate diſplicentiæ etiam in optimis, quid de iis dicendum, qui utcunque meliorem monetam externorum Principum, in Regionibus Regni repertam, pro licitatione coemunt, & pecuniariam exercent mercaturam, occultis & inveſtigabilibus modis invehendo in Regnum, ex vicinis itidem Provinciis longè deteriorem, vilio-

viliorémve monetam? quod fit non ſolum per præſtantioris ſtatûs homines, verùm etiam per Mercatores externos, & domeſticos, ſimulq; Judæos, qui cum ſint fæx orbis; variis artibus, intra delectum populorum ſubſiſtens, quanta damna in publicum cauſant, ſicut ignotum nemini, ita notoriæ pœnæ obnoxium, quas contra hanc perverſitatem & impium lucrifaciendi modum, non tantum conſtitutionibus in volumine legum, verùm etiam ſtatutis Regni ſine executione hactenus exiſtentibus, ſemper Reſpub. Regnantesve, propter bonum publicum ſeveriſſimè conſtituebant. Accedit nunc noviſſimum pejuſque prioribus malum, quod in Ruſſiæ, Poloniæ, Volhiniæ Palatinatibus & Terris reperitur, jamq; à duobus circiter annis ſtante hoc turbido ſerpit latendo, ſcilicet falſificatio monetarum; primò enim ibi falſi treſſes, deinde aurichalcina quædam ad ſpeciem Cæſarianæ, nunc demum in copia ad ſpeciem Moſchoviticæ moneta reperta eſt, multiplicata ſunt plaſmata ſuppoſititia, de plaſmatoribus ſuſpicamur, qui illarum Regionum incolas, & cujusvis conditionis, & fortunæ homines, ad interitum ducunt, non tantùm illis, verùm etiam toti Regno pernicioſi: Imperaveram pridem, de poteſtate officij mei, Superintendentibus meis & Notariis teloniorum Reipub. aliiſque Officialibus fiſcalibus ſecretè nonniſi, ex rationibus certis ſeriò id indagarent, ſed id deprehendi palpabiliter non potuit, ſenſimq; eſt datum diſſimulationi, nunc tamen ubi amplius indies ſeſe malum hoc, & deplorandæ populi injuriæ publiciq; & privati ærarii extendit evacuatio, ut per literas informor, accedente ſupplicatione mihi miſſa à civitate Leopolienſi, ubi depravatores larvam ſuperinducendo monetis publicis, verſuras, & impoſturas ſine debito, imò ſine ullo valore cudunt, (quod etiam cum valore legibus publicis prohibetur) & ex moneta, quam antiquitas in modum Deæ habuit, præſentiaque ſæcula cultu vix diſpare colunt, faciunt adulteram, adeoq; gehennæ filiam; inde enim publici tumultus oriuntur, & augentur, in publicis negotiationibus magnæ novitates & confuſiones, detrimentum ingens, & injuriæ, non tantùm ad omnes alios, verùm præſertim ad pauperiores, ſtipem & ſubſidium exigentes, propriis victum quærentes manibus, mercatores quoſvis, artifices, ſubditos in ſimplicitate & ignorantia viventes, impietas hæc derivatur, inde verò maledictiones, odia Magiſtratuum, colliſiones, contentiones, cædes, cariſtiæ ob incertitudinem monetæ, mercaturæ & negotiationum abjectio, ruina publicarum & privatarum fortunarum accumulantur. Viſum eſt itaq; mihi, ex vi authoritatis meæ, qua fungor, velut Miniſter ærarii Reipub. palàm de hoc notificare omnes, quod omnium bonum concernit, invocando alios, ut ſibi, communitatibus, publiciſq; injuriis, penes quos eſt authoritas, conſulere velint, aliis verò intimando, præſertim verò Superintendentibus teloniorum Reipub. aliiſq; Officialibus fiſcalibus, ad quos hæc indagatio ſtrictiùs pertinere cenſetur, quatenus omnem curam adhibeant, qua authores & plaſmatores falſæ hujus monetæ, ubivis locorum inveſtigent, falſificatores comprehendant, adhibito etiam brachio potentiore, eoſq; ad acta caſtrenſia pro pœnis criminalibus, contra hujuſmodi, per leges publicas ſancitis reddant, cauſaſq; has, authore aut complice deprehenſo, ſumptu publico proſequantur: tales quoq; qui falſificatâ monetâ aut ement, aut aliud quidpiam ſolvent, ad acta in jus vocandi erunt, ſi fuerint nobiles, ſin ſecus, captivandi ad reddendam rationem, undènam eam monetam acceperint. Quod univerſale ut omnibus innoteſcat, in actis caſtrenſibus illorum Palatinatuum publicari A.C. 1705

*A.C.*1705 curabunt ſuperintendentes teloniorum. Datum Berolino &c.

UNIVERSALE ELECTI CONTRA UNIVERSALIA THESAURARII REGNI. Rydzyni 13. Julij.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, præſertim ſuperintendentibus, Notarijs Teloniorum, Mercatoribus tam externis, quàm alijs cujuscunq; Nationis, tam intra quàm extra Regnum negotiantibus, notum facimus.

Nondum vis occulta malorum ſævire ceſſat; quando hæc Reſpub: ab annis aliquot per ſtudia perverſa malevolorum, in abyſſum incommodorum dejecta, ad eam etiamnum redigitur infelicitatem, ut licet quis in contrarium in ea legum Patriarum agat, juſto tamen ſe judice tueatur. Documento hujus ſit recenter datum ad Cameratus Noſtros & Reip: per Theſaurarium Regni, adhærentem Dethroniſati Principis Univerſale, qui molimina ſua contra Rempubl: obtegendo, aliena rectè facta pro criminibus reputat. Gloriatur ſe ad legationem extra limites expeditum, cum conſenſu ibi Reipub. commorari: Verùm cui ignotus prætextus eſt, quiſve veram legationem eſſe judicabit à dethroniſato Principe non à Repub. conſtitutam? Non licuit ergo ſub hac prætextuoſa legatione ſuum dimittere miniſterium, verùm juxta jura invigilandum erat officio, ne Reſpub. detrimentum in proventibus pateretur, qui forſan in ſortem Theſaurarij non Reipub. recipiebantur: Ubi verò Nos pro commodo Reip. in Aula Suetica reſtitutionem teloniorum effecimus & Commiſſarium noſtrum ad recipiendos Cameratus delegavimus, & diſpoſitionem eorundem teloniorum deſtituto à ſupremo Regni Theſaurario & fiſcali Notario, Regimine, facere juſſimus, bonum opus in Repub. malitia rodit. Non nos latet, quidnam Majeſtati noſtræ, quid Reipub, quid Patriis debeatur juribus: in jura Reipub. non involamus, imò ea ad priſtinum ſtatum reducere, adlaboramus: Nec ideo ex alienis manibus proventus Reip. per commiſſionem vindicavimus, ut eos nobis vendicaremus; verùm ut in emolumentum cederent Reip. Dijudicabit Reſpub: in primis DEo dante Comitijs, ad quæ & cognitio receſſûs ex Polonia Theſaurarij reſervatur, in ejúsne conſervationem & tuitionem ab Exercitibus dethroniſati Principis, contra quos, ut velut oppreſſores libertatis, & depopulatores Reip: propulſentur, Exercitus noſtros debemus conſervare; an in tuitionem dethroniſati Principis & excogitatas ultra conſenſum Reipubl. legationes per Theſaurarium dethroniſati Principis adhærentem, converti debuerint? Nunc verò Superintendentes, Notarios, Cuſtodes ſeriò præmonemus, ne propoſito in Univerſali Smolenſcio ullam præſtetis obedientiam, ulloſq; ei proventus reddatis; verùm eosdem proventus ex Teloniis noſtris & Reipubl. juxta datam à nobis commiſſionem ad manus Commiſſarij, vel ejus Subſtituti conferatis: Mercatores quicunq; auſi fuerint Vratislaviæ hiſce in noſtra Repub: Intruſis proventus reddere, ab eiſq; quietationes recipere, non transmittatis, verùm ab eis in loco competenti, ſcilicet in Cameratibus Telonia recipiatis, nec quietationes ab iisdem Intruſis datas acceptetis; verùm ut juxta morem, noſtramq; commiſſionem procedatis, ſub gratiæ noſtræ amiſſione, confiſcatione bonorum & officiorum. Mercatores quoq; cujuscunq; conditionis præmonemus, ne ſibi ipſis ſint detrimento, Vratislaviæ extra limites Poloniæ Telonia noſtra, & Reipub, Intruſis reddendo ſed in Cameratibus & competentibus locis,

cis, ſub pœna mercium amiſſionis: Ut verò non tollantur commercia, *A. C.* 1705
ſed quisq; ea ad Regnum & extra Regnum poſſit juxta antiquas conſuetudines vehere, de omni ſecuritate in dominijs noſtris & Reip. aſſecuramus. Quod Univerſale ut melius innoteſcat, in Cameratibus Vieruſzovienſi, & Krzepicenſi aliisq; publicari, & actis ingroſſari per Superintendentes in Cameratibus noſtris & Reipub, mandamus.

UNIVERSALE CARDINALIS PRIMATIS PRO REASSUMPTIONE GENERALIS CONFOEDERATIONIS, CONSILIJ.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, innoteſcat, quòd, licet cum profunda gravium dolorum impreſſione, inhæſerint memoriæ triſtes Auguſti, anni elapſi, Idus, quibus Rex AGUSTUS, fors fortunam nominis, ſub hac æquivocatione probaturus, ſubitâ in civitatem Varſavienſem irruptione, conſilium in ea terruit & interrupit, poſtea verò, collectorum ex omni gentium colluvie ſuorum Exercituum furorem, in templa, palatia, depoſita bonaq; convertit, non inventis perſonis; quas vindictæ & indignationi ſuæ ſacrificaſſet: Fateri tamen ingenuè poſſum, quòd elongatus cum Mareſchalco Confœderationis Varſaviâ, hanc vitando tempeſtatem; uſq; ad littus, infidi licet, tutioris tamen, etiam intra monſtra maris, elementi & in tædioſa reſidentia, transactis plus quàm novem menſibus, non tam jacturam fortunarum, & inæſtimabilem querebar ruinam bonorum, ſuſcipiens eam grato animo, de manu ejus, qui dedit & abſtulit, moderandoq; illo effato paſſiones: ad fati imperium, qui tacet ille ſapit. Nec ita, grandem honoris mei depreſſionem, quod ſcilicet conſumpta in laboribus & ærumnis, pro Patria ejusq; libertatibus ætate, ad extremum ſtructos vitæ noſtræ declinando laqueos, in alieno ſolo latere coacti ſimus: Nec ita deniq; omnes meas afflictiones, cùm hæ humanitus & ordinariè viventibus obvenientes, aut adimere ſenſum mali, aut minuere ſoleant, quàm ſuper hoc ex intimis cordis mei medullis doleo, quòd à centro Regni, adeoque à gubernaculo remotum eſſe, eſt committere Patriam, velut ſine Remige Puppim, omnibus periculoſiſſimis tempeſtatibus; Relinquere ſine alimento & vitali humore cor langventis Patriæ, tum vel maximè, quando eorum, qui conſtituunt corpus ejus politicum, velut ſangvis extrema occupans, alii vel extra limites, vel proculà meditullio profecti ſunt, alij affectatâ authoritate, Majeſtatē conſiliorum, de civitate in civitatem transferentes, nec, niſi confuſionem, & rapinas authorizantes, inſtar humorum peccantium, augebant non minuebant ſymptomata, oboriebantur non ſemel oculis lachrymæ, ex conſideratione ſtatûs noſtri & magnitudinis periculorum, quòd filii Herorum, qui olim vicinis terrori fuerant in hæc inciderint tempora, quibus inter exoticorum Exercituum colluviem, vix noſtræ gentis nomen dignoſcitur. Ita nos confuderunt ſtudia partium, ut velut in labyrintho diverſas vias & capiam⁹ & capiamur. In Rep. Rempub: quærere cogimur, illud meritò deſolationi ejus inſcribentes: Cavete Cives, ne Civitas veſtra per portas effugiat: Cuicunq; libet, dominatur nobis & populatur: Non mos, non jus, deterrima cuiq; impunè. Domorum, fortunarum, bonorum Spiritualium & Nobilium nulla immunitas, nulla ſecuritas; ipſa ſacraria, promiſcuo in ſacra & profana ſcelere, violentiis ſubſunt, & rapinis: Quia ij, qui antea anguſtijs fortunæ anxij, nihil ſimile in Rep: formidine pœnæ potuerunt aggredi, nunc excuſſis terminis licentiæ, in con-

A.C. 1705 confuſione & turbido, cupientes ſubitò alienis ditari ſpolijs, ſigna ferunt non rogati, non ad defenſionem Patriæ ſed ad opprobrium & ludibrium heroi nominis, & ut devoret locuſta, quod Bruchus non conſumpſit. Id verò totum efficiunt diſſenſiones noſtræ & diſcordiæ, quibus noſtra prolongamus infortunia. Dum tamen ex ſpeciali miſericordia DEi, poſt omnes haſce afflictiones, præſentes conjuncturæ ad lætiorem tendunt revolutionem, & quorundam Palatinatuum in Confœderatione Varſavienſi immutabilis conſtantia, aliorum proxima ad eam, tædio malorum affulget propenſio; per hoc verò ad deſideratam unionem, ſupra quam fortunata paratur via, glorioſo exemplo magnarum in hac Patria familiarum, quæ præcurrentes ad Aram ſalutis publicæ, actu jam ferunt in holocauſtum ejus fortunas & vitam ſuam, deſperatis, amore, & applicatione Regis AUGUSTI, ejusq; reditu, qui fatóne, an conſilio extra Regnum profectus, tamdiuque in Saxonia ſubſiſtens, manifeſté demonſtrat, magis ſe de ruina Poloniæ, & vindicta, quàm de ſalute & tranquillitate ejus cogitare. Per quod videntur mala publica ipſo malorum ſenſu miteſcere, quando & Rex Pruſſiæ, amiſſa penitùs ſpe, reconciliandorum Regum, AUGUSTI & CAROLI, circa quam non modico tempore laborabat, nullâ verò apparentiâ oboriente, Regem Sueciæ receſſurum ab Electo Stanislao, quem publica legatione, totq; externis demonſtrationibus, pro Rege recognovit, ipſe verò in partes ſe Regis Sueciæ, conſequenter Electi Stanislai declaravit: Quando inſuper idem Rex Sueciæ re ipſâ confirmat, quod ingreſſus Poloniā tanquam amicus, ad erigenda collapſa jura, & libertates; gravisq; factus tam numeroſis Exercitibus, per indiſpenſabilem neceſſitatē noſtris Regionibus, optat quàm citiſſimè abbreviatas eorū calamitates per reaſſumptionē, & conſum̄ationem, inter hæc duo Regna, Tractatûs, nullam habens in corde averſionem; ut data tot ejus diplomata aſſecurant, per hocq; commodum concedens tempus adunandorum in unum cordium civilium, remotione & abſtinentiâ illius, cujus lemma hactenus fuit: divide & impera: Nec volo, nec poſſum per conſcientiam & innatum amorem Patriæ, clavum dimittere, & ex charactere meo, ac Primatiali authoritate, deſigno ad conſultandum, & amovenda omnia noſtra infortunia, generalem congreſſum Varſaviæ 11. Julij, anni præſentis, invitando omnes, obteſtandoq; quatenus in unione animorum, per Nuntios ex Palatinatibus & terris inſtrumento publico in congreſſibus veſtris, particularibus, quæ pro die 26 Junij, in locis conſuetis deſignamus, authorizatos in numero, qui vobis placuerit, in termino compareatis ad communem Patriæ defenſionem, ad finiendas omnes transactiones, inducendam tranquillitatem internam, providendam externam ſecuritatem, ut orbis videat quod antea mirabatur in gente noſtra, invulnerabibile eſſe, non quòd feritur, ſed quòd non læditur. Quod univerſale manu mea ſubſcriptum, ſigilloq; munitum, ut citiùs omnibus innoteſcat, in actis caſtrenſibus, Parochiis, juxta morem; ſine mora publicandum erit. Actum Gedani die 31 Maji.

COPIA UNIVERSALIS ITERATI PRIMATIS CARDINALIS Gedanô dati, 16. Junij.

OMnibus & ſingulis &c: Præſentibus ſignificamus: quòd obſtinata in pejus ſuiq; planè impos, ut Patriæ maturet exitium, malitia non tam prona mitigando ſit; quàm promptè ſeſe paſſionum ſuarum

arum permiſit arbitrio: adeò faciliùs invadunt, quàm recedunt affectus. *A.C.* 1705
Fatentur ipſi, unicam nonniſi unionem animorum certiſſimum ſupereſſe ſalvandæ Reipub: medium; & tamen quoties unanimem conſensũ requirimus, toties ubi perverſitate conſiliorum obeſſe nequimus; ibi infeſtis armis ſpiritum turbinis animorum immittimus concordiæ. Non pridem univerſalia mea edidi; quibus pro 11. Julij Generalem convocavi omnium ex Palatinatibus & Diſtrictibus Terrisq; conventum, deſignatis partialibus comitiolis anticipativè pro 26 Junij: quamvis ergò ea ſecundùm morem debitè in omnia caſtra dimiſſa fuerint, & jam zelus civium fervorq; emicuerit, cupidus conſulendi publico bono, per reſpectum eorundem univerſalium meorum: ſed quia ſacrorum intentorum effectum non tam impedivit, quàm abſtulit partim non vanus metus conceptus de imminentibus undiq; partis contrariæ copiis, in hunc duntaxat finem deſtinatis: ut Rempubl. uniri volentem diſtrahant, & in confuſo relinquant; partim triſte & inauditum exemplum abreptorum & captivatorum Nuntiorum Palatinatûs Sendomirienſis: ideò dũ hic & nunc ea tempeſtas ad incurſum potentioris ab Aquilone retro cedere coacta, relinquit Palatinatibus libertatem & ſecuritatem conſulendi; ex ratione officij mei, & amore in hanc Patriam (ne filij ejus ſint inter pericula ſine remediis, inter caſus ſine conſiliis. & ut poſſint cum aliis quantociùs comparere in inchoato jam feliciter conſilio Varſavienſi) determino habendis in loco conſueto Comitiolis diem.. Auguſti; ut in illis pro libitu ſuo Nuntios ad conſilium prædictum Varſavienſe mittendos deſignent; quò omnes eæ transactiones, à quibus & publica ſolatia, & privata commoda dependent, fortunatè expediantur. Ad majus pondus fidem &c. &c.

RESPONSũ PRIMATIS AD LITERAS CONGRESSUS VARſavienſis Gedanô datum 24. Julij.

TAM feliciter inchoatum, quia ultra ſpem & expectationem tantæ Civium frequentiæ, quanta jam adeſt Conſilium Varſavienſe non tantùm animum meum ſuperabundanti replet ſolatio; ſed etiam ominari jubet, quàm feliciſſimos ad finem ſuum ſucceſſus, juxta commune illud nunc potiſſimum Patriæ neceſſarium proverbium: dimidium facti qui bene cœpit habet. Eſt quod gratulemur Reip, quòd in extremis invenerit ſincera Veſtra circa defenſionem ſui ſtudia & conatus: eſt pro quo Vobis gratiæ agantur; quòd viarum pericula, diſpendia vitæ & fortunæ non præhabueritis neceſſitati periclitantis Patriæ, ſed imò hæreditaria à Majoribus Veſtris virtute & grandi candidoq; affectu, ne cadat univerſum, caſus particulares contempſiſtis. Nolo damna, ſumptus, labores, defeſſam uſibus Reipub: valetudinem meam & ipſam hanc tam diuturnam hoc in loco non ſine tædio & moleſtia repræſentare reſidentiam oculis Veſtris; quia nec compaſſionis, nec laudis hac de re indigus ſum: in minimo & modeſto ſenſu de me declino eam, quam alij quæſitam meritis ſumunt ſuperbiam. Id mihi ſolummodo propoſui cæteris omnibus infra poſitis, quo & dies vitæ meæ abſolvam; ut Patriæ ſuccurram; quemadmodum & modò remis veliſq; accelerarem ad gremium Veſtrum; ſi non tardarent eadem viarum pericula, quæ vos cauto paſſu evitâſtis: quàm primùm nihilominus ſecuritas illis redierit & congreſſus Noſter numeroſiore adventantium frequentiâ ſolidatus fuerit; feſtinare non omittam & ad clavum Conſilij hujus

A.C. 1705 hujus ſalutaris, & ad venerationem omnium Veſtrûm, minimeq́ attendam ad ea quæ ab extra terrent; id duntaxat à Vobis impenſè peto: ut brevem abſentiam meam non in tædii vertatis occaſionem; in ejuſmodi enim ſumus conjuncturis, ut nec excludere moram, nec ſine moleſtia pati poſſimus. Si autem evitare id impoſſibile; ſatiùs utiq́ aliquid tolerare; quàm impatientiâ longiora mala provocare. Iteratò de accelerando adventu meo Vos aſſecurans exopto Vobis interea aſſiſtricem ſedium ſapientiam, quæ conſilia Veſtra quàm fortunatiſſimè ad vota omnium dirigat & confirmet, tenerrimo affectu maneo &c.

COPIA LITERARUM REGIARUM Ad SENATORES REGNI. ex thermis Carolinis 18. Junij.

AUGUSTUS REX. Innotuit nobis prodiiſſe Gedanenſi typo, ſub 31 Maij Cardinalis Primatis univerſale, licet dandi univerſalia, niſi per abuſum, nullam prætendere poſſit, nobis viventibus, & regnantibus, poteſtatem. Non dubitamus, te legiſſe illud, factâq́ ſupra continuatione pertinacis contra perſonam noſtram, malevolentiæ, debitâ reflexione, indoluiſſe vicibus noſtris, non ignorando, recentiq́ volvendo memoriâ, tantùm, in omnibus, quæ intervenerunt occurrentiis, affectum noſtrum, tam erga perſonam, quàm erga domeſticos ejus, in quocunq́ eorum, & ipſius Primatis interceſſit requiſitio, noſq́ teſtari potuimus: ſecuti ſumus Primatialia ejus conſilia, quamdiu in eis non apparebant doli, quibus iam à biennio, in continuis honoris noſtri, reputationis, imò vitæ noſtræ impetitionibus, manifeſtè ſeſe prodentibus, defendere nos impoſturis, criminationibus & delationibus vix ſufficimus. Arguit adventum noſtrum, anno elapſo, Varſaviam, tanquam non liceret ad propria; ubi non tam mala inferre cuipiam, quàm impedire, ne ulterius contra nos malum ſerperet, intendimus. Si intentio fuiſſet noſtra, ſiniſtrum quid contra ejus perſonam agendi, an nòn id in noſtra fuiſſet poteſtate? non eſt tantum Varſaviam inter, & Lovicium intervallum; habuimus verò tantùm virium, licet eas ex omni gentium colluvie lectas, injuſtè criminetur; quibus eum in arce Lovicenſi, metu percellere, idq́ agere potuiſſemus, per repreſſalia, quod ille ſemper nobis, amotâ omni charitate Chriſtianâ, peroptabat. Nunquam tamen non memores eramus innatæ æquanimitatis noſtræ, imitantes illum, cui omnia contraria, licet primus in Polonia ſacerdos agit, nolentes mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant. Incuſat fata Patriæ; quorum quiſnam ſit cauſa, dijudicabit & diſcernet DEus, juſtus Judex. Indolemus cordialiſſimè omnibus his, quæ aguntur, ultraq́ per tantam agentur promotionem, infortuniis; ſubjicimuſq́ cujuſvis conſiderationi, utrùm tot collectæ turmæ, tot Valachorum vexilla, ad contrariam partem pertinentia, non plures graviorésve injurias & oppreſſiones pauperibus, quàm numeroſiſſimi formales inferunt Exercitus? Si non ſciſſa fuiſſet inconſutilis communis Patriæ veſtis, ſi ſupra permiſſum jurium, contra omnem morem ad extraordinarias non facta fuiſſet reſolutio, confœderationes; ſi in iiſdem non conceſſum fuiſſet ultra, quàm per leges Patrias licet, nunquam ad eam, quam omnes ſentiunt, deplorant ſinguli, ruinam ventum fuiſſet. Redundent ergo in eos peccati pœnæ; qui ſunt horum malorum cauſa, qui immemores DEI & legis, contra facta toties juramenta, cogitaverunt, & fecerunt nobis mala. Allegat idem Cardinalis Primas (alia puncta, quæ ejus potius

tius perſonæ, quàm nobis imputari, cujuſvis judicio, debent) Regem *A.C.* 1705 Pruſſiæ noſtrâ relictâ amicitiâ alteri eam teſtari promiſiſſe, & uſurpatori Regni noſtri aſſiſtere velle, cui nec nos, nec ullus, rationabiliter credere poſſumus. Primi fuimus, qui antiquorum vinculorum, & viciniæ Electoralis, aliarumq; rationum reſpectum habentes, pro Rege Electorem Brandeburgicum recognovimus, qui conſilio Primitiali fulti cum prima gratulatione, Towianſcium Pincernam Regni expedivim⁹, pro quo impoſſibile eſt, ut tantam referamus ingratitudinem, ut ille, cui titulum ultro & benevolè Regium detulimus, illum nobis ereptũ transferre velit in alium, nemo ſanæ mentis crediderit, illum Principem, qui in recenti coronam ipſe obtinuit, noſtræ detractione, daturũ vicinis exemplum ad idem cogitandum, adſunt authentica documenta, quæ tuæ fidelitati exhibita, evidenter probabunt Regem Pruſſiæ de his, quæ ſibi imponuntur, nec cogitaſſe, fidemq; hiſce impoſturis, penitus abrogare: adeoq; hæc ratio, quam pro Achille in ſuo ponit univerſali, ſubſiſtere nequit, mirumq; eſt, quòd talia audet Regi Pruſſiæ & Reipub. imponere licet aliunde factâ reflexione ſuper tot alios conſimiles proceſſus mirari deſinamus, quis enim miretur, admiſſo abſurdo uno; plura ſequi? Convocat inſuper, ad finem omnibus imponendum transactionibus, & ad tranquillitatem ſtabiliendam, omnes Palatinatus, quaſi jam pro nobis non eſſet DEus, quaſi omnia nobis conſervandi throni eſſent ſublata media, ad quem nos DEus liberis evexit votis. Viſum eſt igitur nobis, te præſentibus compellare, invocando, & antiquam Domûs tuæ erga Regnantes fidelitatem, & per obſtrictam juramentis fidem, quatenus factâ maturè ſuper præteritis, præſentibus, & futuris reflexione, non arripias novos perniciosos conſervandæ Reipub. modos, teneaſq; primam DEI ordinationem, certus de noſtra in throno per eum, qui nos in illo collocavit, conſervatione, nec eo te falli permittens, quòd propter valetudinem noſtram, quam ſummè neceſſariis roboramus mediis, ut ad defenſionem Regni noſtri, jurium & libertatum ſimus aptiores, tanto hic tempore commoramur. Cæterùm jam pridem fuiſſemus in Polonia, ut nobis unicè optabamus, ſi debita prævifione periculorum, non fuiſſet nobis cavendum ab eis, à quibus judicio Cardinalis Primatis, nec licet nobis nos tueri. Speramus tamen in DEO, ſiſtendos nos ibi citius, quàm noſtri optarent hoſtes, dandaq; nobis media efficacia, ad reprimenda omnia eorum intenta, & teſtandam gratitudinem omnibus ijs, qui inviolatam conſervant fidelitatem, & conſtantiam, circa bonam cauſam & perſonam noſtram. Horum te certum eſſe volumus, à quo obnixè deſideramus, quatenus id repræſentare velis amicis tuis, & toti Palatinatûs tui nobilitati, quæ certò noverit citiùs nos omnia bona, fortunas & vitam ipſam amiſſuros, quàm Regnum hoc relicturos, illoſq;, qui ſe ipſos tuitioni noſtræ conſecrârunt. Bonam interea tibi à DEO precamur valetudinem. Datum &c.

UNIVERSALE CAPITANEI BISTRENSIS MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS GENERALIS VARSAVIENSIS.

POſt ſubitum & inſperatum, anno elapſo, noſtrum Varſaviâ in diverſa abitum, non nemo forſitan conſiderando humanorum eventuum mutabilitatem, cogitare potuit, confœderationem noſtram jam penitus diſperſam eſſe, & ſolutam, ſine mediis à diſperſione congregan-

*A.C.*1705 gregandæ, tractatumq; cum corona Suetica inchoatum, nec ad calcem deductum, abiiſſe ſecuturis ſæculis in hiſtoriam. Verùm juſtiſſimus DEus intentionum actionumq; noſtrarum judex, oſtendit manifeſtè contrarium, ſcilicet quidquid homines rectâ intentione, & cum ejus ſanctiſſima voluntate, conformi, aggredimur, id ſerò licet ad præfixum deduci terminum, nec obſtaculis, licet hæc intervenerint, impediri. Magnū mihi ſuper Balthico litore comoranti honorem, ſed non minorem conſtantiæ ſuæ ſpem fecerunt Palatinatus confœderati, expeditis ad Cardinalem Primatem, meq; ſuum Mareſchalcum legationibus, cum hac civium conteſtatione, quòd ſicut circa ſunm ſunt zeloſi, propoſitum, caſumq; ejus ingenitâ pati non poſſint magnanimitate, illam metuentes cenſuram, cœperunt ædificare, & non poterant conſummare, ita deſiderant obnixeq; requirunt à me, ut hic non morer otioſus, & aliquid operer in ſalutem publicam, ubi præſertim Rex Sueciæ ipſe nos provocat ad reaſſumendos diu votis populorum deſideratæ pacis tractatus, commiſſarios ſuos declarat mittere, & ne tam comodam elabi ſinamus occaſionem, præmonet. Unde obligationi characteris mei, unanimi veſtrûm omnium conſenſu, impoſiti ſatisfaciens, ne quid in poſterum excuſandum habeam, hæc mea mitto univerſalia, obteſtando amore Patriæ, quæ tamdiu ſuſpirat pacem, quatenus pro futuro, Deo dante; congreſſu à Cardinale Primate, Varſaviæ indicto, juxta beneplacitum veſtrum, è medio veſtri expedire velitis Nuntios, cum ea prudentia & experientia; quæ ad tam operoſum, ſumamq; exigens circumſpectationem, negotium, requiri poteſt. Expectando itaq; in deſignato Primatiali univerſali termino, cum extenſo amplexu adventum veſtrum, melioris valoris gratiâ, univerſale hoc manus propriæ ſubſcriptione, ſigilloq; munitum dedi Gedani 31 Maji.

EDICTUM SUMMI PONTIFICIS CONTRA CARDINALEM RADZIEIOWSKI. Romæ 10. Junij.

CLEMENS PAPA XI.

AD futuram rei memoriam. *Inter graviſſimas commiſſi Nobis divinitus univerſalis Eccleſiæ Regiminis curas illa potiſſimum animum noſtrum aſſiduè ſollicitat, ut ingentibus, quibus inclytum Poloniæ Regnum de præſenti affligitur, malis opportunum aliquod remedium adhibere, alijsq; gravioribus, quæ inibi in dies Reip. univerſæ, quin & Eccleſiis, Catholicæq; ipſi Religioni imminere noſcuntur, periculis, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter occurrere ſatagamus. Cùm itaq; ſicut nobis innotuit prematuratis calamitatibus (quod planè dolentes dicimus) culpâ potiſſimùm Dilecti Filij Noſtri Michaëlis S. R. E. Presbyteri Cardinalis Radzieiowski nuncupati aditum apertum fuiſſe nimis exploratum ſit, dum ille veluti muneris ſui ac dignitatis oblitus ampliſſimam, quam in Rep. obtinet, authoritatem, non Civium paci, Subditorum erga chariſſimū in Chriſto Filium noſtrum AUGUSTUM Poloniæ Regem illuſtrem obedientiæ, ut omninò par erat, conciliandæ, ſed concitandis diſſidiis, turbandæq; advocatis etiam hæreticorum armis publicæ tranquillitati, ac lædendæ demum, contemptis infractisq; Patriæ legibus,* ejus-

ejuſdem legitimi Regis Majeſtati non ſinè maximo Eccleſiaſtici Ordinis dedecore impendit, noſtriſq; inſuper iteratis monitionibus, atq; mandatis, quibus eum ab hujusmodi exceßibus retrahere, & coram nobis ad hanc almam urbem noſtram vocare curavimus, hactenus obedire detrectat. A. C. 1705

Hinc eſt, quòd hos, qui cauſam & cauſas præfatorum ejusdem Michaëlis Cardinalis exceſſuum per alias noſtras deſuper in ſimili forma Brevis expeditas literas Venerabili Fratri Horatio Philippo Archiepiſcopo olim Thebarum Epiſcopo Lucano apud dictum AUGUSTUM *Regem Noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuntio audiendas, cognoſcendas, & ad nos referendas cõmiſimus, ut quod deſuper ſtatuendum fuerit, maturâ deliberatione adhibitâ poſtmodum decernamus, nec ipſe interim Archiepiſcopali munere, ac maximâ, quâ fulget, dignitate in Eccleſia probrum, Reipub. exitium, & ipſius animæ ſuæ perniciem abuti pergat, providere volentes; Motu proprio ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eundem Michaëlem Card. ab omni Pontificalium exercitio omniq; Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnenſis cui ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſcitur, & quam interim per Vicarium ſeu Officialem à præfato Horatio Philippo Archiepiſcopo, Epiſcopo & Nuntio juxta ipſi à nobis attributam facultatem deputandum poſitis ſub ſequeſtro illius fructibus adminiſtrari volumus, regimine & adminiſtratione tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus, nec non ab omnibus & ſingulis Juribus, Privilegiis, prærogativis, honoribus, indultis, & facultatibus quibuscunq; ipſi Michaëli Cardinali ratione dictæ Eccleſiæ Gneſnenſis illiq; annexæ dignitatis Primatialis Regni præfati quomodocunq; competentibus ad noſtrum & dictæ Sedis beneplacitum tenore præſentium ſuſpendimus, & ſuſpenſum eſſe ac manere decernimus, & declaramus, ut in poſterum ulli actui, functioni ceu ceremoniæ ad, pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Gneſn: & Poloniæ Primatem quomodolibet ſpectanti & pertinenti ac ſignater coronationis prætenſi nulliter ac properam Electi novi Regis nullatenus ſe ingerere vel immiſcere poßit, & valeat, ſub pœnis ſtatutis à Jure & Apoſtolicis Conſtitutionibus, aliiſq; etiam gravioribus arbitrio noſtro infligendis. Decernentes pariter ipſas præſentes literas, & in eis contenta, quæcunq; etiam ex eo, quod dictus Michaël Cardinalis & alij quilibet etiam ſpecificâ & individuâ mentione & expreſſione digni in præmißis intereßſe habentes, ſeu habere quomodocunq; prætendentes, cujuscunq; Status, gradûs, Ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad eam citati, vocati, vel auditi, neq; cauſæ propter quas præſentes emanârint, ſufficienter adductæ, aut juſtificatæ, vel verificatæ fuerint, aut ex alia, quacunq; etiam juridica & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enor-*

A.C.1705 *mis enormiſſimæ & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliorum quolibet etiam quantumvis formali & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad vitam ſeu terminos Juris reduci, aut in controverſiam vocari, ſeu adversùs illas operationis honoris reſtitutionis in integrum, aliúdve quodcunq; Juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato quempiam in judicio vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; Sed ipſas præſentes literas firmas, validas, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicq; & non aliter in præmiſſis per quoscunq; Judices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac ejusdem S. R. Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere legatos ſacrumq; ipſorum Cardinalium Collegium, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ Nuntios, & alios quoſlibet quâcunq; præeminentiâ & poteſtate fungentes & functuros ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quopiam quâvis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtante noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollendo, alijsque Apoſtolicis ac Venerabilibus, Provincialibusq; & Synodalibus Concilijs editis Generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non dictæ Eccleſiæ Gneſnenſis, aliísve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quâuis aliâ firmitate roboratis ſtatutis, conſtitutionibus, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis etiam Sacro Collegio prædicto, ejusq; Cardinalibus, alijsq; quibuslibet Perſonis etiam ſpecificâ & indiuiduâ mentione dignis ſub quibuscunq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibusq; & alijs decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum quandocunq; conceſſis, & pluries, qualibus, & quantiscunq; vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis etiam pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorũ tenores, cauſas, formas, & occaſiones præſentibus plenè & ſufficienter, ac exactiſſimè & accuratiſſimè expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris*

ad

ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuscunq;. Datum apud S. Petrũ ſub Annulo Piſcatoris; Pontificatûs Noſtri Annô V. A.C.1705

BREVE APOSTOLICUM CLEMENTIS XI. AD ARCHI-EPISCOPOS, & EPISCOPOS REGNI POLONIÆ. Româ 10 Junij.

VEnerabiles Fratres ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi præclara ac conſtans, quam de prudentia, fide, ac Religione veſtra habemus, opinio, certam nobis ſpem faciat, vos memores eorum, quæ per alias noſtras in ſimili forma Brevis literas pro reſtituenda Reipub: Vræ tranquillitate, tuendaq; adversùs invaſores hæreticos Catholicæ Religionis, & chariſſimi in Chriſto Filij Noſtri AUGUSTI Poloniæ Regis illuſtris causâ ad vos ſcripſimus, nihil unquam adversùs eundem AUGUSTUM Regem admiſſuros, ſed debita erga eum reverentiæ argumenta daturos eſſe, ut omnibus palàm fiat ſacros Eccleſiarum Antiſtites non turbandæ, ſed tuendæ juvandæq; Reipub. allaborare; Nihilominus cùm nonnullorum audaciam eò progreſſam compertum ſit, ut contemptis omnibus DEI & Patriæ legibus legitimo Rege poſtpoſito novum eligere, Acatholicorum viribus potiſſimùm adſtipulantibus non eruberint, timeriq; meritò poſſit, ne mala malis addendo ad pejora indies conſilia, ac non niſi in extremam totius Regni perniciem ceſſura prolabantur. Hinc eſt, quòd nos conſiderantes quàm turpe eſſet & Epiſcopali Ordini indecorum Eccleſiaſticam poteſtatem tam apertè legitimi Regis injuriæ patrocinari, quod ſanè cavere vos maximè tam juſtitia ipſa ac leges Veſtræ, quàm univerſi Regni Pax & tranquillitas, quin & Catholicæ Religionis ratio omninò poſtulant, ac proinde pro paterna, quam erga Rempub: V, ac vos ipſos gerimus, benevolentia, quibuscunq; gravioribus eventuris malis quantum cum Domino poſſumus, maturè occurrere cupientes motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtra, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vobis & veſtrûm ſingulis tenore præſentium diſtrictè præcipimus, atq; inhibemus, ne coronationi prædicti nulliter & perperã electi Regis, quæ quoquomodo tentari poſſet, vos ullatenus ingeratis ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ipſo facto & absq; alia declaratione incurrendis. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac univerſalibus, Provincialibusq; ac Synodalibus Concilijs, editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum

A.C. 1705 bum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Datum &c. ibid.

F. Oliverius.

Thomas Dzialynski

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS Ad PALATINUM CULMENSEM. Gedanô. 16. Junij.

INfortunia & calamitates hujus Reipub: ita ipſa influunt in oculos, omnesq; irrumpunt ſenſus, ut explicatione prorſus non indigeant. Tempus jam eſt, aut agendi quidpiam pro defenſione; aut pereundi, nihil agendo. Gemit Polonia ſub onere externarum gentium, modus ſalvandi omnes, alius non eſt, niſi unum ſentiendo. Modicum nobis fuerat, premi à Suecis & Saxonibus, induximus inſuper Moſchum, unumquemq; ſua perſtringat conſcientia, utrum id licuerit, & utrum rectè inſtituta fuerit hæc legatio, ex qua non remedium malorum, ſed ultima emerſit Patriæ perditio; quæve facta, ſublata voce vetandi, contra tot proteſtationes, magis affectu in Mtem, quàm in libertatem propenſione. Opponatur; quemlibet pro poſſe, ſuis velificari commodis, quodq; ſibi videtur ex privato eſſe proficuum, id eſſe utile judicare, & in publicum: At fallimur hac vehementer perſuaſione; nam licet, aliæ deeſſent rationes, res ipſa probat, nihil nobis Moſchoviticam prodeſſe amcitiam. Unde, ut hæc vulnera in tempore ſanaripoſſint, néve ſinas, hanc tibi in poſterum elabi occaſionem, quæ præponderante altera bilancis parte aut nulla erit, aut calva, obnixè ex charitate hujus Patriæ, poſtulo, & obligo; quatenus pro congreſſu Varſavienſi, cui diẽ imam Julij deſignavi, venire non detrectes: Omnibus hic etenim & propria corrigere, & quid in publicum corrigendum eſt, convenit conſiderare. Quo ex munere characteris mei delato. Sum qui ſemper.

RESPONSUM PALATINI CULMENSIS AD PRÆCEDENTES literas. Turoviâ. 21. Junij.

VOcatorias, an monitorias, neſcio qua poteſtate in parem tibi, præſumptas, de die, 16. Junij Gedano hodie accepi. Exprimis calamitates hujus Patriæ, earum augendo cumulum; per inductos in M. Duc. Litvaniæ Exercitus Moſchoviticos, cauſam devolvendo in legationem contra jus vetandi ſuſceptam, Patriis nocivam juribus, privatum emolumentum, publicum damnum adferentem; in quo id me vel maximè ſolatur, quòd objectiones duntaxat, non probationes à te recipiam. Ut verò meliùs, quàm es, ſis informatus; breviter, licet coram te juſtificari non teneor, innuo. Quo ad primum: ſuſcepi hanc functionem in fundamento ſcripti ad Archivum; cui tuum, puto non temerè, ſubſcripſiſti nomen, quia illud prius tibi curaſti legi; quod ſi poſtmodum eſt falſificatum, æquè tenet onus rationis reddendæ; à te, ac à Mareſchalco actûs illius, mihi verò velut privato, intererat adimplere ſancita, non interpretari: Inſuper fors non pertigit ad te manifeſtum Caſtellani Cracovienſis, moderni tui colligati, qui ſicut caput erat proteſtantium, ita reclamando, uberrimas dat in eo rationes; ſi imperas, tibi exemplar mittere, non gravabor. Objectionem de inducto Moſchovitico Exercitu ipſe Tractatus perimit, ex quo patet, me colligationem per diverſionem armorum concluſiſſe; certuſq; ſum, quod ipſe Rex Sueciæ,

Hieronymo Lubomirki

ciæ, velut magni Monarcha judicij, inter virtutes recenſebit, me fidem *A.C.* 1705
ſervâſſe Dño, curſumq; fidelis obſequij conſummâſſe: Quod verò ſit ultra Tractatûs contenta factum, ego nec accuſare auſim, nec excuſare. Innuis, me affectu in Mtem, & cupiditate privatorum commodum, non publicæ ſalutis, hanc ſuſcepiſſe legationem: Quò ad primnm, vel ipſo hoſtili decidatur judicio, virtutíne potiùs, an perfidiæ fuiſſet ſacrificandum?. Quò ad alterum; à morte ſ. m. Regis JOANNIS III, ex quo infelicem hanc, in tutelam tuam, accepiſti Rempub:, non tantùm non reſtituiſti paci, verùm ex ſimilibus æqualium tibi Senatorum vocatoriis infero, te nolle reddere tranquillam & pacatam. De quo plura tibi exprimerem, niſi uterq; eſſemus ſub cenſuris, tu non tantùm primi Eccleſiæ capitis, ſed etiam totius Chriſtianitatis; ego ſub tua indebita, à qua appellando ad pacatam & tranquillam Rempub:, concordes ſtatus & ordines, relinquendo forum debitum & competens, ſum &c.

COPIA LITERARUM REGIS POLONIÆ AD IMPERATOREM JOSEPHUM 17 Junij.

EX literis Majeſtatis Veſtræ de 2. currentis, ad me amicè & fraternè emanatis fuſiùs legi, quid eam ratione finalis eliberationis Principis Poloni Jacobi repetendo idem, quod Mtas piè defuncti D. Patris ejuſdem, tanquam amicus, frater & vicinus deſiderabat, à me iterum requirendi moverit cum fiducia, & ſpe indubitata, quòd ego præfatum Principem exnunc priſtinæ libertati reſtituere ultrà non cunctarer, ac ipſo facto demonſtrare vellem, ut ſua Mtas in concepta erga me fiducia non erraret, imò ego ex corde dolerem, ſi Mtas Vra ex dilata hucuſque non ſine incommodo meo pacta eliberatione ſupra memorati Principis Poloni aliter cogitaret, aut conceptam erga me fiduciam diminueret, cùm ego omni poſſibili modo eam manutenere, ac conſtantiſſimè fovere unicè ſtudeam, nec enim ſtante vitâ ſuæ Cæſareæ Mtis piiſſimæ memoriæ D. Patris ſui æquiſſimis ejuſmodi deſideriis annuere intermiſiſſem, nec modò reale documentum animi mei Mti Vræ deditiſſimi exhibere differrem, ſi de ſecuritate mea, quam juſtiſſimè à me prætendi, nemo dubitare poteſt, ſufficienter proſpectum eſſet, cùm Mti Vræ ignotum non ſit, quatenus ex parte Cæſareæ Mtis D. Parentis ſui, ſecundùm ſolidas remonſtrationes, rationum mearum gvarrantiâ & cautio appromiſſa fuit, quòd Præfatus Princeps Jacobus ſub ſollicita inſpectione ex cautela Græcium, alii autem duo Fratres Principes Alexander & Conſtantinus Romam pergere deberent, ſubſecuto etiam, quod concernit ultimos duos ſuæ Sanctitatis aſſenſu. Cùm autem hucuſque nulla realis declaratio ſubſecuta ſit, nec ego ullam certitudinem habuerim, an & quomodo Mtas Vra cœptæ in hoc paſſu negotiationi inhærere, & ad effectum deducere intendat. Inde Mtas Vra innato ſibi lumine evidentiſſimè perſpiciet, quòd ego ſtante, indieſque accreſcente Regni mei tempeſtate ac confuſione ad executionem conceptæ, præſuppoſitâ

A. C. 1705 tamen ſupra memoratâ gvarrantiâ eliberationis, ſine magno mei ipſius periculo me determinare non valeam. Interim Mtas Vra in conſideratione adductæ à me, ac ipſi ſufficientiſſimè notæ circumſtantiæ hócce reſponſum meum non eo ſenſu recipere velit, quaſi ego votis ejus in hócce paſſu annuere nolim, quinimò certiorem eſſe cupio, quòd ego ut in omnibus aliis occaſionibus, ita in hac potiſſimùm recedendo etiam ab occurrentibus uſque modò obicem ponentibus præcautionibus, deſideriis Mtis Vræ confirmari non deſiſtam, ac inſuper propoſitionibus Mtis Vræ per D. Legatum ejus Comitem Stratman in charactere ſuo confirmatum toties quoties mihi factis ita reſpondebo, ut ex iis conſtans deſiderium meum conſervandi amicitiæ ac vicinitatis jura evidenter patere poſſit, utpote exoptans &c. &c. Datæ in Cæſareis Carolinis Thermis.

UNIVERSALE SEREN: PETRI MAGNI DUCIS MOSCOVIÆ. Polociâ 25. Junij.

P*oſt tit.* Significamus omnibus & ſingulis Serenmæ Reipubl. Regni & M. D. L. &c. Exiſtimamus non tantùm vobis, ſed etiam univerſæ Europæ abunde notum eſſe, qua ex occaſione juxta obligationem ex condita in ævum duo inter Regna pace, poſtmodùm verò ſancita inter Mtem AUGUSTUM II. legitimè Electum Regem Poloniæ, uti & Rempub. utriusq; gentis ex una; & nos ex altera parte per legatos magnos Regni & M. D. L. colligatione, intuitu protelandi junctisq; viribus continuandi belli contra communem hoſtem noſtrum Regem Succiæ promanatam, ardentiſſimo zelo ſummoq; labore anniſi ſimus; ut per inteſtinas diſcordias inductum in turbatæ Reipub. viſcera hoſtē variis diverſionibus ad exceſſum ex iſtis terris adigeremus, & per oppreſſionem ejus factioni adhærentium dethronizationem (proh inauditam hactenus orbi impiamq; audaciam) legitimè Electi AUGUSTI Regis impediremus; quam malevoli quidam de Repub. ſive furtivi lucri ſtudio, ſive metu inſupportabilis hoſtilis violentiæ & minarum in ſpem deteſtabili DEoq; abominabili actu hoc levamen quodpiam ab inimico obtinendi, jam ab hinc biennio in effectum & executionem deducere voluerunt. Contra quos fœdifragos ex vi fraternæ colligationis & non interrupti amoris, intuitu defendēdi jus generale omniū regnantium Principum in publicis noſtris literis ad totam Rempub. datis noſtras ſub illud tempus intentiones cum ſufficientibus argumentis propalavimus, docuimusq;, quali olim vindictâ ejuſmodi etiam inter beſtias & homines extraordinaria & fœda attentata ab Altiſſimo punientur, ſed nec nos deerimus, prædictos turbulentos Principis ſui & Patriæ inimicos pro noſtris habebimus hoſtibus, ferro & igni perſequi illos & delere fatagemus. Ab hoc monito Noſtro videbatur iſtud contagioſum incendiū remittere quodammodo & extingvi: verùm latuit interea ignis ſub cinere doloſo eò uſque, donec per ſupra nominatos hoſtes noſtros Suecos ſubitò excitaretur & diffunderetur. Demùm contra jura & libertates hujus Sernmæ Reipubl., imò omnium populorum, ſtrictis armis Sueticis, ne audirentur leges, vocem ſupprimentibus ab exiguo numero vilium hominū Palatinus Poſnanienſis Leſzczynski inter ipſorummet Electorum & Confœderatorum ingentes controverſias, illegitimè in Regem

eſt

eſt nominatus; à quo non tantùm Primas Regni & Cardinalis primique A.C. 1705
Senatores averſi ſunt, & publicis proteſtationibus huic actui adverſos ſe declarârunt, (etſi ſub id tempus à legitimo Principe ſuo diſcordarent) ſed etiam ipſe contra AUGUSTUM Regem initæ Confœderationis Mareſchalcus cum adhærentibus ſuis nullo modo in illegitimam conſenſit Electionem, quin ab ea prorsùs ſe ſeparavit. Penſi nihilominus hæc habens Suecus pertinaciter in ſuis perſiſtit intentionibus abſolutam exercendo poteſtatem in libera Repub., adegit quoſdam ad tractandum de pace nomine Neo-Electi: verùm illi juxta decreta juſti judicij à legitimo Rege AUGUSTO partim in ſervitutem abrepti, partim in exilium miſſi ſunt. Et quoniam noſtro principali exercitu aliquantum ſe elongante, Reipub. copiis in diviſa ſciſſis, juſto milite deſtitutus ſupra nominatus AUGUSTUS Rex adactus eſt partem copiarum ſuarum impetui hoſtili & violentiæ ſubducere, melioriſq; ordinis & commeatuum intuitu pro hibernis in Saxonia locare, quò etiam ipſe conſentiente Repub. diſceſſit, exiſtimans ſe brevi compoſitis rebus diſpoſitiſq; in Regnũ rediturum: verùm propter infeſſas ab hoſte vias nec copiis, nec ipſe perſonaliter comparere potuit; ex qua ejus abſentia opportunũ nactus tempꝰ hoſtis ipſe primùm, tum etiam ſub nomine Primatis Cardinalis in ordine ad confirmãdã illegitimã Electionẽ edidit univerſalia pro 11. Julij, particularibꝰ in anteceſſũ comitiolis pro 10. Junij indictis. Dubitamꝰ nos, nec omnino credere valemꝰ ea univerſalia à Primate Cardinale emanâſſe, cui nõ tantùm, ut præcipuæ & Eccleſiaſticæ perſonæ, ſed etiã ut primo Reip. Principi amplius præ omnibus integritatis Patriæ, concordiæ cum legitimè Electo Rege, paciſq; publicæ incumbit habere curam. Unde exiſtimamus ea proveniſſe de aſtuto conceptu mala meditantium inimicorum, volentium his omnibus decipere & ad illegitimum acceptandum inducere. Præterea apertam falſitatem in argumentum publicare non verentur; ac ſi Rex Pruſſiæ deſperata reconciliatione Regis Auguſti cum Rege Sueciæ ipſe etiam in partes Sueticas declinâſſet, electumq; acceptaſſet: cui tamen contrarium verius eſſe non ignoramus: ſcimus enim id nunquam fuiſſe: ſolam ea duntaxat hoſtilem famam ſparſiſſe; nam ejuſmodi rumorem Rex Pruſſiæ ſcriptis ad Cardinalem refutavit, queſtusq; eſt, ſe falſò hujus rei inſimulatum. Verum eſt Regem Pruſſiæ tanquam neutralem neutri parti hoſtem, conſequenter nec Sueticæ fuiſſe; nihilominùs nunquam ſperamus eum hanc illegitimam electionem pro legitima agnoviſſe: punctum enim hoc omnes Principes & coronata capita involvit, quorum non niſi ſupremi judicis de Majeſtate dethronizare potentis, aliumq; ad beneplacitum ſanctum ſuum inaugurare poteſtati ſubeſt. Quomodò hic DEO deteſtabilis actus cuipiam legitimus haberi poteſt? & ſi non tantùm exiguus grex, ſed vel omnes ſubditi liberis vocibus legitimè electum & coronatum Regem ex hoſtium libidine dethronizare præſumerent. Videtur igitur nobis univerſale hoc ab hoſte potiùs, quam à favente Patriæ primo Principe emanatum eſſe; unde in eodem mentio facta ad incitas redactæ Patriæ, expilatarum Eccleſiarum, bonorum & poſſeſſionum: ſuppreſſum autem quis author? quis cauſa fuerit? indictus congreſſus habendi conſilii cauſa de eliberatione Reipub. à tantis calamitatibus & ruinis. Exiſtimavit ſic Suecus ſua intenta de confirmanda illegitima electione Leſzczynii coronanda; ſi ejus tum promiſſa fucata, ac ſi ad ſuccurrendum juribus Patriæ violatis adveniſſet, proponerentur: nos verò ejus ſenſûs ſumus, aſtuta illius & contagioſa (utq; verbo dicam) in exitium Poloniæ cauſa ei duntaxat

A.C. 1705 taxat placitura; qui hoſtili corruptione obcæcatus inter verum & mendacium diſtinguere neſcit. Siquidem, (ut taceam, quæ orbi manifeſta ſunt univerſo) raræ civitates & fortalitia tam Regni quàm M. D. Lit. ab hoc aſſertore jurium & libertatis (qualem ſe nominat) imò nulla libera ſunt. Quæ enim illa, quæ opibus & ornamentis armorum & tormentorum non ſpoliaverit? nudata templa & cœnobia, reliquiæ ipſæ ſanctorum ſuis ſplendoribus amiſſis ſquallent, ceſſant cerimoniæ, tacent campanæ, quia non ſunt, omnes Palatinatus & diſtrictus intolerandis contributionibus & rapinis exhauſti. Hoc inſuper addit apparens defenſor, ac ſi non ſui lucri gratiâ ſed intuitu defenſionis Reipub. & libertatis advenerit; cùm interim Curlandiam ſuam fecerit in tantum; ut Generalis Levenhaupt in ſuis univerſalibus ſe ejus vice Gubernatorem ſcribat, idem utiq; etiam in Pruſſia quædam fortalitia paſſura ſunt. Quis hic ſatis non arbitretur non aliam libertatem & pacem ex hac electione Reipub. progerminaturam; quàm quæ amplioribus ac qui modò ſunt, conſtabit ignibus. Ecce nos ſecundùm debitum ſupra commemoratæ colligationis inter nos & legitimè electum Auguſtum totamq; Remp. utriuſq; gentis per publicam & ſolennem ex generalibus Comitiis expeditam ad nos plenipotentiariam legationem ſancitæ declaramus, quod nos obligati ſimus fratrem noſtrum & colligatum omnibus viribus defendere & in legitimo thronò conſervare. Quamobrem juxta memoriales preces adacti poſthabitis propriis commodis, nullius prætenſionis intuitu, perſonaliter nos ingreſſuros in terras Reipub. cum corpore totiùs exercitûs tanquam fidelem colligatum & amicū ſignificamꝰ omnibus ordinibus Reip. ut cauti verſuta ejuſmodi & decipientia univerſalia nullatenꝰ audiant, nec ad illorū requiſitionē particularia Comitia vel cōgreſſus per Palatinatus & Diſtrictus habere, nec ad deſignata Generalia Comitia Varſaviam advenire intuitu deteſtabilis hujus DEo, falſæq; electionis præſumant: aliàs omnes ejusmodi audaculos pro hoſtibus Patriæ & noſtris habebimus, actuq; hic & nunc pro talibus declaramus, imperantes exercitibus noſtris, ut ubiq; illorum opes & bona vaſtent, ferroq; & igni perdant, & tanquam proditores honeſtatisque inimicos puniant. Quod ut cuivis manifeſtum ſit; néve ſe impoſterùm ullâ excuſet ignorantiâ; hoc univerſali Noſtro intimamus. Pertinet verò ad omnes plurimum, tanquam ad fideles Patriæ ſuæ filios; ut ſatis compertā habentes hoſtilem aſtutiam omnibus ſuis particularibus inteſtinis diſcordiis & odiis procul remotis in univerſalem coaleſcant unionem, conjunctiq; faventibus Patriæ & fideliter ſibi addictis colligatis huic potiſſimum navent operam; quatenùs fœdifragum hoſtem ex Reipub. viſceribus eliminent & aſſertæ de tot calamitatibus ruinisq; Patriæ quàm optimè proſpiciant. Cui ſecundùm Czareum Noſtrum verbum Vobis datum Nos tanquam verum colligatum ſine ulla prætenſione omnibus viribus noſtris allaboraturos declaramus, poſſumusq; teſtari DEum Nos non alios ob fines, niſi merè ob impenſas preces Veſtras & ſupra memorata emolumenta Reipub; non autem ob neceſſitatem aliquam noſtram in terras Veſtras cùm exercitibus ingreſſos eſſe, pro ut omnibus veritatem amantibus id ipſum aſſerimus, quòd præter ab ipſa Repub. in colligatione declarata quo ad neceſſarios commeatus pro copiis Noſtris, quorum tamen plurimos ex noſtris dominiis advehi mandavimus, in nullo moleſti erimus, actuq; injurias omnes & oppreſſiones ſub pœna capitis inhibemus: ſub hæc optantes animorum unionem Reipub. & tot votis concupitam ab hoſte liberationem manemus fidelis colligatus, obſequi-

ſequioſus amicus. Datum ex Principali ſubſiſtentia ex caſtris ad Polociam 5. Junij. Regni Noſtri 21. A.C. 1705

DESCRIPSIO FUNERIS REGINÆ PRUSSIÆ.
Berolinô 28 Junij.

CElebratum eſt ſolenniſſimâ cum pompa funus Reginæ Pruſſiæ ſequenti modo. 1*mo* ab hora ſeptima matutina ad 8vam, in omnibus templis æra campana reſonabant, idemq; factum ab hora 9na ad 10, & toto proceſſionis tempore, & ubi corpus tumbæ conditum eſſet. Eâdem matutinâ horâ, tam propter ſecuritatem, quàm propter augendam pompam varia regimina confluxerunt. Regimen Pyroboliorũ Regij Principis ordinata ſtetit acie in area; nobiliores ſclopetarij, vulgò Grandmuſzketyri, ſplendidè veſtiti, in elegantioribus & generoſis equis ſub arce. Regimina verò Peditum ex utraq; pontis parte, in quatuor plateis eum in finem exſtructi; rubroque panno cooperti, ut per eum proceſſionaliter populus circuiret; eodem modo & ordine locata erant; Regimen deſultorij militis, Generalis Derfling à cornu arcenſis plateæ; ante ipſum templum Satellites Regij ceruleo pretioſiore amictu adornati in equis ſupparis prioribus valoris; Helveti verò ſoli lugubribus veſtiti vigilias agebant in arce, templo, & proceſſione. Horâ igitur 2dâ pomeridianâ inchoata eſt proceſſio, quam cœpit æquo ad ſtuporem agili & pluribus inſtructo artibus Regij Præfectus ſtabuli veſtitus pallio nigro ad terram usq; protenſo, veloq; goſſipino à galero pendente ejuſdem longitudinis: Comitabantur eum tres Mareſchalci, qui præcedebant ſcholaſticos, & Miniſtros hujus religionis; quorum numerus circiter ad centum nonaginta, cum ſtudioſis extendebatur; qui omnes veſtiti erant palliis ſimilis prioribus longitudinis. Canebant pſalmos aliaque ceremonialia actui huic convenientia abſolvebant: Iterum præibant tres Mareſchalci, qui ex omnibus Deputatos partibus ſimulq; Berolinenſes miniſtros Eccleſiæ deducebant. Succedebant 12 tubicines, duoq; tympaniſtæ, omnes in oblongis palleis & goſſipinis, qui ſono funeri adaptato, voces canentium temperabant, tympana operta erant holoſerico, in quo textorio opere ex auro & argento factæ fulgebant nigræ aquilæ in campo albo, ſimilia à tubis pendebant ornamenta. Hos ſequebantur tres Mareſchalci, ducendo binos Deputatos ex omnibus civitatibus omniũ Provinciarum Regis; 4 Mareſchalci Landgravij (& fere omne Mareſchalci Landgravij erant) Deputati à nobilitate, tã ex Pruſſia, quàm ex aliis omnibus Imperijs Regis Pruſſiæ, cum eisq; 12 item tubicines, in ſimili prioribus habitu. His ſuccedebant Mareſchalci; quos proximè comitabantur perſonæ octo, breviore habitu in modum dalmaticarum conſtructo, ſplendidè auro & argento intertexto ornatæ, fulgentibus ante & retro, Regiis ſtemmatibus. Hic incipit aula Regia, & miniſtri ſtatûs, bini longis caudatis lugubribus palliis, & goſſipinis, à galeris ad terram usq; protenſis, ornati; ſuos comitando Mareſchalcos, ſucceſſêre deinceps perſonæ octo in holoſericis togis, ſeu Ducalibus palleis, pellibus murium armellinorum ſubductis, & circa collaria, manicasq; obductis, inter quos, fuit Magiſter Beſſer, Magiſter ceremoniarũ. Hæ verò perſonæ repræſentabant Reginam fuiſſe è Domo Electorali; ſequebantur inſignia Reginæ à duobus miniſtris ſtatûs ſuper cervicalia holoſerica aureis filis intertextâ portata, ſcilicet pomum & ſceptrum, ſuccedebat ipſa tumba, curru, quem octo equi, nigris holoſericis pluviali-

A.C. 1705 vialibus ad terram protenſis adornati trahebant, cum ſimilibus ut ſupra ſtemmatis, penes ſingulos equos ſinguli erant Equites palliati, cum goſſipinis ut ſupra velis, totidemq; equiſonibus ornatu ſimili: penes tumbam 12 ephebi, omnes in pallijs & goſſipinis velis ad terram usq; pertingentibus, opertis vultibus. Hi ephebi cum Academicis Berolinenſibus ex arcenſi ſacello delatam currui tumbam impoſuerunt, iterumq; ex curru ad mauſolæum in templo, in eum finem affabrè factum, tandemq; ad ipſum ſepulchrum detulerunt, tumba operta erat primo candidâ telâ, deinde lugubri panno; tandem auro argentóve gravi ad terram usq; defluente materiâ, in medio coronis & ſtemmatis intertextâ: in parte anteriore ejusdem materiæ ſtemma Reginæ, in poſteriore, inſignia Domûs Regiæ, textrino opere efformata fulgebant; quatuor partes ejusdem materiæ ſuper tumbam à quatuor Generalibus portabantur; Regium verò diadema adamantibus dives ſuper ternum Cuſſinum auro textum, in tumba jacebat, ſupra quam umbella ad ſtuporem dives tota intertextis coronis ſplendidè adornata à 12 Officialibus majoribus ferebatur, juvantibus eos alijs Equitibus Academicis, eodem ut ſupra habitu: Sat ponderis habuit umbella hæc, ſub quo baccelli ferentibus frangebantur: Tumbam verò lugubri pallio, cum ampliore cauda, & goſſipino velo ad terram usq; defluente, opertus Rex ipſe comitabitur, aſſiſtentibus ei Marchionibus aliisq; Principibus; caudam pallij Regalis portabat Marchio à Wartenberg, à partibus verò 24 Helveti circuibant. Regi ſuccedebat Regius Princeps, poſt quem Marchiones, totaq; Domus Regia ab utrinq; à miniſtris deducebatur; à partibus pontis, ſimili, ut ſuprà, modo, in lugubribus Helveti aſſiſtebant: His ſuccedebat, præeuntibus Mareſchalcis, totum gynæceum Reginæ defunctæ, & Marchionale; aliæq; complures magnarum Familiarum fœminæ, quarum circiter 30 paria numerabantur; Omnes à capite ad calcem, candidis linels indutæ veſtimentis, cum caudis ad ſex cubitos protenſis: Tum demum procedebant tres Mareſchalci cū Magiſtratibus tum Berolinenſis urbis, tum aliarum propiorum aliisq; Deputatis vilioris conditionis, omnes in protenſis ad terram usq; pallijs & goſſipinis: Agmen hujus proceſſionis clauſit Præfectus ſtabuli Academiæ Regiæ, equo generoſo, agilique inſidens ſimili prioribus ornatus modò: Penes templum tumba depoſita per Ephebos & Academicos ut ſupra, ad templum delata & ſuper Mauſolæum, ad ſtuporem exſtructum collocata: quo facto, in templo modeſtiſſimè quiſque in deſignato ſibi loco ſubſiſtens, concionem à Jablonovio Epiſcopo Berolinenſi habitam audivit, poſt quam legebatur vita Reginæ, in eaq; virtutes & alia ejus opera enumerabantur: deinde muſica aliquot ante ſeptimanis probata, in ſingularibus inſtrumentis eſt audita, cui ſucceſſit; genti illi & religioni uſitata in funeribus cantio, germanico idiomate hunc ſenſum continens: **Nun laſt uns den Leib begraben** &c. id eſt: Nunc ergo ſepeliamus corpus, qua decantari incipiente, delatum eſt corpus ad ſepulchrum, ibiq; ad aliam ſtanneam tumbam tranſpoſitum, tandem in omnibus templis campanæ reſonabant, exploſiones fiebant tormentorum hunc in finem circa urbem diſpoſitorum, quas etiam regimina tum equitum tum peditum quà ſclopis quà aliis varij generis bombardis, per ordinem à primis ad noviſſimos faciebant, ternis vicibus, ut factum etiam ex tormentis, tremebant fragore civitatis muri, fumulq; tormentarius tenebris implevit urbem. Duravit ea ſolennitas ad 8vam uſque veſpertinam, ingenti confluxu populi, quem, amplum licet templum, capere non potuit, vix is,

is, qui proceſſionaliter, juxta deſcriptum ſupra ordinem, venerunt, ſufficiens. Reliqui verò propter tumultum ab introitu arcebantur. In plateis propter proſpectum theatra conſtructa erant. Peractis funebribus ceremoniis; pergulis Rex perrexit ad arcem, reliqui ſuo ordine per plateam, ubi triduo ſolenniſſimis ſunt tractati conviviis, in quibus menſæ ſexaginta numerabantur, ſicq; actus ille finitus. *A.C.* 1705

COPIA LITERARUM ILLUSTRISSIMI NUNCII APOSTOLICI Ad EPISCOPOS REGNI POLONIÆ.

EA eſt Illrmæ & Rñdiſſimæ D. Vræ pietas, ac erga Apoſtolicam ſedem cultus ac reverentia, ut dubitandum nullatenus ſit, quin præcepto non ita pridem per me ſibi facto, nomine Stis Suæ de non deveniendo ſub quovis colore ac prætextu ad coronationem Dni Palatini Poſnanienſis, nulliter ac perperam in Regem Electi, debita cum obedientia Illrma ac Rñdiſſima D.V. ſeſe ſit ſubmiſſura. Nihiloninus tamen placuit Sti Suæ ut paternam, qua ob graviſſimas iſtius inclyti Regni perturbationes ejus animus altò premitur, ſolicitudinem uberioribus indies comprobet argumentis, per ſuas literas in forma Brevis expeditas, quibuſcunq; ejuſdem Regni Archiepiſcopis & Epiſcopis Pontificiam ſuam voluntatẽ, magis ac magis declarare, ac præfatum præceptũ renovando inculcare. Harum igitur literarum exemplar impreſſum atq; authenticum de mandato Stis Suæ Illrmæ ac Rndmæ D. Vræ communico, ac interea omnia ſibi fauſtiſſima apprecatus ex animo dicor. Ratiboriæ 1. Julij 1705.

RESPONSUM Ad HASCE LITERAS, ILLUSTRISSIMI EPISCOPI PLOCENSIS. *Ludovicus Zaluski.*

IN lachrymis dies meos numerans & mandatum Sſmi D. N. & literas Excenl: Vræ debito excipio cultu. Sequitur vertigo prærupta cernenti dum amici moleſtè ſeduli, inanes jam ferè nidos populi ſangvine Chriſti redempti funditus evertunt, rumpunt novis vulneribus veteres cicatrices, bona Epiſcopatus mei penitus everſa, anno elapſo urbes quinq;, & triginta pagi in favillam redacti, modò etiam in cinere doloſo reliquias miſeriæ ſepeliunt, templa ſpoliata ornamentis, nihil DEi honoribus relictum, ſacerdotes excoriati, per ſylvas errant vagabundi, ſubditi alii ad lutheraniſmum verſi in Pruſſia degunt, alii fame (quod mihi graviſſimum) ſine bona animarum pereunt diſpoſitione. Ad hæc obligando vulnera mea mittit mihi benedictionem Sanctiſſimus Dnus Noſter, pro cujus incolumitate DEo preces fundo, ut quam diutiſſimè vivens, nodos quibus tota miſera Europa ligata eſt, ſolvat, bella ſopiat in exitium univerſi nata, Chriſtianos ad concordiam convertat, ex ſpinis roſeas nectere faciat coronas. Abſit à me ut aliquando DEO periurus, Sanctiſſimo Dno meo inobediens, Regi ingratus reperiar. Educant illi ex ore Leonis mel, qui nec velle nec nolle quidquam diu poſſunt. Non cadet in naturam domus noſtræ hæc labes & ut ſemel, ſic ſemper conſtantiſſimi pro Mte revelata fronte & pectore agemus, nunquam malis innoteſcere intendentes facinoribus, fideliſſimè itaq; quos habeant ventos vela mea inſinuans indeſinenter permaneo. 5. Julij 1705.

A.C. 1705

RESPONSUM ILLUST. SUFFRAGANEI PLOCENSIS.

Martinus Zaluski.

QUanta ſit totius Domus meæ, in ſanctam ſedem devotio, melius factis, quàm verbis probamus. Quantus ſit in Serñmum AUGUSTUM zelus, omnium noſtrorum bonorum evidens ruina, quã ab adverſa patimur parte, triſteq; omnium, alienis in terris exilium, ultimaq; calamitas documentum eſt. Confirmor & ego tanquam minimus Apoſtolorum, in utroq; benigniſſimis Excellentiſſimæ Celſitudinis Vræ literis, ſecuramq; Excellentiam Vram ac per eundem Sanctiſſimũ Dñum Noſtrum, cui me ſubditum fidelem, ore ac corde profiteor, hiſce præſentibus reddo, nunquam id à quopiam ex Domo mea, quanquã ad incitas redacta, fieri poſſe quod conſcientiæ noſtræ nocivum, honoris & conſtantis fidei læſivum, ac imprimis voluntati S. Sedis poſſit eſſe contrarium. DEum interim Opt. Max. precor, ut Ssmo Dno Noſtro longævam incolumitatem, ac felix Imperium Reipub. Chriſtianæ impertiatur, meq; gratiæ perenni Excellentiæ V. demiſſiſſimè recomendo maneoq;. Regiomonti 4. Julij.

XC.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC VARM. ET SAMB. Ad EUNDEM NUNTIUM APOSTOLICUM.

VEniunt tardius ad manus Excellentiæ Vræ reſponſa Epiſcopi & Suffraganei Plocenſiũ fratrum meorum, quia locus exilii eorum eſt paulò longior. Nutu & arbitratu S. Sedis vivere ab omni tempore uſq; nunc non volumus tantùm omnes, ſed & debemus. Ut ergo jam ad benigniſſimas Excellentiæ Vræ literas ſubmiſſiſſimè pro perſona mea reſpondi, ſic nunc non per Epiſtolas tantùm hic adnexas, ſed velut per ſyngraphas venit tota mea Domus afflicta cum aliis, imò præ aliis, ſolenniter ſpondens, nunquam nos nocendi voluntatem habuiſſe, nec habituros, cui ſerviendi ad vota & deſideria S. Sedis conſtans ſtudium fuit eritq;. Cum his me gratiæ perenni Excellentiæ Vræ commendo maneoq; Dreſdæ 23. Julij.

COPIA LITERARUM SEREN: CZARI MOSCOVIÆ AD CIVITATEM GEDANENSEM. in Julio.

P*Ræmiſſis Tit*: Etſi hactenus, ea noſtra de prudentia, & æquanimitate Veſtra fuerit opinio Vos in fide, quam Seren: Poloniarum Regi Fratri, Vicino, atq; amico noſtro dilectiſſimo debetis, ac toties verbis factisq; probaſtis, conſtantes ſemper perſeveraturos, tamen non tantùm fama publica, ſed & variorum literis & ſermonibus, ad nos perlatum, reperiri in Civitate Veſtra nonnullos, qui officij DEo, & legitimo Regi Vrõ debiti penitus obliti, commodis & ſtudiis Suecorum, qui per tantum temporis ſpatium, quæ poſſunt hoſtilia in Regem & totam Rempub: Polonicam exercere pergunt, velificantur, ac ad nutum eorum qui Sueticas ac Leſzczynſki partes ſequuntur, omnia quæ voluerint non tantùm tectè, ſed & apertè facere non erubeſcunt, omnia hanc in rem apud vos acta ſigillatim, hic recenſere ſupervacaneum, quia notoria ſunt & ipſi omnium optimè noſtis. Quia verò & Seren: Regi Vrõ Fratri atq; noſtro-

amico noſtro, totiq; Seren: Reip. Polonæ arctioris fœderis vinculo, *A.C.*1705
aliisq; multis nominibus, jam pridem conjunctiſſimi ſumus, proindeq; Regnis ac Ditionibus noſtris, tantiſper derelictis per DEi gratiã jam cum Exercitibus noſtris in Poloniam venimus, hac ſolummodo mente, & ſincerâ intentione, ut Regnum hãc tempeſtate afflictiſſimũ & ſub duro hoſtis jugo gemens, ex diuturni, & calamitoſi belli incendio eriperemus, hoſtemq; nobis vobisq; infenſiſſimum, ad pacem æquis legibus ineundam impelleremus. Interim verò probè novimus, quantum ponderis Veſtræ Civitatis conſervatio, huic ſalutari negotio addere poſſit, diligenter ac ſedulò vos hortamur, ne fidem, quam Seren: Regi Vrõ ſolemnis ſacramenti religione addixiſtis, violetis, verùm ejus commoda ac dignitatem, quantum quidem in vobis erit, & uti fideles coronæ Polonæ ſubditos decet, curetis, neque Vos ab eo propoſito, veſtroq; officio, vel diffidentiæ vel invaſiones hoſtiles, aliæve periculi opiniones, ſi quæ forte ab aliquibus felicitatis V. minus faventibus Vobis ſuggerentur, abduci patiamini; facietis ita rem & Deo, & hominib9 gratã, juſtitiæ verò, bonæ famæ, utilitati, ac ſecuritati V. convenientiſſimam, neq; nos unquam quà publicis, quà privatorum commodis V. deerimus, quin imò occaſiones quascunq;, quæ nobis ſuppeditabuntur, affectum noſtrum vobis conteſtandi, lubentes amplectemur, commerciorumque VV. terra mariq; , deniq; omnium eorum quæ ad vos ſpectare aliquando poſſunt, ſingularem curam ac rationem habebimus, ſperamusq; ita fore, ut DEi Omnipotentis ope, quem propterea ſupplicibus fatigamus precibus, urbi, ac toti Patriæ V, alma pax reſtitui, ac funeſti belli fax in his partibus brevi extingvi poſſit, nullis moleſtijs, laboribus, ac impenſis parſuri, donec hoc negotium ad felicẽ finem perducam9.

Vos verò ſecus ſi feceritis, ac aliquid eorum in poſterum commiſeritis, ex quibus ſtudium V. in partes adverſas colligi poſſet, firmiter decrevimus, vos tanquam hoſtis noſtri amicos ubivis terrarũ habere, iisq; mediis adverſus vos uti, quæ DEus Omnipotens ad exequenda conſilia noſtra bono publico proficua, ac ad quietem Regno vicino tandem reſtituendam neceſſaria, nobis cõcredidit. Hæc ut eâ curâ, ac diligentiâ quam res tanti momenti, Veſtraq; propria ſalus, ac incolumitas exigit, perpendatis, Reique V. publicæ in hoc, prudenter ac bene conſulatis. Cæterum de gratia ac benevolentia noſtra certi bene valeatis, maximopere cupimus.

MANIFESTATIO SENATORUM BRESTÆ IN LITVANIA PRÆSENTIUM CONTRA CONVENTICULUM VARSAVIENSE FACTA 11 Junij.

NOS Senatores, Dignitarij, & Deputati à Repub. ad confœderationem generalem Sandomirienſem deſignati, qui ad locum hunc ex zelo boni publici, ad defenſionem Patriæ convenimus, notum facimus præſentibus, futuriſq; ſæculis; quod ſecuti laudabilia Majorum noſtro-

*A.C.*1705 noſtrorum exempla, quibus conſervatio Regiæ dignitatis, juratæq; fidelitatis, & tuitio libertatum ſemper vitâ charior erat & fortunis, ut antiquiores confœderationes Jędrzejovienſis, Viſlicenſis, Tyſzovienſis, aliæq; ſunt documento; nullo bellorum turbine ab honeſti amore dimoti, conſtante, nec variabili unquam erga Mtem, & libertatem certantes zelo, id orbi palàm facere volumus, quòd non omnia ſint apud veteres meliora, idemque in nobis quod in Majoribus, gloriæ & felicitatis exemplum, & licet quorundam, præcipuè verò Radzieiovij Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Petri Jacobi Broniſz, parturire & nutrire monſtra ingratitudine violationeq; libertatum conterminum mare docuit; & fluctuans tumultuantis infortunij tempeſtas non evitatâ ſcyllâ, inhærere charybdi juſſit; liceat tamen orbi palàm facere univerſo, etiam noſtrũ non ſterile virtutis ſæculum, quandoquidem DEo fidem, Domino fidelitatem, ſuum libertati decus, incorruptâ per malignitatem ſæculi virtute, conſervamus. Involvat dictarum perſonarum, aliorumq; omnium adhærentium obſtinatio fraudem verbis, & in etymologia Seren: Nominis ſolamina quærat, cujus Mtas contra fœdifragos, non utitur haſtâ, aſpectu contenta ſolo: Deformet victricia arma exquiſitis nomenclaturis & ſarcaſmis, ſit nobis melior dextra linguâ; Eruat incineratam pernicioſorum congreſſuum plenarumq; perjuriis conſpirationum, in incendium Patriæ, ſcintillam; ſuum in his videbit mugire juvencum: Incuſet quantumvis Regni fata, inanes hæ querelæ ſunt, nam fruſtra incuſas fata, cùm cudis ipſe mala: Injuſtè collapſam in ruina honoris ſui libertatem querulatur, qui eam faſtui ſuo & ambitioni immolat, idque virtutem eſſe dicit, quod vindictâ, & obſtinatâ probat malignitate. Preſſa enim intra pectus tempeſtas, ſopitæ alto ſilentio effrænium irarum objectiones, ſimili ſerpenti illi, qui dum latuit, hauſit, quod vomeret inde virus, allicit turbatam dolo ſuo Rempubl: cupidam pacis, incerto tractatu; ſic eſcâ adornat piſcator hamum, ut guſtum mortis perſuadeat, ſicq; doloſis implicatam illiciis in verum inducat Patriam labyrinthum, quo dum intrat, neſcit qua exeat arte. Vocat in conſortium publicæ infelicitatis ſenatum, ut eò magis authoriſetur uſurpata poteſtas, indicit comitiola præſumptuoſo auſu, publicos congreſſus convocat, conſilia determinat, dulcorat Tractatu, qui ſuavibus propoſitus illicijs, ludicris ſemper terminabatur; congregat populum ſeditione, non ratione; ad gloriam enim nemo ſibi ſocium quærit, ad lauream flagitij maxima turba placet. Exprobrat abſentiam in Patria Domini, quem præſentem optaret nunquam, quæ cupit, increpat, quod jurat, improbat: Jam ergo etiam Princeps redit in Patriam, ſangvinemq; Regium in ejus fert defenſionem, neſciens ſibi vivere, ni ſimul vivat & Patriæ; ſicq; patere poterit, quod quibus diſplicuit abſentia, diſplicebit etiam præſentia. Seducitur etiam hoc ipſo populus, ſecretiorum minus gnarus, quod conſtitutum Electum externæ, vicinæ præſertim Monarchiæ (ut in recenti univerſali additum)jam pro Rege recognoſcunt, cùm tamen recognoſcens reprobet ficta pro veris haberi, in quo etiam ipſum Primatem redarguit. Hic ergo quivis ad cautelam conſiderare poteſt, quibus motibus perverſum agitur & agit ingenium, ut id quàm ordinatiſſimè ac ornatiſſimè perficiat, quod perſonæ actibúsve ejus non turpe modò eſt, ſed abominabile. Conſiderantes itaq; in tanta Mtem perſecutione, ſpectantes, in honorem & fortunam ejus non tantùm tracta ab exteris arma, verùm etiam inductam in exitium Reip. ejusq; libertatum prædictam potentiam, cernentes everſos ſtatus Reip. perpendentes diſtra-

ſtra-

ſtractas occultis primò, deinde manifeſtis, nec ceſſantibus machinationibus vires ejus, videntes alios ambitione tractos, turpi alios lucro & blanditiis corruptos, alios vi adactos, & imperio, ut propoſitum Electum acceptarent, illum verò quem DEus & libertas conſtituit non ſolùm defererent, verùm etiam perſequerentur, nec pro Domino recognoſcerent, nos deteſtando imprimis fœditatem perjurij, ne infelicis luamus perjuria Trojæ, conſervando ſimul fidelitatem, obedientiam, & recognitionem dominij Regis in ejus præſertim abſentia, conformando nos confœderationi Sandomirienſi, quam in omnib⁹ punctis, clauſulis, & ligamentis velut fundamentum & baſim jurium noſtrorum, ſimulq; in præſidium Mtis, & vinculum virtutis ac honeſtatis noſtræ, tot ſolennitatibus, & juramentis firmatam, plauſuq; publico totius Reip: & inalterabili erga Mtem fide roboratam, & ſtabilitam, non tantùm confirmamus, verùm etiam iterato actu publici zeli, & ardoris noſtri erga Principem & libertatem noſtram, de conſenſu omnium renovamus, & ratificamus; ſicut enim ſemel legitimam & ſolennem Regis electionem tueri, fortunas & vitam impendere declaravimus, noſq; obligavimus, ita nunc quoq; communi omnium conſenſu declaramus: omnes verò actus, quoſcunq; antecedenter, quocunq; protextu & titulo contra Majeſtatem, & violentam Regij throni uſurpationem, indebitamq; electionem, quam exotica potentia, & nefarius auſus inſolentis malevolorum nequitiæ facere præſumpſit, ut in eadem Confœderatione Sandomirienſi reprobavimus, noſq; contra id manifeſtavimus, ita nunc quoq; manifeſtamus, & non minus contra actum pro 11 Julij, anni præſentis, illegitimè, captioſè & ſeditioſè indictum, proteſtamur, & quidquid ibi reclamantibus & repugnantibus nobis ſtatutum eſt, improbamus, execramur, & pro inani, illegitimo, violento & abuſivo haberi volumus & & habemus, eos omnes, qui dictos congreſſus inchoant, fomentant, ſolenniſant, continuant, authoriſant, declarantes pro Perduellibus, & hoſtibus Patriæ, proteſtantes coram DEo & toto univerſo, quòd ſemel Electum Regem AUGUSTUM II. manu tenere, nec eum deſerere, pro ejus dignitate, fortunas & ſangvinem cum vita volumus fundere, quòdve in nihilo Confœderationi Sandomirienſi detrahemus, aut detrahere permittemus (exceptis iis, qui relictis partibus contrariis unum nobiſcum ſentient, nec ſentire deſiſtent) parati extrema potiùs quæq; ſubire, quàm huic Confœderationi etiam in minimo præjudicàri permittere; ſiquidem eam ſola virtus, amor Principis, & conſervatio jurium in documentum poſteris gloriæ, fidelitatis, & tuitionis libertatum, condidit, quod etiam ſangvine conſignare parati ſumus. Petimus interea comitem Dönhoff Enſiferum Regni, Mareſchalcum generalis Confœderationis Sandomirienſis, quatenus hanc noſtram manifeſtationem manuum noſtrarum ſubſcriptionibus roboratam, typo mandari, actis ingroſſari, publicariq; jubeat; cui non à nobis ſolùm debetur laurea gratitudinis, verùm etiam ſera poſteritas decus ejus & gloriam celebrabit, pro tam conſtante erga Principem propenſione & fidelitate, proq; tantis in Repub: laboribus & obſequiis, à quibus eum nec ratio ſangvinis, nec in cineres redacta ſubſtantia, nec ulla illicia abduxerunt, aut traxerunt in adverſa, unde illi in ſera ſæcula, memor meritorum Patria ſingularem debebit gratitudinem. Nos interim ex obligatione noſtra, obſtricto erga Mtem zelo, ſimul ad roborationem Confœderationis Sandomirienſis, velut ſalutaris operis, & gentis noſtræ gloriam repræſentantis, nec minus in reprobationem omnium contra Mtem moliminũ, con-

A.C. 1705 congreſſuum, & conſpirationum, & quacunq; forma prodeuntium practicationum, & recentis idoli abominationem, exinanitionem & annihilationem; hanc manifeſtationem facientes, eam manuum noſtrarum ſubſcriptione roboramus.

TRACTATUS REGIS PRUSSIÆ CUM GEDANENSIBUS.

Dubito ut ſit verus. Men: Auguſti.

Imo. HAbenda præcautio, quòd Tractatus iſte neq; Reipub: Polonæ, neq; ipſi Civitati (quæ incorporationi Reipubl: aliisq; ſuis, aut Religionis, aut aliis jurium, legum, privilegiis, ac libertatibus relinquitur) in præjudicium fiat.

2do Ut Generalis in Pruſſia Regia ſemper vigilem oculum in Civitatem hanc habeat, ſuoq; milite ita eandem tueatur, quaſi Regis ſui propria foret; utq; Rex Pruſſiæ prædictam Civitatem omnibus pactis & fœderibus cum quibusvis cæteris Principibus, aut Statibus ineundis includat, ac ejus curam veluti propriorum ſubditorum habeat.

3tio Ut Rex Pruſſiæ in modernum tempus duo millia militum, ſcilicet 1500 Pedites & 500 Equites; aut pro Civitatis arbitrio, aut etiam pro exigentia periculi plures copias ſuppeditet.

4to Si Civitas medium regimen militum ſuſceperit, medium ſuſtentabit, ſi totum, totum, quousq; miles hic præſtiturus eſt Civitati juramentum, ſtrenuè & fideliter eam in quibusvis caſibus defendendi. Jurisdictio autem militis penes Regem Pruſſiæ relinquitur.

5to Si quis de hoc milite Civitatis Incolas violentiâ, aut injuriâ affecerit, puniendus erit à Gubernatore Civitatis, nihilominus communicato conſilio, à Pruſſici Regiminis Officialibus etiam in quovis alio caſu conſilium petendum, nec aliquid ſine illorum conſilio in delinquentes agendum.

6to Si fortè hic miles Civitati aut ſuburbiis imponetur, ordinariū ſingulis Menſibus percipiet ſtipendium, prout etiam ſtipendiarius Civitatis; ſi autem in bonis Civitatis, ita ſuſtentabitur, prout in Ditionibus Regis Pruſſiæ ſuſtentari ſolet.

7mo Ubi in poſterum, ſi hæc Civitas hoc milite non eguerit, remittendus eſt, ſed anticipato menſe ſignificandum de hoc Regi Pruſſiæ.

8vo Ut Civitas permittat omni tempore copiis Regis Pruſſiæ ex Pomerania in Pruſſiam, & econtra liberè victualibus à Regis Commiſſario, & Civitatis Ditionum colonis; quæ copiæ, ſi fortè per Civitatem tranſitum petierint, centeni tantum mittendi ſunt, & à Civitatis Equitibus traducendi, ne Civitatis Incolæ habeant, quod metuant.

9no Si fortè Rex Pruſſiæ à quocunq; hoſte in Pruſſia impetitus fuerit, Civitas nulli ejusmodi extero dabit ſubſidium, exceptâ tamen Repub: Polonâ.

10mo Ut tributum ordinarium, vulgò dictum corruptum à Civitate removeatur.

11mo Rex Pruſſiæ curabit ut ordinatio & cura Poſtarum iterum, ſicut olim Civitati conferatur.

12mo Inſuper promittit ſe Rex Pruſſiæ Civitatem defenſurum, ſi fortè hac de cauſa impetita fuerit, quòd ſe coactè Confœderationi Varſavienſi ſubſcripſerit.

13tio Item ſi denuò moleſtiam habuerit, ratione Rothicæ hæreditatis, ſe illi præſtò futurum.

1410 Hic Tractatus duraturus eſt in annos 10. aut diutius, ſi Rex A.C 1705
Pruſſiæ ſupervixerit ad dies vitæ. Tandem poſtea relinquitur confirmandus arbitrio civitatis, ſed intra ſex hebdomadas ratificatio ſtatuenda.

Tria Puncta ſecretiora.

I. Quòd Rex Pruſſiæ poſſit Copias in protectionem Civitatis miſſas in eadem Civitate reſtaurare aut diminutas redintegrare, atq; ſub juriſdictione Civitatis novas inducere.

II. Ut Civitas ſingulis annis pro Regia protectione ſolvat 50000 imperialium.

III. Quod Rex Pruſſiæ non prius exiget à Civitate prædictam ſummam, donec in toto concludatur hic Tractatus.

COPIA LITERARUM SEREN: REGIS PRUSSIÆ AD CARDINALEM PRIMATEM. Berolinô 16 Junij.

Vidi univerſales literas quas publicari fecit Emin: Veſtra in Polonia pro Convocatione Nobilitatis, & fateor mirari me ſuper ea, quæ dicta ſunt de me, hoc eſt, quòd cum Rege Sueciæ novos inierim Tractatus ad Poloniam pertinentes, & quòd recognoverim Palatinum Poſnaniæ pro Rege per legationem publicam, & per plures alias demonſtrationes.

Apparet malè eam informatam eſſe de ijs, quæ in hac occaſione geſta fuerint. Sicut ergo multum mea intereſt, ut ſit melius informata, libenter eidem dicam, quòd in hanc uſq; horam nullatenus recognovi dictum Palatinum pro Rege, & quòd nullus ex meis Miniſtris in mandatis habuerit ad id faciendum. Idem intelligendum eſt de Tractatu cum Rege Sueciæ, cum quo nullus interceſſit ab anno 1703 qui nullatenus pertinet ad præſentem rerum ſtatum Regni Poloniæ, & in quo nulla mentio nec de dethroniſatione Regis AUGUSTI, nec de elevatione Palatini Poſnanienſis. Et ſicut clarè video, quòd ſi Orbis in hac manſerit opinione, in quam ejusdem univerſales literæ inducunt, nòn bonos inde oriri poſſe effectus. Excuſabit proinde, quòd aliter hac in re informem non tantùm Poloniam, ſed & alias Nationes. Spem non dubiam habens confiſus in prudentia ejusdem ordinaria, quòd in ſimilibus occaſionibus, quæ cum tempore accidere poterunt, nihil tale dicet ad perſonam meam pertinens ſine ſeria animadverſione ſuper verum rerum ſtatum, & ſine neceſſaria mecum communicatione. Precor interim DEum mi Cognate ut eandem in bona ſanitate & digna cuſtodia ſua conſervet.

COPIA LITERARUM CARDINALIS PRIMATIS AD BOKUN Epiſcopum Premiſlienſem nominatum Cracovienſem.

PRomiſit mihi Caſtellanus Cracovienſis, ſe miſſurum unum ex intimioribus ad confidentiùs agendum de iis rebus, quæ ſunt Statûs & neceſſitatis præſentis, propterea eo tempore ad eundem non

A.C. 1705 ſcripſi, expectans eum, quem miſſurus erat. Modò ex literis tuis 23 Octob: Varſaviâ datis intelligo te, & non alium fuiſſe in cauſa Caſtellano Cracovienſi ad tractandum id negotium. Libentiſſimè ad coram tecum conferrem, non per literas, quibus concredere intimos ſenſus non eſt ſecurum, maximè modò, quando & correſpondentia, licitum illud amici ad amicum colloquium prohibitum, & propter malos interpretes, nam licet ſanctiſſima exarentur, non evitant tamen ſuas pœnas pennæ. Ad puncta tamen literarum tuarum; quæ poſſunt eſſe conſiderabiliora, punctatim & quantum poſſibile breviſſimè libenter reſponderem. Cœptam negotij tractationem, de qua mihi ſignificas gratulor tibi. Reconciliare enim mentes offenſas ac diſſitas & ad bonam colligationem adducere, verè eſt virtus deſuper, non cuivis conceſſa, tandem qui hoc ſcribit, ubi ad deſideratum effectum deduxerit, oſtendet ingenium felix & grande. Ego tamen ad hujus negotij tractationem, nullum ex parte mea dedi conſenſum, nec Rdm̃us D. Jelowicki non entia pro entibus potuit ſubſiſtere, nam cùm Varſaviæ comparuit, ſolùm me in anticamera convenit, & ex eo fuit mihi gratus & acceptus, quia Nomen tuum portabat, tanquam domeſticus, cui literas reddidi gratulatorias reditus tui Româ ad Patriam & nihil amplius. Secundâ vice iterum rediens, cùm aliquid cœpiſſet tractare in præſentia Caſtellani Cracovienſis id interruptum caſu, vel alio fine, interea ſtatim diſceſſit me inſalutato. Et licet hoc non interceſſiſſet, credas mihi, me in rem tantæ importantiæ minimè immiſiſſem, nec habendo confidentiam ad perſonam, nec proportionem ad annos. Originale Seren: Regis ſubſcriptũ monſtravit mihi Theſaurarius Regni, cujus contenta idem ſonabant, dum interpretati ſumus, quod mihi & aliis per canalem derivare licuit. Sed quidquid ſit ſcriptum hoc, quia adhuc in Julio datum penitus ſervire moderno rerum ſtatui non poteſt, mutato longo ſiſtemate, nam ego illo tempore eram totus impaſſibilis, modò verò non item, penitus ubiq; ad ultimam miſeriam adactus ex voluntate Seren: Regis, & jam videtur dolor eſſe ſupra remedia, licet ſcribas. Opto ut reſpondeatis vocabulis. Sine me hæc omnia expediri poſſunt, qui ſum in ſtatu diſtincto à Caſtellano Cracovien; ſi videt quod variabilitas eſt cum bono intereſſe familiæ ſuæ, permittat ſe fortunæ quæ etiam de natura ſua variabilis, ego autem vela mea ad ventum applicare debeo. Expedire ad me hoc opus, quod ſtruitis, pro ultimaria perfectione, eſſet ſupervacaneum, quia ego non meliùs poſſum ſcire intereſſe Caſtellani Cacov: quàm ipſe, per conſequens, neq; perficere has ſtructuras: quiſq; melius ſuos novit ſenſus, ſiquidem habet proviſam à Seren: Rege ſecuritatem, idq; talem cui confidere poteſt: igitur pro reſolutione gratis ad me recurritur, quæ per modum conſilij in rebus dubiis peti conſuevit, componi & combinari etiam per minimos, dum̃odo bene, non refuſè. Sed quia & Illuſt: Nuntius authoritatem Sanctiſſimi in brachio ad componendam unionem inter Seren: Regem & me movet, ideo Illmum Dnũ, uti recenter reduci Româ perſpectum eſt, quòd ibidem omnia, eo tramite quo res cœpta, currit & finitur, & hæc me conſideratio etiam ad tractandum cum Illuſtr: D. Theſaurario M. Regni retraxit. Odium in Seren: Regem nullum habeo nec foveo, quia accedenti ad Altare non licet munꝰ ponere, niſi prius reconcilietur. Quis autẽ magis exulceravit? ſi in literis tuis voluiſti abeſſe notam aſſentationis, potuiſti illos & me omittere, quia per hoc celares paſſionem, quam monſtraſti; & quaſi minorem dolorem ſentirem, ſi non dediſſes occaſionem reminiſcendi gra-

vium

vium ruinarum, video Palatia deſolata, bona funditus everſa, depoſita recepta, nec Sanctuariis quidem indultum, quorum licet nullam aliam haberem offenſam, uti Princeps Sacerdos in hoc Regno Patronum agere debeo. Quæ ultra ſperanda ſecuritas, in Regno, quando profani jecerunt manus? Quæ immunitas bonorum Nobilium? quæ Anteceſſores noſtri cum ſanctuariis comparare voluerunt. An non præcedentibus temporibus fuêre confuſio, perturbatio, tempeſtates Reipub; & tamen non legimus in colliſione Civili ſimilia acta. An non fuit in ſummis tricis Prazmowski, tamen Lovicium non everſum. Contra Lubomirski Patrem Caſtellani Cracovien: in ipſis Comitiis conſtituta triſtis ſententia, in bonam tamen non ſecutum. Parens meus pro hoſte Patriæ declaratus, & tamen Radzielowicz in integro manſerat? quæ omnia ſub regimine Seren: Regis everſionesq; ſui viderunt, & tamen minimè conſideramus, nec reflectimus nos, apud nos pluris valere exempla, quàm leges, & hæc infelicia præjudicata tranſire in cōmunis rapinæ licentiam. Non mea igitur, ſed totius Reipub: & legum publicarum Authoritas, quam prius reconciliare oportet, quàm meam unicam perſonam. Etiam & hoc mihi denunciat meas perſecutiones, ruinas eſſe præter mentem Seren: Regis, nec ullo modo voluiſſe capi Palatinum Lencicienſem, imò pro capto ordinationem dedit eliberationis, Saxones verò non attento mandato duxerunt eum Varſaviam, Varſaviâ in Saxoniam, ergò & hoc præter mentem Principis. Judicet, an non illudit mihi & bonitati Sereniſſimi Regis, quam nimium dilaudas. Non poſſum hoc concipere, quo meruit Palatinus Lencicienſis, qui in nullas Reipublicæ tricas & negotia ſe immiſit, homo magis ruralis, quàm furialis, niſi Rex Seren: per impletos à Saxonia carceres Senatoribus & Nobilibus Polonis celebrare vult, vel notum reddere regimen ſuum & manū porentē ſuam. Literæ Palatinæ Lencic: Gallico idiomate exaratæ leviter nimiū incurrerunt cenſuram, nam ego eaſdem legi, & non adverti aliquid mali, quod ſubeſſet interpretationi, quaſi Scripturæ ſacræ ſeptuaginta interpretum, & ſectariorum ſine numero: nullum bonum hic ſtylus potuit afficere, hic tantùm ringitur, cui ulcus ineſt & quem conſcientia perſtringit. Ad Conſultationem vel conferentiam 12 præſentis futurā penitus non videtur neceſſaria mea præſentia. nam ſi conſulerem meo more, quæ ſummè neceſſaria Reipubl. non placerem, vel non eſſem Placentinus, aut ſi permiſſivè ad fas & nefas procederem, gravi in re Patriam meam deciperem & authoritatem characteris mei; Et ne nulleitatis ſim homo, ibi licet poſſem ſervire adhuc non obducto vulnere, malo à longe audire velut Tarpeja de rupe caſurum fulmen & conſiderare ad quid talia conſilia valebunt, in quibus exilia, confiſcationes & proſcriptiones civium decernuntur & quis iſtorum finis, quæ per interitum ſingulorum ſalutem univerſi perimunt. Quod attinet gratiam Sereniſſimi; hanc ſemper ambivi & ambio, quia non tantum libens apud Magnates & Reges, ſed etiam apud minimæ ſortis homines eſſem extra odium, tamen hanc confidentiam fugio, quæ non uni ſal in oculo, nec mihi poſſum perſuadere, optimè ab aulicis ingeniis illi conſuli, bene aulica ingenia velle, quorum ſtudium ſemper fuit diſſuere, non conſuere cointelligentiam meam cum Sereniſſimo Rege, quod non ſemel probavi, dum exiſtens apud Sereniſſimum ſemper receſſi benevolo, pleno affectu vel gratia ſumma, affectu ſingulari & confidentia eximia, quæ poſt aliquot dies imò milliaria ſtatim corruerunt & ſicut fuit magnus per ſinceri affectus conteſtationes receſſus, ita major poſtea. Interim ridiculum mihi maximè A.C. 1705

videtur

A. C. 1705 videtur te mihi optare ſine mora ad Sereniſſimum feſtinare, hic verò mihi vix ſexigæ ſuperſunt, dum mihi omnes aliàs Saxones in Tygenhauſſen ſurripuerunt. Non aſſuevi pedeſtri via incedere, nec ſine comitatu ſervire, nec teſtudo properare poteſt. Hâc itaq; reſolutione datâ tibi reſpon. Illm̃i Dni Caſtellani Cracovienſis, nimirum quod velle ſuum cuiq; eſt, magno judice ſecundùm beneplacitum tuum tueri te poteris. Ego verò diſtricte, quæ mei intereſſe optima videbuntur providebo. Servus &c.

COPIA LITERARũ GENERALIS CAROLI REINSCHIELDT ſub Zboſzyn 5 Septemb.

Invitatio ad conſiliũ Varſaviam

CUM congreſſus modernus Varſavienſis pro bono publico, propter tranquillitatem, & redintegrandam pacem inſtitutus non ſolùm ex condicto, ſed etiam ex munere officij, & addendum rebus graviſſimis momentum præſentiam Illuſtriſſimorum ex ordine Senatorio, & Equeſtri virorum requirat, hanc non ſine admiratione nonnullorum, quorum conſilia in dicto loco maximè eſſent neceſſaria, in domibus ſuis adhuc morari audio. Quando autem hos inter Illuſtriſſima etiam Dominatio exiſtit, proinde pro ea, quam erga ipſam teſtor ſinceritate, etiam atque etiam monendum amicè duxi, ne abſentiâ ſuâ Rempũb. turbare, aut inchoata ſalubriter conſilia retardare, ſed damnatâ omni morâ Varſaviã properare velit. Interea hoc Illuſtriſſimæ Dominationi Vræ ad notitiam perferendum cenſeo. Omnes qui ſalutem publicam privatis poſthabuerint rationibus & commoditati, nec intra decem abhinc dierum ſpatium Varſaviæ ſe ſtiterint ſeſe ipſos certò certiùs gratiâ Regiâ prorſus privaturos, maximumque detrimentum bonis ſuis illaturos. Quicunq; verò debitum erga Patriam amorem accelerato Varſaviam itinere teſtari voluerint, in quorum numero Illuſtriſſimã Dominationem veſtam maximè optarem, iſti omnes re ipſâ gratiam & clementiam Sereniſſimi Regis & Domini mei, meam autem durante hac expeditione bellicâ erga ſeipſos, & terras ſuas propenſionem & facilitatem experientur. Quod reliquum eſt, permaneo.

COPIA LITERARUM REGIS IN PRUSSIA AD SEREN: REGEM POLONIÆ, 27 Junij.

FRIDERICUS DEi gratiâ Rex in Pruſſia &c. Regi Poloniæ AUGUSTO II &c.

ACceptmus literas à Mte Veſtra die 21 Junij ad nos datas, atq; ex iis perſpeximus, qua ratione Univerſalium à Cardinale Radziciowski in Regno Poloniæ haud ita pridẽ promulgatorum ipſa à nobis deſideret. Primùm quidem non vulgatum animo dolorem ex eo capimus, quòd motus illi, quibus res Polonica inde ab aliquot annis concuſſa dilaceratur, necdum ceſſare, quin potiùs latiùs ſerpere, & majora indies ſumere malorum incrementa videantur, adeoq; nihil nobis antiquius, & magis in votis eſt, quàm ut in Regno hoc æternæ amicitiæ arctiorisq; fœderis nexu nobis conjuncto ad conciliandam firmandamq; pacem quidquam conferre, ac ſaluti ejus conſulere queamus. Cui reſtituendæ uti hactenus omnia, quæ in poteſtate noſtra fuerunt, etiamſi ſcopum, quem intenderamus, non aſſecuti ſumus, re ipſâ ac libenti animo contulimus,

ita

ita impoſterum conferre nullo modo deerimus. Quod verò univerſalia in Regno Poloniæ à Cardinale publicata, & imprimis id caput, ac ſi Palatinum Poſnanienſem publica legatione ac aliis externis demonſtrationibus pro Rege Poloniæ agnoviſſemus, concernit, id non minùs nobis, quàm ſibi maximè mirum videri Mtas V. perſuaſiſſima eſſe poteſt. Quapropter etiam eam ob rem nullâ interpoſitâ morâ ad Cardinalem literas dedimus, & de commentis hisce graviter conqueſti ſumus; ad quæ ipſe Cardinalis literis miſſis nobis reſpondit, ſibi nũquam in mentem veniſſe talia de nobis in vulgus ſpargere, atq; verba ſupra nominata non de nobis, ſed de Seren: Sueciæ Rege, utpote qui nihil, quod ad Palatinum Poſnanien: ad ſolium Poloniæ evehendum, in eoq; firmandum, quocunq; modo pertinere poteſt, hactenus intermiſerit, interpretanda eſſe. A.C. 1705

Quibus ita ſe habentibus, & quem Mti V. verè affirmare non dubitemus, eundem Palatinum neq; à nobismetipſis, neq; à quopiã Miniſtrorum Officialiumq; noſtrorum noſtro nomine unquam pro Rege agnitum fuiſſe; certi ſumus Mtem V, quæ noſtrum in eandem affectum toties hactenus experta eſt, verbo huic noſtro Regio integram adhibituram eſſe fidem, & eâdem porrò erga nos amicitiâ, ſinceritateq; uſuram, quâ nos in eandem ſemper uſi ſumus.

Cæterum DEum Opt: Max. rogamus, ut Mtem V. optimâ corporis valetudine incolumem, ac proſpero rerum ſucceſſu florentem eſſe velit. Mtis Veſtræ Bonus Frater & cognatus

Fridericus Rex.

XCI.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC PRINC VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO Dreſdâ 12 Auguſti.

Diligentiam literarum verus amor à me deſiderat, cùm præcipuè tuam etiam agnoſcam, vel amorem potiùs quo tu adductus mea negotia vel minima ita curas, quaſi maxima tua, majoremq; commodi mei, quàm perſonæ tuæ rationem habes, & ego etiam non is ſum, qui temere amat, & temere etiam amare deſinit. Scribo tibi triſtitia, quando læta non ſuppetunt; magnum fuiſſe inter Suecos metum ultimis diebus præteriti menſis nunciatum mihi, dum Claſbondus ſub quo primò equus occiſus eſt, & pòſt ipſe generoſiſſimè ſe defendens occubuit, quo perterriti claſſicum canere, & verſus Szolcium omnes illi, qui penes Vjazdovam conſtiterant, moverunt; ac poſtea inter Bielani, & Stawski in ordine ſtantes prælium expectârunt per aliquot horas; ſed cum nemo veniret, ad ſua rediêrunt caſtra. Venit etiam notitia, quòd Smigielski cohortes Palatini Vilnenſis ſub Lencica ex integro delevit. *Conflictus.*

Die 31mâ Julii pars Exercitus Polonici, Litvanici, & Saxonici illud elegit, quod dignum eſt ab hominibus approbari, ſatius rati excutere ſemel jugum cum gloria, quod ferre non poſſunt ſine dedecore, itaque trajectâ Viſtulâ duobus milliaribus à Bielani ſub Wola conſtiterunt, & circumdederunt planè Varſaviam, ordinâruntque aliquot cohortes, ut ſub ipſam appropinquarent Varſaviam, circa Vielopole, Suecorum autem pars ſupra Viſtulam à Szolec per Suburbium Cracovien. incidit in

noſtros

A. C. 1705 noſtros in vicinia Eccleſiæ S. Trinitatis, ubi jaculabantur ab utrinque, & 15. homines ex equis ceciderunt. Sueci pòſt tranſeundo per Leſno iverunt verſus Vielopole, ſed ibi repulſam habuerunt, ut etiam retrò cedere fuerint coacti ad corpus caſtrorum ſub Ujazdow exiſtentium. Duxerunt nihilominus ſecum quoſdam ex Saxonibus, & Polonis, & informârunt Generalem Nierot, ex qualibet cohorte electos viros ſub directione Domini Peykul adeſſe, neque Dominum Smigielſcium, qui eis maximo erat terrori, illis junctum eſſe. De quibus informatus Generalis Nierot ſtatim circa 10mam movit verſus Wola contra dictas cohortes, cum quibus inceperunt Sueci dimicare. Ala ſiniſtra imprimis Suetica, cum ala dextra Polona conflictum incepit, ubi magnum damnum ſenſerunt Sueci, cùm prope 400 deleti, & alij retrocedere coacti, ex quibus Poloni tam Officiales, quàm gregarii milites vulneratos captivando, ducebant ad Viſtulam, multos equos in optimo non ſine auro, & argento apparatu inter ſpolia numerabant Valachi ad trajectum Viſtulæ, ſed quia dextera ala Suetica diviſit Litvanos à Saxonibus in ſiniſtra ala Saxonica exiſtentes, qui nec ſemel jaculati ſunt, ſed ſtatim ex confuſione fugam arripuerunt, & terga verterunt hoſti, cujus frontem exhorruerunt, quos aliquot cohortes Suecorum inſequebantur. Interea Saxones & una Polona Huſſarorum cohors fortiſſimè dimicabant ab hora undecima uſque ad primam pugnando ſub regimine Stanislai Chomętowski Mareſchalci militaris viri fortis, audacis & prudentis. Ala tamen Suetica dextera venit in ſuccurſum ſiniſtræ, mallebantq; Sueci perire, quàm ignominioſè ex campo fugere, & ita cum in ordine iterum meliori ſtetiſſent, ruperunt Saxones, & Polonos & ultra Wolam in ſylvas è campo expulerunt, tandem cum triumpho reverſi per ſuburbia, imò etiam per civitatem aliqui ducendo noſtros captivos tranſibant & cùm multi ex Valachis inferiùs poſt arcem invenirentur, illos aggreſſi ſunt Sueci, qui evitando periculum Leonis per Viſtulam ſalvare ſe voluerunt, ſed multi ſubmerſi, cùm etiam contra eos Sueci jacularentur. Sciendum tamen, quòd multò plures perierint Sueci, quàm Saxones; inter Suecos Major Lagerfeldt, & multi Capitanei ceciderunt; campum
Broniſz tamen Sueci obtinuerunt. Mareſchalcus confœderationis propter ſecuritatem, & Ablegati Cracovienſes in caſtris Sueticis ſe continebant. Generalis Peykul in eadem occaſione in captivitatem acceptus, qui ſingulorum exceſſit fortitudinem, omnium adæquavit, ô dura fata, & nullis æqua virtutibus!

Multa pars exercitus Poloni & Litvani cùm propter ingentes aquas tranſire Viſtulam non potuiſſent, in vicinia Pragæ conſtiterunt, hoc approximatione ſuâ tantùm effecerunt, quòd congreſſus ille & præſentes in eo Nuntij tot copiarum adventu & ipſâ oſtentatione, quam noſtri faciebant, volendo quaſi in aliquibus locis pontes exſtruere, perterriti diſparuerunt Varſaviâ, timendo aliquem caſum; quod, dum vidiſſent Sueci illos, qui cum Mareſchalco erant præſentes, in honeſta cuſtodia tenuerunt additâ per modum aſſiſtentiæ cuſtodiâ, de quo nemo, quod ſciam dubitare poteſt unquam, omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe.

Sereniſſimus Czar Moſchoviæ, qui nihil felicitati ſuæ putat aſtrui poſſe, 20 Julii Vilnæ comparuit à Tribunali M. D. Lit. ſalutatus, cujus exercitus confluit Vilnam, & duodecim millia peditatus Moſchovitici jam Grodnæ appropinquabant, adhuc quædam ſunt, quæ adverſantur, quæ tamen ſpero fore diutiùs non impedient.

Idem

Idem Seren. Czar ſcripſit Principi Wiſniowieccio, ut ad adventũ ejus aliquem Officialem Sueticum in promptu haberet, ex quo poſſet de rebus Sueticis informari, rerum novarum & fortunæ melioris ſpe plenus. *A.C.* 1705

Poſt prælium iſtud, quod dici poteſt infelix; fuit aliqua querela, & differentia inter Referendarium Regni, & Mareſchalcum confœderationis militaris, ſed illam frater meus Caſtellanus Ravenſis amicabiliter compoſuit. *Rzewuski Chomętowski*

Quod reliquum eſt ſcias, quòd ipſe valeo, ſi valere eſt ſuſpenſum, & anxium vivere, expectantem in horas timentemque pro cara Patria, quidquid accidere illi poteſt.

AMICO CONFIDENTI 12 Auguſti.

DOmin⁹ Mareſchalc⁹ Varſavien· Cõfœderationis viſitavit in Belweder penes Ujaſdow Nuntios, qui recenter cõparuerunt ex Palatinatu Cracovienſi, etiã erant Cracovien, Dobczicen. Kozvalevien. & Doninovicen. Capitanei, qui in aſſiſtentia ducentorum Suecorum Varſaviam venerunt, & poſt die transfigurationis Dñi, abſolutâ in Collegiata S. Joannis devotione congregati ſunt in Palatio Varſavienſi, & proculcatas leges, & inania jura invocabant, lectæ ſunt literæ Cardinalis Primatis, poſtquam omnes ad eandem materiam locuti. Primò ut iterum ſcriberentur literæ ad Cardinalem, tanquam primum caput, quatenus omninò compareret in hoc conſilio: addita promiſſa à Suecis; ſcitur enim, quòd magnetem ferrum, hunc magnatem aurum trahit. Secundò expediendæ ſunt literæ univerſales ad illos Palatinatus, qui non habuerunt conſilia, ne dicatur facta fuiſſe conſilia de nobis ſine nobis. Tertiò rogandus iterum, iterumq; Rex Sueciæ, ut Commiſſarios ſuos mittat ad tractatum pacis, quibus auditis concluſit Mareſchalcus, ſe paratum eſſe omnia agere, quæcunq; demum illis placuerint. Univerſales literæ ad Palatinatus & Diſtrictus expedientur, & ſi non venerint, jam manus ſolutæ erunt, & debebunt alia inire media de ſalvanda Republ. ſumma enim prudentia eſt pedetentim incedere, quia videmus quòd ex multis partibus offendicula pedibus non latenter ſed evidenter opponuntur. His diebus abſolutum eſt funus Clasbondi nuper occiſi, quem dolebant omnes Suetici Officiales. Erat enim vir fortis, ſed non dolebant Poloni; erat enim ſtrenuus exactor. Prælium nuperum non defectu fortitudinis Polonæ & Litvanæ nec quidem Saxonicæ, ſed propter multas diſſenſiones illorum, quorum quiſque regere volebat, tam ignominiosè pro nobis, utiliter pro Suecis finitum, quamvis octingentos ex illis deficere aſſeverant, centum Officiales verò egregios quoq; perdiderunt. Ex noſtris non tam multi deſiderati, quia animæ in pedibus erant, ideoq; ſalvatæ. Et quia aliqui ex civitate affectum majorem in noſtros, quàm in Suecos ſtante illâ actione, demonſtrârunt, ideo quadraginta millia florenorum novæ in civitatem contributionis impoſita ſunt. Primus fugiſſe è noſtris, & cauſa fugæ aliis fuiſſe dicitur. Ita qui vivus exerit contra pauperes vires, ei deficiunt contra hoſtem; nam hic habitus ſemper eſt pro audaci fortiq; viro, & nunc ab omnibus pro timido ignavoq; non ſine ratione habetur. Notus eſt mihi quidem (dixerat ille) qui viſus eſt ſe tres oculos habere, & cæcus factus eſt. Generalis Peykul cum aliquot Officialibus remiſſus ad Regem Sueciæ, ubi non bene tractabitur, eſt enim natus ex Livonia, quamvis ibidem nullam poſſeſſionem habeat, &

timeo,

*A.C.*1705 timeo, ne ſimilis ſors Peikulium & Patkulium exſpectet, fortè morientes privatam fugabunt ſervitutem, qui publicam viventes libertatem non potuerunt reſtaurare. Electum Stanislaum in aſſiſtentia duodecim millium Suecorum brevi ſperant. Czar ſperatur Tykocini, Gñrlis Nierodt in Ujaſdow exiſtens palàm declarat non ſe unquam moturum Varſaviâ etſi omnes ad unum perdere deberet milites. Et ut ſolent fortiſſimi cedendo hoſtes cædere eliget ſatius, quàm cedere, Varſavia tam multis & tam frequentibus exhauſta eſt contributionibus, ut amplius vix ſufficere queat. De me fac bono animo magnoq; ſis.

STANISLAUS GODLEWSKI CAPITANEUS NURENSIS.

Varſaviâ 22. Auguſti.

REX Sueciæ feriâ ſecundâ præteritâ huc advenit, reviſisq; omnibus locis feriâ tertiâ rediit Blonium; ubi etiamnum cum tribus legionibus, unâ peditum corporalis cuſtodiæ, aliis duabus Equitum ſub Colonellis Oehrenck & Kreütz ſubſiſtit, appropinquaturus. Varſaviæ, quam primùm pons paratus fuerit; quem hodie abſolvent, quò per illum notabilis pars exercitûs in alteram ripam poſt ſequentem Dominicam tranſportetur. Idem Rex Sueciæ cogitat Litvaniam, eò quòd Dux Moſcoviæ adhuc circa Grodnam, vel (ut alij ajunt) Caunam moretur; qui duo millia duntaxat peditum Tikocinum expediſſe fertur; quò etiam omnes exercitus tam confœderatæ Litvaniæ, quàm Saxonici congregantur. Valachi per ſylvas vagantur, Suecis ubiq; infeſta. Hinc Pultoviam usq; exploratum dimiſſæ cohortes non reperto hoſte redierunt, nec niſi aliquot Saxones, quos deprehenderant, adduxerunt.

Mareſchalcus cum Nuntiis Sueciæ Regem inviſit, in qua materia? non conſtat: putatur propoſitum, ut in ulterius tempus differri conſilium concedatur, verùm in caſſum hæc attentantur: ſiquidem omninò decretum eſt, ut Tractatus Olivenſis reaſſumatur, tum colligatio fiat contra Moſcoviam, coronatioq; expediatur: quam ſi Primas perficere noluerit; adeſt hic præſens Camenecenſis Epiſcopus pro hoc munere ſufficiendus, eique Suffraganei adlegentur. Scripſit ad quempiam Cardinalis ſe non tam dementem futurum; ut hodie Varſaviam venire velit, cras fugam meditari: aut ut interſit coacto conſilio. Miſſus etjam ad Palatinum Siradienſem, qui ſingulariſſimè invitaret, an adventurus ſit, dubium eſt. Electa craſtinâ die huc adveniet; hodie Rokitnis prandet, non diu tamen apud nos moratura, ſed in Pruſſiam motura. Comparuêre etiam hic pridie hujus, Palatinus Kijovienſis, Notarius Campeſtris Regni, & Capitaneus Bobroyſcenſis, exercitus illorum circa Tarczynum ſubſiſtunt: quo impoſterum ituri, neſcitur. Vulgavit fama Cracovienſem Palatinum Kocko itineri ſe dediſſe, exiſtimant alij verſus Wengrowum moturum; ut expeditiùs Tikocinum ſe conferre poſſit: alij verò cenſent Sokalam profecturum, quò etiam Mazeppa collimat; qui jam Fortalitium Brodij præteriit. Additum ibidem fuit, Leopolim Coſacis præſidiariis occupandam, jamq; partem exercitûs illorũ, rectâ Zbaraſo deſtinatam eſſe. Aſſeritur pro certò Moſchis à Turca indictum bellum, jamq; à Ponto Euxino, an verò etiam ab Oſtio Boryſthenis in terras Coſacorum irrupiſſe.

Spargitur item aliquot centenos Saxones Oderam eâ intentione trajeciſſe; ut Ravicium, Leſznum, & alia loca expilarent: verùm comperto, gnaviter his malis à Suecis occurſum eſſe in tantum; ut ſummâ præcipitantiâ non ſine damno ſe iterum per Oderam recipere in tutum neceſſum habuerint: quos fugientes Sueci inſequi neglexerunt. Iidem

Sueci

Sueci à Wſchowo usq; Ravicium ſua extenderunt ſtativa, numerus eorum 12000 eſt. Hic itidem cum Rege 12000 verſantur, quæ in gemina diviſit caſtra, una ad Blonium, altera ad Varſaviam. Caſtra Polonica & Litvanica trajecerunt in alterum littus, tranſtuleruntq; ſe Brocum, & ibi præſtolantur Moſchos. *A.C.* 1705

CXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI 30 Aug.

EN meas tam frequentes literas, quas tuæ eliciunt, non excitor affectu tuo, ſed opprimor. Reddam mea ſi repoſces, reddam etſi non repoſces, nam te meorum conſiliorum adjutorem, dignitatis meæ fautorem omnibus in rebus amiciſſimum cognoſco. Nutus ſummi mortalium mihi pro lege merito, agnoſco enim obnoxium me, & ſubjectum eſſe debere, quidquid in terris eſt capiti iſti Divûm. Non invenio autem cur meliora ſperare, aut, cur non etiam graviora metuere debeam. Interim tibi, cui omnia debeo, quid ei jam amplius debere poſſum? Quæ mihi venerunt nova, defero.

Venerunt Varſaviam Epiſcopus Camenecenſis, Vilnenſis, & Kijovienſis Palatini, & 26tâ currentis cum multis aliis Nuntiis in Palatio congregati legi fecerunt ſcriptum per Secretarium Confœderationis formatum ſub tit: Remanifeſtatio contra Breſtenſem Litvanicam Manifeſtationem damnantem iſtius partis ſancitas leges, quam impreſſam per Palatinatus diſtribuent, ut intelligant omnes, quòd tres Provinciæ ſunt in unum congregatæ, & ut videant, Confœderationem Sendomirienſem, jam eſſe extinctam.

In eodem projecto datum eſt ſpatium ad reſipiſcendum ad 4 ſeptimanas, ut accedant, aliàs extendentur pœnæ ſimiles, & ſine amniſtia, ut expreſſæ erant in Confœderatione Sendomirienſi, ubi inſinuatum, quòd per primos Miniſtros Status ad eam infelicitatem devenit Patria, ut vix forma extet legum antiquarum, cùm omnia erant per adulationem & aſſentationem Majeſtati, ſuper quos reaſſumi debet rigor, & pœna arbitraria, ſicuti etiam contra invaſores bonorum alienorum, contra ductores, & alios Officiales, qui ſuperviventes, gloriantur titulis honorum & Miniſteriis. Voluerunt circumſcribere Comitem Dönhoff Mareſchalcũ Sendomirienſis Confœderationis, & Chomętowſcium Mareſchalcum Exercitûs, ſed alij in charitate procedendum ſuaſerunt, cum poſtea in manibus erit totius Reipub: facere, & decidere juxta placitum. Cùm verò Mareſchalcus urgere cœpit ſubſcriptiones, excuſabat ſe Epiſcopus Camenecenſis dicendo, quòd ſe magis paſſivè, quàm activè gerere deberet, conſiderando Breve Apoſtolicum, per cujus tranſgreſſionem redderetur incapax omnium obſequiorum ulteriorum; Convictus tamen precibus & minis æqualiter cum toto congreſſu ſubſcripſit, quæ ſervitus eſt, ſi hæc libertas, æſtimari debet? Non eſt punctum indiviſile libertas, neq; tota uno momento, ſed ſenſim cadit, hodie ab exceſſu, cras à defectu, ut ſemel amiſſa, vel parum, vel nihil ſpei ad ejus reparationem remaneat, non diſpar Elephanti immenſi molis beſtiæ, quæ ſi quo afflicta caſu conciderit vix unquam vel difficulter ſeſe poteſt erigere. Urgebant alij, ut quicunq; noviter accederet ad Confœderationem, explere deberet eandem juramenti Rotham, ſed Mareſchalcus multa contra hanc propoſitionem dixit, quòd ſcilicet ſceleriq; nefando nomen ſit virtus, pro perjuriis puniet nos DEus. Meliùs Pagani ſuos Deos obſervabant, quo-

A.C. 1705 quorum nomina in vanum accipere detrectabant, & nos veri Catholici, jam minùs habemus aſſumere in vanum Nomen Domini.

Cùm verò ulteriora conſilia proſequi voluiſſent, venit declaratio Regis Sueciæ, quòd nullum Tractatum, nec incipere, nec proſequi vellet, niſi cum coronato capite. Ineuntur ergo conſilia cum ſumma applicatione, quomodo iſtud fieri debeat. Caſtra Regis Sueciæ ſunt ſub Błonie. 31 Aug: Commiſſarij Suetici Horn, Wachtſchlager, & Palmberg, habuerunt audientiam apud Electum Gallico idiomate locuti, optando utriq; Regno tranquillitatem. Commiſſarij interim eliguntur ad tractatum, quia vellent ſaltem incipere, & pòſt cum coronato capite perficere; Suſpenſa tamen electio Commiſſariorum ad adventum Siradienſis, & Podlachiæ Palatinorum. Copiæ Vilnenſis, & Kijovienſis Palatini, trajectâ Viſtulâ ſub Białolenka conſiſtunt, & neſcitur, quorſum ituri, nos incertis conjuncturis, idq; in rebus non magni momenti certum te reddere nolumus ingenuè agnoſcentes, quòd nihil ſit poſitivi, quod an certum ſit, necne, alij, quibus vacat exiſtiment, videantq;. Vellet Palatinus Kijovien: 4000 Suecorum habere, ut reſiſtentiam det Mazeppæ ſub Glinialy exiſtenti, qui mandatum ſe habere aſſerit à Czaro Moſcoviæ, ut ultimis Auguſti veteri ſtylo Viſtulam attingat. Rex Sueciæ tamen dare ſuos dicto Palatino abſolutè non vult. Card: Primas omninò urget confirmationem electionis, & Rex Sueciæ inſtat, ut quantocius coronatio fiat, & ita per iter imprudentis præcipitantiæ incedentes ad miſerandæ ſervitutis terminum perveniemus. Aliud quod ſcribam non habeo.

AMICO CONFIDENTI. 18 Septemb.

TUmeis ſemper literis modò paucis modò pluribꝰ verbis reſponſũ dando, me quaſi in poſſeſſione tuaru m literarum conſtituere voluiſſe videris, his ergo deliciis, quibus non aliæ palato cordis mei ſuaviores, & aſſuefactus cum ab illis paululum abſtrahor, quid mirum, quòd motum faciam, ſi animo commovear, ejuſq; calamitas unde mihi provenerit quæram; & ſi major eſt calamitas felicitate aliquâ dejici, quàm aſcendiſſe ad eam, nunquam profectò tam altè ciciderim à perpetua humanitatis, & benevolentiæ poſſeſſione depulſus, quàm dum literis tuis uti teſtimonio affectûs privor, ita ut contra iſtius mali acerbitatẽ, vix non meliùs dixerim ſcripſiſſe te nunquam, quàm dolenter amittere uſum, & conſuetudinem tuas recipiendi. Scribamus ergo viciſſim, & non ampliùs inter nos legem taciturnitatis ſervemus, cùm ſemper de rebus tuis ſcire deſiderem, ſatis ne ex voto fluant, ut mihi gaudeam, tibi grațuler, & ita ex creditore, debitorem tibi conſtitues, cum nullum neque finem, neque modum faciens de me cogitandi, & benè merendi, jam nunc in eo totus ſis, ut ſcribas.

1. Julij horâ 10 abiit Rex Dreſdam, & ſtatim Palatium Regium, cui ego vicinus manſi, occupavit Dñus Colonellus Goſpod, cum aliquot corporis Regii cuſtodibus, & quando poſt prandium habita notitia, quòd Dnus Palatinus Czerniechovienſis veniret Pragâ medio milliari occurri, ille tanquam veſtigans, & inquirens cum ſuis militibus cucurrit retrò, & evidenter vidi mihi illum invigilare; mira oppreſſio domus ardet ignis inſtat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti ſuadetur regredi. Unde conſilium inivimus quid faciendum, ſed quia imprimis id à nobis extorquet fortunæ iniquitas, & quòd benè nobis conſcii ſumus ire Dreſdam, quanquam ſub honeſta (ſi honeſta unquam eſt?) debebimus

Franciſcus Załuski.

mus eſſe cuſtodia. Patientiam tolerantiæ tenore ſervantes, bona quippe ſunt, & ſalutifera mala, quibus nos Dñus ſæpiùs viſitat, ſi ſuaviter ea elevare, & DEO præſentare velimus, adeo nihil eſt miſerum, niſi quod putes. In memoriam revocandum ergo illud cenſui: verberaverunt me, ſed non dolui, traxerunt me, ſed non ſenſi, & quamvis fraudes labia eorum loquantur, habemus in noviſſimis ſpem, & ſpes noſtra non peribit, cùm defecerint ligna, extingvetur ignis, & ſuſurrone ſubtracto jurgia conquieſcent. Multa dicent contra nos, ſed tandem deficient in verbis. Scit DEus evertere, & eruere, & perdere, & iterùm ædificare, & renovare. *A.C.* 1705

Et cùm 3tiâ Julij in quodam loco, ubi imago miraculoſa Beatæ MARIÆ Virginis eſt, & reſidentia P.P. Soc. JESU fuerimus, itidem habuimus cuſtodes hos, qui ne unum quidem pedem moveri nos abſque aſſiſtentia permiſerunt; Riſus dolore miſcebatur, utinam extrema gaudii luctus non occupet. Interim tamen in re mala animo bono uti adjuvat, quem qui poſſidet, nec amittere quidquam vult, nec fortuna poteſt auferre, cæterum mente caret, quiſquis certare cum potentibus audet.

Dominum Patkul vidi, quem provocaverat in duellum Dñus Generalis Dönhoff, ſed ille reſpondit cum magnis injuriis.

V. Ivimus in conſortio cum Dño Legato Daniæ, & intra duos dies aquâ pervenimus Dreſdam, ſed etiam in illa navi, quâ vecti ſumus ſemper unum ex militibus cuſtodiæ Regiæ habuimus comitem.

VII. Fuit in prandio apud me Dñus Comes Stratman, & inſinuavit ut Viennam irem pro mediatione Pontificis & Imperatoris, quod ego libenter facerem, ſi eſſent media, ſine quibus nihil, loqui tamen promiſit Regi, ut hanc provinciam tanquam ſibi glorioſiſſimam in ſe procuret.

X. Fuerunt literæ Gedano quòd Cardinalis nondum ſe determinavit pro itinere Varſavienſi, & credimus, quòd ille terminus deſtinatus ulterius differetur.

XIII. Fuit quædam diſputatio in præſentia Regis de loco cordis humani, ego in ſapientis dextra, ſtulti ſiniſtra eſſe allegavi, & inveniri hunc expreſſum textum in ſcriptura ſancta aſſerui, & cum denegaretur; oſtendi expreſſos terminos in Eccleſiaſtici capite 10 verſu ſecundo.

XIV. Venit huc Dnus Beaufond à Principe Alexandro miſſus cum propoſitionibus pro eliberandis Principibus, cui ut procurarem audientiam rogatus petij, ſed Rex diſtulit uſq; ad reditum, abiit enim ad videndum ſuum exercitum.

XVII. Venit Dñus Theſaurarius Przependowski Berolino, & nihil boni inde tulit, nec quidem ſpem, multò minùs fiduciam. Non omnia omnibus æquè placent.

XVIII. Fuit ingens expoſtulatio mea, venerunt enim literæ Dnæ Palatinæ Lencicienſis ſuperbæ factæ potentiâ ſuâ, in quibus me habuiſſe cum Suecis correſpondentiam aſſerit per Dnum Palatinum Czerniechovienſem, quod eſt falſiſſimum.

XXI. Attulit poſta Dnum Mareſchalcum confœderationis Broniſz veniſſe Varſaviam, & cùm parvum concurſum inveniſſet 11. limitavit ſeſſionem ad 18.

XXII. Fuimus in convivio apud Dnum Legatum Daniæ, ubi legimus in novis, quòd aula Anglica acceptâ informatione, quòd nuper poſt mortem Gvilelmi Regis Imperator non portaverit veſtes lugubres,

A.C. 1705 ipſa etiam jam acceptas ex nunc depoſuit poſt mortem Leopoldi.

XXIII. Tranſijt hàc Lipſiam ad videndum ſuum Principem maritum Princeps Jacobi noſtri uxor, vidi illam, lachrymaſq; ejus apud Dñum Legatum Cæſareum, & pòſt 28 rediit, & ulteriùs ultra Viennā ſuum iter proſecuta eſt.

XXIX. Tulit poſta Varſavienſis, quòd famoſiſſimum libellum ſcripſerim Romam contra Stanislaum, alia ex parte Dña Palatina Lencicienſis (mulier quæ ſuperbia, & fallacia omnes & mortuas, & vivas fœminas longo intervallo poſt ſe reliquit) ſcribit, quòd contra me aliquod documentum mittat correſpondentiæ meæ cum nova aula, & ſic ab omnibus partibus impellor, quam rem neq; faciebam parvi, neq; etiamſi innocens negligendam duco, quamvis minimè convicia iſta curē, ſciens quòd hæc fœmina occultas etiam de ſe querelas ſæpiùs in vulgus edere, tanquam laudes ſuas velit, & ego apud eam odium conſequebar ſemper ex veritate, meliùs certè eſt habitare in deſerta terra, quàm cū miliere tali.

XXXI. Dominus Pſtrokonski duxit tres Nobiles, Dnum Tremeski, D. Ankuuz, & D. Ligęza, quos euntes in legatione à Palatinatu Sendomirienſi intercepit. Ridentur hic talia, quòd ſcilicet unus in alterum ſæviat.

I. Auguſti vidimus ſcriptum Breſtâ Litvaniæ, quod tibi communico, & jam putamus nos viciſſe.

VII. Cùm habuiſſem multa communicanda Sereniſſimo Regi, ivi ad Meyſſen, ſed niſi in craſtino Regem videre potui, ubi 8. manè Patkulio communicatum fuit ſcriptum, quod dari debet Regi Pruſſiæ, admiſſus fuit D. Theſaurarius Przependowki, ſed ego non, & evidens diffidentia monſtratur.

Hâc eâdem die captus fuit & in carcerem ductus D. Gverin Gallus, quem Rex Gedano ad ſe vocaverat, ut eum incarcerari faciat, dicitur locutus fuiſſe contra Ducem Moſchoviæ.

XI. Rediit Rex, & accepit infauſtum Nuntium, quomodo ſub Varſavia fuerit conflictus Saxones inter, & Suecos, qui plus fiduciæ in belli cauſa, quàm in apparatus robore ponunt, creduntque, quòd non impunè ferent auſi turbare quietem, & quòd Saxones Poloniq; fugerint, primorum Generalis Peykul acceptus fuerit, quòd valdè anxium reddidit Regem, multi cæſi fugæ magis, quàm pugnæ memores, ſed id accidit (ut poſtea compertum eſt) celeri atq; ipſis demum exitioſā feſtinatione, quæ cita ſunt, poſt hæc pœnituiſſe trahunt, & modò res noſtræ (ſic urgente fortuna) fœde concident; ſed faciat me DEUS falſum vatem, potiùs quàm verum cum tanto damno; pericula enim nobis tanta, quanta verbis exprimi non poſſunt, plùs quàm certò imminent, quod non pauci admodùm ſed penè omnes cenſent.

XIII. Iterum Rex nemini dicto verbo abiit, neſcitur quò, Dominus Kors interim valdè inſolēns fieri cœpit, nec ſcimus rationem, propter quam bene inquit Comicus: Nihil homine ſuperbo quidquam inhoneſtiùs, ac injuſtiùs, qui nihil rectè putat, niſi quod ipſe facit.

De occiſo Clasbonde Sueco tyranno, qui in tot nobiles ſæviit, habuimus Varſaviâ.

XXII. Rediit Rex, & ſubſcripſit Palatinatum Lublinenſem vacantem poſt mortem D. Tarło, in favorem Dñi Drzewicki Caſtellani Lublinenſis, Caſtellanatus autem ceſſit Dño Szaniawski Notario Lukonenſis terræ.

XXV.

XXV. Habuimus Varſaviâ veniſſe jam Stanislaum, & exceptum fuiſſe lauto convivio à Dño Wielepolski Generali minoris Poloniæ, & quòd Generalis Horn in meo Palatio reſideat. Dnus Palatinus Mariæburgenſis venit Dreſdam. *A.C.* 1705 *Petrus Kczwski*

XXVI. Retulit Regi idem, nondum eſſe redditum Breve Apoſtolicum Cardinali (quòd magnus Jupiter ſciet, qui cuncta vigili ſemper lumine aſpicit) quanquam ille, & primum nondum ſe aperuiſſe publicè aſſerit, magna ſanè contumacia! aſpernanti grandia modica minùs grata venire ſolent.

XXX. Abiit Princeps Tecinenſis Uratislaviam, ex inſperato rapta in id conſilium, quòd inopinata neceſſitas afferebat, id Rex doluit valdè, jam enim concluſum erat captivare eandem, & in aliquo loco ſecuro conſtituere, ſed illa prævenit: libenter ea conſcribo, quæ ſcio eſſe, ut ſciantur utilia, &c.

XIII. Sept. habuit relationem D. Smigielski in Varmiam feciſſe incurſionem & in arce Helsbergenſi aliquot Officiales Suecos accepiſſe cum pecunia ex contributionibus collecta, illum abiiſſe, ipſos verò novas contributiones, quæ acceptam ſupplere poſſent pecuniam, indixiſſe.

XIV. Abiit Rex venatum, & D. Gratta ſcripſit mihi, vidiſſe ſe duas copias literarum mearum in manibus Cardinalis, quas ad Regẽ mittere intendit, cùm ſit mihi infenſus ob literas meas, quas zelosè nimis in favorem Regis ſcripſi ad amicos, & colligatos meos.

XVII. Abiit ex improviſo D. Palatinus Mariæburgenſis, & mihi per ſchedam tantùm valedixit, dicitur velle omnino reconciliare Regi Cardinalem Primatem, utinam ſanè.

Hodie fuimus in horto D. Daubicz, & ego non benè valens redii, ut hanc finirem, & te de affectu meo ſecurum facerem, tuoq; me recomendarem reciproco, cui ſi non cæteris in rebus, amore certè reſpondebo.

EDICTUM REGIS AUGUSTI 15. Aug: IMPRESSUM, & IN LATINUM TRADUCTUM.

UNiverſis & ſingulis notum facimus, quòd quamvis ſtatim poſt immutationem Religionis noſtræ fidelibus ſtatibus ac ſubditis noſtris Regio & Electorali honore & verbo per publicè impreſſam intimationem de Lobſovia 7 Auguſti 1697 benignam impertiti ſumus declarationem ac ſecuritatem, quod nos prædictis ſtatibus ac ſubditis noſtris libertatem conſcientiæ ſecundùm Auguſtanam Confeſſionem, Eccleſias, cultum Divinum, ceremonias, univerſitates, ſcholas, aliasq; poſſeſſiones, bona ac reditus intacta ac immutata relinquere, conſervare, ac protegere vellemus, quod nos etiam poſtea pluribus per certas, ſingulareſq; circumſcriptiones Cracoviæ 29. Sept: Anno 1697. ac Dreſdæ 17. Martij 1700 repetiimus, ac confirmavimus; imò hucusque per ſpeciales remonſtrationes intimis Conſiliariis noſtris Auguſtanæ confeſſioni adjectis, cum firma manutentione totius ſtatûs Eccleſiaſtici in ſuo veteri eſſe ac conſtitutione adeò ſollicitè, paternè, benigneq; exhibuimus, ut meritoq; certeq; confideremus neminem reperiri poſſe, qui nos occultæ, aut apertæ receſſionis ab hac benigniſſimè data ſecuritate *Viſitatio ſpiritualiß.*

A.C.1705 argueret, aut infractionis jurium, Religionem, ſtatumq; Eccleſiaſticum concernentium inculparet, quinimò ſingulos paternum noſtrũ amorem, gratiam ac protectionem, exinde cum debita gratitudine recognoſcere debere. Cùm autem tèmpore reſidentiæ noſtræ in Electoratu noſtro, cum ſumma diſplicentia inaudiremus, quòd malevoli, rumoribusque ciendis inclinati auſi ſint varios, periculoſos, ac præjudicioſos diſcurſus ſpargere, ſuſpectos nos reddendo, quaſi vellemus præfatis aſſecurationibus noſtris contravenire, ſtatumq; Religionis ac Eccleſiæ cum eorum annexis turbare, diminuere, ac innovare, aut alijs ad faciẽdum permittere, uti ejusmodi impiæ calumniæ ex occaſione nuper à nobis ordinatæ viſitationis ſuper ſpiritualia beneplacita, ac fundationes conceptæ eò usq; ſerpſerint, ut non tantùm hic in noſtro Electoratu, ac incorporatis Provinciis ſparſum, quòd nos jam multos Eccleſiaſticos ejus Religionis, quam modò profitemur, occultè in terras noſtras induxerimus, cum intentione aliquas eis Eccleſias cedendi, verùm etiam, uti nobis relatum eſt, multi non erubuerint exteris proteſtantibus Principibus per ejuſmodi impoſturas varias impreſſiones facere. Quemadmodum autem nobis nulla unquam innovatio in ſtatu Eccleſiaſtico, eorumq; annexis per nos aut ſubſtitutos noſtros facienda in mentem venit, ita ſufficienter ejusmodi ſolicitudinibus in hoc puncto per Veſtphalicum Tractatum proviſum eſt. Hinc auxiliante DEo firmum propoſitum noſtrum eſt, in poſterum veterioribus documentis univerſis ſubditis noſtris toties Regium ac Electorale verbum datum conſtantiſſimè tenendi. Certos reddendo fideles ſtatus, omnesq; ſubditos noſtros, quòd nos in ſupratacta viſitatione Spiritualium fundationum, nihil aliud intendamus, quàm impedire abuſus, qui in adminiſtrationem earundem irrepſerunt, ac Prædicatoribus, ſcholarumque Miniſtris, quæ inſufficientem penſionem habent, de meliori ſubſiſtentia per Evangelicos intimos Conſiliarios noſtros, ac ſupremum Conſiſtoriũ adinvenienda ac ſtabilienda providendi. His igitur iterũ Regium ac Electoralem honorem, dignitatem, verbumq; noſtrũ obligamus. Ut autẽ mendacibus, effrontibusq; impoſtoribus, qui contrarium ſpargere auſi ſunt, meta ponatur, univerſos & ſingulos admonemus, ac præcavemus, ut ab ejuſmodi falſitatibus abſtineant, ſub incurſione gravis pœnæ, talis enim conſcientiæ, debitiq; ſui immemor Calumniator cujuscunq; ſtatûs, generis aut conditionis fuerit, ſecundùm meritum in vita & corpore, honore ac bonis, ſine ulla gratia ac reſpectu, in cautelam ad occurrendum ulteriori malo punietur. Mandamus igitur hiſce univerſis & ſingulis noſtris Majoribus ac minoribus civitatibus, ac militaribus Miniſtris, Prælatis, Comitibus, Dominis, Equitibus, Adminiſtratoribus, Magiſtratibus, Judicibus, & ſcultetis ſub amiſſione gratiæ noſtræ, quatenus ejuſmodi homines, qui ſibi complacerent, ejuſmodi malitioſos ac ſceleſtos rumores ſpargere,

gere, captivent, nobisq; aut Adminiſtratori noſtro, intimoq; conſilio *A.C.* 1705
ad veteriorem ordinationē capiendā notificent. Quicunq; autem delinquentē ejuſmodi jure convincendum denuntiabit, habebit ducentos imperiales, tacito nomine ſuo, in recompenſationem, à Camera noſtra numerandos. In quorum fidem hoc edictum, aſſecurationemque noſtram m. p., ſigilliq; noſtri Regij ac Electoralis appoſitione roboravimus, ac per publicam affixionem, ac denuntiationem ex Cathedris in noſtro Electoratu, ac incorporatis Provincijs publicare mandavimus. Actum Dresdæ 24 Auguſti.

Hic incipiunt characteres Andreæ C. Załuski Epiſcopi Principis Varmienſis S. R. Cancell. Innocentiæ & Veritatis ſub Epiſtolari ſtylo ad normā priſcæ Græcæq; Familiaritatis, Authore ſe ipſo veniā petente, ſi indignatio juſta aliquem læſerit.

CARDINALI RADZIEIOWSKI ARCHI EPISCOPO GNESNĒSI PRIMATI, & PRIMO PRINCIPI REGNI POLONIÆ.

Dresdâ 19 Septemb.

COmplevit hodie manus Domini tangens me, quod pridem obliquus tuus Eminentiſſime Primas in perſonam meam, & miniſterium deſiderio deſideravit affectus, & in quo intentiſſimâ curâ laboravit. Verificatur jam nunc ille Scripturæ Sanctæ locus: Et ecce verſus fuerat gladius uniuscujusq; ad proximum ſuum, dum Summus in Regno Sacerdos mutatus in delatorem.

Contineo juſtum impetum, cohibeo coactum dolorem, rationem, quàm affectum ſequi malo, veritati tantùm ipſi præciſè indulgeo, quanquam plaga recens, & adhuc in vulnere primo ſcribere me fortiùs, quàm aliàs ſoleo illis, quos veneror, & quorum nominibus ſemper aſſurgo cogit, vel invitum.

Nemo tenetur honorem reddere ei, qui vituperium ſibi facit. Veneratus ſacram Cardinalitiam Purpuram, quæ habet in te quod erubeſcat, ſcribo tanquam Confratri, Conſenatori, & tanquam Primati, præſcindendo ab Emiñma dignitate, cui ſummus honor debetur ab omnibus, à me ſemper exhibetur.

Non tantùm enim neceſſariò ſed etiam juſtè ad eo modo ſcribendum tibi deſcendo. Qui in id honoris erectus in Regno noſtro, ſuper quem aſcendi non poteſt, humili te, ac depreſſo loco putares ſtare, ſi non ſupra Remp. ſtares, ſi non ſenſus tuos non pro, ſed contra Patriam agentibus contrarios opprimeres, & quod magis aggravat, ſtomacho, non ratione, contumeliis non documentis, maledictis, non veritate utereris, tanquam datum ſit jus, optimum quemquam vexandi, & ex ipſa inimicitiarum gloria, gloriam quærendi.

Magis hæc, crede mihi, dedecorant perſonam tuam, quam geris, quàm me, in quem ſcripſiſti, cui nocuiſti. Objecta ego antea tacendo ferebam potiùs, quàm refellebam, Stoica animi firmitate ſpernebam ea, & longè infra muneris mei dignitatem nixus conſcientiâ, optimæ voluntatis, ponebam obliquos calumniæ ictus, maſculâ virtute avertebam, atq; eludebam. Cachinnabar ſæpiùs, quàm ſtomachabar, ſemper enim paleas in me non tela, pulverem non ſaxa, fumum non ignem jactari credebam. Omnes inſimulationes inanes, leves, calumnioſas minùs habebam, atque non ſuperbo, ſed ſublimi, & generoſo pede ridens inania famæ conculcabam, ficta factis diluendo, ſemper ita paſſus injurias, ut vide-

A.C. 1705 viderer non ſenſiſſe. Et nunc fortiter iniquæ ſortis furorem ſupportarem, ſi hoc meum non cumularet dolorem, ſi hoc non me adigeret, (etſi ſilere mallem) ut ſcribam, quòd Princeps Sacerdotum, Co-Epiſcopum, Primas, primuſq; Senator, Reipub. Miniſtrum & Conſenatorem (poteſtnè atrocior injuria eſſe) accuſavit, & ſit venia verbo, falſâ accuſatione ad eum induxit ſtatum, ut niſi eſſet Pater, ſapere eum dicerem haud bebè. Quis hanc telam texuit? quis deduxit machinam iſtam? quis rexit? quæ ſic eſt nigro ſale referta, ut ſi tantum haberet ſolidi candoris, quantum extremæ malignitatis, nihil eſſet eâ vehementius, & acrius. Cogitaſtine Eminentiſſime non tantùm id, quo ego dignus eſſem, ſed quod te deceret? Quomodo verbis unquam ſatisfacies, quod re mihi malè feciſti?

Tam alienus ſum ab eo flagitio (vivit Dominus) quo me ſine charitate Chriſtiana aſperſiſti, ut ſi adverſus illud cenſores creandi forent, ego inter primos in veſte candida eum magiſtratum petere auderem, etiam hâc lege propoſitâ, ut ſi quæ de candidato unquam vel minima ſuſpicio eſſet, petere non liceret.

Clandeſtinis cuniculis exiſtimationem, & famam meam aggrederis, ſi honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant, ſi turpia, quid refert, neminē ſcire, cum tu ſcias, quanquam hæc jam in faſtis ipſis popularis famæ jactantur & ampliùs jactabuntur, & ex te eſſe hanc infortunii mei cauſam cauſarum, nulliq; id vel me non affirmante dubium eſt. Si aliquid vel in Patriam, vel in Regem peccavi, cur non palàm dicis; cur non publicè, ſed ſecretò accuſas! Non ſatis erat, quanquam ſatis ſuperque eſſe debebat ultionis, Varmiam Epiſcopatum quondam tuum, odio mei eóque injuſto in prædam demonſtraſſe, & dediſſe, niſi & me in extremum hoc infortunii redegiſſes. Præpoſtera res eſt inimicum ulciſci, deinde accuſare. Ex hoc fonte malorum omnium meorum erumpunt rivuli, ex quibus apparet vera objecturum, ſi poſſes.

Quia ego operoſæ ſervituti tergum non incurvavi, quia ſæpiùs ſcipioni arundineo inniti renui, minui jura libertatis, non pravo initio ægrè tuli, pravis conſiliis recta oppoſui, ſoli tibi, plùs quàm cæteris omnibus tribuere authoritatis recuſavi, quia propoſiti mei ſumma ſemper erat, ut quod ſentiebam, loquerer, quod loquerer, ſentirem, quia rationi ſemper malui deferre, quàm authoritati, quia nihil opinionis causâ, omnia conſcientiæ faciebam, populo ſpectante fieri credens, quidquid me conſcio faciebam, quia à novo conſulendi modo non abhorrebam tantùm, ſed etiam abhorreſcebam, quia ſpartam, quam nactus ſum animo non facilè in diverſa flexili ornabam, quia procul eventura vidi, ut totius Reipub: de me judicia ſuſtinerem, & aliqua ſaltem ex parte illius expectationi reſponderem, à ſenſu imò errore in quem multos duxerat fragilitas, in veritatis viam reduxi, quia operam dabam, ne quid eſſet, quod in me quiſpiam reprehenderet, quia Dno adhæſi, & pro veritate ex fide pugnans opus illius impigrè feci, ideo ægris oculis odioſa lux erat, quæ puris amabilis, cum flecti nollem, frangi debebam, ideo deveni ad ſummam malorum lineam, ideo (opus fide ſuperiùs) ex eo tempore, uſq; nunc amplificatum priùs, quàm planum factum crimen, ſuſpiciones loco probationum allatæ, & cùm cauſa laboraretur, falſa rixa quæſita, & nullo merito meo, contumelia tam bene inventa, & diſpoſita.

Undè autem ſcintilla hæc ad hanc flammam exarſit? niſi à te Eminentiſſime Dñe, cui quidquid ira dictavit, quaſi contumeliis, probris,

con-

conviciis res peragi debeat, turbare me, & odioſum facere utiq; parti in A.C. 1705
animo erat. Poteram ego felicior eſſe niſi melior eſſe voluiſſem. Noverant omnes, cuncti damnarunt obliquum hunc tuum in me affectum, qui, quia nimius erat, modum non habebat.

In publicis Lublini Comitiis nolens, invitus, coactus, ſpicula depuli, contra nihil jaciens, ſcuto tantùm non gladio uſus. Propoſuiſti in facie Reipub. contra jus ſigilla Regni me tenere, reddebam ea, quia magis hunc honorem inveni, quàm quæſivi, diſpoſitioni Regiæ deferendo, non in planum modò cum illo celebri Romano cive, ædes meas, honorem meum, ſed etiam collū ſubjiciendo, monſtravi palàm plus apud me valere publicum bonum, quàm nominis mei rationem, ſed cùm voluiſſes facere mihi malum, DEus vertit illud in bonum. Tota enim Reſpub. nemine excepto, non delationi tuæ, ſed fidei meæ detulit, & ipſe tibi mala cudiſti mihi mala cudens, cùm per quod exiſtimationem, & gloriam meam petebas, per ea ipſa non modò reſtituta, ſed etiam corroborata, aucta, illuſtrata.

Aggreſſus eras famam, & honorem meum & Varſaviæ (cùm nunquam deſit volentibus carpendi materia) ut benè notum Eminentiſſimo Cardinali Pignatello Nuntio tunc in Polonia præſenti, ſed patuit clarè, & evidenter nec veri ſimilitudinem, multò minus veritatem oppoſitam mihi fuiſſe, cùm in probationibus defeciſſes.

Jam dudum ego noviq;, & ſentio ſiniſtrum hunc tuum erga me animum, ſed poteſtatis tuæ hactenus non erat abſolutaque facultatis, minoresq; erant vires, quàm virus. Non defuerunt venti, quibus laceſſitus ſum, ſed non erant tam validi, ut me potuiſſent movere. Famæ os ſemper clauſi, nec efficere potuiſti, nox ſit ut atra dies; ex umbra in ſolem actiones meas eduxi (nunquam ſpina vulnerat bonos (ex meritis partam invidiam, inter titulos numerando, juſtam ſemper defenſionem oppoſui, cùm opprimebatur innocentia. Religione rem temperabam, crimina objectâ veritate refellebam, nihil etiam coactus de actionibus tuis ſubnotabam, nec more defuncti Epiſcopi Opalinski ullo verbo exiſtimationem tuam læſi, amaritudinem atrocitatemq; miſſas feci, nec me fraternæ charitatis immemorem monſtravi, & indè magis ingenua virtutis eminebat victoria, ſed nunc dant animum ad loquendum ultimæ anguſtiæ, quas excuſabis, & in bonam partem accipies, ſi in impetu doloris ingrata profero, dum ſunt juſta: Dici hæc non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent. Difficilior eſt moderatio, ubi propius dolor accedit, quis enim tam firmo, & tam ferreo pectore, qui diutius ijs ferendis ſit?

Eſt mihi hoc dolendum quidem, quòd nullo conceſſo jure hæc fiant mecum, ſed multò magis illud, quod origo calamitatis, fonsq; ærumnarum à Primatiali veniat manu. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, Reipub. tantùm morbos ſub Primatiali nomine auctos incuſavi; nunc Alti tonantis Fulminatricem invoco dexteram. Judicet Dominus Arbiter hujus diei inter Iſraël, & filios Am̄on. Lapſus ubi? quid feci? Officij quid omiſſum? quæ prætergreſſus? quid geſtum tempore, quid non? ſcis hæc benè Emin: Dn̄e, ſciat mundus nullo modo eſſe, quæ non ſunt, non præſumi debet crimen, ſed probari.

Falleris in multis, & periculoſâ authoritate alios fallis. Potentum quales ſunt actiones, talis æſtimatio. Exorabant multi benè ſentientes, ſed in caſſum deprecabantur, ut à deſtinatis recederes, tranquillitatem publicam non impedires, mala hæc ceſſare faceres, quæ omnes maledicentes

A.C.1705 dicentes nunc vicem ſuam, qui in eam diem, & Primatialem tuam dignitatem exiiſſent, nunc filiorum ſuorum, quòd non poſt eam nati eſſent, deplorabant. Cùm ab hoc fonte tot calamitatum ſcaturiunt Iliades, ut ægrè ab afflictionum pondere reſpirar: concedatur.

Sed comprimo calamum reſecando injuriam, non retaliando, exprimere eam, & publicam, & privatam neceſſitas, non voluntas coegit, minuat, mordeat, lædat, labefactet, obſcuret malignitas famam meam, citiùs franget dentes, quàm imprimet, ultima talis erit, quæ mea prima fides. Cæterùm de omnibus ſentiens honeſtè, de me modeſtè. DEo fretus homines non timeo, ſufficit mihi fiducia in conſcientia poſita, & Supremi Numinis præſidium, cui corda omnium extra, & intus patent.

Voto autem, non querela finio, ut Emin: Vra tandem commotiora ad omnia turbanda relinquens conſilia, quaſi ovis in veri Paſtoris caulas reportetur, & utinam tantum prodeſſe poſſit Patriæ, quantum voluit nocuiſſe.

JOANNI SZEMBEK PROCANCELLARIO REGNI POLONIÆ. 21. Septemb.

REM novam (ſi nova tibi eſſe poteſt) & hactenus impracticatam, tanquam fundamentali legi omnibusq; juribus liberæ gentis noſtræ contrariam defero. Unde dolorem non tam ſentio propter me, quàm propter conſequentias (quod mihi hodie, cui non cras?) oſtendo & quanquam cùm omnia mihi deerunt, ſuperſit animus, & in præſenti ſorte mea non aliter, quàm rupes aliqua in vadoſo mari deſtituta, quam fluctus non deſinunt verberare, ſed nec loco commovent, nec per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt, ita & ego conſtantem ſemper animum gero, gerámq;. Non poſſum tamen tacere, & collegæ meo, quid ærumnarum mihi acciderit deferre.

Dabitur licentia improbitati optimos quosq; contumeliis vexandi, cùm non quod æquitatis, ſed quod poteſtatis mecum exerceatur. Multa in ſpeciem cauſæ jactantur, ſed ea falſa, nec unquam probanda. Secretò credidit optimus hactenus Rex palàm iratus, & peſſimi delatores plùs fidei invenerunt, quàm fidele nec ulli ſuſpicioni obnoxium obſequium meum.

Eſſet poſtulandi locus, utrum ratione factum, an præcipitantia? Maledicentiæ ſuæ frena intemperanter exolvens unus ex peſſimis domeſticis meis, prius me prodidit, quàm proditionem intellexiſſem, & fidē invenit. Servus tortus conſcium furti quondam Catonem dixit, ſed juſtitia reſtitit, quid agitis utrum plùs tormentis, quàm Catoni creditis? Non ego hanc inveni gratiam, non datum, quòd unum innocentes oppreſſi percipere gaudium poſſunt, tempus juſtificationi neceſſarium, omnia non tam ratione, quàm impetu acta. Et quanquam leges poſtulent, ut reus ipſe accuſationem audiat, & dictâ pro ſe causâ expectet judicum ſententiam, quanquam eædem leges neminem carcerari, & condemnari permittant, niſi jure victum, tamen ego ad ſiniſtram relationem condemnatus, & incarceratus hæc ſcribo. Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet. Jámne Polonia noſtra in ſervitutem non it, ſed cadit? ſi aliquos fortuna liberat hâc pœnâ, metu neminem.

Poteram quidem meritis meis factum hoc avertere, quorum nemo fidelior teſtis, nemo magis conſcius, nemo frequentior laudator extitit, quàm tu; Nec perturbaris iſtis anguſtiis, ſed cum charactere Epiſcopali,

li, ad Pontificis, ex Officio Senatoris, & Miniſtri ad Reipub: pertineam judicium, illuc humiliter remitti peto, ubi pro meorum qualitate factorum judex verus, & juſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia. Reſpondebo audacter, quia conſcientia recta teſtimonium prohibebit, & verba ſuggeret ad objecta calumniatorum in deterius recta torquentium. *A.C.* 1705

Non invidebo interim altiùs ſtantibus, & ad ea tempora veniſſe me arbitrabor, quibus credi debet, cælum unius poſſe humeris inniti. Non reluctabor fortunæ ex profeſſo mihi infeſtæ, dignitatis jacturam libens, modò juſto judicio exponam, & latam oſtendendæ virtuti nactus materiam amiſiſſe me libertatem dolens, ſed non ſentiens feram caſum. Sæviat fortuna quantùm velit, nulla poteſt calamitas intervenire tanta, ut vel culpam profitear, vel veniam deprecer. Non defui unquam officio meo in Principem, & in Patriam, & hæc calumniæ vis cum ſumma malignitate illata, non deprimet virtutem, ſed extollet.

Apertè ergo loquor, & circuitione nullâ utor, ſi quid feci, ſi quid commerui, ſi quid peccavi, judicer, non præſumi, ſed probari crimina debent. Conſideres ſi non juſta, ſi non æqua peto? ſi ſinguli ita lædemur, univerſi periclitabimur.

Inter Byſantinos Oratores unus interrogatus, qualis Byſantiis lex eſſet? qualem ego volo reſpondit. Quæcunq; tu voles omnia facilè fient, nullum calamitati meæ ſolatium efficacius, quàm in tua fideli, & ſincera repræſentatione repono. Et cùm invalidum tantùm natura ſit querulum, nihil amplius dico, & taceo. DEum pro perſequentibus, & calumniantibus me rogo, & ad te (ſine quo nihil) iterum cum plena fiducia recurro, maneoq;.

CONSTANTINO SZANIAWSKI REFERENDARIO M. D. L. CANCELLARIÆ MAJORIS REGENTI, CANONICO Varmienſi 21 Septemb.

DUM ſcribo Domino Procancellario, ſcribo tibi. Conglutinatæ enim animæ veſtræ, nec eſt quod latet, unum, quod alter ſcit. Cùm tamen magno dolori ſufficientia verba reperire difficile ſit, ſeparatim & confidenter ſcribere placuit, quanquam melius ſit aliquando vel cum cauſæ detrimento tacere, ſolo interruptæ fidei teſtimonio contentum.

Nihil profuiſſe fidei meæ ad omnem Legem exactæ, nihil diligentiæ, & operæ, ne quid eſſet, quod quiſquam in me reprehenderet; facilè concludes, cùm id, quod nunc patior, non culpâ meâ, ſed proditione mihi accidiſſe ſcies. Veniet enim tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies attrahet.

Quem tandem titulum mea calamitas habebit, non ſum par dicendo, nam miſeriis victus, depreſſus, obrutus, vocem quoq; ipſam in tantis perdidi malis, quæ miratur noſtra, atq; omnis mirabitur ætas. Ne tamen in poſterum taciturnitatis me meæ pigeat, vel pudeat, amicis communico, omnia enim hæc, quæ occulta exiſtimantur, jure cognitionis publicæ detegi debent, ut malis in aperto poſitis innoteſcant cauſæ. Toleranda quidem ſors eſt, cùm robur neceſſitatis ſit inexpugnabile, frangenda hæc omnia tela, ſcutum proferendum contra inimicos, gladius non ſtringendus.

Lugenda potiùs, quàm legenda, nec ab iis, qui fecerant laudanda infelicitatis hujus meæ, quæ in hominem cadere ſuprema poteſt hiſtoria, poſteris erit. Ho-

A.C. 1705 Honores ego ſemper admiſi potiùs, quàm quæſivi, & nunc nullâ culpâ meâ, illorum operâ apud quos veritas, & calumnia juxtà valent, privor illis indignè immeritus. Quomodo hæc diſſimulanda? & dolor quem graviorem pudor facit, quomodo continendus?

Scio ego, quòd DEI maximi beneficio, divorumq́ auxilio, qui juſtæ cauſæ nunquam deſunt, veritas, quæ eſt filia temporis, clarè patebit. Et quamvis non audeam comparare me, qui ſe ipſos commendant, illud tamen pati nequeo, quod cura una, & unum ſit ſtudium illis, quibus lapides cenſentur, qui floſculi ſunt, optimos quosq́ calumniâ opprimendi. Patior quidem forti corde, & ſepoſito metu, omnia hæc quæcunq́ præoccupatæ mentes, & lingvæ in me conjiciunt, unicum contra omnes calumnias innocentiæ præſidium habens. Sed conſideres precor, an non ſatis datum fidei, quam Regi meo debebam, res certè me tacente loquitur, armis ſuis profligatur facilè mendacium.

Vana hæc, quæ Euripi in modum alternis vicibus affluunt, ac refluunt, contemnere ego jam pridem didiceram, & cum magno illo dolij habitatore meâ virtute me involvebam. Cùm tamen non intra verba malignitas conſiſtit, ſed ad hæc violenta procedere coegit, quæ mihi glorioſa, authori non ſatis honorifica ſemper erunt, poſtulat hoc miniſterium meum, ratio ſuadet, fama obligat, conſcientia ſtringit, jubet ætas jam ad occaſum vergens, ut intaminato honori, & domûs, & perſonæ meæ publicas dem vindicias. Feram & perferam usq́, quæ patior in corpore, ſed tamen apertè loquar, injuſtè me pati, injuſtè delatum. Tam autem ſcio, cujus ſit hæc techna, quàm me vivere.

Patefiet veritas, & nunquam aliam contumelioſius videbit mundus factam injuriam, quàm hæc eſt mihi, circumventus iniquè, impiè, extra noxam accuſatus, ſuſpicione me brevì exolvam, injuriam inclementer illatam expurgabo, crimine falſo me expediam, & ſicut per oſtium ſemper ad honores intravi, ſic me in illis, & totus quamvis illabatur orbis, conſervabo.

Quanquam opes, honores, dignitates, ridebam ſemper, & flocci pendebam, ſatis beatus, ſi me virt⁹ comitaretur, & bonorum amor, quam DEUS fovebit mentem quamdiu vitam. Illatam nihilominùs per temeraria judicia, & præcipites condemnationes, injuriam non feram, non patiar, non diſſimulabo, extorquebunt pondera vocem, & re verba cõfundam, nec ex rumoribus vulgi ſtatuendum convincam.

Ut nix ſolis radios, ſic fraus veritatem ferre non poteſt, utraq́ defluit, illa in lutum, hæc in confuſionem.

Confidenter ergo te, & fraternè compello, ut innocentiam meam defendas, tibiq́, & aliis perſuadeas, inconvenienter, & injuſtè hæc fieri, quæ fiunt, proq́ affectu tuo anguſtiis meis aſſiſtas.

LUDOVICO ZALUSKI EPISCOPO PLOCENSI FRATRI SUO
22 Septembris.

CUm jam in hanc horam fama publica, cujus pedes veloces, perferre potuerit infortunium hoc, quod omnes homines, ex omni populo, tribu, atq́ lingva mirantur, unde famæ meæ, & exiſtimationi aliqua labes ab iniquis, & omnia in pejorem partem interpretantibus inuri poteſt, revelatâ fronte, & pectore tanquam fratri defero hæc, in quibus magis video, quàm indignor, ne quid præjudicatæ opinionis afferatur, ne inimici, qui hoc malum cauſarunt, etiam ad fallendum

dum compoſitis verbis multitudinem referant. Minus patitur, qui patitur. Communico injuriam, & ſimul certiorem reddo, quòd eam eò æquius tolero, quò iniquius illata. *A.C.* 1705

Tu, qui ſenſus meos perſpectos habes, cui ſtatus vitæ meæ, qui is eſt, ut ignorari non poſſit, eſt perſpectus, judicabis utrum hæc, quæ mihi oppoſita, & non probata, dignum aliquid criminis carcere habeant, ad quem damnatus. Noſcitis viri fratres mei, quòd totis viribus & vos, & ego ſerviverimus Dño, quòd debuimus facere, fecimus, bona omnia, fortunas perdidimus, & pro hoc zelo ecce præmia noſtra, ecce merces noſtra copioſa! conſilium fecerunt inimici mei, ut me dolo tenerent & accuſarent in multis, expectatorantes priſtinā malignitatē, pingentes & quæ pingi non poſſunt, omnia falſa objecerunt. Multi palàm, & plures occultè, cum juſto bello ſuperare non poſſent ex inſidiis aggreſſi. Omnia hæc ùt non expectata & me, & omnes reddunt attonitos. Conſurrexit ex domeſticis, qui inimici mei ſunt plerumq; à primo capite appretiatus Clericus ille toties malè notatus Chmielowski, qui lucri aviditate præponderante pietatem domeſticam, dixit quæ dicere juſſus, nec inventus eſt, ut olim verax Orator unico teſte in judicio allato Judicibus exprobans, uni teſti nè ſiquidem Cato eſſet, non credendum eſſe.

Quantùm hoc feriat in honore, feriat in anima? paterer facile injuriam, ſi eſſet vacua à contumelia, ſed illi hoſtes eò graviores, quia contra diſſimilem omnem nocendi voluntatem exerere non dubitarunt. Unum concedendi petii mihi munus, idq; unum ſummis uſq; peto precibus, ut liceat Regi optimo loqui, ut liceat ad Judicem competentem mitti, cum nulla ſit ærumna gravior, quàm ſilere, cùm defenſionis media ab ipſa innocentia ſuppeditentur, de qua omnibus conſtabit, modò loqui liceat.

Video ego evidenter, quòd illi, qui meritæ tot per annos gloriæ meæ, non tantùm invidebant, ſed etiam inſidiabantur, honores quos pacatâ Republicâ habere non poſſent, turbatâ in omnibus membris avidè captant. Illi certè ſunt, qui dum clàm, aut palàm partium ſtudia fovent, non eò inclinare ſolent, ubi veritas, ſed ubi applauſus uberior aucupis honorum, pecuniæ ſpes, ſimiles illis, qui angvillas turbato quærunt ſtagno, aut qui aliorum incendiis, vel naufragiis rem faciunt, ſcorpionum more, qui dum ludere pauliſper videntur, aut blandiri, mox obliquâ caudâ feriunt.

Vix me hîc teneo, quia effluam, quin dicam omnis mei initium, & cauſam mali, quin nominem illos, qui inter ſe diſſentientes convenerunt contra me. Sed indicare eos mallens, quàm nominare, pudori eorum parco, & taceo propter charitatem Chriſtianam, quam ipſi abjurarunt. Audietis illos ab aliis, ſatis & ipſi facilè divinabitis.

Triumphant nunc, & vix non Cæſaris victoriam, Cannas & Hectoris cum Achille Monomachiam jactant. Si ego minutos iſtos DEOS caviſſem, ſi non flocci feciſſem, non cogerer nunc hodie iſta devorare. Interim tamen obſecro te, alioſque chariſſimos fratres, per quidquid eſt divinum, atq; humanum, ut nec minimum vindictæ gradum incipiatis, ut affectum ponatis. Creſcat Roma Albæ ruinis, nos crudum dolorem mitigemus, atq; mergamus, & ad id nos componamus, quod ratio ſuadet, ad quod neceſſitas cogit. Et quamvis homines ſimus nō ſcopuli, & illiſione rerum fortuitarum moveamur, ſupremæ nihilominus voluntati noſtram ſubmittamus, à qua robur in hoc mœrore noſtro certum, modò æquus animus ferat, quod illa jubet, levc fit, quod be-

A.C. 1705 nè fertur onus.

Mittam tibi brevi relationem infortunii mei eò veriorem, quòd primæ in terris poteſtati Vicario Chriſti tranſmittendam.

Frater noſter Dominus Palatinus Czerniechovienſis contraria omninò promiſſis patitur, & quanquam ſi culpa eſſet, mea eſſet, ille tamē in eadem mecum cum tota domo, ſororeq; noſtrâ navigat navi. Sed ferenda, imò, ut jam dixi, devoranda hæc ſors eſt; fruſtra enim nos vexat, & urit, quod emendari non poteſt. Contra Regem iterum iterumq; precor nihil dicatis, tantò minùs faciatis, diligentius Dij coluntur irati. Me ametis, uti ego ſoleo, & omnia bona, quia bonum DEUM habemùs, expectetis.

CAPITULO VARMIENSI Eâdem die

INnotuit jam credo, fratres chariſſimi, infortunium meum, tanquam pretium pro miniſterio, in quo cultu rituq; perpetuo in conſpectu omnis populi Regi meo, & Patriæ ſervivi. Teſtes ipſi, & conſcij fuiſtis, quòd temporibus mutabilibus, immutabilis in Regem fui, ac proinde inexpectata hæc novitas plus aggravare & pondus adjicere calamitatibus deberet; ſed vellem fratres chariſſimi, omnes vos eſſe ſicut me ipſum, ſedulò cogitans, neq; meo ab animo unquam dimittens, quòd quidquid adverſi contigit mihi, à DEO imittitur, qui quòd ſaluti meæ expediat, longè quàm ego ipſe meliùs noſcit, obſirmata ad tolerandum quanquam lugubri mente nihil flectens, nihil fluctuans divinæ voluntati morem gero, cui nemo poteſt obſiſtere, eiq; totum me trado. Quid ſtultius, quàm nihil proficientibus more Gigantum velle cum illa pugnare.

Æquo proinde animo fero, quæ emendare, vel mutare non poſſū, & DEUM quo authore cuncta eveniunt, ſine murmure laudo, & etiam ſi interdum non poſſum, quin doleam, cùm cogito illud mihi ab eo contingere, à quo minimè ſperabam, tamen quoniam ita viſum eſt cœlo, exercere me per illos, qui ut muli in matres recalcitrant, & per hæc dura, & aſpera ducere ad metam, quæcunq; deniq; accidunt adverſa, mœſtitiâ animum nequaquam dejectum, nec hâc mutatione exaſperatum habens, nónne & Dominus tam indigna pro me perpeſſus eſt? patior depulſis moleſtis ab animo cogitationibus, & omnia adverſa ſuſtineo, ſpem auxilii ejus non abjiciens. Nunquam enim ille à ſuo eos auxilio deſertos relinquit, quos in filiorum loco diligit, quos præcipuâ providentiæ ſuæ parte complectitur.

Potentiorum autem injurias hilari vultu, non tantùm patienter ferendas eſſe ſciens, quæ plerumque non incidunt, ſed veniunt, glorior in tribulationibus, in perſecutionibus, in anguſtiis totas perpeſſæ calamitatis pœnas, tot peccatis meis debitas, Divinæ voluntati, arbitrioq; permitto. Credo DEO, confido DEO, ſpes omnis in ipſo, quæ enim eſt expectatio noſtra nónne Dominus, qui ſolus poteſt educere me de terra Ægypti in fortitudine magna, & manu robuſta. Omnis ſors mea beata eſt æquanimitate tolerantis, ſpem non dubiam habens, quòd confundetur calumniantium malignitas & illud quod putabat facere materiam afflictionis, ego faciam eſſe virtutis, dum veris falſa redarguens, repoſitam recipiam coronam juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus. Objecta mihi ſunt, quæ non modò verà non ſunt, ſed nec veri ſimilia, & ſic virtus cedere debet, proſterni tamen non poterit. Utique hæc à ſuprema voluntate dicta homini Chriſtiano eſt lex, premi, jactari, concuti.

Secu-

Securus interim & plenus fiduciæ, plenus animi, vitæ anteactæ, conſcientiæ, & ſenſus, illibatæ integritatis, non tam hoc deterreor periculo, affligor infortunio, quàm diſrumpor dolore, quòd tamdiu conſortio dilectiſſimæ ſponſæ meæ caream, & hoc eſt, quòd non re ſolùm, ſed & cogitatione moleſtius mihi eſt. Major hæc venit indè ſuper me tribulatio, quòd in hoc rerum motu, & metu, aſſiſtere illi nequeam. Teſtis tamen eſt mihi DEus, cui ſervio, quòd vos porto in ſinu meo, quòd Dominum DEUM pro omnibus vobis oro, quòd ſine intermiſſione indignis precibus meis memoriam veſtrî facio, ac proindè firmiter credo, quòd ille non relinquet vos orphanos, quòd me non permittet mori, donec videam faciem veſtram, Dominus eſt, quod bonum in oculis ſuis faciat. Oratio interim pro affectu reciproco, quem demereri ſemper cupiebam, fiat pro me pro peccatis meis, & imprimis pro Ssmo Dño noſtro Clemente Pontifice Maximo, & pro præſentibus neceſſitatibus, ut videns videat afflictionem populi ſui, & miſereatur. Inſuper ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem DEI, & refrigerer vobiſcum. DEUS autem pacis ſit cum omnibus vobis.

PETRO KCZEWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI
24. Septemb.

Abitus tuus tam inſperatus non ex vano perſtrinxerat cor meum, ſi fuiſſes hic, ſi quid acceſſiſſet læti, gemina fuiſſet mea voluptas, ſi quid mali, uti ſatis eſt ſuperq; mali, amor in me tuus dimidium ademiſſet ægritudinis. Non ſentire infortunium & dolorem recentem non eſt hominis, ego hominem me ſcio, & niſi ratio temperaret, etiam lacrymas fundere non dubitarem. Cognoviſti ex aliis quid factũ ſit mecum, ex me ſcito.

Incipio cum Scriptura. Audite hoc Senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, ſi factum eſt ſimile huic in diebus Patrum veſtrorum! Filijs veſtris hoc narrabitis, & filij veſtri filijs ſuis, & filij eorũ generationi alteri. 3tiâ die poſtquã (ne ſcilicet acceptæ contumeliæ deformis fuiſſes teſtis) Dresdâ abiiſti, accuſationes in me multæ, & accuſatores non pauci ſurrexerunt, ille Chmielowski, ille Venerabilis Kors appretiati, qui manducaverunt panem meum, levaverunt contra me calcaneos ſuos. Multas & graves cauſas, quas tamen ego necdum ſcio, objicientes nunquam probaturi, de quibus me accuſarunt teſtimonium mihi reddente conſcientiâ. Cuſtodiæ ergo traditus ſum, tanquam in recenti crimine non auditus periniquo jure, & ſumma characteris Epiſcopalis, & legum Patriarum cum injuria. Cauſa, quæ nec civilis eſt, criminalis facta eſt. Reus actus, atq; peractus ab iniquis meis, atq; invidis, qui ita juſſerunt, inſtiterunt, urſerunt, coëgerunt. Parricidam non eſſe afficiendum ſupplicio, niſi legitimâ viâ convictum, & condemnatum leges jubent, mihi, magnum dico, ſed verum eſt (magnum enim eſt, quod verum eſt) defenſio omnis adempta, & ſine ullo examine ſub cuſtodia conſtitutus ſum. Quis unquam pronuntiat, priusquam alteram quoq; partem audierit. Ne judex fueris, partes ni audieris ambas. Facta fuit pro ſe dicendi poteſtas Miloni homicidæ, facta Verri ſacrilego, facta Catilinæ parricidæ. Oreſtes quoq; cùm ſuam matrem propriâ manu occidiſſet, tamen in defenſione non facti ſed juris auditus eſt. Hic ad famam falſa pro veris ſæpiùs tradentem, malitiosè potiùs, quàm verè à peſſimo ſervo vix accuſatus, & ſtatim condemnatus ſum.

A.C. 1705 Qui verò lapidem hunc volverunt, & hanc telam texuerunt, venient ſtatim in mentem, præterita reſpicienti, præſentia tangenti, nec ſunt ex abdito eruderandi. Scio ego, quòd malignitas non poterit usq; adeo tegere lumen veritatis, quin illud per obſtantia brevi erumpat. Contrahere cælum, ſolemq; nubes poſſunt, diem auferre non poſſunt. DEus, coram quo omnia nuda Numina conſcia veri, & ipſa rei veritas ſe tuebitur, ipſa ſe falſitas coarguet. Medicus omnium neceſſariorum malorũ tempus eſt, quod innocentiæ meæ veritatis teſtimonio medebitur.

Rem inauditam à Polonia condita, nec audiendam futuris ſæculis, ut geſta eſt ad ungvem pro filiali confidentia juxta ac debito Pontifici Maximo deſcribere debeo, vera erit, quia Vicarij Chriſti oculis legenda, poſtquam mittendi originalis ſecuram occaſionem nactus fuero, quæ ſi unquã aliquando, nunc certè mihi difficilis eſt, copiam tibi ſuo tempore communicabo. In qua plùs, quàm Religioſâ Hiſtoricorum fide, cùm ſingula eventa amplioris eſſe deberent expreſſionis, ea tantùm dicam, quæ memoratu digna acciderunt, & quæ omninò prætermitti non poterunt.

Deſino nunc, nec enim libet licentius exſpatiari in hoc querelæ campo, hoc tantùm liceat repetere, quòd dicta in me inimicorum à factis meis, ut non cælum à terra longius diſtant. In officio hoc laborioſo, & addam invidioſo id mihi negotij credidi ſolùm dari, ut ita muneris ratione in ſolem evocatus viverem, quaſi omnes cenſores nactus fuiſſem. Poſt editam animi conſtantis, fideiq; inviolabilis famam, id egi, ne factis, atq; conſiliis meis quidquam fucatum, aut falſum ineſſet.

Recordabar bene magni illius inter Græcos Civis memoratu digna verba, qui cum in eum multis inimici invecti erant maledictis, reſpondit: ego utilia populo conſului, ſed non parebant mihi. Idem Antipatro in re minus honeſta operam ſuam requirenti aſperiùs dixit: Non poterit Antipater me ſimul & amico uti, & adulatore. Adulatorũ aſſentatio perpetuum malum Regum, qui cùm ea, quæ volunt, libenter audiunt, ſibi adulari ſinunt, & falli æquo animo patiuntur. Adferebam ego, non quæ placebant maximè, ſed quæ credebam optima, & propterea verum dicens factus ſum inimicus. Teſtes proinde ego voco cælum, & terram, poſt calumniam natam turpiore, & apertiore calumnia neminem petitum fuiſſe. Ego tamen his non perturbor, quæ meæ poteſtatis vitare non erat, ſpesq; bona me tenet, quòd DEUS lentus, ſed certus vindex, qui ſolus eſt omniſcius, & erroris expers, non homines qui quotquot ſunt, opinantur, vacillant, errant, ab his anguſtiis & calumnijs me liberabit. Hæc in crudo dolore.

ALEXANDRO SALLAROLI THEATINO 26 Septembris.

Æquè tibi mirum erit, quàm certum eſt ante dies quinq; hoc eſt 19. Septemb: vocatum me ad Sereniſſimum Regem, ubi quæ mihi ventura eſſent ignorans, dum comparui ſine dubitatione accerſitus, incepit loqui mihi tanquam poteſtatem habens, & oſtendere magis inimica, quàm vera objecta, literas ſcilicet Clerici mei Chmielowski manu exoratas, quem ego ſæpiùs aſini caput nominavi, merebatur enim, ſed eo ex capite ſinuoſo immenſas eum emittere turbas potuiſſe, malo meo expertus ſum, Quid autem in illis literis contineretur, non explicuit, fateri tantùm me, nomine meo, & me jubente eas ſcriptas omninò pro authoritate deſideravit & juſſit. Imperare mœrori

rori ſilentium non potui, quamvis cogitabam, non quantùm ille iratus, *A.C.*1705
ſed quantùm liceat irato, & quid dicerem planè neſcius, dedi dolori, (tactus eo intrinſecùs) non quantùm poſcebat, ſed quantùm conſuetudo in defendenda Juſtitia, & veritate. Profundere etiam animâ pro ea debiti mei, virtutis, laudis, & præmii ducens. Petii humillimè, ne prius objectis his credat, quàm de eis judicet, ut ad fundum veniat, ubi veritas poſita eſt, quam nunc in ſumma terra & levi manu quærit. Addidi, quòd ſi cauſam ſeriò examinaverit, non modò me abſolvet, ſed nec levi quidem pœna mecum tranſigendum eſſe putabit, ſed Regibus boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſemperq; his aliena virtus formidoloſa eſt, non ergo ad ordinem reſpiciens, nec ad dignitatem, tempus, qui omnium conſiliariorum eſt optimus, præſtolari nolens fortiùs inſtitit, ut faterer, & ut darem clavim, quæ ſecretiores illos aperire. & explicare poſſet characteres, ex abditiori loco, quem infallibiliter in veſtibus meis me habere dixit, eruam, illiq; tradam. Non in hoc Regem unquam mores ſui antea ferebant, & ſit cum venia dictum, animum non verè manſuetum, ſed ſeveritatem ejus arte quâdam neceſſitatis cauſâ fuiſſe celatam, nunc demum agnovi, quòd illis, qui altiùs hujuſmodi rem conſiderabunt, dijudicandum relinquo.

Repetii iterum cum ſubmiſſione debita, & ſolita, latiùs diffuſo ſermone, quàm ut hic breviter colligi poſſit, mox verum ne ſit hoc? appariturum, & ut (malitiam magis inimicorum, quàm irâ Regis timens) malorum impetus molliviſſem, omnes quaſcunq; penes me habui extrahere literas, abſcondita quæq; ad conſervandas eas eruere loca, audacter cœpi, conſcientiâ recti fretus, omnia in oculis Regis evolvi, nec quidquam quod quærebatur, & quod invenire cupiebat planè reperit, quomodo enim reperiri potuit penes me, quod nuſquam fuit. Faceſſivit trepidatio, procul abiit metus, timores exciderunt; hanc injuriam mihi indigno illatam, magno animo ferens, ignarus utrum deberem mirari, an timere, nunquam enim nec contra eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere, ſed nec contra ullum didici, & conſuevi, amaritudines forti animo, magnâ fiduciâ, bonâ ſpe cauſam veritatis, cauſam juſtitiæ, nam hæc eſt cauſa DEi, defendi, propugnavi, & evidentes doloris mei cauſas eò liberiùs explicui, quò innocentius petebar.

Sciendum verò, quòd ego tunc neſciebam, & nunc, non alieni enim negotii, ſed mei narrator, omnino non omittendum reor, referens ordine malorum meorum eventum, quem nemo tam crudelis, nemo tã ſævus audiet, vel leget, ut mihi non compatiatur; aliquorum enim judiciis oblatrantium non ſatis moveor, qui in utramq; partem aut amore Regis, aut odio labuntur meo; ſciendum dico quòd in illo cubiculo, ubi hoc magis atrox, quàm longum fuit certamen, parata erat menſa, & pro ſeptem, vel octo Conſiliariis, qui in proximo erant, diſpoſita cum ſedibus, chartâ, calamis, & atramento paratis ad examinandum me, ut ſcilicet confeſſio proprii mei oris decreto formando materiam ſuppeditaſſet, nam quæ ego repentina credidi, illis prævisâ venerunt. Sed cũ Rex veritatem exquiſiviſſet, & ego mendacium dicere non potui, mallens crucem pati, quàm mereri judicium hoc, quod paratum erat, evanuit, & me cùm iterum iterumq; admonuiſſet Rex, ut faterer, & ego iterum iterumq; fateri non poſſe omnino contra veritatem dixerim, abire juſſus, exivi, & infinitos aulicos, qui numerari, ſuppetari non poſſent, & nunquam frequentiorem in Regia concurſum vidi, omnes enim ſcire eventum rerum deſiderabant, quæſivi ubi eſſet Generalis Dönhoff,

 quod

*A.C.*1705 quod mihi pòſt vitio vertebatur, quanquam id ideo feci, ut ad prandium antecedenter à me invitatum duxiſſem. Nunquam minus imperterritum rebus his vidiſſes, quanquam ictus eò gravior, quò minus ſperatus, & inexſpectatus erat. Inveni domi, quem requiſivi in palatio, ſub id enim tempus Conſiliarius Meiler ex Saxonibus cum duobus quos copiſtas in Cancellaria vocant, & Dñus Dönhoff, & Szembek ex Polonis in domum meam miſſi, quo vis non ratio trahebat, omnia ſecretiora ſibi aperiri, omnes meas ſcripturas reddi, nomine Regio juſſerunt, & mei obedierunt, integrum non erat authoritati repugnare, & ſi repugnare voluiſſent...

Inveni eos Commiſſionem hanc finientes, & cum ſumma reſignatione opus inceptum juvi, portari etiam ſcrinia omnia feci, claves reddidi & quidquid intus erat revidere permiſi. Acceptæ ſcripturæ tanquam in triumpho (diceres ipſam victoriam viciſſe) portatæ, egregiam verò laudem & ſpolia ampla! Reviſæ à multis, & pòſt alterâ die mihi remiſſæ ſub ſigillo Regio, ſub quo hactenus tenentur, & ad diem judicij etiam extremi tenebuntur.

Miſſæ interim ſacrificium dici ordinavi, & medio abſoluto, ſignificatum eſt mihi Dominum Colonellum Bretſneider (idem eſt qui Ablegatum Galliæ Dominum Deheron Varſaviæ raptum abduxerat) loqui mihi nomine Regis velle, & cum finem ſacrificii expectare noluiſſet intrare permiſi, areſtumq; perſonæ meæ ex parte Mtis ſuæ impoſitum audivi, factâ provocatione ad ſummum Pontificem, cui ut Epiſcopus, & ad Rempub. cui ut Senator ſubſum, magis indignatus, quàm diſputans, ne dum calcari nolimus, videamur poſſe calcari, non tam libenter, quàm reverenter dictum areſtum, quid enim potui recuſare? ſuſcepi. Poſt prandium Dominos Dönhoff & Szembek ardentiſſimè rogavi, ut Sereniſſimo nomine meo, quàm demiſſiſſime ſupplicarent, ut mihi tres ſolos dies, etiam ſub cuſtodia, ſi ita placet, impertiri velit, modò ſine tam magno ſtrepitu, & ut eo, quo tunc, nunc utar termino, ſine tanta publicitate, & ego honorem meum, & vitam, & ſi quid carius his eſſe poteſt in vadium dare paratus ſum, quòd his tribus diebus claram, nec ulli ſuſpicioni ſubjectam monſtrabo palàm innocentiam; quæ ipſi non promittebant modò ſed & ſpondebant. Et id ipſum per Dominũ Generalem Fleming, qui me eodem die inviſit petii ſupplex, ſed quis jacturâ movetur alienâ! multi ſunt, qui incendium malunt ſpectare quàm extinguere, non ſum exauditus, revellere objecta volentem renuerunt, orantem vel audire aſpernati ſunt, imò ſtatim in portis civitatis, quæ dum ego examinabar à Rege clauſæ erant, & non niſi circa veſperum apertæ, mandatum fuit, ut nec ego, nec quiſquam ex meis dimitteretur promulgatum, & in ſcripto affixum, & ſic quem voluiſſent torquere, tamen nolebant audire, quem nocentem probare confiſi non ſunt, innocentem ſine probationibus condemnare, & inauditò irrogare pœnam fecerunt, id quod petij non obtinui, & factum eſt veſpere, & manè dies unus.

Hic qui ſigillatas ſcripturas mihi in craſtino, ut dixi apportavit, inventa fuiſſe in cifris meis multa nomina aſſeruit, quæ quoq; in literis interceptis reperiuntur, nam id quoq; eodem fine, quo omnia alia meditata ſunt, & facilè id fieri potuit, cum eo modo cum multis ante ſignificandi ſecretiora uſus fuiſſem cum Cardinale ſcilicet Primate ſub tempus interregni, & alijs. Ad condemnationem ergo eò faciliorem hoc artificio uſi ſunt, nomen Regi ut magis in me exacerbarent Prothei,

thei, ipſo Chamaleonte in mutanda forma celeriores dederunt, nullusq; ex præcipuis in aula eſt, quem non immiſcuerint, ut me omnibus odioſum reddidiſſent. Literarum autem harum auctum fuiſſe numerum audivi, heri tres, vel 4tuor fuerunt, & hodie plùs quàm 15 numerantur, heri omnia in cifris, hodie plurima abſq; cifris. Nec mirũ hic, qui ſcripſit primus artifex, cui ad exercendam artem inſtrumenta non deſunt, eſt, nec erit difficilis ad ulteriora, qui antecedenter tanta auſus. Quàm in manu, & ad manũ juſtum verò eſſet, ut hic, (ùt quondam uſus ferebat) qui falſum teſtimonium dixerit, vinciatur apud eum, in quem dixit. *A.C.* 1705

Eodem die hoc eſt 20 Sept:, ſequor enim ordinem, & dierum, & malorum, D. Generalis Dönhoff inſinuavit Fratri meo Palatino Czerniechovienſi, ejusq; uxori, ſorori, & nepotibus meis, quorum unus annos decem non exceſſit, Regis nomine areſtum manendi domi, nec ex ea exeundi, quod mihi dolori fuit, magis alienis periculis intento, quàm meis propriis anxio, mœrore enim illorum macerari, marceſcere, contabeſcere debui, & lacrymis debilioris ſexus futuri expectatione ſolliciti, tam juſtè cadentibus. Quisquis audiet hæc, ſi amicus eſt, deflebit, ſi inimicus, ſpectabit, illi à patriis laribus, à conſpectu natalis ſoli, ab aſſueta aura accerſiti ſpe ac promiſſis ingentium gratiarum, venerunt his freti nunc indignè facinoris, ſi quod erat, participes cùm non ſint, idem ſubire periculum, omni ratione ſubducta, eandem debent pœnam pati. *Franciſcus Załuski.*

Miſſus eodem die Berolinum D. Generalis Fleming, ut majorem informationem clariusq; lumen de hac prætenſa mea correſpondentia caperet. Dominumq; Iligen Miniſtrũm ex primis aulæ illius requireret, quatenus clavim à cifris, quæ à me dari non potuit (habere enim priùs dicit quàm dare) communicaret, meq; correſpondentem declararet, ſed iter quoq; hoc inutile eſſe debuit, nihil enim reportavit, niſi habere eam aulam ubiq; tales, qui ſibi ſcribant occurrentia, ſed de me nihil unquam ſcire, quanquam poſt reditum Dñi Generalis alia vulgata ſunt, quæ me tanquam convictum arguebant. Omnia ex compoſito fiunt, unus mentionem infert omnes approbant ſibi plaudentes, ac mutuum ut ajunt ſcabentes. O quando illa veniet dies, qua nemo in honorem Regum mentietur? Inſuper quod Chmielowski Clericus, quem ego nec oculis meis vidi, in præſentia Regis me conviciſſet mandati ſcribendorum, quæ ſcripta monſtrabantur, & juſſu meo factum omninò dicebat, & ſic veritas, quam ſeminabant patrocinio falſitatis ſemper niti debebat, Nec hi Chriſtiani erubeſcebant, qui veritatis, ac lucis filij nominantur, proloqui quæ non modò vera non ſunt, ſed nec veriſimilia. Ego interim contentus virtute, quæ fortuitis non dejicitur, imò in tribulatione perficitur, habeo mecum vera bona, in quæ manus injici non poteſt. Amplectendam eam, quæ à nonnullis ſolet admodum derideri, patientiam injuriarum animiq; remiſſionem reor. Catoni ebrietas objecta eſt, at bene reſponſum; facilius efficiet, quisquis objecerit crimen honeſtum, quàm turpem Catonem. Nec mihi nihil detrahit fortuna, niſi quod dedit, virtutem autem non dat, ideo non detrahit, libera & inviolabilis, immota manet in ſtatu, & quidquid evenit in ſuum colorem detrahit; Ita ut mecum diſputem aliquando nihil quod agam habens, utrum meritò mihi acciderint iſta, aut immeritò? ſi meritò? non eſt contumelia, judiciũ eſt, ſi immeritò? (uti certè immeritò) illi, qui injuſta facit erubeſcendum, non amittit infelix virtus gloriam. Et ſi fortè injurias moderatè tuli, quantò magis hominum potentium,

quos

A.C. 1705 quos ſcio manus fortunæ eſſe. Patientia ergo me ac animi magnitudine defendo, & licet cauſæ eventorum magis movent, quàm accepta eventa, & non tantùm unde venerit malum, ſed quò tendat reſpicere debeam, nunquam tamen præſumens animo poſſe aliquid intervenire, quod deſtinata prohibeat tanquam nominatus jam à me Cato ſtans inter ruinas publicas, & meas privatas erectus, quietus, placidusq; contra incurrentia nulli modo cedo, ſed etiam ſi ſuccĭderim de genu pro innocentia pugnabo mea. Nullius protectionem invoco, nullos hic amicos moleſto, & impeto, me potiùs ne petam teneo, quàm illos ut aſſiſtant, requiro, Divinæ me meaq; in omnibus ſubjiciendo voluntati.

Tertiâ pòſt die Dñus Szembek Procancellarii frater, cujus præter cæteros nobilitata eſt contra nos actio, ſecundæ res etiam ingenia modica attollunt, ut magis ſibi videantur, criſtasq; erigant cum excelſiori loco ſe conſtitutos cernunt, ſic hic Dñus Juvenis odio non benevolentiâ affectus mihi (tanquam in fatis eſſet ut ſenex cum pueris decertarem) venit ad Fratrem meum Palatinum, dicendo nomine Regis, quòd Generalis Dönhoff quid pro quò dixerit, cùm Sua Mtas non prætendat, tam ſtricto eum, totamq; domum (me ſolo excepto) teneri areſto, poſſeq; quoties voluerit ex hoſpitio, modò non ex urbe egredi, ſuadebatq; idem, ut Palatinus me relicto Regis ſe reddat protectioni, & ut ego in judicium me ſolius Regis darem, ſed reſpondit pro me Alcibiades, qui dum interrogaretur, cur non fidem haberet Patriæ? omnia quidem facilè ei credo; vitam ne matri quidem meæ in judicio commiſerim, metuens ne fortè per errorem nigrum calculum, pro albo in urnam immitteret. Petij ego conſtanter, ut ad judicem competentē mittar, malorumq; iſtorum ſemel mole exonerer, aut tua me Seſtos, aut te mea ſumat Abydos, vel Illmus Nuntius pro informatione cauſæ Romam mittenda huc veniat, aut ego ad illum mittar, quod & per Baronem Szenk juniorem propoſui, de cujus fide non addubitabam, ſed tamen quantum conjecturâ ſuſpicari licet, conqueri deberem.

Sperabatur hic Dominus Theſaurarius Berolino, ſed caſu meo edoctus, fugiet has terras, nec illuc veniet, unde facilis regreſſus non eſt. Reges Parthos non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere, hic valedicere non licet gratis. Voluit Dnus Comes Stratman videre hæc objecta contra me, ſed non monſtrata.

Abiit hodie Baro Oberbek ad Dñum Caſtellanum Cracovienſem (cui ſcribo) redux, qui valedicendo mihi dixit vidiſſe ſe hunc, qui curam arcis Meſſenſis habet, qui pro re certa, & indubitata ipſi retulit, habere ſe in mandatis, ut cōmoditatem pro tribus perſonis procuret in arce; illuc enim ego tranſportari debeo. Nihil differt utrum in ligneo lecto, an in aureo ægrum colloces, quocunq; tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert, ubicunq; ponitur, malum ſuum illum inſequitur. Nec ego his permotus ſum, non ubi, ſed quis ſim magis curans, locus neque dat, neque adimit virtutem.

Hodie etiam vocatus Decanus Paucenſis ad excipienda contra me teſtimonia, juriſdictionem ſuam in Camera Patris Jeſuitæ miſſionarii fundavit accerſitis ad hoc tribunal aliquot, qui nunc hic morantur Capellanis. Scripſi ipſi præcavendo immunitati characteris mei, quòd jus in me inquirendi non habeat, reſpondit ſubmiſſè, & civiliter, ſub poteſtate eum conſtitutum, non ea quæ vult, ſed quæ debet facere obligatum. Completi ergo hodie ſunt dies ſeptem, ſed nec ab opere hoc eſt á continuatione moleſtiarum, amaritudinum, & afflictionum mearum ceſſa-

ceſſatio, & quies, nec quòd ſint bona, quæ facta ſunt, dici poſſunt, Multi ſunt eorum, ut quiſq; timet, dolet aut dubitat, alii publicam, alij privatam, quidam utramque calamitatem deplorantes, multi ſunt qui ad fortunæ meæ mutationem animos quóq; ſuos accomodantes, miſerationéque permoti intuentur, magnam occultarum, & Divinarum cauſarum vim, quam in me omnium conſpectui expoſitum exercet. Multos eſſe ſcio quibus dolorem hæc mea calamitas attulit, quos ego conſolationis ipſe indigens infortunij mei cauſâ mœrentes etiam conſolor. *A.C.* 1705

Longiùs proceſſi, quàm ſolet epiſtola, quæ ſolitum excedit, ſed nihil ſupervacuum ingeſſi, neceſſarium ſubtrahere non potui, non ſervio materiæ, ſed indulgeo, quæ quò ducit, ſequor, non quò invitat. Quod diu parturiebant inimici noſtri, pepererunt tandem, nónne hæc prædixi tibi? nónne divinabat animus? Hoc autem ſcias, & mihi pro tua fide credas, non amore Regis, cujus hoſtes ſunt, aut virtutis reverentiâ, quam nunquam deguſtarunt, non decoris nomine, quod in aliis quoq; everterunt, ad opprimendum me incubuerunt, ſed invidiâ, ſed dolore, ſed malevolentiâ, & quòd illis non aliter eſt habenda fides, quàm alteri, qui de veſpis intra nares Veſpaſiani inædificantibus, & de rana partu à Neronę emiſſa Romam impleverat, ſed magna eſt vis, magna divinitas veritatis, quæ ſine magno conatu ab omnibus dolis, ac fallaciis ſe ipſa defendit, ut non immeritò cum eſſet apud Darium Regem exorta contentio, quid foret maximè validum, & alius aliud diceret, tributa ſit palma veritati. Spero & ego quod ipſa temporis ratio oſtendet tandem feſtinatione magis, quàm conſilio omnia hæc incepta eſſe. Hæc omnia ut referas Romæ precor, breviqúe, modò occaſionem certam habeam, diligenter enim manus meæ obſervantur greſſus, deferam ipſe &c.

PRINCIPI HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO Cracovienſi Exercituum Duci 26 Septembris.

Redit ad te Dominus Baro Oberbek pecuniâ emunctus, vix non ad inediam poſt exantlatos per tot menſes ingentes labores, ut ad finem negotia tua perduceret. Cui ego ſi non quantùm valebam, ſed quantùm potui, ſi non ita ſervivi ut optabam, nam vires pro animo non fuerunt, ignoſci poſtulo. Perhibebit tamen teſtimonium fidele alacritatis, voluntatis, & promptitudinis meæ. Sicut enim ſum perſuaſus, & libens de tuo in me affectu, vellem pariter, ut tu de meo ſis certus, quem conſtantẽ, atque etiam fidum reperies, nec niſi cum ego ſolvã, ſolvendum.

Utor eâ commoditate, ut cordis ægri diluam faſtidium. Referet idem tanquam neſcius fraudis, ac diſſimulationis, melius quàm literæ meæ exprimere poſſent, (tantùm opinio præjudicata poterat) anguſtias meas, quas pati nec debui, nec ſperavi minimè dubitando, quòd hâc jacturâ meâ, cum injuriâ ad Remp: quoq; redundet, moveberis. Triſtis ſpectaculi, & tantùm non ipſis, qui fecêre miſerendi, teſtis de viſu fuit. Haud leve ſenectutis oblectamentum, in cujus limine verſor, quòd poſteri cunctis canent ſæculis. Evadet effrænis hæc audacia in optimi cujuſq; deformationem, ſi tantùm calumniandi libidini permittitur, ſi rumuſculis, & obtrectantium ſuſurris adhibetur fides, & famæ jacturam patientur (niſi qui ſcit facere injurias, neſcit metuere) qui non meruerunt, ubi etiam ij qui vitant culpam, non effugiunt infamiam, ubi multi fumi, multi fuci, ubi mala unde minimè ſperantur erumpunt, & carpitur magnuſq; bonuſq;. Ubi tanquam lex Lapia revocaretur, quâ delatori-

A.C.1705 toribus præmia conſtituta erant, & tanquam ſub Tiberio, qui causâ præcipui queſtus tantùm delatoribus tribuerat, ut nemini fidem abrogaret, ſivè quid vani, ſivè veri referret. Quid ſibi quiſq; nunc ſperet? cùm videat optimos peſſima pati, cùm eò ventum ſit, ut pretio ſit contumeliæ amor, & ſumma flagitiorum voluptas inquinare honeſta. Difficile eſt mihi, qui apud alios homines vixi, apud alios de cauſa mea reſpondere, ubi circa verum erratur. ubi rarò veritatis ſuccedit cognitio, ubi in omnes ſine diſcrimine ad placitum fingunt, ad libitum excogitant quæcunq; volunt. Malis tamen meis gaudere poterunt, & non gloriari, dum falſa nunquam probabunt, & nemo credet me tam amantem fuiſſe, ut putarem noceri mihi nec à Jove quidem poſſe, aut me nocere etiam Jovi poſſe.

Si quæres unde tempeſtas hæc orta fuerit, difficile eſſet ſeriem implexam explicare cauſarum. Occultum eſt, de quo queruntur, in quod ſe credentium fides debet extendere. Non tantum tamen ſuſpicari, ſed pro certo etiam affirmare poſſum, initium calamitatis meæ Antipatri, dico Cardinalis Primatis in me fuiſſe odium, quis credere poterit, quòd tanta vis mali ab eo ſemine ortum habeat, ſi turpe faciunt quid Dii, non ſunt Dii. Calicrates vir fortis, & ſtrenuus ictus ſagittâ & moriens non mortem ſe ſuam dolere dixit, (etenim domo in hoc ut pro græcia moreretur, veniſſe,) ſed quòd non uſus manibus periret. Inter iratæ ſortis procellas, cùm ſpes miſerias nulla ſuſtineat meas, hoc me tantùm mole ſub alta afflictionum angit, omnia enim non caſuum temeritati, ſed divinæ rationi tribuo, quòd nec reſecare, nec retaliare injuriam poſſim. Egregiam verò laudem Sacerdotum Principi unum ex Co-Epiſcopis aggredi, infamare, quaſi Trojam, vel Babylonem cœperit geſtire, & ad pudendum ipſique aliquando pœnitendum perducere ſtatum. Vereor ſanè ne ſicut illius Epiſcopi Epheſi poſtquam charitatem reliquerat, & memor non erat undè exciderit, motum eſt candelabrum de loco ſuo, ita & noſtrum Eminentiſſimum Primatem magna aliqua à DEO non expectet pœna. Juſtus enim eſt Dominus innocentiæ protector, & vindex, res mala, quæ ſtruitur, ſtructori peſſima res eſt, juſtitia tacito veniet haud dubium gradu, nam qui patravit aliquid, huic ſupereſt pati.

Non tantùm tamen his manibus, ſed & cupiditate, impulſuq; aliorum hoc opus perfectum extitit, ſed ego non miror illos, qui ſunt in hoc cooperati, nam noſco quid illis cordi eſt, nihil privata niſi quod res, & utilitas jubent; quò jam virtus oblita receſſit, non miror dico illos quòd captent, ineſcent, faſcinent, & ad hoc amplectantur ut ſtrangulent, qui ne operâ meâ, & Reſpub. & amici utantur, ibi doloris aperiunt ſcenam, ubi ego ſperabam gaudiorum theatrum. Sed ſtupor opprimit, nullâ neceſſitate coactum ſum̃um Sacerdotem ea feciſſe, quorum & apud DEUM, & apud homines, ſi non impoſſibilis, difficilis certè erit reſtitutio.

Sed nolo mœſtus tantæq; calamitatis vulnere afflictus graviſſimo (incuſando) indulgere dolori, quem etiamſi quandoque querelæ levant, non tamen tollunt. Imò in ſpem certiſſimam adducor, quòd ſicut premente DEO, fert DEUS alter opem; ſic dum à primo tanquam omnium cauſa malorum Eccleſiaſtici opprimor, à primo itidem ſæcularis ordinis relevabor Senatore. Laudatus quidam à Senatu, ego verò vos inquit nequaquam laudo, quod in periculo conſtitutum Prætorem deſtitueritis. Non dubito proinde de te, qui ex tuo ingenio alios æſtimas,

qui

qui vitâ, & gloriâ libertatem cariorem habes, qui unamquamq; rem *A.C.* 1705 ponderibus ſuis, ut eſt dignum, examinas, non tantùm compaſſione movendum, ſed etiam ſi quid potis erit, ſine cunctatione, & abſq; mora ſuccurſurum. Ego interim quamvis homo ſim, non ſcopulus, & illiſione rerum fortuitarum commoveri debeo, neq; tamen fortunæ prioris affectu deſiderioq; tabeſco, fortiter iniquæ ſortis caſum, in quo neceſſitas Dña eſt, ſupporto, minusque hac in parte Philoſophia tinxit, quam ego gero, & affixus domui, ut teſtudo ſuæ cochleæ, ſupremæ voluntati me ſubmitto, ſpes hominum juſtas divina potentia nunquam deſerit, & æquo animo fero, quod jubet. Precor interim, ut DEus te tuoſq; in ſua divina ſervet gratia, in quo, & à quo omnis ſalus.

RESPONSUM JOANNI PRZEPENDOWSKI THESAURARIO REGNI ad condolentiam 28 Septemb.

Repleor conſolatione, & quamvis attonitus adhuc, ſubitoq; malo ſtupens, ſuperabundo lætitiâ, quòd amicam recenti ulceri fraternamq; adhibeas manum. Gaudeo inprimis gaudio magno valdè, quòd delationi non obſcuræ perfidiæ plenæ, quòd alternanti vices ſuas fortunæ, & cunctis ſpe tua durioribus injuriis meis, ut par eſt indolere dignaris. Innocentiam meam quis exceperit eventus vides, pro obſequii præmiis, falſi ſceleris pœnas, pro intaminatæ virtutis ſtudio, cuſtodiam & carcerem, ubi nec ambiguæ fidei ſuſpicio eſſe deberet, improbâ delatione damnationem maturatam teſtaris.

Nihil eſt tam acerbum, in quo non æquus animus ſolatium inveniat. Eſt quædam in ipſis malis miſerorum voluptas, & omnis adverſa fortuna, non tam in querelis, quàm in ſolatio amicorum habet levamentum. Hinc eſt, quòd epiſtola tua non odio bonorum, ſed invidiâ preſſum malorum, non tantùm ſolatur, ſed injuriarum etiam abolet memoriam. Non eſt dubium, quòd hæc pœna omnem modum, moremq; transgreſſa, properi fuiſſe conſilii agnoſcitur, quanquam non repentina hæc, ſed prævisa, occultâ fati lege venit, virtutis meæ occaſio futura, cùm ad toleranda omnia obſirmata mens, miſerum me oſtendet, ſed non faciet. Scitè, ſed falsò hæc omnia objecta ſunt. Quæ futura proſpiciebam (appello tuam memoriam) impendentia pertimeſcebam.

Quandoquidem autem id extorquet fortunæ meæ iniquitas, quando inimici mei, qui ſolem, ſi poſſent, extingverent, fecerunt mihi, quodcunq; voluerunt, quando pœna ſine judice conſtituta, quando nondum nocens, & jam ſum reus, quando vita morte gravior detractâ libertate, quando crimine incerto, nec defenſione datâ hæc pati cogor, quando actiones meas, quas calumniari nec calumnia quidem deberet, non ratione, ſed prorſus libidine condemnari video, ſpes hominum fallaces, & in caſu poſitas magis doleo, quàm luctus turpes, & querimonias advoco, totum eventum DEi optimi (nemo bonus niſi unus DEus) diſpoſitioni relinquens.

Tibi verò magnas & ago, & habeo gratias, quòd dum victrix exultat ſuper me iniquitas, dum malignitas conflat odium innocenti, dum virtus temporibus jacet depreſſa noſtris, properas illuc, unde alij fugiunt, & affectum tuum teſtatum facis. DEus juſtus judex, & vindex remunerabitur, & ego, qui me ita compono, ut conveniens eſt fortunæ meæ, ſi vita ſuppetet, memoriâ memor gratusq; ſemper ero.

EIDEM

A.C.1705

EIDEM 2dâ Octobris.

AFfectus tuus, quem in beneficio pono, toto ſe ſinu effundit in literis hoc momento acceptis. Quid rependam? hoc unum quod poſſum, gratiam. In certamen intimum non deſcendo rationum, quia ſic mones, & quia juvat ſic facere. Vadum hoc, quod ſuades tentabo libens, & quamvis in iis diligentior eſſe deberem, cùm videam me tam facilè damnari, & tamen negotium hocce nomine tuo, vel ſi placet, etiam meo tractes, perficias, finiasq;, peto, rogo, poſtulo. Non reprehendit quidem me cor meum, nec video in quibus me quiſpiam ex iſtis, quos S. Auguſtinus pravicordios, & torticordios vocat, juſtè accuſare poſſit, niſi mendacium operetur, ſtylus mendax ſcribarum extendens calamum ſuum quaſi arcum mendacij, & non veritatis.

Non invenient cauſam in me iſti in alia diſcordes, in hoc convenientes tanquam Pilatus, & Herodes ab illa hora facti amici, ſi rationis forum ingrediamur; quia quidquid ex invidia dicitur, veritas non putatur. Fingunt illi, quæ volunt, putantq; palmam mentiri bene glorioſiorem. Poſſunt ne prætextus, & colores unquam deeſſe, cùm non deſit facultas, & occaſio? ſed facile iſta meditamenta invidiæ, nugamenta calumniæ, explodere, refellere, revellere, proijcere, dilaniare poſſem, facile purgare eſſet, ſi coràm delatores arguendi facultas daretur. Diſparerent umbræ, ſi veritas ingrederetur, nec circa lucem apparerent tenebræ. Non auderent in faciem dicere calumniatores hi amarulenti, ſervi mali malorumq; peſſimi confunderentur, ſi ad reſpondendum, & ad refellendum admitterer, ſed cùm præter opinionem meam, hæc in meum caput mali moles, non rectâ viâ, ſed ex obliquo irruat, cùm ſuſpiciones majorem inveniunt fidem, quàm ipſa facta, premit inſontem debita ſceleri pœna.

Recordaris Dne mi dixiſſe, ſcripſiſſe, & ſuaſiſſe me ſemper tutiora, quàm ſpecioſiora & quæ viſa optima, utilitatem juvandi prætuliſſe me gratiæ placendi, à die illa, & deinceps quâ me obſequiis reddidi Mtis, & propterea ut proborum benevolentiam adeptus eram, ſic improborum adverſùm me odia concitavi; nullo quippe ut pleriſq; moris eſt, elatus fortunæ favore, in cothurnum me magnæ poteſtatis erexi, ſed æquitate cuncta moderans, gratiam Regum in me non reddidi otioſam, dicens liberè, dicens affectuosè, quæ ſentiebam. Tenui ſemper conſtantem in Patriam fidem, in qua puer natus ſum, teſtis in cælo meus, & vigilavi, accuravi, ut potui omnia ea, quæ ad obſequium meum, in Regem officium, & miniſterium pertinebant, & propterea ab hoſtibus Regis rapta ſunt, adimi quæ potuêre mihi, & toti domui meæ; ſed non tam hæc rei familiaris jactura, non tam fulmina fortunæ feriunt, quàm iſti contumeliarum aculei lacerant, atq; cruentant, quò me tanquam retia, & caſſes implicuerunt, nec ante me captum ſenſi, quàm dum captus. Undè appæret quanti ſint inimici mei, quantùm valeant, poſſuntq;, cùm quid potuerint, perditum me malentes, quàm ſervatum oſtenderint.

Sed hæc quanquam acerba, quia tollere non poſſum integer, eoq; interritus tolero patienter, & æquitati cauſæ confiſus, quòd tandem apparebunt res meæ, quid ſint, non quid vocentur, innixus ſpe futuræ protectionis è cælo, conſcientiâ optimæ mentis ſuſtentus, moleſtiam iſtam longè graviſſimam lenire ſtudeo. Nullum eſt certius, nullum verius, nullum ſolidius ſolamen, quàm ex ſecuritate rectefactorum proficiſcens. Itaq; in re tanta, quâ & offendi tam periculoſum eſt, quàm queri,

dolo-

dolorem haurio, & conſiderata benè rerum cohærentium ſerie, quanquam grave eſt non aſſuetis cervicibus jugum, cùm non extimeſcat generoſus animus leges, competentem Judicem invocavi, qui in judicandis Epiſcopis ſummum jus habet. Ibi enim me oportet judicari, ut facti qualitate diſcuſsâ, proferatur jure valitura ſententia, certè quæ mihi objiciuntur, invenientur falſa, & juſtâ judicatione decerni debebunt. Nôſti oblatrantis invidiæ morſus, nôſti quàm facillimè in difficillimis cauſis judicium livor ferat.

Nihilominus tamen, quia non aliter ſcribis, quàm ſentis, indignũ arbitratus amicum ſine auxilio derelinquere, fiat, non quod ego cuperem, ſed quod expedit. Non moror nec tuam impedio promptitudinem, modò inanem operæ & olei non perdas laborem. Ad ſuſcipiendam Regis gratiam non cunctabor, ſed accelerabo, non renitar, non tardabo, quamvis (dulcis inexpertis cultura potentis amici) expertus metuam, ut hæc negotiatio, quam in te ſumis, exitum ſortiatur felicem.

Scio ego inimicitias potentum graves eſſe, & timeo, ne quid interveniat, quod deſiderium tuum perdat. Non efficientiæ proinde ſecuritate, ſed amicitiæ tuæ præſumptione ad gratias agendas, pro illata injuria, non tantùm me paratum invenies, ſed obvium. Ratem meam procellis committo, impetitum honorem, læſam famam, oppugnatam dignitatem in manus tuas trado, injurius enim affectui tuo eſſem, ſi id negarem. Si perſuaſeris mitiora, agam, ſi non perſuaſeris, & ita gratias agam, & fruemur Diis iratis, ſi placatis uti non licebit. Neceſſitas legem non accipit, ſed dat.

Non dico quidquam, quod contumeliâ injuſtè irrogatâ, & infamiâ tantâ affecto damnum famæ, & exiſtimationis reſtaurari deberet, quia in omnibus his te audiam, ſequar, obſequar, cum hac poſitiva, nec unquam immutandâ declaratione, quòd ſol citiùs ſplendorem, quàm ego venerationem Regi debitam, & cultum ejus linquam. Faveant ſuperna diſpoſitis, ſecundet intentionem, & operationem tuam feliciter ille, à quo omnia

ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO 5 Octob.

AD 26tam præteriti Menſis plenum afflictionis habuiſti diarium, altera enim ex ſine alterius orta, & quædam cum incremento, non tantùm in majus exit, ſed in aliud, quod majus fit. Non plùs ſolatij, & ex præſenti recipies, ſi in eodem, ut non ſpero, ſed credo in me perſiſtis amore.

Die 26. Sept: ex inſperato nec prius ulli prævifo Rex Seren: occaſionibus intentus, ideoq; feſtinans Dresdâ abiit, accepto in ſocietatem itineris Generali Szulenborg, quò neſcitur, credunt autem, qui ſcire deberent, campum inviſendi causâ excurriſſe, pro nundinis Lipſiam reverſurum, vel etiam inde ut quidam divinant rectâ in Poloniam moturum, & ego tanquam Daniel in ſpelunca leonum cum meis incluſus expectabo miſerationem DEi, in ea patientia quæ decet. Non eſt enim cònſuetudo mea, ut vel ſecundis rebus efferar, vel adverſis ſuccumbam, & certiſſima firmitas, quæ omnes incurſus reſpicit. Invulnerabile eſt, non quod feritur, ſed quod non læditur, vera animi magnitudo, & conſtantia rebus adverſis ferendis, emendandisq; caſibus eluceſcit.

Interim poſt examinatum Clericum Chmielowski, & Dominum Kors, qui quid dixerint, ego neſcio, falſa tamen dixiſſe ſuſpicor non ex va-

*A.C.*1705 vano, venit ad me 27. ſub ipſum prandij tempus certus aulæ Secretarius, vocatur Hinter, nomine Regio requirens, ut Ephebos meos examinandos ad D. Paucenſem Decanum mittam, dum tempus nuntiabitur, libenter id me facturum promiſi, & feci, dum ſub ipſum veſperæ crepuſculum fuerunt accerſiti, qui & redierunt dicentes ſibi prohibitum fuiſſe, ne quid dicerent ex iis, de quibus quæſtio erat, nec ego etiam inquiſivi. Princeps Firſtenbergius, cujus operâ crebrò utitur Rex, quoties dignitate conſpicuos viros vult impetere, & mortificare, qui ferendarum injuriarum impatiens, faciendarum ſemper cupidiſſimus, dum viſitavit, D. Palatinum, expoſuit ei, non me habere, niſi duos hos, quorum unus culinæ, & expenſæ, alter cellarij, & librorum curam habet, ut mihi relinquerentur, petiit, audivit enim, ut pòſt accidit, accipiendos, promiſit ille quidem, ſed ut inferiùs patebit, petiiſſe id nocuit. Perſuadebat mihi idem Princeps, ſpem adjiciens impetrandæ, & paratum ſe dicens, quidvis pro nobis ſubire, ſi me qualem poſtulabat, & optabat, præberem, hoc eſt, ſi fatear vera eſſe, quæ mihi objiciuntur. Gratias egi pro amico conſilio, & cùm multas ſimultates, partim occultas, partim apertas, ſubeundas mihi eſſe intelligam, felicitatis duxi, quo tempore vis non parùm valet, eo, qui vim facere poteſt, humaniſſimè uti, acceptare me quidem libenter velle omne ejus conſilium, cùm tamen nihil audivi, quòd mihi vellet præſtare, ſed quòd me vellet fateri, committere non poſſum, ut id faciam defenſionis ſolicitudine, & libertatis integræ ſpe, quæ ſi millies hoc pretio offerretur, nunquam acceptarem, magnâ vi opus eſt, ut aliquis accuſans ſe miſerabilem faciat. Conjecturam potiùs criminis mei prætenſi, quàm cognitionem eſſe audacter aſſerui, & ſi documenta certa habentur, ad quid ulteriores per infamem confeſſionem meam deſiderant probationes? qui perſuaſus eſt & planè acquieſcit, nec ulterius lumen deſiderat, ac proinde id, quod mihi ſuadet acceptare me nec poſſe, nec debere, propoſitum nunquam mutaturum, etiamſi ſucceſſu, quem ille promittebat bono res meæ carere deberent. Erupit tandem ea, quæ nimis latebat malignitas, & multarum rerum authorem effudit ſeriem cauſarum, ex quibus meum nectitur fatum oſtendens. Neceſſe eſt ſemper ab iiſdem cauſis eosdem effectus proficiſci, teſtatum id Princeps reliquit, quod deinde eſt ſubſecutum.

Habui interim 28 præteriti à Dño Rors, qui ſe fidelem fingebat & non erat, præcautionem, quòd fuerit concluſum in privato conſilio ſtatuendos eſſe Comiſſarios, qui iterum ſcripta mea reviderent, & res etiam fratris, ſororis, & totius Domûs excuterent, & jam actum fuiſſet, niſi ſe Dnus Generalis Lang tanquam Catholicus excuſaſſet. Sed omnia leviora accidunt expectantibus, cùm ſciam me inter tales eſſe, apud quos, quælibet res telum eſt. Fuit apud me 29 Szenk Junior, qui cum ſolita ſua pietate ſecurum me reddidit, quòd Dnus Bretſchneider (an pœnitentia ſubiit Regem) nullum mandatum à Sereniſſimo habuit areſtum mihi inſinuandi. Ergo reſpondi ego, puniri deberet ad exemplum, ne talia injuſſu Regis audeat in poſterum. Quaſi verò id facere ſine expreſſo potuiſſet mandato. Iterum ultimâ Sept. ut nulla dies ſine linea, dictum eſt nobis, transferendos nos, vel omnes, vel me ſolùm in Meyſſenſem arcem.

Die primâ Octobris iteratò vocati ſunt Ephebi mei, & claris verbis inſinuatum eſt illis, quòd ego ampliùs (termini præciſi erant) caput non levabo, quòd omnia fortuna abſtulit, & nec ſpem reliquit, quòd in

in carcerem perpetuum deſtinor & quòd illi cogitare deberent de ſe ipſis, ut præſertim malorum moleſtiam evitent, & mutationem boni loco ducant, ſed nihil adverſùs virtutem fortunæ oblatio tunc potuit. Promiſſa pòſt ampla, blanditiæ molles, & ſpes magnæ injectæ, unum penes Regem, alterum penes Principem Firſztembergium ſervitium non inutile habituros, & deniq; ea offerebantur, quibus maximè eos opus habere ſciebatur, ſed prævaluit adhuc honeſtas eorum, & maluerunt meam adverſam ſequi, quàm propriam proſperam habere fortunam, nec ingrati, nec honeſtatis ſunt obliti, quanquam vix ſufficere poſſit quis tot armatis cupiditatibus. Ut quiſque peſſimè facit, ita maximè & tutus, & felix eſt. Remiſſi ſunt mihi iterum, ſed brevi iterum accipiendi, nec ampliùs reſtituendi. Unde argumentum evidens, quod factum, quod promiſſum idem fuerit, & Chmielowſcio ad omnem fortunam cogitationes dirigenti, qui ut infimæ ſortis natalibus, ſic & virtute impar nobilibus his reſiſtere tam forti non potuit tentationi. Dictumq; eſt mihi 2da Octob. etiam quòd Dñus Baldamus Principis Firſztembergii Capellanus non ſcribat, ſed componat delationes, & non id, quod deponunt accerſiti teſtes, quod jubetur in acta inſerat. Dictum iterum & vulgatum, quòd ego antequam iviſſent ad examen Ephebi, multis verbis exhortatus ſum eos, ut fidem mihi ſervarent, & id tantùm dicerent, quod mihi juvamini eſſe poſſit, non ea, quæ contra me dici poſſunt. Quod eſt falſitate ipſâ magis falſum, nec enim unum verbum ſimile, vel aliquid hacce in materia me dixiſſe bonâ fide teſtor. Innocentia enim mea ſatis mihi præſidii per ſe ipſam allatura eſt. *A.C.* 1705

Dictum iterum hodie adhuc in thermis Carolinis habuiſſe Sereniſſimum Regem evidentia contra me documenta, eaq; Dño Comiti Stratman monſtraſſe, quod ille negat, & mihi teſtimonium hujus negationis authenticum dedit. Abiit hâc eâdem die Dnus Legatus Lipſiam, pro nundinis. Capellanus Dni Lang nationis Italicæ, quia aliquoties fuit apud me pro dicenda miſſa, prohibitus eſt, ne exiret ex civitate, quanquam ad unum periculoſè infirmum vocatus fuiſſet &c.

AMICO CONFIDENTI 7 Octob.

Quanquam habeam majora, quæ curem, quàm quæ ſcribam, tamen cum eò opinionis jam venerim, perſpectumq; mihi ſit, libenter te de ſtatu rerum, quamvis ſit ille miſerandus, legere, & ego libenter ſcribo, quis ſcit an literæ hæ, ut quondam orationes Saluſtii in honorem hiſtoriarum non legentur? Id mihi verò ſolatii eſt, non poſtremi loco, quòd tuum præparatum pectus ſciam, in quod tutò omnis angor meus deſcendat & amaritudo; cujus conſcientiam minùs, quàm meam timeo, cujus literæ ſollicitudinem meam leniunt, & conſilium expediunt, quanquam familiarem hic adjicere deberem querelam, quòd mihi ea ſuades, ad quæ cum S. Paulo reſpondere contentus: Meliùs eſt mihi mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Venit mihi in mentem Curio ille, qui cùm cauſam Tranſpadanorum diceret eſſe æquam, ſed ſemper addebat; vincat utilitas, potiùs diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis Reip. Ego quòd conſilium tuum non ſit honori meo utile, rejicio, non accepto, nec pro eo gratias ego.

Die 4. Octob. Ut ſequar ordinarium curſum, &, ſi quid notatu meo, & ſcitu tuo dignum invenio, ſignificem ſimpliciter; non enim cura de verbis, non de frondibus arborum, ſed de pomis, & fructibus, rebus in-

A.C. 1705 anibus te non occupo, & veriùs à nobis, quàm ornatiùs ſcripta accipe. Die, ut dixi, quartâ venit ad Fratrem meum Palatinum InſtitutorNepotis mei, & Filij ſui, & dixit audiviſſe ſe aliquot ante ſeptimanas, ante caſum noſtrum ex ore Chmielowſcij, quod illum ſcilicet Venerabilis ille Kors examinaverit, quid ſcribat ſæpiùs apud me, characteremque ejus omninò habere voluerit. Sciendum tibi (ſed paululum ad altiora ducente ſtylo tranſeundum ut hanc hiſtoriam meliùs intelligas) quòd ego imitatus ſum Ageſilaum, qui Menecrati medico Jovis cognomento ex eo quòd deploratos quoſdam ſanitati reſtituiſſet, ſuperbius utenti ſibique ſcribenti: Menecrates Jupiter Regi Ageſilao ſalutem, ita reſcripſit; Ageſilaus Rex Menecrati ſanam mentem. Nôſti bene, quem nomiuavi Korſium, qui oblitus cubilis ſui (Reſſelio oriundus) multas quidem virtutes habet, ſed affinia virtutibus vitia graviora, gravitati ejus facilè faſtûs nomen dares, libertatem loquendi, & ſe publicè exhibendi ſuperbiam potiùs diceres; fugæ communium perſonarum contemptûs vocabulum inſcriberes, pruritus inſuper loquendi, nullum unquam ſecretum propter ingenitam loquacitatem retinendi, ita ut, ſi quis publicatum quid vellet, ſub ſecreto ei confidat; qui de illorũ numero eſt, quibus ipſa authoritas præbet audaciam mentiendi. Non placuit mihi hic agendi modus, ac proinde Angelica primo, & alia poſt peccata inter me & illum, ut ſoleo plerumq; reprehendi, & conſcientiæ motus ſtimulo tanquam meo Diœceſano & dupliciter ſubdito veritatem ſuam dixi, quæ mihi, ut ſæpiùs cognovi, odium peperit. Hinc eſt, quòd ille, cui multam in permutandis amicitiis, inimicitiisque infidelitatem, quaſi neq; rebus, neq; hominibus diu iiſdem uti poſſet, & quòd nullos magis odio habeat, quàm quibus plurimum debet, Religio Miſſionariorum (quam poſt 20 annorum ſpatium reliquit) teſtimonio eſt. Ut ergo ſub ſpecie devotionis in fallendis hominibus calliḋiſſimus creſcere dum propoſuit, ex mea injuria omni conatu confidentiam Regiam ſibi demereri ſtuduit, ac per minùs affectos nobis viam ſibi ad eam ſtruxit, & cùm nihil ad cōmodum ſuum non referret, & me, quem aperto Marte aggredi, non ſibi tutum credebat, dolis capere volebat, & ſe conſpirantibus contra me facilè adjunxit, & iis, quæ contra me facta ſunt inique (ut ſerò reſcivi) non tantùm interfuit, ſed præfuit, non teſtis, ſed in magna parte Author. Hanc ergo fabam è longinquo præparabat, & fortè jam tum eam contra me cudi ſciebat, ac propterea manum Clerici cognitam ſibi volebat, ſi iſte Præceptor dixiſſet tunc, quæ nunc dixit, præveniri hæc machina poterat, quæ me oppreſſit, ſed hoc eſt dominorum fatum, ut ſciant ultimi, quæ ſcire deberent primi.

Sextâ hujus abiit Lipſiam D. Generalis Fleming, qui viſitans fratrem meum petitus, ut noſtri memoriam teneret, clarè dixit, maximè Regem ultionem timere, dixiſſeq; ſi ego in ultimis Indiis, & ultra Sauromatas etiam eſſem, nocere me ipſi poſſe, & hanc propter rationem timebat, ne diutiùs, quàm ego vellem, & quàm juſtitia ſuaderet, ſim detinendus.

Tandem die ſeptimâ Pater Vota, quem tu benè nôſti, cui nec verborum tantùm copia, ſed rerum etiam eſt, quoties velis eandem rem, & quam velis, dicet cum eo ordine, quem impetus dat, venit ad me ſed me dormientem invenit. Multum affectûs teſtatus eſt fratri meo, quem mihi portare ſe affirmavit, & ſi ad negotium hocce vocatus fuiſſet, potuiſſe ſe accendere lucernam, quæ dediſſet lumen. Finxit ſe nihil, niſi ex poſt facto ſciviſſe, & ego plus quàm ſecurus ſum, literas has eum

eum revidiſſe Regias, Romam & ad Nuntium terribiles compoſuiſſe, *A.C.* 1705
& perſuaſiſſe umbram ſuſpicionis ſufficere, ut hoc crimen tanquam læſæ Majeſtatis puniatur. Sed ſufficiat, poſtquam ad ultimum tuum reſponſum dedero punctum, & quæſitum, gratiâ pro affectu relatâ, quod ubi reſciviſti, adeo ægrè injuriam meam, credulitatem meam, & crudelitatem inimicorum meorum, & tam peſſimum exemplum tuliſti, ut nunquam in omni vita vir ingenio placidiſſimus, videris mihi videri iratior. Quis fuerit author mali, quis fons & origo, accipe adjunctā copiam eorum, quæ Primati noſtro ſcripſi, & reſcies. Imitatus ſum non voluntarius, ſed coactus bonum gladiatorem, qui eodem ictu occurrit, pariter, & ferit, dum devitavi ſemper vulnerare, volentem nunc forſan vulnerabo. Scis quòd ei reſtiterim ſemper (cum debito tamen purpuræ reſpectu) in faciem, non ideo enim major omnibus quia prim⁹. Nec ideo prima maximorum inſtar ſunt, quia ſine primis maxima eſſe non poſſunt: Nullum mihi cum eo privatum diſſidium eſt, vel unquam fuit. Græcinus Julius vir egregius occiſus fuit ob hoc unum, quòd melior vir erat, quàm eſſe illo tempore quenquam oportebat, eſt & alius ſub Tiberio vel Nerone bene notus, ſed mihi nunc non occurrit. Hoc majores noſtri queſti ſunt, hoc nos & non fruſtra querimur, hoc & poſteri noſtri fortè querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas, & in omne nefas labi.

Quæ facit, & quam ad faciendum aliis contra Patriam, contra Regem dat occaſionem Primas noſter, notius eſt, quàm ut explicare egeat, nunquam id à memoria hominum exiturum eſt. Et quis boni publici amator à lachrimis temperet, cùm videamus damno noſtro incredibili Regnum noſtrum in pejori ſtatu eſſe, quàm olim Roma capta à Gallis, omnia everſa, incenſa, diruta. Non mihi hæc ut nulli honeſto placere potuerunt, dixi multa ore pro affectu ju xta ac debito, ſcripſi plura, ut tibi copias mittebam ſemper, ſed nihil profuit publico, zelus meus, mihi, ſi aliquando, nunc certè nocuit, dum me, quod ſemel animo deſtinavit, omni ſtudio perdere contendit, & quidquid antiquum odium conceperat, quidquid novum adjecit in me ſolertiſſimâ arte per fabricatam cum omni circumſpectione machinam, non palàm, ſed clàm, non ſuo, ſed alieno nomine uſus aggreſſus eſt. Doloq; quod ad cavendam fraudem minimè intentus fui, circumvenit, ego nihil metuebam, nihil ſuſpicabar, & credebam nulli me fraudi anſam præbuiſſe, ſicut & in lucta, qui ſe nunquam movet, nullum ad ſternendum colluctanti momētum dat, ſed longè aliter accidit mihi, cùm unum ex malis peſſimum domeſticum meum ad ſcribendas ſecretiori ſtylo ad Miniſtrum aulæ Berolinenſis præcipuum (quem ego ſemel per unius quadrantis ſpatium vidi) literas per unum ſuum, quem cognoſco benè, & qui reſpondebit mihi, induxit quæ poſt intercipiebantur, & ab his, qui hic degunt, & qui me perditum volebant, reddebantur Regi, & hinc omne malum. Sed dices, quomodo Rex hæc credere potuit? an eum tam ſubitò tot meritorum cœpit oblivio? hoc & ego miror, & poſteri mirabuntur, quando ſuper ea, quæ in favorem Regis mei feci, cum reflexione conſiderabunt. Ita res benè incepta & combinata eſt, ita mendacium ſpecie veritatis obductum, ut quod deberet eſſe incredibile, veriſimile imò veriſſimum viſum eſt, ſcripſiſſe literas Chmielowſcium, & ſcripſiſſe Lamprechto uni ex meis, ego non nego, concedo, fateor, ſed ſcripſiſſe nomine meo has, quæ in manu ſunt, non conſentio, non concedo, nego. Ita hæc incepta ſunt, more omnium, qui mendacia machinantur, à ve-

A.C. 1705 ro inceperunt, ut ſequentibus, quæ falſa ſunt, concilient fidem, & aula noſtra mihi parùm favens, cùm vera non reperit, tam prona fuit, & eſt credulitate, ut pro vero falſa habeat. Non terram, ut adjurabat quondam Demoſthenes fontes, latices, flumina, ſed tuam inquiro conſcientiam, teſtimonium poſtulo, cui omnia mea etiam abditiſſima nota ſunt, ſi ego capax eorum, quæ mihi tam injuſtè objiciuntur, unquam fui, vel unquam eſſe potui. Veniet tempus, quod iſta, quæ nunc latent, extrahet longiùs. In eo enim ſum ego, ut omnes literas, quas Chmielowſcius à tempore, quo venit cum fratre meo Dreſdam, meo nomine ſcripſit, in manu, quibus ſcripſit, habeam, videbitur is fotaſſe modus, ea fortè & nomina, & cifræ ſimiles, ſed non id, in quo accuſor, ſignificantia, & ad privatas tantùm res meas, quas propter reſidentiam Gedani Primatis, & poſtam in poteſtate habentis, & Suecos Elbingæ in præſidio exiſtentes clarè & diſtinctè ſcribere non potui, & cifras miſcendas ad me explicandum adhibui, ſed ibi nihil ad publicas materias pertinens invenietur; quamvis & hoc ipsũ charactere & officio meo non eſſet inconveniens, non fruſtra Apoſtolus portabat gladium, nec ego Cancellarii nomen. Chmielowski eſt in manu, nec mihi certè copia eſſe poteſt ejus, quando literæ aliæ meo nomine ab illo ſcriptæ comparebunt, quid dicent inimici mei? ſcias ergo prorſus me innocentem, ſcias DEO meo afflictiones has meas reddidiſſe, & in vulneribus Chriſti Dñi repoſuiſſe, & ſpem firmam habere, quòd omnium iſtorum, qui me affligunt, & affligent, bracteata erit felicitas, puniet illos, qui volunt mihi mala, qui hujus infortunii cauſa ſunt, & me DEus tandem qui potens eſt, de manu captivitatis meæ liberabit.

DIPLOMA SEU ASSECURATIO DATA ORDINIBUS REGNI Poloniæ à Stanislao circa jura, leges, & libertates manutenendas. Varſaviæ 4. Octobris.

In Nomine Domini Amen.

AD *perpetuam rei memoriam.* Quandoquidem in humanis actionib9 nihil eſt tam firmũ & ſtabile, quod non vetuſtate conſeneſcat, & oblivione deleatur, rectè indagatrix omnium rerum ſapientia providit: ut æternitatem rerum, monumenta literarũ cuſtodiant, & ad ſempiternam hominum memoriam usq; permittant. Proinde Nos STANISLAUS I, DEi gratiâ Rex Poloniæ, & Magnus Dux Litvaniæ &c: &c. manifeſtum teſtatumq; facimus omnibus, quorum intereſt, tam præſentibus quàm futuris, horum notitiam habituris: ut perpetua grati noſtri animi erga hoc Regnum Poloniæ & M. D. L, cæterasq; Provincias teſtificatio extaret, & ſi nihil habeamus ita charum, quod non libenter ipſius ornandi & amplificandi cauſâ faciendum nobis eſſe putemus, tamen ſingulari Reipub: ſtudio provocati, quod Nos in Regem Incolæ hujus Regni elegerint, noſtramq; Perſonam inter alios Principes Orbis Chriſtiani prætulerint, ſacrum Diadema Capiti noſtro imponi curârint, omniaq; Jura, privilegia, libertates, prærogativas, & quæcunq; potuerunt in Patria habere chariſſima & nobiliſſima nobis concrediderint: ut ea manibus noſtris, tanquam in aliquo ſacrario repoſita con-

conſervemus, & tueamur. Horum tantæ benevolentiæ & fidei, ut *A.C.*1705
parem animum & gratiam referamus, teſtemur in perpetuum omnia nobis præ incolumitate & ſplendore Regni hujus eſſe & fore ſemper inferiora. Quapropter ſponte & liberè, maturâq; deliberatione ſuper his habitâ, omnia privilegia, donationes, inſcriptiones, advitalitates, libertates, prærogativas, immunitates tam Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lit. Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæq;, ut & in ſpecie Ducalis Pruſſiæ Lemburgi & Bittoviæ, juxta jura ſua, tam Terrarum earundem communes, ipſis junctim aut ſeparatim conceſſas, quàm privatarum perſonarum, cujuscunq; ſtatûs, conditionis, ſexûs exiſtentium, Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcunq; privatas, Eccleſiaſticas, & ſæculares cujuscunq; generis, per Anteceſſores noſtros Regni Poloniæ, & M. D L, Terrarumq; iis conjunctarum, Reges, Principes, Duces, & Dominos tam in toto, quàm in parte, præſertim Caſimirum Magnum, & Ludovicum Lois nuncupatum, Vladislaum II. Jagielonem dictum, Fratresque ejus Vitoldum, & Sigiſmundum Magnos Duces Litvaniæ. Vladislaum III, Caſimirum III. Jagielonis Filios, Joannem Albertum, Alexandrum, Sigiſmundum I, Sigismundum II, Auguſtum ac Henricum, Stephanum & Sigiſmundum III, Vladislaum IV, Joannem Caſimirum, Michàëlem, & Joannem III. Reges Poloniæ, & Magnos Duces Litvaniæ, ac etiam per Magiſtros Pruſſiæ atq; Archiepiſcopos, Epiſcopos, Magiſtros, Perceptores antiquos Livoniæ, nec non Duces, Principes ac Dominos Terrarum Pruſſiæ, & Maſoviæ, juſtè & legitimè conceſſas, & emanatas, ac juri communi, utriusq; Gentis non contrarias. Item Jura, leges, ſtatuta, conſtitutiones, judicia tribunalia, ultimæ inſtantiæ, ac Decreta, libertates, & immunitates in conventibus Regni generalibus quibuslibet, ordinationesq; latas atq; ſancitas, nominatim autem libertates & leges in conventu Electionis Henrici Regis, ac in conventu Andrejovienſi, & Coronatione Regis Stephani, Conſtitutione Seren: Sigiſmundi III. laudatas, ac denique leges & conſtitutiones in præſenti Confœderatione generali Varſavienſi ſancitas, aut quæ adhuc ſancientur, & nobis exhibebuntur, ita tamē, ut nec ſpecialitas generalitati nec generalitas ſpecialitati deroget. Tum etiam Conſtitutiones cū Ordinib9 ſancitas, in omnibus eadē articulis, pūctis, clauſulis, cōditionib9, approbandas, roborandas duximus, approbamusque, roboramus, confirmamus, per præſentes literas noſtras decernentes illas, & illa omnia, quæ ſuperius commemorata ſunt, perpetuæ, indubiæ, & inviolabilis firmitatis robur obtinere debere. Recipimus, ſpondemus, & Regio verbo noſtro pollicemur, illas in prædictis earum punctis, articulis, clauſulis, conditionibus, firmiter, inconcuſſè, inviolabiliter tenere, obſervare, implere, & exequi, ac omnibus & ſingulis ex ijs ſatisfacere cum affectu, & teneri, obſervari, & exequi, facere. Item pollicemur, recipimus

A.C. 1705 mus ac ſpondemus, quòd omnia per hoſtes finitimos injuſtè à Regno Poloniæ & M. D. L, Dominiis earundem quomodocunq; occupata, vel bello, vel quovis alio modo diſtracta, ad proprietatem, & unitatem ejusdem Regni Poloniæ & M. D. L, tum & Provinciarum iis annexarum aggregabimus. Neq; fines Regni, & Dominiorum noſtrorum minuemus, ſed pro viribus noſtris proferemus, & dilatabimus. Quòd ſi aliquid contra libertates & immunitates, jura & privilegia, prædicti Regni, & M. D. L, cæterarumq; Provinciarū iis annexarum fecerimus, non ſervantes (quod abſit) aliquid illorum in toto, vel in parte, id totum irritum & inane, nulliusq; momenti fore, decernimus, & pronunciamus. Quòd verò ſupra hiſce literis privilegia, libertates Eccleſiaſticas, cùm cæteris confirmaverimus, in juramento noſtro Eccleſias Catholicas Romanas, nominaverimus, id nihil omnibus Eccleſiis Græcis, & privilegiis earundem obeſſe debet, imò eadem in ſuo robore confirmamus, nec non & articulo juramenti hujus, ne unquam derogare volumus. Quod videlicet pacem & tranquillitatem inter diſſidentes de religione, tuebimur, ac manutenebimus, quam inconcuſſè, firmiter, & cum effectu obſervaturos promittimus ac ſpondemus. Jura quoq; Terrarum Pruſſiæ, ſpecialiter verò Indigenatus in omnibus manutenebimus, & in ſuo robore conſervabimus, vacantiasq; omnes in Terris prædictis juxta tenorem Jurium Terrarum prædictarum & Conſtitutionum anni 1647 Indigenis Terrarum Pruſſiæ conferemus, & articulum de diſtribuendis vacantiis Pactis Conventis felicis Electionis Joannis Caſimiri inſertum ſpeciali Juri Terrarum Pruſſiæ derogare non debere declaramus. Dantes inſuper per poteſtatem Cancellariæ noſtræ, ut has literas Confirmationis Generalis Jurium, privilegiorum, & libertatum Regni, & M. D. L, & Terrarum iis annexarum authenticè ſub ſigillo etiam cubiculari, quod nobis pro interim ad certum tempus, per Statum & Ordines Confœderatos pro uſu & commodo eſt conceſſum Terris & ſubditis noſtris, qui eas requirent, non expectato alio mandato noſtro extradat. In cujus rei fidem literas haſce manu noſtrâ ſubſcripſimus, & ſigillum cubiculare appendi juſſimus. Dat: Varſaviæ ſub tempus felicis Coronationis Noſtræ.

THESAURARIO REGNI 7 Octobris.

DE affectu tuo omnia non ſpero, ſed credo, qui fortunæ meæ in arcto poſitæ, qui libertatis propter communis Patriæ jura, cauſam ſuſcipere & potes, & debes. Qualeſcunq; enim eſſemus, tamen hæc, quæ patimur, pati, incarcerari, captivari non deberemus, donec ad liquidum veritas explorata eſſet, donec convictio proceſſiſſet, negligentiæ quippe vitium eſt præſumptiones ſequi, quas jura omnia præcipiunt, amputare. Scis bene quantum ſæpiùs ſpecie veri decipiamur, quàm frequentiùs inſitum ſit, ut levem quamcunq; auditionem pro re comperta habere ſoleamus, quod rumoribus incertis atq; auditionibus

onibus permoti, de ſummis ſæpè rebus conſilia ineamus, quorum nos è veſtigio pœnitere neceſſe eſt. Eadem eſt infeſtæ fortunæ meæ violentia, ſed denſæ mendacii tenebræ claro veritatis lumine excutientur. Omnia hæc in quibus accuſor falſa, veri ſpeciem tantùm ferunt, decipitur & viſus, glacies videtur cryſtallum, & non eſt, & dum calcato expunctoq; omni mentis affectu, abacto in ſuam caliginem livore diligentiùs inquiretur, veritatem, quæ eſt filia temporis, & quam DEus reſpicit, & non præſumptionem liquido manifeſtè, evidenter dies aperiet, & in lucem protrahet; & captivitas hæc mea nomen calamitatis non turpitudinis ad memoriam habebit omnium gentium ſempiternam. Infami enim tactum invidiâ, quâ poſſunt, urgent, qui ſunt proximi & qui ſunt longè, & ne in ſcopulis hæream ſemper iiſdem, novos affligendi me modos, utpote prava à pravis ingeniis proficiſcuntur, ita inſinuant, ut novâ ſemper patientiâ ſit opus mihi. Etiamſi multâ contra expectationem accidant, nunquam tamen poſſe fieri tanta contra me putâſſem. Sed ad patientiam me hortaris, & conſtantiam in perferendis iis, quæ ſummo illi rerum Arbitro (ſit abſq; nutu quippe cœleſti nihil) propinare mihi viſum eſt de triſti illo mœrorum poculo. Patientiâ leniri poſſe Principem credis, cùm lingva mollis frangat duritiam, cùm ventorum flatus non ſemper ſint validi. Certum habeas id, quod confitetur lingva, tenet affectus; quòd, quanquam indigna putem, quæ inopinata ſunt, & maximè commovent, quæ contra expectationem, contra juſtum & æquum fiunt, tamen colere DEOS, nec iratos quidem deſiſto, debitæ ſubjectionis fidelitatem non obliviſcor (invita id fateatur uſq; neceſſè eſt invidia, & æquo animo fero, quæ non ſunt mala, niſi malè ſuſtinenti. Non obliteratur veterum benefactorum memoria, quæ adhuc in me viget. Didici pridem in aulis Regum ſuperiorum injurias muſſitandas, ac de iis gratias agendas. Et in hoc dicto tuo ſum, eróque audiens, atq; ex præſcripto tuarum literarum acceptam contumeliam non modò non vindicare, ſed nec reminiſci volo. Vera enim virtus fortunæ mutationes calcat, & deſpicit. Spem bonam, ut me jubes, habeo, in malis ſperare bonum niſi innocens nemo ſolet. Quicunq; ergo caſus acciderit mihi, extabit ſemper pro ſolatio conſcientiæ meæ teſtimonium. Gubernator in navi cum frangere non poſſit magnos illos & decumanos fluctus, vitat ac declinat, ſic & ego, quod conſentaneum credis, & (ut dum diſſenſio ab aliis, à te incipiat reconciliatio) fraterno mandato decernis, quieſcam, nec quidquam aliud quærendo fortitudine maſculâ, & ſtoicâ patientiâ ferendam arbitror hanc famæ & exiſtimationis meæ jacturam, precor tantùm, ut impedias ulteriùs eam minui, lædi, dejici, labefactari, æſtimans omnia, quid fieri in tanta cauſa oporteat, providentia tua reponat. Non ſolùm autem pro me, ſed pro veritate reſpondere potes, neq; in hoc, in quo accuſor, neq; in alio unquam me peccâſſe, quod brevi (modò velitis examinare) utrum ita ſit apparebit. Novi ego bonitatem Regis ſummam, ſi non vanitate mentis credulæ deciperetur, ſcio, quòd quemadmodum quædam corpora facilè quidem incaleſcunt, ſed ſimul atq; ignis abit, ſtatim refrigerantur. Simultates minimè ſunt dignæ magno Principe, quid glorioſius illi erit, quàm iram amicitiâ mutare? quàm omnem è medio tollere injuriarum memoriam? propoſitum Regale debet eſſe preſſis labe fortunæ pietatis remedio ſubvenire, & acerbos caſus injuriæ meliore ſorte maturare, ut indefenſus contra juris ordinem non patiatur, & inde habeat remedium, unde hactenus ſumpſit incommodum. Nónne leniter qui ſævi-

A. C. 1705 ſæviunt, ſapiunt magis? nónne major ſemper ab amore, quàm à metu veneratio? affectui tuo hoc totum negotium tribuendum credo, velis tantùm fortiter & ſuaviter innocentiam meam ad omnem legem exactam explicare, cùm non veritas, ſed informavit invidia, clementiam, quam non tantùm pœnâ digni invocant, ſed etiam innocentes colunt, in Rege optimo excitare; ſumma poteſtas citiùs exoratur, quàm perſuadetur; nam cogi omnino non patitur; perdidiſſe me, domumq; meam, omnia deſiderabilia, & immobiliter ſuſtinere Regi debitam fidem commemorare. Ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? & tamen deprimimur, quos magis deceret ſublevari. Etſi nihil, ut certè nihil peccavi, in priſtinum ſtatum me, famamq; reſtituere, Regis voluntatem mihi quantociùs explicare, ejus eſt promulgare, quid fieri velit, civium obtemperare.

Cujus ergo ſpem feciſti, effectum præſtes, quanquam ex præterito futura metiendo, rem hanc & difficilem, & moleſtam fore credo, ut tela hæc ad finem protexatur, conandum erit contra ictus fluvii. Quod tu perficere voles, inimici deſtruent, & ad effectum non trahetur, quod tu ſalubri ordinatione diſponis, quatenus res de vicino fine gaudentes, ad pleniſſimum perducantur eventum. Sis ergo cautus, ut has vites cautes, & fer opem, qui ſpem dediſti.

PROCANCELLARIO SZEMBEK 10 Octobr.

DAre profectò grande patientiæ debeo documentum, dum nullum mihi tempus longius videtur, & tardè ire queror. Nihil enim ad nuper ſcriptas hactenus à te venit reſponſi. Cauſa ſilentij cauſam non habet, niſi fortunam meam, quæ ſpoliatum honore, libertate, bonâ famâ omnia ſuperante amicis quoque ſpoliare intendit, qui deferunt infelices plerumque. Calumniâ nihil pejus, clàm enim decipit credentes, ſi præſertim quis dicat, & quid dicatur non attendimus, credendo, quæ credi non oportet. Fero ſilentium tuum modeſtè, ut ratio jubet, magisq; doleo, quàm queror. Ibit tamen iterum in verba dolor, & quamvis in perpetua hac, atque artificioſa crudelitate longè graviùs torqueatur, & plus ſit injuriarum (miſerum eſt ab illo lædi, de quo non potes queri) quàm querimoniarum, nec tam bene ærumnas, quas ſuſtineo, ſcribere; quàm bene ſcio (alij miſeriis loquaces redduntur) pati, tacere, & adverſùs quemcunq; ſtatum animum tenere munitum.

Audiſti ex fama, vidiſti ex primis literis meis novam captivi, funeſtam Patriæ, mihi indecoram vicem. Quæ peſtis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus, qui, cùm, quod libuerit, objeciſſet, tamen idipſum falſum reperitur. Hi, quos tuos reris, qui Dominum vocant, heu quàm levibus ex cauſis mutantur, & ex ſervis hoſtes fiunt! Etiamſi verò defectionis ſigna ab juſto dolore proficiſci viderentur, tamen multùm intereſt in cauſa mea falſum aliquis deprehenderet teſtē, an ſervum, cùm alteri credi non debeat, alteri non ſoleat, præſertim, ſi non quod erat, ſed quod inimicos velle credebat, detuliſſet.

Dicebat Tyberius ſubverti jura, ſi cuſtodes legum amoverentur. Quoties duobus communis eſt poteſtas, ejus tota eſt, qui præſens eſt. Tibi ergo ſoli nunc incumbit, quod ego ut ſemper ante ad nova parandæ libertatis conſilia ſolenniſſimè converſus eram, nunc facere nequeo. In memoriam vellem tibi revoces legem nihil velle temerè fieri, ut di-

judi-

judices quid contra naturam legum ſit peccatum, cùm fruſtra dicerem hic, aut ibi, cùm æquè in omnibus juſtè incuſando ſortem iniquam, quòd poſt hoc Athenis vera libertas aberit; nihil enim ibi valent leges, ubi vis valet. *A.C.*1705

In laqueos eos debui ego priùs cadere, quàm eos potui cavere; ac proinde non poſſum ſervire Patriæ, ſubvenire Juribus læſis, & non poſſe me hoc modo gaudeo; imperare tamen dolori ſilentium difficile eſt, &, cùm non ſim par aſſultui, quem tanta vis paravit, id quod poſſe me, & meritò poſſe arbitror, ad te iterum recurro, publici enim intereſt innocentem à quolibet defendi, & neminem ſine defenſione relinqui. Ego jam inutilis Patriæ (ſic contra me animati ſunt, ut nihil videre permittatur, niſi quod libet) ſequor Catonem, qui Author Senatui fuit, ſummam rerum Pompejo permittendi, ejuſdem eſſe dicens; magna mala inferre, ac depellere. Et, cùm eo nomine ſemper fuerim, ut de utilitate publica non minùs ſæpè, quàm de mea privata cogitaverim, nec unquam rationes meas publicas præpoſuerim, licet majorem partem ætatis, certè meliorem hiſce uſibus Reip, dederim, & audacter cœlum hoc & conſcia ſydera teſtor, quòd neque fidem, neque ſpem de virtute mea conceptam unquam fefellerim, & tamen poſtquã eripuiſſet fortuna, quod dederat, cui character Epiſcopalis, Senatorii Ordinis officium, Cancellariatûs Miniſterium opitulari debebat, invidia oppreſſit. Ætatem ergo meam fatiſcentem, valetudinem jam feſſam ob labores continuos agnoſco, brevem vitam hominis, multò magìs ſenis & tot calamitatibus oppreſſi ſentio, tibi verò ut juniori veteranus ac miſſione jam dignus lampada trado, poſtquam tamen ſi non amicitiæ, at ſaltem veritati teſtimonium perhibueris, poſtquam ut fas, ut æquum cenſere, ut æquum videre debes, negotium meum ſecundùm leges examinaveris, recorderis ſacrorum verborum; Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, & non fecerit ea. Cum innocente illo inſuper recurro cive; Athenienſes, ſi nihil merui, ſuccurrite, ſi merui, reddite Philippo; ego rogo, inſto, oro, reddite Romæ, reddite Patriæ, ut per omnia juris ordine conſtituto, ſi crimen, quod intenditur, fuerit comprobatum, ipſarum quoq; legum diſtrictione plectatur, ut rei abditi, atq; ſecreti per hoc vindictæ genus à culpis talibus arceantur, quos ad leges trahere non debet, nec poteſt incerta notitia. Diſcutiatur hæc cauſa Romæ tanquam contra Epiſcopum; vel in Patria tanquam contra Senatorem, & Miniſtrum, & legibus finiatur; jus ſerò veniat licet, jus erit, ſi in crimine, cujus impetor, fuero convictus, ſententiam ſubibo, quam juris definita ſanxerunt: Si verò innocentia mea deteſtabili pulſatur invidiâ, opprimi me nullâ ratione patiaris, & vis provida auſûs diſcutiat temerarios, Epheſi natus ſum, non in Appulis. Ad juſtitiam & ad clementiam, ſi ita vultis, ducite Principem, quæ unà mortales ſuperis æquat, ejuſq; muneris memoria nunquam apud conſervatos obſoleſcit. Cõmemorate ſæpiùs boni Principis, quòd boni Medici arcanum, non ægros tollere, ſed morbos. Ego verò, qui ſemper in malis meis non fortunam, ſed cauſam ſpectavi, qui ſæpiùs dicens verum, ſuſtinui odium, audacter, quia verè repeto, ſemper idem; bonam cauſam haberem, ſi alium accuſatorem & Judicem haberem. Nihil tam certum & exploratum eſt, quod in dubium vocari non poſſit; objicere faciliùs, quàm probare; non omne veriſimile verum eſt, crebrò faciem mendacii veritas retinet, crebrò mendacium ſpecie veritatis occultatur. Patebit hæc aliquando, ſed pro me

ſeriùs

A.C.1705 ſeriùs. Non latet in turba laco quocunq; Xerxes aſpexerit, Spartanum inveniet, & videbit. Patriam amavi, amoq; & hæc eſt contumacia mea. Cæterùm memineris Domine mi, quòd cecidi ego, cadet, qui ſequitur, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne vacillet, in me folia cadunt, poſſunt in alios cadere arbores. Ad propriam ruinam è deſtinato pervenit, qui impotenter graditur ad alienam.

Iterum proinde, iterumq; de innocentia mea ex rationibus, quæ non perſuadent, ſed cogunt, proteſtor, meam culpam oportet eſſe, ut mea pœna ſit. Pelopidas, cùm fortis quidam per calumniam apud ipsũ deferretur, quòd ei conviciatus eſſet, dixit; facta ejus reſpicio, dicta non audivi. Feci, quæ potui, cùm ſum̃a applicatione, cum ſummo labore officium Miniſterii mei, quanquam bos arabat, ſed fructus aratri, nullus ad bovem redibat, vel, ut ſcriptura loquitur; Boves arabant, aſini verò paſcebantur. Sed ſatis in materia tam certa, ego nulli malum pro malo reddam, ſed ad imitationem Salvatoris mei malum in bono vincam, tuuſq; ero, etſi nolis, ſed mallem volentis.

CONSTANTINO SZANIAWSKI REFERENDARIO M. D. L. eâdem die.

TAntam, tam inſperatam, tam ſubitam mutationem admiror, doleoq; quòd non tantùm neglectione literarum amicitiam oblitterare, aut tollere velis, tanquam anathema conſecráſſes oblivionis, ſed etiam quòd meæ proſtratæ & afflictæ fortunæ, cùm nullius ampliùs ſit tibi uſui, à præſtando auxilio referas pedem, & plus non obſcurâ voluntatis ſignificatione credas mendacio, quàm veritati, calumniæ, quàm innocentiæ, invidiæ, quàm virtuti. Supra veri fidem poſitum hoc, quis crederet? ſi palàm non eſſet, cùm ad literas meas nihil reſpondeas, cùm me ſic curas, ſic negligis, quaſi in hominum numero ferè non habeas, unde dolor me in hac vita, quæ continua calamitatum eſt nunc ſeges, multò perſtringit acerbiùs, quàm tua ferat opinio; contingunt enim inſperata, & graviter dolent, ſi inde proveniat malum, unde credebatur auxilium.

Occaſiones ego, quibus prodeſſem tibi occupavi ſemper, & quæſivi nunquam proſperitate rerum in vanitatem uſus, quæ facienda erant, ad teſtandum affectum & cordis abundantiam ſine oſtentatione ſemper feci, & nunc quaſi nulli me magis odiſſe debeant, quàm, qui plurimùm debent, in te experior, quaſi ſis inter ejus generis ingenia, quæ cum fortuna mutabilem ferunt fidem. Omnes ſe mihi, dum proſpero utebar ſucceſſu, adjungebant, nunc obſcurantur oculi eorum, ne afflictiones meas videant; Non ſunt præſidio, quia illos non virtus, ſed fortuna, quam turba tremens ſequitur ſemper conciliaverat. Video nunc eos, qui aureos montes pollicebantur, tandem pro theſauris monſtrare carbones; ita ſcilicet nec exitus calamitatis, nec remedium reperitur; tamdiu cordi fuimus multis, quamdiu uſui; tamdiu placuimus, quamdiu utiles fuimus; florentes amicorum turba circumſtabat, circa everſos ingens ſolitudo eſt, & inde amici æquè frangere fidem pertinaces, quàm dare prompti, fugiunt, ubi probantur, ubi res labat, ibi collabeſcunt. Siccine infelicium fortunatus nullus amicus! Auxilium ego præcipuè à te ſperabam, ſolatium expectabam, & habere certè debebã, ſi eſſes, qui eſſe deberes. A D. Procancellario Collega meo etiam nihil literarum.

Sentio

Sentio hoc nimiò plus, ſed, ſi non oportet, non indignor, nihil enim minùs cogi patitur, quàm fides & amor, quanquam crederem juvare miſeros optimis dulcem eſſe laborem, ſed quidquid aliis non licet, illi ſoli licere, quis tam imprudens qui neſciat? quis tam impudens, qui neget? Quantum tamen ad Perſonam tuam, non poſſum exprimere verbis, quàm magnum ex ſilentio hoc, ex contemptu, hoc animo vulnus accipiam, & dolor de pectore invito voces elicit, cùm ſolus, qui non deficere ſoles, donec efficias, mearum oppreſſionum poſſis eſſe remedium, quod tibi eſſet facile, derelinquis, non juvas, non defendis. Nihil eſt opus conjectore, res evidens, res aperta, tu cœlo imperas, tu cuncta facta cœlitum atq; hominum notas, nec valet humani vigor ingenii ullis viribus aſſequi, quid poſſint, quidve tui valeant humeri, vos duo ſolio Jovis magni ſedetis proxima Numina, quæ ſit mens ſuperûm, vos ſoli ſcitis, vos venerantur omnes, & meas non auditis preces. *A.C.* 1705

Si verò nimium diu triſtia paſſum gravibus ſolvere non vultis afflictionibus, quanquam leve eſt miſerias ferre, perferre autem diu grave, concoquendum tamen, ſupportandum hoc vulnus ſucceſſu ſpei non reſpondente, & eâdem magnitudine animi, quâ omnia adverſa, tolerandum erit. Jam enim ita Philoſophus factus ſum, ut vel cum fabris vivere poſſim, ſemper aliud malum poſt aliud mihi naſcitur. Mitto, quæ ſunt palàm, quæ ita ſe habent, ut nemo, qui vivit, hæc ignoret. Quòd ſæviatur in virtutem à fortuna deſtitutam, vel me tacente res loquitur. Turpe eſt (incuſabat ille) in ea civitate Ciceronem non defendi, in qua defendi potuit etiam Popilius. Veniunt in me tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio, & nemo eſt, qui ſoletur, qui compatiatur, qui ſuccurrat, & non magis ſum, quàm ille, qui jam nullus eſt.

Legi nuper. Cùm nemo pro Phocione accuſato dicere quidquam auſus fuerit, vox præ tumultu ægrè exaudiri potuit, quærentis juréne an injuriâ occidere me vultis? reſpondentibus quibuſdam jure, quomodo autem hoc ſcietis non cognitâ causâ? quod oculo lux eſt, idem eſt animo veritas. Homo fœdus & apertè malus, ſeminavit, quæ ſomniavit, falſa pro veris dixt, clariora documenta ſubvertente fato, multa depoſuit contra me, & impetu ad rationem non revocato, nullo jure, more pravo, peſſimo exemplo objecta crimina pro approbatis accepta, & ego in eo fundamento condemnatus ſum. Nullus domi major inimicus, neq; pejor poſſeſſio, neq; inultior ſervo. Quærit tandem Pöeta, quod nuſquam eſt genitum, reperit tamen, facit illud veriſimile, quod eſt mendacium. Nulla major peſtis humano ingenio incidit, quàm altè concepta ſuſpicio, cum hæc ſemel inceperit, ægerrimè, & ipſâ ratione, quæ rei dubiæ facit fidem, convellitur, ut neq; peritiùs neq; opportunius, quidquam ad nocendum excogitari poſſit. Utinam verò eſſet, qui imitaretur pium Antonium, qui delatores, ſi non probarent, capitali pœnâ afficiebat, ſi probarent, oblato præmio dimittebat infames; & Domitianus Fiſcales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repreſſit, ferebaturq; vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. Probationes contra me ille, qui vidit, quid ſint, ſcire negat. Non ego ſcribere juſſi, quod ille ſe juſſu meo ſcripſiſſe mentitur. Qui ergo profundâ mente veſtigaret, verum inveniret, & rumor, qui de nihilo natus eſt, mox ſuâ ſponte evaneſceret, nec in aliud proficeret vanitas, niſi ut omnibus ſpectatior fiat innocentia, quia quidquid pro vero accipit, abripitur falſâ opinione deceptus, & juſtitia juſtiori cauſæ favens, non ut inimici mei volunt, ſed, ut æquum eſt decernet ſemper. Conſcius

A. C. 1705 ſcius enim mihi ſum, culpam hancà me procul eſſe; ſolus DEus verax, omnis autem homo mendax.

In conſpicuum quod eſt per ſigna credibilia venari datur, nec haberi nudis vellem verbis fidem, dictorum ipſa res ſponſor eſt meorum, heu, quòd ipſis non datum eſt rebus loqui! Quanta damna habeam in Varmia, quæ multorum annorum curſu ſarciri vix poterunt, quantum omnes fratres mei, & tota Domus patiatur, & propter quem, me ipſo melius tibi ſunt cognita, ac perſpecta & tamen gratia Regis, quaſi ſolſtitialis herba, ut dicitur, fuit, quàm repente exorta eſt, ac repentè occidit. Datum ſatis fidei, quam Regi meo debebam; quæſivi gratiam, ſed non obtinui conſtantem, egi, ne me meritò odiſſet, & declinare tela iræ, & furoris non potui; ſed his omiſſis illud pro ultimo in memoriã redigo tuam, quod unum certum ſcio, hoc me meritum eſſe, ut memor ſis mei.

MANIFESTUM CONFOEDERATIONIS SENDOMIRIENſis contra Coronationem illegitimam Stanislai Leſzczynski Tykocinij 11. Octobr.

NOS Proceres Regni, Dignitarij, Officiales ac univerſa Nobilitas Palatinatuum Regni, & M. D. L, in virtute Confœderationis Generalis Sendomirienſis congregati, notum facimus præſentibus ac futuris ſæculis, quòd animadvertentes creſcentem indies magis, magiſque incomparabilem malitiam & obſtinationem non verorum, ſed (quod liberè dici poteſt) degenerum infelicis Patriæ filiorum obſtupeſcere ac obrigeſcere debemus, quando nec Dominum, nec Jura colunt, ſed quaſi deſperatione quâdam acti, ſua quisq; & publica fata præcipitare cupiunt. Excuſſis namq; Jurium ac libertatum omnium repagulis, in ſe vertunt manus, ſe ipſos non Principem perdunt. Arripuit ſpeciem non invenit culpam inſolens primorum audacia. Fallebat & ſeducebat populum falſis criminationibus contra ſuum Dñum, accuſando non probando judicavit, & ſententiavit, edicto non judicio, ſine termino, delatore, & reo omnia judex erat. Talisne legis, judicij ac juſtitiæ forma? Et quod majus eſt, nec facultatem deſuper, nec cõmunem conſenſum habendo. Illud namq;, quod commune eſt, unus ſolummodo paucis cum Aſſeclis ſuum eſſe putavit, & linquere & dicere Regem. Exindeq; audax & nefarius ille notabilem apud vicinos Principes liberrimæ genti inuſſit infamiam. Mavult Lechia Civi, quàm Dño ſervire ſuo! Adhibuit externam potentiam, qui ſuum ſcelus alieno facto tegeret, aut honeſtaret, ſed perſpicax mundus novit optimè diuturni laboris curam, novit illum, qui ad eum finem conventicula intimabat, qui illa authoritate ſuâ manutenebat, qui fœda divortia ſuadebat, qui adinveniebat rationes, qui & quali eſca minus peritam nobilitatem ad rebellionem alliciebat & congregabat, licet ea, quæ in cogente fiunt, pro nullis habeantur. Cùm verò etiam Nobilitas memor fidei, honeſtatis, ac vinculorum ſuorum erga legitimum Principem ac Dominum ſuum tam indecorum facinus averſari, & ſeſe retrahere omninò deberet, uſus eſt non hoſpitis, ſed hoſtis ope, & paucorum inſimul domeſticorum & conquiſitorum amicorum, ac colligatorum aliquorum ſuorum ſubſidio, ut in hac ſocietate malorum intenta ſua perſequi, inceptaque perficere poſſit. Nec id tamen ſucceſſit ad vota, nam Rex Sueciæ concreditis ipſi ſolummodo curis & laboribus, ipſe ſibi poteſtatem eligendi & decernendi reſervavit, adhibitâ juxta uſitatam maximam Tyrannorum

rum communicatione. Si vos nolueritis, hic faciet & ſic ambitioni illius in pœnam & tormentum animi datum eſt in præmium pati. Finita tandem fuit præfata violenta, exlex Electio, nec primis divortiatis, nec ſecundis ritè conciliatis nuptiis, quando infamis rivalis non ſponſus obſtupeſcente toto orbe promulgatus fuit, abſente & renitente alienâ conjuge conjunx. Sed neq; hic terminum habuit infeſta ſorti publicæ ac indefeſſa in illuſionibus ſuis malitia, quærebat ſemper & inveſtigabat per rudera legum, ſecretiores ac pernicioſiores modos pergebat in concitatione incolarum Regni ad rebellionem, in fœdum alienæ cupidinis firmamentum, indicebat nefarios variis ſub nominibus congreſſus, odio pacis, & perſecutione Domini ſui & benefactoris diſpenſabat perjuriis non perſuaſionibus, & exemplo, & non ſolùm diſpenſabat, ſed violentis copiis ſub minis ferri & ignis renitentes ſuumque interitum præ oculis habentes adigebat. Confluxêre obedientes ad pabulum, contrarii ad metum pro ultimo Varſavienſi conventiculo, in quo impetratâ ab aliquibus ſubſcriptione, hac ipsâ ſaltem iſte carus hoſpes, an invaſor Reipubl. monſtrum ſuum erigit & exaltat. Alter verò à fortuna excæcatus, ignorat ſe tunc eſſe miſerrimum, dum ſe felicem reputat. Verùm enim verò non illum ſolùm, ſed hoſce omnes, quos idem malitiæ ac pertinaciæ concatenavit vinculum, eadem cæcitas percuſſit, dum interitum libertatis, ruinam Regni, ſpoliationem Patriæ de cunctis decoribus, abductionem de variis locis machinarum bellicarum, exuſtionem Regalis arcis Cracovienſis, rudera Patriæ, nunquam aliàs excogitatas & intolerabiles contributiones, & quod maximum eſt, ſpolia templorum videre nolunt, vel nequeunt. Proh dolor! O cives! quæ tanta dementia veſtra? Prætendunt vobis ſæpenumerò ſuaviſſimam pacis ſpem, & effectu ejus defraudant, poſito etiam, quòd perficiatur, qualis erit, certè cum damno & detrimento Patriæ, & hoc tum demum, quando è ruderibus, cineribus ac ruinis Patriæ nil amplius rapere poterunt, & cùm deſolationem fecerint, pacem appellabunt. Nolumus tamen omnes agnoſcere intentum noſtrum, non enim pars turbulenta, ſolùm & contumax non recogitat, quantum Patriæ tanquam matri ſuæ debeat, verùm nec intentum Sanctæ Religionis attendit, dum juriſdictionem ſupremi Paſtoris Vicarij DEI, cui ſoli DEus Optim⁹ Maxim⁹ curam & præſidium ovilis ſui concredidit, & qui illud inſomni cuſtodiâ cuſtodit, gubernat, & qui poteſtate & Authoritate ſuâ errantes corrigit, & inobedientes arguit & punit, quondam ſcripto aggreſſa eſt. Ille verò, qui jurisdictionem hujus Paſtoris impugnat, ſine dubio recordatur illius dicti: Quicunq; Eccesiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Nos verò, qui datam deſuper ſupremo Antiſtiti poteſtatem, cum omni veneratione colimus, ita, quidquid ad emendationem ſtatus Spiritualis neceſſarium eſſe vel facere cenſuerit, agnoſcimus pro ſumma æquitate. Nulla nobis cum eo lucta, in quo læditur ipſe DEUS. Sed ſinamus Jura Eccleſiæ, quæ ſuis in manibus tenet gladium, & habet vindicias poteſtatis ſuæ, quem uti extendere, ita eodem & ferire poteſt, id ſolum modò animadvertamus, quòd tam profundè venerata proceſſit malevolentia primi haud dudum. Nunc verò jam exvinculati Præſulis & accitorum in publica incendia ſociorum, ex quibus velut ex fumante Veſuvio major in dies evaporat infectio, dum hæc eadem malitia erectum ante annum flagitioſo auſu idolum, paludamento Regio regere, & inſignia Regum nulliter & perperam capiti ejus in majorem aggravationem ſui criminis imponere auſa eſt omiſſis ſolennitatibus

A.C. 1705

A.C. 1705 tibus legis & praxis, ſine comitiolis, ſine comitiis, calcatis legibus, & conſequenter furtivo & non publico actu, ſine notificatione vicinorum, Monarcharum, ſine præſentia eorundem Miniſtrorum, quos in plauſũ & honorem coronandorum delegare ſemper conſueverant. In ſumma, ut ſemel fœda hæc doloſa, ſeditioſa, & infamis rabies contra Dñum ſuum inſurrexit, ita impietati, perfidiæq; ſuæ inſiſtendo, eò usq; ſeſe extendit, donec in culmine ipſo coronatum ſcelus poſuiſſet. Nos itaq; ſupra nominati Proceres, Dignitarij, Officiales ac univerſa Nobilitas Regni, & M. D. L, conformando nos Confœderationi noſtræ Sendomirienſi, ſimulq; recogitando, quantum DEo, conſervationi Eccleſiarum, amplitudini Majeſtatis Sereniſſimi Principis ac Dñi AUGUSTI, Regis ac Domini Clemi conſervationi integritatis, libertatum noſtrarum corroborationi Confœderationis noſtræ Sendomirienſis debeamus, utpote ad quã manutenendam etiam communi diſpendio noſtro nos toties obſtrinximus, communi aſſenſu, unanimi corde ac mente declaramus, ac nosmet invicem nobis ipſis obligamus, quod quemadmodũ antea contra omnia conventicula, & quocunq; nomine vocitata, & intervenientes conſultationes, converſationes, & ſancita, ut & contra id, quodcunq; dolus & induſtria pepererit, præſertim contra ipſam inordinatam ebriam, coactam, & ſub gladio extortam Electionem, (prout id ipſum manifeſtatione ſuâ Illmus D. Caſtellanus Cracovienſis Supremus Exercituum Regni Dux S. R. I. Princeps Hieronymus Lubomirski ultrò ſufficientiſſimè deduxit) manifeſti & proteſtati ſumus, ita & in præſenti contra violentam illegitimam, abuſivam, coactam, & infeſtam legibus Patriis coronationem, manifeſtamus, & proteſtamur parati exiſtentes vitam & fortunas prius amittere, quàm ſemel liberè Electum Principem Seren: AUGUSTUM II, Dñum Noſtrum Clemum deſerere. Obteſtamur tandem charitate Patriæ illos omnes, qui laxatis hucusq; conſcientiis impio gregis ſui anteſignano auxiliatricem præbuerunt dexteram, ut recordentur quantum DEo, quantum Regi, quantum Patriæ debeant, contra tam infamem, abominabilem actum nobiſcum, ſimul & pari zelo conſurgant, noſtramq; licet ſerâ pœnitentiâ & virtute ducti, laudabilem ad futura tempora perennaturam reſolutionem adjuvent, declarando ſe, quòd fideliter & conſtanter ad ultimam ſanguinis guttã Majeſtatis Seren: AUGUSTI II. liberam Electionem, ſimulq; ipſam libertatem tueri, defendereque velint, illiq; mori; Hæc libera naſci, hæc vult libera turba mori. Deteſtamur & execramur totum id, quidquid, ut ab ipſa origine, ita & poſt, & in ulteriori tractu præjudicioſi Majeſtati, & nocivi libertati factum, habendo omnes adverſæ partis conſultationes, attentata & facta, pro piaculo uti fomites perfidiæ & nutrimenta malorum, à quibus, ſeu à face accenſa ardent Jura, ardet ipſa Patria, & in flammis iſtis cuditur nobis malleus, qui nos tundat & contundat, ac exanimet. Ipſe quippe & non alius infelix malleus, & non ſceptrum datur, alieni Throni incubo, & porrigitur ab illa manu, quæ non ita pridẽ libertate nobis ademptâ liberos in ſervos redigeret, ut qualis Magiſter, talis etiã eſſet diſcipulus. Videmus utiq;, quomodo fortuna ejus extruat pro libertate Imperium, ubi voluntas pro legibus docet jam triennali Magiſterio, quomodo liberâ uti gente, quomodo imperare ſuo quidem exemplo ſecundùm illam politicorum normã, terrere ni metuant, ubi pertimuerint, impunè contemni. Quapropter cùm hæc triſtis facies, tragicâ ſcenâ peracta ſit, ne tam ſacrilegum nefas ullo temporis momento matureſcere valeat, ſentiamus tandem mala

la noſtra, & retundamus, ſeu virulentam turbam reorum & minacis hoſpitis enſes. Non prima utique, ſed ultima fortuna demonſtrat victorē. *A.C.* 1705

Cauſa jubet melior ſuperos ſperare ſecundos. Præſtò nobis eſt bellicoſa dextera Invictiſſimi Monarchæ Seren: Czareæ Mtis, cujus Herculea Clava ſciet ſævientis leonis contundere & abſcindere ungves, hucusq; rei infallibilem cum adjutorio Omnipotentis DEi ſpem concipimus, ex recenter reportatis de hoſte victoriis, ex liberata Provincia, & adactis ad traditionem Fortalitiis. Reſtat tantummodo exuvias adhuc portare leonis, & cruore hoſtium ſignare monumenta pacis. Quemadmodum itaq; jam ſemel DEum ter Opt: Max. vindicem innocentium in auxilium nobis ſumpſimus, ita ſub clypeo ejus extrema quæque & omnia diſcrimina pati circa Regem noſtrum, & Confœderationem noſtram Sendomirienſem ſtare cupimus, æſtimantes caput hoc, quod ex vocatione Ordinis Equeſtris ſub caſſide erat, nunc verò ſub Corona eſſe, & faſtidio æqualitatis, faſtigio Regni adornari intendit, cum omnibus hiſcé, qui eundem adjuverunt, ipſi adſtiterunt, & quovis modo faverunt, authoriſârunt, juverunt, pro perduellibus & hoſtibus Patriæ, annihilando, execrando omnes actus, conjurationes, ſancita, Electiones, coronationes, uti damna, præjudicia, & exitia publica, inhærendo firmiter Confœderationi noſtræ Sendomirienſi, omnibusq; vinculis & ligamentis illius, nec minùs adhærendo Præſidi illius Illuſt: Stanislao Comiti à Dönhoff Enſifero Regni, Mareſchalco Confœderationis noſtræ Sendomirienſis, cujus fidiſſimis vigiliis Majeſtas & libertas concredita, cujusque virtutem & famam canit ſonora tuba, & in ſæcula duraturæ tradit memoriæ, ut ſit tam diuturna, quàm celebris, ut videat poſterior ætas, quem præſens amavit. Obſtringimus inſuper & obligamus eundem Illuſt: D. Mareſchalcum Confœderationis noſtræ Sendomirienſis, ut hanc Manifeſtationem & protectionem noſtram de communi aſſenſu & conſenſu factam, actis Regni inſeri procuret. &c.

CVI.
ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. PONTIFICI MAXIMO CLEMENTI XI die 12 Octobris.

AD oſcula Beatiſſimorum pedum, à quibus hactenus arcebar, de genu humiliter accedo, & in ſinum Sanctitatis veſtræ Paternum injuriis victus, depreſſus, anguſtiatus, & afflictus, tanquam ad unicum innocentiæ meæ præſidium demiſſiſſimè confugio, auxilium & ſolatium, ut ab optimo Patre (notum ſit omnibus eſſe Dominum in medio terræ) ſupplex exoro. Nemo poſt calumniam natam turpiùs & ignominioſiùs petitus, dum non ampliùs per cuniculos ſagittantes in occulto, ut antè, verùm cum machinis inimici mei ſteterunt contra me, & Regem Sereniſſimum meliorem bonis Principem in id induxerunt, quod jam non rumor, ſed conſtans fama per orbem, quà patet, univerſum divulgavit. In cœlis teſtis meus eſt, quod magis læſam per omnia & in omnibus Eccleſiæ (pro qua executionem pati gloria, mori lucrum mihi eſſet) immunitatem doleo, quam de tanta mei nominis, famæ & honoris jactura queror. Petii ab initio ſtatim, nec hucusque petere deſiſto, ut ad competens judicium remittar, ut liceat ibi reſpondere, ubi vel puniri, ſi nocens, vel abſolvi, ùt innocens queam, néve diutis irriſioni, & ſubſannationi Acatholicæ urbis, quæ dedecus noſtrum ſuam famam arbitratur, exponar. In tribulatione patiens, & ſpe

A.C. 1705 gaudens, quòd deficient inimici mei, in multitudine adinventionum ſuarum & DEus judex & vindex vertet mihi in bonum, quod illi machinati in malum, dum ex iſto calumniarum & calamitatum cœno extractus, ad pedes Sanctitatis Vræ appropinquare, & poſt deductam innocentiam meam, quam veritas filia temporis cum DEI auxilio palàm faciet, & ex benignitate Sanctitatis Vræ caſſæ reliquum ſenectæ, ſoli DEO, ut conſtanter exopto, impendere licebit. Succinctam interim æquè ac veram facti relationem Eminentiſſimo Cardinali Paloucci, ſi videre eam Sanctitati Vræ placuerit præſentandam tranſmitto. Non querelâ, character enim meus magis fortem in anguſtiis, quàm querulantem requirit, ſed voto finiens, DEumq; precans pro incolumitate, & feliciſſimis Sanctitatis Vræ ſucceſſibus, me iterum ad pedes ejuſdem humillimè proſterno.

EMINENTISSIMO CARDINALI PALOUCCI eâdem die.

MIraberis Eminentiſſime, quòd tamdiu ſiluerim, ſed ſilentium hoc non fuiſſe voluntarium agnoſces, cùm rationes ejuſdem in annexa ſuccincta, & vera facti relatione videris. Ad hanc non habeo, quid addam, niſi humillimam petitionem, ut ſis adjutor in tribulationibus meis, & memor verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, redimas me à calumniis malignantium, & ad judicem competentem validâ tuâ protectione trahas. Judicium terminat cauſas: ut ſummo Pontifici comendes, cui ut vigilantiſſimo Paſtori, ut amantiſſimo ſingulorum Patri, cura eſt æqualiter de omnibus. Quæ eſt expectatio mea, nónne Dominus? non peto favorem, ſed ſitio juſtitiam. Invoco etiam conſilium Eminentiæ Veſtræ, quid agere debeam, cum documenta evidentiſſima ſint ad manum, quòd Eminentiſſimus Primas noſter pace factâ cum his, qui non minus ipſi, quàm mihi inimici erant, hanc formaverit machinam inter inimiciſſimos ſociatis conſiliis, & perdendi me deſideriis, hac motus ratione, quòd ego, ut ſum offenſionum pro utilitate publica non pavidus ex vi officii ago, quæ agere debeo in defenſionem Regis, quæ ſine offenſione ejus fieri nequierunt. Non fac, non dicent, qui facit, quæ vult, audiet, quæ non vult. Juravit igitur Domino, utinam non eum quandoq; pœniteat, perditionem meam, & nulla media ad hunc finem negligit. Invenit quidem nunc tempus acceptabile, tempus ruinæ meæ, tam probabiles adhibendo apparentias, ut ſit difficile, ne pro veris accipiantur, quæ ſunt falſiſſima. Pretio conductus unus de meis Varmienſibus ſcripſit, quæ ei demandata ſunt, & hæc attributa ſunt mihi, quæ nunquam cogitavi. Eſt quidem verum, quòd hic Clericus ſcripſerit aliquoties à me, ſcripſerit huic, cujus nomen profiteor, ſed in Varmiam, non Berolinum. Verum & id, quod ſecretiori cyfrarum modo uſus fuerim, omnes enim literæ per Gedanum, ubi Eminentiſſimus Primas illis invigilat, & per Elbingam, ubi Commendans Sueticus non eſt in ſimilibus negligens, evitando ergo hæc pericula, ſic ſcribere debui, ſed in re familiari, nec ullatenus publicum tangente, ut hæ literæ patebunt ſuo tempore ſcriptæ jam ſunt, nec mutari queunt, cùm hic idem Clericus in manibus Regis eſt, nec ulla ejus copia, nulla communicatio mihi. Interceptæ aliquæ, uti ſcio non perveniſſe eas ad manus ejus, ad quem pertinebant, & ex his illa nomina & cyfræ, quas ego ad meum Domeſticum in re merè œconomica adhibui, in aliam materiam verſæ. Clericus juſſus eſt, à Principe Firſchtem-

tembergk, uti certò ſcio latebroſis artibus ſcribere, quæ ad mei con- *A.C.* 1705
demnationem ſerviebant, & quaſi per poſtam hæ literæ venirent, Regi præſentabantur, quem facile & pronum eſt quâlibet larvâ faſcinare, ut eò melius contra me perſuaſiſſent, de quibus nulla mihi uti cogitatio, ſic nec minima erat ſuſpicio, non obſervat ventos, qui non navigat. Erit tempus, quo Eminentia Vra non mirabitur tantùm, ſed & ſtupebit ſuper perverſum modum, quo malignitas uſa eſt, ut me perderet. Cor Chriſtianum quomodo id facere poteſt? vindictam Deo relinquo, juſtus enim eſt Dominus, precorque, ut addat ad patientiam, dum addit ad mœrorem. Petii humillimè à S. Mte per Comitem Stratman, & alios (dura molliunt calentes preces) ut permittar ire Romam pro juſtificatione mea, & danda ratione, cui debeo actionum mearum, & ſi id non placet (ùt non placere inaudivi) ut dimittar ad aliquam civitatem Catholicam uſq; dum cauſam meam dicere poſſim, cum iis obligationibus, quas Eminentia Vra in annexo folio leget. Obedivi Domino meo Pontifici, parendum eſt Domino, ſive vocat, ſive revocat, dum per Eminentiam Vram juſſus ſum; ut aſſiſterem Regi, feci, quæ potui, & nunc hæc patior. Quod pertranſivit, ſcio, quod futurum ſit, ignoro, quæ minus certè haberem, ſed de nulla re ſum magis ſollicitus, quàm de exemplo & præjudicio, quæ plus valent immunitati Eccleſiaſticæ, tam nocivis, ego enim, quò ad perſonam meam, minus curo, & in ſolatium virtutem adhibeo, ſtabunt juſti in magna conſtantia. Quæ omnia Eminentiæ Vræ dum ſincerè exaro, ejus me perenni gratiæ, & notæ per tot annos bonitati, & authoritati validæ, ſubeſt enim tibi, cùm volueris poſſe, quàm demiſſiſſimè recommendo.

SUCCINCTA ET SINCERA EORUM, QUÆ CUM EPISCOpo Varmienſi ſunt acta Dreſdæ uſq; ad diem 12 Octob. Anno 1705.

Nihil hic de iis, quæ à tertia Decembris anni peteriti, à tempore ſcilicet adventûs ſui in hanc Electoratus Metropolim, mente, quâ decet, ſed plus, quàm ſtoica tulit & pertulit patientiâ Epiſcopus. Acerba quidem erant, tolerabantur tamen, ſi molimina, quibus impetebatur, ignominiæ, quibus onerabatur, ſi omnia, quæ non ſorbere tantùm, ſed & concoquere debebat, calamo exprimenda eſſent, nec pelles Madian fortè caperent. Vix mandato Regio vocatus Dreſdæ comparuit, inſurrexerunt ſtatim inimici multi, invidi penè omnes, nullamq; intermiſerunt occaſionem, quâ per occultas vias affectum Regium à fideli Miniſtro averterent. Quis fuerit ejus angor animi, quæ cauſæ & concauſæ mœroris juſti, D. Abbas Merenda per aliquot ſeptimanas hic præſens ſincerum perhibere poſſet, ſi vellet teſtimonium.

Adimplevit menſuram perverſa calumniantium malignitas, tam forte, tam bene malum in finem ordinata aggrediens machina, ut res ſe ipsâ falſiſſima, vero verior appareret. Decimâ nonâ Septembris vocatum ad ſe Sereniſſimus Rex compellavit, literaſq; manu corrupti Domeſtici ſui ſcriptas oſtendit omnino volens, ut clavem ciffrarum, quib9 illæ literæ ſcriptæ dicebantur, produceret. Cùm verò Epiſcopus nihil ſe de literis, de cifris, de clavi earum ſcire conſtanter affirmaret, urgenteq; Mte, tanquam eam penes ſe haberet, omnia loca veſtium, ubi chartæ ſervari poſſent, libens cum omni diligentia inveſtiganda obtulit. Poſt contentiones, quæ ab una parte calidius, ab altera cum ſummo reſpectu æquè ac ſtupore ſuper re planè inſperata nec prævisa finitas, juſſus abire

*A.C.*1705 abire domum Epiſcopus. Sciendum verò examen hoc factum fuiſſe in una camera, ubi menſa cum atramento, calamis, chartâq; paratis inſtructa erat, & Conſiliarii nutum in anticamera expectabant, res enim adeo certa credebatur, ut ad notandam depoſitionem parati tenerentur, poſt quam factam (uti arcanum pòſt revelatum erat) Epiſcopus ad arcem Meiſſinenſem cum duabus perſonis in carcerem duci debebat. Sed cùm non minus verè, quàm conſtanter factum pernegaretur, congreſſus ille Conſiliariorum evanuit.

Interea dum hæc in Regia geruntur, miſſus eſt Conſiliarius intimus Nemler cum duobus ex Cancellaria Copiſtis in aſſiſtentia D. Generalis Dönhoff, & junioris Szembek Polonorum in domum Epiſcopi, qui omnes ſcripturas & literas cum ſumma diligentia, & exacta, uti juſſi erant, inquiſitione revidebant, & nec lectus quidem ab illorũ excuſſione liber erat, ubi quæſiverunt magis, quàm aliquid invenire potuerunt, nullo modo enim eſſe poſſunt, quæ non ſunt. Quidquid verò ſecretiorum ſcripturarum erat, ſigillo Regis muniebant. In hoc ſtatu dum ab aula Epiſcopus reverſus, eos invenit, ſtatim claves ab omnibus ſcriniis, quæ intacta erant, dedit, & ea apportari, & aperiri, ſcripturasq; ibi contentas præſentari juſſit, quas ſigillatas tanquam in triumpho portârunt. Dum verò ad audiendam immediatè Miſſam Epiſcopus acceſſit, venit Colonellus Bretſchneider, & finem ſacrificij expectare nolens, aggreſſus Epiſcopum, hæc formalia Gallico idiomate dixit: Annuntiat tibi Dñe Epiſcope Rex Seren: arreſtum, utque in domo te contineas, neque exire usq; ad aliud mandatum audeas, neq; ullas ſub quocunque prætextu literas ſcribas, jubet. Dato brevi reſponſo: quod quanquam poteſtatis magìs, quàm æquitatis illud eſſet mandatum, pro lege nihilominus futurum: ille abivit, & Epiſcopus ad continuandam Miſſam acceſſit.

Petiit poſtea Epiſcopus per DD. Dönhoff, & Szembek humillimè Suam Majeſtatem, ut res hæc tanquam Religioni, & præcipuè Ordini Epiſcopali pudenda, ſine tanto ſtrepitu perageretur, eſſe ſe ſub poteſtate Regia, & tantò minus de abitu hinc cogitare, quantò ſe innocentiorem agnoſcit. Erat altera etiam petitionis hujus juſtæ ratio, quòd origo calamitatis, fonsq; ærumnarum, ſcilicet vel cooperator hujus calumniæ faciliùs inveſtigari potuiſſet, ſi res non tam publica acta fuiſſet.

Quantus rumor! quanta confuſio! cùm etiam Fratri, Sorori, Cognatæ, Nepotibus, totiq; domui arreſtum denuntiatum fuit, quanta conſolatio Acatholicorum! qui ſermones & diſcurſus injurioſi? nec animo hæc concipi poſſunt, multò minus verbis exprimi. Prohibitum eſt, ne Capellam (quæ unica hoc tempore fuiſſet conſolatio) viſitaret, & ſolatio orandi DEum cum populo privaretur. Affixa ſunt edicta in portis, & locis, ubi milites conveniunt (Courdigardas vocant) quibus ſpecificè Epiſcopum, & omnes Domeſticos ejus, ne ex urbe exire audeant, inhibitum. Portæ hâc die integrâ clauſæ, in craſtina autem, & aliis diebus exeuntes indiſcriminatim examinabantur, cum eo rigore, qui ſine pudore deſcribi non poteſt.

Die 28 Sept. ſub tempus prandij miſſus eſt aliquis Secretarius Regius, ut Ephebos ſuos Epiſcopus in Commiſſione Regia examinandos ſtatuat. Dum verò, qui ſint Commiſſarij quæſierit, reſponſum eſt eſſe D. Decanum Baucenſem cum tribus Capellanis: primò Principis Fürſtenbergij, 2dò Comitis Stratman, 3tio Generalis Lang. Viſum eſt Dño Epiſcopo præcavere Immunitati Eccleſiaſticæ, & indemnitati Characte-

ris

ris ſui; ſcripſit ergo ſchedulam ad dictum D. Decanum, cujus erant hæc *A.C.* 1705
formalia: Venit ad me ipſo tempore prandij aliquis, uti ſe dicit, Secretarius Regis, ut ad commiſſionem S. R. Mtis mittam Ephebos meos. Reſpondi me eſſe ſub manu Suæ Mtis, totamq́ Domum meam. Interim ſciens V. Dõnem Perilluſtrem hanc Cõmiſſionem abſolvere, præcaveo Juri Sanctiſſimi D. Nri Pontificis, cui & non alij ſubſum, rogatamq́ vellem Perilluſtrem D. V, ut ſe reflectat, utrum jure agat, quod agit, in reliquo maneo in affectu. Ad quam tale reſponſum habuit. Requiſitus à Sua R. Mte, tanquam unicus in Ditionibus Saxonicis loci Ordinarius ad hoc negotium, cùm perſonæ hæ aliàs per ſæculares examinandæ ſupponebantur, cenſui me ſalubriùs facturum, ſi ad avertendum majus ſtatui Eccleſiaſtico præjudicium, hanc Cõmiſſionem, licet ab ea libentiſſimè immunis eſſe voluiſſem, in me ſuſciperem, ſperans Suam Celſitudem mihi id non in malam partem interpretaturam, cujus eſſe, & mori cupio. Et eodem veſperi Ephebi examinati, & poſt tres iterũ dies ad idem examen vocati, ubi præmiſſis variis protectione, promotione, favoribus, largis oblationibus inducebantur ad fatendum id, quod deſiderabatur, & quod illi ideò negarunt, quia falſa dicere nolebant, ea tantùm dicendo, quæ vera ſunt, non quæ illi dici voluiſſent. Cùm verò blanditiis hiſce emolliri non poterant, tandem alterâ die, poſtquam Pater Vota Commiſſionem ab Illmõ Nuntio Apoſtolico Spada habuerit, eximendi de foro ſæculari, & in cuſtodiam Spiritualem D. Epiſcopi recipiendi, noctu violenter ex domo Epiſcopi dicti Ephebi, ingenui Juvenes ex domo extracti, ſine pileis ingenti tunc pluviâ cadente, tanquam latrones in carceres ducti, in quibus quivis eorum ſeparatus, in locis humidis & obſcuris, ſtante ſemper apud quemvis in eadem Camera milite cum ſtricto & nudo gladio, & ſex aliis militibus extra: non conceditur cuiquam licentia adeundi eos, miſerè tractantur innocentiſſimi, & in teſtimonium vocati patiuntur, tanquam rei, & die feſto ad audiendam Miſſam non dimiſſi.

Nulla dies, quæ novas non adferat afflictiones, triſtitiaſq́ ſuper triſtitias, quæ cruces poſſunt comparari cum his! Interim cùm ſupplicandi copiâ, defenſioniſq́ poteſtate careat Dñus Epiſcopus per Comitem Stratman Legatum Cæſareum, Principem Firſtenbergk, Comitem Fleming, Baronem Szenk, & alios demiſſiſſimè has Suæ Mti propoſitiones fecit.

Eſſe ſe innocentem, & precari, ne amplius irriſioni Acatholicorũ cum ſũmo Religionis præjudicio exponeretur, ſed ut pro juſtificatione ad competens judicium Romam dimitteretur, offerendo daturum ſe plenam obligationem in ſcripto, quòd imprimis nullâ interpoſitâ morâ, viâ, quâ rectiſſima poterit Romæ ſe ſtatuet ad reſpondendum. Quod nec directè, nec indirectè interea quidquam dicet, vel aget, quod præjudicioſum rebus Regiis eſſe poſſet. Quòd literas ſigillo volante ad manus, quas ſua Mtas voluerit, ad fratres & amicos ſuos in Poloniam ſcribet, nihil ſe paſſum, præveniendo quoſvis motus, quæ ex hac occaſione oriri poſſent.

Si verò Romam, uti jam fama eſt, ire non conceditur, ut ad Illuſtriſſimum Dominum Nuntium remittatur, vel ut expectando ulterius Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ad aliquam Catholicam civitatem tranſeat, præviâ ſecuritate in ſcripto, quod nec in Poloniam ibit, nec quidquam, ut ſupra expreſſum, aget, quod ſit cum præjudicio ſuæ Mtis, idq́ ſub ligamento honoris, & incurrendæ Sanctiſſimi Dñi Noſtri indignationis.

Petita

A.C. 1705 Petita hæc ab omnibus, quorum ad notitiam veniunt, juſta videntur, necdum tamen ullum habere poteſt Dominus Epiſcopus reſponſũ, quotidie novæ afflictiones augentur, quas cum injurijs, etiamſi id non didicerit, ferre debet, in Deo ſolo fidens, & ſuâ ſe virtute, & innocentiâ involvens, humana omnia mala, tam alacriter ferre paratus, quàm inimici ejus inferre.

UNIVERSALE REGIS AUGUSTI INGREDIENTIS POLONIAM in Octobri.

POſt tit. Significamus omnibus. Ingredimur pro ut nobis pridem optavimus, vobis conſtanter promiſimus in fines Regni noſtri; in cujus gratiam publico intenti commodo tantiſper nos abſentavimus. Ingredimur, ut imprimis fidei ſanctæ Romanæ Catholicæ integritatem, totius Reipub. incolumitatem, jurium, prærogativarum, & libertatis vigorem, omnium ordinum in univerſum & ſingulorum in ſpecie ſecuritatem, & proſperitatem, in hoc erubeſcendo, lugendo, miſerandoq; nobis; hoſti ridendo & ſpernendo rerum ſtatu à ſuprema ruina conſervemus, & manu teneamus. Ingredimur; ut egentes, anguſtiatos, & afflictos ſubditos noſtros conſolemur; quorum propagata ad natos uſq; Natorum miſeria, & tanta nunquam ſatis deploranda, nec compenſanda damna noſtrum agebant & tangebant animum. Ingrediamur, ut quieſcat vox à ploratu & oculi à lachrymis; ut tam graves nobilitati plebiq; juxta intolerandæ ceſſent angariæ. Ingredimur cum ingenti cordis noſtri dolore, intuentes in aliquot Perſonarum gratiam, apud quos nulla legum reverentia, juris nulla, quiq; velamen malitiæ habentes libertatem, vindictæ potiùs, quàm tranquillitati ſtudere, depopulata eſt omnis Regio, luget populus, confuſi ſunt agricolæ, ululant ſuper deſolatione deſolatæ terræ. Ingrediendo autem, fauſto utinam pede (fortunet ille, à quo omne robur & fortitudo) cum exercitu noſtro, nihil aliud quærentes; præter ea: quæ noſtra ſunt, non aliis ad vos, à quibus nobis præſtanda ſpondemus, quæ ſcimus deberi, utimur verbis, illis præterquam: excutere de pulvere, conſurge, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion. Expergiſcimini inclyti Poloni, tempus eſt jam ſomno ſurgere: congregamini filii Juda & filii Iſraël pariter, feſtinate ad gloriam rectâ viâ obliquas ſemitas omittite, reſtituite vobis, & priſtino nitori. An non videtis cum dolore noſtro & dedecore damnoque veſtro, hæreditatem veſtram eſſe verſam ad extraneos, argentum veſtrum abiiſſe in ſcorias, poſteriorem diem acerbiorem priore, & inſequentem horam alteram alterâ calamitoſiorem? uſquequò ſub immiti ingemiſcetis jugo? nónne temp⁹ doceri plagis, tantiſq; damnis? necdúmne ſatis caſuum, eventuum, mutationum voluntatum, temporũ, conſiliorum? jam non tantùm manibus, ſed toto corde & corpore ſentitis ſpinam roſis obſitam, guſtatis abſynthiũ melle illitum, viperam inter flores prenſatis: quouſque vagis erroribus acti, privatæ quorundam libidini publicam authoritatem accommodari, oleum ad miſerum Patriæ incendium, quo nunc ardetis, ſuggeri, libertatis umbrâ, cujus immodicus uſus ſervitij occaſio eſt, illudi, parricidas matris ſuæ, qui omnium horum malorum, quæ videtis & ſentitis, (quid autem mali non videtis) cauſa ſunt, tanta ſibi permittentes patiemini? quouſq; recti ſpecie decipi, & plura voletis indulgere, quàm jura ſinunt, excæcatæ malevolentiæ? quæ totam vim ſuam & robur in mendaciis venenatis, perverſaq; libertatis affectatione, quò ſuperbiam

ſuam

ſuam & arrogantiam velet, reponit. Quis non videt? quòd quidquid ſibi proponunt, non tam libertas eſt, quàm libertinitas; id eſt impunè ad libitum per fas & nefas quidvis faciendi licentia: ſua ſibi confingunt vota, ſcribunt, & dicunt, omnia ad voluptatem, nihil ad veritatem: ea tantùm ſupereſt fortuna, quòd malitia tantas vires non habeat; quantos habet conatus: & hæc omnia vana veritatique diſſentanea, ſub celebri eduntur nomine; dummodo Reipub. diſſolvatur unitas, firmitas relaxetur: dummodò poſſint cum illa Trojana Hecuba mordere, oblatrare, maledicere, conviciari, fingere quæ volunt. Si omnia adinventa tam contra ſupremum Eccleſiæ caput, quàm contra nos & propriam Patriam, ſi modi ſinguli malitiæ partus calamo exſcribendi forent, non caperent omnes pelles Madian. Quomodo id nos non affligat? quando non tantùm ſpoliare gloriâ, & auferre coronam de capite hæc viperarum genimina ad excogitandum acutiſſima, ad audendum impudentiſſima, odio magis, quàm ex cauſa; novo magis exemplo, quàm conceſſo jure volunt: ſed etiam bonâ nos famâ exuunt, magnum nomen temerant, innocentem populum ad univerſalem ſeditionem hortantur, excitant, impellunt: quando ea, quæ nunquam fuerunt, nec erunt, uti certiſſima habemus argumenta, typis mandant audacter, probant inſidioſè, aſſerunt apertè. Ad dandas igitur vindicias manutenendis juribus, conſervandis ſupremis reliquiis veterum libertatum, propugnandæ demum perſonæ noſtræ, & throno; quem nemo nobis niſi mors adimet, venimus & feſtinamus reponentes ſpem non tam in noſtris exercitibus, quos ſat numeroſos ducimus, aut Colligatorum ſuccurſu; quem non jam ſperat, ſed ſpectat Patria, quàm in ipſo Deo. Ædificet alter quiſpiam carnem brachium ſuum; nobiſcum Dñus Deus Noſter, quem auxiliaturum nobis pugnaturumq; pro nobis ſuppliciter imprimis invocamus, tum etiam vos, quorum toties non obſcurum nec dubium amoris in nos ſymbolum perſpeximus, invitamus, ut ex æquo nobiſcum, quod fieri oportet & omninò opus eſt, ſi Remp. ſalvam volumus, unâ eâdemq; omnium voluntate, pariq; ſtudio ac propenſione defenſioni Patriarum legum cooperari velitis. Deſpiciant nos, calumnientur, mordeant, lacerent hoſtiles linguæ, & calami: nos quidquid ad noſtri manutentionem defenſionemq; honoris, conſervationem jurium, prærogativarum, & libertatum Reipub. nec non ad ampliandum & augendum comodum ejuſdem ſpectat (deliramenta hæc omnia penſi habentes) fortiter & conſtanter agemus. Animoſiùs nunc & loquimur & ſcribimus: quòd non ſuccedet in perpetuum fraus neq; ſemper proficient doli; quia invocato in auxilium Numine enitemur, proſequemur, & perficiemus; ut videant populi, intelligant nationes, cognoſcat mundus ſequiorem de nobis fuiſſe opinionem. Patria autem exultet, gaudeant omnes, quando juſta & manifeſta cauſa pro ſe habebit ſententiam. Feſtinate igitur; maturato enim opus eſt: Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, qui voſmetipſos & Rempub. ſalvam vultis, redite ad Patrios mores, & ritus, ſi modò velimus, auxilio deſuper avertentur retrorſum, qui volunt nobis mala. Nos pro perſona noſtra & exercitibus noſtris fidem facimus, nos tales quales verbo abſentes ſumus, re etiam præſentes futuros, in facto rem populi non noſtram eſſe credemus, injuſtis & nefariis conatibus in teſtata ſpectataq; veſtra fide non poſtremam ſpem ponentes obviabimus, & re non verbo in confuſionem eorum, quibus utilitatis potior, quàm honeſti cura eſt, liberos reddem⁹. Et quemadmodum eos qui fide erga nos ad ultimum invictâ nobis adſtiterunt, A.C. 1705

*A.C.*1705 ſtiterunt, certificamus, verboq; noſtro aſſecuramus de conſtanti & immobili gratitudine: ita & eos, quos impoſita neceſſitas ad deſerendos nos, favendum hoſtibus, fovendasq; inimicorum noſtrorum intentiones perperam induxit: (ut demonſtremus conſuetudinem bonitatis, nobiſq; in animo eſſe morbos, non ægros eradicare, probè utpote ſcientes, quòd eoſdem pœniteat, pudeat; dummodo tamen cogitent de petenda ſeu furoris ſeu erroris venia, & temeritatis emendatione) ſanare potius vitioſas partes quàm reſecare optantes, dummodo indultâ primò ſceleri veniâ non exhibeant ſe metuendos de relapſu in ſecundum, omnes reſipiſcentes ſuſcipere parati ſumus, non dubitantes eos; quidquid vel ex levitate vel malitia, vi vel metu in conſtantem virum cadente, perpetrârunt, affectu ſuo & ulteriori zelo nobis & Reip. compenſaturos. Jam ergo venit hora & nunc eſt; ut affectum veſtrum tam in perſonam noſtram, quàm bonum publicum non ſignificare tantùm ſed etiam probare velitis. Venimus ad ſummum: arripienda ea ſunt, quæ è re vel in rem Reip. videbuntur. Sit nobis omnibus carior vita, & libertas publica; velimus modò: audacia hoſtium noſtrorum rationis viduata ductu confundetur, ſpes plus nimio tumida crepabit. Quiſquis igitur ad latus noſtrum approximare poteſt; expanſis eum manibus & corde præſtolamur; quiſquis autem tanti eſſet, ut ſivè collectivè ſivè diviſivè publicum hoſtem invadat & minuat, pro gloria gentis, quæ propè jam ſepulta jacet, audeat certus meriti apud DEum, gratitudinis apud nos, memoriæ apud poſteritatem, aliâ viâ ſine periculo portus non obtinebitur. Si eluctare deſideramus ex tantis procellis, ſtudeamus uniri, familiaritatem cum hoſtibus intempeſtivam ejuremus. Nos verò non verbis, ſed re ipsâ moræ ultra impatientes vitam & fortunas noſtras promptè ſubditis noſtris impendere, in omnibus occaſionibus adeſſe, intereſſe, & præeſſe non deſinemus, certificamus & aſſecuramus quemvis iterum iterumque de affectu noſtro Paterno. Quàm primùm autem opportunum tempus & locum, de conſilio ad latus noſtrum à Sendomirienſi Confœderatione deſtinato perſpexerimus, tertias & ultimas literas reſtium ex Cancellaria noſtra edi demandabimus.

Interim volumus; ut hoc univerſale noſtrum ad faciliorem velocioremq; notitiam omnium Palatinatuum, terrarum & diſtrictuum per caſtra, parochias & loca conſueta publicetur. In quorum fidem Nos manu noſtra ſubſcripſimus & ſigillum applicare mandavimus. Datum &c.

MARTINO CHOMETOWSKI PALATINO MASOVIÆ 26. Octobris.

FOrtunâ an caſu, utrumq; fuiſſe credo, recepi tuas humaniſſimas, jam enim in manibus ſub poteſtate, quarum & ego ſum, fuerant, & tamen ad me venerunt intactæ, in quibus eò magis affectum tuum video, venerorq;, quò rarior hoc ævo. Ita me totum tibi conglutinas, atq; conjungis, ut nulla locorum diſtantia, nullaq; Regionum diverſitas arctè conſtrictum amoris ſui vinculo diſſolvere, ac diſtrahere poterit, cùm me benignus ſublevâſti in tempore. Nulli vel pauci ſunt, qui inter anguſtias alienas proprio metu occupati calamitatis miſericordiâ moveantur. Infelicium fortunatus nullus amicus. Habes ergo me majori devinctum neceſſitate, quàm hoc loci exprimam. Non ducis, ſed trahis in obligationem, dum in hanc exilij mei ſolitudinem motus affectu averſitatis tempore à fortuna deſtitutum non deſeris, & dolo-

doloři meo quaſi callum obducis. A tam proſpera voluntate aliter ex- *A.C.* 1705
pectare non poteram, & tanta me voluptas invaſit, quantam nunc maximè capere poſſum, dum illud mecum reputo, me in tua memoria eſſe. Ingratiſſimus proinde eſſem, ſi me quotidie non videres causâ tuâ efficientem, quæcunq; potero, conantem etiam ea, quæ non potero. Amorem tuum ſic literis exprimis, ut etiam animo meo eum imprimas, quem eò impenſiùs æſtimo, quòd candidum & ſine fuco effectum, curamq; virtutis non ſpirat tantùm, ſed & inſpirat.

Non eſt ſollicitè, quod quæras, vel judices de anguſtiis meis, cùm, ſi rem ad rationem reducas, damnato potiùs ſit gratulandum; voluptas rebus afflictis ſua eſt. Quædam interpretatio producit, ut videantur injuriæ. DEus autem ridet, ſi mortalis alteratus trepidat. Nihil enim ille rerum Arbiter vult, quod è re noſtra non ſit, nihil decernit, quod non utile nobis ſit, & ſalutare, nec rerum malarum danda eſt ſpecies bonis; Mala enim hæc adſcita nobis ſunt non adſita, omnes inter quos portat humus, nemo eſt ex omni parte beatus. Nihil autem eſt, quod non valeat DEi poteſtas. Ille, & tempus hæc ſanabit, qui communis eſt Medicus, Illum ego ſequor, fero caſum, nec curo, quæ de iſto poſteritatis judicia erunt, cùm non id agam, ut homines de me loquantur, ſed ut ipſe honeſtis actionibus de me ipſo loquar. Neq; me quiſquam æſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliter quod vidit ex me. Et quanquam videatur certiſſimus dolor, qui nos ferit, & remedium ſæpè abſit, quod leniat, queri tamen his, aut angi mollitia eſt, reluctari inſania, vita dum incolumis manet, quotidie ſupplicia naſcuntur nova, vacuā doloris ſi tibi vitam putas ſemper futuram, ſpe beatâ paſceris, ſed ea DEorum vita non mortalium; res ſunt cognatæ, vita & anxietudines, quicunq; terræ munere veſcimur, ſi ad veritatem revocare voluerimus rationem nihil eſſe conſtans, ſed vagas rerum humanarum eſſe fateri debebimus vices.

Obedientiæ ergo obſtrictus legibus, demitto caput, obſequor, & continuus ordo fatorum, curſusq; eorum inevitabilis mei ſolamenque mali vel maximè eſt, qui humiles conſolatur DEus. Quæris cauſam infortunij mei? reticenda hæc eſſet potiùs, quàm recitanda, ferenda, imò devoranda hæc tædia. Perſecutionem patior, & non anguſtior, ſcopulū accepi, ubi ſecuritatem quæſivi, inveni periculum. Scies dies quondam apud Antiquos fuiſſe feſtos, quibus ſervi Dominis imperabant, iſti corrupti pretio & mercede conducti perdiderunt imprimis, ſi tamen perdere poſſunt famam, & exiſtimationem meam, & in hoc afflictionum intruſerunt barathrum. Ab homine homini quotidianum periculum; inimici ejus, domeſtici ejus; iis autem, qui altiùs rem conſiderant, dijudicandum relinquo, an rationis deterius ſit, quàm hominis nunquam niſi dolos mentitaq; verba loquentis, ejusque ſervi teſtimonium, non meruit hoc crimine ſervus ſupplicium, qui teſtis adeſt, qui detulit injuſtè.

Miraris me tot tantosque habuiſſe inimicos, indignare potiùs me nullos habuiſſe amicos, quos non injuria quidem, ſed invidia fecit hoſtes, cùm totâ vitâ meâ curaverim, ne quis me merito meo odiſſet, an neſcis plenum eſſe mundum his amicis, de quibus Eccleſiaſticus: In labiis ſuis indulcatur inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam.

Incuſas, quòd caſum non prævenerim, ſed ſcias me ex illa parte hominum eſſe, quæ navigatura de tempeſtate non cogitat, infortunia

A.C. 1705 inopinata fugere non eſt in noſtra manu, multa nec ſperata proveniunt tamen, fatoq; manet, quodcunq; vitari nequit; non oſtenderunt inimici mei bellum, priusquam intulerint.

Actionum mearum fructum bonâ conſcientiâ non judicante, prurigine metiebar, metiorq;. Teſtimonio eſtis cum D. Palatino Podoliæ, aliisq; ultra Fratres meos; latere enim per tantum tempus converſantes ad invicem non poteſt, quo affectu ferebar in Principem, pro quo mortem etiam ſuſcepiſſem libens, nedum laborem. Audacter proinde coram te colligato meo, & coram univerſo orbe clarâ, & quantâ poſſum, voce profiteor, proclamo, denuntio, dico, aſſero, & hoc modis omnibus probabo, quòd non tantùm habeam, ut res ipſa tempusq; docebit, quo me defendam, ſed etiam quo glorier. Veriſimilitudine tantùm contra me coloratur veritas. Qui videret defenſionẽ meã, non poſſet aliquid contra veritatem, ſed pro veritate. Cephalo quidam Aulicus cum cruentum aſpexiſſet, & adſtantes mirarentur, hoc eſt, dixit; præmium amicitiæ Regiæ. Sic & ego promittens mihi læta, expertus ſum triſtia, dum roſas mihi colligere videbar, retuli ſpinas, & comedi uvas acerbas, pro mercede ignominiam reportavi, dum curavi famam, ut benè tibi notum, eſt Regiomontô fugiens, incidi in flammam, quæ, unde putavi, minimè poſſe venire, venit. Omnia iſta mala ratio quidem, quæ facilè divinabis, ſed non recta ratio commenta eſt.

Dicis; Regem noſtrum in remunerando largum, in puniendo mitem, & clementem omnes compererant. Ita & ego credebam, ſed quantò humaniùs mitem, & paternum animum præſtare ſolebat aliis peccantibus, tantò longiùs ex inſtigatione inimicorum meorum dolor proceſſit, ut verbis explicari, multò minùs ſanari poſſit & niſi in oculos incurriſſet, & manifeſtus fuiſſet, nec ipſe crediidiſſem. Sed hæc non ſecùs ac flumina, procellæque, aut, ſi quæ alia irrevocabilia ſunt, quæ non eunt, ſed cadunt, evenêre.

Scis quòd ſuſcipio majorem pariens calumniam quàm ipſa facta, vana irrumpit ſæpiùs, & non objurgat credulitatem, hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficeret non facilè credendi. Ergo ut ad iraſcendum cauſa nòn defuit, ſic nec ad ulciſcendum poteſtas, rationem verò, quam ſermo explicare non poteſt, fides credat. Majeſtatis forſan diminutio eſſet, confeſſio erroris, mutanda feciſſe.

Ut autem impleam mandata, triſtis ſcenæ hujus deſcriptionem, quæ nec taceri ullo modo, nec pro magnitudine ſua explicari potuit, hic accipe; quam, cùm filiali confidentiâ, imò & ſecuritate, ita, ut res dolenda hæc, & erubeſcenda ſe habuit, ſingula paucis plena facere conatus, ſummo Pontifici narravi, & tranſmiſi. Quod reliquum eſt, ſincerâ fide, & ultimâ confidentiâ hanc epiſtolam claudo, quòd decreverim relictis omnibus curis quærere ſedes ubi fata quietas oſtendent, quò illa trahunt, retrahuntque, ſequi, ut virtus tacita conſeneſcat, ut tanquã in portu ſedens turbulentiſſimo ambitionis æſtu eos jactari, qui ſe illi cõmitterent, aſpiciam, eisq; navis Reipub. benè gerendæ laudem concedam, & mihi, ut dicitur, vivam. O quàm jucundum mores exoſo malos eſt ſolitudo.

Quocirca allaborandum magis mihi credo, ut de infinito illo æterni temporis ſpatio, quod me è corporis cuſtodia emiſſum excipiet, quàm de exigua vita cogitem; quam cogitationem Regius Vates ab animo miſſam faciebat, quia annos æternos in mente habuit. Legem ergo hanc condixi, atq; conſtitui mihi, ut rideam ludibria mundi, ſtat ſoli ſervire DEO ſententia. HIE-

HIERONYMO ZALUSKI CASTELLANO RAVENSI FRATRI eâdem die.

ACcepi eâdem viâ, quâ à Domino Palatino Maſoviæ, & quidem forte fortunâ tuas integras & intactas. Reſpondeo hiſce forſan perituris utriq;, refero me ad primas, quibus, quanquam minimè curem, ut de rebus meis quis quid ſentiat, adverſos de me tamen rumores explodere neceſſe credidi. Non repeto dicta, nullus enim mihi domi, cujus oculis aut manibus legam, aut ſcribam. Dembowski & Tauſch in detentione ſæpiùs examinantur, primò minis & terrore, pòſt blanditiis, donis, & promiſſis, ad deponenda contra me teſtimonia inducuntur. Neſcio an reſiſtent tentationi, cujus nec finis, nec modus; Juvenes enim ſunt. Ego autem in aurem utramq; otiosè dormio; ſecura mens dulce convivium, virtus non eſt diminuta. Omnem penitus adverſariorum calumniam nudabit, & ſuo tempore res ipſa refutabit, & DEus, quo volente quiſque ridet ac flet, inſidias impiorum ſubvertet. Calumnia aliquantiſper audientium opinionem confirmat, progreſſu verò temporis nihil ipſâ imbecillius eſt. Interim etiamſi ingeratur oculis veritas, amant, & tuentur errorem inimici mei, coargui nolunt, & in malè cœptis honeſtior illis videtur pertinacia, quàm pœnitentia. Ego cedo huic Deæ, cui & fata cedunt, injurias ferre non didici, ſed ſcio & hæc, quæ non didici, nunc tandem diſcere ſerum eſt. Occaſione tamen ad melius verſâ levis fit patientia, quidquid corrigere nefas; nemini enim viventi licet dicere hoc vel illud non patiar. Neceſſè erat mihi evenire, quod evenit, ſi tamen literæ tuæ non me relinquere Regiomontanam quietem obligâſſent (ô quàm vellem non inde abijſſe, & fuerat melius!) fuiſſem in ſicco, fuiſſem in portu, ſerviviſſem DEO in Diœceſi, afflicto populo meo pro poſſe aſtitiſſem, & nunc non ut ſementem fecimus, ita metimus; ecce fructus conſtantis obſequii, & fidelitatis! tu indignaris, quia propinqua plus mentem, quàm remota feriunt, & quereris, ſed ſcias nihil contra me ineſt in iſtis mali, niſi hoc unum quòd indignaris & quereris, cùm ego libenter feram, quod neceſſè eſt; valentior eſt omni fortunâ animus, & in utramq; partem ipſe res meas ducit; dolor patientiâ vincitur. Neq; credo, quòd tu apprehendis, ne ſcilicet Sereniſſimus Rex velit & à vobis fratribus, & ab amicis meis ſive peccati, ſive infortunii hujus mei exigere pœnas, ne inclementia adverſariorum faciat calamitatum noſtrarum ſocietatem. Nulla enim major poſt homines natos eſſet injuſtitia. Me autem miſerum non putetis, niſi & innocentem firmiter credatis. Scripſi Dño Epiſcopo Plocenſi, repeto hic idem, ut hæc ſit veſtrarum curarum, quæ meorum eſt ſum̃a votorum, ut ita vos ubiq; modeſtè geratis, ſicut ego hic fortiter & conſtanter omnia ſupporto, ut omnes videant, non tantùm nos cauſâ, verùm etiam modeſtiâ eſſe ſuperiores, malum, quod urget, ſpargere in vulgus cavete, moleſtum eſt, ubi quem ſolicitudines mordent, tum quemvis teſtem cogi adhibere, in hoc ſitum eſt caſum prudenter ferre, ſi ſolus feras, & tua non denudes aliis infortunia, imò occultes; neſcit enim plebs tacere, interdum & hoc loquitur, quod à nemine perpetratur, & ut callidè vulgatur, ſic temerè creditur. Regi fideliter (in cœlites vim non parare optimam eſt) Reipub. ſincerè ſerviatis, in memoria ſemper recenti illius Hiſtorici Romani habentes, & ad rem præſentem accom̃odantes verba; tanta ſunt populi Romani in Siculos bene-

A.C. 1705 ficia, ut etiam injurias eorum majores noſtri ferendas putaverint. Non exacerbetis inimicos noſtros, qui quos læſerunt, oderunt, credite illis, quanquam falſa promittant, quanquam os eorum abundat malitiâ, & lingva eorum conncinnat dolos, ſatius enim in quibuſdam rebus decipi, quàm diffidere. Fortunam noſtram non incuſetis; nunc non attendit luctum res, nec reſpicit, ſeu plores, ſeu non plores, inſiſtit viam. Ego ob res iſtas doleo vehementer quidem, ſed præ dolore ſapere non ceſſo tamen, & ex malorum ſegete progigni quandoq; bona credo, non minùs adverſa fortiter, quàm proſpera tolerare debet animus verè nobilis. Quicunq; caſus atq; fortunæ vices ratione ſupportat, hic minùs multò eſt miſer. Negotio meo minimè publica turbetis, vel impediatis, ſitiſque æquo animo, in tanta inæqualitate fortunæ, ſi aliquis metum vindictæ monſtraverit, certum & ſecurum reddere poteſtis, tantùm abeſſe ab animo meo, ut ultionem aliquando quæram, qui credebam ſemper, dicebam ſæpius miſeriorem eſſe, qui faciat, quàm qui afficiatur injuriâ. De filio tuo non ſis ſollicitus, nil deerit ipſi, & curam habeo, ne otietur, & quanquam ſciam, quòd Dii obliti ſunt, quem Præceptorem fecerunt, libenter tamen ego id muneris exercebo, ipſe invigilabo, doceboq;, quandoquidem ſic fata volunt, ut ad ſcholas mittar ſenex.

HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO CRACOVIENSI 19 Octobris.

Accepi expectatiſſimas optatiſſimaſq; tuas, cùm ante ſeptimanas circiter duas, dederim meas in manus redeuntis Dñi Baronis Oberbek. Ducens in malis dies meos non potui majus habere ſolatium, quàm à fraterna tua manu. Et quamvis gaudia ſint miſeris ſocios habere, ego tamen magis tuo, quem lego, quàm proprio meo angor dolore. Potes audacter animum tuum ſic exonerare, tanquam uni ex intimis, & ex aſſe amicis. Teſtor enim conſcientiæ meæ fidem, ut ſi non ſatis gratum in his anguſtiis me exhibere poſſum, ingratum tamen me eſſe confidentiæ tuæ nunquam apparebit. Quocunq; demùm flante vento perſiſtam in ſtatione, & deſiderio firmo ſerviendi tibi, tuiſq;.

Quæris de mea ſalute? hanc DEus utiq; dat bonam, ſi quis ſalve dicat mœrenti obvius, ſalvere voce, req; ipsâ flere illum jubet, cùm ejus miſeriarum non ſit finis, ſed mutatio.

De meo ſtatu jam ſcripſi, & aliundè ſcis, unde quod addam non habeo, niſi illud. Demetrius tuus ſic vivit lare ſecreto, ſed minus tuto tectus, non tanquam contempſerit omnia, ſed tanquam aliis habenda permiſerit. Non aliunde certè, quàm ut tu prudentiſſimè dicis ab ira, invidia, crudelitate, ſuperbiâ peſſimis animi impulſoribus, ſuaſoribusque malum mihi venit. Et cùm non minima earum literarum pars in meis laudibus recenſendis conſumpta eſt, quas, quia in me non cognoſco, ſed tuas eſſe omnes intelligo, in te, unde ortæ ſunt regero. Meas verò afflictiones quanquam & novæ, & ingentes non exaggero, is enim inimicis meis eſt animus, ut unica quaſi ſit cura in alia negligentibus, ut me affligant. Ego autem ne levis arguar mentis, quæ ad quemvis tactum, ſeu jactum exclamat (bonus animus in re mala, dimidium eſt mali) quantò plùs injuſti patior tormenti, tantò plùs ſpero habiturum me gloriæ, dum mea patebit innocentia, omnem mali mei cauſam fortunæ meæ iniquæ, invidiæquæ nominis adſcribendo. Et cùm argumentum recti ſit malis diſpicere, tanquam cymbalum reſonans ſine ſenſu, minus habeo,

& frangam hæc omnia, tela dum contemno, ſperans omnino, quòd tantum aliquando poterit veritatis lux, ut clauſos etiam feriat oculos. Crimen mihi hactenus nullum probatur, nec probari poterit, non entis nullæ qualitates; imò calumnia, quâ res nulla peſtilentior, quæ decipit malâ arte credentem ſibi, & immerenti pertinax odium ſtruit, calumnia inquam condemnari deberet, & quidem pœna talionis, ex lege duodecim tabularum, quæ ait; Calumniator idem quod reus patiatur, ſi convictus erit. *A.C.*1705

Jam unus ex principalioribus DEO reſpondet, turpe hoc aliis, illi tanquam quondam Camillo nefas etiam fuit, qui tam caram haberi voluit ſuam, tam vilem meam fecit famam, & ego qui bonâ conſcientiâ fretus, nec damna, nec verborum contumelias, nec quidquam aliud conſidero, doleo ſincerè de inopinato ejus fato. O ſi tantis, tamq; vagis erroribus non fuiſſet actus! bonum virum etiamſi quandoq; quis negaverit, magnum fuiſſe fateatur neceſſe eſt. Hæc via & nobis reſtat calcanda ſeriùs, aut citius. Animæ benè precor, & cum Ariſtide interrogato quâ de re in exilio maximè contriſtatus eſſet, & reſpondente dico ingenuè tibi, ut colligato ejus, & amico meo, quod ego doleam maximè propter dedecus nominis ejus, inter alia malè audientis, & augendi mei infortunii cauſa. Non queror ampliùs, nihil enim queri prodeſt, cum & hæc à DEo. Nec aliunde huic malo medicinam expecto, quàm à talibus Æſculapiis, hoc eſt, ut tu es, ſinceris amicis, & quamvis nos reliquerint bona, at celſus animus, & decus gentis manet, nam illud ante cuncta diſcendum putavi ferre haud gravatè ſi quid evenit mali, & patiens mihi cor fata dederunt.

Contumelias non curo, ut in via ſi canis, aut equus me luto aſpergat; non lapidem percutio, non excandeſco, non injuriam regero, ſed eluo potiùs hoc lutum, quàm reſpergam. Omnes inimicos meos pro caniculis potiùs, qui ſæpiùs pro conſuetudine, quàm pro feritate latrant, habeo, quia non judicio, ſed impetu lædunt, quibus meliorem me agnoſco, & in nominis mei fama labem tantam relinquunt, quantam in flumine veſtigium cymbæ, nec obtrectatoribus meis reſpondeo, qui canino dente me rodunt in publico, detrahentes, & lædentes in angulis.

Interrogatus quiſpiam an calumniam haberet, repoſuit ipſe negligentiam meam noſti, an habeam? neſcio, accepiſſe me ſcio. Et ſi aliquando doleo, magis doleo Reipub. vicem, quàm meam. Nihil enim feci unquam, quod non debui, nolle non potui, & nihil prætermiſi, quod debui. Damnationem meam ſic fero, ut quondam Rutilius, cui nihil aliud moleſtum erat, niſi quod malè judicaretur. Non examinant rem, & cauſam, quibus ſemel mentis offenſæ aciem perſtrinxit ſua opinio, & perindè rem æſtimant, ut illa ſuadet, quàm penitus imbiberunt, & ut oculus in quem humor illapſus eſt, parum videt, ſic mens in quam affectus.

Sed de his ſilere malo, cùm plures ſint accuſandi, & cum quivis principio cognito quis ſit rerum finis facilè conjiciat. Tanti ſunt horum malorum trunci, ut ad eos extirpandos, nullæ manus, nullæ vires ſufficerent. Ex arena funem ducunt, pro virtute iram, pro conſilio furorem, pro ratione habentes impetum.

Poſtquam dixerim, & forſan plùs quàm ſatis eſt ea, quæ ad me pertinent, ibi hominis animus eſt, ubi cruciat dolor, debitas mortificationibus tuis, quas, ut dixi, plus ſentio, quàm proprias meas, & juſtas vi-

A. C. 1705 ces exhibeo. Veniunt jam tempora illa, quæ ſacræ non ſinè minis promiſerunt literæ: Ecce ego mittam vobis ſerpentes, & mordebunt vos. Unuſquiſq; ſe à proximo ſuo cuſtodiat, nam hi, qui ementito publici boni velo, cùm publicam fortunam inclamant, privatam ſtruunt, mulcentes populi blandis ſermonibus aures, qui abſente Rege indebitè ſibi, ſuperbè, & præjudicioſè, nunquam auditum prius à Patribus noſtris aulæ uſurpant nomen, unumquemq; ut arbitror ad menſuram ſuæ dignitatis proſequuntur. Quis non exclamet? videre videor jam duos ſoles mihi duplicesq; Thebas? verſo Reipubl. ſtatu nihil priſci, & integri moris exutà æqualitate, titulos ſibi, & prærogativas Regiis ſimiles arrogant, vixq; non publicè dicunt cuivis, vade foras, aut moribus utere noſtris, novis rebus nova nomina imponunt, ultraq; terminos erigunt ſuam dignitatem, publicum eſt quidem omne quod agunt, amnes retrò fluere, & noſtra videbit ætas, ubi inſolenter cuncta pro libidine facere impune eſt. Vidi ſemel, & cum multis riſi inſcriptionem, & titulum in literis Regi, loco Varſaviæ vel Cracoviæ, quòd etiam ordinariè omittitur inſcriptum fuit IN AULA. Cogitabat ille quanquam imprudentius ſcribens, fore olim, tàm animi ſui impotentes, qui ſinè Rege Regalia exercebũt, qui ſinè Rege aulã repræſẽtabũt dicentq;. Nos muſcæ aramus, dum cornib⁹ boum inſidebant. Non eſt qui non malit has muſcas omnem viam declinando fugere, quàm iis obviàm fieri. Optimè eos in tuis deſcribis literis, quòd ſcilicet omnia illis promptum honeſta, atq; inhoneſta laudare, blanda libentiùs proponere, quàm ſalutaria, ad voluptatem omnia, non ad veritatem loqui, ſunt tanquam illi Abari aliud in ore habentes, & aliud ſentientes, aliud palàm, aliud ſecretò, mos eſt, quòd hi cubiculares, hi conſiliarij ſunt, à quibus (utamur verbis ſimilia incuſantis) bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Conſilium à me requiris, quid in hoc paſſu agere debeas? pars quidem nunc conſilij cenſetur, conſiliis ſe non miſcere, ſed quia jubes ut dem, me ipſum pro conſilio do libens & exemplo. Scio ego, quòd nihil tam exaſperet fervorem vulneris, quàm ferendi impatientia. Scio quantum noceat rebus Patriæ ſuſpicio, dum ea animis inſidet, & quòd fallere ſæpiùs doceant, qui falli metuunt, & vix non jus peccandi dant ſuſpicando. Sed quæ tollere non poſſumus, toleranda ſunt. Quæ putamus perfici, vel impediri non poſſe tempus expedit. In mora modica (Rex enim Seren: veniet brevi) temporis, non magnum damnum ineſſe cenſeo, non ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.

Scio quod juſtè conquereris cum Photione, pro officio Magiſteriæ dignitatis, cùm ſe multi ex Athenienſibus in officium Ducis ingererent. Quàm ego multos Duces, paucos milites habeo? ſed retine apud temetipſum dolorem, & fortiter fer, qui tibi contingunt caſus, melioris eventus fiduciam habe, & ſi quid infelicitatis accidit, tempori tribue, non Principi, ſin fieri non poteſt, quin aliquis malè de nobis loquatur, ſaltem illud curandum, ne quis id merito noſtro faciat, dura interim perfer reliqua, qui jam graviora tuliſti. Moleſtum quidem eſt pati, & oſſa conſumit dolor, ſed jubet neceſſitas, nam multos ſæpe caſus in melius tulit, monſtrabit ſed longa dies meliora. Non expedit omnia audire, omnia videre, multæ nos injuriæ tranſeant, non vis eſſe iracundus, ne ſis curioſus. Quod reliquum eſt, contemnas inania famæ, & mecum in DEo fiduciam habens, firmiter crede. Quòd elevati ſunt ad modicum & non ſubſiſtent, & humiliabuntur ſicut omnia.

JOAN-

JOANNI PRZEPENDOWSKI THESAURARIO REGNI 24 Octobris.

A.C. 1705

JAM publica fama venerat de fato hoc Cardinalis Primatis, antequam literæ tuæ ad manus meas. Non lætor ex præmatura (alij dicunt parum pro Patria tardiori) morte, quia hæc ab ingenio meo aliena, claudantur odia cum ſepultis. Utinam illius purpura non habeat coram Deo quod erubeſcat. Utinam in vanitate non ambulaſſet ſenſûs ſui. Utinam noviſſet ſuas, & aliorum non publicaſſet maculas. Utinam aperto marte non furtivè ſagittans, in occulto tot innocentes aggreſſus non fuiſſet, non oppreſſiſſet. Utinam non tantum valuiſſet ad nocendum, optima dicta, aut facta non detorſiſſet in contumeliam. Utinam ſublimia ſemper mente non agitaſſet, & tumida, majorem indignatus paremq́. Utinam contra publicum, contra unctum Domini, contra privatos tanta tela lethali furore tincta non fuiſſet jaculatus, quæ nunc jam è manibus erepta ab eo qui Judex, & vindex juſtus eſt. Quanta repente mutatio non ſine DEO apparet? qui conturbat alios portat judicium quicunq́ ſit ille. Pleni quid honoribus anni profuerunt? ſcilicet omne Deo contranitente ſuperbum evaneſcit opus, ſed hæc ei in cujus poſita erant arbitrio, relinquamus.

Ego quanquam ejus coloribus, ejus penicillo tam enormiter depictus, & diffamatus, in vulneribus Chriſti injurias omnes depono, & cor in me mœrens habendo, animæ benè precor, pejoraq́ rebus meis ex hoc inexpectato fato, non tantùm ex parte prophetizo, ſed etiam non ex vano timeo. Cùm fortuna multis rebus ereptis uſum mihi benè diſcernendi reliquerit, & experientia ſeris veniat ab annis, ſum nunc ad præſentia cautus, ad ventura ſolicitus, quia inſtructus redditur animus in futuris, quando præteritorum commonemur exemplis, ſcio, quæ, & cur, ſcio, patior, & is ſtatus rerum mearum eſt, ut nihil boni divinet animus, hi enim, qui creſcere ex meo propoſuerunt infortunio, & occaſionibus potiùs, quàm virtute petere honores malunt, qui quod illis collibuerit audent, quod audent poſſunt, quod poſſunt, proſequuntur impotenter, quorum affectans primatum ambitio nunquam contenta ſecundario, odit, quem metuit, & reum ſemper faciet, & ſic erunt ſine longo labore Primates. Et ita cum ad nocendum nulli ſatis viriū non ſit nec flectere eos, vel ſi ſangvine quis fleverit unquam poterit. Nec crudelitas eorum noſtrâ calamitate ſatiabitur, cùm animus ſit, vigeatq́ ſe ſuamq́ dignitatem attollere, cæteris depreſſis, ita ſe quiſq́ extollit ut deprimat alium. Ac proindè quanquam vellem, ut appendantur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in ſtatera, quanquam veritas nullo adulterata fuco apud nos ſit, illi apud ſe eſſe prætendent, & ſecuri de facilitate credentis, per mendacia venenata ea infligere famæ meæ non deſiſtent vulnera, quib⁹ nec Florentinus mederi poſſet.

Vides ergo jam Dñe, quòd non hoc ſine mea ſtabunt mala, agnoſcis quòd ego ſemper prævidebam, ita verum eſſe, ut ipſa veritas, nihil pro futuris te laborem impenſurum, nec ſtudia voti terminum aſſecutura, quia tela contra me ex iſtis pharetris ſemper ſuppeditabuntur. Quomodo reſiſtam violentiæ cunctorum auxilio fortunæ deſtitutus? Sed boni viri eſt præbere ſe fato, nec futuri quamvis certâ expectatione torqueri. Cùm ſim optimæ mentis niſus conſcientiâ murum hunc Ahæneum, & Icarium ſcopulum adverſùs hos obtrectantium aſſili-

A.C.1705 ſilientes fluctus opponam, & cùm par illis nunc eſſe non poſſim, donec fortuna melioribus fatis viam aperuerit, illud ſolatii loco habebo, quòd mihi nihil conſcius ſecurâ mente quieſcam, non dubius DEum nunc teſtem eſſe, mox ultorem. Mitte ergo hanc jam de pectore curam. Quod altè jactum eſt lentâ manu non eruitur, inter vota potiùs hæc numeranda, quàm inter ſperata. Ego cum hanc, quam volui non habebo gratiam, ſuſtinebo odium, & ferendo vincam. Hæc eſt enim mea in deſperatione ſecuritas.

Princeps Fürſtenbergius, ut video, apertè mihi neſcio (quanquam fortè ſcio) quare non amicus? Ergo jam & tu Dñe mi per experientiam toties ſciens quanti conſtent Regis amicis bona conſilia, dum non ex deſtinato propoſita fluunt, omitte veri conſilii periculoſam libertatem, ſit utcunq; velit argumentum iraſcendi graviter iraſci. Olim ſub Flavio Veſpaſiano inter virtutes præcipuas erat, injuriarum oblivisci, nunc ex conſilio malignantium nullus ut contumeliarum, ita & irarum finis. Quid de Cæſare Suetonius? ſi quæ cogitarentur contra ſe, aut dicerentur, inhibere maluit, quàm vindicare. Neſcio hi, quam ex ſæva animadverſione gloriam Regis volunt? Ego in alia negligentior, omnia DEo meo committo, qui facit miſericordiam, & judicium, & juſtitiam in terram.

UNIVERSALE AUGUSTI REGIS AB ADVENTU SUO IN POLONIAM. in Novembri.

POſt *Tit:* Videat Orbis & Elector populus liberis ſuis Regni Noſtri ſuffragijs Author, certum Noſtri in ſe amoris capiat pignus; qualiter impenſo conatu Noſtro id tantùm contendimus in hac Repub, & ab ipſis Regni Noſtri auſpiciis huic uni deſudamus; ut civibus Noſtris realiter & palpabiliter oſtendere poſſimus, Nos nec ſalutis Noſtræ neq; dignitatis habere rationem, niſi inſimul & ſemel cum plena felicitate hujus inclytæ Reipub. & conſervatione jurium libertatumque eam conjungamus, in tantum; ut ſecurè coram DEo humanorum cordium ſcrutatore teſtari valeamus, omnibus actionibus & intentionibus Noſtris nullatenus privata commoda, compendia & particulares fines immixta fuiſſe: nullos in actus ſubrepſit partemq; tulit, ſibi nata voluntas. Nolumus eſſe nimij iis commemorandis, quæ meruiſſet verus & conſtans ſibi à gratis hujus Patriæ filiis zelus Noſter? ſatis habemus de ſola virtutum & recteſactorum conſcientia, ſeriq; temporis, quod intentionum cujuſq; & voluntatis lydius lapis eſt, grata memoria, certaq;, quæ reprehendi non poterit ſincerorum quo ad omnia intentorum noſtrorum animadverſione cōmendari. Et quamvis ſimul cum Sceptris Noſtris enatus livor, (à cujus maligna rubigine nulla eſt exſors poteſtas, fato communi regnantûm; ſimul namque iſta Conditor mundi poſuit DEus odium atq; regnum) per meram, quâ deſtinatum non attigit ſcopum malitiam ſuam, ſingulas in publicum prodeuntes actiones noſtras ſupprimere. & obruere conetur; non tamen ſupprimi & extingvi etiam præſentiſſimo veneno queunt: eſt aliquod meri-

meritis ſpatium quod nulla furentis invidiæ menſura capit. *A.C.* 1705

Poſſumúsne clariora indicia & ſupra omnem invidiam majora dare argumenta Paternæ Noſtræ relationis & amoris? quo reciprocum in veſtris cordibus radicemus affectum, diverſas ſuffocemus ſuſpiciones, confundamus malevolorum ſenſus, deteramus & deleamus ſiniſtræ interpretationis Idæas, ac ſi Nos vel tranquillitas & dulcedo hæreditariarum ditionum detinerent, vel turbidus ſtatus liberæ gentis retardaret à reditu: nam quemadmodum conceſſeramus ad propria, non commodis Noſtris, ſed potiùs malis Patriæ hujus avertendis proſpecturi, ut condignum robur exercitûs cogere poſſemus: ita recordantes obligationum Noſtrarum in acceſſu ad Regni limina, & in amplexu ſceptri liberæ gentis, præſertim ex nexu & vinculo Confœderationis Sendomirienſis Sacramento juramenti mutui roboratarum, qualiterq; per Univerſale Noſtrum unarum pro duabus literis reſtium editarum, effectivè promiſimus: ita iisdem obligationibus & deſideriis exæſtuando, præponentes cujuslibet Veſtrûm honorem & ſubſtantias vitæ Noſtræ commiſimus ſorti Perſonam, Mtem noſtram Regiam, & vitam: & auxiliante eo ac benedicente, qui dedit Noſtræ diadema fronti, per mille laqueos & tot diſcrimina rerum inſidiasq; hoſtium Noſtrorum conſtitimus in exoptato litore, feliciter Tykocini, 1. Novemb: quod dum omnibus Ordinibus ſignificamus; inexplicabilem gratitudinem de Nobis ſervata fide, conteſtatoq; per publica Manifeſta circa tuitionem Mtis Noſtræ zelo, contra violentos & condemnatos partis adverſæ actus, & proceſſus, omnibus pleno corde intimamus, recognoſcimusq;, firmum eſſe amoris nodum, quem non ſolvit abſentia. Etſi cui hactenus ad plenitudinem melioris de Nobis opinionis defuit robuſta & viva fides: nunc ſaltem poſtliminio colligat & anteactorum rectitudinem, & futurorum certitudinem; intentionum Noſtrarum nec fuiſſe, nec eſſe, nec futurum aliud objectum, niſi gloriam DEi, Fidem Catholicam, libertates & prærogativas à Nobis juratâ fide firmatas, defenſionem inclyti Regni hujus, integritatem, gloriam pacem & tranquillitatem. Admonemus inſuper omnes; quotquot vel lubrica moribus ætas, vel devius egit error, & in contrariam propulit partem; ut ante proximi imminentis Conſilij generalis terminum, & judicia per Confœderationem deſignata, quorum ſpatium pro clementia Noſtra Regia tam bonorum conſenſui, quàm etiam malevolorum pœnitentiæ offerimus, reſipiſcant & accedant ad Mtem Noſtram, certi exiſtentes; in acceſſu ſuo omnimodam Clementiæ Noſtræ gratiam experturos, uti etiam econtra, caſu quo & impoſterum obſtinati in crimine perduellionis perſiſtere vellent, rigores legum in illos exercendos. Et quia juſtitia ſancta omnium Dominiorum & Regnorum certiſſimum eſt monumentum & baſis; (ubi enim non eſt pudor, nec cura juris, ſanitas, pietas, fides: inſtabile

A. C. 1705 ſtabile Regnum eſt) intimamus omnibus jurisdictionibus, Tribunalibus tam Regni, quàm M. D. Litv, Officijs terreſtribus, Caſtrenſibusq; ſubſelliis, demandamusque; ut ſub auſpiciis & nomine Noſtro ſitientes juſtitiam de ejus fonte ubertim hauriant ſolatia, quorum multiplicatam ſeriem omnibus in genere & ſingulis in particulari paternè exoptamus, inſimul, ut hoc univerſale per caſtra, Parochias & loca conſueta publicetur, commendamus & ſeriò præcipimus, in quorum fidem propriâ ſubſcriptum manu, ſigillo roborari juſſimus. Datum &c.

Auguſtus Rex.

DOMINO ILGEN MINISTRO AULÆ BEROLINENSIS
19 Novembris.

NON dubito famam publicam, quæ jam univerſum per orbem rumor eſt, perveniſſe ad aures tuas Vir Excellentiſſime de caſu meo, ejuſq; cauſa. Inimici famæ, & exiſtimationis meæ, quam uſque nunc integram curavi, ut mos calumniæ eſt vincere, quòd rectiùs Sereniſſimum Regem meum Principem bonis meliorem in id induxerunt, quod naturali ejus clementiæ è diametro contrarium eſt, ut ſcilicet ego, qui propter fidem in rebus ambiguis non ambiguam, omnia (ut res cujus teſtimonium validius ſemper, quàm verborum ſole clarius monſtrat) cum tota domo mea perdidi, ad ultimaſq; ſum redactus anguſtias, priùs nocens, quàm reus factus ſum, ſed hæc patienter, ut aliàs & nunc ferre, quàm queri mallem, nullo quæ in me multa conjiciuntur penetrabilis telo, niſi ſupremæ poteſtati, cui unicè, & imediatè ſubſum reſponſurus, præſidio, & ſolatio honoris mei à teſtimonio tuo, quod hiſce libenter, & reverenter invoco, non egerem, & illud habere mihi non oporteret, & neceſſe non eſſet. Accuſor inprimis habuiſſe me tecum literarum comunicationem. Honori quidem ducerem commercium hoc cum tam magno Miniſtro, quem vix per unius quadrantis horæ ſpatium videre, & alloqui licuit Regiomonti. Deinde quod pretium hujus correſpondentiæ ab eodem habuerim, ſpecificeq; 200 aurei in ſingulos menſes mihi deſtinati, & à me numerati, quanquam uſq; ad hanc horam ingens melioris ævi ſpatium emenſum, & in nullius aulæ unquam ex vicinioribus, & remotioribus expenſis, & rationibus inventum, nec præſens quam patior cum aliis, imò præ aliis calamitas, & ſors iniqua eò inducere poſſet, quod debito meo repugnaret, & quod nunquam ab illa aula à me deſideratum, multò minùs requiſitum. In his ergo duobus punctis an ſcripſerim? & an pecuniam numeraverim? vel ejus ſpem habuerim? cùm res moram non patitur poſitivum reſponſum, & fidele ut tantum virum, & tanti Principis Miniſtrum decet enixè peto, expectoq; impatienter teſtimonium. Certam ſpem & firmam fidem conſtituens mihi eam gratiam pro charitate imprimis Chriſtiana, tum pro juſtitia & æquitate non fore denegandam. Mea interim obſequia cum omni officiorum promptitudine defero, maneoq;.

PETRO KCZEWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI
21 Novembris.

LÆtatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, quod ex occaſione futuri brevi Grodnæ conſilii excurrere cogites ad latus Serniſſmi Regis, non tantùm enim publicis non leve ex præſentia tua accedet momentum

mentum rebus, ſed etiam (quanquam mei nullius meriti ſum conſcius) privatas meas ſpes, quæ ſunt vigilantiũ ſomnia, & quarum in DEo ſitus eſt exitus, erigere poſſum. Scio etiamſi bonam cauſam malè agendo perdi, & periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ vivere, cùm frequenter noceat aliis ipſa quoq; integritas actionis, & in hoc negotio tibi tribuo quantum nemini, quòd lumen lumini adferre, & veritati veritatem facillimè poteris, ut alia ſoles ingenitâ tuâ conciliare prudentiâ, ut & qui neſciunt jura, & nemo audeat reprehendere, quòd Principem conſtiterit cenſuiſſe, rationem tamen veritatis agnoſcant. Hoc porrò vellem, ut mihi præſtes quod deprecor, ut ſcilicet roges nomine meo Regem Sereniſſimum, ut ſi quid triſtius parat, celeriùs conficiat, & ex hac doloris, & mœroris mei multitudine me liberet, verum tamen ita rem tractes, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu judicabis, nam quod impoſueris, feram, ſcio enim quòd in miſericordiam diſpones omnia, & oſtendes inimicis noſtris, quia tu es, qui nos liberare vis ab omni malo, in quo una ſpes mihi, à te certum præſidium in malis, ſit ergo nobis quod cupio, & quod expedit; demittere animum debet is, quem ſors premit, mihi non datur conceſſio vocis, vindices ergo veritatis ſuffragio innocentiam meam ab oppreſſione, cùm perſonæ, per quas hactenus res meæ actæ ſunt, tales ſint, ut meritò poſſint haberi pro ſuſpectis. Aſpides eò ſunt nocentiores, quò minùs vitari poſſunt. Quos fugiam, habeo multos, ad quem confugiam, vix aliquem; plures ſunt quos vitare, quàm quibus fidere poſſum, unde afflictio amara nimis, & ut in mari unda undam trudit, ſic in hoc meæ vitæ ſalo, multa falſa, & amara, dolor dolorem excipit, calamitas calamitatem, & quantum accedunt dies, augentur tribulationes. Interim latet altè veritas abſconditâ, & caliginosâ nùbe circum clauditur, fixum eſt in animis hominum, & nulli eſt in ore quòd ſim nocens, nec probi quippè immunes à probris, ſæpè qui minùs commiſit, plùs patitur. Notatur tantùm quis quid faciat, & plerumq; cadit cauſa innocens vitio interpretantis, maximè inter illos amicos, qui amorem, & amicitiam ſolâ fortunâ metiuntur, cui ſi materiam ſubtrahas, diffugiunt, & nos tanquam inter non neceſſaria rejiciunt.

Promiſerat Dñus Theſaurarius Regni aſſiſtentiam & applicationẽ ſeriam in mea cauſa, ſed ſpes facta, effectus non ſecutus, expectata nunquam comparuerunt, ſperatus toties, & nunquam impoſitus finis, ut in promittendo fuit liberalis, ſic ex pollicitis nihil planè fecit, non quia noluit, ſed quia non potuit. Interim quo ultra progredi poſſit calamitas non habet, & tam atrox cordi vulnus fortuna inflixit meo, ut non in majores poſſim incidere afflictiones, quàm quibus opprimor. Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa, & nunquam magis vaſtantur pectora, quàm perpetuis ſolicitudinibus. In tam tenui valetudine, in tam adverſa fortuna hoc mihi unicum ex plurimis miſeriis reliquum reſtabat malum, quòd quidquid ira dictat, in me jaciunt, quæ contra me in occulto fiunt, turpe eſt & dicere, ſatis eſt, quòd non unus iſtam pingat ærumnam color, non una ſignent verba, præſertim cùm credatur, quod contumeliis, probris, & conviciis res poſſit peragi & debeat.

Non libenter vellem pugnam cum conviciis (fide ſtamus, non probabilitate rationum) ſed cum documentis, non cum ſcurrilitatibus, ſed cum authoritatibus, non cum larvis, ſed cum armis, hæc feriunt, hæc ſternunt, hæc victoriam tradunt, illa verò inania ſunt, & magis lædentia, quàm adjuvantia. Ego ſto immotus, loco nec cedo, decreta DEI agno-

A.C.1705 agnoſco firma eſſe, & ſtata, nec magis mutari poſſe, quàm ipſum DEum, iisq volvendis imparem eſſe humanam fragilitatem, nec contra ejus ictum datur homini fuga. Contumeliarum, calumniarum, conviciorum, & maledictorum libens probationes viderem, & reſponderem verba rebus confundendo. Sed ipſi decernunt abſente reo, condemnant ſinè accuſatore, judicant ſinè forma, non argumentis, ſed conviciis, & quod magis aggravat occultis rem agunt, quod non tantùm præſentes improbant, ſed & poſteri mirabuntur, quòd ad eos talia transferantur exempla.

Spargunt manifeſtiſſima, & veri ſimilitudine tantùm temperata mendacia, quæ facilè quivis divinare poteſt, quid hæc res protinus ſibi velit? & non tantum pro me, ſed etiam pro veritate virulentis his, & circa lucem tenebroſis reſpondere, quos ego contemnendos potiùs ducerem, quàm refellendos, ſi non multùm afferrent tenebrarum abſcondita, & rurſum lucis plus veritas intellecta. Benè S. Auguſtiuus: Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra, ſi verò peccavi, cur non convincor ab ijs quibus probationis onus incumbit? quamvis vehementer pigeat ad iſta reſpondere, quæ fundamenti nullam ſpeciem habent. Satius appellationem non legitimè latæ ſententiæ ut non à Dñis interponerem, ad præſens, & futurum ſæculum ut juxta æſtimationem menſuramq delicti pro judicii ſui maturitate, de oppreſſione mea pronuntiet. Novit is, quæ feci, quàm innocens ſim, qui ſolus corda hominum explorata habet.

Inducas ergo in animum tuum, quòd induxêre Patres, Aviq noſtri, ſi hæc juſta eſt ſævitiæ ratio? cujus cauſas cernere promptum eſt, ac cum modeſtia, id eſt cum matre ſapientiæ, defenſiones meas, quæ rejici nullo modo poſſunt optimo Regi repræſenta, cum impenſi longâ ſedulitate, ſervitii recordatione, qui relictâ genitalis ſoli dulcedine illi malui inhærere. Comemores Dominum, & Judicem Evangelicum, qui cùm conſcius fuerit nequitiæ villici, diſſimulavit tamen ſe ſcire, donec publicus rumor ad eum detuliſſet, & poſtea quaſi incredulus quæſivit, quid hoc audio de te? Et hic quoq modo audita pro compertis habentur, error cui non reſiſtitur, approbatur; veritas, cùm minimè defenſatur opprimitur. In memoriam item reducas tibi, non obſcura illa nec dubia, ſed manifeſta imminentis ruinæ meæ ſigna. Tempeſtas minatur antequam ſurgat, crepant ædificia antequam corruant, prænuntiat fumus incendium.

Non plus dico, non ſcribo amplius, ſcio enim cui me credam, is verò erga te ero, qui debeo, & qui ſemper fui.

HIERONYMO LUBOMIRSKI CASTELLANO CRACOVIENSI 22 Novembris.

SI meis ad te literis recreari te, ac refici dicis, ego viciſſim tuis reddi mihi animam ſentio; obliviſcor meas, dum tuas innumeras dolendi lego in tuis, quas nunc à te recepi cauſas. Video triſtem cordis & calami concentum, ſcio circumfluens verborum cum mente non eſſe diſſidium. Meritas tibi tanto pro munere grates perſolvo, & obligato reddor obligatior, dum eam teſtaris confidentiam. Nihil eſt certè periculi caro pectori ſecretum proferre, & manum ad id ferre, quòd doleas. Qui conſoletur enim invenies, cùm id ipſum malum, communem aliquem, & uſitatum vexandi bonos habeat modum, illuſtriora livor

livor infeſtus petit. Intervallis diſtinguimur, re ipſa æquamur. Beatus, qui loquitur in aures audientis, & ego addo ſimilia patientis, libent enim ſi non minuit dolorem, conatur ſaltem ut minuat. Et mihi plùs quàm vellem, uberem tecum dolendi, querendiq; materiam iſta communis oppreſſio ſuppeditat. Dolenda pateris video, tentandum tamen, ut facilè toleres, quod jubet neceſſitas, multa eveniunt mala, rectè ferendo quæ vertuntur in bonum. Grave eſt quidem ferre fortunam, veruntamen illam perferre rectè decet, ut ſarcinam, eſſe infortunatum cujuſvis puto, adverſa rectè tolerare id verò viri; quinimo ille vir virorũ eſt optimus, qui melius aliis callet ferre injurias, etiam ipſa calàmitas laſſari ſolet, adverſa verò ferre generoſum decet; in hoc ævi, & in hanc ſortem nati ſumus, iniquitas eorum doctrina noſtra eſt, ſed idcircò non ſumus juſtificati. Mali homines, & ſeductores in pejus errantes, & in errorem mittentes, circumferentes ornamenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis, vana hæc quamvis maligna agunt, quæ ſcire magis juvaret, quàm prodeſt. Quis bonorum non retulit vulnera à talium morſu? quis non venena ab hac vipera? quis hoc ævo non proximus aliquando ſtetit huic igni? quem non aduſſit hæc flamma? ut ferè ſit ſignum boni viri ſimilia pati. Picturæ lucem umbra commendat, ex hac obtrectatione quales quantiq; ſint in Repub. viri apparet, dignitas & amplitudo eorum eò clariùs innoteſcit, quò magis obnoxij ſunt telis iſtorum, qui contumeliis eos onerant, quorum morum ſimilitudinem deſperant. Fatalis ferè hæc eſt virtutis, ac bonorum hoc ſæculo ſors, ut expoſiti malignitatis ſcopo invidiam perpetuò comitem habeant, ut in luce ſolis ambulantes umbræ. Valde fragili ſtaret loco omnium bonorum fama, ſi à fragore horum detrimentum caperet; ſed rerum prudens ſecundis temporibus dubijſq; rectus, frangit hæc, & tũ vindicat, dum flocci pendet. *A.C.* 1705

Fortem ergo, qui es in pace decus, in bello præſidium, indue animum, nudata cuncta tempus in lucet trahet, dedecoris antiqui memor ſecundùm expectationem, & ſpem meam, te ipſum contra fortunæ tela erigas, ſicut bonus architectus & novas domos parat, & veteres reparat, utrumq; cum laude, ſic tu felle natum triſte ac infelix genus faſtidioſæ plenum contumaciæ contemne, & non hoc conſidera, quod illi dicunt, ſed quod te agere expediat. Celſus animus, & recti conſcius aſſilientes calumniæ fluctus ad innocentiæ ſuæ rupem elidit, & quidquid audax in eum audet protervia, integritate conſcientiæ fret' generoſo eludit contemptu. In tales tantùm dolia fellis effunduntur, & eò acriùs, quò incautius feriuntur, qui Rempub. ſolam curant, & in hac ſollicitudine ſolatium habent, in ſpem futurorum erecti, quòd pro honeſto dura tolerant.

Ac proinde criminationes, calumnias, impoſturas, credentes plura nobis mala contingere, quàm accidere poſſe, moderatè feramus, ad vindictam non contendamus, minimè ad iram præcipites ſimus. Et cùm Dñe mi (tecum enim quanquam in numero plurali ago) nec inſuavibus, nec irritabilibus moribus ſuperabundas, ſtabilem animum retine, verè pulchrum & magno Duce dignum eſt, ut quietiorem mentem & manus continentes habeat. Cura mentem eorum ægram, & aut vitiis ſi potes liberã, aut vagantem, & ad pejora pronam contine, tuam autem famam poſteritati relinque æſtimandam. Neceſſitatem effugit, qui vult, ad quod ipſa coactura eſt.

Convenio certè in eo tecum, quòd hi, qui prætextu populari Rem-

A.C. 1705 pub: ſubvertunt impediri omnino deberent, ſed hoc in primordiis faciendum erat, nam non obtinebis, ut deſinant, ſi permiſeris incipere. Ad eum pervenimus ſtatum, ut ad hæc omnia componi debeamus, & pati non quod oportet, ſed quod illis ſic licet cogitando de mediis, & adhibendo ea non quæ ſolent, ſed quæ fieri poſſunt. Quia verò commune hoc eſt, ut malis conflictati, virtutis recordentur, DEUM à quo omnis medela, ut præſentem, & ſinceri noſtri in Patriam affectus inſpectorem invocemus, & mutabuntur hæc, nos autem permanebimus, & omnia in tempore ſuo comprobabuntur.

Nullus dolor eſt inquit Romanus ille, quem non longinquitas temporis minuat, atq; molliat, ſi verò quid in his Dñis Patroniſq; non tantùm noſtris, ſed etiam totius Reipub: delictum agnoſcimus, ignoſcamus, plerumque enim neſciunt quid faciunt, & brevi poſt hæc non habebunt amplius quid faciant. Juſta quidem defenſio eſt, cùm opprimitur innocentia, ſed quia hoc directè Regem tangere poſſet, cui debem⁹ nos debere fateamur. Revocemus in memoriam quæſtionem illam ſatis delicatam, an is, qui profuit nobis, ſi poſtea nocuit, paria fecerit, & nos debito ſolverit, quanquam plus poſtea nocuit, quàm antea profuerit. Ego firmam & inalterabilem reſolutionem hanc accepi, ut omnia Deo qui quandoq; pluit quandoq; ſerenat, offerã, & omnia patienter ferã, video bene quòd indignatio contra me ex cupiditate honoris venerit, quòd mala ambitio mentes inimicorum meorum exagitaverit, & ego abundantiam virtutis oſtenderem, ut etiam quod liceret accipere, nec curare me quidem palàm & evidenter facerem. Omnem dico tibi ingenuè ſpẽ dimiſi, unum tantùm firmiter decrevi; non ſervire.

Fac & tu ſimiliter, rideas, quòd excitent ad fortia, & media denegant, quòd faciant animum, quem non habent. Magis urgent ſæva inexpertos. Id verò vel pallente invidiâ credamus, & ſciamus uterq;, quòd, qui extolluntur, iiſdem ferè manibus cadunt, quibus ſublevati ſunt quin & celeriùs quàm ſurrexerunt, facilior eſt enim per præcipitia caſus, lento gradu in verticem ferimur, lapſus in momento eſt.

MARTINO CHOMETOWSKI PALATINO MASOVIÆ eâdem die.

APpropinquare te Grodnam, cujus anima eſt ſecundùm animam meam, multa animo in favorem meum volvere & revolvere tanquam Civem qui natus in libero populo, inter jura legesque, & Senatorem verum, & rectum decet, ex tuis humaniſſimis accipio. Singulares de tua hac in me voluntate gratias ago, innitor prudentiæ tuæ, fidei tuæ me committo, & habeam fiduciam, cui ſi non cæteris in rebus, amore certè reſpondebo. Senties id & gaudebis, nec habebis unquam quòd de me dubites. Certum timorem, incertam ſpem damno, implebit DEus omne deſiderium noſtrum, conſcientiæ enim optimæ, voluntatis felicis te noſco, & video per te ærumnarum mearum finem affuturum, & ex hac tam longa captivitate, in lætiſſimam reſtituendũ libertatem confido. Abraham credidit DEo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Nunquam bono exoſus eſt alter vir bonus, in opere quovis ſi bonum eſt primordium, credibile eſt, finem quoq; habiturum bonum modò nihil nomine meo, & dignitate fiat indignum. Ne in caſſes jam experti rurſus incidamus, magiſtrâ rerum edoctus experientiâ, diſcipulus eſt prioris poſterior dies; aliqua fratribus meis communicanda, & truti-

trutinanda, quanquam adverſæ res conſilium omne adimunt, in memoriam quæ occurrunt mihi, inſinuo, cùm res ipſas augeat accedens dies ſine verborum cura, plura, & meliora occurrent vobis, hujusmodi enim tumultuariâ ſcriptione, ſtylum per ſe ſatis malum faciens deteriorem, multa dico, quæ melius omittenda eſſent, multa omitto quæ omninò dicenda forent, & cùm omnia me collegiſſe puto, plura relinquo. Veniam date, addite, detrahite, mutate, ut placebunt, vel diſplicebunt. Mihi cenſeo, mihi erro. *A.C.1705*

Ac inprimis cùm imbecilla ſe lædi putent, ſi tangantur, recens ulcus, vel modicus tactus non exaſperet.

Ad quos unicè omnis nunc totius Regni devoluta eſt poteſtas, honorentur, ſi voluntas tantùm eorum in unius coloris favorem migrare vellet, quanquam in gubernaculo plùs ſpei, quàm in remigio ponendum crederem. Populi loquacis ſuſpiciones diluantur. Comparare enim nos poſſet Cicero nunc ad illam Siculorum naturam, quæ tam facilis fuit ad querelas, ut ſolitâ conſuetudine debuerint etiam judices de ſuſpicionibus judicare. Ac proinde ad nos poſt mortem non pertineat, quid de nobis homines loquantur, nunc tamen pertinere quid locuturi ſint de nobis poſteri, eſt proſpiciendum. Eos, quibus ſanitas eſt certè timere debemus, qui noſtrâ lætantur ruinâ, relinquantur, non erunt ipſi, atteſtante ſcripturâ impuniti, nec cum iis velitis conciliari, qui nobis inſidiantur, & à zelantibus nos abſcondite conſilium, illis enim libido eſt prava cùm dicunt, tamen trahere audientes peſtilente audaciâ, & niſi quòd ipſi faciunt haud rectum putant. Qui ſapiunt non hominibus etiam jurantibus, ſed rebus ipſis ſemper adhibent fidem. Recedant verba, quæ charitatem vulnerant, ut querulis vociferandi amputetur occaſio, & cùm inimici mei famam non ita, ut eſt nata, ferant, circumſpecti ſuper omnia, dicite, & facite metu novæ calumniæ, & ne improba delatione majorem damnationem meam maturent, non ſunt enim, ut fuerunt ſub Conſtantino Magno felicia tempora, ubi nullus ad obſequia Imperatoris admittebatur, qui ſemel in mendacio fuiſſet deprehenſus, innocentia quippe mea, iniquam ſui condemnationem in accuſatores juſtè condemnandos deberet retorquere. Et quamvis tela arbitror omnia jam è manibus ejecta, aut ſponte lapſura, quædam enim ſic jam retorſimus, ut vel arcem dedere iſtam cogantur inimici, vel ſe ipſos redarguere, cùm illis nec à teſtimoniis certum, quandoquidem ſervo etſi loquatur vera, non credendum, antiqua docet doctrina, nec ab argumentis quidquam ſecurum, quæ ita levia ſunt, ut ea qui refelleret, videretur ſibi cum Ænea Virgiliano proſequi tenues ſine corpore vitas. Nihil tamen querulæ mentis aſperitas agat, ſermonis innatam dulcedinem nulla amaritudo corrumpat. Mercedem Evangelij requiramus modeſtè, evidentia damna, ruinam claram, integram totius Domus monſtrando everſionem. Ecce perdidimus omnia, quid ergo erit nobis? vincula, tribulationes, captivitas, infamia, labores, & affectus, pulchrâ remuneratione penſantur, cùm tamen nullus à Regia munificentia deberet reddi alienus, quem ſua damna gravaverunt.

Commovebuntur non dubito viſcera ſuper nos ejus Principis, qui ſemper eviſceratus, ac pronus itidem ad clementiam, non patietur tantum in ſe dedecus ampliùs admittere.

Merita in Majeſtatem, & Rempub. mea, & Domus meæ in memoriam revocanda, ſed cum moderatione, ne videamur militem glorioſum imitari, cujus omnis de ſuis laudibus oratio, quanquam res ſit evi-

A.C. 1705 evidens, atq; omnibus ad intelligendum expoſita. Temporis moram feſtinatione & diligentiâ emendetis. Nihil autem quæ vobis dicentur, ſed operibus tantùm credite, & niſi quod eſt veriſſimum, hoc eſt, quod à me veniet. Recordemini quòd multa excuſantur, antequam contra me dicantur, quòd conſcientiam nocte dieq; meum geram in pectore teſtē. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd non ſit inventus, qui cunctis placeat, qui modò vivit, niſi fiat ut dixit ille placenta, quòd alii ſint in culpa, alii in pœna, quòd ingenuæ mentes duci volunt, non trahi, quòd illud conciliavit mihi odium, & id ipſum poni debebat in amore, quòd hominis voluntas cogi non poteſt, & ſi cogeretur non eſſet voluntas, quòd non fatebor unquam, ut illi volunt, quia verum dum inquiritur, falſa dicere nequeo, ſed principis me committo judicio, & quamvis dato, ſed abſolutè non conceſſo, aliqua faterer tamen in confeſſione facti juris defenſio ſuſcipi poteſt, ac debet, quòd nocere ei non poſſum, prodeſſe famæ ejus poſſum, quòd mutuò hæc ſe provocant, Patrem Princeps ſe oſtendit, ſubditos ſentiet filios, nec validius quidquam amore, ad amorem ſuorum parandum, quòd nulli imperium faciliùs ferunt, quàm noſtri Poloni ſi ſe amari ſenſerint, faciliùs excutiant, ſi ſe negligi viderint, nulli faciliùs pacantur, ſi Principes Patres experti fuerint, nulli pertinaciùs exaſperantur, ſi ſervorum more habeantur, quòd delator præcipuus mortuus, videtur à DEO punitus, alii judicium expectant, & interim acus inducto in tunicam filo exit, filum autem inter villos ſepelitur, conteritur, & putreſcit, & res nunquam in integrum redibit. Quòd judicium competens invocem, ſi vera erunt, quæ mihi objiciuntur tranſire nunquam poterunt impunita, nam actioni cuique ut meretur, geritur laus, aut probrum, quis autem niſi culpæ conſcius, judicem, & teſtes metuit vera locuturos?

Quòd ſi ſpe noſtrâ fruſtrabimur, at non cauſâ, quæ adeo certa, & indubitata eſt. Quòd in multis, ut ait Jacobus offendimus omnes, qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir? Et dum ego in virtute verbi tui ſpei bonæ laxabo rete, laxate vos interim pedem, ubi vis ingruet aquæ, & non obliviſcamini ante omnia veritatem nullis cognitam ſæculis explicare, circumdederunt me undiq; mala, nec eſt qui adjuvet, quanquam de hoc par loqui erit, vel non loqui.

Nihil occurrit quod vel addam amplius, vel detraham, vel ſi maximè vellem, ſed ſatis multa in cauſa, ne etiam plura fortaſſis, quàm oporteat, nam pervigil animus quæ timet eſſe putat. Qui legetis hæc putate à ſincera, & pura mente eſſe, ſed magis à dolore, quem juſtum difficilius continere, quàm miracula facere. Heu qui res hominum caſus rotat, ut fortuna aliam ſubit altera! & nihil incredibile, aut factum eſt, aut fieri poteſt humana in vita.

Cæterum rogo vos, ut ſitis ſicut ego, quia & ego ſicut vos, habetis intentionem meam notam, & perſpectam ex integro in plena confidentia explicatam, hoc plus, quàm certo ſentite de me, hoc prædicate ut neceſſe ſit prorſus mihi credere.

Communico vobis Breve Apoſtolicum in cauſa mea miſſum.

COPIA BREVIS APOSTOLICI.

CHariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem &c. Non potuit ſine multa moleſtia à nobis audiri, quòd Venerabilis Frater

ter Epiſcopus Varmienſis gravem, atque vehementem in animo A. C.1705
Majeſtatis Veſtræ excitaverit ſuſpicionem circa ſuam fidei ſinceritatem erga te, quam certè omni cultu, atq; officio, quod rectè fieri poterat proſequi tenebatur, ita ut propterea tu ad explorandam rei veritatem Pontificiam noſtram, ut par erat, authoritatem adverſùs eundem, & quendam Clericum ejus domeſticum requirendam eſſe intellexeris. Nos itaq;, qui juſtitiæ debitum cuiq; reddi, ac viſcissim congrua nobis in his præſertim, quæ Catholicæ Religionis bonū reſpiciunt, obſervantia reſponderi cupimus, Venerabili item Fratri Horatio Philippo Archiepiſcopo Epiſcopo Lucenſi ſpeciali ſuper hoc expedita commiſſione facultatem tribuimus inquirendi adverſus Epiſcopum, & Clericum ejus prædictos, ac procedendi in hac cauſa prout juris fuerit, uſq; ad ſententiam excluſivè, quod notum eſſe cupimus Mti Tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur.

FOEDUS INTER SACRAS REGIAS MAJESTATES, SUECIÆ & POLONIÆ, ATQ; REMPUBLICAM POLONAM CONCLUSUM Varſaviæ in Cœnobio Carmelitarum Diſcalceatorum die 18. Menſis Novembris, Anni M.DCC.V.

NOS CAROLUS DEI *Gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ, & Viſmariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, & Montium Dux. Omnibus & ſingulis, quorum intereſt aut ullo modo intereſſe poterit, notum, teſtatumq; facimus. Quòd cùm ad renovandum Olivenſe Fœdus, illudq; pro habitu præſentis temporis amplificandum Nos inter, & Seren: ac Potent: Principem, Fratrem, Amicum, & Vicinum Noſtrum Chariſſimum, Dnūm STANISLAUM I. Poloniæ Regem, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; &c: &c: &c: nec non Rempublicam Polonam, per denominatos utrinq; Legatos, ac Commiſſarios, Varſaviæ Tractatus ſit inſtitutus, atq; hoc anno, die 18vâ Novembris, ab iiſdem concluſus, atq; ſignatus, ſenſu, ac tenore, quo hic inſertus reperitur. Univerſis ac ſingulis &c: Igitur ſupra memoratum Tractatum, omnibus & ſingulis punctis, ac clauſulis, ſicut hic verbotenùs deſcriptus, ac inſertus legitur, approbavimus, & ratihabuimus; quemadmodum etiam virtute præſentium, illum approbamus, & ratihabemus, Regio verbo ſpondentes, Nos omnia, ac ſingula in eodem comprehenſa religioſè obſervaturos, ac impleturos. Neq; quantum in Nobis erit unquam paſſuros, ut ullo modo, ac prætextu violetur, ac infringatur. In quorum majorem fidem hoc Diploma manu noſtra ſubſcriptum, ſigillo quoq; Regio corrobo-*

A.C.1705 *roborari juſſimus. Quod factum eſt in Caſtris noſtris ad Bloniam, die 24tâ Novembris, Anni à Nato Salvatore ſupra Milleſimum ſeptingenteſimi quinti*

CAROLUS (LS) C. Piper *mpp.*

NOS STANISLAUS I, DEI *Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque &c: &c: &c: & Reſpublica Poloniæ. Univerſis & ſingulis quorum intereſt, aut ullo modo intereſſe poterit, notum, teſtatumq; facimus. Quod cùm pro habitu præſentis temporis, atq; mutua ſecuritate, ac defenſione, è re viſum ſit inter Nos ex una, atq; Seren: ac Potent: Principem D. CAROLUM XII, Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, & Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ, & Viſmariæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, ac Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, & Montium Ducem &c: &c: &c: Fratrem, Amicum, & Vicinum noſtrum Chariſſimum ex altera parte, vetus renovare fœdus, arctioriq; nexu adſtringere, quod per conſtitutos utrinq; Legatos. & Commiſſarios, juſta auctoritate inſtructos Varſaviæ die 18 Novembris Anno 1705, confectum, ſignatumq; eſt, ſenſu ac tenore, quo hic inſertum reperitur. Univerſis & ſingulis &c: Idcircò ſupra memoratum Fœdus in omnibus, & ſingulis punctis, & clauſulis, approbavimus, & rati habuimus, Regio Verbo ſpondentes Nos omnia, & ſingula, in eodem comprehenſa, religioſè, & inviolabiliter obſervaturos, obſervariq;, & impleri curaturos, neq; quantum in Nobis erit paſſuros, ut à quopiam, ſub quocunq; prætextu violetur, & infringatur. In majorem horum omnium fidem, hoc Diploma manu noſtra ſubſcriptum, ſigillo quoq; Regio muniri juſſimus. Quod factum eſt die 5. Decembris, Anno 1705tô.*

STANISLAUS REX (LS) Adamus Radoński Capit: Inowłod: Secretarius, & Not: Cubicul: S.R.M. *mpp.*

NOS *pariter infra ſcripti Senatores, & Equeſtris Ordinis, à Seren: Rege* STANISLAO *Primo &c: &c: & Ordinibus Regni, Magniq; Ducatûs Lit: Confœderatis delegati Commiſſarij conſtare volumus, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Quia vigore Poteſtatis nobis à Sacra Regia Mte, & Republ: Confœderata conceſſæ, nomine eorundem præſentia Fœdera, cum omnibus ſuis Articulis, punctis, clauſulis, ut ſunt præinſerta approbamus, & ratihabemus perpetuò, & in ævum, nec ab ullo Reipubl: ſtatu, Vaſallo, Officiali, aut Subdito, quovis modo violari Nos paſſuros promittimus, & cavemus Nos Diplomata Ratificationis hujus Pacti,*

cti, tam S. R. Mtis, quàm hoc Noſtrum in proximis Comitijs Re- gni Generalibus confirmaturos, & Volumini legum noſtrarum in- ſeri curaturos. In cujus rei fidem, manibus noſtris, hancce ſubſcri- ptam approbationem ſigillis noſtris communivimus. Datum Var- ſaviæ 5tâ Dec: Anno 1705. (*LS*) A.C 1705

Petrus à Paradyſz Broniſz Capit: Pyzdren: Mareſchalcus Confœd. Generalis.
Caſimirus Sapieha, Palatinus Vilnenſis ſummus Dux M. D. Lit.
Joſephus Potocki, Palatinus Kijovienſis Capitaneus Halicenſis.
Georgius Warſzycki, Caſtellanus Lancicienſis Capitaneus Petricovienſis
Andreas Morſtyn, Capitaneus Siradienſis.
Franciſcus, Deſiderius Jagniątkowski Pocillator Lancicienſis.
Petrus Boglewski Dapifer Cernenſis.
Stanislaus Kozuchowski Pincerna Terræ Vielunenſis.
Georgius Sapieha Dapifer M. D. Lit.
Franciſcus Eperiaſz.

In Nomine Sacroſanctæ, & individuæ Trinitatis.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt, notum, teſtatumq; ſit. Poſtquam Olivenſe fœdus, cujus tabulis ſtabilita inter Regna Sueciæ, ac Poloniæ amicitia, quadraginta annorum ſpatio in- temerata viguerat, hoſtili, Regis olim Poloniæ Friderici Auguſti in Livoniam irruptione, læſum, ac violatum erat: tanti inde motus ſunt ſecuti, qui gravibus quidem utramq; nationem affecerant incom- modis. Poloniam verò admodum funeſtis turbis implicuerant, ac diſcordiis, quas componi cum utriſq; Regnis, quàm maximè inter- eſſet, bonâ verò fide tolli hæc mala, ac ſopiri poſſe non viderentur, niſi amoto eorum auctore, cum quieti communi, tum Pactorum veterum perpetuitati provideretur. Reſpublica Poloniæ non modo Regem ſibi elegit, ac creavit Seren: Principem Stanislaum I. ſed e- tiam præ ſe juſtum tulit deſiderium, veterem cum Regno Sueciæ redintegrandi amicitiam, conſolidatiſq; cunctis, quæ in priſtino fœ- dere, mota, ac concuſſa invenirentur, arctiori ſibi illud vinculo ad- ſtringendi, ad libertatis, & jurium ſuorum tuitionem, mutuumque decus, defenſionem, ac emolumentum. Ad hoc inſtitutum, cum par ſtudium, nec minorem voluntatem S. R. Mtas Sueciæ attuliſſet, in- ter utramq; R. Mtem Sueciæ, ac Poloniæ, Seren: ac Potent: Re- gem CAROLUM XII, DEI Gratiâ Suecorum, Gothorum, Vanda- lorumq; Regem, magnum Ducem Finlandiæ, Ducem Scaniæ Eſtho- niæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, ac Pomeraniæ, Caſſubiæ, ac Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dnum Ingriæ, & Vi- ſmariæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, & Montium Ducem &c. &c. &c. & Seren: ac Potentiſſimum STANISLAUM I. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czetniechoviæq; &c. &c.

A. C. 1705 &c. &c. Rempublicamq; Poloniæ, conventum eſt, ut conſtitui utrinque Legati ac Commiſſarij Varſaviæ convenirent, ac congregarentur, quorum operâ negotium, non ſalutare minus, quàm neceſſarium, tractari, ac concludi poſſet. Quemadmodum etiam à S. R. Mte Sueciæ, miſſi illuc ſunt Legati extraordinarii mandatis neceſſariis, plenaq; poteſtate inſtructi Illmi, ac Excellent: viri. Dnus Arvidus Horn, liber Baro, Satellitum Regiorum Præfectus, & Generalis Equeſtrium copiarum Dux Vicarius. D. Georgius Wachſchlagerus Secretarius ſtatûs, ut & D. Juſtus Palmbergius Supremi in Livonia Tribunalis Vice Præſes; à S. R. Mte verò Poloniæ, & Repub. conſtituti ſunt Commiſſarii, pari itidem poteſtate muniti Illmi & Excellent: DD, ex ordine Senatorio quidem D. Nicolaus in Swięcice Swięcicki Epiſcopus Poſnanienſis, D. Hieronymus Lubomierski, Caſtellanus Cracovienſis, Supremus Dux Exercituum Regni. D. Joannes Odrowąż Pieniązek Palatinus Siradienſis, D. Stephanus Branicki, Palatinus Terrarum Podlachiæ, D. Franciſcus Grzybowski, Caſtellanus Inowladislavienſis. Ex Ordine verò Equeſtri, & quidem ex Provincia Minoris Poloniæ, D. Venceslaus Jeruzalski, Vexillifer Terræ Bielſcenſis, D. Alexander Gąſowski Dapifer Terræ Bielſcenſis, D. Caſimirus Skiwski, Subdapifer Terræ Drohicenſis. Ex Provincia Majoris Poloniæ, D. Vladislaus à Ponin Poninski, Vice Præfectus Stabuli Regni, D. Ludovicus Antonius bini nominis Laſocki, Capitaneus Zakrocimenſis, D. Vladislaus Comes à Czarnkow Czarnkowski. Ex Provincia M. D. L. D. Michaël Comes à Czereia Sapieha Notarius Campeſtris M. D. L. Dolinenſis, Reſovienſis, Kirſnenſis &c. Gubernator, D. Daniel Wyhowski, Niechorovienſis, Reklinenſis &c. Gubernator, qui ſuperiore anno 5. Auguſti Varſaviæ, in Cænobio Carmelitarum Diſcalceatorum convenientes, invocato Supremi Numinis auxilio, Tabulis plenæ potentiæ invicem commutatis, opus aggreſſi ſunt. Quod licet paulò poſt iniquitate temporum dilatum eſſet, hoc tamen anno poſt nativitatem Salvatoris noſtri, 1705, die 3 Septembris ordinariis, & delectis S. R. M. ac Reipubl: Polonæ Commiſſariis, quorum numero ob abſentiam quorundam ex prioribus, qui aut non comparuerunt, aut fatorum injuriâ, multi à Patria abſunt, aut ſponte in adverſas tranſierunt partes, additi ſunt, & quidem ex Senatorio ordine, Illmi & Excellen: DD, D. Chryſoſthomus in Gnin Gninski Epiſcopus Camenecenſis, Abbas Wągrowecenſis, D. Franciſcus Zapolski, Caſtellanus Siradienſis, D. Franciſcus in Dębiany Dębinski, Caſtellanus Sandecenſis. Ex ordine verò Equeſtri, & quidem ex Provincia Minoris Poloniæ, D. Stanislaus Comes in Melſztyn Tarło Præfectus Culinæ Regni, D. Franciſcus in Włodzisław Lanckoński, Succamerarius Generalis, Palatinatûs Cracovienſis, ac Zatorienſis, & Oſviecimenſis, Ducatuum, Vielicenſis, Bochnenſis, Rognicenſis, &c. Capitaneus, D. à

Zydowo

Zydowo Zydoski Vexillifer, & Judex Caſtrenſis Cracovienſis, D. *A.C.* 1705
Albrachtus à Dębiany Dębinski, Vexillifer Ducatuum Zatorienſis, & Oſviecimenſis. Ex Provincia Majoris Poloniæ, D. Franciſcus à Bnin Radzewski, Wſchovenſis Gubernator. Ex Provincia M. D. L. D. Chriſtophorus Comes in Bakszty, & Burdyczow Zawiſza, Minſcenſis, Czernſcenſis, Dolinenſis Gubernator, D. Joſephus Piotrowski, Tribunus Czerniechovienſis, renovatis auſpiciis feliciter adeò continuari cœptum eſt, ut in mutuas tandem fœderis, & æternum duraturæ amicitiæ leges conceſſerint tenore ſequenti:

Maneat Pax perpetua, ſit vera, ſinceraq; amicitia, inter Seren. ac Potent. Principem, ac Dominum, D. CAROLUM XII. Dei Gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Ducem Finlandiæ, Scaniæ, &c. &c. &c. ejuſq; Regiæ Mtis Succeſſores, ac poſteros Reges Suecorum, Regnumq; Sueciæ, nec non ſubjectas illi Regiones, ac Provincias ab una, atque Seren. & Potentiſſimum Principem, ac Dominū, D. Stanislaum DEI gratiâ Regem Poloniæ, Magnum Ducem Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; &c. &c. &c. ejus Regiæ Mtis Succeſſores, ac poſteros Reges Poloniæ, Magnos Duces Litvaniæ atq; ſubjectas illis Regiones & Provincias ab altera parte, ita, ut altera pars alteri nihil hoſtilitatis unquam, aut inimicitiæ, clàm, ac palàm, directè, vel indirectè inferat, vel per ſuos, aut alios inferri faciat, nec alterius hoſtibus auxilia quocunque nomine præſtet, non cum alterius hoſtibus fœdera huic pacto contraria ineat, nec quicquam in alteriùs ſtatûs, & ſecuritatis diminutionem, per ſe, vel per alios moliatur, ſed ut utraque pars, alterius utilitatem, honorem, ac commodum quærat, ac promoveat, & fidem invicem, pacificamque vicinitatem, colat, ac ſervet, pericula quoque alteri imminentia, quantum poſſit, amoliatur, ac præveniat, nec non intempeſtivè moneat, ſi quid alteri diſcriminis inſtare intellexerit. Pacta verò, ac fœdera, quæ cum aliis Principibus, ac ſtatibus utraque pars ſancita habet, in antiquo rigore conſerventur, ita tamen, ut huic fœderi, nihil quicquam derogare poſſint. *Articulus I.*

Pax Olivenſis huic tractatui, ut baſis, & fundamentum inviolabile ſubſternitur, adeoque ad omnia ſua capita, articulos, & clauſulas, tanquam verbotenùs hîc inſerta eſſet, confirmatur, niſi quatenus aliter jam ſtatutum, uberiuſque explicatum, vel inpoſterum ob utriuſque paciſcentium partis commodum, & ad præſentes motus componendos, & per rationes belli, mutuo conſenſu ſtatuere, & neceſſariò decernere fuerit. *Artic. 2dus*

§. 1. Cum ex bello hoc, quod factio Saxonica excitaverat, non pauca in utramq; gentem redundaſſent in commoda, ea omnia, quocunque tandem nomine, ſive moleſtiæ, hoſtilitatis, onerum, aut ſtudii partium veniant, generali hâc amniſtiâ perpetuæ tradantur oblivioni, nec uni partium poſt hunc diem, liceat eorum, quæ ita acta ſunt, alteri quidquam imputare, exprobrare, aut quempiam illorum, qui alteri parti adhæſiſſent, propterea accuſare, aut perſequi. *Artic. 3tius*

§. 2. Hâc generali amniſtiâ gaudeant omnes, & ſinguli cujuſcunq; ſtatûs, conditionis, & religionis fuerint, ut & omnes communitates, quæ utrinq; partes belligerantes ſecutæ ſunt, aut in hoſtilem poteſtatem deve-

*A.C.*1705 venerunt, præſertim autem illi, qui relictâ parte contrariâ, ſalutares in publicum Majoris Poloniæ ſenſus amplexi ſunt, ejuſdemq; boni publici promovendi, & ſalvandæ Patriæ conatus, operâ ſuâ adjuverunt, aut non impediverunt, quibus anteriores actiones, ſtudia partium, & hoſtilis in paciſcentes animus, ne utiquam nocebunt, ſed cuncta perpetuæ oblivioni tradantur.

§. 3. Cum verò quorundam impietas augendæq; per mala Reipub. fortunæ ſtudium, ingentium tam Regno Sueciæ, quàm Poloniæ ærumnarum dederit occaſionem. Proinde excluduntur, ab hâc amniſtiâ omnes, qui unà cum factione Saxonica, pacem publicam, & amicitiam inter Sueciæ, & Poloniæ Regna perturbarunt, qui parti contrariæ contumaciter, & perfractè adhærentes, non tantû ſalutem publicam variè morati ſunt, & adhuc morantur, vel morabuntur, ſed & hoſtium Reipub. deſtinatis omni modo faventes, contra Rempub. ejuſq; fœderatos, exercitus ducere, conſiliiſq;, aut aliâ ratione, mala Reipub. augere, & protrahere auſi, interitum ejus jugiter promotum ivêre. In hos omnes licet ex rigore Patriarum legum, animadvertendum eſſet ita, ut hoſtes Patriæ, ac tanquam Perduelles, honoris, bonorum, vitæque jacturam meruiſſe cernerentur, quo tamen utriq; Regno quies, ac tranquillitas, tantò faciliùs reſtituatur, animique civium coaleſcant, detur illis reſipiſcendi ſpatium trimeſtre, à die concluſi, & ſubſcripti tractatûs computandum ità, ut intra determinatum tempus reſipiſcentes, & ad meliorem mentem redeuntes, teſtimoniis documentiſq; authenticis, & ipſo facto bonam fidem, ac ſincerum animum comprobantes, S. R. Mtis Sueciæ gratiam quærentes Seren. Regis STANISLAI, ac Reipub. fœderatæ obſequium amplectentes, idem amniſtiæ beneficium, & præteritorum oblivio complectatur. Quod ſi neglexerint, utraq; paciſcentium pars illos ut hoſtes eâ, quam merentur, ſeveritate ubivis locorum perſequetur.

§. 1. Quemadmodum AUGUSTUS Rex quondam Poloniæ, hâc *Artic. 4tus* amniſtiâ comprehendi nequit, ita ille, omneſq; illius Partibus adhærentes, ſive Saxones ſint, ſive alterius nationis, pro utriuſq; Regni hoſtibus habendi, ac tamdium hoſtiliter perſequendi, donec Reipub: finibus ejiciantur, neque ulli Parti Paciſcentium liberum erit cum iis tranſigere, inducere, facere, pacem inire, aut ullam aliam conventionem ſtabilire, ſine mutuo utriuſq; partis conſenſu, cujus hæc neceſſaria erit conditio, ut dictus Rex AUGUSTUS Coronæ Poloniæ, omniq; Juri, quod ad ipſum prætendere vellet, renuntiet, & S. R. Mti Sueciæ, ut & Reipubl: Polonæ, pro omnibus moleſtiis, damniſq; quæ hujus belli occaſione paſſæ ſunt, ſatisfaciat.

§. 2. Et ſicut hoc bellum contra Jura, & Conſtitutiones Reipubl: Polonæ cœptum improbatur, ita S. R. Mtas & Reſpubl: Poloniæ clarigationem initio hujus belli à Rege AUGUSTO, contra S. R. Mtem & Regnum Sueciæ editam, declarant nullo fundamento nixam, nullam, & irritam, uti & omnes criminationes, quæ in ea allegantur, pro non competentibus, & nullius valoris, cùm Reſpub: in præfatæ clarigationis promulgationem nunquam conſenſerit. Quemadmodum Seren: Rex, & Reſpub: Poloniæ, ad ſuam cenſuram pertinere non exiſtimant, quidquid Sernmo Regi Sueciæ in ſubditos Livoniæ ſuæ, aut aliarum Regni Sueciæ Provinciarum, viſum fuerit, ſtatuere.

§. 3. Decreta, & Statuta, quæ vulgò Lauda vocantur, quocunq; tempore, nomine, & loco, tam in Regno Poloniæ, quàm in M. D. Lit, præ-

ſertim

ſertim verò in Varſavienſi Senatûs-conſilio, Mariæburgenſi, Thorunenſi, *A.C.* 1705 Elbingenſi, Savorovienſi, Sandomirienſi, Cracovienſi, Breſtenſi, Olkinenſi, Olkinicenſi, & aliis Congreſſibus, tam extra, quàm intra Provincias Regni, & Reipublicæ, durante hoc bello per AUGUSTUM Regẽ, ejusq; Aſſeclas peracta, non tantùm in everſionem Statûs Reipubl: Polonæ, ſed etiam in ſublationem Pacis publicæ per Pacta Olivenſia cum Regno Sueciæ concluſæ, & ſtabilitæ, tum & ipſa Comitia Lublinenſia, uti libertati Polonæ nociva, & ipſis Pactis Olivenſibus contraria, decretaq; in contumaciam Tribunalitia, cæterorumq; ſubſelliorum M. D. L. durante hoc bello, contra adhærentes Partibus Paciſcentium, in Regno verò Poloniæ, poſt remotionem Regis AUGUSTI, quovis loco & tempore, à parte contraria lata, confiſcationes bonorum, & abrogationes dignitatum, pro irritis, & nullis declarantur.

S. R. Mtas, & Reſpub: Poloniæ, improbant, irritaq; pronuntiant omnia Pacta, vel Fœdera, quæ cum aliis Principibus, Statibusq; antehac ſancita ſunt, quatenus S. R. Mti Regnoq; Sueciæ noxia deprehenduntur, præcipuè autem ea, quæ à Rege AUGUSTO in clarigationem ſuperiùs abrogata allegantur, ibiq; ad conciliandum injuſto huic bello aliquam ſpeciem, recenſentur. Pari modo Srmus Rex, & Reſpub: Poloniæ, nullum prorſus fœdus paciſcentur, & concludent cum ante memoratis, aut aliis extraneis Poteſtatibus, quæ in damnum, aut præjudicium S. R. Mtis Regni Sueciæ vergere potuerunt, nec Reſpubl: Regibus ſuis ulla fœdera inire permittet, quæ Regibus Regnoq; Sueciæ contraria ſint, ſed ea impediet, & improbabit; quemadmodum etiam ea hiſce in anteceſſum pro nullis declarat. *Artic. 5tus*

§. 1. Quoniam Czarus Moſcoviæ, non modò pacem præſenti bello ſubdidit, artibus, & moliminibus ſuis, ſed etiam ad illud proſequendũ, tum armis, Copiisq;, tum pecuniâ Regem AUGUSTUM adjuvit, & adhuc adjuvat, maxima damna utriq; Regno intulit, & etiamnum infert. Idcirco paciſcentes mutuo conſenſu de eo conveniunt, quòd ab hoc fœdere non tantùm excludatur, ſed etiam quòd cum S. R. Mte Sueciæ, S. R. Mtas, & Reſpubl: Poloniæ conjungant, iisque ipſum tamdiu perſequantur, usque dum pro illatis illi utriq; parti injuriis & damnis, tyrannideq;, quam in Terras, & ſubditos utriusq; Regni exercuit, ad deſiderium ſatisfecerit. Quemadmodum etiam unanimi conſenſu ſtatutum eſt, ut neutra pars Paciſcentium, inducias, pacem, aut quæcunq; demum fœdera, pactave cum eo inire poſſit, aut velit niſi præviâ mutuâ deliberatione, communicatisq; rationibus, & conſiliis. *Artic. 6tus*

§. 2. Quo autem modo, quibus conditionibus arma conjungenda, quoq; numero, & quibus in locis auxilia præſtanda ſunt, peculiari pacto convenietur.

S. R. Mtas Sueciæ, hiſce quoq; promittit S. R. Mti, & Reipub: Polonæ, auxilia ſua contra præſentes eorum hoſtes, quodq; arma ſua, non priùs revocatura ſit, quàm DEo favente Srmus Rex, & Reſpublica in quiete, & ſecuritate ſint conſtituta. *Artic. 7mus*

Si annuente Supremo Numine, à S. R. Mte Sueciæ, & auxiliaribus ejusdem armis, Provinciæ, & loca aliqua munita, quæ anteriori bello, per Czarum Moſcoviæ Reipub: Polonæ adempta ſunt, recuperata fuerint, repenſis S. R Mti Sueciæ ſumptibus, Reipub: Polonæ reſtituentur. *Artic. 8vus*

Loca munita Regni Poloniæ, & M. D. Lit, quæ S. R. Mtas Sueciæ præſenti tempore tenet, inpoſterum ex circumſtantiis ſuis belli ab hoſtibus capere poterit, eadem S. R. Mtas teneat, ibiq; præſidia ſua habeat, & collocet. *Artic. 9nus*

Sacræ

A.C. 1705 Sacræ Regiæ Mti Sueciæ, liberum erit per totam Pruſſiam, ejusq; urbes, oppida, & pagos, aliasq; Reipub: Provincias, ubicunq; viſum fuerit, milites, exercitumq; conducere, & ſupplementa facere durante hoc bello, atq; quamdiu Srmo Regi Sueciæ propter motus Polonicos Copias ſuas intra fines Reipub: retinere neceſſe fuerit, ita tamen, ne delectus militum Srmi Regis Poloniæ ullo modo impediantur.

Articul. 10.

Articul. 11. Quod ſi S. R. Mti Sueciæ Copias, apparatum bellicum, aliásve res ſuas ex Polonia, vel Litvania, aliò per mare, vel flumina transportare neceſſe fuerit, non modò iisdem portus Reipubl: patebunt, ſed etiam cujuscunq; magnitudinis, & generis naves, ad eas trajiciendas, ſine ulla remora, & objectis obſtaculis concedentur.

Articul. 12. Si alterutri Regnorum Sueciæ, & Poloniæ, ac M. D. Litvaniæ, bellum cum vicinis eorum gerere contigerit, altera pars, alterius hoſtibus, hoſtiumq; adjutoribus, nullam bellicam ſupellectilem, vel vetitas merces advehet, vel quocunq; modo ſuppeditabit, aut advehi, vel ſuppeditari faciet, aut ſinet. Præterea nullos tranſitus militum fieri, nullaq; cujuſcunq; generis auxilia præſtari iiſdem permittet, nec ulla ratione in alterius partis damnum favebit.

Articul. 13. Quodſi poſt finitum hoc bellum, quiſpiam ex Regni Poloniæ, & M. D. Litvaniæ incolis, vel civibus arma, contra ſacram Regiam Majeſtatem Sueciæ ſumere, ejuſq; Regna, vel Provincias hoſtiliter aggredi, aut infeſtare, quemadmodum hoc bello factum eſt, auſus fuerit, vel tentaverit, S. R. Mtas, & Reſpub. Poloniæ ſe præſenti fœdere obſtringunt, quòd talia molimina, cœptave ſeriò reprimere, delinquentes debita pœnâ afficere, atque Sereniſſimo Regi, Regnoq; Sueciæ pro illatis damnis ſatisfacere velint.

Articul. 14. Omnes, qui hoc bello, quocunq; in loco capti, vel poſthac capientur, ſive Sueci ſint, ſive Poloni, ſive alterius nationis, cujuſcunq; demum ſortis, vel generis, conditionis, ac ſtatûs, ſub ſignis Sueticis, vel Polonicis, vel Litvanicis militarunt, ſine ullo ſoluto pretio, finito hoc bello, priſtinæ libertati reſtituantur, ſicut & illi, qui ob delicta ſua capti detinentur, tunc reddentur Dominis ſuis, pro arbitrio, ut cum ipſis agant, ſi autem natione Sueci, aut alii, qui arma Suetica geſtarunt, inter Tartariam, aliaſq; Regiones finitimas in captivitatem adducti comperiantur, Seren. Rex, & Reſpub. Poloniæ, ad liberandos eos, ſi reperiri poſſent, ſedulam operam navabunt, qui durante captivitate debita contraxerint, eadem ſolvere, vel vadimonium dare tenebuntur.

Articul. 15. Si quis Suecorum Subditorum, qui hoſtis ſigna vel partes ſecutus eſt, à copiis Polonicis captus fuerit, is ſine omni cunctatione Sueticæ militiæ Præfectis reddetur, pari modo S. R. Mtas Sueciæ, Regni Poloniæ cives, aut ſubditos, ejuſq; delicti reos Reipub. reſtituere vult, prævia cautione, ne hoſtibus poſtea ſerviant.

Articul. 16. Omnes Subditi Sueci, ſive milites, ſive Ruſtici, aut cujuſcunque conditionis, & ſtatus homines, qui hoc bello, à Regionibus Sueticis, in Provincias Reipub. transfugerunt, ſine ulla mora, ubicunq; deprehendantur, cum uxoribus, liberis, familia, bonis, & rebus ſuis Dominis eos requirentibus reddentur, & reſtituentur, nec ulli Regni Poloniæ civi, vel ſubdito è Territorio Suetico profugos, apud ſe recipere, & celare liberum erit, ſed tales cùm venerint, prehendet, & in cuſtodia detinebit, donec Domino, vel proximè adjacenti urbi, vel loco munito ſignificatum fuerit, qui eos recipiant, & abducent. idem viceverſâ obſervabitur, ſi qui fugitivi à Territorio Polonico in Provinciis Sueticis reper-

reperti fuerint. Cavetur tamen, ne civitati Rigenſi in jure ſuo præſcriptionis biennalis, quod in fugitivos è Regionibus Reipub. ab iiſdem temporibus, quibus Epiſcopis, & Magiſtris Ordinis Teuthonici paruit, continuâ temporum ſerie habuit, Regeſq; Poloniæ pluries illi confirmarunt, quicquam decedat, ſed ut eodem civitatis vetuſto jure, inpoſterum, velut hactenus illibato fruetur, ſalvâ tamen reſtitutione bonorum ſi extant, quæ, eodem transfugas ſecum injuſtè abſtuliſſe probari poteſt. *A.C.*1705

Art.17mus Quæcunq; in Illm̃am Sapiehanam Domum, cæteroſq; Litvaniæ nationis, à factione Saxonica eo nomine ſancita ſunt, quod ejus cœptis, moliminibuſq; obſtiterint, hoc fœdere in perpetuum abrogata ſunto, & ne in poſterum ad ſimilia deveniatur, in authores adverſæ factionis, qui per ruinam hujus familiæ, Reipub. ſimul oppreſſum juverunt, violatâque ſecuritate, publicâ Præfectum Stabuli in M. D. L. Illuſtrem Comitem, Michäëlem Sapieham, crudeliſſimè trucidarunt, ex rigore Patriarum legum animadvertetur, & utraque paciſcentium pars, de dicta cæde curabit ſatisfactionem fieri. Dicta autem Domus, cæteriq; cum eâ oppreſſi in priſtinam dignitatem, honores, munia, prærogativas, ac fortunas, factâ refuſione damnorum, ab uſurpatoribus, omnimodè reſtituentur. Bona verò Regalia, quæ hiſce in conſpirationis præmium ceſſerant, ad primos Poſſeſſores redeant. Utraq; demùm paciſcentium pars cavet, ut non ea modo, de quibus ita hic conventum eſt, executioni mandentur, verum etiam ut eum, eoſq;, qui dictam domum, cæteroſque cum ea oppreſſos, hâc ex occaſione perturbare in poſterum, & perſequi inſtituerint, pro perturbatoribus pacis publicæ, habeat, & vindicet.

Art. 18vus §. 1. Sacra Regia Mtas Poloniæ, & Reſpub. rati habent, ac ſe tuituras declarant, Pacem, ac ſecuritatem, quam diſſidentes à religione Rom: Catholica, tam in Polonia, quàm in Litv. nacti ſunt, Confœderationib⁹, Pactis conventis, confirmationibus jurium, & ipſismet juramentis Regum firmatam adeo, ut proteſtantium Religioni addictis, quamdiu pacificè ſe gerant, fides, quam profitentur, damno non ſit futura, aut quocunq; prætextu impedimentum adferatur, quominùs locis ſolitis, ac conceſſis, ſacra ritè peragant, liberoſq; ſuos in religione avita inſtruere ac educare poſſint, ſi quæ actio cuiquam causâ religionis eorum intenderetur, illa non ex capite arianiſmi. ſicut Arianorum dijudicabitur.

§. 2. Civitatibus Pruſſiæ, omnia jura, immutationes, privilegia, juriſdictiones, & prærogativæ, quibus ſive in Eccleſiaſticis, ſive prophanis, ante vel poſt factam pacem Olivenſem conſervantur, & confirmãtur. Si vero aliqua poſtmodum, contra eandem acta, & tentata fuiſſe inveniantur, à S. R. Mte Poloniæ, & Repub: dijudicabuntur, & modo irrita, injuſtaq; declarabuntur, ſed etiam abrogabuntur, & abolebuntur, priſtinoq; ſtatui reſtituentur, ſicuti etiam Seren: Rex, & Reſpub: Poloniæ hiſce ſpondent, ſanctèq; promittunt, quod nullam infractionem, vel mutationem dictis in rebus inpoſterum facient, vel fieri ſinent.

Art. 19nus Sint inter Sueciæ, & Poloniæ Regna, & M. D. L. ut & inter Pruſſiæ, Ruſſiæ Samogitiæ, Curlandiæ, totiuſq; Livoniæ incolas, & ſubditos, tam terrâ quam mari, libera, & ſecundum veterem, atq; antiquum uſum, non impedita cõmercia. Dictũ verò priſtinũ, & veterẽ uſũ inter alia in ſequentibus conſiſtere, & obſervari debere utrinq; conventum eſt nempe.

§. 1. Ne portus & nova emporia alibi, quam Rigæ debeant erigi, & frequentari, ſed merces, ex Litvania, Ruſſia, Pruſſia, Samogitia Cur-

A.C. 1705 landia, aliiſq; Provinciis, ad ſolum portorium & forum Rigenſe, ſecundum morem, & antiquam conſuetudinem, privilegiis, & Pactis cautā ubiq; venire, & diſtrahi, indeq; ad naves evehi debeant. Iis verò, qui nihil Rigæ debent, aut ibi contraxerunt, liberum ſit merces ſuas domi vendere, aut Rigam, aut Vilnam transferre.

§. 2. Ne mercibus aut mercatoribus, Rigam tendentibus, aut inde venientibus, impedimenta ulla fiant, neglecta hactenus, viarum, aut portorum, trajectuumq; refectio in Ducatu Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Curlandiæ, & aliis locis, ubi ab antiquo fuerunt, quantocius fieri, & ſarta tecta conſervari debent.

§. 3. Ne cives Rigenſes, in jam dictis locis in libera coëmptione rerum neceſſariarum, boum, lignorum, piſcium, aliarumq; rerum impediantur, aut prohibeantur, ſecundum veterem praxim, ſalvis teloniis Regiis, & Reipublicæ, ab antiquo deſuper conſtitutis.

§. 4. Ne bona naufraga, naves vi ventorum, aut tempeſtatis in littora, & brevia adacta, cæteraq; res omnes, quocunq; locorum, aut in mari, aut in fluminibus à quoquam occupentur, aut ſub quovis prætextu detineantur, ſed Dñis, atq; Proprietariis, abſq; ulla tergiverſatione reſtituantur, nec præter æquum, & juſtum, pro ſolo ſalvationis labore præmium inter partes, ſi ipſam & ea de re convenire non poſſint, à Judicibus juratis determinandum quicquam exigatur. Infortunium ejuſmodi paſſis quocunq; modo ab Accolis littorum, atq; fluminum, aliiſq; auxilium invitis non obtrudatur, ſed liberum ſit pro libitu, aut cum nautis ſuis, aut cum aliis quibuſvis, quos illi ipſimet, ad iſtud vocaverint, res ſuas ſalvare, & ſibimet opem ferre, ac quærere, neq; quando auxilio indigent, idq; per ſignum quoddam indicant, adſtricti ſint expectare, donec illi, qui fortè à Dñis fundi, vel rippæ ad id deſtinati ſunt, veniant, ſed quemcunq; qui prior eſt, recipere, ipſiuſq; opera, pro debita ſatisfactione, uti fas ſit. Quemadmodum licitum cuilibet ſit ad ejuſmodi ſignum datum, ſine mora accurrere, & quo poteſt meliori modo, in periculis conſtitutis opem ferre, ſcopulos quoq; ad quos ferè quotannis naves, & rates, cum maximo commerciorum damno & impedimento allidi, & frangi ſolent, removere, non requiſito fundi Dno, niſi ipſemet monitus, hoc præſtare vellet, cuilibet id liberum ſit, citra tamen jus eo nomine, à mercibus, aut navigiis prætereuntibus aliquid exigendi.

§. 5. Ne novis telloniis, aliiſq; impoſitionibus quibuſcunq;, contra pacta Olivenſia perſonæ, & merces Rigam devehendæ, in Ruſſia, Litvania, Samogitia, Curlandia aliiſq; locis graventur, vice etiam verſâ ſubditi polonici in Livonia, eodem jure gaudeant. Ideoq; quæ contra dicta pacta in hac re facta ſunt, injuſta declarentur, & aboleantur, taliaq; in poſterum fieri prohibeantur; quemadmodum mos etiam iſte, qui poſt factam pacem Olivenſem in Regionibus Reipubl. invaluit, quos ſcilicet mercatores, & alii ſubditi Suetici Poľockam, Witepskum, Dyſnam aliaſq; ad hoc fluvium Dunæ urbes & loca adeuntes, cenſum trium, aut quatuor, aut quinq; talerorum imperialium, per ſingula capita ſolvere coacti fuerint, non modo improbatur, & rejicitur, ſed etiam ſi quid in poſterum ejuſmodi evenerit in caſu protractæ, vel denegatæ juſtitiæ, jus tallionis in Incolas Reip. in Territorium Sueticum venientes exercere licebit.

§. 6. Merces omnes ex dictis locis Rigam delatæ cenſuram publicam, per juratos Cenſores ſubeant, & merces, quæ non notæ ſunt, Dnis ſuis reſtituantur, ut de iis pro libitu diſponere liceat.

§. 7.

§. 7. Ne nobilibus ſubditiſq; Polonicis ſimul cum duobus de mercibus ſuis contrahere, aut poſtquam quiſpiam illorum ab uno cive Rigenſi pecuniam mutuo accepit, poſtea quoq; ab altero inſcio priore ſumere liceat, quo facto anterior Creditor, tanquam tempore prior, potiùs jus, & præferentiam in omnibus debitoris ſui mercibus pro pretio, quod tunc communiter erit habeat, reliquiq; Creditores paratâ pecuniâ, à priore Creditore exolvenda contenti ſint.

§. 8. Ne dicti Poloni Nobiles, & ſubditi, tempus de mercibus ſuis, certum, & determinatum pretium cōmuniter ſtatuendi protrahant, præcipuè illi, qui debita contraxerunt Rigæ, ſed ut teneantur, quando tempore verno, cum ratibus, & navigiis ſuis vulgò Struſii dictis, mercatores ad numerum circiter viginti deſcenderunt, pretio cum civibus Rigenſibus intra octiduum convenire, tempore verò autumnali, qui tunc navigatio minorem moram patitur, ſtatim poſt adventum ſuum.

§. 9. Cùm ab antiquis temporibus, etiam Ruſtici Litvanici, æquè ac alii, poſtquam Dominis ſuis præſtanda præſtiterint, liberam vecturam mercium reliquarum ad civitatem Rigenſem habuerint, & plurimi eorum ibidem mutua debita contraxerint, eadem iis in poſterum, negotiandi libertas relinquatur, ne Domino fas ſit contra veterem uſum, & in fraudem creditorum, ipſorum merces, ab illis coëmendo impedire, quominus Rigam venire, & debita ſua ſolvere poſſint.

§. 10. Quicunque contractui ſuo non ſatisfacit, ejus bona omnia tam mobilia, quàm immobilia, eorumque reditus, ubicunque locorum ſint, Creditori ſuo Hypothecæ loco obligata manu, & quamvis ipe Debitor morte extinctus ſit, hæredes ejus, aut quicunque occupator, atq; Poſſeſſor debitum ſolvere teneatur, nec liberum ſit, ejuſmodi bona, eorumq; proventus in fraudem Creditoris emere, niſi depoſitâ in judicio, aut alio loco tuto pecuniâ ad ſatisfactionem Creditoris.

§. 11. Securitas in utriſque Regnis eorumque Provinciis, aquâ, & terrâ peregrinantibus, & res atque negotia ſua curantibus præſtetur tam pro perſonis, quàm pronis ſuis.

§. 12. Quæ ratione menſuræ, & ponderis inter ſubditos Poloniæ, & M. D. L. & cives Rigenſes conventa ſunt ea ſtrictè obſervari debent.

§. 13. Cùm penes fortalitium Kokenhauſen ſubditi Polonici navigia ſua quando ibidem viſitantur, propter rapiditatem fluvij Dunæ ſæpiùs perire, naufragiumque pati quærantur, commodior ſi fieri poteſt locus per Commiſſarios ad id deputandos deligi, ibidemque viſitatio fieri debet.

§. 14. Nemo Mercatorum Rigenſium famulo, vel ſervo alicujus Poloni pecuniam dabit, Plenipotentiâ vel aſſignatione Domini ſui non inſtructo.

§. 15. Si ſubditus aliquis Litvanicus debita apud Rigenſes contracta non ſolverit, bona alterius eam ob cauſam areſto nunquam ſunt proſequenda, ſed ipſe Debitor, ejuſque Fidejuſſores ſoli ad ſolvendum adigi debent.

§. 16. Quâ ratione debita, inter inſtitores, vel mandatarios, & ſubditos Polonicos, cum civibus Rigenſibus, inpoſterum ita contrahi & probari debeant, ut nec Creditoribus, nec Debitoribus injuria fiat, & quæ præterea ratio ne commerciorum, eorumq; commodioris uſûs utrinq; moneri poſſint, ea cùm ab ipſis contrahentibus, ex conventione deſuper facta meliùs determinari queant, per Commiſſarios utrinq; ab ipſiſmet denominandos, in loco ipſis commodo complanari ac poſtmodum

A.C.1705 dum à Regibus utriuſque Regni ratihaberi, & confirmari poterunt.

Articul. 20 Debita inter utriuſq; Regni ſubditos literis chyrographis, contractibus, aliiſque legitimis modis probata, ſive ante ſive durante hoc bello contracta, aut in poſterum contrahenda ſint ritè, atque exactè ſolvi debent, & Creditoribus opem ipſorum, qui in quolibet loco, Regione, ac Provincia, Judiciis, aut incolis cum imperio præſunt, deſiderantibus, ſine ulla mora, juſtitiâ ad miniſtrari, ipſiſque ſtatim ad deſideria ipſorum, reſponſum literis conſignatum extradi debet. Sententiæ, aut decreta ſuper debitis, aliiſque rebus, inauditâ partis potentis cauſâ lata irrita, & nulla ſint, omni prorſus effectu in perpetuum careant ita, ut auctori integrum ſit, cauſam ſuam legitimam, juris viâ poſtmodum liberè proſequi, ac ſi nunquam judicium aliquod, aut nulla ſententia interveniſſet.

Articul. 21. Cum antehac Poſnania, verſus Stetinum, per fluvios Wartam, & Oderam mercium tranſitus liber fuerit, commerciumque inter eandẽ, alioſq; addictos fluvios, ac jacentes urbes locaq;, in magnum utriuſque Regni incolarum emolumentum viguerit navigatio iſta, per fluvium Wartam, unde poteſt eſſe navigabilis inpoſterum, liber, & immunis reddetur. ideoque molendina, aliaque ædificia, quæ ſuper dicto fluvio inſtructa, navigationem impediunt, deſtruentur, & tollentur.

Articul. 22. Quandoquidem contra veterum uſum, & damnum tam civitatum Livoniæ, quam Pruſſiæ & Curlandiæ portus novos ad Polangam, ante aliquot annos exteris navibus frequentari cœperat, ideo deſolabitur, nec ibi, nec alibi novus quiſpiam portus erigetur, aut præter antiquos frequentabitur. Prout etiam nulli abhinc ſive indigenæ, ſive extraneo illuc vela facere, vel cujuſcunq; ſortis merces inde tranſportare licebit. Quodſi quis tentaverit eum prohibere & abducere, Suecis fas erit mercibus cum navi publicatis.

Articul. 23. §. 1. Mercatores Suetici, quibus in Polonia, ſive per Provincias, & flumina ejuſdem, mercaturam inſtituere, & exercerere volupe fuerit, eodem uſu, iiſdemque ut alii amiciſſimarum nationum mercatores, libertatibus, prærogativis, & privilegiis ibidem gaudeant.

§. 2. Imprimis liberum ſit Sueticis ſubditis, mercatoribus eorundẽque inſtitoribus omni onere exemptis commorari non ſolùm prout antehac moris fuit, Gedani, verumetiam in aliis majoris, minoriſq; Poloniæ civitatibus, utpote Torunii Varſaviæ, Cracoviæ, Leopoli, & Jaroslaviæ, atque in civitatibus Litvanicis, alliiſq; fluminibus proximè adjutoribus locis, ibiq; merces quaſcunque venales pro libitu coëmere, & ad urbes maritimas, terrâ, aut aquâ in ſcaphis, aut navigiis, quæ aut ipſimet ſibi comparare, aut pro juſto pretio ab aliis conducere poſſunt, tranſportare, abſque ullius certa dictanda pœna, turbatione, vel interruptione.

§. 3. Conceditur Sueticis mercatoribus pro quo conveniri poteſt, ordinarium tamen non excedente ſed uſitato pretio, ſingulis annis, ex ſalifodinis Reipub. emere certam copiam ſalis, eamque vel in magnis partibus, prout frangitur, vel coäctam ad urbes maritimas, atque illinc poſtmodum in Sueciam tranſmittere ſolutis, quæ Reipub. pendi ſolent vectigalibus.

§. 4. Similiter quoque varias hungaricas merces, utpotè vinum, carnem bovinam, coria, adipem, certam, & ejuſmodi alios fructus apud Hungaros venales emant, eoſdemque ex Hungaria, per Territoria Polonica tutò abducant, nvehant, & exportent.

§. 5.

§.5. Quaſcunque demum merces, & mercimonia, quæ vel in Polonia, vel ex vicinia Hungaria coëmuntur, integrum ſit Sueticis incolis, ſolutis tantummodo teloniis ordinariis, & uſitatis exportare, & ad urbes maritimas, terrâ, & aquâ vehere, ita tamen, ut modo dictæ merces in aliquo loco Polonico, in Polonicorum mercatorum noxam, aut præjudicium non poſſint divendi. *A.C.* 1705

§.6. Contra autem commercia, quæ Moſchovitæ per Poloniam, & Litvaniam, cum exteris nationibus, aliquo tempore exercuerunt, prohibeantur, utpotè non modò civitatibus Polonicis, ſummè noxia, ſed etim juribus, & privilegiis earum repugnantia adeò, ut nullas abhinc merces è Moſchovia in aliàs Regiones, vel ex illis in Moſchoviam per Reipub. Provincias tranſmeare, licitum ſit, ſed ejuſmodi merces, in civitatibus Polonicis deponentur, & dividentur, ſecundum veterem legē, & conſuetudinem in locis lege deſcriptis, iis tantummodo exceptis, quæ longo uſu, aquâ vel terrâ, ex Moſchovia per Territoria Reipub. Polonæ, & M. D. L. Rigam vehuntur, quibus eadem, quæ hactenus tranſeundi libertas conceditur.

Articul 24. Quod ſi ex incolis Regni Sueciæ, ejusq; Provinciarum, Jure conductionis, vulgo arendæ ad extenuationem, perceptionémve ſummæ pecuniarum mutuò datæ, bona Nobilium, ac Regalia acquiſiverit in Polonia, & M. D. Litv, quamdiu illa poſſederit, Reipubl: patrocinio & ſecuritate, ac privilegiis gaudeat, ac jurisdictioni ſubjaceat, uti incolæ ejusdem.

Articul. 25. Cùm ad commerciorum faciliorem uſum, & negotiorum quorumcunq; promotionem quoq; ſpectat, Poſtarum, ſeu Tabellariorum publicorum liber curſus, S. R. Mti Sueciæ prout ante, & durante induciarū tempore, & poſthâc quoque liberum ſit, tam Veredariis, quàm Equitibus, per quascunq; Reipub: Provincias, & territoria, iſtum uſum continuare. Ideoq; ubicunq; Tabellarij inſignibus Coronæ Sueciæ muniti ſeu abeant, ſeu revertantur, non tantùm nullo modo, nulla ſpecie detinebuntur, vel impedientur, quominus tempore curſuq; conſueto, ſalvi, liberi, & inviolati cum literis, vecturâ, hominibus, & equis tranſeant, verum etiam certa iisdem ſtationum loca, vel hoſpitia aſſignabuntur, quà ut opus fuerit divertere, requiem capere, & equos commutare, ac juſto pretio conducere poſſit.

Articul. 26. Conventum quoque eſt, ut omnis moneta depravata, ſic, & ſolidi Valachici vulgo Dumnicze abrogentur, curſusq; eorum, vigore Tractatûs præſentis interdicatur, ſalvo uſu ſolidorum Regni Poloniæ ordinariorum in Regionibus ejus. Quando verò in tranquillo ſtatu Reſpublica monetam cudere ſtatuerit, talem cudi curabit, quæ pretio, & valori monetæ Regni Sueciæ ejusq; provinciarum reſpondeat.

Articul. 27. Ad omnimodam vim, & firmitudinem præſenti fœdere conciliandam, S. R. Mtas, & Reſpub: Poloniæ idem cum omnibus ſuis punctis, articulis, & clauſulis, ſe candidè ſanctèq; ſervaturas hiſce in præſentiarū teſtantur. Quod verò ad tempora futura attinet, Reſpub: Poloniæ promittit, & ſpondet ſe ſingulos Reges ſuos continuâ ſerie regnaturos, ac ejusdem obſervatione per Pacta Conventa, & Juramentum Coronationis obſtringere velle, & debere, quemadmodum ſe ipſam ad idem jam, & in perpetuum obſtrictam declarat. Et ſi quis autem Regum Poloniæ præſens fœdus ruperit, & Reſpub: conſiliis & armis ſeriò ſe ei non oppoſuerit, Reſpubl: de damno & injuriâ illatâ S. R. Mti Sueciæ debitam ſatisfactionem præſtabit.

A.C.1705 Si quæ Regna, Reipublicæ, & Status, hoc fœdere comprehendi, idemq; quo ad omnes partes comprobare velint, unanimi utriusq; Paci-
Articul. 28. ſcentium partis conſenſu admittentur, & recipientur.

Præterea de eorum Principum, ac Poteſtatum Fidejuſſione, & Gua-
Articul. 29 rancia ſuper hoc pactum conjunctim expetenda conventum eſt, qui eandem propter publicum commodum in ſe ſuſcipere velint, quorumq; ſalus, & conſervatio Regnorum Sueciæ, & Poloniæ, quàm maximè interfuerit.

Deniq; præſens Conventio, hoc modo feliciter peracta, utrinq; in-
Articul. 30 tra hebdomadam, à die ſubſcriptionis computandam optimâ vitatâque formâ ratihabebitur exemplaribus ratihabitis, intra præfatum tempus commutatis. Atq; & eò firmior, & ſtabilior permaneat, Reſpub: eandem proximis Comitiis non modo iteratâ ratihabitione ſe confirmaturam, ſed etiam Volumini Legum, & Conſtitutionum Reipub: univerſalium, tanquam legem inviolabilem univerſalem, inq; perpetuum obſervandam, inſerturam eſſe ſanctè promittit. In quorum omnium teſtimonium, & fidem, tam Nos S. R. Mtis Sueciæ Legati Extraordinarij, quàm Nos S. R. Mtis Poloniæ, & Reipub: Commiſſarij, præſentem Tractatum, cujus duo exemplaria ejusmodi tenoris ſcribi, literisque mandari fecimus, m. pp. ſignavimus, ac ſigillis noſtris corroboravimus. Dabamus Varſaviæ in Suburbio Cracovienſi, & quidem in Cœnobio Carmelitarum Diſcalceatorum 18 Nov: 1705. (LS)

Aruerd Hom. Georgius Wachſchlager. Juſtus à Palmberg. Chryſoſt: Benedictus Gninski Epiſc: Camen: Abb: Wąg. Franciſcus Zapolski Caſtell: Siradien. Franciſcus Grzybowski Caſtell: Inowlad. & reliqui qui ſuprà.

Grodnæ 21. Decemb: Anno 1705 Conſilium magnum Statuum Reipublicæ ad Sendomiriam Confœderatorum 24tâ Novemb: reaſſumptū in præſentia Illuſtriſſimorum Brzoſtowski Epiſcopi Vilnenſis: Załuski Epiſcopi Plocen: Wyhowski Epiſcopi Luceorien: Potocki Epiſc: Culm: Illrmi Lubomirſcij Caſtell: Cacovien: Exercitûs Regni Supremi Ducis, Illrmi Principis Wiſzniowiecki Caſtell: Viln: Supremi Exercitûs M. D. L. Campiducis, Radomicki, Palatini Inowład: Generalis Majoris Poloniæ, Zabochlicki Pal: Podoliæ, Sieniawski Pal: Belzen: Exercitûs Regni Campiducis, Załuski Palat: Raven: Sluska Pal: Polocen: Pociey Pal: Witepſcen: Komorowski Pal: Breſt: Lit. Chomętowski Pal: Maſoviæ, Działynski Pal: Culm. Radomicki Caſt: Caliſſien: Sianiawski Caſt: Lubl: Załuski Caſtell: Raven: Liniewski Caſt: Lubaczovien: Chomętowski Caſt: Czechovien: Wołowicz Supr. Mareſchal: M. D. Lit., Principis Radziwił Cancell: M. D. L. Szembek Procanc: Regni, Szczuka Procanc: M. D. L. Pociey Supr: Theſaur: M. D. L. Princ: Sanguſzko Mareſch: Curiæ M. D. L. Senatorum, & Miniſtrorum Statûs. Dönhoff Enſifer Regni, & Confœd: generalis Mareſch: Chomętowski Radom: Złotorien: Capit: Confœderati Exercitûs Regni Mareſchalcus Rndmi Szaniawski Referen: M. D. L. nominat: Epiſcopus Vladislavien: Wulff Coadjut: Epiſc: Livon: Sapieha Secretarius M. D. L. Abb: Paradiſien. Dziduſzycki Stabuli Regni Præfect. Potocki Inciſor: Regni Szembek Vexillifer Curiæ, Olſzowski Venat: Curiæ Regni, Sienicki Enſifer M. D. L. Crzużewski Cul: M. D. L. Præfect. Zaranek Exercitûs M. D. L. Præfect. Kryſzpin Notar: Camp: M. D. Lit. Szczyt Pincerna M. D. L. Potocki Venator M. D. L. Brzoſtowski Not: M. D. L. Mniſzek Gen: Artileriæ M. D. L. Lubomirski Cap: Chmieln: Wyzycki Cap: Bracław: Potocki Cap: Tłumacen. Dąbski Cap: Nakiel: Sapieha Cap: Breſt: Lit. Sierahowski Cap: Olſzanen. Oginski Cap: Gorzdovien

vien. Bieganski Cap: Starodubovien. Lubomirski Conel: in Exercitu Re- *A.C.* 1705
gni, & aliorum plurimorum Officialium Nuntiorum Regni, & M. D. Lit. Deputatorum variorum Palatinatuum, maximâ frequentiâ, adeò ut major in Cominiciis Regni reperiri non poſſit, in tanto ergo Senatûs, & Equeſtris Ordinis concurſu præfatum Conſilium magnum, per ſpatium duarum, & ultra ſeptimanarum agitatum, poſt finitam conferentiam Czareæ Mtis, intuitu executionis Tractatûs concluſi, ratificationisq; ejusdem, poſt audientias Delegatorum ab Exercitibus Regni, & M. D. Lit, poſt exaudita vota Senatûs Ordinisq; Equeſtris, tandem 16 præſentis feliciter concluſum, cum univerſali aſſenſu, publicatumq; reſultatum, continens hæc in ſe Puncta:

Imo. A Capite concluſi, ſeu veriùs reſultati, exprimitur ſollicitudo S. R. Mtis erga Bonum publicum, adventus ejus tot ſuperatis periculis non alio fine, niſi ut ſuccurrat fidelibus ſubditis ſuis.

2do Sequitur approbatio Actorum in abſentia S. R. Mtis per Status Reipubl: confœderatæ, tum deteſtatione, & caſſatione omnium actuum, & ultimarij Tractatûs capti, & in adverſæ partis extendendo rigorem pœnarum legum, tam contra uſurpatorem ſolij Regni, quàm & Aſſeclas ejus actu, & Conſilio ipſi aſſiſtentes. Contra reliquos verò adhærentes, decernitur judicium ad latus S. R. Mtis, ſub directione Dñi Mareſchalci Confœderationis Statuum Reipubl: formandum, præviâ extraditione Citationum partibus.

3tio Exercitus Regni confœderatus ſalvâ per omnia Confœderatione Sandomirienſi exvinculatur præſcriptâ generali amniſtia ſecuritate perſonarum, & Bonorum DD. Chomętowski Mareſchalci, & Caſtellani Poſanecen: ſubſtituti Exercitus Confœderati. D. Rzewuski Refer: Regni. D. Smigielski Capit: Gneſnen: & aliorum in Confœderatione exiſtentiũ, exceptis, cauſis privatorum quæ ſub generalem amniſtiam includi non debent, hic verò Fxercitus exvinculatus, præmiſſo Tractatu, cum Illmis Exercitûs Regni Ducibus, ante omnia in Tribunali Theſauri Regni in eundo ſub Juriſdictionem Ducum reinducitur, cavendo, ne vexilla, quæ necdum jurârunt, Juramentum fidelitatis S. R. Mti, & Reipubl: coram Tribunali Theſauri Regni præſtent.

4to. Tribunal Regni Commitiis Lublinenſibus inſtitutum, jam Gronæ ſub directione Illuſtriſſimi Palatini Maſoviæ inchoatum, & luceoriam in diem vigeſimam quintam Januarij anni futuri limitatum, reaſſumitur, ut quæ quatuor vicibus in duobus annis ſecundum ſcriptum conſtitutionis Lublinenſis celebretur, decernitur, dando plenariam facultatem eidem Tribunali theſauri, Exercitum Regni ante omnia combinare, eidem ſtipendia, conformando ſe ad præſcriptum ſcripti ad Archivum, quo Exercitus Regni ad triginta ſex millia militum, ſcilicet duodecim millia Polonici, & viginti quatuor millia Germanici, in quo potiſſima pars peditatus comprehenditur auctoramenti, præter Exercitũ Litvaniæ ordinatus eſt aſſignare. Neceſſitates Artileriæ, & peditatûs procidere; interim in ſupplementum dictæ Artileriæ, Exercitus Regni quadraginta millia florenorum pro Litvanica vero triginta millia florenorum aſſignata ex proventibus theſauri Regni.

5to. Commiſſio hybernalis in diem octavam Luceoriam determinata, ad quam Commiſſarii, tam ex Ordine Senatorio, quam Equeſtri ſunt deſignati.

6to. Contributiones, ſolidariæ, & Capitalis in Commitiis Lublinenſibus laudatæ in Regno reaſumuntur, cum intimatione per literas univer-

A.C. 1705 verſales ut exactores eaſdem ad Tribunal Theſauri Regni comportent ſub rigore in conſtitutione Lublinenſi expreſſo. Quia hæ contributiones pro exolvendo tantum Exercitu, ex cauſa exiſtentium ſub hoſte majorm & meliorum Palatinatuum, ſufficere non poterit. Igitur confirmando ſe ad Conſtit: Anno 1673. Lit. defenſio Reipub: loco expeditionis unius peditis ex viginti fumalibus per ducentos florenos extradant, ſub executione militari decretum.

7mo. Contributiones in M. D. L. in iis Commitiis Lublinen: laudatæ, ſcilicet præter ordinariam repartitionem per quatuor florenos ex quolibet fumo reaſſummuntur. Tribunal theſauri M.D.L. in diem 3tiam Martji Anni futuri aſſignatur præviis particularibus Comitiolis per Palatinatus celebrandis.

8vo. Ne vero hæ Contributiones, ex defectu rei numariæ remoram patiantur, data facultas Regni theſaurariis & M. D. L. cudendi monetã argenteam, ſcilicet Tynphorum, Sextonum & ſolidorum ſecundum valorem, & fœdera cum vicinis Principibus.

9no. Tractatus defenſivi, & offenſivi fœderis, cum Czarea Mte ratificatur, aſſignando Commiſſarios ad receptionem fortalitii Białocerkiew, & aliorum locorum in Ukraina à Coſacis Moſcoviticis occupatorum. Commiſſumq; S. R. Mti, ut ad ſimilem colligationem, diverſionem armorum in Ditiones Sueticas faciat, vicinos Principes invitet. D. vero Theſaurario Regni injunctum, ut ſummam reſtantem pro legatione Moſchovitica aſſignatam Palatino Culmenſi indilatè exſolvat, vel proventus ex Teloniis Maſoviæ per Contractum ſalvâ plus offerentiâ uſq; ad extenuationem ejuſdem Summæ tradat.

10mo. Erogata per D. Procancelarium Lit. quindecim millium Imperialium, pro comparatione rerum neceſſariarum in ordine ad legationem Berolinenſem, ſiquidem alter in locum ejus deſtinatus, uſq; ad exſolutionem in Advocatia Taynenſi, & Tenuta Bronovienſi aſſecurantur.

11mo. Legatis ab Exercitu Regni & M. D. Lit. in vim gratitudinis per duo millia florenorum, reduci vero ex Crimæo, & Valachia cum reſponſo, amicitiæ cum S. R. Mte, & Repub: quatuor millia flor: Pol: ut theſaurus Regni exſolvat, mandatur.

12mo. Per reſpectum magnorum ſumptuum Dñi Mareſchalci Confœderationis Regni eidem pro ulteriori ſuſtentatione Saxaginta millia florenorum in theſauro Regni annuatim exſolvenda aſſignantur. Ejuſmodi reſultatum de communi ſtatuum Reipub. conſenſu conſcriptum ut Typis detur, & per Palatinatus tranſmittatur, ſupra nominato Dno Mareſchalco Confœderationis. Commiſſum conſilium verò taliter ex re, & utilitate boni publici concluſum, & diſpoſitione S. R. Mtis in quoſvis caſus, ex neceſſitate reaſumendum, abſq; præfixione loci, & temporis, dilatum, & limitatum. Combinatio authoritate S. R. Mtis inter illuſtriſſimos M. D. Lit. Exercitus Duces facta Guarantiam eadem S. R. Mtas in ſe ſuſcepit, nudius tertiùs abutrinq; ſubſcripta eſt, Cæſarea Mtas Moſchoviæ protento die Sabathi, diſpoſitis bigis, equis in Moſchoviam abitt, reſoluto S. R. Mti favente ſuo Principe Alexandro Danielovicz, Mężykow, quem unà cum toto Exercitu Moſchovitico Regimini S. R. Mtis uſq; ad redditum ſuum ſubjecit.

CON-

CONSTITUTUM GENERALIS CONSILII GRODNENSIS In Novembri.

A.C. 1705

OMnibus & ſingulis, quorum ſcire impræſentiarum intereſt, & in futurum intererit, præſentibus ſignificamus; quod memores obligationis Noſtræ ex vi juramenti, quo ad invicem cum Statibus Reipubl: ad Sendomiriam. Nos obligavimus, Regnum hoc, Fidem S. Romanam Catholicam, Majeſtatem Noſtram, Jura & Prærogativas Nobilitatis defenſuros; poſthabitis & neglectis hæreditarij Dominij Noſtri non levis momenti commodis & emolumentis, per tot diſcrimina rerum, viasq; inſidiis malignantium & fraudibus inceſſas, fortunatum eâ duntaxat mente reditum acceleraverimus; ut internis & externis malis quaſſatam Rempub: quantociùs armis & conſilijs munitam redderemus; unde quidquid ab Ordinibus Reipub: in præſente generali Conſilio, in virtute ultimorum Comitiorum & Confœderationis Generalis Sendomirienſis legitimè ex anteriori limitatione incidente, Congregatis, pro jure Naturalis defenſionis & neceſſitate indiſpenſabili determinatum & ſancitum eſt; Regiâ Noſtrâ authoritate confirmamus, & ſecundùm unum idemq; Confœderatorum Statuum velle unanimemque conſenſum ſine mora & dilatione executioni mandari volumus, & aſſentimur; non derogando authoritate Comitiorum & conſtitutionum de eorum indictione conſcriptarum.

Et imprimis in virtute prætactæ Confœderationis Sendomirienſis, uti & noviſſimorum Comitiorum Lublinenſium & aliarum, quà publicarum, quà particularium totius Reipub: tot Palatinatuum Confœderatorum (quarum ſancita in perpetuo vigore manere & conſervari volumus) omnes Regis Sueciæ, ejusq; adhærentium contra Nos viventē & legitimum Principem, liberamq; electionem actus; quicunq; & quocunq; prætextu ab ipſis præſentis belli primordijs præſumpti ſunt, ceu violentos indebitos & ex principio infecto & ſeditioſo Natos, cum omni præterito & ſecuturo effectu, ſpecialiter cum ultimo captioſo, & præjudicioſo Sanctæ Fidei Romanæ Catholicæ & vetuſtis ab ævo libertatibus, & cum tractatu, tanquam ipſo & facto nulla & vitioſa attentata caſſamus, & condemnamus: item particulares Confœderationes, omnesq;, quæ hanc Generalem Sendomirienſem non reſpiciunt, nec ei aggregantur, aut novitates, inſolitas ſine conſenſu communi Ordinum Reipubl: in generalibus Conſilijs, ſtatuunt, decernunt, vel approbant, abrogamus & annihilamus: ſimul rigores pœnarum in prætactis Conſtitutionibus & Confœderationibus deſcriptos, indilatè tam inviolenter intruſo, quàm & adhærentibus nominatim Comitiorum Lublinenſium & Confœderationis Sendomirienſis decretoriâ ſententiâ punitis, executioni dari mandamus. Cum iis verò, qui poſtea à partibus noſtris malitioſè defecerunt, ſive actualiter hic & nunc adverſæ parti aut perſonaliter aut conſilio, auxilio & correſpondentiâ adhærent, vel impoſterùm adjungere ſe illi vellent; quamvis condignum eſſet juris in illos extendere rigorem, nihilominus volentes ſuppetere tempus reflexioni & reſipiſcentiæ, cum moderamine procedendum duximus, per prius mandata & proclamationem judiciorum in eadem Confœderatione Sendomirienſi deſignatorum; quæ judicia in 15tam Martij proximo DEo dante anno 1706 incident, & poſtmodum ſecundùm præſcriptum ejusdem Confœderationis ad latus Noſtrum continuabuntur. Nobili nihilominus Michaëli Eperyaſz, ſi ſecundùm Nobis factam à Capitaneo Samogitiæ

A.C.1705 gitiæ Campiduci M. D. L. declarationem in ſpatio quatuor hebdomadarum coram Nobis comparuerit, gratiam & Clementiam Noſtram Regiam cum aſſecuratione vitæ & fortunarum ejus pollicemur.

Volentes autem diſtractos mutuis inter ſe odiis Civium animos, diſſectasq; Reipub: vires perfectæ uniones redintegrare vinculo, & priſtino vigori reſtituere; ſpontaneè & laudabiliter Ducibus Regni ad Cōfœderationem Generalem Sendomirienſem accedentibus, jamq; ab illis expleto juxta Rotham in eadem Confœderatione expreſſam juramento, tot eorundem fidelitatis in effectu præviis argumentis, diſtractū & diviſum hactenus infelici diſcordiâ corpus exercitûs Regni poteſtati & obedientiæ eorundem Ducum juxta jura, veteresque conſuetudines comittim⁹, combinamus, & ad Confœderationē generalē Sendomirienſē circa Mtem Noſtram & Prærogativas Nobilitatis, exnunc mediante tractatu, methodo infra ſcriptâ ſuſcipimus, & incorporamus ſalvo robore, & vigore ejusdem Confœderationis Sendomirienſis, quoad alia puncta; eo nihilominus modo: ut imprimis omnia vexilla, quæ ad hoc usq; tempus ſub Ducibus, eorumq; Legatis militaribus fuerunt, juramentū in prædicta Confœderatione præſcriptum, coram Officialibus ſuis, vel eorum locum tenentibus quantocyùs expleant; ipſi verò Officiales, uti Legati, Colonelli, vice-Colonelli, Primicerii in Tribunali Theſauri, perſonaliter comparere, manipuli verò per ſuos Deputatos documenta authentica cum ſubſcriptione ſuorum Commilitonum & teſtimonia juramenti peracti producere, & in manus Mareſchalci Tribunalitij reſignare, tum ibidem ſimile juramentum additâ clauſulâ ſuper realitatem receptorum juramentorum, explere tenebuntur, ſub vinculo rigoris in eadem Confœderatione expreſſo. Jam quemadmodum eæ Copiæ, quæ ſub directione Generoſi Stanislai Chomętowski Capitanei Radomienſis, Mareſchalci ſui, laudabili zelo legitimè circa Mtem Noſtram & Rempub: ſunt Confœderatæ; à Statibus Reip: prænominatæ generalis Confœderationis Sendomirienſis immortales laudes & omnimodam aſſecurationem ſunt conſecutæ: ita eadem monumenta gratitudinis & ſecuritatis præfato exercitui æterna volumus, noſtrum affectum declaramus, utq; per prædictum tractatum ſpecialem in futuro Tribunali Theſauri, cui hoc negotium ſpecialiter authoritate præſentis conſilii, demandam⁹ plenā ſatisfactionē & ſecuritatem in deſideriis ſuis aſſequantur, eâdem lege cavemus, nec non eundem tractatum, quem præ omnibus in reaſſumpto Tribunali Theſauri expedire & finire oportebit, in omnibus punctis & articulis confirmamus. Jam autem; ut is tractatus tantò ſecundiorem ſortiatur effectum, eoq; felicius cum perfecta notitia & conſenſu Exercitûs circa Mtis noſtræ & totius Reipub: defenſionem laudabili & glorioſo ad Poſteritatem exemplo Confœderati, inchoari & coronari poſſit: compellamus authoritate noſtrâ Regiâ & interpoſitione Ordinum eundē Reip: & noſtrum exercitum; ut in generali futuro Congreſſu, noſtro & totius Reip: ſeſe accomodet arbitrio, ſupraq; memoratam combinationem ſalvo honore & ſecuritate ſuâ ſuſcipiat. Quia verò Mareſchalcus tam ſuam, quàm Illuſtris Parentis ſui ſubſtantiam, & bona, per ſincera & candida nobis & Reipub. impenſa obſequia, non tantùm hoſtili indignationi obnoxia reddidit, ſed etiam ultioni ejus immolavit, majore illorum parte in cinerem, aliis rabie & ſævitiæ hoſtis ad incitas redactis: præterea quia pro obeundo munere debita illum contrahere neceſſe fuit: ideò non tantùm ex debita gratitudine, ſed etiam ex ipſa juſtitia memoratum Tribunal tantorum damnorum habebit

bit rationem, inibitq; modos; quò ſumptus illi refundantur, pretiumq; *A.C.* 1705
referat meritorum, conſenſu nihilominus noſtro & approbatione præſentis conſilii in virtute confœderationis Sendomirienſis nixi ſuper hoc requiſitâ. Sub hæc tam Mareſchalco, quàm Caſtellano, Polaniecenſi ſubſtituto ejus, conſiliariis & omnibus in genere Officialibus, item In particulari Rzevuſcio Referendario Regni, prædicti exercitûs Legato, pro optimè geſtis miniſteriis & officiis, pro ſuſceptis laboribus & diſpendiis opum & valetudinis, gratiam & reſpectum noſtrum, tum etiam ex diſtributiva juſtitia gratam à Repub. conſignamus memoriam, amniſtiam inſuper ſancientes & condonantes omnia damna & injurias in bonis & fortunis per neceſſitatem belli vel indigentiam militarem privatis illatas, (excipiendo nihilominus hiberna ultra debitum & præſcriptum extorta, non obſervatâ æqualitate vexillorum unis detracta, aliis in majore quantitate decreta, tum cauſas criminales violentias, invaſiones aularum, & violationes immunitatis Eccleſiaſticæ; quos exceſſus præſertim in privatis perſonis nulla operire conſuevit amniſtia) Colonelli item & Legati legionum M.D.L. qui ſub præſentis belli tempus in Regno hoſtem diviſis copiis infeſtârunt & ceciderunt, eâdem amniſtiâ gaudeant neceſſe eſt.

Verum ut præmiſſa de combinatione debitæ exolutionis & erectione Exercituum Regni, intuitu proſequendi proximo Deo dante vere belli faciliùs, & maturius ad effectum deduci poſſint; Tribunal Theſauri Comitiis Lublinenſibus conſtitutum, poſtea per violentam adhærentium Sueticorum reſiſtentiam, ſub colore confœderationis Majoris Poloniæ impeditum, in præſenti autem generali conſilio ex neceſſitate boni publici, præviis ſolennitatibus ſolitis, Electoq; Directore Martino Chomętowski Palatino Maſoviæ ad diem 25 Januarii ſequentis anni Luceoriam limitatum; authoritate præſentis conſilii inſtauramus, & conſtituimus: pro quo Tribunali præter Duces Exercituum Regni deputamus ex Senatu Rm̄um Epiſcopum Culmenſem &c. NN. Ex equeſtri verò ordine (quandoquidem propter impedimentum hoſtilitatis & prænominatæ confœderationis Majoris Poloniæ Comitiola relationis poſt præterita comitia habita non ſunt, nec ad præſens ſecurâ libertate expediri poſſunt, in aliis autem Palatinatibus, quamvis expediri potuiſſent, electi nihilominùs Commiſſarii in partes alienas declinàrunt,) hinc in tam præcipiti periculo inevitabilem Reipubl. attendentes neceſſitatem, pro hac ſola vice, ex conſenſu omnium ordinum Reipub. vigore præſentis conſilii, tam electos per Palatinatus confirmamus, quàm etiam ubi non ſunt electi, deſignamus & declaramus: idq; ex alternata minoris Poloniæ, ex Palatinatu Cracovienſi. Damus prænominato Tribunali inſuper ſpecialem authoritatem & facultatem plenariè conficiendi, & concludendi quantocius tractatum pro exercitu, ineundiq; modum perfecti ordinis, ſolutionisq; debitæ exercitui circa Majeſtatem noſtram, & Rempublicam conſtanter confœderato, ſecundùm computum in Comitiis Lublinenſibus ſancitum, & manu noſtra ſubſcriptum; quem juxta ſcriptum ad Archivum reducere, & complere efficaciter intendimus. Id verò Tribunal quatuor vicibus, ſingulis illarum ſex hebdomadarum ſpatium duraturis, ſucceſſivè intra biennium, ſive in eodem loco, ſive ubi per opportunitatem circumſtantiarum licebit, præviâ intimatione abſolvendum erit, ad normam & præſcriptum comitiorum Lublinenſium, cum plena poteſtate limitandi, transferendi, ſimulq; ſancita Reipub. præterita, & præſentia per rigores legum & fortem manûs mili-

taris

A.C.1705 taris executionem ad effectum deducendi. Hoc Tribunali Theſauro Regni ſic fundato, & tractatu circa combinationem Exercitûs definito, commiſſionem hiberna concernentem ibidem Luceoriæ pro 8. Februarij ſequentis anni deſignamus; ad quam præter Duces Exercituum Regni Rñmum Epiſcopum Luceorienſem ex Senatu &c. NN. deputam⁹, ex Equeſtri verò Ordine eoſdem ipſos jam ante Comitijs Lublinenſibus deſignatos, loco autem Adami Szaniawski ad Senatum & Caſtellanatum Lublinenſem tranſlati, Nobilem Stephanum Jeruſalski confirmamus & determinamus, obligantes & admonentes ſingulos bonorum hibernis ſubjectorum Poſſeſſores; ut in ea Comiſſione intuitu calculationis faciendæ cum exercitu, comparere cum documentis ſine mora non detrectent. Ex qula authoratio peditatûs, & exercitûs exſolutio ſine pecuniis, pecuniæ autem ſine contributione haberi nequeunt: ideò non tantùm laudum Comitii Lublinenſis, id eſt contributionem comunis ſolidi, & alteram triplicis à capite cenſûs in ordine ad antiqua militis ſolvenda debita lege publicâ decretam, partiumq; per diſcordias & domeſticas factiones, partim per hoſtem impeditam, aut difficultatam, vel etiamſi jam collecta fuit, inter privatos diviſam: ſed etiam attendentes ad tenorem conſtitutionis 1673 (titulo: defenſio Reipub.) in ſimili caſu conditæ, loco peditis cum toto apparatu ex viginti fumis generaliter omnium bonorum noſtrorum, ſive Nobilium, ſive Eccleſiaſticorum, 10 florenos à fumo ab iiſdem exactoribus quos ad cogendas pimas contributiones in Comitiolis relationis, poſt præterita Comitia elegimus, exigendos, reaſſumimus & conſtituimus præviâ expeditione in eum finem univerſalium noſtrorum quæ ad Palatinatus & terras cū intimatione reaſſumptionis hujuſce laudi exnunc edemus. Quodſi autem Palatinatus & terræ per caſum ruptorum vel non expeditorum præteritorum relationis Comitiolorum nullos Quæſtores elegerint: tum juxta Comitiorum Lublinenſium rigores Tribunali theſauri (cui in eum finem vim neceſſariam & facultatem ampliſſimam in vigore præſentis conſilii declaramus & concedimus) volentes quantocius agonizantem ſalvare Patriam, & ab intentis in perniciem ejus tutari hoſtib⁹, id relinquimus: ut per delatam cum executione militari procedat, & carentiâ vocis activæ arbitrariâq; impoſitione ſummæ contra Refractamos agat.

Habentes item ſolicitudinem de futura expeditione exercitûs M. D. L, per legem inſuperabilis neceſſitatis, & naturalis defenſionis ſimultaneq; cum Regno tutelæ ſancitam In Comitiis Lublinenſibus quatuor florenorum à fumo generaliter à quibuslibet bonis contributionem, ad normam conſtitutionis eorundem Comitiorum pro hoc duntaxat anno & hac ſola vice de novo merè eo intuitu; ut aucto exercitui externi authoramenti ſecundùm compitum manu noſtrâ ſubſcriptum ſolvatur, reaſſumimus, & conſtituimus, aſſecurando interim quantocius providendum fore de exſolutione exercitûs, Polonici authoramenti, ſalvo beneplacito & rati habitione Palatinatuum & diſtrictumm M. D. L.; quibus ex ea ratione Comitiola in diem tertium poſt Comitiola Purificationis, hoc eſt in 11. Februarij ſequentis anni 1706. in locis conſuetis deſignamus, in ordine ad eligendos Quæſtores, ordinandamq; exactionem prædictæ contributionis; ſimul tribunal theſauri pro plena & perfecta harum & præteritarum contributionum diſpoſitione, ſub directore & Commiſſariis per Comitia Luhlinenſia aſſignatis, & à Palatinatib⁹ antecedenter eodem hoc anno Vilnæ 3 Martji Electis, juxta obloquentiam conſtitutionis

tutionis eorundem Comitiorum determinamus. Sumptuum & pecuniarum proviſionem in ordine ad reparandum armamentarium Regni & M. D. L. Theſaurariis & Tribunalibus theſauri utriuſq; gentis committimus, ſeriò obligantes; ut ineant modos debiti pro futura expeditione apparatûs conficiendi, in quem finem pro ſubſidio ſanciti Comitiorum Lublinenſium ſpecificè armamentarii Regni, ſummam quadraginta millium; Litvanici verò tringinta millium currentis monetæ ex theſauris utriuſq; gentis, vel primis contributionibus & proventibus Reipub. aſſignamus. In finem autem contentationis exercitus M. D. L. bona Sapieharum uti & bona Neoburgici ac adhærentiũ meliori obſervantiâ quam hactenus ordinamus, iiſq; ad quos pertinet unicè commendamus, ſalvis nihilominus juribus creditorum & indemnitate eorum bonorum; quæ per Conſtitutionem Olkienicenſem ſunt excepta, & quæ ad hanc generalitatem non pertinent. Vt verò præmemorata ſancita & contributiones omnes cum irreparabili deceptione exercitûs & totius Reipub. non in ſola duntaxat charta, ſine executione exiſtant, ob notorium defectum rei nuſnariæ; quam partim contributiones tam hoſtilium, quàm noſtrarum & auxiliarium copiarum, partim impedita terrâ & aquis commercia penitùs exhauſerunt; cogente ultimâ neceſſitate ex conſenſu omnium Ordinum Monetariam Officinam pro cudenda argentea Tymphorum, Sextariorum, & ſolidorum juxta antiquam cum exteris dominiis & civitatibus jus cudendæ monetæ habentibus conventionem, aperiri poſſe diſpenſavimus: commendantes executionem hujus negotii Theſaurariis Regni & M. D. L, quibus præter Mareſchalcum generalis Confœderationis, Commiſſarios N N. &c. addimus intuitu contrahendi crediti ſuper capitale materiæ, ordinandiquè prædictam monetariam, uti & verificandi expenſas & lucra indè Reipub: provenientia, quæ in exſolutionem exercitûs cedere debebunt. Theſaurariis verò utriuſq; gentis ſeriò injungimus; quatenus ſedulè incumbant ut prætacta argentea moneta in valore & pondere ſit uniformis & in vicinis dominiis æqualiter acceptari poſſit.

Tractatum Offenſivi & Defenſivi cum Duce Moſchoviæ fœderis contra Regem Sueciæ, vigore ſcripti ad archivum in Comitiis Lublinenſibus anno præterito dati, operoſâ curâ & exemplari zelo Palatini Culmenſis confectum, nunc verò poſt factam relationem coram ſtatibus Reipub: à Nobis juxta jura & veterem morem pro rato agnitum, in omnibus punctis & articulis confirmamus, & prout ex Noſtra parte ſincerè & conſtanter illum ſervare volumus, ita non dubitamus eundem à Duce Moſcoviæ integrè & inviolatè conſervandum: quod ut fiat, Noſtra ſolicitudo & ſtudia non deerunt, uti etiam, quo nobiſcum ſimilia fœdera contra Regem Sueciæ ad diverſionem belli faciendam exteræ potentiæ ineant, eas invitare & obligare juxta mẽtem Comitiorum Lublinenſium tam per literas, quàm per legationem publicam non intermittemus. Intereajuxta obligationem ejuſdem Tractatûs & declarationem Ducis Moſcoviæ, pro receptione Białocierkviæ, fortalitiorum & locorum Ucrainenſium ad Rempub: ſecundùm ultimata pacta & limitationem pertinentium, cum debita aſſiſtentia intuitu occupationis illorum Commiſſarios noſtros tam de ſenatu N N. &c. quàm de equeſtri ordine N N. ordinamus &c. qui ſecundùm tenorem Tractatûs & inſtructionem noſtram commiſſa ſibi expedient. Quoniam verò Palatinus Culmenſis, partis adverſæ non attendens molimina, ſuſceptã prænominatam legationem Moſchoviticam non tantùm cum diſcrimine

A. C. 1705 vitæ, ſed etiam cum ingenti fortunarum ſuarum ruina laudabiliter & cum honore gentis Polonæ peregit; nec non cum maximo emolumento ſtatuum Reipub: Tractatum cum Duce Moſchoviæ concluſit, penſãtes illius damna & fidele obſequium nobis & Reipub. impenſum præfatum Palatinum etiam quoad perſonam noſtram ex diſtributiva juſtitia præmiari pollicemur: ſummam autem quinquaginta millium Imperialium, quæ ad tymphos reducta trecenta millia facit, per Senatus conſilium Varſavienſe pro ea legatione decretam, Theſaurariis utriuſq; gentis ſolvendam injungimus, hoc eſt Theſaurario Regni ſummam ducentorum millium Tymphorum; quem, (ſi calamitoſo tempore ei indilatè reddendæ impar eſſet) obſtringimus; ut prævio contractu & ſalvâ concurrentiâ plus offerentis, Maſoviæ portoria tam terreſtria quàm aquatica Viſtulæ, donec ſummam concreditam per illorum obventiones ſibi exſolvant, creditoribus oppignorent; de quo in caſu contraventionis Theſaurarius Rgni in quovis foro reddere rationem obligatus erit, ſub vinculo ejuſdem Confœderationis generalis. De ſumma verò centum millium Tymphorum eidem Palatino debita, ſiquidem theſaurus M.D.L. jam notabilẽ exſolvit partem: reſtantia ſive ex ordinariis, ſive extraordinariis proventibus & contributionibus Theſaurario M .Duc: Lit. injungimus præſentis conſilii authoritare inſtantaneè ſolvenda: Secretario verò Legationis, cùm jam Theſaurus M. D. L. de pleno pro ſorte ſua ſatisfecerit; ut Theſaurus Regni ſum̃am ipſi aſſignatam viginti millium tymphorum in toto ſub eodem rigore exſolvat, decernimus. Et quamvis Illuſtris Szczuka in virtute Comitiorum Lublinenſium ex Senatûs Conſilio cum charactere Legati Magni ad aulam Berlinenſem deſignatus, propter ſurrogationem alterius ſubjecti munus id non ſit executus; nihilominus quia pro honore gentis in apparatum requiſitum, pro eo officio, ſummam quindecim millium imperialium, ſecundùm indicem ad acta publica datum, expendit: impari ad præſens Republ. ſolvendo, vigore & authoritate ſtatuum Confœderatorum, ipſi & Succeſſoribus de ejus Tainenſi Præfectura in Palatinatu Podlachiæ, & Bronovienſibus ſylvis in terra Viſnenſi cum attinentiis, quæ aliàs ad Theſaurum Regni inferri debebant, in vim ſummæ ſolvenda decernimus & aſſecuramus. Similiter & Præfecto Stabuli Regni, noſtro poſt felicẽ Coronationem noſtram ad ſummum Pontificem Ablegato, aſſignatam & ſubſcriptam quatuor millium imperialium ſummam, ultra quam prædictus Georgius Dziedufzycki Præfectus Stabuli, pro honore noſtro plura expendere debuit, videntes egeſtatem Theſauri Regni, ex præſenti Conſilio de Præfectura Cucolovienſi in Leopolienſi terra, & diſtrictu Zydaczevienſi recipiendam, ipſi & Succeſſoribus ejus aſſignamus, cavemus, & aſſecuramus. Legatis exercitûs Regni ſingularum diviſionũ in vim conſueti tractamenti, & incitamenti omnium ad obſequia noſtra & Reipub. ex primis proventibus & contributionibus in Tribunali Theſauri duo millia currentis, per ſingulares ſingulis aſſignationes, uti & Legatis exercituum M. D. L. ex Theſauro ejuſdem Ducatûs declaramus. Item Nobilibus Nicolao Milkiewicz & Franciſco Szpringer Præcurſoribus Legatorum, primo pro laboribus & ſumptibus in via Krymenſi exantlatis, quatuor millia, alteri autem pro via Conſtantinopolitana tria millia ex Theſauro Regni authoritate præſentis Conſilii deſignamus.

Demum, ut prædicta ſancita noſtra & ſtatuum Reipub. quantociùs ad notitiam omnium & in executionem deveniant, Stanislao Dönhoff

hoff Mareſchalco Confœderationis (cujus invictam fidelitatem imò cō- *A. C.* 1705
ſtantiorem è cineribus exuſtarum hoſtili igne fortunarum circa Mtem noſtram & Remp. zelum, multiplicatis gratiis & favoribus nos præmiaturos cum aſſecuratione evincendæ realis à Repub. gratitudinis pollicemur, eidemq; in vim ſuſtentationis & expenſorum continuorum ad latus noſtrum annuatim ſummam ſexaginta millium florenorum Polonicalium, numerando curſum illius ab exordio confœderationis Generalis ex proventibus Reipub. de conſenſu omnium ſtatuum deſignamus) commendamus, ut ad acta publica maturè porrigat & typis edita per Palatinatus, terras, & diſtrictus mittat, publicariq; faciat, cum ſubſcriptione Cancellariorum, & ſub ſigillo Regni in Regno, in Litvania autem ſub Litvanico, in virtute præſentis conſilii Generalis ſtatuum Confœderatorum Regni, & M. D. L. datum ut ſupra.

UNIVERSALE REGIS AUGUSTI DATUM GRODNÆ 18. Decembris.

Divinæ providentiæ opera, quamvis pari affectu proſequi & immortales eidem (cum aliter nequeamus) refundere gratias Nobis neceſſum eſt: quòd tot tutelæ & aſſertionis in melius Reipublicæ hujus deſuper ſubmittat inſinuetque media; quot econtra infauſtas revolutiones & calamitates ruinæ ejuſdem manifeſtas, ferox protulit ætas. Mirabitur orbis univerſus; inimicæ autem gentes etiam afflictam apprehendent & pertimeſcent Rempublicam, dum pertinaci rerum ſucceſſu, humanis fatiſcentibus conſiliis, eam tam efficaciter & luculenter ſuccollat & ſecundat Divina clementia; ut, quidquid hoſtilis hactenus tentârit potentia, & immemor Patriæ degenerum filiorum contra nixa fuerit malitia; quæ per impedita Comitiorum Lublinenſium ſancita, aut ſuſtulit aut confudit Ordinem, ſciſſis Civium ſtudiis auxit pericula, malorum diſtulit remedia: jam nunc ex poſtliminio breve intra tempus, ſub reditum noſtrum per reaſſumptum & feliciter coronatum Generale Grodnenſe Conſilium, reſtituat & compenſet, implicata diſtingvat, diſtincta conjungat, naufragas tabulas ad promontorium bonæ ſpei appellat, meliusq; jubeat proſtratis confidere rebus: quando Ordines Reipublicæ antiquo Majorum ſuorum zelo, non tantùm invicem novis vinculis & ſacroſanctis ſponſionibus plenam ſtabilemq; roborârunt unionem, & perfectam aſſecurârunt confidentiam; ſed etiam ſalutaria adinvenerunt, ſanxeruntq; media, quorum vigore Majeſtati noſtræ tutela, hoſti certa repreſſalia, afflictæ autem Patriæ deſiderata & expetita obtingere poteſt pacis tranquillitas. Hæc ſunt Regnorū omniū invicta columina, fortitudo adverſus hoſtes & mutua inter Cives concordia: ad hos fines dextera excelſi præſentium Reipubl: ſtatuum ita inclinavit corda, mentem & ſenſum combinavit; ut de unanimi omnium ſententia, & conſenſu univerſali, imprimis cum Czaro Moſcoviæ Tractatus offenſivi & defenſivi fœderis contra elatum victoriis hoſtem, cum omnimoda ſecuritate & emolumento

 Reipub.

A.C. 1705 Reipub, cum reſtitutione Ucrainæ, & plenaria Coſaticæ Rebellio= nis pacificatione approbaretur, & ratificaretur: conſequenter pro= priarum utriusque gentis virium, ut ſint pares aquilæ hoſtili leonis potentiæ, auctio in executionem deduceretur; quoniam quies gentium ſine armis, arma ſine ſtipendiis eſſe nequeunt, intuitu exſolutionis Exercituum Regni ſancitorum in Comitiis Lublinenſibus nu= peris executio confirmaretur, obolusq; curſus communis minus ſen= ſibile onus in ulterius etiam tempus prorogaretur, item contributio in vim agrarij militis ſecundùm præſcriptum conſtitutionis 1673 florenorum ex fumo, in Ducatu Litvaniæ autem juxta ſancitum eorundem Lublinenſium Comitiorum 4tuor floren: pro hac ſola vice, in hunc tantùm annum reaſſumeretur: inſuper ad ſupplendum rei monetariæ defectum, ærarium ſive officinam cudendæ argenteæ pecuniæ in æquali pondere & liga cum vicinis Dominiis, per Poloniã & Litvaniam Theſaurarijs & Commiſſarijs aperiendi indulgeretur poteſtas. Dum autem tam impenſam ſolicitudinem noſtram, ſimulq; publico totius univerſi bono ſancita vobis univerſali Noſtro intimamus, & promulgamus: obteſtamur unicè amore declinantis in ruinam Patriæ; ut intuentes & audientes, quomodo pars maxima inclyti Regni ſub hoſtili ingemiſcens jugo, vocalibus lacrymis, lethali correptos ſomno ſuſcitat ad vindictam ſui, & accelerandæ defen= ſionis avertendæq; impendentis capiti ruinæ & ſervitutis extremam imponit neceſſitatem, perpendentes quomodo hoſtilis licentia ferri jam annos aliquot in vitas & fortunas civium impunè graſſata, nullo ſolubilem fato generoſarum gentium unionem, ſimulque Mris & libertatis compagem diſſolvere & diſrumpere laboret; quò faciliùs diviſos & enervatos premat, & perimat, habentes demum præ oculis tot clades & funera fratrum, proximeq; imminentem univerſalem omnibus perniciem, exhibeatis experimentum conſtantis in Nos fidei, & affectûs, uti etiam reſolutionis, promptitudinisq; nullis hebetatæ caſibus, quoad Naturalem Veſtrûmmet ipſorum gloriæ Divi= næ, Fideiq; ſanctæ defenſionem reale edatis argumentum: certi magnam partem ſanitatis eſſe, velle ſanari. Demonſtrabitis tanquam in ſpeculo præſentium conſiliorum plenum vigorem, oſtendetis quo zelo ardeatis in Patriam; quando ſepoſitis quæſtionibus & ſcrupulis, omnique ſiniſtra de nobis & publica concordia interpretatione adeoq; omnem remoram & dilationem remediorum ſalutis publicæ peroſi, voletis adeſſe & ſuccurrere communi utilitati; & tam reten= ta ſanciti præteritorum comitiorum, quàm etiam recens prorogata & adinventa, juxta modum & ordinem in concluſo Generalis Conſilij præſcriptum, ad Tribunal Theſauri intuitu exſolutionis exercituum conſtitutum, conferre & extradere non denegabitis; ad quæ Quæſtores, Adminiſtratores & Exactores ſingulos; ubi Electi ſunt, authoritate juris communis obſtringimus; ibi verò ubi necdum hactenùs

ctenus competens ordo pro exactione prædictarum contributionū eſt inſtitutus; Primores Palatinatuum & Tetrarum conjuramus, Regiaq; Noſtrâ authoritate compellamus; ut convocatione factâ, collatâ re cum bene ſentientibus pro Nobis & Republ: Ordinem ejusmodi & Electionem Quæſtorū quantociùs exequantur, non intromittendo ſe in alias materias ſtatus, ſimul tamen occurrendo moleſtis conſequentiis prætaxationis, per aſſignâtiones executionis militaris. Perpendite modò ſedulè revoluta retrò ſæcula, quibus initiis parta ſtetit libertas: arbitremini Majorum Veſtrorum ingentem zelum, reſolutumq; animum; ùt illi diſpendijs vitæ & opum ſuarum integritatem Regni, fidei Sacræ, & libertatum Patriæ propugnârunt; trutinâte, quantum jam felicitatis his inclytis acceſſiſſet Nationibus, ſi ſponte modicum id ſuæ defenſioni impendiſſent, quod hoſtis in perniciem illorum ex ipſiſmet ferro & flammis extorſit. Conſiderate, ut in ſimilibus occaſionibus & calamitatibus, rapiebantur potiùs quàm quærebantur conſilia, & ejuſmodi defenſionis aſſumebantur media: facilè ex hac idea & memoriâ anteactorum boni conſulere, fateriq; cogemini agendorum ad præſens indiſpenſabilem neceſſitatem. Si quid verò lex ſuprema ſalutis Reipub: deberet mori Patriò, quoad declarationem prædictorum ſancitorum; id pacis optatæ beatitudo compenſabit; redibit cum fœnore comitiis, conſilijs, jurisdictionibus & ſingulis Patriæ conſuetudinibus ſuus honor & vigor; quorum integritatem & inviolabilem obſervantiam Nos manutenturos pollicemur: demum ſalva Patria & incolumis Reſpublica omnia ſalvâ præſtat; amiſsâ illâ nemo tutus, non vita, opes, jura, & libertates: Unde uti à DEo omnium ſunt poteſtates; ita ut ſacris illius inſtinctibus ad omne id ſine tædio & faſtidio inclinentur voluntates, ardentiſſimè precamur. Sub hæc Univerſale Noſtrum manu noſtrâ ſubſcriptum & ſigillo roboratum, quò citiùs innoteſcat, per Caſtra, Parochias & loca conſueta publicari mandamus. *A.C.* 1705

Augustus Rex.

CXII.

ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. ALEXANDRO SALLAROLI REGIO MINISTRO 16 Decemb.

Magnum Conſilium Grodnæ tribus ſeptimanis poſt adventum in Poloniam Regium reaſſumptum. Incepit illud Comes Dönhoff Enſifer Regni, tanquam confœderationis Mareſchalcus, cujus activitas nunquam debet ſine laude memorari, publicum lætitiæ exprimendo ſenſum, ex felici S. R. Mtis adventu, & ex præſentia duorum ſiderum In firmamento Poloniæ Caſtoris, & Pollucis optimæ inde formando ſpei auguria afflictæ Reipub. ſupplicando, ut ſua Mtas ſuccurrat rebus Patriæ, & conſulat cunctis. *Conſilium Grodnenſe*

Tandem Procancellarius Regni diſerto, & præparato ſermone exprimebat affectum Regis in ſuum Regnum, quòd ſcilicet per media pericula, & hoſtiles cuneos tranſeundo ad limina Patriæ hujus appulit.

A.C. 1705 Invectus eſt pauliſper contra illos, qui Regi ſunt contrarii, quos retrorſum infatuata pravis opinionibus malitia rapuit, qui cùm habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus, planum deſerunt, & per præcipitiùm labuntur, lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant, non difficile ſanè erit paucorum hominum pravè ſentientiū ſententiam redarguere, & coërcere, actu, & infallibiliter omnipotens mercedem ſceleris exſolvet, quia ut eſt erga plos indulgentiſſimus pater, ſic adverſus impios in Regem & Patriam rectiſſimus, & ſeveriſſimus judex. Propoſitio verò in his terminis facta.

1mo. Quomodo concordes in eodem fine penes Mtem Regiam, & & manutentionem libertatum; in mediis verò diſcrepantes, ad perfectam unionem inducere, præcipuè verò circa combinationem Statûs militaris, juxta prærogativam juriſdictionis Ducum.

2do. Si adhuc adhærentibus Sueticis concedi ulteriùs debet ſpatium ad reſipiſcendum, vel ſi debent reſcindi, ne noceant exemplo, & opere.

3tio. Auctio Exercitûs præcipuè peditatûs pro imminenti expeditione.

4to. Deſtinatio Tribunalis Theſauri propter combinationem, & reductionem exercitûs ſub uniformem obedientiam, quo loco, & tempore id fieri debeat cum deſtinatione Commiſſariorum, in locum illorum, qui vel per malitiam, vel per infortunium contrariæ parti adhærent.

5to. Subſecuto effectu combinationis in Tribunali Theſauri, ſi, & ubi expedit Commiſſionem hybernalem indicere.

6to. Reparatio rei armamentariæ, ſeu Artilleriæ Regni ruinatæ, & proviſio ſubſiſtentiæ præſidio Camenecenſi.

7mo. Pacificatio Tractatûs cum Czaro Moſchoviæ facti, & executio ejus.

Auditus eſt etiam Ablegatus ab Hano Tartarorum, qui ſe offert ad omnem nutum Regis, & Reipublicæ.

Vigeſimâ 7mâ reaſſumpta ſeſſio in Majori frequentia Senatûs, & Equeſtris Ordinis per Mareſchalcum Confœderationis, qui poſtquam cōmemoraſſet prædiorum, ac facultatum à Suecis ſubhaſtationes, à noſtris autem confratribus, ſanctiſſimarum legum profanationes, immunitatum ac privilegiorum, conculcationes modum omnem ſupergreſſas, milite Suecorum ſuperbiſſimo in populum natum ad humanitatis cultum, & mitioribus imperiis aſſuetum promiſcuo ſæviendi libidinem, nunquam fando auditam, nunquam in Annalibus memoriæ proditam, qui magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi, rapiendi, ſpoliandi licentiâ metiuntur, quidquid liberet pro licito judicantes repræſentavit, quòd primarium objectum magni hujus conſilii ſit ratificatio Tractatûs cum Czaro Moſchoviæ, ac proinde neceſſariam negotiationis Tractatûs facti crederet eſſe relationem, pro qua facienda petitus eſt Palatinus Culmenſis, tanquam magnus ad id faciendum Legatus, & Plenipotentiarius, qui in continenti acceptâ voce, exprimendo, quòd ſolennis relatio ob particularitates, & formalitates non poteſt abſolvi, niſi in plena Rep: ut illi juſtificationem dare poſſit, quidquid pro commodo ejus concluſit; nihilominus reſervatâ hâc ſolennitate, puncta Tractatûs valde neceſſarij, & ſalutaris lecta ſunt, poſt quam lectionem idem Palatinus Culmenſis affectum ſincerum Czari demonſtravit, quòd ſcilicet non tantùm concluſo Tractatui ex parte ſatisfecit, mittendo Exercitum ſuum, ſed etiam plura præſtitit, cùm non tantùm duodecim millia per Tractatum con-

cluſa

cluſa Exercitûs ſui nobis dedit, ſed etiam ipſe in perſona ſua cum validiori exercitu adfuit. Gratias pôſt nomine Regio retulit Procancellarius magnas tribuendo laudes legato pro concluſo feliciter tam exoptato opere, commemorando inſimul inſignia ejus in Rempubl: merita. Quia verò nonnulla deſiderantur in executionem dicti Tractatûs, ideo deſtinata eſt conferentia cum Miniſtris Czari. *A.C.* 1705

COPIA LITERARũ AD PONTIFICEM A CAPITULO VARMIENSI. 18. Decemb.

POſt oſcula beatiſſimorum pedum Veſtræ Sanctitatis, noſtriq; humillimam recomendationem. Graviter perſtrinxit Collegium Noſtrum inſperata detentio Rñdmi Præſulis noſtri in ditionib⁹ Saxonicis, eo vel maximè tempore, quo ſub his publicis calamitatibus, exhauſta, & ferè ad incitas redacta Diœceſis Varmienſis, ſui ſe ſperabat Paſtoris Paſtorali cura, quam nunquam ſubtraxit & omiſit, ſollicitudine in his tantis anguſtiis protegi & defendi. Arduum nobis Beatiſſime Pater, anceps, & pro noſtris perſonis Capitularibus admodum periculoſum erat, & hucusq; eſt inter ingentes tempeſtates, unà cum Miniſtris Eccleſiæ Cathedralis, pro continuando Divino cultu inter militares acies, & executiones, incendia pagorum, & incinerationes tandem, Miniſtrorum Epiſcopalium Capitularium abductiones, minasq; captivationis nobismet ipſis ſæpius intentatas, ſub ſola Divini Numinis protectione hucusq; declinatas degere, & commorari; interim dum graviora indies & ſuprema imminent, diſperſionis Incolarum, in partes hæreticas ob extremam inopiam, & ipſius periclitantis religionis incommoda, magis ſecura in arduis expectabamus conſilia à Paſtore animarum noſtrarum, Rñdmo Præſule noſtro, cujus eminens in Regno authoritas, judicium in rebus agendis ſublime, & longo rerum uſu firmata, felix activitas. Hinc eſt Beatiſſime Pater, quòd in tam miti & moleſta noſtra orbitate, & in hoc publico majori, quàm aliàs diſcrimine ſincerè compati, indolere debeamus, & Præſuli & ovili, ſui Præſulis regimine deſtitutis, humillimè ſupplicando, dignetur Sanctitas V, in viſceribus Paternæ charitatis, uti Præſulem huncce noſtrum, ita nosmetipſos clementiſſimè fovere, & afflictiſſimis rebus hujus Diœceſis manum Pontificiam porrigere, DEum precamur, ut Sanctitatem V, militantis Eccleſiæ præſidio, & decori, noſtroq; ſolatio, quàm diutiſſimè incolumem ſervet, cujus ſacras plantas prociduo cultu, & humillima veneratione exoſculamur.

AD CARDINALEM PAULUCCI 5tâ Januarij.

INgraveſcentibus in dies, ſuper nos populumq; Diœceſianum afflictionibus, non leve addidit momentum inopinata in ditionibus Saxoniæ detentio Illuſt: ac Rñdmi Dñi Epiſcopi noſtri, quæ eò nobis eſt ſenſibilior, quò magis & illi conſuetâ Paſtorali ſollicitudine ſalutarique hactenus cura, gregi ſibi à DEo, & Vicariâ ejus in terris poteſtate, concredito ſuccurrere, & nobis pro noſtra populiq; ſalute, cum illo communicare conſilia, planè non eſt integrum; ſi cauſas deſolationis hujus Diœceſis penitius indagemus; alias prorſus nullas reperimus, niſi quòd Præſul noſter in obſequio fideli erga S. R. Mtem immobilis extiterit, rejectis quibusvis propoſitionibus, etiam in rem Diœceſis favorabilibus multifariàm multisq; modis ac vicibus ab adverſa parte interpoſitis. Palàm

*A.C.*1706 Iàm enim ac publicè ante biennium, non tantùm aulæ Sueticæ Miniſtri, ſed etiam illam ſequentes Magnates Poloni firmiter & conſtanter aſſeruerunt, non poſſe Varmiam, niſi per acceſſum Antiſtitis, ab extrema ruina liberari; ſed maluit Illuſt. Epiſcopus noſter ultimam ſui ipſius; ac proventuum ſuorum Epiſcopalium, exinanitionem & ruinam ferre viriliter, & Apoſtolicis Suæ Sanctitatis mandatis, ea quâ par eſt promptitudine parere, quàm iis contraveniendo, partibus Sueticis aſſiſtere. Unde evenit, quòd non ſolùm Diœceſis hæc, partim per funeſtas omnium prædiorum Epiſcopalium, (nullo excepto) & villarum ultra centum incinerationes, partim per immenſas contributiones, & datarias, ad extremam ruinam & abominationem deſolationis devenerit, ſed etiam deducto in ſanguinẽ odio, Illuſtriſſimi Domini, Epiſcopus & Suffraganeus Plocenſis, nec non Palatinus Ravenſis cum numeroſa prole ſua, Germani fratres, Præſulis noſtri, à Patria exules, nec ullam in Polonia commorandi ſecuritatem, ob inſidias Sueticas habentes, in terra aliena ſumptu ſuo, omnibus fortunis & bonis, per incinerationes & depopulationes ad incitas redacti, exuti, hucuſq; degere & morari coguntur. Quod oculis omnium ſubjectum eſt, nec licet commiſſio deſuper à ſua Sanctitate expediretur, erubeſcendum quidquam nobis de aſſertione noſtra ſupereſſet. Implacabili huic Suecorum odio, velut igni oleũ affuderunt publici proceſſus, & edicta Præſulis noſtri, per Diœceſim hanc multiplicatis vicibus publicata, fideliter executioni mandata, ac in hanc uſq; horam (non attentis ex inde provenientibus periculis) ſacroſanctè in tota Diœceſi vigentia, quibus ſeriò, ac diſtrictè mandavit injunxitq;, imo pro ſua Sanctitate, 2do pro Sereniſſimo Rege Auguſto, ſine intermiſſione orationes fieri ad DEum Omnipotentem à Clero & populo univerſo. Unde ſatis patet Illmi Dñi Epiſcopi Noſtri, circa ſuam Sanctitatem inconcuſſa obedientia, erga Sereniſſimum verò Regem Poloniæ, integra, nec ulla viciſſitudine alterata fides. Sed nondum tribulationis noſtræ finis, graviora in dies diſperſionis incolarum in vicinas partes hæreticas, cum evidenti periculo perverſionis incommoda. Poſt Miniſtrorum Epiſcopalium, & Capitularium realem à Suecis captivationem, nobiſmetipſis, qui hucuſq; inter ingentes tempeſtates, ſub ſola Dei protectione, ex Paſtoralis Præſulis noſtri animatione pro continuando Divino cultu, circa Eccleſiam Cathedralem commorabamur, minæ captivationis intentantur, nec nobis præſtò eſt animarum noſtrarum Paſtor, à quo, in tam arduis & ſolitò periculoſioribus conjuncturis conſilium capere poſſimus; quibus hactenus ante Saxonicam detentionem & nos in Miniſterio Eccleſiæ, & incolæ circa Religionem & poſſeſſiones ſuas, ſecurè manutenebantur, & res omnes, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſuo curſu & ordine ritè procedebant. Hinc eſt, quòd in hac funeſta noſtra orbitate, majoriq; quàm antea diſcrimine conſtituti, Beatiſſimis pedibus ſuæ Stis, advolvamur pro reddendo nobis oviliq; ſuo paſtore, cujus eximia in Regno authoritas, & feliciſſima in rebus agendis activitas, deſperatiſſimis noſtris ac Diœceſis hujus unicè potis eſt ſuccurrere rebus. Quod ut pro gloria Dei, communi noſtro & populi Diœceſani ſolatio, melius ac opportunius ſuccedat, Eminentiæ Vræ innatam, & toto orbe celeberrimam benignitatem, profundiſſimo cultu invocamus, ſupplicamusq; confidenter, quatenus Eminentia Vra congeſtam compendioſè in hoc folium, ac veriſſimam afflictionem noſtram populiq; Diœceſani, ad diſperſionem ob extremam inopiam inclinati calamitatem, in paternum ſuæ Sanctitatis ſinum deponere,

ponere ac efficaciter cooperari dignetur, quatenus paſtor ſuo ovili reſtituatur, & ovile ſine paſtore, à diſperſione in partes hæreticas arceatur; tot animarum pretioſo Chriſti ſangvine redemptarum aſſerta, conſervataque ſalus, cedet Eminentiæ Vræ in univerſum æternæ ſalutis præmium, & perennaturam magni ſui nominis gloriam. Cæterum ſimbriam ſacræ purpuræ Eminentiæ Vræ, ſubmiſſiſſimâ veneratione exoſculantes manemus. *A.C.*1706

LUDOVICO ZALUSKI EPISC. PLOC. FRATRI SUO 12 Jan.

TAnquam aqua frigida animæ ſitienti, & nuntius bonus de terra longinqua, ſic literæ tuæ eò jucundiores, quò minùs expectatæ annunciantes bonum, prædicantes ſalutem, tantùm gratanter acceptæ, quantùm optabantur, ex quarum principio plus ſpei capio, quàm crediditſem, cùm de ſtatu veſtro me non vultis ignorare, ſed eum notũ mihi facitis. Auferet omnia oblivio ſi poterit, ſi non, utcunq; ſemper ſilentium teget. Jam non memini preſſuræ præ gaudio, & oblivisci faciet me Dñus omnium, ſi vera erunt, quæ promittis, & ſi quæ nunc ſunt verba, erunt opera. Memini, & adhuc mihi memoria recentium rerum adeſt, quomodo indignatio Regis tanquam nuncius mortis, nunc dum inveniſſe te eum ſignificas iratum, ſed reliquiſſe placatum, ut ille qui adverſis tempeſtatibus actus, trajecto infeſti maris æſtu, portu gaudet tanquam fidiſſimo vitæ ſinu, ſic & ego, qui de hujus lampadis claritate lucere me etiam agnoſco, poſt tot moleſtias erigor, quem ſortis meæ adverſa preſſerunt. Quid non timendum felicibus? quid ſperandum infelicibus?

Quamvis verò nunquam ego ullis rebus toties ſecundis, & adverſis modò ex proſpero ſucceſſu triſtem, modò ex afflicto ſtatu lætũ mutavi animum, gaudium nihilominus ſi non plenum, perfectius certè fuiſſes, ſi expreſſius ſcripſiſſes, ſceleſtam falſitatem à conſortio veritatis rejectam, nam cuncta turbantur, integritas cum fraudibus miſceatur, & ad illuſionem juſtitiæ, vel ſi ita vis clementiæ fraudum compendia juvant, & conſueto infelicitatis eventu fit dedecus proprium, ſcelus alienum. Si cognoſcere cauſam bonus Rex permiſſus fuiſſet, ignoſcere potuiſſet, poſtquam ejus impleta eſt voluntas & ſi recordatus fuiſſet, ſic me juſſa ejus peregiſſe, ut nullus unquam moraretur dilationibus imperata.

Acceſſiſſe te propiùs, doloris cauſas inquiſiviſſe, & manu quod ajunt, ulcus tetigiſſe dicis, indicata quædam, & forſitan non fruſtra fuiſſe, & tamen non ſcribis, an obſcuris dolis effectum Regia ſuſtulit authoritas? nam aliter quomodo poterunt maculoſæ notæ vitiatæ abſtergi opinionis? quomodo omnia detrimenta nobis ſarcientur, quibus incompetenter damna facta? ſpem ergo affers, ſed & metum intendis, ne eo fluxu, quo fluxêre res, fluant adhuc, & ne ſolo oſtentatorio, aut nudo promiſſorio hæc finiantur.

Si reſpondere oportebit ad aliqua quæſita, ſcias me interrogationibus tuis, non ad famam, ſed ad verum heriliter, non ſerviliter, nec ut quidam fortè arbitrantur, qui turbato rerum ſtatu compendia faciunt, reſponſurum, cedere poſſum, à vero, & recto flecti non poſſum, & cum omnia mihi adverſa fortuna eripuerit, ſolam reliquit cauſæ æquitatem.

Poſt edita animi conſtantis, fideique indubitatæ facinora, nihil faciam,

A.C. 1706 ciam, quod me non ſit dignum. Gratanter implebo, quod ille (modò ſit honeſtum) pro me conſtituet, cujus reverentiâ ita conſtringor, ut ſine dubitatione fiat, quod illum decreviſſe cognoſcam, faciamque quod jubet Dominus meus. Ac proinde canticum quod me cantare jubes, quamdiu in terra aliena ero, non cantabo, & ſi ſententiam non attuleris, à qua non debeam & ipſe appellare, mutabitur cythara noſtra in luctum, quanquam non tantùm credo, ſed nec dubitare debeo, quidquid à vobis factum eſt, factum eſſe pro me. Illud tamen ſolummodò perfectum dicitur, quod de voluntate ſimul, & actione laudatur. Non contriſtabit autem juſtum quidquid acciderit ei, ſæva urgent inexpertos, ridebo ego, & in opprobriis non loquar, non reſpondebo, ſi non exaudiar, in die tribulationis meæ, feram, patiar, nec movebor, quanquam deſideriis abnegatis, vulnus geminetur afflictis.

Promittis te curſore velociùs venturum, & facilè adducor ut credam, quòd uteris propriâ velocitate, ſed nihilominus adjuvat etiam, qui currere hortatur, gratam certè rem facies, ſpes quæ differtur, affligit animam, & meliùs eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias. Nihil novi eſt apud me, de illis quorum unus judicio ſuo eruditiſſimus, & meo non ineruditus, qui privatas ſpes agitans ſinè publica cura capto ſemel in ſuſpicionem animo, omnia ſecus interpretari ſolet. Nónne ab iſtis damnum omne venit, quod nobis adeſt, & quod adeſſe poterit? expectabam ego ea ſemper, quæ nunc experior, & mala flere vetera oculis nolo novis. Si facultatem ſibi deeſſe dicunt, non voluntatem, nolle in cauſa eſt, non poſſe prætendi credas. Amicitias illi ambiunt dejecti, aſpernantur erecti. Nocentiùs quidem hoc vulnus eſt, quia propius cordi, illata mihi per eos diſpendia, quos deceret potiùs præſtare juvamina, & licet falſitates, fraudeſq; dies aperiet, damna tamen ante dabunt, ſicut jam ſequentia declarant præcedentia, nihil timentem in præcipitia, & fraudem impulerunt, quam veritas citra controverſiam detegere, & quidquid pravâ interpretatione obſcuratur, mendacij nube revelari poterit.

Sed non moror hos, qui DEUM nec curant, nec colunt, qui nunquam jactantiùs fidem ſuam obligant, quàm dum maximè violant, quorum dicta veritati nunquam conveniunt, quos nemo cavet, etiamſi caviſſe ratus, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, qui ſemper ægri aliquid in Republica volunt ut ſit, ad cujus curationem adhibeantur, adeo protervè, & petulanter dominantes, ut non aliam felicitatem ſuam, quàm in oppreſſionibns, & ſervitute multorum collocatam eſſe putent. Jactari nos illi deſiderabunt ſemper, tanquam in vaſtiſſimo mari quaſſatam navim mox ab infeſto gurgite devorandam. Sed DEus ultionum Dominus præclara magnitudinis ſuæ ope liberabit, & ipſi nos mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Propera ergo frater, & iterum dico propera, ut celeriùs reſtituar vobis, & noſtra anhela deſideria ab expectatione, & angore tandem conquieſcant, quia non potero æſtimare jucundum, quòd ingratâ fuerit dilatione ſuſpenſum.

PALATINO MARIÆBURGENSI. 16. Januarij.

HÆret adhuc in corde meo ea conſolatio, quam ſuaviſſimi tui impreſſerunt characteres; Tibi me virtus tua fecit amicum, & hæc ad id, à quo prohibitus ſum uſq; adhuc, ducit, ut fortunæ meæ

ex

ex profeſſo mihi infeſtæ hocce dem levamen, paucis verbis, quæ *A.C.* 1706
etiam in incertum ſcribo, non ut meam accuſem infelicitatem; quia adverſitas mea in querelis nullum invenit levamentum, & manet adhuc integer animus, ſupereſtq́, cùm omnia deſint; quia hic afflictione major omnes tribulationes cum gaudio ſuſtinet. Et jam extra deſideria poſitus mea me virtute involvens tacitam ducam vitam. Scripſi iis, qui rerum potiuntur, aliisq́ plures literas, à quibus, ſi non affectum, ſaltẽ Chriſtianam expectare potui charitatem, ſed rariùs reſponſo dignantur, & ſic ea ampliùs non appello Numina nunquam reſponſura; totam conſolationem in DEo, quia juſtus & miſericors eſt, repono, & te, quem omnes ſupergreſſum inveni, paucis his verbis compello, in teſtimoniũ inextingvibilis meæ gratitudinis rogans te, ut literas has remittas, quæ ſimpliciter pro ſublevandis neceſſitatibus meis mittuntur, quia jam deficere incipit mare noſtrum; Et, ſi non ſuccurreretur mihi, cùm literæ meæ intercipiantur, grave mihi eſſet; Scis quàm hic carè vivitur, & quæ charitas?

Dñus Baro Schenck ſenior monſtravit mihi literas, in quibus ſit aliqua ſpes, quaſi Fratres mei in favorem meum aliquid obtinere debuiſſent; ſed ego in his Thomas; non ſemper feſtiva ſunt, quæ feſtina. Poteſt aliqua umbra bonæ ſpei apparere, & pòſt alia difficultas orietur ex condicto. Servi accuſabunt, calumniabuntur in occulto, & credetur. Hoc iniquiſſimum & legibus vetitum, tamen illi admittent, cum juſta & magna indignatione eorum, qui Patrias amant libertates, & mea de die in diem protrahetur libertas, cùm interim hodie ſunt 17 hebdomadæ, in domo conſumor, quia liberiori aëri aſſuetus coarctor, & ſedentaria vita minuit vitam. Sed fiat voluntas DEi; in memoriam mihi reduco Vigilium Papam, qui in ſimilibus dicere ſolebat: Si digna pro peccatis pœna irrogaretur, etiam majora mereor.

CASTELLANO CRACOVIENSI 18 Januarij.

Video ex tuis ultimis, gaudeoq́ gaudio magno ſanum te Grodnâ abiiſſe corpore, quanquam animum, plùs quàm ſatis ægrum, propter id lego, & ex toto corde doleo, quòd non ſolùm dignitatem tuam ulterius diminutam, ſed etiam calamitatem queraris auctam ab iis, quos habere ſenſum, rationem, judicium nemo ſentiet, niſi qui ſenſum omnem ejuravit.

Quis miretur canes latrare, & porcos cæno, & ſordibus delectari? Quid non audent dicere, qui peſſima faciunt? Quæ gloria ergo collidi cum talibus? ceſſiſſe præſtat, quàm inceſſiſſe, ſatiùs eſt apparari, quàm commoveri, nam ſi viceris, ſine macula non potes, tam maculatos. Miror & ego interritam eorum mentiendi fiduciam, qui amant langvores ſuos, & credunt quòd ſanitatem habeant, cùm ægrotare ſe neſciunt, ſed ſi non favent, imò obſtrepunt, damnemus improbos, non odio habeamus, ſi optimè à te facta ſiniſtris interpretationibus volvunt, & revolvunt, virtutis fermè, ac magnitudinis ſignum eſt, talibus diſplicere, ac contemni à non laudatis laus, adeoq́ non te lædant inania hæc ſermunculorum, imò rideas ea, ut ego ſæpiùs facio, & utere iis potiùs ad ſegetem, & materiam gloriæ. Spernenda hæc, & ut gratiæ, ſic & offenſæ ſimultates, odia flocci pendenda, ſolaq́ recti conſcientiâ fretus franges facile contemnendo leves iſtos levium hominum ſuſurros, rumuſculos, minas, omnia hæc ut à ſcopulo fluctus elidentur, dum te eum

debere

A.C.1706 debere eſſe credes, quē nec falſus honor juvat, nec mendax infamia terret.

Odi & ego pariter tecum genus illud hominum, linguâ factiosū, vana opera, ſubleſtâ fide, ſed conſuetudinis magna vis eſt diuturnâ perpeſſio malorum, & illud mihi frequentiùs in memoriam redigo præceptum, condona proximo tuo, & tum deprecante te peccata tua diſſolventur, bene ſciens à contumelia ultionem non differre, niſi ordine, qui dolorem regerit excuſatiùs tantùm ſed tamen peccat. Nulla afflictionis invenio remedia efficaciora, nulla contumacis doloris fomenta certiora, nullum præſentius ſolamen, quàm futuri ſpem temporis, quæ omnia moleſtiarum quæcunq; occurrunt lenire debet, aut ſuperare. Ille verò patiens eſt, qui & adverſis non conteritur, quia ſpecie ſuæ rectitudinis non curvatur, credens ſemper, quòd contumeliis gratia magis, quàm ira debeatur. Quorum interventu DEO judice pœna futuri ſæculi gravior declinari poſſe confiditur, nullus eſt homo, cui non det mala multa Dominus. Inſuper quis eſt tam durus, tam ferreus qui dicat, nunc ſi malè eſt, ita & olim erit? hæc vera patientia eſt, omnia mala æquanimiter perpeti, contra eum quoq;, qui mala irrogat, nullo dolore moveri. Ridemus illos, qui ſuccenſent Jovi, non modò ſi non pluit, ſed etiam ſi ſeriùs, quaſi Reges boni non ſint muneris Divini, mali pœnæ populi. An neſcis, quòd Princeps qui aliquando audit mendaciū, ſi non omnes, multos certè, & præcipuos habet impios Miniſtros. Grave eſt quidem videre, quòd malum conſilium cupidè accipiatur, & arreptum ſemel, cupidiùs ad executionem deducatur, multa alia meliora irrita cadunt, errant porrò conſilia noſtra, quia non habent quo dirigantur, ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt, & ſæpè in multos neceſſe eſt, ut labatur errores. Graves ſunt illi famæ Veſpillones, ſed ut nulla ſinè umbra lux, ita nulla virtus ſine aliqua calumnia, aut livoris nebula. Nemo tam timidus offenſarum, qui in illas etiam cum vitet non incidat. Et ſi illa tibi accidiſſe ab eo, & propterea graviora eſſe dicis, à quo minimè ſperabas, & quòd tibi plus illuſum fuerit, ego autem dico, quòd quæcunq; fortuna, vel caſus exceperit, æquo animo ferendum, nulla eſt patientia, quam non reparabili damno longinquitas temporis conterat, penitus conſumat, & aliquando non compenſet.

Res eſt plena fiduciæ brevi id corrigendum, cùm præſertim ſciam *Mart. Chomentowski.* Palatinum Maſoviæ illi Commiſſioni præfuturum, virum rectæ, & incorruptæ fidei, omni exceptione majorem, & ad communem deſiderij expletionem, pro exvinculatione militis, & liberandi ab ulterioribus filij ſui turbis inclinatiſſimum. Nihil ſcio pro certo, faciet libentiùs, qui conſiliis malevolorum nec accedere, nec rapi ſolet, imò audivi toties ab eodem, ſtultos vocari eos, qui amiſſâ Republ: piſcinas ſuas fore ſalvas ſperare audent. Credo igitur firmiter, quòd Luceoriæ finientur iſta, modò ſufferentes vos invicem, & condonantes vobis mutuò, eandem voluntatem omnes & ad pacis, ac tranquillitatis ſtudium parem propenſionem habeatis, quod ut approbante DEO, quò nihil abnuente perficitur, feliciter fiat, ex animo opto, eoq; nomine boni publici motus amore, aliis, ſed præcipuè fratri meo ſcribo, *Hieronymo Zaluski Caſtellano Ravenſis* quem in corpore Commiſſariorum lego, ut omni conatu ad concordiam contribuat, quo fortiores ad repellendos hoſtium Patriæ inveniamur conatus.

Meritò verò ingratitudinis eſſem poſtulandus, ſi ad quæſtionem, quam ex affectu de meo ſtatu facis, cum debita gratiarum actione non reſponderem breviter. Completa eſt contra me iniquitas Sion. Apprehenderunt

henderunt pariter inimici mei mendacium, & noluerunt reverti, & ego, non tantùm patiens, ſed etiam volens placidam ducam per tempora vitam ambitione procul, nec ſero viſcera morſu corripit invidia ex vicinis rebus opimis, nec rapit ex oculis ſomnos ferus ardor habendi. Utinam & ulteriùs hanc patientiæ gratiam à Deo habeam, & ut rebus humanis fluxis, & caducis valere juſſis, totâ illum mente complecti poſſim, nam abundè mihi eſſent omnia cum illo. Vivo interim lætus & cum in humanis auxiliis nihil jam ferè ſit auxilii relictum, à DEO omnia expecto.

EIDEM PALATINO MARIÆBURGENSI 17 April.

JAM ſecundus venit Tabellarius, & à te nihil literarum, & conſequenter pro me nihil ſolatii: ſed patiens homini cor fata dederunt. Ego interim ſolitâ veneratione eo in conſpectum tuum, nuntiando, quòd rigidus Theatinus, qui mihi pro Guardiano poſt diſceſſum Patris Votta deſignatus, volendo fortè cruciatibus meis aliquod levamen adferre, videndo, quòd nullus ſimilem pingere ærumnam poſſet color, nulla ſignare verba, dixit mihi habuiſſe ſe à Nuntio aliquod ſolatiũ, & quòd non inanis ſpes monſtratur ac fiducia promptæ meæ & celeris hinc translationis. Et quamvis toties ſpe deceptus, & fruſtratus firmam non adhibeo fidem, inſcius, quem mihi finem deſtinet rector DEus, tamen id tibi cõmunico, nam te non ingratè acceptaturum ſcio. Non poſſum verò pro ſolita confidentia & hoc celare, quòd quamvis votiva hæc libertas mihi eſſe debet, tamen non ſine angore, ſi ad id res inclinabit, deſerere hanc ſolitudinem potero, ad quam ita aſſuevi, ut etiam viſitationes amicorum ſint mihi graviores, dum ad reddendas illas quempiam Chriſtiana charitas excitat. Si DEus permitteret angulum aliquem domeſticum & quietum non tantùm in omnibus actis, ſed etiam in metrica Regni omnium honorum, omnis ſpei, & transfuſionem & abrenuntiationem libenter facerem. Et hoc ita eſt certum, quàm illud infallibile, quòd ſim &c.

P. S. Dum hanc finio, venerunt tuæ deſideratiſſimæ, in quibus deſideras, ut tibi confœderationis Tiſſovicenſis copiam, quæ toties in Polonia nominatur, mittam, libens id facio, addendo etiam legationem illo tempore ad Joannem Caſimirum Regem inſtitutam, ut monſtrem, quâ alacritate mandata tua exequar &c.

CONFOEDERATIO ET VINCULUM GENERALE TAM Exercitûs, quàm Equeſtris ordinis in calamitoſo Reipubl. Statu unanimiter conſtitutum Tyſzowicis 29 Decembris. 1655

NON miretur orbis, nec ullus exiſtimet virtutem Polonæ gentis blandis fœdifragi Dñi victam pollicationibus, à legitimo, quem nobis ipſi liberis vocibus elegimus, Principe feciſſe aliquando ſeceſſionem: verum eſt, utrumq; ſtatum tam R. Mtem, quàm Equeſtrẽ Ordinem eo iniquioribus adactos fatis; ut undiq; ingruentibus conjuratis hoſtium diverſorum in exitium Reipub. copiis, R. Majeſtati dilectã vitare Patriã, Equeſtri autem Ordini & Palatinatibus pro protectore Regem Sueciæ agnoſcere neceſſum fuerit; cui ut juxta obligationes noſtraſq; manûs ſubſcriptiones inviolatâ reſpondeamus fide, jam condeceret: at dum intuemur, qualiter nullo à nobis dato belli initio & occaſione, poſt-

A.C. 1706 habitis pactis olim à glorioſæ memoriæ Rege Vladislao Stundorffi, cum Corona Suetica concluſis, Rempub. aggreſſus eſt, & quamvis tam ab Exercitu, quàm univerſis propè Palatinatibus pro Protectore ſit acceptatus, promiſsâ illis omnimodâ defenſione & Religionis Sanctæ Catholicæ in toto conſervatione; nihilominùs intra tam breve tempus promiſſa invertere & convellere adinventis in contrarium induſtriæ modis obtruſa ea incepit protectio: inſuper idem Rex ditiones & Provincias Regni velut ſigno ad prædam dato Exercitibus ſuis devaſtare, civitates & aulas nobilium expilare, & ad incitas redigere deſuper indulget, Ordinē Equeſtrem alioſq; cujuſq; ſtatûs exactionibus, ſupra poſſe & proventus aggravat, eaſq; nullo prævio Comitiali ſancito de ſuæ ſolummodò voluntatis & libiti arbitrio intra terminos anguſti temporis extradi imperat, munia & judicia tam Eccleſiaſtica, quàm civilia antiquis conſvetudinibus communiq; jure roborata peſſundat, & eorum poteſtatem ad Gubernatores peregrini idiomatis, imperitos juris & moris Patrii transfert, qui inauditâ nec judicatâ causâ Sacerdotes Dñi & nobilitatem compedibus onerant, carceribus includunt, deniq; tyrannicè in illos deſæviunt, & pro ſcopo ſclopetariis exponunt, quodq; acerbius eſt Eccleſiis Dni omni ſplendore & theſauro nudatis, quæſtionibus in clauſtrales exercitis, iiſq; graviſſimis tormentis excruciatis, per reſpectum ut ſicubi argentum Eccleſiæ depoſitum & defoſſum lateret, notitiam per ejuſmodi ſupplicia extorquerent, deniq; etiam compluribus ob eam cauſam per talia pœnarum examina neci datis, conſuetum campanarum pulſum, donec eæ imperatis nullatenùs tolerabilibus ſummis redimantur, inhibet, jamq; etiam Eccleſiam Clari montis, locum non tantum Polono, ſed etiam toti Chriſtiano orbi venerabilem, pietate mortalium & miraculis antiquitùs Auguſtæ cœli latè radiantem, ſimilis prædæ & theſaurorum æterno Numini devotorum cupiditate illectus aliquot millenis militum obſideri & ſacrilegæ manus aggreſſione expugnari demandavit: ut hoc devotionis Catholicæ fortalitio, arceq; Religionis occupata, inquinato ſacerrimo delubro, ulterioribus impoſterùm progreſſibus tantò faciliùs fidei veræ eliminet Profeſſores, in eorumq; locum peregrinos, ut linguis ſic ſectis diverſos, per Regnum ſubſtituat: bona ad vitalitium bene meritis à Regibus juxta jura Reipub. diſtributa, circa quæ conſervaturum ſe poſſeſſorem promiſerat, erepta Eccleſiaſticis ad ſæculares, eoſq; diverſæ Religionis tranſtulit, fraudando ita DEum gloriâ, denudandoq; proviſione Eccleſias & ſervos Dni; Regalia verò aliis donatariis de numero adhærentium ſuorum contulit, nihili penſis privilegiis, declarationeq; propriâ veluti caſſatâ. De renovatione pactorum cum Crymenſi Tartaro concluſorum & juratorum ne cogitat quidem: quinimò tum certiſſimis inimicis noſtris conjungere arma, tum nos tot malis feſſos bello Turcico in ſupremam noſtram perniciem implicare intendit. Quidquid declarationibus ſuis ſive Reip. ſive exercitui devovit & inſtrumētis literariis propriâ ſubſcriptis manu aſſecuravit; totū id in recenti ſtatim ab ejuſmodi cōceſſione revocavit, & prorsùs añihilavit, Eccleſias Dni Clerū & Nobilitatē omnesq; etiam infimæ conditionis homines oppreſſit. Priuſquam igitur tam gravis & impius Dñus dilatet potentiam ſuam, priuſquàm militem gentemq; Polonam acerbo Germanicorum morum ſubjiciat jugo, & Regni Fortalitia in ſuum vindicet ſequeſtrum; jam Sereniſſimo Joanne Caſimiro, quem liberis vocibus in Regem elegimus, nos aſſecurante, quòd pro integritate fidei Catholicæ, Patriæ, Eccleſiarum Dñi, jurium & libertatum noſtrarum nobis aſſiſtere in perſona, Regiumq;

giumq́ caput heroico planè animo devovere, inſuper auxiliaribus copiis ſuccurrere velit, harum rationum intuitu & congenitæ Sarmaticæ genti virtutis, debitæq́ Principibus ſuis fidelitatis ductu, occurrentes ulteriori Eccleſiarum deſolationi, Patriæq́ ſolitudini prænominatum Regem Sueciæ pro protectore recognoſcere non poſſumus: omnia ejus acta & quocunque modo collationes honorum, annihilamus, ipſumq́ cum omnibus, qui illi quocunq́ modo adhærere voluerint, etiamſi cives de corpore Regni fuerint, ſi obſtinati non reſipuerint, pro hoſtib⁹ Reipub. declaramus, & contra eos ceu hoſtes Eccleſiæ, fidei & Patriæ pro fide Sancta Catholica Eccleſiaq́ aſſerendis, tantis injuriis & damnis Reipub. vindicandis, juribus, libertatibus, & prærogativis noſtris reſtituendis, omnes invicem tam exercitum, ſine reſpectu ad ſtipendia non exſoluta, quorum recuperationem ad pacifica tempora Patriæ differimus, quàm Ordinem Equeſtrem non attendendo ad ulla jura præteritis temporibus quocunque modo obtenta, conjunctim & inſeparabiliter, more militari inſurrecturos pollicemur, totoq́ bello conſtanter perſeveraturos, donec pacificetur Patria, promittimus, obligamuſque nos juratâ fide: quòd unus alterum non deſeret, etiam in graviſſimo Reipub. periculo; nec in alienas partes tranſibimus, factiones nullas, nec ſciſſiones vel ſeorſivas actiones, diſmembrationes, abalienationes ab exercitu, pernicioſas vinculo noſtro conferentias, circulos, vel congreſſus privatos attentabimus, ſed uno eodemq́ velle & corde defenſioni Reipub. incumbemus. Quia autem in tanta confuſione Reipub. nonnulli civium Patriæ in partibus Regis Sueciæ exiſtunt, iis omnibus ex certis rationibus tanquam filiis Patriæ fraternam promittimus amniſtiam, eâ conditione; ut mox ab accepta notitia de confœderatione noſtra, priuſquam ad prælium cum hoſte deventum fuerit, eidem adjungantur vinculo, unaque nobiſcum hoc hæreditarium gloriæ divinæ Regnum tueantur. Aliàs contumacium bona judicio Ducum & Commiſſariorum noſtrorum ſubjacebunt. Præterea omnibus jure convictis, adeoque locum ſtandi non habentibus, ſpecialiter omnibus alterius ab Equeſtri Ordine ſtatûs etiam extraneis, non tantùm bene merendi in Repub. campum, aperimus; ſed etiam occaſionem oſtendimus, & repræſentamus invitamuſq́, ut ad Nobilitares progreſſus (prout quiſque poteſt) vinculum noſtrum, beneque merendum de Repub. accedat. Ut verò eò feliciùs ſecuritati Reipub. provideatur, tantoq́ ſolidiùs bono publico conſulatur, decernimus, ut præter Stanislaum Potocki Palatinum & Generalem Kijowienſem, Ducem Supremum Exercituum & cæteros (enumerantur hic nomina Conſiliariorum) quilibet Palatinatus unum de gremio ſuo pluralitate vocum eligat; qui ubi literas patentes ſuper legitima electione exhibuerit, prævio juramento ſubſellium Palatinatûs ſui in conſilio occupabit: prout jam aliqui Palatinatus ejuſmodi Comiſſarios elegerunt, dando omnem poteſtatem Ducib⁹ cum adminiculo & conſilio Comiſſariorũ (qui ſemper vocandi erunt ad conſeſſum, nec quidquam ſine illis concludendum præviiſq́ votis illorum) cunctos exorbitantes juriq́ communi & huic vinculo non parentes, necnon quomodocunque exceſſivos definitivè judicandi, præterea omnibus periculis Reipub. occurrendi, ſimultaneeque de illis conſilia habendi, legationes expediendi & ſuſcipiendi, confidentiam cum Principibus exteris ineundi, conjunctiones armorum declarandi, pacta fœdera concludendi, pecunias ad uſum publicum contrahendi, omnibus Reipub. neceſſitatibus proſpiciendi, & quidquid in rem & bonum Reipub. ac *A.C.* 1706

A.C. 1706 conſervaţionem moderni ſtatûs proficuum foret, faciendi & exequendi: quorum actorum ſuorum non niſi ſoli DEO redditurî ſunt rationē. Attendendum in conſilio erit, ut quicunque Ducum in his bonum publicum concernentibus conſiliis, præſederit; geminæ illi voces ac ſi uterque adeſſet, adſcribantur, & cuncta conſilia pluralitate ſententiarum non obſtante quorundam abſentiâ definiantur, non præjudicando interim dignitati Ducum, quo ad uſum poteſtatis in progreſſibus bellicis. Ut verò hæc conſilia & negotia Reipub. quàm perfectiſſimè & juſtiſſimè peragantur, & hoc ſanctum vinculum tantò efficaciùs ſit: juramentis ad aram in Eccleſia exſolutis juxta præſcriptam normam roboramus.

JURAMENTUM DUCUM.

E GO *NN. juro DEO Omnipotenti uni in Trinitate, quòd debito muneris mei & obligationi mihi ab Exercitu & concivibus Regni in hac Confœderatione impoſita pro poſſe meo ſatisfaciam, & ad quidquid ex vi officij mei teneor, ſecundùm DEUM conſcientiam & jus commune exequar, nullo reſpectu ducar, nec rationem commodi privatorumq; meorum habebo, aut de illis tractabo: ſed omnia tam in temporalibus Reipub: cauſis quàm bellicis ad bonum publicum dirigam, arcana tam judicialia quàm etiam conſiliorum nemini revelabo. Sic me DEUS adjuvet &c.*

JURAMENTUM COMMISSARIORUM.

J*uramus DEO Omnipotenti uni in Trinitate, quòd impoſita nobis in hac Confœderatione ab Exercitu & conciuibus Regni obligationi ſatisfaciemus, & pro poſſe debitum noſtrum explebimus in conſilio & prolatione ſententiæ noſtræ, quam edemus ſecundùm DEUM, conſcientiam & jus commune, nulla commoda aut privata propria reſpiciendo, nec in judicijs amicitiam vel inimicitiam, aut munera & promiſſa attendendo, factiones nullas attentabimus, ſed merè tam in judiciis, quàm aliis negotiis Reipub: bonum publicum præ oculis habebimus, in omnibꝰ arbitrium & ductū conſcientiæ ſequendo. Nulla ſiue judiciorum ſiue conſiliorum arcana reuelabimus. Sic nos DEUS adjuuet &c.*

JURAMENTUM EXERCITUS ET CONCIVIUM.

Juramus DEO ſecundum obligationem cum Exercitu noſtro & Commiſſariis &c.

J*AM ergò in Nomine Domini vigore hujus Generalis & Sacrati initi vinculi, ad arma omnibus conclamandum ideoque communem motum decernimus, ac univerſalia jam ante edita confirmantes, hoc adhuc addimus: ut omnes eo modo, qui ultimis univerſalibus declaratus fuerit, præſtituto tempore ad deſignatum locum conveniant, ſub pœna executionis tam in perſonas, quàm bona inobedientium vinculo noſtro decernendæ, quàm efficaciſſimè, prout Ducibus & Commiſſariis noſtris videbitur: etiamſi in*

in bona & perſonas integra vexilla immittere oportuerit, ne maximis quidem ab hac pœna exemptis. Quia verò ex quibuſdam Palatinatibus & terris Regni ob manifeſta pericula Deputati non potuerunt adeſſe, fraternè id accepimus, invitanteſq; illos aſſecuramus, quàm primùm advenerint, in gremium & conſortium noſtri vinculi prævius juramentis recipiendos. Interea in hoc conſilio noſtro ſanctæ benedixit concordiæ vinculo & intentionibus DEUS intimando; qualiter Dux & Exercitus complureſq; concivium M. D. L. animos & vires ſuas nobis adjungere parati ſint; unde tantò promptiùs nobis feſtinandum eſt, & viciſſim alacritas & animus vireſq; noſtræ prædictis ceu ejuſdem communis parentis Patriæ filiis & fratribus noſtris repræſentandæ. Ducibus & Commiſſariis facultatem & poteſtatem conferendi & conſulendi ulteriùs conferimus. Hoc igitur noſtrum ſancitum & glorioſum vinculum ſub obligatione juramenti expleti, & amiſſione honoris, vitæ, & bonorum, quæ omnia executioni Ducum & Commiſſariorum ſubjicimus, nos manu tenturos in quovis & minimo puncto pollicemur, & ad meliorem fidem, valorem & pondus ad ſubſcriptiones Ducum & Commiſſariorum, quidam per Deputatos à vexillis, & Palatinatibus, quidam ipſimet noſtra nomina ſubſcripta manu propria adjicimus. Actum Tyſowicis anno ut ſupra. A.C. 1706

INSTRUCTIO DATA LEGATIS EXERCITUS AD JOANNEM CASIMIRUM REGEM.

SAcris Majorum Noſtrorum, tanquam non degeneres Patriæ noſtræ filii prementes veſtigia, qui ſemper glorioſam mortem ignominioſæ præoptarunt vitæ, malueruntque non vivere quàm labe perfidiæ in Principes ſuos aſperſam in publicam efferre frontem. Didicerunt id experientiâ feliciter nobis Dominantes Mtes; quæ in cujusvis ſinu ſecuram capere quietem poterant. Impræſentiarum quidem graviter indoluimus; quòd forſan ſiniſtra fata Reipub. aliam nobis inſtillâſſent mentem; dum Mtem exulare Patriâ coegerant, cujus deſperato reditu ad id deventum eſt, ut alterius Patrocinium nobis accerſendum putaremus: verùm quàm primum fama detulit feliciter reducem ab exteris Principem noſtris appropinquare partibus, ceu corde reddito corpori noſtro vigor & animus rediit, jamq; recurrimus ad Dominum ſubditi, militarem ſubjectionem & faventem affectum Mti conteſtantes noſtriſque commendantes Legatis, ùt præmiſſâ optimæ valetudinis & proſperrimorum ſucceſſuum apprecatione de conſtanti Exercitûs fide & obſequio Mtem edoceant & luculentum vinculi noſtri, quod eo duntaxat fine coaluit, ut Mtem Regiam, jura, & libertates noſtras ad vitæ & ſangvinis profuſionem defenderemus, deferant teſtimonium, idq; perſuadeant nos non paſſuros deſiderari operam noſtram, nec tam verbis

A.C.1706 quàm re ipſa probaturos: generoſos ſpiritus ipſamque vitam bono publico & Mti immolare, hoſtesque noſtros omnimodè perſequi voluiſſe.

Et quia tota ſpes noſtra ſecundùm DEum à Regia pendet Mte, commendamus Legatis noſtris, ut Mti, cujus vitæ & integritati defendendæ vitam noſtram devovemus, inſinuenr, quatenus olim meminiſſe velit meritorum noſtrorum ſangvinis diſpendio partorum, ubi fortunantè DEO feliciter pacificata Repub. in thronum Regni reſtitutus fuerit, petentque ut ſuper hoc aſſecurationem Principis & præſentium ad latus Senatorum nobis habere liceat, præterita, præſentia, & futura Deo dante deſervita ſtipendia minimè deſideranda fore. Quo ad hoc punctum feriò Legati noſtri laborabunt.

Præterea impenſè Legati noſtri contendent, ut quemadmodū nos promptiſſimam noſtram voluntatem & vires Regiæ Mti declaramus, ita aliquam gratitudinem ab eadem nobis referre contingat. Sentimus quoad id de Domino in bonitate, nec dubitamus; quòd intuitu præſentium damnorum, laborum, & calamitatum, quas in abundanti ſupra ſolitum perferimus, dignabitur nos fidèles ſuos ſubditos certâ hic & nunc delinire ſibiq; obligare ſummâ, eâ ad minimum, quæ reparando apparatui bellico, & amiſſis ſociis poſtariis ſufficiat. His commendatis Legatos noſtros obligamus fide, honore & conſcientiâ, ne privatis ſe duci ſinant, ſed fideliter & obſequioſè ceu fratres noſtri nobis hac in parte deſerviant. Datum Tyſowicis 30ma Decemb. Anno 1655.

EIDEM PALATINO MARIÆBURGENSI. Venetijs 7. Maji.

HUjusmodi tempora noſtra ſunt, ut nec à te literas expectare, nec ipſe ad te ſcribere poſſim. Non potui tibi ſcribere, niſi breviſſimas per totum itineris mei tempus. Lacedemon ſervire jubebatur, Athenæ tacere, ad oculum enim, ut ajunt ſerviebant mihi, qui conducendi me curam habebant, & patientiam tenore tolerantiæ ſervare debebam. Reaſſumo ergo curſum ab eo die, quo finivi, neque vereor, ne mihi verba non ſuppetant, ut res, tempusq; poſtulat, nam luſciniolæ, ut eſt in proverbio, cantio deeſſe non poteſt.

18vâ Aprilis accingebam me itineri, quanquam ſtragula ſemper convoluta habebam, nihil horum timens, quæ paſſurus eram.

Scripſi ante abitum Regi Sereniſſimo, quòd obedio in omnibus, & teſtimonium obedientiæ meæ, quæ vadit quò ducitur, non quò deberet, præſtabunt mihi illi, qui me neſcio ipſe quò? ducunt, & cum infelicitas mea ab actuali me Mtis ſuæ alienaverit obſequio, precabor ſemper in locis ſacris DEum pro omni proſperitate ſuæ Mtis, & patebit mihi in cœlum reditus, ſi in Patriam non dabitur. Non vitium noſtrum, ſed virtus noſtra nos afflixit, peccatum eſt nullum, niſi quòd non unà animam cum ornamentis amiſimus. Libenter verò exilium hoc, quod nulla cum utilitate vel ſuâ vel publicâ conjunctum feram, ibo cum ſumma ſatisfactione ad eum judicem, qui vel me abſolvet innocuum, vel damnabit accuſatum, & ſi turbidiſſima patienter ferebam, tranquilliora

lætè

læte feram. Precatus ad finem ſum, & ſincerè vitam inoffenſam, fortunam proſperam. Et tandem poſt ſeptem Menſes exilii, & carceris mei expletos; à Septembri enim præterito in hunc uſque diem afflictio mihi perpetuus comes fuit, uſuſque familiaris facta permanſit. *A.C.* 1706

19. Aprilis horâ tertiâ poſt prandium, excuſſo pulvere de pedibus meis tanquam fugiens incendium, nec retroſpiciens, nè fortè in ſalis ſtatuam obdurarer, movi Dreſdâ. In Suburbio cum quanto dolore meo, non libet meminiſſe, & piget dicere, juncti ſunt mecum ſex Officiales, qui me ſemper ſequebantur (ô proviſa majorum!) primâ nocte dati ſunt mihi cuſtodes ad portam, qui nec exire camerarium meum permiſerunt, ſed aliis ſequentibus remoti. Faciebant deniq; illi quæcunq; voluerunt. O quàm acres habet dolorũ aculeos contumelia, quam inferiores imponunt? primâ nocte fui Treimburgi, ubi ſepulchra ſunt Electorũ Saxoniæ, ſed hæc non me permiſerunt videre, pòſt per Kemnicium, Cuikau, Ruchembauk, pòſt per Bareit, indè dum exivimus, Capellan⁹ meus cum curru cadens pedem ſibi luxavit. Cracen Slithium, Aremberk, quam civitatem ante duos annos Imperiales è manibus Bavarorum vi acceperunt, venimus Ratiſbonam, ubi ex conſilio Patris Theatini reliqui meum Capellanum dato mandato, & neceſſario ad iter conficiendum ſupplemento, ſcripſi & per eundem, & per poſtam tibi, ſed tantùm ut in itinere breves eſſe debent, & ſolent epiſtolæ, tria verba, quòd ſcilicet benè valeam.

In craſtino autem Dominus Colonellus *Lege* de cujus ego indole credebam, quòd eſſet admodum generoſa, & aperta, animoque magis Peloponeſio, quàm Athico, ſed ex hac actione, & ex aliis ſubſequentibus cognovi ad res magnas ineptum, ad vanas idoneum, quanquam in eo defectus potiùs virtutis, quàm nequitiæ vitia notavi. Manſerat ille Ratiſbonæ, & in craſtino reduxit mihi Capellanum, allegans, quòd Dnus Comes Vart de quo ego in vita mea nihil audivi, Ablegatus ibi Regis noſtri malè habuerit, quòd ego ablegaverim Capellanum, & per Berolinum tranſire juſſerim, ſtultè objiciens, quæ probare nequibat, nam aperui in præſentia ipſius literas, quas idem ſacerdos habuit ad Dnum Neglein Berolinenſem, ubi nihil aliud erat, niſi ut illi, ſi eo neceſſe habuerit, aliquod ſupplementum det à me reſtituendum. Dixit Capellanus quàm indignè, & perſonam ejus, & honorem meum tractaverit idem Colonellus, ſed hæc cum aliis ferenda. Abiit ergo ille retro verſùs Varmiam, & nos per Lancutum ſatis pulchram civitatem Ardiugẽ, Lamphertin, Roſenbaum, ubi in Eccleſia audire miſſam volui, ſed à Patre Aproſio non erat poſſibile id impetrare. Sceleratis ſol oritur, Pyratis patent maria, mihi Epiſcopo ultimum adverſarum rerum ſolatiũ, clauſa eſt Eccleſia, oſtendebat ſcilicet bonus, & elatus Pater, quid poſſit, & quid velit, id ſolùm putans licere, quod ipſi placeret. Tranſivimus Komſtein locum munitum ſed nunc dirutum ultimo bello, & vix aliquam commoditatem habere potuimus.

29 obviarunt nobis in villa Vorgen vocata, Patres Soc. JESU Pragenſes, per quos Dno Palatino Czerniechovienſi, & tibi tria verba ſcripſi, & hac die Oenipontum venimus, ubi Dnus Colonellus triginta imperiales, pro curriculo dedit, & me quinquaginta ſolvere Pater Aproſius juſſit. Reliqui ibi meum currum, & res aliquas penes Patres Soc. JEſu, & 30 proſequebamur noſtrum iter per Szemberk, Prener, Storcigen, Colman Branſol, Necmæht, & ſanctum Michàëlem, ut vocant Italianum. 3. Maji venimus Tridentum, ubi non diu morati tranſivimus Burgo,

A.C. 1706 Burgo, ubi reduces fugitivos ex ultimo conflictu, quem Galli lucrati ſunt, antequam Princeps Eugenius veniſſet, tranſivimus Pomolom, ubi multos Imperiales reperimus, pòſt Baſſano, ubi vidi fratrem chari noſtri Patris Bellaviti, inde Treviſium, unde Pater Aproſius præceſſit nos, & pòſt ſecuti ſumus, venimuſq; noctu Venetias die quartâ Maji, & diu ſinè hoſpitio manſimus, nullam à Patre noſtro dilectiſſimo habentes notitiam. Miſit Illmus Nuntius in domo ſua omnem commoditatem offerens, ſed me ſummis precibus excuſavi, debuit ergo licentiâ accipi pro more Reipub. illius, ut poſſem ad Patres Theatinos deſcendere, quâ habitâ, horâ undecimâ ante mediam noctem veni cum aliquo bonorum illorum Patrum incommodo ad Monaſterium.

Maneo jam tres dies hic, vidi Illmum Nuntium, qui ſorti meæ compatitur, multa mihi pro itinere miſit ad cibum, & potum. Non potui habere gratiam, quamvis id petebam, videndæ Electricis Bavariæ. Vidi apud Patres Carmelitas dentem S. Thereſſiæ, & data aliqua pro præſenti ſtatu Dnis officialibus, qui me duxerunt gratitudine pecuniariâ, paro iter, jam enim conſuetam navim ad portas Conventûs eſſe audio, plura tibi dum Romæ ero ſcripturus. Interim in voto finio, & te longum vivere, & valere opto.

AMICO CONFIDENTI Anconâ 31 Maji.

QUæris cur veniant literæ meæ tibi tardiores? magis quereris & fortè queſtum audiam, quando non Româ ut tu & ego certò ſperabamus, ſed ex arce Anconenſi has recipies. Miraberis, ut ego ſtupui, ſed quia voluntas Dei talis eſt, minimè his moveor, devorandū ſtrenuè quidquid moleſtiarum ſeſe offert in hoc curſu. Non cogito qui fuerim, ſed qui ſim nunc, aptoque me fortunæ præſentis ad modum. Oblitus ſum omniū, ſcio me eſſe ſervum, non ſum ego, qui fueram, tale ingenium, tales jam ſunt mores mihi. Nónne ille bonus dicendus eſt, qui bene fert mala, & ego præſens habeo antidotum, quo levia mihi fiunt, quæ gravare poſſunt. Credebam, quòd trajectis Syrtibus anchora mihi jacta eſſet. Sed interim video immotus circa me mala omnia, ſic fortuna res humanas agit, arctatq;, ut lubet, hoc mihi unum ex pluribus miſeriis reliquum fuerat malum; ſed tamen finientur hæc cum honore meo, quamvis nunc patiendum eſt. Non hic te carmine longo, neq; per ambages, & longa exordia tenebo.

Die 8va Maji reliquimus Venetias in mariq; ea die ſub Malamoco pernoctavimus, cenſebam me jam effugiſſe, & non effugi, ne navigarem tandem hoc ætatis ſenio.

9nâ autem poſt mediam noctem, dormientes movimus, & tranſivimus, Chioſam, Fornaci, Goro Volana, Magna Vacca, Primara, Ravenna, Sauco, Caſanetico, & circa horam 3tiam poſt meridiem venim⁹ Reminum, ubi & in navi pernoctavimus.

10ma verò à media nocte abiimus ulterius tranſeuntes Catholicā, Piſaurum, Fanum, Semigalliam, & ſtetimus in portu Anconæ famoſo antea, ut ſolus portus in Ancona fuerit in æſtimatione. Iter terrâ verſus Romam proſequi volebamus, ſed prohibitum fuit ubiq;, ne nobis equi ſuppeditarentur, & brevi poſt adventū noſtrum in abſentia Gubernatoris, qui eſt Reverendiſſimus Caraffa Neapolitanus, loco tenens ad portum venit, & res noſtras in littus transportatas ad Palatium Pontificium ferri juſſit, quò ut declinarem, ad ſpeciem precibus, re autem ipſa vi coegit; Quid agerem, aut quid captarem conſilii? quod remedium

um nunc huic malo invenirem? tam incertus quid mihi eveniſſet, verba illi dare difficile mihi erat. Iſthuc eſt ſapere, qui ubicunq; opus ſit, animum poſſit flectere, ſequebar ergo illum, & intra quatuor horas redit Laureto Gubernator, à quo dum petii, ut eo veſpere poſſim adhuc Lauretum ire pro abſolvenda in craſtino devotione, reſpondit mihi, quòd aliqua prius conferre vellet cum Angelo meo cuſtode Patre Theatino. Poſt brevem ſermonem venit ad me, & mentem voluntatemq; Sanctiſſimi explicuit, quòd ſcilicet ego Anconæ manere deberem uſq; ad novum ejuſdem mandatum. Quanquam animi decem in pectore incerti certabant, quamvis ictu perculſus eram inexpectato, ſciens tamen præſtare, unum veræ obedientiæ actum exercere, quàm ſexcenta patrare miracula, non tam inops conſilii, quàm attonitus reſpondi, facturum me libenter & reverenter quæ jubentur, & intra mediam horam, cum ſuo, ut apparebat maximo mœrore annunciavit mihi, quòd ejuſdem Sanctiſſimi ſit voluntas, me in arce debere manere. Tantum patientiæ ex gratia ſua dedit mihi Dominus DEus, ut tam gravem rem, in portu paſſus naufragium, acceperim cum omni reſignatione in voluntatem ejus, neq; intra me nimis ſenſibilem ſentiendo mortificationẽ, quaſi non verbis ſed re dicerem Domino Gubernatori: vincire vis, oſtendo manum, tu habes lora. Nónne potuit ad me dici: Romule hoc audies, videbis, & feres? Quis aliàs hoc potuiſſet audire, quis poſſet patienter pati, ego fortunâ caſuq; oppreſſus acerbo, quanquam clauſo. tenebam in ore, & vix ſenſi intra me poſſe me tanta videre mala, tamen debui imitari gaudia falſa. Fecit mihi expreſſionem ſuam idem Dnus Gubernator affectus & doloris ſui, ut triſtis animi levaret curas, (frangit & fortia corda dolor) quod mandatis Principis ſui obedire cogatur, permittendo me interim, ut ſcribam ad quem voluero Romã, per curſorem, quem eodem momento, ſignificando de adventu meo expediturus erat. Scripſi ergo cui ſemper dedita ſerviit mens mea Cardinali Pauluci, ſi meum reſpectat ut ante amorem, quia amatus tantũ, quantum amabitur ullus, in hunc ſenſum. In tempore quo plenus deſiderii oſculandi pedes Sanctiſſimi, ſperabam brevi hanc me fortunam habiturum, cum præſertim ſecundari vota mea ab optimo vento crediderim; recipio voluntatem Sanctitatis ſuæ cum omni reſignatione, & obediam libens, etiamſi neceſſe foret, & ipſius mortis reciperem decretum, cum pari ſubmiſſione, quod ut Eminentia Vra, cujus bonitas erat ſemper adjutans, ſi forte movetur infelicitate mea & ſi animus ejus erga me idem eſt ac fuit, deferat, meiq; tanquam antiqui ſervi recordetur, precor, eo addito, quòd abſens non auditur, nec incognitâ cauſâ condemnatur quiſquam, & etiamſi quantavis ſcelera quis faceret, non tamen niſi confeſſus aut convictus debet puniri, ſi accuſor, permittar, ut me defendam, nihil enim eſt quod malim, & tunc non me putabo miſerum, miſerique fati, dum Romam venire jubebor, ubi falſam calumniam vera reſponſione infallibiliter confundam.

Fui in Palatio usque ad noctem, ubi voluit me tractare, ſed nihil manducavi. 2dâ autem horâ noctis, reduxit me usque ad currum cum omni humanitate, & poſt viginti in circa Zbiri, tanquam Piſonis comites cohors inanis circumdederunt currum & duxerunt uſq; ad arcem, ubi ſub monte conſtitimus pedibusq; ire debui. cùm aliter fieri non ſoleat. Intravi arcem, in medioq; diſpoſitorum militum transivi, jungendo afflictionẽ meam cum illa Chriſti confuſione, quam noctu conductus ſenſit. Non ullus iſtam pingat ærumnam color, non ulla ſignent verba.

Cùm

A.C. 1706

A.C. 1706 Cùm verò in cubiculis ſatis bene mihi præparatis ſtarem, reddidit me Dominus Locotenens, qui mecum venerat Dño Marchioni Pierizzi, Caſtellano arcis ejusdem, optimæ voluntatis viro, utq; curam perſonæ meæ haberet, ex mente Sanctiſſimi commiſit. Ita cum per totam vitam impenſius curavi, ut digna me, digna charactere meo agerem, hæc indigna (mitto alia intolerabilia) patior, quæ & nunc tacenda reor, cum ea ſi me aliquando veſtri & Patriæ compotem fortuna fecerit, ex ore meo diſces. Cùm verò non liceat mihi opitulari, ſaltem in gratiam anteactorum condoleas, cum ſuper eo caſu, non propter me, quem fortuna magis, quàm virtus deſeruit, optimus quisq; ſed Reipub: cauſa mœrere poterit.

Data eſt pòſt cœna, nunquam cum meliori appetitu manducavi (neceſſitas in loco, ſpes in virtute) nunquam quietiorem ſomnum habui, ita ut ad octavam horam matutinam contra morem & uſum, tanquam rebus ex voto fluentibus pacatiſſimè dormiverim, vires refovendæ magis, quàm ſpargendæ.

IIma Habui Miſſam in Capella cum collecta de Sſma Trinitate gratias agendo Domino DEo, pro iſta bene merendi occaſione, & pro Pontifice. Non deſcribo tibi locum hunc ſatis ab extra amœnum, non dubito enim vidiſſe te eum per curioſitatem, hoc tantùm dico, confuſè omnia recenſendo, & uti ſe dant ſub manum, niſi ſicubi affectus abducat. Non omnes inveni feneſtras, quæ fortè ventum, qui frequentior (uti dicitur) eſſe ſolet, impediant. In cubiculis nullum pavimentum ligneum eſt, ex terra tantum & argilla, unde oculis multum incomodi meis præcipuè, cùm non ſim ad id aſſuetus. Quidquid verò reptibilium & ex genere vermium volatilium parvorum & magnorum, eſſe poteſt, nihil deeſſe videtur, quorum omnium numerum inire aut longum aut ſupervacaneum; Sufficit quòd ſalvum me eſſe adhuc & credas, & gaudeas, id etiam cogita, quòd totos dies mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior, & necdum cauſam in me invenio, cur hæc patiar? niſi quod antea levem injuriam nunquam ſilentio ferre volebam, unde ex juſtitia DEi graviſſimis malis obruor. Inter voluptates tamen eſt ſupereſſe quod ſperem, latam enim oſtentandæ virtutis nactus materiam, recordabor eorum, qui etiamſi vitaſſent culpam, non effugere tamen infamiam, & me conſolabor, quòd oporteat, ut adverſi aliquid incurrat, quod animum probet. Virtus enim tunc apparet quanta ſit, quantum valeat, polleatq;, cùm quid poſſit, patientia oſtendit. Calamitas virtutis occaſio.

Fuit apud me Pater Piſiarelli Philoſophiæ Profeſſor Societ: JESU, quem in conſolationem unicum mihi deſtinarunt, cui poſt aliquot dies in confidentia locutus ſum, ut ad Patrem Seſti ſcriberet, nuncq; tempus acceptabile nunciaret eſſe pro finiendo negotio, quod illi commiſſum erat, cum ſcilicet Pontifex petitam tanto tempore gratiam, eò facilius & libentius (vincuntur molli pectora dura prece) præſtare mihi poteſt, quo commodius Regis AUGUSTI, cujus cauſa carcerem huncce fero, ſatis fieri poſſit intentionibus, vanoq; liberari metu, quidcunq; mali, & quidquid triſte timet, ſicut dicitur timere, ne ego meum honorem, & confuſionem tantam vindicem. Crede mihi, nunquam à DEo majorem recipere poſſum gratiam, quàm ſi commoditatem finiendarum mearum intentionum præbere poſſet.

Ex occaſione altioris reſidentiæ dictum eſt mihi, quod ALEXANDER VIII. Papa petitus à PP. Societ: gratiam quandam conceſſit, quæ ne

ne concederetur in omnibus Congregationibus, cùm fuiſſet Cardinalis, ſe opponebat, & cùm quidam ex confidentioribus, contrarium fuiſſe ante, & nunc tam liberaliter concedere inſinuaſſet. Reſpondit: in altiorem & ſuperiorem partem nunc aſcendimus, & proinde videmus melius. Idem volebat in Collegium Romanum contra uſus antiquos conſtituere quendam Venetianum, & cùm opponebatur ipſi, quòd nec Dux Venetiarũ vellet conſtituere unum Romanũ in Collegio Veneto, & Pontifex reſpondit: Vellet certè ſi Dux Venetus eſſet natione Romanus. Audivi hac eadem die, quod dum CLEMENS X. eligeretur Pontifex, acceptare diu noluit, ex ea ratione, quòd ſcilicet Juvenis, à pio quodam Religioſo hanc habuerit prophetiam, quòd erit Prælatus, poſt Cardinalis, ad extremum Papa, ſed timere debet infernum. Electus ergo dixit, nolumus eſſe Papa, quia videmus infernum apertum, cui Cardinalis de Medices repoſuit, qui videt infernum apertum, non illuc unquam intrat. Super his meditor, & tempus meum non inutiliter tero. Addiſcere aliquid digna res etiam ſene. *A. C.* 1706

12ma poſt Miſſam dictam neminem vidi, cùm nec Pater Theatinus dignatus fuit viſitare me, locutus ſum tamen cum D. Caſtellano viro honeſtiſſimo, & inſigniter DEum timente. Retulit mihi dolorem ſuum, afflictus & confectus luctu, qui jam à tribus annis durat, ob præmaturam mortem filii ſui, qui magnam ſpem, quæ jam non in flore ſed in fructu erat, promittebat, & longiori vita dignus, viginti annos non excedens mortuus eſt, unde uxor ejus præ dolore in hanc arcem amplius ingredi non vult, & ipſe quoties occaſio ſe in memoriam ejus revocandi offert, nunquam id ſine lacrymis facit, quem ego ſolabar dicens: Lamenta noſtris ſi mederentur malis, & poſſent fletu deliniri miſeriæ, auro pretioſiores eſſent & pluris lacrymæ. Monſtravit mihi quaſdam literas, ubi Gallus quidam dicit, quamdiu vivet Ludovicus, non deerunt Ludovici, & quando erunt Ludovici omnes res bene ceſſuræ ſunt.

13tia Dies fuit Aſcenſionis. Poſt dictam Miſſam in camera, exire enim nec ad Eccleſiam liberum erat, viſitavit me D. Gubernator Caraffa, animum vanis lactans imaginibus, & melius cras fore ſemper ajens, & ſpem aliquam appropinquantis libertatis meæ, de qua ego minimè curo, fecit; Ego etiam inter adverſa ſalvam conſervans virtutis famam, & erecta cervice ferens, quæ injicit malignitas, dixi me hac eadem die legiſſe in Lipſio: quòd duos clypeos contra calumniam ſuggerat, innocentiam & patientiam, & quòd clarè videam meis incommodis inimiciſſimam invidiam variis modis, & ſemper fere novis, optimam voluntatem Pontificis impedituram, & ſic plus futurum ſemper erit quod obſtet, quàm quod ſuccedat, ſed aſſueſcam tandem & hic pati cum tempore, nemò duraret, ſi rerum adverſarum eandem vim aſſiduitas haberet, quam primus ictus, quamvis quandoq; adhuc mentem perurunt mille ſollicitudines, ſed cum fortuna difficilis colluctatio eſt.

14tâ Miſit ad me Cardinalis D'Aſti, Dux gregis inter oves Epiſcopus loci iſtius, vere vir ſanctus, nepotem ſuum, qui manet hic penes illum, & penſionem pro ſe 60 ſcutorum per annum ſolvit, quia hic ſanctus vir omnia quæcunq; habet, etiam argenteriam menſæ inter pauperes diſtribuit, & minimum ſuis conſangvineis, ne offendat conſcientiam, dare timet. Sanctorum vita cæteris norma eſt vivendi. Venit cũ eodem nepote ejus Magiſter Cameræ eques ſancti Stephani, cum cruce rubra, omnem humanitatem exhibuerunt mihi nomine Principalis caſui meo. ex corde condolendo. Ego etiam vice verſa nepotem meum

qui

A.C.1706 qui mecum eſt Capitaneum Ravenſem ad Eminentiam ſuam miſi, quæ conſolari me voluit brevi liberationis meæ ſpe, quæ credulam vitam fovere debet, cujus certitudinem habere ſe dixit. Venerunt nova ex Polonia mortuum fuiſſe (ſic & Principibus, quos clarat adorea martis, moriendum eſt) Dominum Hieronymum Lubomirski Caſtellanum Cracovienſem, ſupremum Exercitus Ducem, quem longa conantem mors oppreſſit, & illuc abivit, unde negant redire quenquam, ſoles occidere & redire poſſunt, nobis cum ſemel occidit brevis lux, nox eſt perpetuò una dormienda, non mirum eſt lateres ſi veteres ruunt. Quem ergo vides periiſſe, perditum ducas. Non eo in laudes viri hujus, nec illius meis ampliori ſtylo inſcribo nomen in actis, non commemoro quanta geſſit caſtrisve foróve. Fato peremptis tu bene, an facias malè perinde eſt, atque tantundem valet, cum opera eorum præcipuè autem hujus viri ſemper canet vetuſtas anus, & in tot meis ad ipſum & de ipſo legiſti literis, ut ea repetere, vel nova ſuperaddere ſupervacaneum ducā. Evectus eſt ad dignitatem Cracovienſis Caſtellanatus Dñus Kacki, nullo non dignus honore, ſupremum armorum Regimen ceſſit Domino Adamo Sieniawski Palatino Belzenſi, poſt quem minus regimen ceſſit Dno Stanislao Rzewuski, Referendario Regni, ſicque unius corruptio trium eſt generatio.

Mors Lubomirski.

15. Miſit mihi Eminentiſſimus D'Aſti piſces ætatis juſtæ, non infantulos, Oſtreas, & optimi vini 20 lagenas. Utantur vino vetere ſenes.

19. Venit notitia de promotione 19 Cardinalium, quorum primus Dnus Philupuci nullatenus purpuram acceptare voluit, an verò ad acceptandum cogi debeat? materia hæc Romæ ſub incude eſt. Accepi etiam literas à Dno Cardinale Paulucci, in quibus mirari ſe dicit, quòd ego ſcilicet non ſim contentus ex reſidentia Anconenſi, cum tamen magna ſit differentia à Dresdenſi, quaſi iraſcendum non eſſe Magiſter iracundiſſime diſputares, ſic recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt, cui oſtendi majorem indignitatem mei caſus, quòd perſpectum ſit, nec mea crimina talia eſſe, quæ vel accuſatores cum ſpecie aliqua fidei poſſent objicere, vel quivis etiam inimiciſſimus judex ullo colore juſtitiæ poſſet condemnare. Differentia Dresdenſis & hujus carceris eſt hæc, quòd ibi includantur, ſive ea cauſa levis, ſive ea cauſa gravis, quòd ibi non tantùm neceſſitas in juſtitia errandi, ſed errorum amor, hic examinari prius fortè quàm condemnari deberet. Nihil dixi amplius, cum os morſicandum potiùs, quàm aliqua proferam. Imò licet me hic videam injuſtè, ut patebit aliquando, in carcere extra Patriam, tamen non ideo ab animi mei conſtantia & tranquillitate recedo. Non me ullo tædio carcer afficit, ſi ſanitas tantùm foret, & ſi impatientia non eſſet juſta, ſi valetudo non decreſceret, nam accreſcunt anni, ſi, dum differtur medela, non augerentur mala, & ut quantocius innocentiam meam palàm facere poſſem, cum Eleutherius Papa prohibuit, ne abſente reo, quem accuſator reum facit, ſua in cauſa decernatur, citra defenſionem & judicium quod quidem & Damaſus Pontifex & jus Pontificium poſtea confirmavit. Nam juſtis factis gaudet omnipotens DEus, & ſi interim alius aliud, ego me beatiſſimum exiſtimo in eo, quod bonæ manſuræꝗ famæ præſumptione perfruar, certusꝗ innocentiæ meæ contentus vivam, nec quid metuam habeo, nec cur triſter; imò multum in eo debere me fateor præſentibus incómmodis, quæ eodem quaſi conjuncta fœdere auxilio ſunt ad humilitatem, plus mihi boni adverſitas, quàm omnes ſuis favoribus præſtant amici. Cum De-

DEus pro ſua providentia tantas ærumnas & pericula ab hoſtibus no- *A.C.* 1706
ſtris opponi eò videlicet finit, ut ſpiritus noſtros frangat, animos demittat, noſque ad ſubmiſſionem animi, humilitatemq; erudiat. Stare ergo debeo rectus ſub quolibet pondere, nulla me res minorem faciet, nihil mihi eorum, quæ ferenda ſunt, diſplicebit. Gubernatoris boni officium ad ventorum mutationes ſeſe aptare, viri autem ſapientis ad fortunæ.

20. Fuit apud me Dominus Gubernator, excuſavit ſe quòd neminem ex meis exire permittat, hoc enim in mandatis habet, & ego nil paternis juſſibus duco prius. Si tamen volo ſcribere, poſſum, modò idiomate, quod ille intelligit, & ut prius videat quid ſcribitur. Adduxit mihi quendam cæcum, qui perfectiſſimè citharam tangit, & cùm ſit à nono Menſe nativitatis ſuæ cæcus, interim tamen ſine ullo ductore per civitatem ambulat, Eccleſias, conventus, & domos frequentat, muſicam docet, & quod mirabilius eſt, notas etiam ejuſdem dictat.

26. Habui literas à Cardinale Pauluci, ubi expreſſe hæc verba ſcribit: non id Pontificem facere quod vult, ſed quod obligatus eſt. Pater Sallaroli ſcribit mihi habere ſe multas ad me literas ex Polonia, ſed primo debent aperiri, antequam mittantur, & quod poſſum mutare hunc locum pro Peruſio, ad quas literas 27 reſpondi, & quoniam ſcivi, quòd agnoſcatur inocentia mea, quæſivi ſi innocens tanta patior, quid eſſet, ſi eſſem criminis reus?

28. D. Cardinalis Paſtor ſcripſiit in favorē meum in fundamento ſupplicis libelli, quem ipſi miſi, nihil aliud rogans, niſi ut mihi detur locus & libertas juſtificationis cum proteſtatione, quòd libenter feram etiam ſtrictiorem carcerem, ſi hic ſervire poteſt pro ſtabilimento Religionis, aut manutentione Regis Auguſti.

30. Accepi literas à Serenma Regina Caſimira verè materno ſtylo exaratas, ſcripſit & alias Gubernatori huic impenſius me recommendando. Dnus Cardinalis Pauluci ſcribit mihi, credere jubemur, diſcurrere prohibemur, cum omni affectu ſpem faciens, quòd expectentur tantū certæ informationes ex Polonia, quibus acceptis liberabor; ſed ego nihil boni ſperare poſſum ex illis informationibus, cum eæ veniant ab Eminentiſſimo noviter facto Cardinale Spada, qui non tam mihi eſt inimicus, ſemel enim tantùm eum vidi, quàm zelans pro Rege, jus cui nullum, niſi quod liberet, à quo ſæpius veniunt munera, quæ placant homineſq; DEoſq;, nihil attingo, niſi quod fas tangere non eſt. Et amicus inimicis meis, qui accomodant Regium nomen pro libidine ſua in omne nefas, & qui omni poſſibili modo ejus demereri gratiam, odium in me concitare curant, & conantur, itaq; clara quæ ſunt, non videt, & cum videt, DEus veritas eſt, quidquid ſimulatum eſt, odit; ubi vox Jacob ſonat, manus autem ſunt Eſau. Prona errori ſternitur via, dies reliqua docebit, iſte illum oſtendet, mihi veriloquens index, ſitne bonus an ſit malus, per bonum intelligo juſtum. Finio has, cum occaſio per redeuntem quendam Presbyterum Germanum occurrat, qui miſſurum ſe haſce in Poloniam certè mihi appromiſit. Et nos validâ teneamur uterq; catenâ, nec ulla queat nos ſolvere dies.

A.C. 1706

COPIA SUPPLICIS LIBELLI GABRIELIS FILIPPUCI PONTIficì porrecti in Majo.

INvaluit rumor S. V. inter Cardinalitiâ dignitate decorandos me quoq; adſcribere deliberâſſe; Fateor ingenuè me hujusmodi rumorem non modò vanum prorſus, & inanem, ſed etiam uti ſummæ prudentiæ S. V. injurioſum ſemper habuiſſe, & adhuc habere, cùm revera me nullâ ex iis qualitatibus prædìtum agnoſcam, quibus ad tantæ dignitatis culmen paratur aſcenſus; Verùm quia ſumma, & innata charitas, quæ in S. V. reſidet his omnibus poſthabitis vera adhuc efficere poſſet, quæ falſo, ut dixi, à fama nuntiata eſſent exiſtimanda. Idcirco in hoc caſu humillimè provolutus ad pedes S. V. majori, quàm poſſum ſubmiſſione, aliisq; quàm plurimis rationibus omiſſis pono ante ejus clementiſſimos oculos gravem meam ætatem, quæ in hisce poſtremis diebus omninò indiget pace, & quiete; non autem agitationibus, quas ſecum ferunt negotia eidem dignitati neceſſariò annexa. Spero itaq; S. V. benignè admiſſuram eſſe eam, quam poſt diuturnas ad DEum effuſas preces, ſpontè, liberè, & maturè præviam deliberationem facio, in qua conſtantiſſimè DEo dante, quoad vixero, perſeverabo; recuſationem vel potiùs non acceptationem, ac etiamſi opus fuerit, repudiationem aut renunciationem Cardinalatûs cum proventuum tamen facultate, quatenus opus ſit, ſi ita placet ſummæ benignitati S. V. retinendi pro mea honeſta ſuſtentatione Canonicatum, quem nunc obtineo in Eccleſia S. Joannis in Laterano cum penſionibus, una ſcilicet ſuper alterũ Canonicatũ ejusdẽ Eccleſiæ; aliâ ſuper Canonicatum Baſilicæ S. Petri, & reliqua ſuper dignitatem Cathedralis Eccleſiæ nec non alia officia, quæ modò obtineo, venerabundus deoſculor pedes S. V. deprecans ei à DEo Opt: Maximo omne bonum &c.

AMICO CONFIDENTI. Anconâ 20 Sept.

TIBI perſuadeas, te à me fraternè amari, & quòd nemo ſit omnium, quem ego magìs nunc cuperem, quàm te, ut me à morbo valentem ab animo ægrum conſoleris, quod ſpei ſit reliquum pernoſcas, & ut tibi tanquam intimo dolores meos, conſiliaq; credam omnia. Quis ſcit? an aliquod remedium tam gravi non invenires malo? & meas miſerias ſublevares pro viribus, ut facilius tempeſtas ſerenaretur.

1. Junij D. Cardinalis Paſtor accepit ſecum pro recreatione Nepotẽ meum, & humaniſſimè eum excepit. Publica nova portant, quòd Moſchi inde abeant, non ſine promiſſis, quòd junctis aliis viribus fortiores redituri ſint, quòd Rex AUGUSTUS fuerit in periculo, pons enim dum ille tranſibat fractus erat. Quod Barcelonæ venerit ſuccurſus, & quòd Galli combuſtis omnibus amunitionibus abierint.

2dâ Accepi Româ à Patre Aproſio, nihil niſi ſpem meram, ſtultior ſtulto eſſem, qui iis tabellis crederem, errat qui talium verbis credit, hominum facies habent animos harpyarum. Novimus nos ejusmodi ſtelliones, qui amicos quibus arrident, mox arrodunt, & quibus nulla ſpes famæ eſt, niſi in labe famæ alienæ, vellem ut hominem eſſe ſemet perpetim dicat ſibi. Habui enim aliunde omnia eumcontra me agere.

Ego 4ta petii à Cardinale Pauluci, ut mihi ſaltem cum ſola Dioeceſi

ceſſi liberum permittatur literarum commercium. Hac eadem die venit *A.C.* 1706 notitia, quod proſcriptio promulgata fuerit, contra Colonienſem & Bavariæ Electores, non eſt prudentis eſſe triſtem, cujus poteſtas plus poteſt. Habui tamen de illis certam notitiam, quòd tanquam inter fulmina illæſi, inter nubila ſereni, inter tonitrua placidi, inter tempeſtatem quieti ſtent in hoc caſu, audeant in periculo, & eruantur in ruina, quæ fortuita cenſentur, mortalibus deſtinata eſſe credentes cœlo. Unus ex meis infirmus translatus eſt ad hoſpitale, volui ratione ejus alloqui certum Patrem Dominicanum Polonum, qui hic manet, ſed nec hoc mihi conceſſum.

9na Ipſo veſperi cum poſta comparuerit, manè venit ad me Dnus Gubernator clamore clamans valido antequam veniſſet, bona nova nuntiando, quòd ſcilicet detur mihi libertas, ut aut cum Cardinale aut cũ illo, aut cum D. Caſtellano poſſim exire pro ambulatione, & voluit ſtatim me ducere ad Cardinalem, ſed diſtuli uſq; in craſtinum.

10ma Cum manè ſecundùm dicta D. Gubernatoris heſterna, voluiſſem adorare Ssmum Sacramentum in Eccleſia in conſortio Dni Caſtellani, ſed voci par echo non reſpondit, nam in hoc aliquam difficultatem fecit D. Caſtellanus. Pro explicatione proinde ſcripſit ad Dnum Gubernatorem, qui poſt prandium literas ex Palatio ſibi ſcriptas in originali attulit, quæ ita ſunt reſtrictæ, ut id nullatenus permittere audeat, ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium, nemo enim in eo condemnatur, quod facere non potuit. Affligeret me hoc, ſi id non conſolaretur, quod cogitem, valde infirmum eſſe, quem tactus minimus ad dolorem commovet, & cum ſciam cauſam conſolationis noſtræ, non eſſe niſi in miſericordia DEI.

Veſperi viſitavi Cardinalem Paſtorem, idq; ab eodem petii, ut ſaltem ſemel in die vel ſi hoc fieri non poteſt, ſaltem diebus feſtis inviſere liceat Eccleſiam aliquam, ſed permittere id mihi nullatenus volebant, & pro explicatione mandati ſcribere debebant, ego interim tanquam ethnicus & publicanus à communione fidelium arcebar & ſæpius domi manere, neminem videre, nihil audire cogebar, & ita mihi quod trochis accidere ſolet, quos in orbem volvi videmus, atque immotè ut ſic loquar rotari, non autem progredi, ſed nullibi virtus melius addiſcitur, quàm cum Magiſtrum agit calamitas.

12. Scripſi ad Dnum Palatinum Czerniechovienſem fratrem meũ, qui huc venire vult, ut non ſe moveat, donec ego Româ habeam declarationem, ſi permittar illi loqui.

17. Venit notitia, quòd Galli perdiderint in Belgio, quòd filii Electoris Bavariæ transportati ſunt Monachio.

20. Cum Apoſtolica benedictione, miſit mihi Cardinalis Pauluci licentiam & facultatem loquendi & videndi fratris mei dum venerit. Miſereri enim etiam ſi ſæviat credo, & ex tali manu, mala etiam vim gratiarum habent. Item permiſſionem exeundi cum ſuperius nominatis, dare nihilominus obligationem manu mea exaratam debui, quòd pro nocte redibo ſemper ad arcem, quod libenter feci, cum non tantum experimentum, ſed nec ſuſpicionem hactenus lubricæ dederim fidei ubiq;, & impoſterum omnes rectitudinis numeros adimplebo & omnia mihi detrahi patiar, quàm hanc virtutem.

Et cum pro juſtificatione mea petierim ut Presbyterum Kors, Clericum Chmielewski, & Ephebos meos, qui dicuntur contra me teſtimonia dediſſe (res nulla ſervo pejor eſt etiam bono) & ſi neceſſe eſt,

A. C. 1706 meo etiam ſumptu huc permittat Pontifex venire, ad confrontandum & convincendum me in eo, quod aſſeruerunt, ſed hoc denegatum, & quod certa tantùm expectentur reſponſa, quæ ut veniant, urgetur: Quæ eo modo veniunt, ut dicit Comicus, ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus, jam à portu rediiſſe potuit, nam hæc dum expectantur, menſes (ut dicitur) abierunt decem, datur tamen aliqua ſpes, quod dein facile ex iis emerſurus ſum malis.

22. Fui apud Patres Capucinos cum Cardinale & pòſt apud PP. Jeſuitas cum Caſtellano: Confirmatur victoria de Gallis Bruxellis. Lovanium, Gandavum, & multæ aliæ civitates in favorem Caroli III. fidelitatis juramentum præſtiterunt, Moſchi ex Polonia abiverunt.

23. Dominus Caſtellanus dixit mihi, non bene habere D. Gubernatorem quòd pauci illi quos mècum habeo, in comitatu me ſequantur, ac proinde illos manere ſemper domi juſſi, habens aſſiſtentiam ex militibus arcis. Habui etiam præcuſtoditionem Româ, quòd Eminentiſſimus & contra me vigilantiſſimus Cardinalis Spada, ſcripſerit quòd ego maximam & immenſam (hæc erant formalia) pecuniarum ſummam mecum avexerim, æquè beatus eſt, qui cùm nihil habet, cupit nihil, quàm qui habet omnia, quæ cupit, niſi tam lynceus ſit, ut ea quoque per tenebras videat, quæ nuſquam apparent, & quòd poſſim cuſtodiam corrumpere, viaſque meas abire. O quæ falſitas! & unde pecuniæ? cum nulli veniant proventus? O quæ injuſtitia credunt me velle abire, quod ipſi vellent, ut ex innocente fiam nocens. Nulla fugæ ratio, cogitare id non poſſum, nec ſi poſſem, vellem, ita certè commutata veritas DEI, & mendacia vincunt. Sed contumelia, ſi judicium eſt, ſit tibi ad cautelam, ſi mendacium eſt, pudor dicentis, quod monſtrabit evidenter illud ipſum naturale remedium temporis, quod ærumnas maximas quoq; compoſuit. Ego enim id agam, ut malè de me nemo loqui abſq; mendacio poſſit, & prorſus à me opinionem hac de re amotam volens, 25ta. Omnes res meas, non relicto niſi eo, quod ad quotidianas expenſas requirebatur, in manus Dni Caſtellani reddidi, ut eo ſecurior ſit, quòd nihil mali cogitem, cum videam, tanquam ſit acciſa res mea, ita hoc negotium hærere.

26. Scripſi literas ad Sanctiſſimum & Cardinalem Pauluci, certa loquor, ſed nulla fides, vera quidem ſcribo, ſed proſunt quid mihi vera, omnem ſecuritatem perſonæ meæ dando, quandoquidem de ea dubitatur, omnem poſſibilem ſi abiero extendendo rigorem, ut obſtruam os iniqua loquentium. Retinebit me certè proprii honoris reſpectus, aliàs ſi id facere vellem, Argus ſervet qui oculus totus fuit, quem quondam Jovi Juno cuſtodem addidit, me nunquam, & quamvis qui fugere cuperet hinc, præcipuè ſervaret. Mitto tibi copias earum, quæ pura ſunt nuda, fieri amant. Habui alias literas 30 à Sereniſſima Regina noſtra, cum ſummo affectu mihi ſcriptas, in quibus ſpem aliquam mihi facere videtur vicinæ libertatis, quam & optat, non propter factiones, ut ibi ſupponitur, ſed pro conſolatione, ut in afflictionibus ſuis miſcere mecum poſſet lachrymas. Habui in literis etiam beneplacitum ſupremum, ut ſuffraganeum conſtituam in Varmia, ſed in hoc puncto abſolutè me excuſavi.

1. Julij comparuit hic Cognata Pontificis, & rectà ivit ad Palatium Epiſcopale, quam in medio ſcalarum in brevi veſtitu nigro excepit Cardinalis, ſecretiori porta intravit, ne tormenta in favorem ejus, quod abſolutè Papa prohibuerat, exploderentur. Separatim manducavit à Cardi-

nale,

nale, & hac eadem die abivit, proſequendo vias ſuas verſus Urbinum. *A.C.* 1706

2. Domi abſolvere debui devotionem, & veſperi fui in Eccleſia B. Virginis, ubi eſt imago cum ſubſcriptione: *Quem genuit, adoravit.*

6. Habui notitiam, quòd Pontifex per ſchedam manu ſua propria ſcriptam obtulerit, poſt demortuum Cardinalem Barbarigo Epiſcopatum in Monteſiaſcone pingviorem multò Anconenſi, ſed nullatenus eum acceptare Cardinalis voluit.

Habui reſponſum 7. quòd Pontifex libens literas meas acceptaverit, quòd ex Polonia expectentur reſponſa, cum præcipuè peſſima ſemper contra me D. Cardinalis Spada ſcribat, & nulla ſit cognoſcendæ veritatis libertas. Significavi Romam, quòd nullum aliud habeam conſortium in arce, niſi certi Epiſcopi Dalmatæ furioſi, & alterius, qui fratrem proprium occidit, noviſſimè verò, quia hac eadam die adductus fuit quidam filius prodigus, à proprio Patre in cuſtodiam datus, cum non potuiſſet, vel occultare quod factum eſt, vel negare.

11. Venit magna navis in portuq; ſtetit, quæ Cardinalē Grimani adduxit 24. vicibus quilibet Cardinalis ex arce ſalutatur, qui nulla interpoſitâ morâ Romam abiit. Tranſiit hac 12 ille ſacerdos ex Saxonia qui mecum venerat, ſed apparet prohibitum ei fuiſſe à Patre Aproſio (corrigere ramum curvum ne prætenderis, nulla eſt natura quam cogat neceſſitas) ne me videret, ſervus autem Patris Aproſii, qui cum eo redibat, publicavit dictum Patrem brevi Epiſcopum fore. O tempora! qui ſapienter admonendus eſſet, ne miſceat ungventa qui lentem coquit, prius eſt ut incumbat remo, Regimen quam poſcat clavi.

Scripſi 15 fortiores literas Romam, cur enim non judicor? cur non condemnor, ſi ſum reus? à tot menſibus expectantur probationes, & non veniunt. Magnum inceptas opus, ſi expectas id, quod nuſquam eſt.

21. Solantur me, quem mœror quotidianus lacerat, & conficere jam deberet, ſed ſæpè jam ſpes hæc fruſtrata me eſt, & quantò ſpei plùs datur, tantò ego minùs habere debeo, cùm conſilium futuri ex præterito veniat, toties data fuit & ſine effectu, quis ſcit an idem ſaxum non erit ulterius volvendum? & cùm incuſaſſem incommoditatem ſummam aſcendendi in arcem, quoties pro ambulatione exeo, reſponſum eſt, quod mihi permittatur duos equos emere, qui me illuc conducant, quaſi id practicabile eſſet. Conſulitur mihi Româ, ut petam veniam exeundi ſine comitatu D. Caſtellani, ſed ego petere id nolo, quid enim refert, abſit ille vel adſit. Interim domeſtici mei licentiam exeundi habuerunt, ſed quia tu ſoles meas eſſe aliquid putare nugas. Parvum & ridiculum fortaſſe videbitur, quod dicturus ſum, dicam tamen vel ideo, ut rideas, quod D. Gubernator prohibuerat, ut meus Heyducus abſq; (ut dicitur in vulgari) obucho exeat, terribilis enim res hoc genus armorum Italis, & timuerunt, ne totam Anconam expugnaret. Credunt ſimpliciores duo regimenta militum in eo includi, ille etiam ut nequam eſt, facit ad normam bravorum, jactat ſe hoſtes vivos rapere ſolere ex acie, & hoc nomen illi harpax eſt. Regiones diſſlare ſpiritu quaſi ventus folia. Mulciber ut jactat, hæc ei arma fecit. Stratipocles quod ſit, tanquam Rhodius terror hoſtium, ſi audias illius pugnas, fugies manibus demiſſis domum, nec ſcies unquam quot animas habeat?

29. Iterum ſcripſi Cardinali Pauluci, ut miſereantur mei, & me in aliam reſidentiam transferant, nimis enim in tantis caloribus faſtidioſa eſt, & enumerare omnes acerbiſſimas incommoditates longum eſſet. Res mirabilis, hac nocte vidi in ſomnio Regem AUGUSTUM nudum,

A.C. 1706 & terribiliter ſudantem, & manè literas accepi, concluſum fuiſſe in conſilio Suetico, ut Saxoniam intrent. Invitatus à PP. Soc: JESU, manducavi cum eis die S. Ignatij, ſed malè hoc & quidem peſſimè habuit D. Gubernatorem, & ego tantùm de re iſta ſollicitus ſum, tanquam non ad me, verùm ad alium pertineat, & expoſtulavit cum D. Caſtellano, ſcriberetq; Romam minatus eſt, ùt & ſcripſit ſed non credo vitio id mihi vertendum, nullam mihi injuriam ſicut (ut ille) ne Diis quidem hi, qui aras evertunt, ſed malum propoſitum apparet, malumq; conſilium, etiam ubi nocere non potuit.

Afflixit me magìs relatio certa 2. Aug: quod ſcilicet D. Cardinalis Pauluci primo Miniſterio, ad ſatisfaciendum aulæ Viennenſi valedicere, ac alter Cardinalis ſubintrare debebat, nimis ſollicitus ſum in eo negotio, in quo meam ſalutem verti credebam. Interim D. Gubernator commotus meo prandio apud Jeſuitas per aliquot dies me mortificavit, nihilominus id aliquid nihil eſt. 5tâ ſignificavit mihi de data omnimoda libertate adeundi, & recipiendi quemcunq; voluero ex Religioſis, ſic gratia altera alteram ſemper parit. Venit interim ſecretiori ſtylo ſcripta Epiſtola à D. Palatino Fratre meo, quam penes ſe ſervaturum ſe promiſerat D. Gubernator, ſed ſcio quòd miſſa fuerit Romã, his fluctibus abſorbetur, qui per hæc maria navigat. Iterũ habui reſponſum Româ à Cardinale Pauluci, poſt ſinceram factam compaſſionem, quòd ſcilicet Sanctiſſimus ſit nimis obligatus ad faciendum id, quod Nuntius ej⁹ Regi AUGUSTO appromiſit, & quòd cõtẽtus eſſe poſſim quòd Dreſda mutata ſit in Anconã, ſed ego reſpõdi, quòd ille primus carcer, non fuerit tam pro me infamis, univers⁹ enim ſcit orbis (nõ loquor Dnis malè) quòd ibi violenta prævaleant cõſilia, majorq; premit pœna minores, & quòd ab omnib⁹ judicabar innocens, hic autẽ, cùm in tã ſtricta ſum detentione, omnes ſuſpicari debent, magni aliquid à me patratũ, & levato velo iſtam cauſam cognitã fuiſſe, verum eſſe, quod inimici mei promulgabant, ut pronæ ſemper in pejus mentes hominum ſunt, cùm nemo poſſit credere detineri me injuſtè, ubi ſi juſtitia alibi exularet, hic inveniri deberet, & cùm nullum eſſe mendacij debeat pretium, tamen invaleſcit per moràs malignitas mali. A condita Polonia inauditum eſt, nec ullum extat exemplum, ut aliquis indefenſus & inauditus condemnaretur.

Recomendatione Patris mei Piſiarelli, qui nunquam viſitat me, quin Doctiorem relinquat, accepi pro obſequio meo unum Presbyterum Italum, ſtante enim infirmitate nepotis mei quæ jam per aliquot dies durat, adhibere debui unum ex militibus, qui vocantur Zbiri, qui mihi dicenti Miſſam reſponderet, cum nullus ex meis id ſciret. Conſulendo proinde decori Epiſcopali, ſaltem in eo puncto, adſcivi mihi, ut dixi, Sacerdotem commendatum pro Capellano.

EIDEM Româ 31. Decembris.

ACcipe & Româ monumentum & teſtem fidi, arctiq; amoris mei hanc Epiſtolam. Durus es niſi veniam ſilentio meo nunc frequentiori, non dicam largiris, ſed offers. Certum porrò eſt, quòd ſi tantum facilitatis ad tranſmittendas, quantum otii ad ſcribendas, haberem, ſæpius haberes literas meas, & ex earum inconſtantia bene mentis meæ motum videres.

21 Septemb: venit confirmatio de ſuccurſu dato Turino per Principem Eugenium & de conflictu, cum magno Gallorum infortunio. Mareſchalcus Marſin in eodem lethaliter læſus, inter manus Principis Euge-

Eugenij expiravit. Dux Auriacus verſus Pinarolum cum equitibus, peditatus autem versùs Ciuaſcum ivit. Paulò verò antecedenter D. Generalis Medavi multos Haſianos trucidavit. Ex Saxonia autem, jam ibi eſſe Regem Sueciæ ſcribitur. Principes Regij ad ſtrictiorem in Kônigſtein ducti carcerem. Fortalitiũ Menin in Flandria expugnatũ ab Anglis. *A.C.*1706

22. Locutus ſum apud PP. Capucinos, ubi frequentius eſſe ſoleo & libenter, cum Cardinale, qui deplorat ſtatum fidei noſtræ. Habui Romà promiſſum, quod in Menſe Novembri certò meam ſperare debeam libertatem, ſed toties ſpe illuſus quomodo credam? & quòd Advocatus Pauperum innocentiam D. Epiſcopi Poſnanienſis declarare debeat. O tempora! ad eum ſtatum Epiſcopi Poloni, ad memoriam ſubſequentium temporum reducuntur! quis nunc honorem noſtrum emeret vitioſa nuce?

4tà Octobr: Venit D. Cardinalis Imperiali, quem & ego viſitavi, promiſſumq; accepi favoris & gratiæ. DEus ſcit an quid certum? multi enim promittunt, & nemo promiſſa exequitur. Scribit Oviedo Author Hiſpanus, pulcherrimo modo ſomnia ſua, inter alia vidiſſe ſe tres proceras perſonas quaſi Gigantes & contra eas unum Pigmæum pugnantem, easdem vincentem, explicando quod hic parvus vocetur Intereſſe, & hi tres Gigantes Caro, Dæmon, & Mundus. Mediolanum jam ceſſit Principi Eugenio, quamvis arx defendere ſe velit. Lipſia reddidit ſe Regi Sueciæ.

6. Habui à fratre meo, quòd modica ſit ſpes libertatis meæ, niſi à Rege AUGUSTO veniat aliquid in favorem meum. Quòd neceſſariò fieri debeat nomine meo Manifeſtum, in quo monſtrem, & palàm faciam innocentiam meam, ſed quia hoc multi omnino læderentur, nunquam id faciendum reor.

7. Viſitarunt me certi Patres à quibus didici, tres eſſe vias Romæ, quæ ducunt ad templum S. Petri; prima argentina ſic vocatur platea, altera coronara, tertia longara, quaſi diceret, tria eſſe media aſſequendarum ibi dignitatum, aut per argentum, aut per devotiouem, ſive ea ſit vera, ſive ficta, aut per longam patientiam, per gubernia, nunciaturas &c. &c.

Tandem die S. Thereſiæ ſingularis Patronæ meæ ſacro, venerunt literæ Romà, in quibus motus juſtitià ipse Pontifex ordinat, ut ex arce exeam, totaq; civitas Anconenſis mihi carcer fiat. Non tamen exire me permiſit D. Gubernator antequam ſubſcripſiſſem ſcriptum certum in omni forma memet obligando, quòd non movebor, & ad quamvis requiſitionem redibo retro, vel ibo, ubi me voluntas ducet dirigentis. Libenter eo modo quo volebat ſubſcriptam chartam dedi, neq; enim iſtic, nec alibi inveniet, quiſquam in me, niſi ad quod & natales, quæ mihi non mentiuntur, & character, quem maculare minimè ullo pudore digno vellem, facto ducunt non invitum, monſtrabo ſemper palàm, quî genus unde domo? & ſic in domo Paræciæ S. Marci quanquam in civitate commodius eſſe potui, ſæpe incommoda non ſunt, quæ creduntur eſſe, reſidentiam meam fixi. Fuit hic conventus antecedenter Crucigerorum, ſed ab Innocentio X. in Parochiam transformatus.

23. Tulit nobis poſta de conflictu 28 Octob. Regis AUGUSTI cũ Suecis, & quod Generàlis Mayderfeldt conflictum hunc in partem ſuam peſſimum habuit, omnes enim qui ſub ejus imperio erant perdidit Suecos. Dulce eſt ſpectaculum hoſtem ex beato cernere in clades datum, hoſtibus nocere ſi cupias tuis, lex nulla prohibet. Dnus Palatinus

A.C. 1706 nus Kijovienſis Potocki, & Dnus Culinæ Præfectus Tarlo ceſſerunt victoribus, & primus cum uxore & filiis incarceratus, contra conventionem hanc, quam nomine Regis D. Generalis Brandt fecerat, habens commiſſum pro eo manu ipſius ſcriptum.

28. Accepi Româ adhuc, quod fuerit congregatio ſupra meam materiam deliberans, poſt quam finitam indixit ſilentium & ſecretum ſacri officii Sanctiſſimus. Tandem

30. Venit notitia de pace concluſa inter Regem Sueciæ & AUGUSTUM, in qua cedit Staniſlao Regnum, retento tantùm titulo Majeſtatis.

imâ. Decembris habui Româ impeditam fuiſſe Congregationem à Regina, ſub ſpe melioris meæ conditionis ſed quod differtur, affligit animam, ſpes interea tamen datur, quòd dum Cardinalis Spada redierit, & proceſſum reddiderit, negotium meum finiri poterit. Sperant fortè aliqua contra me documenta, quod ſupra ſpem eſt, ſed non invenient id quod inveniri nequit. Cum verò confirmetur ubiq; pax inter Regem Sueciæ & AUGUSTUM, quod Principes Regii proximè eliberabuntur, res meæ incipiunt melius ire, & ſcribitur Cardinali D'Aſti, quòd ego vincere debeam cauſam ante Decretum.

12. Appulit in navi Veneta incognito Cardinalis Spada. Manſionē accepit apud PP. Jeſuitas, fui apud illum, & quatuor horas in Anticamera expectavi, tandem admiſſus, dum volui in negotio meo aliquid dicere, nec audire quidem ipſe fortè propter conſcientiam, & præ pudore voluit. Siniſtri animi auris nunquam eſt dextra. Promiſit interim obſequia ſua. Abit 14ta, & nos cum D. Gubernatore ad Abbatiam Clarevallenſem ivimus, ubi ab Abbate Regulari, Princeps enim Lotharingiæ Commendatarius eſt, civiliſſimè excepti. Jam reliquerant hanc Abbatiam Religioſi Ciſtercienſes, quando ſub Gregorio XI Commendatario ceſſerat, ſed pòſt ſub Pio IV. redierunut, Eccleſia magna eſt, ſtatua crucifixi miraculoſa, & Religioſi revera boni.

16. Miſit ad me D. Cardinalis Equitem Paldolphini ſuum Cameræ Præfectum, cum literis D. Cardinalis Pauluci. Quid datur à Divis felici optatius hora? ubi declarat voluntatem Pontificis, quòd ſcilicet libertas mihi relinquatur omnimoda, vel manendi Anconæ, vel veniendi Romam ſub iiſdem ligamentis, hoc eſt ut Roma carcer ſit. Sapere iſthac ætate oportet, qui ſunt capite candido, ergo proviſis quæ tempus monebat. iter ſtatim reſolvi, neq; mihi ullus obſiſtet amnis, neq; mons, neq; ſi mare eſſet in via, ſolem libenter feram & ſitim, citiùs ventis properabo. Quia ut animus in ſpe atq; in timore uſq; ante hac attentus fuit, ita poſtquam adeptus quod ſperabat, laſſus & curſu confectus ſtupere non debet, ſed beatæ ſpei initia celebrans properare quò fortuna vocat. Scriptâ proinde epiſtolâ Cardinali Pauluci & ſecuritate data, in ſpatio trium horarum expedivi me, & conductus duobus milliaribus Italicis à D. Gubernatore & aliis amicis veni Lauretum, & cum in hoſpitio eſſem, viſitavit me D. Gubernator Spada, enixè petens ut in Palatium deſcenderem Apoſtolicum, ſed me abſolutè excuſavi. In craſtino ergo, hoc eſt 17ma poſt abſolutam in Capella devotionem abivi per poſtam veredariorum more, tranſivi Maceratum, Tolentinum, Valcimaram, Savarolam, pontem de la Trave, & veni noctu Fulinum. Pluvia interim maxima erat.

18. Tranſij Spoletum, Stretturam, Terni, Narni, Utricoli, & in Civitate Caſtellana pernoctavi.

19.

19. Autem ſumpto prandio in Caſtello novo veni Romam circa horam quartam, ubi occurrit mihi ante portam populi frater meus, & aliqui mei. Vix in domo eorundem conſtiti, ſtatim miſi ad Cardinalem Pauluci, & Reginam cum denuntiatione adventus mei. *A.C.* 1706

20. autem miſit ad me Regina, quaſi mentem Pontificis explicando, ut in aliquo Conventu conſiſterē, quod & ego libens facerem, quamvis videtur, quod ſtrictius teneri debeam Romæ, quàm Anconæ, & improperia improperantium poſſent cadere ſuper me. Sed tandem.

21. Accepi ſchedulam à Serñma Regina, ubi jam integra permiſſio data eſt, ut inſimul cum fratre meo manerem. Fuit hoc veſperi Cardinalis Barbarini apud meam cognatam, ubi & ego habui honorem videndi magnum hunc Cardinalem, & recipiendi ſecuritatem protectionis ejus, audiviq; jam proceſſum examinari, & ſi nondum in manu, tamen præ manu eſt, & ſpero quòd omnis res brevi in vado erit.

23, Cum rogaſſem ut poſſim aſſiſtere in Eccleſia ſub tempus homiliæ die Natalis Dni, id mihi denegatum, nec qua via ſententia mutari poſſit ſcio, quamvis aliqua facilitas Pontificis fiduciam dabat.

24. autem aliquod bonum pro me neceſſe eſt eveniſſe, venit enim ad me Comes Saint Martin nomine Pontificis cum beneplacito, quòd poſſim incognito audire homiliam, & quod ille ducere me ſit juſſus. Rumpantur iniqui, vicimus! opperiri futura & præſentibus frui, pro ſolatio habemus.

25. ex præſcripto ejuſdem in peruca & in pallio rubro, in deſtinatum locum ubi videre & audire poſſem ductus, vidi protunc & Principiſſam Bernardinam cognatam Pontificis, & filium ejus Annibalem. Erigebam vacuas aurium ædes, audivi ex ore quod legebam ante in ſcripto. Quo zelo, quo affectu, quâ gratiâ ad ædificationem, ad commotionem, ad miraculum, facilius tu cogitabis, quàm ego exprimerem, & nolo perfectum imperfecto minuere, vel deſtruere ſtylo. Poſt ceremonias redii & veſperi fui apud Sernmam noſtram Reginam, ubi ſum ſummâ exceptus bonitate. Interea.

27. Præcuſtoditionem aliquam habui, ut aliquando fit, quod maxima de nihilo naſcatur hiſtoria, quòd aliquæ perſonæ minus affectæ, & ut læta apud pleroſq;, ita apud quoſdam ſiniſtra ſimus fama, tanquam inſultando murmuraverunt contra id, quod incognito fuerim in templo S. Petri, ſed ut malè agere res plena eſt periculi, plena anxietatis, ita dum nihil egerim, quod egiſſe me pudeat, vel pœniteat, dum ex mente id factum Pontificis, loqui ceſſarunt, abacta procul falſarum rationum caligo, & malitioſæ interpretationis fumus abſceſſit, excuſavit ſcilicet præſumptionem meam authoritas imperantis.

RELATIO CONFLICTUS AD CALISSIUM 29 Octob.

REX caſtra metatus ſub Siradia, auditoque Suecos ſua fixiſſe ſub Caliſſio, extemplo relictis curribus tam exercitûs Saxonici quàm Moſchovitici die 26 ſubſtitit ſub oppido Stawy milliari diſtante Caliſſio, quo jam Duces exercituum Regni Poloniæ cum caſtris venerant. In craſtinum die 27 manè movit Regia Mtas ſub Caliſſium ibiq; recognovit ſituationem loci, & hoſtem, qui Civitatem inter & Villam Eccleſiaſticam armatus in acie aliquot diebus ſtetit, habens à tergo fluvium Proſnam. Caſtra verò in Civitate & penes Civitatem ad fortalitium, Die 28. præſentis tranſierunt fluvium Proſnam exercitus Saxonici ſub Chmie-

A.C.1706 Chmielovo, Moſchi ſub Stobna, exercitus verò Regni Poloniæ poſt Saxonicum. Milliari ab hoſte ſtetimus totâ nocte in acie ordinata, tandem in craſtinum 29 Octob: ordinatis Coſacis, à Civitate & D. Smigielski diſpoſito, ut cum ſua diviſione à tergo invaderet hoſtem pariter nobiſcū, movimus contra hoſtem habentes faventem nobis ventum, extendebatur acies ad Villam Eccleſiaſticam ſiniſtrâ alâ, in qua milites Saxonici in duas lineas diſpoſiti ſtabant. Dextram verò alam & corpus Moſchi in tres diſpoſiti lineas tenuêre. Exercitus Regni Poloniæ bifariàm diviſus ad alas poſitus erat, à dextris Dux Campeſtris Regni Poloniæ, comitantibus eundem Caſtellano Kijovienſi, Enſifero Regni Poloniæ, Dorpowski, Ribinski, Cinski, Zahorowski, à ſiniſtris verò Dux Magnus Regni Poloniæ, cui aſſiſtebat Princeps Januſius, Palatinus Cracovienſis, Palatinus Lublinenſis, Bruchowski, Olizar Capitaneus Belzenſis, Kalinowski, Granowski, cæteraq; alia vexilla adducebant. Dextra ala in qua ſteterunt Moſchi Princeps Mężyk, poſt eum Rhen, Baur, Flugk, & alij Generales Moſchovitici. Siniſtræ alæ in qua Saxones ſubſiſtebant, primam lineam tenuit Generalis Brant, ſubſequebatur eundem Schulemburg & Holland, alteram lineam Generalis Pletz, poſt quem Milkau & Brantſtein Generales Saxonici ordinabant. Tormenta autem in ala ſiniſtra, in corpore Moſchorum ac in dextera ala tredecim poſita erant. Itaq; promovimus caſtra adverſarios verſus, qui duabus lineis Caliſſio ad milliare integrum ſe extenderant. Dextram alam duxit Palatinus Kijovienſis, in comitatu caſtrorum Præfecti Culinæ & Metatoris Regni, ſiniſtram alam Sapieha M. D. L. cum Notario Campeſtri Regni & cum Capitaneo Bobroyſcenſi. In corpore verò cum militibus Polonis Equitatûs & Gregarij, Exercitus Sueticus ſub regimine Generalis Leytmant Maderfeld, qui exercitûs ſui, ut ipſe retulit, habuit ſeptem millia, nimirum 26 turmas equitum & ſex legiones peditum interpoſitis equitibus. Exercitus autem adhærentium 12000 numeravit. Horâ quartâ poſt meridiem in colle magnæ palnitiei congreſſi ſunt exercitus utriuſq; partis, & poſt exploſum ab utrinq; tormentorum ſalve, irruerunt Sueci magno impetu in exercitum noſtrum. Sequebatur Triarius miles Regiæ Mtis, quem in fronte præibat Gardia, Generaleſq; Sampold & Goſpod eundem duxêre. Superato igne hoſtili ſtrictis gladiis fregêre aliquot turmas Stanislai equitatus, cujus ordine confuſo ſimulq; per equites Polonos alæ dextræ adhærentium Sueticorum viribus contractis, iidem Triarij milites à tergo ſequebantur Suecos in Moſchos & Saxones magno furore involantes, repreſſerunt eoſdem, ſed Moſchi & Saxones recollecti, iterum aggreſſi ſunt adverſarios. Moſchi inceſſanter tormenta explodendo fortiter reſtitêre, nec vires animoſq; ſuos infringi ſunt paſſi, nam quotquot vicibus Sapiehana vexilla illos aggredi tentabant, toties eis cohortes Exercitûs Regni Poloniæ dextram alam tenentes auxilio præſtò erant. Ad extremum equites Poloni adverſæ partis ſunt converſi in fugam, quos inſequebantur noſtri. Equites deinde Suetici ſuſtinere non valentes impetum, fugæ ſecuti conſilium, relictis in acie peditibus erupêre, qui poſt diuturnum & ſtrenuum conflictum, à noſtris tamen circumcincti in majori parte cæſi ſunt, turmæ ſcilicet ex Gallis & Saxonibus ſub Wſchovia acceptis exciſæ: Uni tantùm turmæ Sueticæ, quæ depoſuit arma, vitæ data eſt indulgentia. Et ſic completâ victoriâ de hoſtib⁹ DEo opem ferente reportavimus; quos viis varijs fugientes quouſq; poterant noſtri in feram noctē perſequebantur, præſertim Szmigielski cum ſua diviſione omnes excidendo, plurimi tamen fluvij gurgitibus

ſunt

ſunt abſorpti. Duravit conflictus hic horis duabus inter aſſiduos ignes. *A.C.*1706
Vexilla 20. Polona ac Suetica, inter quæ cataphractum & loricatum Dñi Notarij Campeſtris Regni, victas dedêre manus D. Enſifero Regni. Generalem Maderfeld, Colonellos, Miller, Horn, Marſal & complures officiales Sueticos Moſchi in captivitatem interceperunt, quos Princeps Męzyk antequam ſubderentur inter debitam gratulationem ceſſit R. Mti. Regia verò Mtas vulneratos, ſcilicet Colonellum Horn aliosq́ medicæ chirurgorum curæ commiſit. Tormenta bellica hoſtium 10, vexilla Suetica & Polonica complura; tympanorum paria aliquot decem accepta ſunt. Cæſorum in acie ex parte Suetica ad tria millia numerantur, ex noſtra autem parte circiter 120 Saxones, Moſchi 230, Poloni circiter 100 cecidiſſe comperti ſunt, inter quos D. Jachowski Colonellus militum Gregariorum Polonicorum, Gierzdow Colonellus Saxonicus, Colonellus Moſchorum & alij Officiales aliqui. Vulnerati non pauci maximè ex Moſchis, contra quos maximam potentiam Sueci impenderant, volentes eos perfringere. Quia verò Palatinus Kijovienſis cum Præfecto Culinæ Regni Poloniæ & alijs cohortibus ſeſe receperunt ad caſtra ſua, ſexcenti verò Sueci ad civitatem confugerunt, oppugnare verò eos propter feram noctem erat difficile, ideo Mtas Regia legionibus ſuis quatuor, ſex verò Moſchoviticis cingere eos mandavit, ipſa verò in loco conflictûs ſub dio cum exercitu manſit. Interim Palatina Kijovienſis & Notaria Campeſtris Regni Poloniæ ſalvando vitam ſuam prolisq́ ſuæ, expedivit Ablegatos ad R. Mtem clementiam implorando, uti etiam facilè placabilis Princeps illam impertitus eſt per Generalem Brandt ad eas ordinatum, dummodo ſe in diſcretionem ejus committerent, quod ipsũ & ipſe Generalis Mardefeld literis ſuis perſuaſit. In craſtinum horis matutinis Generalis Brandt recepta ſubmiſſione Palatini Kijovienſis & Præfecti Culinæ Regni Poloniæ, Colonellum Skorzewski & alios complures Officiales adverſæ partis, Palatinam Kijovienſem cum ſua prole, & Notariam cum curribus omnibus ſub comitatu Saxonico eduxit ex caſtris. Milites verò eorum 20 vexillis comprehenſi in caſtris ſubſiſtentes, pariter reſidui gregarij, equitesq́ receptis armis vitâ donati ſunt. Currus eorum ad 5000 numerati ſunt, qui & univerſa caſtra exercitui in prædam ceſſerunt. Circa meridiem etiam Sueci in civitate degentes ad currus ſuos victuales, commiſerunt ſe diſcretioni Regiæ Mtis, quibus pariter arma recepta ſunt, debito in civitate præſidio (ne fortè cives ſpoliarentur) poſito. DD. Dapifer M. D. Lit, Notarius Campeſtris Regni Poloniæ, & Caſtrorum metator, Capitaneus Bobroyſcenſis cum compluribus equitibus evasêre. Ex quibus Notarius Campeſtris miſit nunciũ implorando clementiam R. Mtis. Palatinus Kijovienſis verò cum Præfecto Culinæ Regni Poloniæ & alijs adhærentibus capti, quorum ad 6000 inter varia vexilla numerantur, manent hucusq́ accepti in aſſecurationem. Generalis Maderfeld cæteriq́ Officiales, quorum indies plures adducuntur, & non minus gregariorum militum ſub cuſtodiis R. Mtis reperiuntur. Verbo: dextra Domini fecit virtutem, cùm ſuperbos hoſtes certas ſibi ominantes victorias delere nobis conceſſit. Omnis enim potentia eorum in Polonia conculcata, & vix paucus Suecorum numerus, manus noſtras in Sileſiam profugus evaſit, alij partim cæſi, partim capti, pro ſucceſſu Euchariſticon cecinit Victor exercitûs. 30 Octob: ipſe Rex Seren: in exercitu Regni Poloniæ adfuit ſacro Illuſt: Epiſcopi Cujavienſis. Te DEum laudamus decantatum, exercitus verò Polonicus omni genere tubarum & machinarum applauſit.

UNI-

UNIVERSALE REGIS AUGUSTI die 2. Novemb.

Invitatio ad unionem

OMnibus & ſingulis quorum intereſt, peculiariter tamen omnibus in genere, cujuſcunq; ſtatus, gradus, & conditionis adhærentibus, Fautoribus, & omnibus adverſæ partis Sueticæ adjutoribus notum facimus. Non ſine graviore cordis noſtri vulnere recogitare mala poſſumus hujus Reipublicæ, nam Patris curam animumq; gerimus & hunc in finem vitam, honorem, & fortunam noſtram, mille diſpendiis & periculis objicimus, ut illam etiam infelicitate noſtra reddere poſſimus felicem, & eò magis urit intima præcordia dolor, quòd tantarum ærumnarum cauſa non tam judicari debeat externi inimici præpotentia, quia hæc pridem tum temperari, tum reprimi potuiſſet; quàm veriùs interna diſſidia, inimicitiæ, diffidentiæ, diverſa partium ſtudia & eatenus nonnullorum protenſa ambitio, quæ in lucro reponeret ſi in adeptione finis ſui regimen noſtrum proterere & ſepelire poſſet, & bene ſentientium nobiſcum vitas & fortunas peſſundare, ut idem ſupremus Patriæ eſſet Hectoriſq; dies. Et ecce recenti modo & utinam non memorando aliquando exemplo nonnulli ingrati hujus Patriæ filii in campis Caliſſienſibus exhibuerunt Pharſaliam, contulerunt cognatas acies & qui Patrijs armis uti debebant in vindicias & defenſionem Orthodoxæ fidei, dignitatis noſtræ, legum, privilegiorum, & libertatis, temerario & nefando auſu conjuncti inimico, augendo & efferendo vires illius contra nos & Rempub. conſtiterunt. Et quantumvis DEus venit tantis auſibus ultor, & verſo in Authores funeſto exitu victoriam nobis integram pro ſolatio dedit, noluimus illa uti in vulnera & cædes malorum civium, quinimo cohibuimus exercituum noſtrorum victorem gladium, ex quo non alia commoda, niſi pax, tranquillitas, & ſalus univerſorum noſtris quaritur armis. Hinc volentes quàm primùm diſſipatos honoris noſtri & Patriæ adverſarios in integrum Reipub. corpus colligere & readunare, & ut quàm maximè decorâ verticem noſtrum diſtingveremus coronâ civicâ, ob ſervatos cives ultimariè monemus & hortamur omnes Paterno amore quovis titulo & prætextu, adverſæ potentiæ adhærentes intra vel extra Regnum manentes, ut intra ſex ſeptimanarum ſpatium à data præſentium computando ad cor reduces, ad nos, perſonaliter cum ſignis ſuis & comitatu, vel omnes ſimul, vel ſinguli revertantur, certi in acceſſu ſuo de noſtra benignitate, indemnitate vitæ, bonorum & honorum, in renitentes verò & contumaces abſq; ulla ulteriori clementia ſevera legum & armorum executione, tanquam contra noſtros & totius Reipub. hoſtes, nos progreſſuros declaramus. Interea ut hoc univerſale noſtrum citiùs in notitiam deveniat, commendamus ut per diſtrictus & Parœcias publicetur, ac pro meliori fide propria manu ſubſcripta idem ſigillo noſtro muniri fecimus. Dabatur Varſaviæ die ut ſupra.

UNIVERSALE
Adami Nicolai de Granova Sieniawski Comitis in Szkłowia & Myſza Palatini Bełzenſis Supremi Exercituum Regni Ducis ſub Opoczno 14. Octobr.

NOtum ſit omnibus cujuſcunq; conditionis, præeminentiæ & ſtatus hominibus, præſertim hujus communis Patriæ noſtræ concivibus, maximè autem Illuſtriſſimis, Perilluſtribus, Magnificis DD. Senatoribus, Dignitariis, Curatoribus, & toti noſtro Equeſtri Ordini non coactè & maximè ſub ſignis privati authoramenti exiſtenti, cum delatione fraterni mei affectus, per hoc Univerſale per modum manifeſti, conſiderandum trado. Non me in particularem & profundam

dam immittere diſquiſitionem, quæ fatales Patriæ noſtræ conſtellationes explicuerunt nobis cognatas acies, & cogunt in prælia domeſticum ciere claſſicum, an indiſcretus patrii juris zelus, & pejora morbo remedia? an privatæ paſſiones, an vindicta, aut ſpes, an commodum & multis utile bellum? Præparet quivis in ſcrutinio conſcientiæ ſuæ Deo & Patriæ aliquando reddendas rationes. Nec ad ſtateram reflexionis accipio examinandum, in quam lancem ſalus populi, honor gentis, & in quam ultimæ ruinæ conſequentia, & ſub jugo externæ potentiæ infame ſervitutis pretium imponendum ſit, cum hoc me ſolùm manifeſto, quòd ei parti firmiter adhæream, & dum vita ſuperſtes, adhærere non deſiſtam, in quam me unanimis & liberæ tunc Reipub. cōmunis voluntas collocavit, cum dominaretur ille, qui per electionem ſine ſuffragio externorum armorum impoſitus acceptatus eſt, & per coronationem in throno collocatus, per generalia pacificationis comitia arces patefactæ, quem mundus univerſus Regem agnoſcit, poteſtas Eccleſiæ cunctis adoranda, nexu & obligatione indiſpenſabili facti juramenti ſuſtinet; ac proinde qui non eſt nobiſcum, eſt contra nos, ideoq; horreſcit animus ad ſolum nomen belli domeſtici, quoniam & profunda, ac curatu difficilia ſolent eſſe civilis belli vulnera, & infallibiliter proprio prius ſatiaretur ſanguine, qui fraternum ſitiret. Proinde in tractu ſuſcepti belli noſtri contra hoſtem præmitto faventem perſuaſionē & petitionem, invitando cognatas aquilas univerſas & ſingulas ad nidum ſuum ad caſtra Kwarcianorum, invito ad mutuam defenſionem Patriæ jam in ultimis gradibus ruinæ poſitæ & ad ſuſcipiendum quemlibet revertentem ad viam ſalutis publicæ pando cor, in amplexum expando manus cum plena amniſtia anteactorum, quam etiam à tota Repub. approbandam fore, in me ſuſcipio evictionis provinciam, & præterea ipſe Rex Sereniſſimus D. N. Clement. jam paterno ſinu offert clementiam. An non jam palàm ſunt omnibus tam clara documenta, quid intendat hæc fatalis amicitia & protectio Suetica pro nomine defenſionis & reparationis libertatis. Cardinaliſſimæ leges liberæ electionis ſub haſtam iverunt militarem ſub aſſecuratione conſervandæ publicæ & privatæ fortunæ, in omnibus Palatinatibus tot pagos Vulcano conſecrarunt, præcipuum objectum noſtrum eſt conſervatio ſanctæ fidei, Nobis ſpectantibus prophanatæ Eccleſiæ, ornamentis ſuis ſpoliatæ, Sacerdotes & DEO conſecratæ perſonæ odio fidei violenter tractatæ, prout triſte hujus recens eſt exemplum, cum propter converſionem hæretici ad fidem Catholicam Religioſus ad furcam damnatus eſt, & quidnam tam ſacrum & pretioſum eſt in Patria noſtra, quod protegens hæc dextera malitioſo auſu cum expreſſo mandato non profanet? Si quis illuditur fortunâ, quam hæc potentia nunc velut loro ducit, ſpectet extremam fortunæ volubilis rotam. Plenæ hiſtoriæ, nec extra hominum eſt memoriam, quòd nullibi magis alternante ſaltetur choro quàm ad ſonitum Martialis muſicæ, etiam in Annalibus Sueciæ facile eſt legere utriuſq; fortunæ documenta. Sperandum in Deo, cauſa jubet melior Divos ſperare ſecundos. Si autem ita pertinaciter partium ſtudia, & imperſuaſibilis eſt ira, hæc inclyta Pælopis domus ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat, lavo tempeſtivè manus & conſcientiam meam, quicunq; occaſio erit effuſionis ſanguinis fraterni, ſit ipſi in damnationem. In quo coram Deo & mundo manifeſtor, quòd illis ſolummodo, qui privatas injurias aut commoda publico nolunt donare bono, crimen erit & me feciſſe nocentem &c. datum ut ſupra.

A.C. 1706

COPIA LITERARUM STANISLAI I. REGIS POLONIÆ AD Sereniſſimam Mariam Caſimiram Reginam Poloniæ.

Eliberatio Principum Poloniæ.

INeffabilis, & nunquam ſatis deprædicanda bonitas Omnipotentis DEI TER Optimi Maximi poſt concluſum non ita pridem hic in Saxonia cum Sereniſſimo AUGUSTO Rege Electore Saxoniæ pacis tractatum plurima nobis præſtitit gratiarum ſuarum magnalia, ſed inter hæc illud maximè præcipuum, quòd non priùs liberam nobis ab Antagoniſta cum ſceptro conceſſit coronã, quàm ut decora orbis Poloni pignus omni pretio majus per ſecula nunquam ſatis deplorandi Sermi JOANNIS III. Regis Filios Principes Sernmos in maximum Mtis Vræ ſolatium liberos noſtris cerneremus oculis; quam ſcilicet adeo deſideratam, & glorioſam libertatem non cum ſola Regia Corona, ſed cum ipſamet vita noſtra, prout in æquali lance ponebamus, ita dum in hoc jam exoptatus vota noſtra adimpleret effectus, idq; per efficaciſſimam, & in univerſum orbem Serenmi Regis Sueciæ reſolutionem & applicationem gratulamur Mti Vræ, quòd poſt dilatam tanto tempore non ſinè ingenti tædio expectationem in brevi DEO adjuvante hos materno licebit amplecti pectore, & corde, qui illud hucuſq; ſuſtinere, & innoxia ex parte ſua afflictione replere debuerunt. In qualemcunq; recompenſam dolorum, & honoris id reputando: quod duobus Regibus in vindicandis, educendis, atque in ſuas manus recipiendis deſcendere in Saxoniam fuerit neceſſe. Quemadmodum autem hic ſupra modum gravis, & domui Serenmæ injurius extitit caſus, ita in eodem ſit ultima in omne ævum quarumvis infelicitatum periodus. Nos verò primordia Regni noſtri ſic feliciter pacificati non ſolùm Mti V. deferimus; verùm inſuper exhibemus gratam ejuſdem beneficii memoriam, & amorem; minimè dubii, quòd, ubicunq; ſe ſe obtulerit occaſio, Mtas V. monſtratura ſit nobis non ſolùm digniſſima anteceſſoris, verùm præſtantiſſima, atq; amantiſſima, noſtri, & Patriæ Inclytæ mater. In cujus ſpem habet in commiſſis à nobis, Rndus in Chriſto Pater Epiſcopus Livoniæ, quatenus dependeat in omnibus à conſummata prudẽtia, & arbitrio Mtis Vræ. Cui &c. Datum in Leiſnick in Saxonia die 20 Decembris Anno 1706. Regni verò noſtri Anno tertio.

LUDOVICO ZAŁUSKI EPISC. PLOCENSI Vratislaviâ 6 Maji.

OBliviſci me fecit Dnus omnium amaritudinum, omnium fatigationum in itinere, dum jam Vratislaviæ, tanquam in vicino Patriæ meæ loco, conſtiti, ubi multos inveni reſidentes; ex præcipuis Palatinus Kijovien: qui non dormit, neq; dormitat, cum vxore; Epiſcopus quoq; Kijovienſis Gomolinski, qui jam nominatus Poſnanienſis à Stanislao declaratus, cui magna ſpes eſt futuræ felicitatis, ac planè fiducia, Princeps Mareſchalca Regni manet hic quoq;, ſed eam non viſitavi, nec viſitabo, multa enim didici, quàm ſit mihi infenſa, deprimi virtus poteſt, opprimi non poteſt, loquitur malè hæc bona Princeps, quia neſcit benè. Principes Alexander, & Conſtantinus Regii ſunt hic quoq; præſentes. Narraverunt nobis, quomodo invitati à parte Stanislao contraria, ut de Regno Poloniæ ſeriò cogitarent, dum id Regi Sueciæ communicarunt, peſſimè id accepit, & nec audire voluit. Habui etiam informationem de aſſecuratione quadam, quam Stanislaus ante Eelectionem ſuam Principi Alexandro in favorem domûs ſuæ dedit; nihil eſt, quod malim, quàm me & gratum eſſe huic domui, & videri, quanquam mihi ad remunerandum illis nihil ſuppetat præter voluntatem; moriar beneficio Sereniſſimorum Patris, & Matris impar, ideoq;

infelix

infelix, ſed non ingratus. *A.C.* 1706

Invitatus ſum in Saxoniam, ſed, quia nondum planè ſanus eram, non niſi 3. Aprilis movi Vratiſlaviâ, obvium poſt ultimam poſtam habui Epiſcopum Culmenſem, qui poſt conteſtationem affectûs Regis, & Regiæ Matris perſuadebat mihi propria voluntate, & ore eorum locutus, ut ab exercitio ſigilli abſtineam, propter rationem, ne Confœderatio Varſavienſis debilitetur: quamvis dixerit, quòd Regni ſigillum cum inconcuſſæ fidei ſigillo hactenus tractaretur: offerendo mihi Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem (tam ſæpè parùm refert inter dona, & damna) quia D. Szembek Rex Sueciæ non vult, & D. Zielinski in Moſcua exulem, jam eidem renunciâſſe certum eſt; æquore turbatò præſtat demittere vela; perſuadendo inſuper, ut Romam omnibus, quaſcunq; voluero, expeditionibus munitus redeam. Riſi ad has propoſitiones, bonus animus in re mala dimidium eſt mali; bonum eſt formicæ abſq; alis, quanquam mihi graves erant, indifferenter tamen reſpondi: nam diſſimulandum credidi. Quomodo ego acceptare potui Archiepiſcopatum, cum omnino ex mente Pontificis perſuadere debeam, ut in poſſeſſione ſua, qui eſt ab eo declaratus, maneat: qui vivendi novit artem, cedendi etiam novit opportunitatem. Die 7mâ in Leſznik comparui, ubi tenerrimè ad ſpeciem exceptus, ſed in re adverti intentionem ſtabiliendi omnino Joannis Jabłonowski Palatini Ruſſiæ in exercitio Miniſterii mei, quod ego ipſemet, cùm ſim minimè ambitioſus, minimè in rogando moleſtus, libenter feſſus aliàs vanitatibus mundi dimitterem, modò dimittar ad tranquillitatem meam, & Epiſcopatum à tantis contributionibus liberum faciam.

In craſtino multis contulit mecum Mater Stanislai, petenti ſtipem porrigens ſtipitem perſuadendo de Archi-Epiſcopatu, ſed ego (nil verita veritas) firmiter, conſtanter, & irrevocabiliter reſpondi, nullatenus me illum acceptaturum, quinimò perſuadebam, rationibuſq; plurimis idipſum deducebam, quòd voluntati Pontificis abſolutè deferendum eſſet, qui jam in publico Conſiſtorio expeditiones iſtas ratas habuit, nec quiſquam poteſt ullo tempore ſperare, ut hæc immutari aliquomodo poſſint.

Interim Stanislaus magnis juramentis me ſecurum reddere voluit, quòd omne impedimentum circa Miniſterium mihi reſtituendum veniat ab Aula Suetica, quod abſolutè Theſaurarius Sapieha abnegavit, formalia Regis Sueciæ dicendo: faciat, quòd Rex Stanislaus vult, ego non curo, an non licet ipſi facere, quod libet? Cæterùm ego quidquid fit, quidquid non fit, fero æquo animo, ac fortiter; quid enim niſi vota ſuperſunt?

Scripſi Romam relationem faciendo eorum, quæ audivi, aliquot poſt dies Rex Stanislaus abiit ad Regem Sueciæ, Sed ego manſi, & interrogatus, quid deſiderarem, petii libertationem Varmiæ, quæ hactenus ſub jugo ſervitutis gemit.

Inſinuavit mihi idem Stanislaus, ut ad Aulam Sueticam recurrerem, pro reſtituendo mihi Miniſterio, ſed ego Deos alienos me neſcire colere nec tumidè, nec timidè reſpondi, nec velle unquam extraneo judicio juſtitiam cauſæ meæ judicandam committere.

Redux Stanislaus attulit mihi libertatem à Rege Sueciæ redeundi, & manendi in Varmia, quod ſignum erat dimiſſionis meæ, quam ego libenter, & quidem libentiſſimè habebo, cùm videam Palatinum Ruſſiæ omnino velle Principis ore loqui, dilatando philacteria ſua, & magnifi-

A.C. 1706 gnificando fimbrias intendat regere Aulam hanc: Deus ipſi propitius ſit; ventis adſpirent vota, & ego per invia, & invita fortunæ eluctatus libens tranquillè, privatusq; vivam ſecedendo à rebus etiam meis, imò etiam à me ipſo; in occulto jacebis, cùm te maximè clarum voles, an parum habebo, ſi non algebo, non eſuriam, non ſitiam; plus Jupiter (ut ille dicit) non habet. Spes enim benè meritorum langvet, cùm majora præmia adipiſcuntur iṁeriti, & benemeritorum opera parvi penduntur.

Tandem quia appropinquabat Paſcha, manendum mihi Leſznicij pro feſtis ſtatui. Propoſuit mihi Rex, quaſi id in ſatisfactionem meam eſſet, ut Varſaviæ manerem ſub illud tempus, quo ille cum Rege Sueciæ in Moſchoviam ibit, & totam molem negotiorum cum coṁunicatione Mareſchalci confœderationis ſuſtineam.

Sicut Jacob vidit Angelos aſcendentes, & deſcendentes, & concluſit eſſe domum DEI, quia de culmine non vi pulſi, ſed ſponte deſcendentes, legunt alij decedentes, ſic Stanislaus noſter libenter haberet, ut ego ſigillo, Prependovius Theſauro, Dąbſcius Scipione voluntariè deſcenderemus, in alios dignitates haſce transferri cupiens. Homo proponit, DEus diſponit: in memoriam mihi venit locus ſcripturæ: aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus. Dicit autem Dñus DEUS: Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris populus meus.

Itaq; id, quod propoſuit, nec velle, nec facere me poſſe reſpondi, niſi reſtitutus in integrum, & in Miniſterio, & in poſſeſſione Epiſcopatûs mei liber ab omni contributionum genere declararer, ſed vix hujus voti ſpes fuit ulla mihi.

Die Jovis magno relationem habui, quomodo Princeps Mater Regis multa dixerit Palatino Ruſſiæ, qui creſcere vult per injuriam meam; magnam propter illum oriri, & orituram invidiam; & non ſunt ferenda unius augmento plurium detrimenta; virtute ambire oportet, non favoribus. Ad me etiam miſſus Pro-Cancellarius Litvaniæ Szczuka, cui maximas egi gratias, majores etiam habui, cùm ſim minimè ambitioſus, ut inveniret mecum media ſatisfaciendi mihi, etiam quæ utilitate proſunt, novitate conturbant, ſed poſt multos diſcurſus non aliud juſtius erat, niſi reſtitutio mei officii in integrum; ego jacto in DEum curam meam, & ipſe me enutriet; cùm me conſumptum putaverint, faciet DEus, ut iterum oriar, quanquam mihi faſtidium eſt omne faſtigium. Accedit, quòd nunquam ſub ſigillo meo preſſa libertas eſt, nunquam innocentia ingemuit.

Die Sabbathi magno venerunt duo Curſores Româ reduces, cum declaratione, quòd Papa nec Electionem, nec Coronationem Stanislai, & nec quidem Abdicationem Auguſti approbare poteſt; unde Rex Stanislaus ita exarſit, ut nobis, (qui bonâ fide DEum colit, ſacerdotes amat) palàm minaretur Epiſcopis ejiciendos nos ex Senatu, ſed ego (livore nemo judice fit nocens) palàm in faciem reſtiti, & dixi; dum furor in curſu eſt, currenti cede furori, rem hanc eſſe abſolutè impracticabilem; qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis. Conſilium erat pòſt privatum me excluſo, quia malui aures offendere loquendo, quàm veritatem tacendo. Tandem concluſum, ut mihi precibus, minis, & omnibus rationibus perſuaderetur, ut iter Romam omninò arriperem, ſed ego nullatenus me id facere poſſe, & velle reſpondi.

Quantas mortificationes ſuper mortificationes habuerim, exprimere

mere non poſſum, tot invidiæ, malevolentiæ, obtrectationes, ſimultates, apertæ inimicitiæ ita me circumdederunt, ut vix hiſcere potuerim, ſed illa infelicitas non fregit, quem nulla felicitas unquam corrupit. *A.C.* 1706

Interea jam me relicto omninò perſuadere voluerunt, euntes in adinventionibus ſuis, & inclinantes ex hoc in hoc, ut Palatinus. Czerniechovienſis Frater meus hanc legationem in ſe ſuſciperet. Diſputavi diutiùs, ſed ut prætextum redeundi Vratiſlaviam haberem, perſuaſurũ me eidem, ut in hoc obſequio non ſe excuſaret; Iter etiam ad D. Nuntium Piazza in Troppau reſidentem uti petebant facturum me promiſi, modo licentiam abeundi omni meliori modo habere potuiſſem.

28. Iterum ad Aulam Sueticam cum Rege eundum mihi erat, ut meliorem, & favorabiliorem expeditionem pro Varmia haberem. Eodem tempore fuit etiam Dux Milort, Malboroug, credidimus recognitionem illum ab Anglia attuliſſe, ſed de illa tam citò dubitatur.

Comparuiſſe etiam Dñum Jelec cum propoſitionibus ab illa parte dicitur: Conſilium à me petebatur, acceptandúsne, an rejiciendus? Acceptandum ego credidi; Utilia ſectanda eſſent, non futilia, ne ſint; unus ædificans alter deſtruens; Minùs proſunt externæ amicitiæ, ubi non eſt pax domeſtica. Hinc arbor, quæ non admittit ventos, & imbres domeſtico vermiculo corroſa cadit; Et majus emolumentum ex acceſſu illius partis, quàm ex recognitione exterorum Principum proventurũ repræſentavi.

Petii interim Regem, caſſationem Privilegiorum mihi ſubſcriberet, cùm illa, quæcunq; Rex AUGUSTUS Domui meæ contulit, ſicut Vielunen. Raven. Inovladinen. Capitaneatus inter alios Rex STANISLAUS diſtribueret. Denegatum & id, & ego Privilegia parata in ignẽ projeci non ſine ingenti dolore. Interim 3tiâ Maji (extorſerunt enim pondera vocem) proteſtatus coram Epiſcopo Culmenſi, & Procancellario Szczuka de oppreſſionibus meis, & injuriis, quòd arcear ab exercitio Sigilli; Tantúmne aliquis ſibi poſſe videtur, ſata quoq; ut ſuperet; quòd leges non ſerventur, imò illis palàm contraveniatur; ſi invidetis, mordetis, & conſumitis, videte ne ad invicem conſumamini; O navis referent in mare te novi fluctus! Et pòſt abivi. Quod dum reſcivit Rex præcipuè de manifeſtatione eo nomine facienda, miſit ad me Smigielſcium, minando expreſſis verbis, quòd Rex Sueciæ poteſt aliquid facere, quod mihi diſplicebit, ſed ego minimè me timere minas clarè reſpondi: Scripturum me lingvâ latinâ hoc Manifeſtum, & illud ad Cancellariam Sueticam mittam immediatè pro lima. Tandem per poſtam veni Vratiſlaviam heri veſperi: & hodie tibi ſcribo, ut ſcias, ubi ſim, quî valeam, & quid agam.

EIDEM IDEM Vratislaviâ 19 Julij 1707.

REdux, ut præteritis tibi ſignificavi, Vratiſlaviam, inveni adhuc Principes Regios, ubi in prandio etiam fuit Princeps Principis Jacobi Conſors. Conturbatos multos hic reperi; timent enim, ne Rex Sueciæ arma in Cæſarem moveat; Ea exequuntur cauſæ ſecundæ, quæ imperavit ſemel DEus.

15. Maji reſolvi me ad viſitandum Nuntium Piazza, non tam, quia illuc voluntas dirigentis ducebat, propter intereſſe, quod mihi ſeriò cõmendatum erat, Regis STANISLAI, ſed magis propter renovandam amicitiam cum hoc digniſſimo Miniſtro, quam Bruxellis, dum legatũ

A.C. 1707 conducendo Electricem Bavariæ, & ille Internuntium Pontificis ibidē ageret, ſtrictam ligaveram. Habui à Dno Palatino Czernichovien. expreſſum miſſum cum præcautione, quòd mihi inſidiæ aliquæ in via eſſent paratæ, ſed ego nihil timui, fiducialiter egi, & non verebar, ſi conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum.

17. Opaviam veni, & 4tuor integras horas in conferentia cum Illmo Nuntio conſumpſi. Impedimenta ad recognitionem Pontificis multa didici, quibus remedia adhiberi poſſunt, ſi Miniſterium præſens vellet, aut ſciret; ſed video, quòd ſine calce ferruminare, ſinè cæmento glutinare, ſinè arena omninò velint ædificare: Profutura enim non admoventur, nec amovent obfutura, nec ſentiunt damna, niſi poſtquam acceperint; Omnes ſciunt fiſtulam inflare, ſed digitos applicare neſciunt, & ita ſi aquam ſemper turbaverint, ſemper ſitient, cùm nec manus agnoſcat, quem non exercuit arcum; quia iſti nodum in ſcyrpo, fiſſuram in plano, angulum in circulo quærunt.

Poſt habitam iterum in craſtino conferentiam, abivi iterum, & cōparui 20 Vratislaviæ; Miſi Pleſzovium meum ad Leſznicium cum relatione Actorum apud Nuntium.

Habui interim notitiam, D. Epiſcopum Culmenſem habuiſſe ſubſcriptum Epiſcopatum Cracovien. in perſonam ſuam & quod delectetur in Domino, quia dat illi petitiones cordis ſui; Piſces ſæpè minutos magnus, & aves enecat accipiter.

Habui etiam notitiam Dñum Hemoſ, & Fingkſt, qui nuper pacem inter Reges Sueciæ, & AUGUSTUM Poloniæ concluſerunt, ſub areſto eſſe, & in fortalitio Königſtein à Rege AUGUSTO incarceratos. Dexteram tuam ſic notam fac.

28. Rediit Pleſzovius cum literis teneritudine plenis. Interim audivi Palatinum Ruſſiæ in Poloniam divertiſſe; & id iter pro objecto habet media aliqua cum Dña Palatina Belzenſi, quæ apud Poſnan: Palatinam inveniri debet, reperienda, pro ineunda cum parte adverſa concordia. Scivi etiam ex ore Czarnhovij moderni Theſaurarij Regni, quanto contemptu Stanislaus à Rege Sueciæ, & Miniſterio ejus tractetur.

Audivi itidem quòd Româ expeditæ fuerunt literæ ad Archi-Epiſcopum Szembek, & Epiſcopum Cujavienſem, ne de nova cogitent Electione.

Rex interim Sueciæ optimè convenit cum Seren: AUGUSTO, & frequentiùs ſe viſitant, quanquā tam citò ex Saxonia exire non cogitet.

Ex Varmia habui, quòd tu tanquam propior ſcire debes, augeri indies contributiones Sueticas, & his non obſtantibus Rybinſcium novas aſſignationes ſolvendas prætendere; conſilio illi tamen eſſem, ne erigat oculos ſuos ad opes ex alieno coagulatas, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt &c.

Mortuum eſſe Cardinalem D'Arken annos centum, & duodecim (ut dicitur) habentem, Patrem Sereniſſimæ Caſimiræ, Româ ſcribitur. Scripſi, & miſi eo nomine pro debito meo Majeſtati ſuæ condolentiam. Interea Lublini denuntiatum eſſe inter-regnum conſtans fama eſt.

10mâ Julij habui ex Saxonia non admiſſum fuiſſe Comitem Vratislaw à Rege Sueciæ Imperatoris Legatum cum ſatisfactione miſſum, quæ, quia nondum ad mentem erat, ſi Imperator illam, ut deſideratur, non dabit, ipſe illam, res memoranda novis annalibus, atque recenti hiſtoriâ! in bonis hæreditariis Cæſaris ſumet, nihil tangendo Imperium (procul recedat, qui ardere, & conſumi timet ab hoc fulgu-

rante

rante Regiæ Mtis conſpectu) Quanquam Rex Stanislaus multùm juvet hanc negotiationem & omnia, quæcunq; poteſt, apud Regem Sueciæ faciat, &, quæ procedunt de labiis ejus non ſemper fiunt irrita. *A.C.* 1706

Habui literas à Cardinale Pauluci, in quibus abſolutè declarat, non poſſe Pontificem ad recognitionem Stanislai venire, niſi tota Reſpublica in eo conveniat.

Craſtinâ die omnino movebo Vratislaviâ, iterq; meum directè in Varmiam proſequar, & jam res omnes meas rectè Gedanum expedivi.(utinam ventos habeant mea vela ſecundos, utinam te alioſq; fratres meos ſanos reperiam!

ALEXANDRO SALLAROLI THEATINO
Regiomonto 31 Decembr.

Liber aliquantum à doloribus calculi non ex integro, animo malè valeo, dum indies majorem ruinam Epiſcopatus meus experitur; continua contributione ab Elbinga ita preſſus, ut vix reſpirare queat; ſed flere non licet amiſſa metu reliquorum; ſeveriſſima etiam mandata inde prodiêrunt contra meos Adminiſtratores ſub pœna capitis prohibendo, ne quidquam mihi provideatur. M.Brutus ſatis hoc putat, quòd licet in exilio viventibus virtutes ſuas habere ſecũ; fortis eſt animus, ad quæ præparatus venit, cùm ſemel animi virtus indormivit, invulnerabilem præſtat.

Habui à Pro-Cancellario Litvaniæ de die 8vâ Octobris, quòd Rex Sueciæ jam ſub Slupeza conſtiterit cum Stanislao; incertum verò illo tẽpore erat, quà tranſire deberet. Interim Rybinſciani ſibi ignavi, nobis graves in Varmia graſſantur, ne Sueci Elbingenſes audeant ſe illis opponere.

Habui etiam ab Aula, quòd Palatinus Ruſſiæ (concupiſcunt homines, & quæ non poſſunt, peſſimum eorum vitium eſt, qui id quo inſaniunt, cæteros putant furere) jam ſe palàm Cancellarium Supremũ Regni dicit, quod ego minimè curo, invalidum omne naturâ querulũ eſt; aut enim libertas in integro erit? tunc & ego ad Miniſterium redibo meum, aut omnino peribit, tunc ego in ſervitute nullatenus Cancellarius eſſe vellem. Ratio judicari vult, quod æquum eſt, paſſio id æquum videri vult, quod judicavit, in malè cœptis honeſtior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia; quippe alter in alterius exitium levi compendio ducitur, ego autem credo, proprium eſſe magnitudinis veræ non ſe ſentire percuſſum.

Moſchi venerunt in Litvaniam; interim nos hic non otiamur, & per modum alicujus Academiæ quotidie convenimus, & ex lecto quiſque ſpecialiter ſibi dato libro, quæ ſcitu, & notatu digna credit, refert, & ſic tempus non otiosè terimus, & illud benè diſponimus, quod nobis natura conſumendum dedit; Officia ſi Senatoris, ſi Miniſtri amiſi, hominis exerceo, non exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus; non accipimus brevem vitam, ſed facimus, nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus; Vitâ, ſi ſcias uti, longa eſt.

Pons ſub Varſavia dirutus. Habui notitiam, quòd ille Patkul ex mandato Regis Sueciæ jam occiſus eſt ſub Caſimiria in magna Polonia exiſtente baculis primò enormiter concuſſus rotæ vivus adhuc implicitus, & pòſt caput amputatum, & corpus in 4tuor partes diviſum. Hic ille eſt, qui omnium malorum in Polonia fons & origo fuit, & pœnas *Patkul occiſus.*

A.C.1707 nas juſtas luit, ſed lachrymas, & damna noſtra quis reſtituet? Nunquā ſunt grati, qui nocuêre; quomodo illum amare poſſum, per quem factus ſum miſer.

Videntur hic univerſalia Joſephi Potocki Palatini Kijovienſis, qui datum ſibi regimem Generalis exercitûs Regni annunciat, quòd Palatino Belzenſi ademptum à Rege Sueciæ dicitur ex eo, quòd ad ejus partes tranſire nolit.

Curioſa, ſatis dolenda, & erubeſcenda Poſta Varſavien: attulit non vanæ rei author, de die 15 Novemb. quòd Varſaviæ Dnam Sieniawski *Palatina Belzenſis capta* Palatinam Belzenſem ſupremi Exercituum Regni Ducis Vxorem Valachi Suetici vi Varſaviæ acceptam ad caſtra duxerunt, etiamſi ſatis infirma fuit. Ingenioſa nunc eſt in contumelias Polonia, in qua etiam qui vitaverint culpam, non effugient infamiam; potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ ſunt. Non pietas illam iram, ſed infirmitas movit ſuâ causâ non legum puniendo; ita fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia: quid eſt iniquiùs quàm ſecreto credere, palàm iraſci, quibus nec ad iraſcendum cauſa deeſt, nec ad ulciſcendum poteſtas; iraſcuntur in ſuorum injurias; dabo tibi, qui in rebus minimis, & per delicias iraſcuntur; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt: ſed illa ſuum, publicumq; dolores æquo animo tulit. In caſtris etiam Stanislai tumultum aliquem fuiſſe, & Principem Januſum Viſhiovieckinon omnino ſobrium multa feciſſe, & caſtrorum metatorem, Lubomirski vulnerâſſe ſcribunt, quòdq; Princeps Caſimirus Czartoryski theſuarariatum M. D. L. ſub conditioue ſolvendorum 20000. talerorum filio defuncti Theſaurarii, officium theſaurariatus Lit. ſubſcriptum habuit, etiam juramentum eo nomine explevit.

Tandem tamen 16 Xbris venit notitia liberatam fuiſſe ex tædioſo ſatis carcere per inſtantiam Stanislai Palatinam Belzenſem, & Varſaviam rediiſſe. Iraſci non magis ſciunt, quàm ignoſcere, ſed timeo, ne etiam cum vulnus ſanatum ſit, cicatrix maneat.

Turcicus etiam Legatus audientiam habuit, ſed audio contra morem antiquum; Rex enim Stanislaus ſedebat, ſedente etiam in tapete Legato, & omnibus Senatoribus.

Finio & literas, & annum.

CONSIDERATIONES IN PRÆSENTI SCISSÆ REIPUBLICÆ ſtatu 1707 exponuntur.

DUM Reſpub: juris & libertatis Domina eò devenit confuſionis; ut in duas diviſa ſit partes: hinc AUGUSTUS II. Electus, novennio per gemina Comitia dominatus adverſa tulit fata; ſtante enim ejus dominio Æmulus Regni potentiâ Sueticâ in Regem coronatus eſt STANISLAUS I. In nimijs ſucceſſibus Coronæ Sueticæ ſucceſſerunt poſtmodum inter Monarchas inſciò Electore populo pacta; unde quilibet perpendere poteſt duos eſſe Reges, amboſq; ejusdem ſenſûs: non reſigno niſi in ligno.

Inde ſtantibus his, adhuc requiritur Regis Electio ex rationibus; quòd unus abdicaverit, alter illegitimè electus ſit: ad quam Electionem potens vicinus Amicus ſupponitur, ſuadens eam, & interregnum eſſe exiſtimatur. In hoc puncto nodus & ſaltus eſt; hic ſe ſubtrahunt à Conſilio Senatores, Majoreſq; Nuntij adamant indifferentiā, & eo ipſo quamvis poſſint, non ſalvant Rempublicam.

Ex

Ex præmiſſis afflictio Reipublicæ.

I. Sciſſio in duas partes. *II.* Rex AUGUSTUS II.
III. Rex STANISLAUS I. *IV.* Electio petita novi Regis.

Imum punctum afflictionis eſt, Reſpub: in duas partes ſciſſa; quod utinam non eſſet: eo enim manifeſtè & graviſſimè perit Patria. Proceſſit hoc ſciſma ex Electione controverſa AUGUSTI Regis; ceſſit ille tribus anni trimeſtribus; cedere etiam deberet ſciſſio, & pacatam relinquere Rempub. Jam AUGUSTUS origo ſciſſionis convenit cum Corona Suetica, jam STANISLAUS obicem non habet, uno eodemq; ſubnititur uterq; Principali. Nam ſi quæpiam eſt averſio à Nobis intuitu STANISLAI Regis: faciliùs ille ſervatis ſervandis manu teneri poterit; ubi primùm congregati fuerimus, potiúsq; conveniendum erit, quàm ibi reſidendum, ubi fortiùs de rebus Gallicis agit Corona Suetica, penſi interim habens negotium Poloniæ. Meliùs enim cuiq; ſuæ reſidere domi, quàm extra fines utili & honeſto ſe occupare. Quare ad unionem omninò convocatione opus eſt; ſic omnia faciliùs ceſſura ſunt.

Rex AUGUSTUS disguſtatus à quibusdam Polonis, malè contentus de illis eſſe poteſt; & quidem de unis illorum magis quàm de aliis:

Quia quorundam conſilio Suetico inchoavit bellum.

Quia forſan præjudiciosè quorundam auxilio fruſtratus eſt.

Quia exinanivit ſe ipſum, unde coactus eſt Tractatum aſſumere cum Rege Sueciæ.

Quia hæreditarium dominium illius ad ultimam devenit ruinam.

Reciprocè à Rege AUGUSTO Reſpub: prætendit, quòd inconſultâ Republ: bello Suetico dederit initium.

Quòd occaſio fuerit deſolationis Regni, extorſionis pecuniarum cujusq; generis, auri, argenti, apparatûs bellici, & ornamentorum Reipub: amiſſionis.

Quòd ſuis Exercitibus oppreſſerit Provincias, gravesq; contributiones exegerit.

Quòd dominando in Polonia totam fiduciam in Germanis collocaverit, non in Polonis, contra morem & conſuetudinem Regum Poloniæ.

Quòd ceſſerit de Repub: alteri cuipiam, non autem iis Polonis, qui illum in Principem elegerunt, & reddiderit diploma Electionis.

Quòd totius mali & belli præſentis author ſit & cauſa.

Poſſent hæc tamen omnia reparari; ſi pœniteret, ſi vinceret, ſi æmulum in timorem conjiceret, his potiſſimùm rationibus

Qualiter Poloni quæſiverunt Regem etiam in Cluniacenſi Cœnobio.

Qualiter nullum dethronizârunt unquam.

Qualiter usq; ad fata ſuos patiebantur Reges eosq; venerabantur.

Rex STANISLAUS hæc conſideranda habet, ex quo eſt, os de oſſibus Reipub: & tam in minore quàm majore Polonia, uti etiam M.D. Lit. magnas habet colligationes.

Ex quo ab æmulo nullũ habuit impedimentum, tam in Electione, quàm Coronatione. Ex quo potenti Coronæ Sueticæ ſubnititur præſidio.

Ex quo adhærentes habet magnas domos Potocianã, Lubomirſ: &c

Verum eſt, omnes eas rationes eſſe bonas: obeſt nihilominùs, quòd quidam Reipubl: ſtudioſi has tantas colligationes ſuſpectas habeant & periculoſas libero dominio exiſtiment. Pro impedimento inſuper objiciunt jus de libera Electione ſcriptum, contra quod omnia geſta ſunt. Coronæ Sueticæ protectionem Reſpub: damnoſam cenſet, & fœdus cum ea initum gravem putat oppreſſionem & inæſtimabilem Theſaurorum

Reip:

A.C. 1707 Reip: & ornamentorum deſolationem. Adhærentia hæc felicibus duntaxat obſecundat ventis, ceſſatura & ipſa; ubi venti remiſerint: media verò in contrarium deeſſe non poterunt, ſi paululùm indagare placuerit.

Requiritur Electio Regis. Dicunt alij neceſſariam non eſſe.

Quandoquidem Rex AUGUSTUS à Comitiis Lublinen: liberum paſſum habuit intuitu conſulendi valetudini ſuæ: poteſt hoc ſe tueri & pacatis rebus hæreditarij dominij reaſſumere cogitationes de Regno noſtro; ſiquidem necdum reddidit diploma Electionis Reipub: jus autem Electionis ad alium non eſt transferibile.

Quandoquidem Nobis non conſtat de ipſius reſolutione & mente, quòd Nos dereliquerit, ſpe omni reditûs præciſâ. Abdicatio autem non niſi in Comitijs facienda eſt, uti fecit Joannes Caſimirus etiam à Nobis non interrogatus de hoc, quemadmodum id ab Henrico ſtudiosè requiſivimus.

Quandoquidem majus immineret periculum à tertio Electo. Satis & ſic magna ſunt diſcrimina Noſtra ex duobus. Sequeretur indubiè; ut Reſpubl: quæ modò diviſa eſt, adhuc ſubdivideretur, adeoq; longè debilior foret.

Quandoquidem jam aliqua Regna Regem STANISLAUM pro Rege agnoverunt, & Tribunal ſub ipſius nomine Petrikoviæ ſtetit: uti etiamnum in Litvania ſub ipſius auſpiciis illud abſolvitur, & major Polonia eidem adhæret.

Quandoquidem ante Electionem Regum non ſolebant eſſe ſciſſiones, & nunc neceſſarius eſſet conſenſus pro declarando interregno, & judicijs capturalibus: jam autem ab ejusmodi Conſiliis tam Senatores, quàm Nobiles ſeſe ſubtrahunt, & quodammodo à longè rem Patriæ ſpeculantur.

Quandoquidem neſcimus, quis Rex eſſe vellet, ſive ex exteris Principibus, ſive ex domo Regia, ſive ex incolis Regni: cùm ſinguli videant, quòd hæreditarius ditionum ſuarum Dominus AUGUSTUS Rex impar fuerit protectioni Aquilonari, nec manuteneri potuerit: quid tertius agat? quomodo, de quo ſuam ſuſtentet Majeſtatem? Alii dicunt neceſſariam Electionem ex rationibus.

Quia ſine capite ſumus, Rex neceſſarius eſt: duo extra Patriæ fines exiſtunt, quia ſine bello exteri & Noſtri Nos aggravant, quod totum ceſſaret, ſi electio daretur.

Quia eſt periculum ulterioris deſolationis.

Quia eſt periculum exauthorationis & ſubhaſtationis Reipub: intereſt igitur illius ſancire Electionem; ut ſecuritati conſulatur.

1mo. Offerat ſe Reſpubl: & ſuſcipiat in ſe mediationem inter Czarum & Coronam Sueciæ.

2. Provideatur & curetur, ut ſciſſiones in unionem coaleſcant.

3. Communis motus decernatur juxta Conſtitutiones anni 1621.

4. Exercitui ſtipendia trimeſtrium declarata exſolvantur.

5. Quia deficit Nobis peditatus, ſuſcitentur antiquitùs uſitati Agrarij milites Haydones, & Dragani, ex fumo 25 fl. imperatâ penſione.

Noſtra ſi ſunt exigui pretij fiant meliora.

ROBORATIO CONFOEDERATIONIS GENERALIS SENDOMIRIENSIS Leopoli 7 Februarij 1707.

NOS Senatores Regni & M.D.L. Deputati Nuntiorum terreſtrium ex Comitiis Lublinenſibus & ad Confœderationem generalem Sen-

Sendomirienſem deſtinati, & omnes alii ſtatus unius & indiviſæ Reipublicæ, qui factâ & promulgatâ ſine ſcitu & conſenſu noſtro abdicatione AUGUSTI Regis II. pro hoc congreſſu ab Eminent: Primate & Illmo Mareſchalco Confœderationis Generalis Sendomirienſis per univerſalia determinato, convenimus: ad præſentem notitiam & perpetuam rei memoriam, omnibus & ſingulis, quorum ſcire intereſt, porrigimus: quòd nos juxta antiqua jura & leges Reip: ſine viſibili & publica Mte Regis perſiſtere non valentes, nec ullum alium in throno Poloniæ pro Rege noſtro agnoſcere & pati; niſi illum ſolummodò quem non coacta neceſſitas, aut externa potẽtia ſed unanimis duntaxat & ſpontaneus omnium conſenſus ad regnandum & dominandum nobis viâ legitimâ vocavit, acceptavit, & illi ſpontaneam obedientiam ſecundùm jura & vincula deberi pactorum recognovit, præſentibus periculis Reipubl: & graviſſimis calamitatibus infelicis belli, ſciſſæq; in partes Reipub: inducti, primo exemplo majorum noſtrorum ipſi inter nos mutuò Ordo ſenatorius & Equeſtris in præſenti congreſſu veram concordiam, unionem & confidentiam ſancimus, conſtituimus, & fundamus in fundamento ſacrorum vinculorum & roboratione confœderationis generalis Sendomirienſis omnium Reip: Ordinum, quam ſpecialiter per reſpectum duntaxat fidei ſanctæ Catholicæ, liberæ Electionis, jurium & libertatum Patriæ reaſſumimus, & confirmamus (excluſo puncto circumſcriptionis Ducum exercituum & Caſtellani Cracovienſis) declarando & pollicendo nobis ſub ſacramento juratæ fidei, honoris & conſcientiæ; nos nemine excepto, in præſenti ſacro vinculo confœderationis generalis Sendomirienſis perſeveraturos, & perſtituros eò uſq; dum certum & legitimum regnantem de conſenſu totius Reipub. in ſolio. Regni firmemus, ſic confirmando & conſervando indiviſim liberam electionem inviolatam, cujus integritatem ſaluti, vitæ, opibus, & ſubſtantiæ noſtræ præponimus; in quem finem omnes concives Regni & M. D. L. in genere & in particulari, authoritate publicâ moderni congreſsûs noſtri per amorem Patriæ obteſtamur: ut omnibus particularibus reſpectibus privatiſq; commodis ſepoſitis quantocius ad ſalvandam Rempub: liberamq; electionem, quæ fons omnium libertatum noſtrarum eſt, ſociatis viribus & animis concurrere velint, perſeverando & aſſiſtendo conſtanter glorioſæ & juramento firmatæ Confœderationi noſtræ, ſimul principalem fiduciam eò vertendo, unde veniet auxilium nobis, in cujus ſcilicet poteſtate ſunt omnium jura Regnorum, qui ubi humana non ſuppetent conſilia, mittet nobis auxilium de ſancto. A.C. 1707

Inter primas verò curas de bono publico Principem Primatem & Mareſchalcum ſtatuum Reipub. confœderatæ Generalem obligamus; ut ſine mora, indilatè aulas vicinorum Monarcharum, ubi noſtri hic & nunc Miniſtri reſident, per illos, ubi verò non ſunt, per literas publicas de ſtatu præſenti Reipub. de juribus & conſuetudinibus noſtris, uti & de gradibus modernorum conſiliorum informent, & enixè authoritate Reipub. expoſtulent: ut non ex alieno arbitrio, verùm ex univerſali ejuſdem beneplacito & requiſitione eum impoſterum tantummodò pro reali & vero Rege & Principe noſtro cenſeant ac recognoſcant, qui ſecundùm jura & conſvetudines noſtras interveniente pleno omnium conſenſu pro throno electus, ei adjudicatus & conſtitutus legitimè erit. Similiter civitates Pruſſiæ ſeriò admonitas volumus, eaſdemque obligamus; ut non intrinſecando ſe in materias ſtatûs ſpecialiter circa liberam electionem arbitrium & deciſionem univerſæ reſpiciant Rei-

A.C.1707 Reipub. & ad eam ſe referant. In quantum verò temere & præcipitanter ultra fas & præſcriptum jurium Patriæ ſibi quidpiam, quo ad hoc punctum licere putarent, aut etiam defacto concederent; ejuſmodi attentata pro nullis & irritis declaramus, reparationem verò læſæ authoritatis Reipub. ulteriori ejuſdem voluntati & judicio reſervamus.

Et quemadmodum Illuſt. Ducibus & toti Equeſtri Ordini utriuſq; gentis pro immutabili zelo & conſtantia circa conſervationem liberæ electionis noſtræq; generalis confœderationis imortalem in animis poſterorum conſignamus gratitudinem, ſimulq; ſoliciti de exſolutione deſervitorum meritorum, quàm citiſſimam & realiſſimam deſiderantes ſancitorum Comitialium, quo ad hoc punctum executionem, ſpecialē inſuper à Repub. ſpondemus remunerationem: ita viciſſim eos omnes quotquot ſive ſimul ſub ſuis ſignis, ſivè ſparſim ad contrariam partem pravo & damnabili uſu ſeſe tranſtulerunt, vigore præſentis congreſſûs noſtri admonemus, & vinculo juratæ fidei ac militaris obedientiæ obligamus: ut intra ſpatium ſex hebdomadarum à data innoteſcentia conſtituti noſtri, ad corpus exercitûs ſui redeant; quò irremiſſibilem in bonis & perſonis ſuis rigorem, per ſtatuta & conſtitutiones Comitiales, articulosq; militares contra deſertores caſtrorum expreſſum, effugiant; quem Duces exercituum mox à conſtituto termino indilatè extendere tenebuntur. Id verò interſtitium indulti temporis iis duntaxat inſerviet vexillis, quæ recenter per violentiam ſunt coacta: cum iis verò qui liberè Ducum excuſſâ obedientiâ & hibernis acceptis in partes adverſas tranſierunt, nec poſt præteritum prælium reditum maturârunt; inſtigator vel vice-inſtigator Regni jure agant in Commiſſione theſauri, ſive ij deſertores caſtrorum ſive interceptores vexillorum fuerint, pro pœnis perſonalibus & reſtitutione hibernorum ex bonis inculpatorum ſine mora vindicanda. Iisdem Inſtigatori & vice-Inſtigatori Officiales ſub honore & conſcientia reddere tenebuntur indicem militum, qui ultra debitum & ſtatutum exactis hibernis in præterita non fuerunt expeditione; ut ſic jure militari ad ſatisfaciendum urgeantur, unde tempus commiſſionis præſenti conſilio militaribus ereptum negotiis, compenſari poſſe concedimus. Commendamus urgentiſſimè Ducibus, ut inſolentes turmas (quàm primùm de illis ab aliquo vim patiente reſciverint) vigore jurium ſuorum irremiſſibiliter tolli & deleri imperent, eosq; qui inſciis iiſdem Ducibus militem authorare præſumerent, pro turbulentis ſeditioſisq; turmis cenſeant, ſimiliq; rigori ſubjiciant.

Hoc igitur primario fundamento in nexu animorum & armorum ſtatuum Reipub. pro ulterioribus conſilijs noſtris poſito, teſtamur & noſtra omnia intenta ſincerè & realiter coram ſtatibus Reipublicæ & univerſo mundo ingenito Polonis candore manifeſtamus & publicam⁹; quòd ſine ulla ab intra & ab extra dependentia & partialitate illibato & unito corde, purè & liberè, merè de conſervatione integritatis boni publici liberæq; electionis nobis proſpicere, illamq; ſalvare per reſtitutionem in integrum ſtatûs pro ut ab ævo Majorum noſtrorum fuit, ſervatis gradibus & ſolennitatibus deſideremus; & ideò in tam grandi, & ad omnes pertinentes opere nullo modo temere, præcipitanter & derepente procedere volumus, ſed omnes tam Senatorii ſtatûs quàm Equeſtris Ordinis ſive ij domi reſideant ſive conſulendo ſecuritati ſuæ exilium ex Patria præelegerint, ſive deniq; per deſperationem & faſtidium malorum in partes contrarias ſeceſſerint; univerſali noſtro ad tutandam

tandam Patriam conſervandamq; liberam electionem invitamus, poſtulamus, & ardenter obligamus: ut quantocius ad commune & liberum conſilium nobiſcumq; accelerare velint; in quem finem ſalvo per omnia vigore confœderationis Sendomirienſis curſuq; & continuatione præſentis conſilii Comitiola per Palatinatus & Diſtrictus Regni ac M. D. L. conſervando circa activitatem Deputatos, tam ex Comitiis Lublinenſibus quàm etiam ex generali confœderatione pro 28 Martij anni præſentis, in ordine ad conſervandam liberam electionem & confœderationem generalem, uti & eligendos Nuntios Terreſtres deſtinandosq; ad præſens conſilium, pro quo tempus & locum ſecundùm præſentes conjuncturas Primas & Mareſchalcus deſignat, in ejuſdem virtute determinamus, ſimul hanc noſtram unanimem & concordem roborationem generalis confœderationis ut eò citiùs omnibus innoteſcat, noſq; congreget, typis mandari & per Palatinatus, Diſtrictus, & Terras ſpargi mandamus. In præſentia Stanislai Szembek Archiepiſcopi Gneſnenſis Primatis &c. *A.C.* 1707

COPIA LITERARUM REGIS PRUSSIÆ, QUIBUS RECOgnoſcit Regem Stanislaum pro vero & legitimo Rege Poloniæ.

Quamprimùm ex literis Mtis Vra die 29 Menſis Novemb. anni elapſi ad nos datis, & à Seren: Regis Sueciæ legato nobis traditis intelleximus; confectâ tandem pace Mti Vra poſſeſſionem Regni Poloniæ, ac Regiæ dignitatis aſſertam, firmatamq; eſſe, nihil prius, atq; antiquius duximus, quàm eidem adeptum hoc ſummum decus, quod quidem ſummô ſtudiô, benevolentiâ, ac voluntate facimus, gratulari, atq; ſimul teſtari nos ſplendidiſſimæ Familiæ ex qua Mtas Vra orta eſt, erga Patriam ſuam officia, imprimis Mtis V. virtutes, atq; in nomen Polonorum merita excelſo hoc faſtigio digniſſima ſemper judicâſſe, neminemq; libentiùs in eo collocatum unquam voluiſſe. Faxit D. O. M. ut hoc Regnum ſit Mti Veſtræ, & Polonorum Genti diutiſſimè felix, & diſcordiarum reliquiis quietiſſimum ac glorioſiſſimum. Quod ſupereſt Mtas V. certiſſima eſſe poteſt, nihil nobis ſanctiùs unquam futurum eſſe, quàm æternis illis amicitiæ, vicinitatisq; legibus, quæ nobis cum Seren: Poloniæ Regibus, ac Inclyto Poloniæ Regno intercedunt, aut unquam intercedent, religiosè ſtare, commodis, ac ornamentis utriusq; ubiq; ſtudere, ac favere. Ac deniq; traditum à Majoribus in vos, ac commoda Polonici Regni ſtudium impensè colere, & augere; Mti Vræ à Divino Numine proſpera quævis precantes. Dabantur in Arce Regia Coloniæ Brandeburgicæ die 9 Febr. Anno reparatæ ſalutis 1707 & Regni Noſtri VII.

STANISLAUS DEI GRATIA REX POLONIÆ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, &c.

Univerſis & ſingulis quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poterit, præſertim verò majoribus, & minoribus Officialibus ac Militibus in Exercitu Moſchovitico reperibilibus oriundis, vel indigenatum habentibus, aut eundem prætendentibus, vel ſucceſſio-

A.C.1707 *nem habituris ex Regno Poloniæ, M. D. L, Pruſſia, Livonia, Curlandia, & Pomerania, alijsq; Provincijs ad Regnum Poloniæ ſpectantibus ſincerè ac fideliter nobis Dilectis ad notitiam indubiam deducimus; Quòd quàmprimùm plenè informati fuerimus, plures ſubditos noſtros ſive indigenas ex Dominijs noſtris, Provinciisq; annexis in actuali obſequio ac exercitio Moſchovitici exercitûs contra Nos, Patriamq; noſtram militare, ac arma tractare; jam verò tam Jura publica, quàm Conſtitutiones & Statuta Regni ſeriò contra tales animadvertant, pœnasq; rigidiſſimas declarent, nos ex tunc præſentibus literis noſtris omnes majores, & minores Officiales ac milites cujuscunq; præeminentiæ & conditionis ad Regnum, & Dominia noſtra vel indigenatus, vel ad ſucceſſum quocunq; nomine & titulo ſpectantes ab eodem exercitu, & ſervitio Moſchovitico revocandos eſſe duximus, præſentibusq; revocamus; mandantes, ac injungentes, quatenus omnes tales à data præſentium intra duos Menſes incluſivè ſervitium bellicum contra Patriam deteſtabile, atq; prohibitum projiciant; ad noſtrum verò legitimum ſeſe conferant obſequium, vel in domos ſuas redeant, ſub pœnis capitis, confiſcationis Bonorum, & incapacitatis etiam per Succeſſores ſuos, vel Conſanguineos earum ſucceſſionum in omnibus Dominiis noſtris ſinè quavis indulgentia & exceptione. Quod ut omnibus citò, legitimè, ac ritè innoteſcat, præſentes manu Noſtrâ ſubſcriptas; ſigilloq; Reip: cõmunitas typis mandari, ac ubivis locorum publicari fecimus, juſſimus, atq; facimus, & jubemus. Dabantur in Saxonia Leſniciæ 16 Aprilis 1707.*

JOSEPHUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA &c.

SERENISSIME &c. Pauci, imò nulli ſunt in Europa Principes, ad quos inclyti Poloniæ Regni ſalus, & incolumitas æquè ac ad Nos, & Auguſtam Domum Noſtram pertineat, quosq; civilia & funeſta iſtius Reipublicæ diſſidia majori commiſerationis ſenſu affecerint. Cùm ergo horum ſopiendorum, pacisq; internæ redintegrandæ amore Seren: Regem AUGUSTUM Coronâ, Regnoq; hoc abdicâſſe, Juribusq; omnibus in illud renunciâſſe acceperimus, literas Serenitatis Veſtræ 29 Novemb: nuper elapſi ſcriptas, quibus regiminis ſui exordia nobis nota, & participata eſſe voluit, è manibus extraordinarij apud Nos Ablegati verbis & aſſecurationibus Nos certos reddentis de religioſè colenda à Serenitate V priſcorum inter utriusq; Regna, & Provincias intercedentium fœderum fide, bonaq; vicinitate. Quare excelſum Regij honoris faſtigium eidem fraternè gratulantes, Divinum precamur Numen, ut illud Sti V. glorioſum, & Reipub; Gentiq; Polonæ fauſtum, ac ſalubre eſſe velit; Veſtramq; Seren: de mutua Noſtra benevolentia, & ſincera amicitia, fideq; vicinitatis juxta Prædeceſſorum pacta inviolabiliter obſervanda cupimꝰ omnino eſſe ſecurã. Dab. in urbe Noſtra Vienna 20 Feb: 1707; Regnorum Noſtrorum Romani 18, Hungarici 20, Bohemici 2. anno.

LITE.

LITERÆ PRIMATIS & MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS Ad CZARUM MOSCHOVIÆ 8. Martij.

A.C. 1707

Archiepiſcopus Leopolienſis captus

JAM latè reſonante veridicâ famâ Archi-epiſcopum Leopolienſem ab exercitu Vræ Czareæ gratiæ, ſub directione Generalis Rönne exiſtente captivatum, ſtatus Reipub. per nos repræſentant jura Eccleſiæ, & Regni noſtri de libertatibus & prærogativis Cleri. Duxerunt illa laudabilem ortum ſuum à pientiſſimis magnis Monarchis, Imperatoribus & Regibus, qui in primo ſuſceptionis fidei Chriſtianæ exordio renuntiârunt omni poteſtati & jurisdictioni ſæculari in Sacerdotes, Epiſcopos, & univerſum Clerum; quam antè uſurpabant, eamq; Eccleſiaſtico officio tanquam ſuperiori & principaliori reſignârunt, ſeq; inſuper cum ſucceſſoribus ſuis ejus ſubjecerunt arbitrio, Epiſcopos & Archi-epiſcopos Patrum decorârunt nomine, indignam ac indebitam rem eſſe cenſentes, ut illi & ſucceſſores illorum tanquam filii, judicium in Sacerdotes & Epiſcopos aliquando exercerent. Prout igitur Veſtra Czarea Serenitas horum magnorum Monarcharum verus Succeſſor eſt, & ad defendendum jura noſtra Eccleſiaſtica & ſæcularia in ditiones hujus Reipub: cum generoſis exercitibus ſuis venit; ita non dubitamus, quòd intuitu eorundem conſervandorum ſine ulla labefactione prædictũ Archi-epiſcopum Leopolienſem ſub cuſtodia & poteſtate exercituum conſtitutum, tanquam Senatorem ſtatibus Reip, tanquam Paſtorem & Archi-epiſcopum ſuis ovibus & Diœceſi reddi; vel ſi exemplo Regis AUGUSTI inſiſtere placuerit, Romam remitti imperabit. Conſequetur ex eo facto Czarea V. Serenitas apud univerſum orbem ingentem nominis ſui gloriam; quod cùm iterum ordines Reipub. à V. Serenitate expetunt impenſiſſimè nos unà cum illis particularem ad V. Serenitatem inferimus inſtantiam manendo &c.

UNIVERSALE REGIS STANISLAI I. Leſzno datum 16 Martij.

Conſilium Leopolienſe

POſt titulos. *Omnibus & ſingulis &c. intimamus. Congreſſus Leopolienſis ſine authoritate indictus, criminosè uſurpatus & continuatus, malis artibus repræſentatus, oblitus Patriæ, in ſuum effrenatè ruens exitium, ſuo feralis tempori, ſecuturis pudendus ſæculis; Moſchoviticæ deſideratorum, propriæ autem genti triſtium ac ſævorum omnium portitor, unam & indiviſam Rempub. (quæ vim, non ſpeciem libertatum juriumq; manu tenuit, tractatu Olivenſi reaſſumpto ſeſe contra pericula Religionis & avulſorum fortiter & fundamentaliter aſſecuravit, altero item tractatu pacis & abdicationis Sereniſſimi AUGUSTI Ranſteti concluſo plenam ab intra tranquillitatem obtinuit, uno verbo mirabilem virtutem & aſſiſtentiam Divinæ dexteræ eſt experta) abjectam à ſe novis factionibus diſcindens, (dum manifeſtè demonſtrat non legitimitatem prænominati AUGUSTI, quâ ſe ipſe, ſi illa quæpiam ſuperfuit, hactenus pallium tot attentatorum contra Patriam exuit) ea cauſare ſed furentem quorundam malitiam, & inſolentem in turbido aut creſcendi, aut retinendi per ſpolia adeptos honores ſpem, aliosq; neceſſitate armorum coactos, alios liberali aſſe Moſchovitico illectos, omnes fallaci impoſſibilium imaginationum & promiſſorum faſcino infatuatos contra Regnum Noſtrum ſpe, & opinione citiùs per gratiam DEI pacificatum, & univerſaliter planè ab omnibus recognitum, impio auſu triſtia conari molimina, novam quandam de exulceratis & reciſis à Repub. membris in jure vetitæ machinationis & perduellionis fundamentis ſub adlecto deſpoticè Primate & digno aliàs nunc autem*

A.C.1707 *condemnato ſublatæ confœderationis Mareſchalco, fallacium conſiliorum exhibet formam, & per violentiam communem in omnes de pectore noſtro eripit affectum, invitiſq; manibus fulmina rigorum juriumq; tam criminoſis auſibus debitorum inſinuat. Nos etſi non dubitemus cuivis ad honeſtatis normam facto, & antiquis viventi moribus conſtare ſatis, arbitrariq;, quid agatur rerum? quid ſerus veſper vebat nobis ſpe citiùs & Sereniſſimo fœderato Reipub. Rege Sueciæ redeuntibus? ne tamen ſilentium bonū in ſcandalum vertat, malis autem fiduciam præbeat, quemadmodum primo univerſali noſtro contra Moſchovitica projecta magis, quàm mandata & Primatis innoteſcentias edito, omnes admonuimus & cavimus: ne incltyi Regni hujus filii & Reipub. decora, innocuus Equeſtris Ordo ſe tantis ſervilitatibus ſeduci ſineret: ita præſenti etiam publico inſtrumento iteratò cavemus, quòd & conſilium Leopolienſe ejuſq; concluſio, & comitiola inde ſuam originem ſortita, & quidquid ex illo aut jam ortum duxit, aut ducet, totum id ſementis & meſſis ſit pœnarum & rigorum jurium Patriæ expreſſe, etiamſi ſileremus, pro nobis obloquentium (uti prætermiſſis alijs 1588) tum ejuſmodi, tanquam in manifeſto crimine perduellionis deprehenſos pro hoſtibus Patriæ declaramus, & bona illorum confiſcamus, & in mercedem iis qui ex iſta occaſione damna & injurias tam in bonis, quàm in perſonis, quæ per juramentum liquidari debent; paſſi ſunt, convertimus. Et infra anno 1589 non debet machinationes facere, nec ad exteros diſcedere, aut mittere, aut cointelligentias habere, ſive per ſe, ſive per alios ſub pœna capitis vel infamiæ ac variis ſupra ſcriptis, hoc eſt, ducentis millibus florenorum. His tantis rigoribus ipſimet Patriæ hujus exiſtentes propago & naturali cuivis devincti affectu prout neminem ſubjacere exoptamus, quinimò omnes ſub noſtra & totius Reipub. ſimultaneæ & indiviſæ jam in tribus ordinibus concluſæ protectione videre deſideramus, ita ob certam & inexcuſabilem impoſterum notitiam univerſale hoc noſtrum ſemel pro ſemper, in vim ſupremæ admonitionis & cautelæ ex mero & vero in publicum affectu, avertendo omnia præviſa mala ab inſontibus, edi & per omnia caſtra, Parœcias & loca conſueta publicari mandavimus, & mandamus, manuq; propria ſubſcriptum ad majorem fidem conſuetum ſigillum applicari juſſimus. Dab. &c. Anno Regni Noſtri III.*

UNIVERSALE MARESCHALCI CONFOEDERATIONIS STANISLAI COMITIS DöNHOFF 15 Aprilis.

Omnibus & ſingulis &c. notum facio. Reſpub: noſtra deſpoticam externæ potentiæ detrectans impoſitionem, Patriis juribus non alieno ſubjecta arbitrio, glorioſo in poſteritatem zelo veris æmulumentis impendens operam; non ſervili, infami & deteſtabili obſequio ſub pallio falſorum prætextuum cum detrimento commodi proprii alienis famulans factionibus: exorbitantias ſibi tanquam Domina juris ſui ad emendandum relinquens, non exoticæ ſuadens cenſuræ, Jus Reges corrigendi, ſi quando ex deſcripta legibus ſphæra exerraſſent ac tandem in caſum incorrigibilitatis, dethronizationem ſibi ipſi conſervans, non autem favori & judicio vicariæ & invidæ hujus extraordinariæ prærogativæ libidinis concedens: & ideo Regi ſuo legitimè Electo & in thronum inaugurato fideliter ad ultimum uſq; punctum temporis aſſiſtens, conjurationes, conventicula, tractatus in illis omneſq; actus, tanquam ſub forti exteræ potentiæ manu, ſine nobis abſolutos, præcipuè delicatiſſimas maximèq; eſſentiales & conſtitutivas vitæ politicæ ſtatûs noſtri materias, exvinculationem, dethronizationem, & novam Electionem deci-

cidens, pro nullis, illegitimis, & funditùs evertentibus compagem ſtatûs, quæ ingentibus auſis & factis majorum noſtrorum coaluit, & ad invidiam gentium conſurrexit: prorſus hæc Reſpub: noſtra quæ ab ipſis calamitoſi belli primordiis fatalibus ejus effectibus nunquam alterata, ſemper libera, independens, conſtans, nulla vi fatorum labefactata, de ruina & cineribus ſuis auguſtior, ex flammis clarior, ex preſſuris celſior emicuit, naturalis hic & nunc adhuc, & eâ, quam nulli deviorum ſenſuum & machinationum inſultus illi inviam reddent, procedit viâ, priſtinumq; ſuæ (quamvis monſtroſa illius membra defigurare & transformare) figuræ conſervat honorem, ideoq; conſtans ſibi Reſpublica rigidè obſervans immunitates ſuas, abdicationem Regis AUGUSTI non pro abdicatione, quia non ſervatis in tali caſu gradibus, nullâ denuntiatione & admonitiones ſtatuum hac ſuper re præviâ, ſine Comitiis & communi omnium conſenſu, ſed merè pro ceſſione throni indebita, nunquamq; practicata in libera gente habens, collecta & congregata legitimè, per univerſalia Illmi Primatis à legitimo Rege nominati, à ſupremo Eccleſiæ capite approbati, per mea etiam univerſalia, quorum edendorum poteſtatem mihi ſana Reſpub:, nulla partialitate innodata, neq; aliquâ violentiâ coacta, dedit, jusq; conceſſit in virtute Generalis ſtatuum ſuorum ad Sendomiriam Confœderationis roborationem ejuſdem Confœderationis tanquam unicum & practicatum ſemper à majoribus noſtris in ſimilibus caſibus ſalvandi modum, pro baſi & fundamento aliorum ſalutis mediorum determinavit, & conſtituit, liberam electionem pupillam libertatis, ſpiritum vitalem, unicam inter Dominationes univerſi Phœnicem, conſervare ſanctè ſanxit, & Comitiola eo intuitu per omnes Palatinatus, terras, & diſtrictus edixit; in quibus minimè dubito à vobis neceſſarias ad communem ſalutem factas diſpoſitiones: nunc ex vi officii mei non ad turbanda ciendo jura Quirites, ſed ad reſtaurandas convulſas, funditusq; everſas libertates, ad plurimū inclinatam liberæ gentis gloriam, ſuo rigori & eſſe reſtituendam, confracta jura in priſtinum ſtatum reducenda, conſervandam & erigendam in oculis univerſi, quo ad naturalia decora ſua, vim, & eſſentiales prærogativas, ſupra æſtimationem & pretium inclytam, qua ſupra ſortem communem aliorum Regnorum extollimur, liberam electionem, generalem congreſſum pro die 23 Maji Lublini determino; pro quo ſive viritim, ſive per Nuntios, ut quàm numeroſiſſimè cōparere velitis; amore boni publici obteſtor, & quàm ardentiſſimè exoro: ſub hæc ex perſona mea infractam fidelitatem, zelum ardentiſſimum, applicationem indefeſſam, & fideliſſimam ſancitorum executionem, cum debita omnibus veneratione declaro. Hoc verò univerſale ut eò citiùs innoteſcat per caſtra & Paræcias publicandum commendo, in quorum fidem me manu propriâ ſubſcripſi ſigilloq; ſignavi. *A.C.* 1707

UNIVERSALE PRIMATIS STANISLAI SZEMBEK 15. April.

OMnibus & ſingulis &c. notum facimus. Solicitudo muneris Primatialis, limitato nuper generali congreſſu nihil temporis indulget quieti noſtræ; quamvis provecta ætas & fracta valetudo eam ſibi depoſtulet ceu neceſſariam. Jam dudùm in ipſo congreſſus hujus initio egregium poſuimus fundamentum ulteriorum publicorum conſiliorum, in nexu animorum & armorum ſtatuum Reipubl. roborando generalem Confœderationem Sendomirienſem: incepimus in hoc fundamento ex innato nobis in Patriam & libertates ejus affectu per

A.C 1707 abſoluta recenter Comitiola exoptatam fabricam conſiliorum noſtrorum, in ordine ad ſalvandam Rempub., priſtinum morem reducendũ, conſervandam in oculis univerſi orbis ſpectantis præſentes funeſtas conjunctiones, & reparandam, quo ad antiqua ornamenta & libertates liberam electionem, quæ verè fons eſt & anima omnium prærogativarum, fortunarum, immunitatum Ordinis Equeſtris: quam ſemel dimiſiſſe & perdidiſſe, eſt perdidiſſe & amiſiſſe omnia, non tantùm cum inde perennaturâ in ævum & orbem univerſum infamiâ ſed etiam cum irreparabili detrimento. Quod enim hactenus tot iam ſæculis revolutis non eandem cum aliis Regnis & gentibus, quas grave ſervitutis jugum premit, acerbi Imperij ſortem & deſpoticã Monarcharum abſolutè regnantium ſubiverimus conditionem; quòd veri DEI & Servatoris Noſtri fide uncti & animati ex æquo fideles & liberi in gremio S. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ vivamus & conſtantes hucuſque perſeveremus; quòd virtute legum & grata metamorphoſi regamur à Regibus, & ipſi illos regamus, antéque illis ex arbitrio noſtro conſtituamus & porrigamus jura, quàm Coronam & Sceptrum, eâq; viâ ad eam augem noſtram extulerimus libertatem; ut jam quo creſcat non habeat: omne id ex fonte liberæ promanat electionis: dum enim non ſors naſcendi fortuita nobis obtrudit Principes, nec externa per violentiam imponit potentia, ſed liberæ voces & corda civium juxta jura & morem priſcũ eum tantummodò recognoſcunt Dñum, in quem omnes unanimiter conſentiunt, quem per prius dignum throno arbitrantur, quàm in throno vident, cuique ſponte ſeſe ſubjiciunt, ac jura ſua ſimulq; imperium per prius dant, quàm ſuſcipiunt. Ad ſalvandum igitur hunc tam pretioſum fontem, ex quo tot rivuli felicitatis naſcuntur, ne tandem deficiat, ad defendendum hunc theſaurum, in quo omnia Patriæ noſtræ pretioſa decora abſcondita latent, ne depereat: ad conſervandum unicum hoc gentis noſtræ ornamentum, quo nos hoſtilis ſpoliavit violentia, ut iteratò ad nos redeat: generoſo animo & ardentiſſimi amoris quà in DEum, quà in Patriam affectu nunc opus eſt, nunc inquam: quia non eſt tempus niſi nunc, neceſſariò & omninò ſincerè amor eſt exerendus. Ne verò in me aliquando negligentiæ alicujus culpa retorqueatur, non deſum tempori, & tam ex vi characteris Primatialis, quàm congenito in Patriam affectu omnem, qui modò poſſibilis Rempub. ſalvandi modum tentare in votis habeo, obtemperans dato deſuper per vatem mandato: clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: zeloſam Patriæ in ejus auxilium vocans conſecro vocem, procul exiſtens à concitandæ ſeditionis intento; utpote homo pacis & ab adoleſcentia mea aſſvetus cum pacificis agere, à ſeditioſis cavere: non adjicio ligna aut affundo oleum flammæ, quæ propè totum in cinerem & favillam convertit regnum, ſed quæro in pulvere ſepultam libertatem ad necdum extinctam civium verè filiorum in Parentem Patriam amoris lampadem, & ceu verus, indubius, quia non controverſus Primas, DEI gratiâ, affectu legitimi Principis, non deſpoticè electus, ſed de gradu in gradum promotus, & authoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ (cujus ſuavem & fortem de aliis curam, de aliis cenſuram univerſus orbis cenſurare nequit) in ſpecula hujus Reipub. prout decuit & debuit, ſecundùm jura & morem conſtitutus, & nido Sarmaticæ Aquilæ unà cum aliis, qui ſe non degeneres probant à Patrio alite filios, irretorto oculo ſolem oriturum meditor intueri. Jamq; attendendo ad mentem ſupra memorati congreſſûs noſtri, alterum conventum generalem (fortunet

tunet

net DEus) pro 23 Maji præſentis anni Lublini deſigno & determino, *A.C.* 1707
intuitu ultimatæ proviſionis, conſilii & defenſionis fatiſcentis ſub tantis malis Reipub. & præcipuè conſervationis liberæ electionis Regis noſtri, ſtabiliſq; in thronum Poloniæ exaltationis, uti etiam demandationis executioni omnium ſancitorum publicorum, dictum congreſſum ſequentem antecedentium: pro quo ut ex Palatinatibus, Terris & diſtrictibus, ſive per Nuntios de gremio ſuo electos, ſive viritim confluere & adeſſe velitis, enixè deſidero & peto. Spero quàm numeroſiſſimos pro tempore deſignato in loco congreſſûs compariturος. Ad Majorem fidem univerſale hoc manu propriâ ſubſcriptum & ſigillo roboratum per caſtra & Paræcias more ſolito publicandum commendo.

ORATIO PRINCIPIS PRIMATIS IN VALEDICTIONE CONgreſſûs Generalis & limitatione ſeſſionis An: 1707 9. Julij.

QUando aliquot hebdomadis nihil agere viſi ſumus; intra dies aliquot peregimus totum, quidquid ex re, tempore, juxta jura & conſuetudines antiquas nobis agendum incumbebat. Nemo noſtram reprehendere cunctationem poteſt; qua non tantùm eguit, ſed etiam eam exegit ſpes pacis deſiderata & facta. Nemo cenſuræ ſubjicere omnem modernam diſpoſitionem: imus enim & procedimus in rebus viâ ordinariâ, modo naturali, jure & more in volumine legum deſcripto & practicato. Conſtituimus Rempubl: ſub certa regiminis forma; ut quamvis careamus Dño, ipſa tamen ceu Domina regere ſua & regnare poſſit. Relinquimus illam in plena libertate & poteſtate tam ſentiendi, quàm agendi; ut impoſterum, quidquid ei pro ſua conſervatione viſum fuerit, conſulere & exequi valeat. In viduitate ſua, dum nuper Domina gentium, Princeps Provinciarum, jam non tantùm ſine Principe; ſed etiam ſine filiis & amicis, qui dolendâ metamorphoſi ei facti ſunt inimici; numerat non tantùm dies, ſed & horas afflictionis ſuæ, omnis populus ejus factus eſt ſub tributo, gentes quæ glorificabant illam, modò ſpreverunt eam, jura & libertates, ornamenta & fortunæ ejus, quæ habuit à diebus antiquis, non tantùm diminuta ſunt, ſed prorsùs in perditionem data: dum tamen vos de ejus ſalute conſulitis, necdum deſperat, nondum extra ſpem ſalutis eſt, non eſt extra ſpem redintegrationis. Et videmus & ſentimus multa flagella peccatorum: caſtigans caſtigavit nos Dominus; nec tamen morti tradit nos; adhuc rigidum ſuſpendit decretum, quod olim alteri comminatus eſt genti, propter iniquitatem & peccata ejus: ecce Dominator Dñus Exercituum auferet à Jeruſalem & Juda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ, & auferet virum bellatorem, judicem, conſiliarium, ſapientem & prudentem. Me profectò in hac provecta ætate mea, in tam debili & attrita tot laboribus valetudine, nihil ſecundùm gratiam DEi ita in vigore & fervore publici ſuſtentat obſequij, ac hoc, quòd cum ſapientibus & prudentibus & bellatoribus de rebus Reipublicæ ſit ſermocinatio mea. Laudes idcirco Altiſſimo, vobis autem omnibus & ſingulis, tam qui ex Illmo Senatu, unà cum Mareſchalco Generali Confœderationis primam potiùs curam ſalutis Reipubl: quàm Veſtræ habetis, inceſſanterq; boni communis bajuli Patriæ continuatis obſequium; quam ex inclyto Equeſtri Ordine gratias perſolvo, pro conſortio laboris & ſedula ad promovendum bonum publicum applicatione, petoq; impoſterùm, ne ceſſare ab opere ulterioris vindicationis Patriæ, & à futuris DEo dante,

A.C.1707 te, conſiliis, ne præſentiam veſtram & fervorem excuſare velitis. Perſeverantia coronat opus, etiam quod pietatis eſt, & quemadmodum in Divino obſequio non attenditur principium, ſed finis; ita nec in obſequio Reipubl, in quo prius illud clauditur. Non reſpiciamus privata commoda, non proximorum colligationes, dum veris Patriæ contrariantur emolumentis: meminiſſe decet DEi, qui inimicos diligere juſſit, amicos verò ampliùs; & nihilominùs Patrem & Matrem, fratrem & ſororem, imò & uxorem odio haberi voluit; quoties rectam nobis impediunt viam obicemq; ponunt operibus ſalutis. Non reddat difficiles nobis virtute natas reſolutiones dubius eventus, incertus rerum Magiſter; quia & hic in optimis quibusq; & perfectiſſimis diſpoſitionibus pendet à DEo; qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit: non noſtrum eſt ſcrutari futura momenta rerum, & temporum; quæ DEus in ſua poſuit poteſtate. Noſtrum eſt rectâ DEum ſequi, & juri, conſcientiæ & voluntati Divinæ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur & cui nemo contravenire poteſt, effectum conſilij, intentionum laborisq; committere. Quòd ſi verò (quod tamen non timeo) ultima criſis juſto DEi judicio ob peccata noſtra huic regno immineret; ſic nobiscum concludamus; poſſe nos opes perdere; at ſequendo DEum, ductumq; juris & conſcientiæ animam amittere non poſſe; qua nihil pretioſius in poſſeſſione habemus. Valedico omnibus, ſeſſionem autem congreſſûs hujus ad 11. Auguſti proximam Lublinum limito.

INTIMATIO INTER-REGNI.

NOS Senatores Regni & M. D. L. pro præſenti congreſſu vigore univerſalium ab Illmo Primate & Mareſchalco Confœderatorum ſtatuum Reipub. emanatorum, in ordine ad proſpiciendũ & conſulendum Reipub, & præſertim ad conſervandam liberam electionem fundamentalemq; in thronum Poloniæ Regis inaugurationem, congregati, præſenti & ſecuturis ſæculis notum facimus: quòd nos quemadmodum in præterito Leopolienſi Congreſſu nolentes orphanæ & undequaq; ſub tempus modernæ ſciſſionis, funeſtiq; belli afflictæ Reipub. fata præcipitare, indulſimus moras expectationi ſalutis publicæ; attendentes interim ad ex domeſticis & vicinis conjuncturis emergentia; præſertim verò perpendentes inſolentem & jure vetitum Regis AUGUSTI proceſſum, qui ſecundùm pacta conventa jurata propria, & Sereniſſimorum Anteceſſorum ſuorum, nominatim contra articulum in pactis conventis piæ memoriæ Regis Michaëlis in volumine legum 1669 folio 10 expreſſum, item contra tenorem in propriis pactis fol. 6. 7. expreſsè cautum, nullo modo quocunq; titulo vel prætextu ſive propriâ ſponte, ſive coactâ voluntate abdicare Regnum, aut de abdicando cum aliquo tranſigere vel componere potuit, tanto verò magis inconſultis & invitis ſtatibus & Ordinibus Reipubl. qui etſi urgente inevitabili caſu in id conſentire aliquando & ſuper hoc diſpenſare vellent, non poſſent tamẽ tam grande opus ad omnes ſpectans in materia ſtatus concludere, & determinare; niſi habito Generali omnium conſenſu in Comitiis, in facie totius Reipub:, ſervatis ſolennitatibus & gradibus in lege præſcriptis: ita & nunc in præſenti congreſſu noſtro ex iiſdem rationibus præcipitantiam exitioſam in publicum peroſi, quæ Rempub: in hiſce circumſtantiis ampliùs confunderet, quàm ſalvaret, indies ſeſſiones noſtras limitavimus, quærendo maturâ deliberatione ſalutaria & profectura ad reſti-

reſtituendam fatiſcentem undiq; Rempub: erigendamq; de ruderibus & ruinis libertatum & prærogativarum Poloniæ liberam electionem, media: ſi quæ conformis legibus & inſtitutis majorum noſtrorum occurreret via, quâ in hoc turbido & periculoſiſſimo rerum ſtatu ulteriorē conſervationem authoritatis & vigoris Reipub: conſequeremur: verùm quia non exiſtente in throno Poloniæ perſonali ac legitimâ Mte, hoc eſt ſine Rege noſtro, conſentientibus votis & animis ad Regnum exaltato, in ſtatu nullo vel dubio abſq; certa regiminis forma diutiùs conſtare nobis non poſſumus, ideò antiquis juribus & conſuetudinibus anteceſſorum noſtrorum inſiſtentes, qui in ſimilibus caſibus deſtituti legitimo Principe, ipſimet more priſco & legibus Rempub: regere, ejuſq; integritatem quo ad jura & libertates conſervare conſueverunt, vigore præſentis congreſsûs noſtri ex unanimi omnium conſenſu orbatam faciem Reipub: recognoſcentes, Inter-regnum declaramus, ſimul Rempub. dominam jurium & libertatum ſuorum liberam & independentem proclamamus, & publicamus. Et quia ab ejuſmodi intimatione & promulgatione ſtatûs Reipub. cuncta judicia tribunalitia & jurisdictiones ſub nomine Regis ſilere debent; illorum loco conſulentes ſecuritati publicæ, & juſtitiæ ſanctæ proſpectum volentes, conſueta capturalia tam generalia quàm particularia per Palatinatus, terras, & diſtrictus judicia juxta antiquas conſuetudines & ordinationes conſtituimus. Intuitu executionis horum, & in ordine ad conferendum & conſtituendum de neceſſitatibus Reip. juxta exigentiam præſentium & imminentiū circumſtantiarum Comitiola relationis pro 1. Auguſti currentis anni in conſvetis per Regnum & M. D. L. locis deſignamus. Sub hæc fundantes nos in nexu & robore generalis Confœderationis Sendomirienſis, uti non niſi ex ſola animorum unione felices eventus & effectus conſiliis & reſolutionibus noſtris augurari & præſumere poſſumus, ita conſtanti & unanimi conſenſu vinculo ſacroſancto omnes adinvicem repetitis ſponſionibus declaramus, & ſub fide, virtute & conſcientia noſtra pollicemur: Nos ſine ulla ſciſſione & diſmembratione immotè & conſtanter in hac noſtra Confœderatione generali Sendomirienſi toties confirmatâ perſeveraturos, ſimul principaliter ad propugnandam ſanctam Catholicam Romanam fidem, defendendam liberam electionem, & integritatem finium Regni, etiam cum diſcrimine vitæ opumq; & fortunarum noſtrarum paratos futuros, item Mareſchalco Confœderationis, conſervandæ dignitatis illius, & characteris reſpectu, conſtanter memorando exemplo communi nobiſcum defenſioni aſſiſtentis euſque adſtituros; donec hos duos cardines, in quibus integritas Reipublicæ noſtræ ſuſtentatur, hoc eſt fidem ſanctam, & liberam electionem in ſtatu integro conſpiciamus: unde eum duntaxat Regem nobis deſignabimus thronoq; Poloniæ inaugurabimus, qui in Catholica fide natus conſentientibus liberis ſuffragiis, juxta antiqua jura & conſuetudines noſtras eligetur, nominabitur, & pro Rege agnoſcetur: ſimul contra quemvis, qui ſive per potentiam externam, ſive per domeſticas factiones thronum Poloniæ ſine generali conſenſu noſtro inſcendere attentaret, aut ejus poſſeſſionem invitis nobis violento modo prætenderet, vel uſurparet, ſecundùm conſuetas obligationes majorum noſtrorum, tanquam contra hoſtem Patriæ conſurrecturos, ac eo uſq; viribus noſtris unanimiter, junctimq; cum auxiliis colligati Sereniſſimi Czari, intrepidâ generoſitate & reſolutione reſtituros declaramus: quouſq; jura & libertates noſtras circa Religionem Catholicam & liberam electionem A. C. 1707

A.C. 1707 onem integras & ſalvas in ſuô vigore comperiamus. Quocirca Duces Exercituum ipſumque exercitum ad agenda fortia, & ad communem defenſionem nobiſcum obligamus, ſimulq; ut præterita conſtituta & repartitiones in tribunalibus theſauri declaratæ & factæ reſpectu exſolutionis meritorum militarium ſuum ſortiantur effectum, vigore præſentis congreſſûs Palatinatus & Terras compellamus.

Quia verò in præjudicium hujus indiviſæ unionis noſtræ non obſcura adverſæ revolutionis in M. D. L. indicia erumpere cœperunt, huic malo maturè occurrentes, ut Palatinatus & Diſtrictus ſua pericula tempeſtivè prævidere & de defenſione ab exercitu M. D. L. facienda contra quoſvis caſus certi eſſe poſſint; ſequendo practicatas conſuetudines, generalem congreſſum Novogrodeci pro 8. Octobris currentis anni (in ordine ad roborandam coëquationem, antiqua ſancita, lauda, & confœderationes, ad ſtabiliendam unionem inter cives, uti & conſervandum in debita obedientia exercitum Litvaniæ, circa Rempub. & colligationem cum Magno Duce Moſchoviæ, item ad augendas vires & providendum de exſolutione exercitûs) unà ad eundem finem Comitiola ſive ad deſtinandos Nuntios, ſive decernendum viritim communem motum ad eundem prædictum congreſſum, pro 24. Septemb. in locis ſolitis determinamus, ſine præjudicio nihilominùs moderni ulteriùs adhuc duraturi generalis conventûs noſtri, & ſine avocatione jā ante ad illum deſtinatorum Nuntiorum, quos authoritate præſentis congreſſûs approbamus ut invicem nobiſcum tam hic præſentes à nobis non diſcedendo, quàm etiam alii ex præteritis Comitiolis ad noſtrum gremium deſignati circa tuitionem liberæ electionis perſiſtere & perſeverare velint.

Volentes verò continuo & communi zelo integritati & indemnitati Reipub. proſpicere; quatenus in tam manifeſto periculo nobis ſemper conſulere poſſimus, ſimulque in promptu conſilium habeamus, curſum & vigorem præſentis congreſſûs noſtri cum toto effectu Lublini in eodem loco ad diem 1mum Auguſti anni currentis differimus & limitamus, obteſtando amore boni publici tam Senatores quàm Nuntios præſentes, Deputatosq; ſive per Comitia Lublinenſia, ſive ex confœderatione Generali Sendomirienſi deſignatos, nec non omnes concives Regni & M. D. L. hic præſentes, aut domi reſiduos, aut extra Regnum exiſtentes: ut vel ſigillatim, vel viritim communi motu vel aliter expediti juxta libitum ſuum ad prænominatum congreſſum intuitu communis conſilii, defenſionis Patriæ, & præcipuè conſervationis liberæ electionis liberiq; Principis eligendi, ad eundem locum, ſive ex laribus ſuis accelerent, ſive inſimul nobiſcum hic perſiſtant; aſſecurando omnimodam ſecuritatem euntibus & redeuntibus ad dictum conventum, & hoc præcavendo; ne ad locum nominatum milites cujuſcunq; exercitûs militari modo venire & publica conſilia impedire præſumant, ſub pœnis in legibus expreſſis. Ultimatè ſicut diſpoſitiones in receſſu præterito Leopolienſi declaratas in eodem valore haberi volumus, ita omnia deſideria publica & privata præſertim Caſtellani Lubaczovienſis & Exulantum Starodubienſium & alia ad futurum congreſſum differimus, & ſimul hoc Inter-Regnum conſtitutumq; noſtrum, manibus Celſiſſimi Principis Primatis, ac Illuſtriſſimi Mareſchalci confœderationis ſubſcriptum ut quantocius per Palatinatus ſpargatur, conſuetoq; modo per caſtra promulgetur, & publicetur urgentiſſimè commendamus. Actum Lublini 11. Julij in præſentia Celſiſſimi Primatis &c. ex equeſtri Ordine coram Illuſtriſſimo Mareſchalco &c.

UNI-

UNIVERSALE CAPITANEI SAMOGITIÆ GREGORII Oginski contra Univerſalia Principis Wiſzniowieccij. 22 Julij. A.C. 1707

COmmitto non tantùm Celſiſſimis &c: Senatoribus, Dignitarijs, Officialibus Terreſtribus & Caſtrenſibus, Equeſtri Militiæ & Ordini, Palatinatibus & Diſtrictibus; ſed etiam omnibus cujuscunque ſtatûs, dignitatis, & eminentiæ intra limites M. D. L. pronunc exiſtentibus arbitrandum exemplare facinus Principis Michaëlis Wiſzniowieccij; qui nullis prævijs meritis in M. D. L, ſupra capacitatem annorum, tot bene meritis neglectis, preuſatos in tenera ætate adeptus faſces, in ſpem & pretium affectûs, fidelisq; in bonum publicum obſequij, nova ingratitudinis monſtra ferali de aſtutiæ conceptu effudit partu. Imprimis conſecutus Generalem Colonellatum M. D. L, jus coæquationis & Olkinicenſe conſtitutum magis Nobilitatis ſangvine quàm ſepiâ conſcriptum, delevit & caſſavit, per oppreſſionem exercitûs, per mutationem repartitionis, per exactionem in quadruplo hibernorum, per privatas in immeritas Perſonas de publicis proventibus largitiones, per bonorũ Terreſtrium vexationes, & ex illis in proprium commodum millionum extorſiones, per juris Regii quo ad diſpoſitiones Capitaneatuum vendicationes, & inde colliſiones inter Concives cauſatas; quodq; ſummum eſt: ipſe Comitiorum Lublinenſium exiſtens Mareſchalcus ignotum pactorum Nomen à ſe caſſatum reſuſcitavit, ipſe in ruinam Patriæ inſupportabilibus, ne meritiſſimorum quidem attendens preces, contributionibus oneravit bona, in Nobilitatem & aulas illectâ exoticâ gente executionem exercuit, & poſtquã in prædictis Comitijs Rempub: in vinculũ colligationis cum Czaro induxit, ſtatibusq; M. D. L. ejusdem ratificationem perſuaſit, ipſemet fœdifragus primus ab illa receſſit, cum hoſte condicta & armiſtitia ſanxit, cum Repub: in diſpoſitionibus publicis hypocriticè duplici corde & ore egit, prorsusq; oblitus beneficiorum ejus in domûs ſuæ toti⁹ abivit probrũ, adlecto ejusdem farinæ Conſiliario Sienicki, correſpondentiis & indignis Duce Conſiliis, quorum authentica publicè præſentabuntur, gentis temeravit honorem, tantis delictis Patriã in mille ſuſpiciones & diſcrimina conjicere voluit, pecunias, quæ in cõſolationem Exercitui vehebantur privatis ſuis copiis diſtribuendas per latrocinium eripuit, demum ut fraudes coronaret, in obſequium & partes Stanislai tranſivit. Ille pro inhabili à Reipubl: ad Mareſchalcalem Scipionem agnitus, ſobrio nunquam Capite extollit thema, continuas legationes per diverſas abſolvit Perſonas, non conſiderans ſequentem perduelles pœnam, quinimò per abuſum Ducalis Clavæ Equeſtrem Militiam & Nobilitatem in ſuas partes trahit, quam adhuc ſub Chrisburgenſe prælium, irreflexis, vel ſatiùs ſtudioſè adinventis explorationibus exſpectorare & defendendo imparem reddere conatus eſt: ut tantò faciliùs disarmatâ Patriâ gratiam iniret hoſtis, ſuumq; manu teneret Stanislaum, à quo ſtante ſolio AUGUSTI Regis erat appretiatus. Perpendet id conſummata cujusvis Veſtrûm & cana prudentia, quòd hoc ejus propoſitum non tantùm faſcinare Reipub: Ordines; ſed etiam (ubi culpam in decus ſibi verterit) incauta poſſit animare ingenia: unde ego cui in hac Patria intra faſces eſſe, à Patre, avis atavisq; Lucina indulſit, non habendo unquam præeminendi ambitum ivi communi via per obſequia Patriæ à minima militiæ functione ad usq; Ducalis poteſtatis miniſterium: quo Palatinatibus & Diſtrictibus intimato præcaveo, opto, & pro amore in Patriam peto; ut quotquot natos, fratres, colligatos & quo-

A.C.1707 quocunq; titulo obligatos amicos inductos ad aſſiſtendum manifeſto habetis proditori; quantocitius domum veſtram revocetis: Vos autem quos verus boni publici incendit zelus; unà mecum defenſioni Patriæ, juriũ, libertatum & fidei incumbatis, jungendo vires cum viribus colligati Monarchæ; qui ad clariùs eſſe hujus proditionis dignatus eſt edere Univerſalia ſua cum ſpeciali demonſtratione actionum tam Principis Wiſzniowieccij quàm Sienicij: aliàs ſi quis ejusmodi præcautionibus parere nollet ipſe ſibi injuriæ Author, ipſe damnorum ſatique parens, fortunæ, honoribus & vitæ foret. Datum Minſci &c.

UNIVERSALE PETRI I. DUCIS MOSCOVIÆ.

P*oſt titulos.* Omnibus & ſingulis &c. Significamus. Cùm pertinaciter ab ipſis belli hujus initiis communis noſter & Patriæ hujus Poloniæ hoſtis, prout incepit, pergat, nullum ſibi indulgens otiũ, quo à nocendo deſiſtat, & in immemori corde ſuo odia & obſtinatæ malitiæ bajulet partum, ut omninò huic ſatis jam afflictæ Reipub. gignat exitium; qui ſciens, quòd nihil æquè peſſimo ejus propoſito obeſſe poſſit, quàm unio & confidentia, ut hoc antidotum in toxica vertat, ſpargit, ubi poteſt, ſemina diffidentiarum; ut optatam intentorum malignantium aſſequatur meſſem: Quemadmodum etiamnùm recenter nobis innotuit; quòd inter frumentum Electorum, inter Electos & veros hujus Patriæ filios, qui in tanto ardentis lateque deſolationis flammas vibrantis Trojæ incendio, non privatæ propenſionis inſectantur, commoda, ſed planè ut olim Achilles Parentis auxilium, ſic illi Patriorum jurium prenſant tutelam, volentes ex manifeſto Patriam ſalvare periculo, factâ confœderatione fideliter & ſanctè circa jura & libertates ſuas, ſancitâ verâ intuitu defenſionis & tutelæ Reipub. nobiſcum colligatione, ut ſint decus & columen Patriæ, fideliter & conſtanter eandem conſervant, & inter tot cruda & aſpera ſicut Scævola manum de igni ob amorem Patriæ efferre nolunt, inimicus homo, cui quidquid bonum eſt contrariatur, non valens pati hanc ſibi damnoſam Patriæ autem ſalutarem unionem & confidentiam, ſeminet zizania; ut faventes nobis & Patriæ affectus à coalita abſcindat confidentia, falſosq; divulget rumores: ac ſi noſtra Czarea Majeſtas Generalibus & exercitibus noſtris pleno & rigido noſtro mandato, tam amicorum, quàm inimicorum omniumq; ſine diſcrimine & exceptione ulla, bona non tantùm ad incitas redigere, ſed de toto immiſſis ignibus annihilare & eradicare, ſub prætextu prohibendæ neceſſariæ ingreſſuro Poloniæ Provincias hoſti ſubſiſtentiæ, imperâſſemus. Et quamvis quilibet facilè dignoſcere poſſit vanæ mendacia famæ; quæ ex hoſtilis malitiæ profluunt cerebro, nec alio nituntur fundamento, præterquam animo injuriandi: nihilominùs noſtra Czarea Mtas juſtum bonumque exiſtimavimus, ut toties jam iteratas intentiones & declarationes noſtras, hoc etiam univerſali confirmaremus & edoceremus, quòd quemadmodùm per rationem defenſionis Reipub. & conſervationis jurium & libertatum, juxta concluſum nobis fœdus Poloniæ Regnum ingreſſi ſumus, & communia commoda fulcire non deſtitimus: ita ſemper etiam impoſterùm omnium nobis & Reipub. faventium bona ac fortunas non in ruinã acturos, ſed protectione noſtra tuituros, & conſervaturos polliceamur. Illud verò neminem à nobis avertere debet, quòd adhærentium hoſti noſtrisq; & Reipub. commodis non faventium bona contributionibus

impo-

impoſitis premere, & exhaurire mandaverimus; quò ſublatis medijs nocendi unum nobiſcum ſentirent, quòdq; Generales noſtri & Officiales eorum, qui in pertinacia perſeverant, domoſq; ſuas fugâ ſe ad hoſtiles partes ſalvando conferunt, ne contributionibus ſubjaceant, flammis vaſtare, ut pœnas luerent obſtinatæ mentis ſuæ, coacti fuerint: in quo tamen ad interpoſitionem meliorum & faventiorum nobis ac Reipub., volentes beneficentiâ noſtrâ ſuperare malitiam, omni moderatione uti juſſimus; nihilominùs adhuc, ne clementiæ noſtræ contrarii nimiùm confidant, néve ullam communicationem cum hoſte habeant, ſpecialiter, ne ullos modos, quibus nobis nocere poſſit, ſuppeditent, ſeriò & ultimatim admonemus: ſinceros autem & neutiquam degeneres Patriæ filios, qui jura & libertates Patriæ unà nobiſcum, ut ſalva faciant, quæ perierant, ſuſtentant, non dando fidem falſis hoſtilibus rumoribus de plena protectione & gratia noſtra aſſecuramus, & confirmamus. Id ad pleniorem notitiam Univerſali noſtro omnibus intimamus, quod per caſtra & Paræcias locaq; conſueta publicari mandavimus. Datum Varſaviæ Menſe Auguſto. A. C. 1707

STANISLAUS I. DEI GRATIA REX POLONIÆ, M. D. L. RUSSIÆ, &c. in Steinhoff 14 7tembris.

Reverendis in Chriſto Patribus, Venerabilibus Prælatis, Canonicis, totiq; Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnen: ſincerè ac fideliter nobis dilectis. Dedimus aliquoties ad Sinceritates veſtras literas noſtras, quibus & gratiæ Regiæ documenta, & ſtatum Archicathedralis earum Eccleſiæ, in quo verſaretur, luculenter expreſſim⁹. Nunc ubi relictâ longiori ultra ſpem ſtatione Saxonicâ poſtliminio Patriam repetimus, limitibuſq; ejus fideliter cum Sereniſſimo & Potentiſſimo Rege Suecorum Fœderato noſtro, ejuſq; exercitibus tam propè inſiſtimus, Sinceritates Vras ac Fidelitates advertendas, & præcavendas eſſe duximus, uti quidem præſentibus advertimus, & præcavemus, Reverendum in Chriſto Patrem Szembek Epiſcopum Cujavien. uſurpatorem Archi-Epiſcopatûs Gneſnen. ultra quòd non ſit nominatus à nobis, omnia hoſtilia contra nos attentâſſe, in captivitatem Rñdmi Archi-Epiſcopi Leopolien. Nominati noſtri Gneſnen: hoſtiles Schiſmaticas manus, & ordines aſtutè exquiſiviſſe, barbarum Moſchorum furorem, & flammas in devaſtationem nobiliſſimæ Provinciæ Majoris Poloniæ, aliarumq; excitâſſe, cum iiſdem falſo nomine quaſi ad conſervationem Patriæ (cùm contra crudeliter exacta ſint) fœdus quoddam pepegiſſe, ac deniq; verbo uno hoſtem ſe noſtrum, atq; publicæ tranquillitatis omnibus ſuis actionibus reddidiſſe. Tam verò Regiam Mtem Sueciæ ſtatuiſſe talem, & tales, qui regimen noſtrum gloriosè in & propter conſervationem Patriarum libertatum ſuſceptum ac ſtabilitum non agnoſcendo commune bonum, atq; expetitam diu quietem publicam perturbant, hoſtium horum loco cenſere. Proinde ne Venerabile capitulum ſinceritatum & fidelitatum veſtrarum, ut relatum habemus per diviſionem internam, & ſtudia quorundam ad uſurpatorem translatorū, quâcunq; hoſtili adſpergatur notâ, intereſt omnium pro conſervatione bonorum Eccleſiaſticorum dicti Archi-Epiſcopatûs pro debita inter ſe capitulari deliberatione diſtingvere, atq; ſegregare à ſtudioſis & fautoribus hoſtium noſtrorum. Statum Archi-Epiſcopatûs uti ab initio ita nunc etiam vacantem, & hucuſq; etiam orbatum retinere & repræſentare,

dios Tuæ menti propitius infundat, ac Te perfectâ charitate Nobis ac Catholicæ Eccleſiæ conjungat. Datū Romæ in Octobri ſub annulo Piſcatoris. Pontificatûs Noſtri Anno VII. A.C. 1707

UNIVERSALE JOSEPHI POTOCKI PALATINI KIJOVIENSIS 25 Octobris.

P*oſt titulos.* Omnibus & ſingulis &c. Significamus. Jam annus elapſus eſt, ex quo publicis literis meis univerſis Reipub. Ordinibus intimavi; qua ſim origine; quóve inſtinctu avidus me immolandi Patriæ & libertatibus eò contenderim, ubi illæ everſæ & perditæ vindicabantur. Vidit Dnus, contuli me eò, non ad ſonum barbaræ monetæ; quia Innocentinæ partes, id eſt Reſpub. ex Deſpotiſmo ſuſtollens caput, puras ab ea ſervavit, hactenusque conſervat manus: ivi potiùs ad clamorem innocuæ plebis vindictam cœli contra tumultus & oppreſſiones Saxonicas invocantis. ivi ad ſupplices voces querelasq; gementium Ordinum Regni, & M. D. L. (nam qui Palatinatus, quæ terræ & Diſtrictus non elevaverunt vocem ſuam, aut per Nuntios cum priore Domino non clamaverunt contra violentias opem implorantes; quas ab ipſius conſiliariis & hominibus in antiquis ſuis patiebantur libertatibus: deniq; etiam, cùm apud Principem nihil proficerent, Primatis aures triſti verberârunt ſono. Vivam malorum utique horum imaginem adhuc memoria repræſentat, extortos hos de imo pectore gemitus publica per Cancellarias adhuc exſtantia loquuntur inſtrumenta: quæ Comitiola ſub idem tenuêre ſilentium, nec illud grandi vulneris indicio ingeminârunt? exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor? Et ecce dum dextera Dñi fecit virtutem, dum os de oſſibus noſtris elegit, dum grandem animam & heroicam inſpiratam ſpirituq; Principali confirmatam pro fide, libertate & Patria, pro aris & focis in omne martyrium ſe immolantem Seren: STANISLAUM feliciter in Thronum Regni inauguravit; in eoq; nobis potentiſſimam providit tutelam: invaſit vertigo quorundam ſui oblitorum concivium capita in tantum: ut orbe univerſo attonito, ſupra captum viventium & videntium, cùm ævi præſentis poſteriq; diei ſcandalo, quidquid antè optaverant ipſi nollent, quod optare noluerant, jam amare inciperent, ac ſi illud optâſſent: qui unius Saxonicæ oppreſſionis gravis admodum cervicibus liberis impatientes fuerant, jam ſub geminum ſimul Saxonicum & Moſchoviticum neſciam hactenùs ſervitutis Patriam jugum reclinarent malè docti politicæ Magiſtri; ac ſi hæc libera & ſenſu jurium ſuorum delicatiſſimo excellens mater non unâ ſed pluribus ſimul aggeſtis calamitatibus preſſa ac ſuffocata tacere poſſet. Indulſit Regia Majeſtas tempus, quò vel ſeneſcerent odia, vel quieſcerent ambitiones procùl à Divinæ voluntatis ſcopo aberrantes, quando intuitu plenæ pacificationis Regni tantiſper Patriæ ſuam ſubtraxit præſentiam. Ipſe DEus verè an pro tempore ſcrupuliſantes, à conditis annuatim abſolvit juramentis, & minùs rectè de omnipotente ejus ad dethronizandum virtute ſentientes, indagantesq; ubi Rex prior manſurus eſſet, manifeſtè edocuit, ipſi eſſentialiter jus competere ſuſcitandi & deponendi Reges, quæque nutu manent ſuperno, quamvis ſic defenſa nullatenus vitari poſſe, quando Sereniſſimum AUGUSTUM eò inflexit, ut ſponte abdicato Regno ſupremum honorem in humeros moderni feliciter regnantis deponeret. Hi omnes cœli terræque favores, hæ æterni Numinis gratiæ nobiſcum

A.C. 1707 & cum Patria mirabilia facientis, tum labores Sereniſſimi Regis ad mille diſcrimina reſoluti, & inceſſanter liberali amore omnes invitanti particularibus promiſſis ad unionem pellicientis; geminis univerſalibus ſimul & ſemel ad Status Reipub. & equeſtrem militiam Regni ac M. D. L. ex Saxonia editis rigores jurium contra omnes abortivos proclamati ſtante glorioſo regimine ſuo interregni actus repræſentantis, inevitabiles pœnas in tam audacem rebellantium coronato capiti temeritatẽ, ſuadâ, monetâ & viribus Moſchorum fultam, non tantùm à confœderatione recenti Varſavienſi, ſed etiam antiquo jure emanatas proponentis; vacantem Majorem Regni clavam uſurpantes in ſpem reſipiſcentiæ ultra morem & modum clementiæ, longanimiter ſuſtinentis; omnibus denique viis liberaliſſimæ bonitatis ſuæ ad meliora revocantis, ad hanc uſque horam in caſſum fuêre: imò hæc omnia ceu addita fomenta, aut oleum ampliârunt flammam, auſi illi ſunt ulteriora crimina, indixêre capturalia judicia ſine anima futura, certificârunt ſtante vitâ Regis de nova electione candidatos adeoq; non una morte dignum attentârunt nefas. Ego ipſe, ſi gloriari licet, puriſſimâ mente, mero ſalvandi Patriam intuitu, ipſiſmet Ordinibus Reipub. expoſtulantibus, ſuaque mala repræſentantibus obſecutus, penſi habito fortunarum mearum excidio, per notorium carcerem, per ferrum, per ignes, probans, quàm ſit dulce pro Patria pati quid profeci? quem hac congenitâ antiquitùs Polonis virtute & non devio exemplo laſſatum in via errorum ad rectum tramitem revocare potui? notatæ ſinguli Patriæ hujus inclyti filii, qualiter adverſi hi & tanta moliti ſuſceperint Principem, in finibus Regni conſiſtentem, præſtolantemq; unà cum Seren. Sueciæ Rege fœderato ſuo, qui noſtræ lucra Reipub. ſua putat, tamque eidem ſincerè aſſiſtit: ut amiſſarum ſuarum, receptarumq; Provinciarum propemodùm oblitus intentam liberi Regni conſervationem ſuis anteponat commodis; nónne cum graviſſima injuria Patriæ peccatum id obſtinatæ diffidentiæ noſtræ, nunc verò etiam rebellantis in tantum malitiæ eſt? ut procul dubiò calamitatum & damnorum curſum infandâ ſuâ & per orbem vocali perduellione in complures adhuc ſit extenſura annos. Non recognoſcunt nec recipiunt Principem, quamvis manifeſto benedictionis cœleſtis probet argumento, in ſe verè fortunam & virtutem per æmulationem ad omne decus gloriæ conſpirâſſe: ſed imò conſummant inſolentes vano labore turrim Babel, apertè cupidi conſtanter furere, & per univerſorum ruinas ad ſcopum graſſari. Unde Mtas Regia feliciter in Dominia ſua redux viſis & perpenſis abominandis artibus, quibus nullum ſatis grave ſupplicium eſt, ultimis inſiſtendo prænominatorum univerſalium ex Saxônia editorum quo ad jura pœnalia declarationibus, vacantem Regni majorem clavam clementer mihi conferre dignata eſt, obligans me ut ſine mora activitatem meam ex præſcripto muneris exercerem. Quare explicatis in Generali gentis noſtræ periculis, quò omnibus faſcinantem larvam detraherem; in particulari ad omnes quotquot nomine cenſentur militum, meum converto ſtylum, & obligationem mihi concreditæ intimo poteſtatis: tum ſignifico omnibus Vobis hactenus clementiæ Regiæ & defenſionis favere umbram, nec quòd damnoſis bono publico directionibus obſecuti fueritis, vobis ſub obedientia exiſtentibus, ſed ſolis fraudulentis directoribus ad culpam & pœnam imputandum fore. Et tanquam Concivibus noſtris, aſſecurante Principe honor, ſubſtantia & merita integra ſunt; dummodo abhinc à publicatione univerſalis hujus ſub felici-

Fellcibus auſpiciis Mtis, ubi ejusdem vel noſtræ Ducales Ordinationes innotuerint, id omne, quod amantibus Patriæ filiis pacificationi ejusdē, ſedationi tumultuum & rebellionum, victoriæ per malitiam inductorū Moſchorum hæreditariorum ab ævo hoſtium Regni & M. D. L. ſerviturum videretur, expleatis & exequamini. In quem finem ex nunc pro congreſſu ad generalia caſtra in quibus ſive ſimul totum Exercitûs corpus acie inſtructâ, ſive (ſi id fieri nequit) diviſi per vexilla & legiones, comparebunt, authoritate meâ Ducali ibi deſigno locum; ubi ſub id tempus Mtem morari contigerit, pro die 6 Decemb: anni currentis demandans, in tractu omnimodam ſub pœna articulorum militarium ſervari diſciplinam. Si verò poſt ejusmodi univerſalia, eorumq; publicationem damnoſa cum adverſariis attentaretur ab aliquibus perſiſtentia: tum ejusmodi homines pro abjudicatis à meritis & pro turbis inſolentibus, adeoque pœnis & captivationibus à Palatinatibus & Terris exequendis, ſubjacentibus; conſequenter ad nulla ſtativa & hiberna admittendis, ex mente & uſu Reipub: declaro. In quem finem ad majorem fidem m. pp. me ſubſcribo, ſigilloq; roboro, & hoc univerſale meum, ut typis editum ad omnium notitiam deveniat, per Caſtra, & Parœcias publicari impensè ab iis ad quos pertinet peto, ſub onere complicitatis. Datum ex Caſtris ad Slupcum. 1707. *A.C.* 1707

DECLARATIO NULLITATIS

Electionum duorum Adminiſtratorum Eccleſiarum Gneſnenſis, & Vladislavienſis ab illarum Capitulis, & Canonicis per abuſum laicalis poteſtatis, ac in præjudicium modernorum Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Epiſcopi Vladislav: reſpectivè factarum, nec non quorumcunq; inde ſecutorum, & ſecuturorū, cum illorū damnatione, revocatione, & abolitione, ac cū aliis diverſis ordinationibus, & decretis ſuper eadē materia.

CLEMENS PAPA XI. An: 1708

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex in ſublimi Apoſtolicæ Sedis ſpecula cum poteſtatis plenitudine à Domino conſtitutus ſua, & Apoſtolicæ Sedis, inferiorumq; Eccleſiarum, ac illarum Præſulum Jura, ex commiſſi ſibi cælitùs Paſtoralis Officii debito, ſarta tecta tueri, & ſi quando ea temerarijs quorumcunq; auſibus violata eſſe novit, ab ejusmodi violationibus aſſerere ſtudet, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, æquitati, & juſtitiæ conſentaneum eſſe in Domino arbitratur. Ad noſtri ſiquidem Apoſtolatus notitiam, non ſine gravi animi noſtri moleſtia pervenit, quòd tametſi Nos aliàs, nempè die 7. Junij 1706 in Conſiſtorio noſtro Secreto, ut moris eſt, Venerabilem Fratrem Stanislaum Szembek tunc Epiſcopum Vladislavienſem à vinculo, quo tenebatur, Eccleſiæ Vladislavienſis, cui tunc præerat, de Venerabilium fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, illum ad Metropolitanam Eccleſiam Gneſnen. certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam, de conſilio, & poteſtatis plenitudine paribus tranſtulerimus, ipſumq; eidem Eccleſiæ Gneſnenſi in Archiepiſcopum præfecerimus, & Paſtorem: curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Gneſnenſis illi in Spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, liberamq; illi ad Eccleſiam Gneſn: hujusmodi tranſeundi licentiam tribuendo; nec non tametſi ſubindè, nēpè die 25. ejusdem Menſis Junij itidem in Conſiſtorio Noſtro Secreto ipſi Eccleſiæ Vladislavien: per tranſlationem hujusmodi vacanti de perſona

*A.C.*1708 Ven: fratris Conſtantini Szianiawski Nobis & Cardinalibus præfatis ob ſuorum exigentiam meritorum acceptâ, de eorundem Cardinalium conſilio, authoritate Apoſtolicâ providerimus, ipſumq; Conſtantinum eidem Eccleſiæ Vladislavien. in Epiſcopum præfecerimus, & Paſtorem: curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Vladislavien. illi in Spiritualibus, & temporalibus plenariè ſimiliter committendo, & aliàs prout in binis, ſeu pluribus noſtris ſub plumbo deſuper expeditis literis uberiùs continetur; ac tametſi demum ipſius Archiepiſcopus, & Conſtantinus Epiſcopus, poſt captam & apprehenſam Eccleſiarum præfatarum poſſeſſionem, ſuos in illis reſpectivè Officiales conſtituerint, & deputaverint: nihilominùs non defuit, qui omnium humanarum æquè, ac divinarum legum immemor, nullaq; ad id legitimâ authoritate ſuffultus, ſed ſolâ laicali poteſtate, ſeu potiùs armorum violentiâ fretus, per ſuas literas dilectis filiis Capitulo, & Canonicis dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnen. die 16. Sept: anni proximè præteriti, ſeu alio veriori tempore conſcriptas dictum Stanislaum Archiepiſcopũ uſurpatorem illius Eccleſiæ nuncupare, ac proinde ab ipſis Capitulo, & Canonicis aliquem ex eorum gremio in Adminiſtratorem bonorum ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ, perindè ac ſi illa adhuc vacaret, eligendum eſſe temere, injuſtè, & ſine ullo prorſus legitimo fundamento aſſerere præſumpſit; ac ſubindè non minus audacter per alias ſuas die 23 ejusdem Menſis Sept:, ſeu alio veriori tempore exaratas literas eisdẽ Capitulo, & Canonicis injungere auſus fuit, ut omnes proventus dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnen. tanquam vacantis à tempore obitus poſtremi illius Archiepiſcopi tam præteritos, quàm futuros, titulo mutui futurò Archiepiſcopo, ut aſſeruit, per Rempub: reſarciendi, in manibus cujusdam Capitanei Commiſſarij à ſe nominati, ad effectum illos erogandi pro authorandâ totius Patriæ militiâ, conſignari, extradi, & numerari absq; ulla cunctatione curarent, ſub pœnis per leges contra mandatorum regiorum transgreſſores ſtatutis, ac adjectâ inſuper executionis militaris comminatione; Succeſſivè verò, cùm animadvertiſſet quod literæ hujusmodi, & mandata in eis contenta (Capitulo, & Canonicis præfatis obtemperare eis meritò detrectantibus) inania prorſus, & absq; ullo effectu remanebant, Militaribus Copiis, inter quas plures Acatholicorum ſecum fœderatorum legiones numerabantur, ſtipatus, verſus Civitatem Gneſnen. ſe contulit, ibiq; in Oppido Slupen nuncupato à dicta Civitate quatuor circiter milliaribus diſtante easdem Militares Copias diſpoſuit, deinde autem per quendam Ablegatum ſuum ad eandem Civitatem miſſum, Capitulum, & Canonicos præfatos ad electionem memorati Adminiſtratoris, qui, Officiali, quem præfatus Stanislaus Archiepiſcopus, ut præfertur, conſtituerat, amoto, regimen dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſn. nec non curam, & adminiſtrationem bonorum illius Menſæ Archiepiſcopalis ſuſciperet, urgere cœpit cõminando renuentibus omnimodam ejusdẽ Metrop: Eccleſiæ deſolationẽ, omniumq; illius Menſarũ Archiepiſcopalis, & Capitularis bonorũ devaſtationẽ, aliaq; ſimilia graviſſima damna in ipſorum perniciem, & everſionem inferenda. Porrò Capitulum, & Canonici ſupradicti ejuſmodi minis perculſi die 3. Octob. proximè præteriti, licet illa non eſſet dies Capitularis, ſecluſo, ut aſſeruerunt, contemptu clavium, ac declaratâ verbis ergà hanc Sanctam Sedem obedientiâ illâ, quam re ipſâ negabant, Venerabilem fratrem Joannem Dluzevski Epiſcopum Gratianopolitanenſem Suffraganeum Chelmenſem, ac dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnen. Cuſtodem

dem, in illius Adminiſtratorem Generalem, non tamen ſine aliquorum *A.C.* 1708
diſſenſu, elegerunt, ac ipſi plenariam Juriſdictionem Adminiſtratorib⁹ hujuſmodi de Iure, & conſuetudine competentem tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus conceſſerunt, totumq; ei regimen tradiderunt. Subindè verò, nempè die 21. ejuſdem Menſis Octobris, dictis militaribus copiis ipſam civitatem Gneſnenſem adhuc circumſidentibus, adeoque eodem metu perdurante, electionem Adminiſtratoris hujuſmodi in omnibus, & per omnia approbarunt, & ratificarunt. Cæterùm non minùs injuſtè, ac violenter cum Eccleſia Vladislavienſi actum fuit; Dilecti ſiquidem filii Capitulum, & Canonici dictæ Eccleſiæ Vladislavien. cùm literas non diſſimiles eis, quæ ad Capitulum, & Canonicos Gneſnenſes ſicut præmittitur, tranſmiſſæ fuerant, imò eàdem die 23 Septembris proximè præteriti, eodemq; nomine ſibi conſcriptas, & per eadem ferè verba exaratas recepiſſent, in quibus ſcilicet falſo æquè, ac temerè præſuppoſito, quod dicta Eccleſia Vladislavien. vacaret, fructus, & proventus illius Menſæ Epiſcopalis tam præteriti, quàm futuri per aliquem è ſui gremio eligendum Adminiſtratorem colligendi, ſimiliter titulo mutui per Rempub. futuro Epiſcopo reſarciendi, eidem Capitaneo Commiſſario, ut præfertur, nominato pro authoranda quantociùs Patriæ militiâ conſignari demandabantur; & cum ſubindè ipſi gravium malorum comminationibus perterriti fuiſſent, niſi ad Adminiſtratoris hujuſmodi electionem deveniſſent, ut majora ſcandala, & infortunia, imò & bonorum omnium jacturam evitarent, dilectum filium Adalbertum Ignatium Bardzinski, qui priùs ejuſdem Eccleſiæ Vladislavien. Officialis à præfato Conſtantino Epiſcopo deputatus fuerat, in Adminiſtratorem hujuſmodi, ita ùt titulo Officialis in alium Adminiſtratoris commutato, cæteroqui penes ipſum cura, regimen, & gubernium dictæ Eccleſiæ Vladislavien. ut priùs, remaneret, eligere coacti fuerunt. Cùm autem hæc omnia per execrabilem, ſcandaloſum, ac à Sacris Canonibus, & Conciliorum Generalium Decretis, Apoſtolicisq; Conſtitutionibus ſub anathemate ſæpiùs damnatum ſæcularis poteſtatis abuſum geſta fuerint; adeoq; libertatem Eccleſiaſticam DEI ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam manifeſtè læſerint, ac lædant, noſtrâque, & Apoſtolicæ Sedis authoritatem, quâ Stanislaum Archiepiſcopū Metropolitanæ Gneſnen. & Conſtantinum Epiſcopum præfatos Vladislavien. reſpectivè Eccleſijs ſupradictis, ſicut præmittitur, præfecimus, graviſſimè & apertè violaverint, & violent: ac præterea animas pretioſo Salvatoris, & Domini Noſtri JESU Chriſti ſangvine redemptas in graviſſima pericula conjecerint, & deplorandis malis adhuc involvere pergant; novaſq; proindè, & ſanè graviores multiplicibus illis, atq; diuturnis, quibus florentiſſimum olim, nunc perturbatiſſimum Poloniæ Regnum ærumnis premitur, calamitates adjungere noſcantur. Hinc eſt, quòd nos, qui jurium Eccleſiaſticorum ſupremi aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus, nec non omnium Eccleſiarum, & Chriſti fidelium curam, & ſolicitudinem ſupernâ diſpoſitione gerimus, Regnumq; præfatum, & illius inclytam Nationem paternâ charitate complectimur; tametſi non dubitemus Venerabilem fratrem Iulium Archiepiſcopum Nazarenum noſtrum, & dictæ Sedis in eodem Regno Nuncium omnia, quæ ei hac in re à nobis mandata fuerunt, quæq; proinde firma ſemper, & ſalva eſſe volumus, ſedulò, ac fideliter, quantùm ſibi in præſenti infeliciſſimo illarum rerum ſtatu permiſſum fuerit, jam impleviſſe: nihilominùs, ex injuncto nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere,

A.C.1708 nere, præfatarum Gneſnen. & Vladiſlavien. Eccleſiarum, illarumq; Præſulum indemnitati uberiùs conſulere, noſtraq;, & dictæ Sedis jura Sarta tecta, atq; illibata enixiùs tueri, & conſervare, nec non animarum hujuſmodi periculis, quantum nobis ex alto conceditur, per ampliùs occurrere cupientes, ac omnium, & ſingulorum in præmiſſis tam à Capitulis, & Canonicis Gneſnen. & Vladiſlavien. præfatis, quàm ab Adminiſtratoribus per eos, ut præfertur, electis, & alijs quibuſcunq; quomodòlibet actorum, & geſtorum ſeriem, cauſas, & occaſiones aliàve quælibet etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac exactiſſimè, & accuratiſſimè ſpecificatis habentes; motu proprio, ac ex certa ſcientia, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, electiones eorundem Joannis Epiſcopi in Metropolitanæ Gneſnenſis nec non Adalberti Ignatii in Vladiſlavienſis Eccleſiarum præfatarum, earumque bonorum, reddituum, & proventuum Adminiſtratore, ac cujuſcunque juriſdictionis conceſſionem, & regiminis traditionem eis ab earundem Eccleſiarum Gneſnen. & Vladiſlavien. Capitulis, & Canonicis reſpectivè factas, ut præfertur, & quomodolibet ratificatas, ſeu confirmatas, aliaq; omnia, & ſingula in præmiſſis, vel circa ea tam à Capitulis, & Canonicis, quàm ab Adminiſtratorib⁹ hujuſmodi, vel illorum aliquo, præfatarum ſuarum electionum, eiſque ſicut præmittitur reſpectivè commiſſarum adminiſtrationum vigore, ſeu prætextu, per ſe, vel alios quomodocunq;, & qualitercunq; acta, facta, geſta, mādata, decreta, ordinata, vel diſpoſita, ac forſan in futurum (quod DEus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus & ſingulis indè quovis modo ſecutis, & quandocunq; ſecuturis, penitùs, & omninò nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & à non habentibus poteſtatem damnabiliter, attentata, & de facto præſumpta, nulliuſq; roboris, momenti, & efficaciæ eſſe, & ab initio fuiſſe, ac perpetuò fore, tenore præſentium declaramus, & decernimus, illaq; damnamus, & reprobamus ac nihilominùs ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenùs opus ſit, illa omnia, & ſingula, quatenùs de facto proceſſerunt, revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, nec ullum per ea Eccleſiis, earumque Præſulibus prædictis præjudicium illatum fuiſſe, aut inferri quandocumq; poſſe, ſed ipſas Eccleſias, earumque Præſules in ſuis primævis juribus continuare debere ſimiliter declaramus, in omnibus, & per omnia perindè ac ſi illa nunquam facta fuiſſent, nec eveniſſent, neque unquam fierent, vel evenirent. Quocirca Ioanni Epiſcopo, & Adalberto Ignatio Adminiſtratoribus, ut præfertur nulliter electis prædictis, & eorum cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, nec non ipſi quidem Ioanni Epiſcopo ſub ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, dicto verò Adalberto Ignatio ſub excommunicationis majoris, utriq; demùm ſub privationis beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumq; per eos reſpectivè obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumq; in poſterum quomodolibet obtinenda ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis pœnis, diſtrictè prohibemus, & interdicimus, ne ſuarum irritarum electionum, ſibiq; nulliter, ut præfertur, commiſſarum adminiſtrationum hujuſmodi vigore, ſeu prætextu præfatarum Gneſnen. & Vladiſlavien. reſpectivè Eccleſiarum regimen

men ſuſcipere, & aſſumere, ſive jam ſuſceptum, & aſſumptum de cætero retinere, minuſq; ullam juriſdictionem, poteſtatem, vel authoritatem in illis exercere, ullúmve inibi actum juriſdictionalem facere, ſeu continuare, neque illarum fructus, redditus, & proventus percipere, ſeu forſan iam perceptos cuiquam alteri, niſi earundem Eccleſiarum reſpectivè Præſulibus, ſeu illorum legitimis Procuratoribus, vel aliis, quibus nos illos tradi, vel conſignari mandaverimus, tradere, vel conſignare ulteriùs audeant quovis modo, ſeu præſumant. Eos quoq;, qui illis, vel eorum alicui ſcienter in præmiſſis paruerint, vel auxilium, conſilium, vel favorem quovis modo præſtiterint, cujuſcumq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel dignitatis fuerint, ſimilibus pœnis, eo ipſo innodamus, & innodatos fore, ac beneficia hujuſmodi, quorum privationis pœnam propter tranſgreſſionem præſentis prohibitionis per præfatos quomodolibet incurri contigerit, ipſo facto abſq; alia declaratione vacare, illaq; per quoſcumque impetrari poſſe decernimus itidem, & declaramus; nec non eorumdem beneficiorum ſic vacantium collationem, proviſionem, & omnimodam diſpoſitionem, ac præfatarum pœnarum abſolutionem, ſeu relaxationem nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti duntaxat ſpecialiter reſervamus. Monentes inſuper omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles, de quorum æternâ ſalute ſoliciti eſſe debemus, præfatos Joannem Epiſcopum, & Adalbertum Ignatium nullam in eiſdem Eccleſiis; ſuarum irritarum ac invalidarum electionum, eiſq; nulliter, & de facto, ut præfertur, reſpectivè commiſſarum adminiſtrationum hujuſmodi vigore, vel prætextu, ſive quoad temporalia, ſive quoad ſpiritualia, juriſdictionem, aut poteſtatem habere, vel habuiſſe; adeoq; nec ullam circa ea, quæ Sacramentorum adminiſtrationem, aut aliàs forum conſcientiæ, vel contentioſum quomodolibet concernunt, authoritatem interponere ullo modo validè poſſe, nec potuiſſe; neque contra hæc allegari, vel prætendi poſſe excuſationem ex communi errore; nam præterquam quòd ſatis omnibus notum erat, atque eſt, neutram ex Eccleſiis prædictis vacare, & utramque illarum ſuum habere Paſtorem à nobis canonicè conſtitutum, abuſus ſæcularis poteſtatis in electione Adminiſtratorum prædictorum ferè comuniter innotuit, omniumq; rectè ſentientium horrore, & deteſtatione reprobatus fuit, prout illum ab omnibus damnari, & reprobari volumus. Præterea cum notorii, & explorati juris ſit, eos omnes, qui Capitula, & Canonicos ſupradictos ad præmiſſa peragenda per ſe, vel alios quoquo modo adegerunt, nec non adhærentes, fautores, conſultores, & defenſores eorum, quocumq; tandem gradu, ſeu dignitate quantumcumque ſublimi præfulgeant, cenſuras omnes, & pœnas Eccleſiaſticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum decretis, & Apoſtolicis conſtitutionibus, ac præſertim literis die Cœnæ Domini ſingulis annis legi, & promulgari ſolitis contra ſimilia perpetrantes inflictas damnabiliter eo ipſo incurriſſe: notum ſimiliter omnib⁹ eſſe volum⁹, illos à cenſuris, & pœnis hujuſmodi poſt debitâ, & condignâ Eccleſiæ ac partib⁹ præſtitâ ſatiſfactionē, nōniſi à nobis vel Romano Pontifice pro tēpore exiſtente (præterquā in mortis articulo conſtitutos, nec etiā tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatiſfaciendo, cautione præſtitâ, atq; cum reincidentia eo ipſo quo convaluerint) abſolvi, & liberari poſſe. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcunq;, etiam ex eo quòd præfati, & alij quicunq; in præmiſſis, ſeu eorum aliquo Jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſ-

*A.C.*1708 cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæq; propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, alióve quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, & incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas apertionis oris, reſtitutionis in integrum, aliúdve quodcunq; Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuosq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunq; ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuſtragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſſè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunq; Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, alióſve quoslibet quacunq; præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollendo, aliisq; Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, provincialibusq;, & Synodalibus Conſiliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non præfatarum Gneſnen. & Vladislavien. Eccleſiarum, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoq; indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, aliíſve quibuslibet perſonis etiam quacunq; Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuscunq; verborum tenoribus, formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibusq;, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscunq; vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujusmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dunxat

taxat ſpecialiter,& expreſſè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſq; contrariis quibuscunq;. Volumus autem ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubiq; adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Jan. 1708. Pontificatûs Noſtri Anno VIII. *A.C.* 1708

(*L S*) *F. Oliverius.*

LITERÆ UNIVERSALES GENERALIS SUETICI KRASSAU

OMnibus quorum intereſt, & ſingulis &c: poſt Officiorum meorũ & propenſæ voluntatis conteſtationem notifico: Quanquam ſperandum erat poſt ejectos totâ Poloniâ per arma Seren: Regis Dñi mei fœdifragos Moſchos, tandem diſſentientes adhuc Regni Magnates, ex naturali in Patriam ſuam ſtudio & amore, rejectatâ periculosâ ſibi Moſchorum Colligatione ad Seren: Poloniæ Regem acceſſuros: Res tamen contrarium docet, quando nonnulli ex Poloniæ Proceribus poſthabitâ privatis commodis ſuis ſalute publicâ Milites S. R. Mtis Sueciæ per Emiſſarios ſuos hoſtiliter invadere, ſumma imis miſcere, adeoq; in Patriæ ſuæ viſcera ſævire auſi ſunt, turbulentis & licentioſis machinationibus ſuis libertatis tuendæ Polonæ titulo, authoritatem & ſuffragia captantes, quando eadem apud meliora ſentientes, Palatinatus doloſis rationibus obtinere, non potuerunt, Comitia eorum impediendo, Nobiles captivando, minis, vi, & armis cenſum Civium extorquere aggreſſi ſunt; In quem autem finem hanc in Patria ſua foveant diſcordiam, neminem jam latere poterit, qui corruptas Moſchorum mercede, Principalium manus, depopulatam auſibus illorum Majorem Poloniæ partem, uſurpatas Oeconomias, & direpta vectigalia Regia propius examinaverit. Sperari ergo nequit, cordi ipſis aut curæ futurum eſſe, ut ea diſſidia, & belli molem ac incommoda, ex Polonia in hoſtium Provincias devolvant, ſed quantum de ipſis dependet, ſciſſiones alere, turbida pacificis præferre & quod impunè licuerit, tam per reditus ſoli Regi debitos, quàm per rapinam & ſangvinem Civium privatam fortunam ſuam augere non ceſſabunt. Hanc ipſorum intentionem cùm præviderit in Moſchoviam abiens Seren: Rex & Dñus meus proſpiciendo ſaluti colligati ſibi Regni, vigore ſanciti fœderis ordinavit me, in ſubſidium S. R. Mtis Poloniæ, deditq; mihi in mandatis; ut contra turbatores pacis & unionis publicæ armis agerem, donec ad ſaniora redirent conſilia, & Seren: Regem Poloniæ, de cujus abundè perſuaſi ſunt clementia & gratia, damnata omni mora accedant, & deinceps plenâ ſecuritate fruantur. Ne autem obſtinati, quibus in hoſtium exercitu militiam continuare ſatius viſum fuerit, contumaciam ſuam impunè ferant, proinde tempeſtivè ſciant, quòd ipſorum oppida, villæ & prædia, ubicunq; illa reperiet Miles Sueticus, more belli prout olim ejusmodi refragariis contigit, extrema quævis experientur. Sicuti autem invitus ad hanc procedo extremitatem, ita omnibus ad latus Regium properaturis, Parentibus etiam filios ſuos revocaturis, 15 dierum à data harum conceditur ſpatium. Quo elapſo omnes qui literis Mtis acceſſionem ſuam probare non poterunt, infallibilem ruinam, & excidia Bonorum ſuorum ſibi ipſis debebunt. Datum in Statione mea in Glinſtoch die 8. Jan.

(*L S*) *Erneſtus Detloff de Kraſſow.*

*A.C.*1708 ANDREAS C. ZALUSKI EPISC. PRINC. VARM. ET SAMB. STANISLAO SZCZUKA PROCANCELLARIO Litvaniæ reſpondet 16. Januarij.

SUpervacaneum eſſet impunctualitatem incuſare ordinariæ poſtæ, ſive fleas, ſive non fleas, malignitatem peragit ſuam. Religioſæ Carmelitanæ Sanctis tribus Regibus literas ſuas offerunt, ne aberrent, dubito, ut hæ preces ſæculo noſtro in favorem literarum noſtrarum efficaces eſſe poſſint. Jam multa ſcribere deſij, pauca ſcripturire ſoleo, novas amicitias non expetendo, veteribus colendis operam quandoq; dando, pauca ſignificando, quia nihil me ſcire puto, quod ab aliis neſciatur, & tamen curioſitas prævalet, & literæ meæ non eunt, quò mittuntur, ſed quò illa avocat.

Cur non ei. currat ad Primatum. Quæris à me, cur ſim minimè ad rem attentus, circa quam poſſũ pedes movere, ut non curram, currere non poſſim, ut pedes non moveam; facit id ætas provecta, non multùm viæ reſtat, cur onera augeri debent? Puderet me ſi non alios, certè mei ipſius, ſi id curarem, quod contra mentem Pontificis eſſe certè ſcio; ad quid quærere magno conatu debeo, quod brevi aliis pudore, quàm damno miſerior habendum cedere obligarer; certa amittimus, cùm incerta appetimus. Accedit, cujus DEus eſt mihi teſtis, quia non mentior, ut, quæ mentis meæ exprimere ſenſum queant verba, rurſùs nulla ſuppetant, id tamen ſimpliciter dico, quòd & ea, quæ in manu ſunt, deſerere ſatiùs, quàm nova appetere eligo; cùm non ſim ex illis, qui ſemper Tantali, ſemper in novas cupidines inhiantes, & ad iter, quod inhabile ſcio, non accedo, ac proinde non vellem ibi ſtare, ubi ipſe ſol trepidat, & ultra id ſcio plus ſemper futurum, quod obſtet, quàm quod ſuccedat, & idcirco injuriam mihi faceres, ſi me hoc deſiderare judicares, qui futuri deſiderio non laboro præſentium tædio. Cùm tamen tuum videam affectum, cui ad me ornandum cum voluntate quæruntur media, mihi autem ad gratiam referendam præter voluntatem nihil relinquitur; reddo me tibi totum, quantum in obſequium; id mihi gratiſſimum fore aſſecurans, dum hanc ſollicitam curam intermittes; poſſum miſer dici, non poſſum eſſe.

Abbatiam centum Villarum, ſi vacat certò, nec iſtam tribui mihi vellem, quamvis dicas, quis influentis dona fortunæ abnuat? quanquam grave eſt à deterioribus honore anteiri, quibuſdam alienâ umbrâ laborantibus. Si non ſum in promptu ad petendum, excuſa, & errata non corrige, quamvis didici docibilis eſſe in aliis, nec unquam fui in ſenſu meo pertinax. Mutare conſilium in melius paratus ſum, ſed ibi, *Suffraganeus Luceorienſis.* ubi mutari virtus eſt. Domino Suffraganeo Luceorienſi & ego, ut opto, ita & perſuadebo, ut compareat in conſpectu Domini. Quærebat Saul aſinas, & coronam invenit, ſi dignus hic Prælatus gratias referendo pro collata Abbatia Epiſcopatum inveniret, quale eſſet mihi gaudium? quæ voluptas? teneris independenter etiam à ſangvine, & affectu promovere eum, ut aſcendat ſuperiùs, & citiùs. Tales ſunt in candelabrum exponendi, qui Regi & Patriæ & ſciant, & velint ſervire; neceſſe eſt ei placeant, cui non niſi optima placere debent.

Nova non ſcribo; veteribus tantùm immoror, non ſinè ſolatio, quòd frequentiùs nomen tuum occurrit, quo nec unam paginam, nec ſemel implebo. Facerem id meliùs, & perfectiùs, ſi mihi copiam tuarũ, toties ſcriptarum mitteres expeditionum; miſcerentur hæ in hiſtoriam meam,

meam, & eſſent pars pulcherrima libri. Si quid dignum invenies, quanquam nihil invenies, quod non ſit digniſſimum memoriâ poſterorum. Hiſtoria mea incipit ab abdicatione Regis Caſimiri, Regnum Michaëlis breviter excutiam, in Joanne diutiùs morabor, Interregnum, Electionem, ſciſſiones diligentiùs deſcribam, & hoc eſt ſub incude. Omnia hæc exprimentur, quæ hactenus patimur, recentior eſt memoria, quanquã quærenda eſt informatio, quid actũ, dum ego in exilio eſſem, omnia tamen ea praxi, modo, & ſtylo, quem tu vidiſti in illo projecto familiarium literarum, quia tantùm adamavi titulum, quem fraterna tua præſcripſit manus, ut illum immutare non cogitem, nec, ſi vellem, poſſem. *A.C.* 1708

Plura non ſcribo, ne ſupervacaneâ rerum curâ diſtentus legas.

P. S. Eſtnè verum quòd Dno Kczewski Palatinatus Mariæburgenſis ſit acceptus, & alii collatus, indigna certè res eſſet tam dignos, & pro Patria meritos non tantùm honoribus non ornare novis, ſed etiam privare antiquis; ſi ad hunc modum eſt innoxijs honor apud vos, cauſa Palatini hujus, nunquam mala eſt.

Dominus Palatinus Siradienſis eſt hîc, miſcemus quandoque lachrymas, &, quanquam aliquando incuſet, quòd Reſpubl. corruptior ſit, quàm ut adjuvari poſſit, tamen non perturbatur his, quæ vitare eum non eſt poteſtatis, ut exactæ diligentiæ ſenex, vir fortis, cum mala fortuna compoſitus. Habet ubi ſe etiam in privato lare explicet magnus animus, & qui nuper omnia deplorabat, cui nulla non cauſa in querelas placuit, nunc eũ mala Patriæ neceſſitas & conſuetudo facilè ferre docuit nullo meliùs nomine de nobis natura meruit, quàm quòd, cùm ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſvetudinem invenit citò in familiaritatem graviſſima adducens. *Palatinus Siradienſis*

Vidi nuper Comitem Donau, qui mihi inter alia dixit, quòd Stokolmæ fuerit in Coronatione Regis Sueciæ præſentis, cui equitanti die illo ceremoniarum corona de capite caſu deciderat; eſtnè hoc verum, facilè id à Secretario Hermeling, cum quo colis amicitiam, reſcies. *Regi Sueciæ corona de capite cadit*

COPIA LITERARUM CARDINALIS AD CZARUM

Opaviâ 20 Januarij.

CIS limites patrios, quò perſuaſione Palatini Belzenſis Supremi Exercituum Regni Ducis, aliorumq́ Senatorum ductus me contuli, tam ob ſecuritatem meæ perſonæ, quàm depoſiti quod ab aliquot annis Reſp: curæ & ſolicitudini meæ concredidit, appello Czaream Mtem V. cum delatione obſervantiæ meæ & manifeſtatione conſtantis meæ unà cum Repub: erga Intereſſe Czareæ Mtis benevolentiæ. Volens autem ſatisfacere debito & obligationi meæ Primatiali, innovo petitionem meam ad Czaream Mtem Vrã, ut omnia, quæ in publica ſtatuum Reipub: legatione in reſponſoriis Vra Czarea Mtas (uti ratione reddendæ Ucrainæ, enumerandorum millionum pro exercitu Regni, & M.D.L. ſervandæ diſciplinæ in exercitu ſuo, puniendarum exorbitantiarum, inhibendarum contributionum, compenſationis injuriatorum & ſpoliatorum, per Coſacos & Kalmucos Eccleſiarum & plurimorum variæ conditionis hominum) & in aliis punctis declarare & promittere dignata eſt, effectum ſortiantur, & executioni mandentur. Quod cum à juſtitia Vræ Czareæ Mtis & liberali Genio indubitanter ſperem, revoco Veſtræ Cza- *Poſt miſſionẽ petitur executio.*

*A.C.*1708 Czareæ Mti propria mea damna exſpoliatis Eccleſiis Archiepiſcopatûs mei, & Cathedræ Vladislavienſis, ubi & mea depoſita per tempus belli in ſecuro locata, non ita pridem ante abitum Vræ Czareæ Mtis ex Pruſſia & Cujavia, Kalmuci & Coſaci cum omnium admiratione abſtulerunt, revoco ruinam bonorum meorum, & Fratris mei Vice-Cancellarij Regni, petensq́ ſatisfactionem, profiteor me eſſe &c.

COPIA LITERARUM PRIMATIS AD SENATORES Opaviä 20. Januarij.

PRopoſueram quidem poſt aliquot annorum itinera, & moleſtas de loco in locum translationes, prout circumſtantia temporis, & cuſtodia Commiſſorum fidei meæ requirebat, redux in patriam ad functionem muneris Primatialis, ampliùs extra limites non abire, & qualemcunq́ fortunam pati, ſed cùm ſecuritati perſonæ meæ provideri non poſſet, ſecutus perſuaſionem Palatini Belzenſis Supremi Exercituũ Regni Ducis, & aliorum Senatorum volens nolensq́ cum magna incõmoditate & ſumptu ad aliquot tempus huc extra limites exceſſi, unde convenio hiſce Illmas DD. VV. non tantùm in ſignum affectus mei, verùm etiam ut teſtificer, quòd etiam hîc non deponam ſolicitudinem de publico; & faciam ea quæ muneri meo incumbunt, diſponens omnia in executionem ſancitorum, inſtando apud Czaream Mtem & Miniſtros ejus, ut quidquid ſive tractatibus cum Republ: ſive datis per legatos à Statibus Reip. declarationibus, promiſſum eſt, executioni mandetur tã in Regno quàm in M.D.L. Peto inſimul ab Illmis DD. VV. ſinceram communicationem ſciendorum, & judicium in occurrentiis per poſtas à Ducibus diſpoſitas, cum aſſecuratione, quòd ubi id neceſſitas exegerit, citra moram ad ſtationem meam ſim reverſurus.

LITERÆ NUNTII APOSTOLICI AD PRINCIPEM VARMIENSEM Opaviæ 18. Februarij.

IN fine ferè itineris mei cogor Illuſtriſſimæ Vræ Dominationi literis obſequi, quando coram teſtari meam obſervantiam ſummopere concupiêrim; cauſa eadem eſt, quâ cor ſuum torquebitur, iſtorũ videlicet Regnorũ interrupta quies adeo, ut nullum tot, tantarumq́ Provinciarum latè tuto oculo reſpiciatur. Quare mihi in Poloniæ Regnis Sanctiſſimi Dñi Miniſterii Apoſtolici Nuntij munus ad implendũ miſſo die non affulgente, quâ eorum fines ingrediar, uſq́ dum jucundiori ſole pateat iter, legationis meæ officium hic obire conabor; adventûs autem mei Nuntium his literis præmitto, quæ ſigna obſequii mei apud Illuſtriſſimam Dominationem Vram deducent. Illa recipere humanitas ſua non dedignetur, & ſi quid ad publicam Regni tranquillitatem reſtituendam aptum cognoſcet, me docere diligentiâ ſuâ non ſinat; & interea reverenter Illuſtriſſimæ Dñis Vræ manus deoſculor.

RESPONSORIÆ AD PRÆCEDENTES

GRatias corde habeo, calamo dico Excell. Vræ, quòd me de fine itineris ſui humaniſſimis literis ſuis 18. Febr. ſcriptis certiorem reddere ſit dignata. Quâ ergo in me egit humanitate, eâdem rependo gaudens, ex animo gratulor Excell. Vræ, quòd celeritate gratiarum adventus ſui auxerit, cujus laus eſt, & virtutis fama in mundo amplum exhibendæ ejus erit theatrum Polonia, in qua libentius Excell.

Vram

Vram videre optarem, ut propiùs in lumine ſuo videamus lumen, hoc *A.C.* 1708 præcipuè tempore, quo vaſtatæ Provinciæ, deſolata ferro & flamâ Patria noſtra, Jura DEI & hominum violata, in affectu Paterno ejus, cujus locum tenet, ſolatium habere poſſet. Omnis enim in eo expectatio noſtra ſed cùm id fieri forte nequeat, feremus patienter, & longiùs manentem in ſolatium noſtrum ex Excell. Vra non eandem videamur æſtimare, cùm præſertim ſciamus arduum hoc munus, & magnum mole, curâ, periculo, fortitudine animi ſui, quæ ſumma eſt, benè ubiq; perfecturam. Ego verò Sanctiſſimo Dno Nro devotus ad omne genus obſequii Excell. Vræ paratus ero. Conſtanter enim mihi ſummi DEI gloria, Apoſtolicæ Sedis dignitas, ſalus publica ſicut ſemper fuit, ſic & erit in poſterum antiquiſſima. Multa eſſent ad publicam Regni tranquillitatem apta, & neceſſaria, ſed ea à me in ſolitudine protunc procul ab omnibus publicis negotiis vitam degente minimè deſiderari, ut in literis ſuis Excell. Vræ proponi videri poſſunt, ſufficereque mihi credo, ut toto affectu, & votis DEum precer, ut Excell. Vræ in triſti hac temporis injuria ea inſpiret media, quibus ſtudia ſua in deſideratam hanc tranquillitatem valeant, unitas ſpiritûs in vinculo pacis procuretur, & ut, quidquid eſt turbidum, ſerenetur. Voluntatem promptam interim ad exequenda quævis mandata ſubmiſſè offero, cùm ea veriſſima declaratione, quòd, ſicut fui ab initio, ita ero ſine fine.

ALEXANDRO SALLAROLI Brunsbergâ 25 Februarij.

JAM Regem Sueciæ cum noſtro STANISLAO approximare Grodnam ſcribit mihi Procancellarius Litvaniæ, cujus domum Szcucin, viſitârunt, & ibidem humaniſſimè excepti. In illis autem ſylvis ſub Myſzinice jaculatores arma ſua opponere voluerunt, & quaſi conditiones Regi Sueciæ proponere auſi ſunt, quibus illum per illas longas, & latas ſylvas liberè tranſire permitterent, ſed Rex Sueciæ rem uti indebitâ, ita minimè ſperatam miratus, cognoſcensq;, quòd hi ſunt; qui neq; ferire, neq; feriri niſi in terga noverunt, cùm ſit fortis adverſus fortuita, & opinionum ſuarum ſecurus, qui nec ita natus, ut diſſimulare injuriam poſſet, aut pati, gnarus facto magis, quàm conſilio ſeditiones reprimi, primos audacter proponentes ſuſpendi, alios diſpergere forti manu juſſit. Ceciderunt nihilominùs multi Suetici Valachi, & nonnulli etiam Sueci, ſed non cogitatur, quòd perdiderint, ſed quòd evaſerint. *Iaculatores Myſzynen;*

Habui etiam ex Sileſia, quòd Procancellarius Regni Dresdam, Primas Opaviam, & Epiſcopus Cujavienſis in caſtra Polona moverit, & quòd Rex AUGUSTUS de reditu in Poloniam cogitet. Hoc momento percepi etiam à Procancellario Litvaniæ, quòd per ſylvam cum uno tantùm ex Drabantis ſuis cucurrerit, qui occiſus à Jaculatoribus; Rex autem vix periculum evaſit; Magnus gubernator & ſciſſo navigat velo; varij ſunt caſus etiamſi graves, naufragium facere, vehiculo everti; ab homine homini quotidianum periculum eſt; Quòd Dñi Sapiehæ omninò curent amovere exercitum à Principe Wiſzniowiecio, &, quòd ſperent numeroſiorem ſe habituros, quòd in viſcera Litvaniæ Sueci procedant.

Ego interim habens certa negotia Eccleſiæ meæ Tylzenſis, ubi Miſſionarios PP. Societatis habeo componenda; Natura pedes dedit, ut per nos ambularemus, oculos, ut per nos videremus; iter illud in ſpem rei proſperè tranſigendæ, quanquam in via peſſima aggreſſus ſum, & vix

A.C. 1708 in luto naufragium cum Dño Suffraganeo Luceorienſi, quem comitem itineris accepi, evaſi, ubi præter Epiſcopum Vilnen. qui continuò nunc Tylzæ manet, Palatinam Vilnen., Mareſchalcum Litvaniæ Sapieham, & Caſtellanum Samogitiæ Grothus inveni, huc notitia venit, quòd Rex Sueciæ pontem ſub Grodna ſuper fluvium Nemen acceperit, vix ab uno ex cuſtodibus milite non occiſus, Grodnâ verò potentiæ Sueticæ impares Moſchi cedere debuerint. Cùm verò Rex Sueciæ cum 600 tantùm hominibus absq; ulla cuſtodia in Collegio PP. Societatis pernoctâſſet, ſi ſolitâ reſolutione, & fortitudine ſibi naturali non uſus fuiſſet.

Non dico tibi quæ fecerim in rem Sanctæ Religionis Tylzæ; hæc enim publici Juris eſſe non poſſent. Spargenda eſt manus; non poteſt ferre, ut non aliquando ſuccedant, multa tentantur; & poſt malam ſegetem ferendum eſt. Sæpè enim quidquid periêrat aſſiduâ infelicis ſoli ſterilitate, unius anni reſtituit ubertas.

Ultimo die Bachanalium, ſummo manè abivi Tylzâ, & eodem die Inſterburgi fui, ubi Principem Wiſzniowiecium Generalem, & Principem Czartoryski Theſaurarium Litvaniæ inveni, cum quibus multa de publicis contuli, & pòſt Brunsbergam perrexi, ubi cum licentia Superiorum meorum, hoc eſt Commendantis Elbingenſis tempus Quadrageſimæ abſolvere intendo. Precare DEum pro me, ego pariter idem faciam.

S. R. Mtis SUECIÆ DECLARATIO SUPRA LIBELLUM QUEM fœderis Varſavienſis Mareſchalcus Illuſtris D. Broniſz obtulerat; facta Smorgonij in Litvania II. Martij.

Pergrata ſunt S. R. Mti ſtudia, quæ Illuſtris D. Broniſz Mareſchalcus nomine Fœderatæ Reipub: erga ſe teſtari voluerat, & quemadmodum DEUS proſperaverat conſilia, quæ propter communem cauſam hactenus ſuſcepta ſunt, ita ſperat S. R. Mtas ea, quæ porrò agenda veniunt, felicem habitura eſſe eventum, Rempub: Polonam ſedatis motibus, quibus concutitur plenâ tamen ac optatâ gaviſuram eſſe tranquillitate. Et cùm hunc præcipuum eſſe ſcopum S. R. Mtas exiſtimat, ad quem conſilia quàm maximè dirigantur, deſtinata ea, quæ Seren: Rex Poloniæ ad hunc finem obtinendũ cenſuerit adeo non improbat, ut cunctis viribus ea ſufficienda ſtatuat, quemadmodum neq; recuſat, quin Comitia Generalia pacandæ Reipub: cauſâ indicantur, & celebrentur. Si tam ſalubrè perficiendi propoſitum, quamdiu S. R. Mtas copias ſuas intra fines Regni contineat, ratio certa, ac ſecura inveniri poſſit, cui tamen exequendo præſens tempus fore opportunum S. R. Mtas non arbitratur. Bene perpendit S. R. Mtas incommoda, quæ major Polonia, & imprimis Palatinatus Poſnanienſis, atq; Caliſſien. hoc bello ſint perpeſſi: Quapropter, ut illis aliquomodo ſubveniretur, & copijs ſuis, quæ inibi ſunt relictæ ſimul proſpectum eſſet, juſſerat omnia, quæ tributorum nomine exacta ſunt; eo tempore, quo hoſpitia in illis Palatinatibus Exercitus Sueticus habuerat, in ſolutionem computare. Quo pacto novis oneribus non aggravantur, quia ad exercituum ſuſtentationem anteà quidquam contuliſſe reperiuntur, exiſtimat tolerabiliorem fore eorum con-

conditionem, eosq; ipſos, quibus computationis ſolatium contigit, promptiores fore ad ea exſolvenda, quibus copiæ ad eorum defenſionem deſtinatæ indigere videbuntur. De cætero Illuſt: Mareſchalcum confœderatæ Reipubl: Regiâ gratiâ, ac omni benevolentiâ amplecti non deſinet. Dat. ut ſupra Ad mandatum S. R. Mtis Sueciæ. *A.C* 1708

C. Piper.

RECOGNITIO PER LITERAS SERENISSIMI STANISLAI A REGINA ANGLIÆ.

M*Ajeſtatis Veſtræ literas accepimus, quibus Vos poſt tantam utriusque fortunæ exercitationem Polonorum Regem evaſiſſe intelligimus, Principem tot virtutibus ornatum, non ſolùm Subditorum ſuorum felicitati, quin totius Europæ beneficio natum auguramur. Quem ideo in ſummum illud honoris faſtigium Suetici Regis erexit amicitia, Polonorum Senatus elegit, ſuffragium Principis Auguſti compellavit Abdicatio, Regem fratrem lubentiſſimè agnoſcimus. Quod ſupereſt, Mtem Vrã, & res Veſtras Divini Numinis tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Palatio Noſtro apud Nenſington die 8. Aprilis.*

COPIA LITERARUM PRINCIPIS VARMIENSIS Ad ILLUSTRISSIMUM NUNTIUM Brunsbergâ 30 Martij.

DEploranda Regni noſtri ita ſunt univerſo orbi nota; ut illa vel inſinuare Illmæ Doni Vræ non ſit neceſsè. Illud tantùm, quod me ſuper omnia angit, reverenter defero, auxiliumq; efficax demiſſiſſimè peto; non dubito Illmæ Dõni Vræ notum eſſe, quòd Epiſcopatus meus ita ſit undequaq; Acatholicis cinctus, & circumdatus, ut alium ex Varmia exeundo nullus poſſit etiam aerem reſpicere. adjunctus eſt Varmienſi & Sambienſis Epiſcopatus; in quo Regiomontum, Tilza, & aliæ Brandeburgicæ ditiones continentur. Liberum in illis Catholicæ Religionis exercitium fuit hactenus pactis id Polonicis cum illa domo clarè volentibus, nunc autem triſtem nuntium à Parocho meo Regiomontano accepi, quòd aliquid intervenerit (prætextum eſſe timeo) Coloniæ inter Patres Soc. JESU, & Miniſtrum Regis Pruſſiæ, unde magnæ querelæ, & injuſta ultio. Seriem rei adjuncta litera mihi ſcripta Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram informabit, minimèque ambigo pro naturali ſuo in Religionem zelo id Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram facturam, quod è re noſtra faciendum credet. Ingens enim nec verbis exprimendum imminet rei Catholicæ periculum, niſi maturè diſordini huic occurratur, & multa fortè ex conjuncturis præſentibus ſibi favorabilibus perficere volent. Exoſculor interim reverenter manus, maneoq; perpetuo cultu. *Exercitium Religionis:*

IDEM MARTINO ZALUSKI EPISC: ROSMENSI SUFFRAGANEO, & PRÆPOSITO PLOCENSI DUCI SIELUNENSI FRATRI SUO.

Heilsbergâ 25. Aprilis.

NON mireris diutiùs me ſiluiſſe; Quadrageſimales enim occupationes me detinebant, & occurrebant etiam, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur; & propter hoc ipſum multa ſcribere non licet, quia, non quidquid debet dici, ſed quidquid poteſt, cùm hiſ-

A.C. 1708 ce temporibus poſſit non ex vano ſcribi, quòd ex tempeſtatibus peſſimæ ſint, quæ variant maximè.

Tranſivit per Brunsbergam Dñus Poninski Referendarius Regni, qui me ſecurum reddidit, quòd Stanislaus (ita in Demoſthene magna pars Demoſthenis abeſt) libertatem habebit à Rege Sueciæ redeundi in Poloniam. Diſcant hi, quicunq; magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio ne fulmen quidem mitti, ſed vocare, conſiderare Superiorum ſententias, placitum, temperent, & hoc ſibi perſuadere noſter Stanislaus debet, ne Jovi quidem ſatis eſſe ſuum conſilium, tanquam & ipſe, prolatæ (ſi voluerit) ſententiæ majori cognitori debet dare reſponſum. Contemnitur, non quia vult, ſed quia debet. Ut ergo Rex Sueciæ inclinari poſſit ad hanc redeundi permiſſionem, miſſus eſt Dnus Palatinus Jablonowski cum Dno Broniſz Mareſchalco Confœderationis, deducendo rationibus neceſſitatem reditûs. Contuli etiam cum Epiſcopo Culmenſi præſenti Cracovienſi Nominato, præſertim in eo, quòd Palatinus Kijovienſis (peſtifera vis eſt valere ad nocendum) excurrere velit in Varmiam, pro extorquenda aliqua contributione, quam impediturum ſe promiſit Dñus Ekenblat Commendans Elbingenſis.

Heilsbergenſis arx mea fortificatur à Suecis me ſpectante, nec poſſum oppoſitionem interponere. De morte Epiſcopi Samogitiæ Kryſzpin ſcribitur mihi.

Ne Tribunal incipiat ſub nomine Stanislai; impedit adverſa pars. Audiviſti aliqua Gneſnæ attentata à Dluſzewſcio Suffraganeo Chelmēſi tanquam Adminiſtratore Sede vacante Archi-Epiſcopatûs; doleo valde virum hunc honeſtum, qui permiſit ſe circumveniri, & credidit ſermoni ſine ullo vero Authore diſperſo, cui malignitas initium dedit, incrementum credulitas, quòd ſcilicet Dnus Szembek jam Archi-Epiſcop⁹ pleni Juris degradari debeat, & ſic fraude inimicorum falſa vulgantium deceptus eſt, ut dici de eo poſſit, non multùm navigavit, ſed multùm jactatus, parvum fructum, ſed ingens damnum habiturus cùm venerit Româ caſſatio horum omnium actuum, quam tibi per otium legendam hic jungo; unde totam hiſtoriam leges. Ames me, nam ego te diligo.

COPIA LITERARũ à SANCTISSIMO D. N. P. CLEMENTE XI. nuper datarum ad Sereniſſimum Principem Fûrſtemburgium Electoralis Saxoniæ Gubernatorem.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Agnoſcimus & adoramus miſericordias Dñi DEI noſtri, qui nos in multis tribulationibus propter diuturnas Chriſtiani populi calamitates, & aſſidua pericula, ac detrimenta veræ fidei conſtitutos recreare voluit ſpirituali conſolatione, per poſtremas Nobilitatis ſuæ literas, nobis allatâ. Neque enim illæ quidquam gratius atque jucundius afferre nobis poterant, quàm quod attulerunt, propitiante ſcilicet DEO, & favente Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Augusto Poloniæ Rege Illuſtri apertam demum fuiſſe felici ſanè lætiorum eventuum auſpicio, cum ſperare fas ſit, quod qui cœpit, ipſe perficiet, & orthodoxam veritatem, quaſi poſtliminio illuc reductam amplioribus in dies incrementis augebit. Quâ in re lætari meritò poteſt Dilectus filius Religioſus vir Carolus Mauritius Vota è Societate JESU, licuiſſe ſibi per æta-

ætatem optatum votorum ſuorum fructum, quaſi ſuâ manu, quâ ſacris *A.C.* 1708
palàm eſt operatus colligere. Ipſe verò AUGUSTUS Rex non tam partam nomini ſuo gloriam, quàm quæſitum animæ ſuæ ingens lucrũ, gratulari ſibi perpetuò debebit, non poſtremam interim laudem tibi deberi, ultro ac libenter agnoſcimus, ex perſpecta enim nobis præſtantia tuæ pietatis, & zeli, facilè conjicimus te operâ ac conſilio tuo non parum huic bono profuiſſe. Cæterùm gaudio noſtro cumulus profectò tum demum accedet, ſi quod ſæpius exquiſivimus, ac ſemper optamus, id tandem obtinebimus, ut Regis filius Catholicè inſtituatur, quod cum Rex ipſe tum pro ſua in DEum fide ac Religione, tum quia id ſe facturum non ſemel eſt nobis pollicitus, præſtare debeat, tua ut ope quàm primum perficiat, magnopere cupimus, ex quo noſtro deſiderio Rex agnoſcere debet, quàm propenſo animo in eum ſimus, qui viam ipſi revocandi in caput ſuum cœleſtes benedictiones innuimus, & Nobilitati tuæ in ſolidum Paternæ noſtræ charitatis pignus, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 28. Aprilis. Pontificatus Noſtri Anno 8.

Vlyſſes Joſephus Archiepiſcopus
Theodoſienſis

COPIA LITERARũ PALATINI BELZENSIS* SUPREMI EXercituum Regni Ducis ad Palatinatus pro Comitiolis juxta univerſale Primatis incidentibus. Leopoli 16

FOrs adhuc dextera Excelſi non properat in ultimam noſtram ruinam, & in tanta confuſione detinet adhuc lethales ictus, cum indulget tempus in hiſce congreſſibus nobis conſulendi. Unde operemur ſalutem Patriæ, dum tempus eſt. Quid prodeſt inani lamento afflictam deplorare ſortem? quid liberam inclinare cervicem, ut jugum imponatur? Polonæ ſaltem ſit virtutis agere & pati fortia. Univerſa Reſpub. repræſentat captæ urbis ſpeciem, jam non abditæ fundamentis libertatis ſubjectæ minæ, ſed ariete apertæ ſunt portæ ſervituti. Publica & privata fortuna in prædam cedit, nec pro libertate & ſubſtantia ductu naturæ aggredimur fortia. Omnes miſerentur, nemo ſuccurrit. Pleriq; ex concivibus declinant ictum adverſæ fortunæ, vel extra limites applicant aurem ad fragores labentis Patriæ, vel domi ante tempus inanibus nænijs agonizanti abſolvunt exequias. Vindicanda injuria, & viva ſumenda reſolutio ad repreſſalia. Cum autem vana ſit ſine virib⁹ ira, ego ex obligatione mea cum apprecatione felicis ſucceſſus conſiliorum pro meta colloco intereſſe exercitus, qui ſicut in pace ita præcipuè in bello eſt præſidium. Inanis ſpes in finitimorum ſuppetiis, niſi domeſticus fulciat vigor, & bellicus apparatus. Unde quamvis in Comitiis Lublinenſibus ad præſentem caſum ex contributionibus prævisa ſint ſubſidia, in omnibus planè Palatinatibus hucuſq; oblivioni non executioni data; Tribunal tamen theſauri tam præteritum Luceoriæ quàm præſens Leopoli jus ad effectum deducens, tres tetrantes per repartitionem deſtinat in ſolutionem exercitûs ex contributionibus per ultima comitia laudatis. Primum tetrantem pro obſequiis Auguſti anni 1698 juxta liquidationem, duos ad computum auctionalem, præteriti & currentis Majalis, ſalva liquidatione eorum in futuro Tribunali. Pro duobus primis ex declaratione Tribunalis ad congreſſum Dominationum veſtrarum repartitionem, pro tertio jam eſt ſub incude labor,

A.C. 1708 bor, prodibitq; intra paucos dies. Pro quibus niſi ſatisfiat, quid damni in rem emerget publicam Dominationibus veſtris dijudicandum relinquo, ſine nervo enim vires bellicæ nec conſervari nec augeri poſſunt maximè peditatus, & tamen in his adhuc quadantenus innititur Reſpub. cur non aliquid moleſtiarum pro conſervatione univerſi ſubeundum? Si enim olim Saguntinæ mulieres propriorum capitum non pepercerunt crinibus pro nervis & reſtibus ad tormenta bellica; cur capitalis contributio laudata nobis videatur impracticabilis, cum interea quivis rapiat ſine reſiſtentia. Cur contributio ultimæ conſumentiæ videatur difficilis, cum animoſi olim cujuſdam fortalitii Hiſpanici Præſidiarii in defectu plumbi propriis dentibus contra hoſtes bombardas onerarunt. Latius has reflexiones non proſequor, in talibus enim circumſtantiis ferro res eget & auro, non diffuſis verbis, ſolummodo efficaci reſpectui Dominationum veſtrarum iteratò comendo indiſpenſabilem neceſſitatem augendi vires militares per ſolutionem nominati triplicis tetrantis.

COPIA EPISTOLÆ CLEMENTIS XI. AD CÆSAREM.

HActenus lenitatis & patientiæ dedimus grande documentum; cùm à te Cæſare ſæpè laceſſiti, ac tuis armis etiam vulnerati, non modò nos ultionis cupiditas non excitavit, ſed culpam patienter diſſimulavimus, ne graviter deſcenderemus ad pœnam. Egimus ſemper erga te, cæterosq; Principes veluti bonus Pater ſuos erga Filios, qui ſingulos cùm amantiſſimè diligat, non patitur in illis quenquam amoris ſui principem locum occupare. Oblíviſci non potes, cùm Imperij regimen ſuſcepiſti, quantum tibi cæterisque Germaniæ Ordinibus luculenter faverimus. Dolebamus te primum Regnis imperare, cùm inter te Galliarumq; Regem vehementiſſimum bellum arderet, diu multumq; ſtuduimus tranquillitati tuæ, ac tale diſſidium authoritate non ſolùm noſtrâ, ſed precibus etiam componere meditati ſumus. Verùm adeo altè vulnus erat impreſſum, ut in dies recrudeſceret magis, ac magis cujusq; manum reſpiceret. Verumtamen etſi pacem tuam habere non licuit, ſtudia pacis nunquam amiſimus. Curavimus ideo ſemper Paternam quandam indifferentiam, ut ad id magis idonei eſſemus, ac conſenſionem armorum, quæ nobis offerebatur, ut exteris legionibus Italiam deſtrueret, conſtanter rejecimus, ne locus eſſet ſuſpicioni. Accepimus milites tuos, & detrimentum, quod ab ijs Dominij Noſtri pars melior accepit pene neglеximus, nec ad aures tuas juſſimus querelas noſtras deferri. Neapolitana expeditio à nobis initium habuit, & incrementum, ac quod neq; vi & armis conſequi potuiſſes, ultro conceſſimus, ut commodis tuis, ac progreſſibus favere nos magìs, quàm noſtræ felicitati videremur. Cùm verò lenitas hæc tanta te non modò in debito in Eccleſiæ obſequio non confirmaverit, ſed illi injurias & damna inferendi conſilium dediſſe videatur, nos quoq; amiſſâ lenitate, & patientiâ ſeveriſſimè noſtrum munus implebimus. Opinamur te (conſcientia tua per ſe tibi denuntiet) cenſuris irretitum teneri, cùm Dominij partem

non

non ita exiguam hoſtiliter deprædatus eſſes & penſiones ac beneficia, quæ Miniſtris Eccleſiæ conferebantur tibi vindicaveris extorſione violentâ. Accedit etiam (ſic enim accepimus ex literis tuorum) ut cauſam Chriſti Domini, ejusq; degentis in terris Vicarij, tu ipſe velis judicare. Deſiſte Fili, & ad reverentiam Eccleſiæ animum tuum revoca. Obliviſcemur nos injuriarum, ac te tanquam primogenitum filium diligemus, ſed ſi perſtabis in tanta intemperantia conſilij, abjiciemus Patris clementiam, & in te tanquam in rebellem filium excommunicatione, & armis ſi opus fuerit animadvertemus, neq; verò ſi conſiſtant adverſus nos caſtra, timebimus, Chriſti Domini ejusq; cauſam Eccleſiæ defendemus. Chriſtus ipſe vires dabit, ut vincamus. Teq; niſi pudet Eccleſiam oppugnare, & DEUM ipſum ab illa avita pietate, ac præcipuè Patris tui Leopoldi, & Sanctiſſimæ Sedi addictiſſimi declinare ſcias. Idem ipſe DEUS qui Regna confert, Regna diſperdet. A.C.1708

RESPONSUM PALATINI BELZENSIS EXERCITUUM DUCIS ad univerſale Palatini Kijovienſis ante conflictum Koniecpolſcenſem typis editum & publicatum.

Utinam infelix internarũ confuſionum Reipubl: noſtræ Pharſalia, in ſola papyro atramento imbiberetur, nec effuſo fratrum ſangvine, præſenti æquè ac ſecuturis ſæculis allineret ruborem. Quis crediđiſſet ambitionem inter æquales ad hos perventuram gradus, ut furoris ſui idolo vitam concivium conſecraret in victimas. Scilicet ut Turno contingat Regia, nos animæ viles inflectaq; turba ſternamur campis. Aſſiſtendum erat ſub Caliſſio Regi Sueciæ propter officium clavæ, & pugnandum ſociis armis contra fratres hoſtem perſequentes, quod olim facere renuit Sertorius nolens pro ſua contra æmulos in eadem Patria conſervatione oblatam cum Mitrydate ejuſdem Reip. hoſte inire colligationem. Aſt fuerit ſanè ſub Caliſſio prætextus, eò quòd Moſchus peteretur, verùm ſub Skrzyno effuſus fratrum ſangvis quo pallio obvelabitur, qui ex utraq; parte ad aliquot milliaria ſub auſpiciis hujus novæ clavæ campos inundavit; aut præceps acceleratio ſub Koniecpole, ubi quaſi ad augendam ſitim ſangvinis aliquot milliaribus ſine reſpirio fuit contentus impetus. Et hæc ſunt ſpecioſa verba quæ Palatinus Kijovienſis in ſuo publicat univerſali, hoc Evangelium, quod prædicat: Pax, & non eſt pax, promulgat, quòd quietem quærit Patriæ & ſangvinis effuſione erumpenti igni affundit oleum. Poteſne mihi ſimile quid objicere invidioſiſſime Cenſor, inſiſto juribus novæ electionis, non cedo officio meo, ſed bello inteſtino ignem non adjicio, ſuſtineo Remp. in omni modeſtia, nec frameam ſtringo in ruinam civium, ſed merè jure naturalis defenſionis oppono me ad ictum Reipub. intentatum. Sibi imputet, quisquis mihi arma eripiens ſe ipſum lædit, ego autem coram DEo & Rep. proteſtor, quòd non ſim reus civilis ſangvinis. Jam verò ad fuſè objecta in præfato Univerſali & exaggerationes, nolo renovare Thuſcum jurgium, & per eandem lineam ferum trahere. Sæpè jam reſcripſi ad id quod putabat inconvincibile, & ſic videor mihi in juſtitia & rationibus fundari, ne autem Palatinus Kijovien: triumphet, ac ſi ſigillo literis ſuis impreſſo in intereſſe clavæ Ducalis os mihi obſignâſſet, publicæ luci communico, quod reſcripſi.

RES-

A.C. 1708 RESPONSUM PALATINI BELZENSIS EXERCITUS DUCIS AD LITERAS PALATINI KIJOVIENSIS.

Prætenſio clavæ. BOnum prognoſticum futuræ victoriæ meæ agnoſco, cum ab Illmâ D. V. ratione clavæ ducalis citor ad judicium Reip. literis de data, 1. Aug. Siquidem etiam meum privilegium hujus officii eſt de eadem data, & ſperare convenit, non ceſſuros dies primos ſecundo. Declaratio Illmæ Donis Vræ numeroſo Patrum Senatui data, quòd velit in ſuſpenſo tenere militares faſces uſq; ad deciſionem Reip. meretur à me gratiarum actionem pro hac æquanimitate erga Patriam. Attamen laudabile hoc exemplum cum ſit in diſpari cauſa, mihi non undequaq; eſt imitabile. Ego ſeſqui trium annorum in hoc miniſterio ſum bonæ fidei poſſeſſor, Illma verò Dõnatio à ſemiduobus annis juris quæſiti prætendens, unde ego in poſſeſſione relinquendus ſum, donec aliter decidat poteſtas legitima, Illmæ verò Dõni Vræ exſpectandum decretum in præfata nova prætenſione, cum violenta invaſio alienæ poſſeſſionis ſevero jure ſit vetita, & in primo termino ferri debeat decretum in favorem primi poſſeſſoris, ut ante omnia reinducatur. Scribit mihi Illma Dnatio Vra quòd non caduca hæreditate obtinuerit Clavam ducalem, ſed per ceſſionem jurium & diſpoſitionem Seren: Regis AUGUSTI in perſonâ alterius devolutam, & quomodo talis ceſſio abſq; univerſali conſenſu integræ Reipub. facta & ſubſiſtere poteſt? ſiquidem in hoc libero Regno mutua ſunt vincula inter majeſtatem & libertatem, nec poteſt una ſine altera facere divortium, nec poteſt res inter duos acta præjudicare tertio ac pluribus aliis. Unde ſi Illuſtriſſima Dominatio jus habet ad clavam, non aliunde illud obtinuit, niſi per caducum, aſt morbum qui corpus Reipub. tam graviter affecit, ut in hoc diſſenſionum & æmulationum paroxiſmo nequeat ſe in ſui tutelam erigere. Neſcio cur in hiſtoriis quærenda ſint exempla hujus facilitatis, cum omnia acta plena ſint, quod ab indebitis prætenſionibus liberi fiant receſſus. Quod concernit judicium Reipub. inter nos, non excipio forum & agnoſco ſupremam in me auctoritatem Reip. dummodo unanimis, integræ, & non illius, quam Illma D. V. ad hoc negotium eligit judicem. Regem Sueciæ acceptare nequeo, nec ejusmodi judicium compoſitum, nam apparet quòd hanc prætenſionem velit finire ferro, ubi merè menſura juris vis eſſet. Et quodſi hunc Colligatum licet tantùm in Patronum habere, mihi quoq; petenda eſſet additio Patroni Czari Moſchovitici. Non efferatur, quod Perſonalibus meritis apud hunc Monarcham obtinuerit reſpectum, nec ego confundi debeo, quòd idem ſine cauſa mihi ſit offenſus, imò ſi gloriari licet, me dignum Cæſaris irâ. Perſonalia merita an cujuſpiam ſunt tanti ponderis apud Regem Sueciæ ex œconomia Reipub. noſtræ, niſi ex illis vacantibus officiis, quæ habet in regno Sueciæ vel in exercitu ſuo; Nobis autem Polonis non niſi à Regibus Poloniæ diſtributionem præſtolari expedit. Proinde nec exemplo Illmæ Dõnis V. convinci debeo, ex ratione præmiſſa, ut ex poſſeſſione clavæ cedam ante deciſionem Reip. nec in Judicem aut Patronum Regem Sueciæ aſſenſum præbere poſſum, & cùm exhortatur Illma D. V. exemplo ſuæ benignitatis, ut Polonus imiter Polonum, & cauſam hanc committam judicio Poloniæ communis noſtræ Matris, infero ut nullum quærat judicem aut Patronum præter ſubſellium Reip. prout me facturum appromitto. Hinc non video, cur hæc exclamatio formaretur; Quid potui facere & non feci. Nam non potuit plus facere pro Patria, quàm ſi non con-

concurriſſet pro eo quod manibus meis jam erat traditum, & facilè poterat conſequentias inferre, hanc declarationem meam non poſſe fieri ſine confuſione, poteſt etiamnum modò plus præſtare in publicum, ſi habens litem cum concive non adhibeat exoticā potentiam ad ejus evictionem, ſed contentetur judicato Reipublicæ. Perpendat me non in eadem navi, quæ lacrymis inopum vel ſangvini Poloniæ innatat, navigare pro hoc aureo vellere. Obtinui clavam ſine cujuſpiam injuria, quia ex gradu liberæ poſt fata anteceſſoris mei, de manu ejus, quem tunc major pars Reip. & ego cum illa pro Regnante agnovimus legitimo. Nec igitur lacrymæ & ſangvis Poloniæ ſuper me, quòd juri meo primitivo inſiſtam, nec dilaceratæ jurium & libertatis noſtræ integritates imputandæ, non enim diviſi unitatem publicam, concurrendo pro alieno officio, honore & fortuna. Deniq; perſuadet mihi Illma Dominatio Vra planè acſi populari materia publico me vellet exponere odio, ut exercitum in gloriam Poloniæ & defenſionem limitum deducam in finitimam Monarchiam, quò jam prævenerunt Colligati. Quæro, procúlne abierunt? fors non procul diſtant Mohiloviâ, tumulos ſibi quærunt, & qui hócce jam tempore volebant in Metropoli Moſchoviæ dare jura Septemtrioni, fors ipſi ea inde acceptare debebunt. Præterea, cujus auſpiciis & auctoritate Exercitus Reip. cogendus in offenſivum bellum? utiq; Comitia Lublinenſia, quorum Illma Dominatio Vra pars magna fuit, auctionem fecit exercitûs, non contra Moſchum ſed pro defenſione contra invaſorem, imò ipſæ primipilæ cohortes Illmæ Dnis Vræ ex Sendomirienſi equitatu in quem tunc acuerunt frameas niſi in Suecos? Non illud ducibus bellum juſtum & licitum quod videtur facile & proficuum in aliqua colligatione, ſed illud, quod Senatus populuſq; jubet cum unanimi conſenſu. Aperui itaq; mentem meam Illmæ Dnis Vræ quod paratus ſim faſces meos ſubmittere judicio ſupremæ auctoritatis totius Reip. Sed ante ejus deciſionem, ex poſſeſſione detrudendus non ſum. Iudicem hujus cauſæ Regem Sueciæ agnoſcere nolo, nullam enim in me habet juriſdictionem. In bellum contra Czarum Moſchoviticum conſentire nequeo, nam Comitia ultima Lublinenſia elegerunt ſibi eum in Colligatum, & non in hoſtem, nec poteſtatis meæ eſt diſpenſare in legibus, maximè tantæ conſequentiæ. Cum Illma Dnæ Vra opto mihi ſinceram amicitiam, & paratus more antiquorum Polonorum in eodem curru diſcedere ad judicium, ne interea propter hanc colliſionem repulſam patiatur pacificatio Patriæ. Cum hac relatione permaneo ſemper &c. A.C 1708

RELATIO CONFLICTUS KONIECPOLSCENSIS.

SUB Skrzynno in abſentia Palatini Kijovienſis, fortuna Generali Smigielski in diſperſione diviſionis Exercitûs Kwarcianorum ſub directione Generalis Rybinski, paulò antè favens, occaſio fuit, quòd ſub adventum Palatini Kijovienſis Laskum ante feſtum Omnium Sanctorum hiſce mediis ſibi acceſſerint. Undè formatô Laſci conſiliô, an ob metum traducti Baranoviâ exercitus Kwarcianorum cum Generali Rybinski ante ſylvam ſubſiſtentis, nam tunc Kwiarciani excurſionibus multos milites Palatini Kijovienſis abducebant, an propter aliquod ſtratagema, ultra Lęczyciam Palatinus Kijovienſis cum exercitu receſſit, vadis loci illius per excubias bene munitis. Tandem 17. Novembris Sabbato nullo ex nobilitate aut plebe Palatinatus Lencicienſis cis vadum

trans-

A.C.1708 tranſmiſſo, ne ulla ad Kwiarcianos veniret notitia de hoc motu, Palatinus Kijovienſis cum exercitu die & nocte vadum quoddam trajecit. Pergebat exercitus maximè Polonicus dimiſſis vexillis, idq; ne agnoſceretur exercitus, citis paſſibus. Szczyreoviæ Decem milliaribus Koniecpoli intellexit Pal. Kijovienſis à captivo Kwarcianorum, Rybinſcium cum Exercitu poſt Koniecpolim ſubſiſtere, nec inde moturum. Unus tamen captivorum evaſit ad Kwarcianos referens plurimas copias appropinquare, Szczyreoviâ die Lunæ ſub mediam noctem moviſſe Palatinum Kijovienſem, cujus exercitum Kazycis ob incenſa horrea cum omnibus frumentis, lamenta & gemitus populi comitabantur, ſed id factum ex inanimadvertentia diſcolorum militum. Feſto purificationi B. M. V. ſacro ſubſtitit in pago ſeſqui milliari Koniecpoli, quo captivus ab Exercitu Kwarcianorum adductus, retulit hunc exercitum ſub Koniecpoli in acie ſtare. Audito miſſæ ſacrificio lento paſſu gradiebatur Palat. Kijovienſis cum exercitu, pluviæ continuæ uſque ad meridiem accelerationem impediebant. Non procul Koniecpoli in ipſo planè meridie ſub monte ad formandum conſilium ſubſtitit. Interea alacriores ex utraq; parte per velitationes præludebant. Arridet ſerenius cœlum, Pergit Palat. Kijovienſis habito conſilio. Dexteram & lævam Exercit⁹ Polonicus, corpus formabat exterus non procul ab exercitu Kwarcianorum, qui ob planiciem & propinquitatem conſpici poterat dum fere tantum decem ſtadiis abeſſet, Legatos quatuor ab exercitu Kwarcianorum cum Tubicine, inter quos Siemianowski Caſtellanides Vielunenſis Colonellus, cui totum negotium Legationis commiſſum erat, habuit obvios. Qui Siemianowski arte & marte clarus condignè officio legationis functus, attamen tædium longo etſi eloquenti ſermone ſuo Palatino Kijovienſi creavit, unde ab eodem ſtimulatus, ne ceremoniis tempus extraheret, brevibus ſeriem legationis ſuæ, idq; ob temporis anguſtias, die jam in veſperum inclinante comprehenderet, quod & factū à legatis primò ut Palatinus fide caveat nomine Regis Stanislai, quòd Reip. libera ſit futura confirmatio Electionis regiæ, 2do quod Rex receſſurus ſit à colligatione cum Rege Sueciæ. Quas propoſitiones ægre ferens Palat. Kijovienſis clamavit, Dominationes Vræ ſunt filij Regni, ſervi Reip. non Reſpublica, proinde quòd ad univerſam pertinet Remp. id ſub veſtram non cadit diſputationem. Subintulit Colonellus Poniatowski, qui recenter partibus Regiis acceſſerat, hi non ſunt Legati ſed exploratores, cum nullas in authentico inſtrumento à Principalibus ſuis adferant propoſitiones optavitq; ſub arreſtum accipiendos. Pauci in id conſenſerunt, & factum eſt ita. Siemianowski proteſtatus eſt id eſſe contra jura gentium, aſſerens nunquam ſe id officium ſuſcepturum fuiſſe, ſi hunc dishonorem prævidiſſet. Dein Colonellum Poniatowski allocutus: Domine Colonelle, quid fiet me arreſtato? quis meum in aciem ducet vexillum, cui repoſuit Poniatowski, ſtatim rectà cum mea cohorte moveo contra vexillum Vræ Dominationis, intimet in qua ſit ala, & ego omnem meis inhibebo exploſionem, donec receptui canatur. Poſt hæc ſigno dato impetu ruunt. Stadio uno ab exercitu Kwarcianorum ſubſtitit Palat. Kijovienſis cum toto exercitu, verùm à tormentis Kwarcianorum ad certamen vocatus, inſultum fecit in eos. Ad primum ejus conſpectum ſtatim Kwarcianorum Polonorum utriuſq; alæ vexilla terga verterunt. Solus exercitus externus ſub directione capitanei Wielunenſis reſtitit toti exercitui Palatini Kijovienſis. In hoc prælio ob trajectum equum Capitaneus Wielunenſis in partes ceſſit

Pala-

Palatini Kijovienſis, obit And. Olſzowski munus Legationis à Palat. Kijovienſi ad D. Soſnowski ut ſe cum toto ſubderet peditatu. Interea Colonell⁹ Szaſzewski ex exercitu Kwarcianorum erupit, & milites Palatini Kijovien. in diſperſionem egit. Evaſit Capitaneus Wielunenſis ad ſuos. Tandem Kwarciani congregati, exercitũ de novo in ſuccurſum Externis per Palat. Kijovienſem adductum, fatis ſic volentibus, diſpergunt, eumq; inſequendo tam in campo quàm in ſylva cædunt. A. C. 1708

COPIA BREVIS APOSTOLICI AD IMPERATOREM.

CLEMENS PAPA XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem &c. Vix ſimile vero videretur, copias illas, quæ ſtipendia faciunt ſub vexillis Mtis Tuæ in Italia, poſt tot, ac tantas moleſtias, & graviſſima damna, frequenti earum tranſitu per Ditionem Eccleſiaſticam populo Noſtro illata derepentè, nullâ factâ belli indictione, intentâſſe hoſtile aliquid adversùs easdem Ditiones; niſi actu, req; ipſâ ex his, quæ ad Nos nuper allata ſunt, nimium compertum eſſet, id planè eveniſſe, easdem copias, loca quædam Jurisdictionis Noſtræ paulò antè occupâſſe, ibiq; conſtituto præſidio, ſuisq; ſignis explicatis tanquam in terris juſto bello acquiſitis inſediſſe animo, ut apparet majora aggrediendi, ubi novis militiis quæ mox affuturæ dicuntur, augeantur. Vides Cæſar hæc contra omnem æquitatem ac rationem, contra debitam Nobis & Apoſtolicæ Sedi reverentiam, contra Jura, ac rationes Eccleſiæ per abuſum Tui nominis admiſſa, Divinis, humanisq; legibus repugnare, rectoq; opponi titulo Defenſoris Eccleſiæ, quo maximè gloriati ſunt Imperatores, inclyti Majores tui. Non ignoras, quàm graviter, & diſtrictè Sacri Canones, & Apoſtolicæ Conſtitutiones decernant adversùs eos, qui vim rebus, & Juribus Eccleſiæ inferunt. Expende itaq;, quousq; te abripuerint (ſi modò id te jubente, & conſcio admiſſum eſt, quod nefas eſſe videtur de Tuo animo exiſtimare) prava & iniqua eorum conſilia, qui te ad prouocandam tam grauiter, & tam manifeſtè DEI iram impulerunt, & pedem ſine ulla mora inde refer, unde certa animæ Tuæ pernicies, ne dum perpetua Tuo nomini labes conſecutura eſt. Interim verò de Nobis ſic exiſtima, Nos de Diuina ope, quàm humiliter, & enixè implorare non ceſſabimus, confiſos eâ animi firmitate hanc cauſam & ea omnia, quæ tutelæ noſtræ commiſſa ſunt, complexuros eſſe, ut nemo unquam nobis ſuccenſere poſſit; Nos muneris noſtri partibus defuiſſe, aut medijs ſiuè ſpiritualibus, ſiuè temperalibus peperciſſe, etiamſi cujuscunq; rei jacturâ & vitæ noſtræ diſpendio faciendum ſit, non enim animam noſtram pretioſiorem facimus quàm nos, dummodo conſummemus curſum noſtrum, commiſſumq; Nobis cælitus Miniſterium usq; ad mortem fideliter impleamus. Memores ſiquidem ſumus, quemadmodum etiam Te eſſe oportet, omnes homines, quâcunq; demum dignitate præſtantes, conſtituendos eſſe aliquando ante tremendum illud Tribunal, coram quo tum qui fecerint opus ſuũ negli-

A.C.1708 *negligenter, tum qui traditâ ſibi poteſtate abuſi fuerint juſti Judicij iram non evadent, declinantes enim in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Hæc cogitatio Nos DEO adjuvante impigros in obeundo munere Noſtro efficiet. Conſulat & ſibi Ætas Sua. Noli Chariſſime Fili Noſter (nomine Domini JESU Chriſti, cujus vices indignè gerimus poſtremò alloquimur) noli primitias florentis ætatis Tuæ totius Chriſtiani populi ſcandalo maculare, & ab Eccleſia, quæ Chriſti ſponſa eſt, Apoſtolorumq; ejus injuria Imperij Tui primordia auſpicari. Quod quidem ut planè intelligas, & meliora DEO favente ſapias Æti Tuæ Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur. Dat: Romæ 2. Junij.*

UNIVERSALES AD PALATINATUS RUSSIÆ PRO GENERali conventu à Stanislao Rege emanatæ.

U*Niverſis & ſingulis &c.* Inter Claſſica Gradivi, & ſonoros armorum ſtrepitus, Caſtrenſes ſudores, vigilias, ac plùs quàm Herculeos labores, & graves cæli, inſtabilisq; àëris injurias, dum hyberna æſtivis, æſtiva hybernis commutamus, dum ſub Jove rigido bellicoſam Martis indolem accendit ardor, in hoc ipſo æſtu, & proſecutione belli, nec publicas & civiles remittimus curas, nec manu ceſſamus, nec conſilio, ut Reſpub: tot turbis, & tumultibus erepta, & ab infeſta Gentium colluvie liberata, purgataq;, quàm primùm partâ, domi, forisq; pace Juri ſuo antiquo, decori, & nitori, liberrimoq; Statui reddi, tum ſua legibus reverentia, ſua Judicijs authoritas, ſuus conſiliis publicis vigor redire, nec non diſſociata membra in unam eandemq; compagem, & interni motus in mutuam concordiam, & ſuavem harmoniam coaleſcere queant. Porrò, cùm ad optatam hanc è votis noſtris Reunionem, reſtabiliendamq; animorum & conſiliorum combinationem Provincia Pruſſiæ ſeriò concurrat, & prout ſemper intemeratâ erga Reges fide, celebri in publicum amore, & optimo ab intra ordine juxta vetera Majorum ſuorum inſtituta, & ſpecialia Jura claruit, ita nunc publico exemplo præire aliis ſatagat, eoq; nomine tam per Delegatos ſuos ex nupero Suecenſi Congreſſu, quàm ſubſequenter per DD. Senatores pro obtinenda expeditione Generalis Conventûs cum ſolitis ſolennitatibus, & praxi uſitata flagrantiſſimè inſtiterit, Nobisq; exponi fecerit, qualiter juxta fundamentales leges ſuas, & indiſſolubile cum Civitatibus vinculum ab ipſo olim ſpontaneo acceſſu ad corpus Reipub. ſinè ſimultaneo earundem interventu, & unanimi conſultatione, nulla retroactis temporibus publica conſilia inibidem expediri conſueverint, omnisq; novitas, & dismembratio uti nociva, & præjudicioſa diligentiſſimè præcauta fuerit. Nos itaq; non modò hæc deſideria, & optimas intentiones grato animo accipimus, & Jura, Prærogativas, nec non quasvis immunitates, ac conſuetudines Statuum, & Ordinum Terrarum Pruſſiæ omni favore, & protectione Noſtrâ Regiâ complectimur, ſed inſuper ſingularis gratiæ Noſtræ evidens daturi documentum, tam pro effectuanda deſiderata animorum & conſiliorum conjunctione, quàm redintegranda primæva ſymetria Status, priſcaq; forma reſtauranda ad inſtar priorum temporum, nec non reſtituendo ab intra bono ordine præcipuè juſtitiæ ſanctæ cultu reducendo extraordinarium Generalem Conventum ex ſuo

alter-

alterno recurſu... indicentem pro die.. Menſis.. Anni præſentis Sinceri- *A.C.* 1708
tatibus & Fidelitatibus VV. deſignandum haud gravatim reſolvimus, & jam ex nunc præmiſſis de more conſueto particularibus Conventibus damus, deſignamus, & declaramus, non derogando in quopiam Generali Confœderationi in pleno vigore ſuo, & robore ad futura DEo dante Comitia Pacificationis conſervatæ; obnixè autem requirimus, Sinceritates & Fidelitates VV. ut pro eodem Generali Conventu per Nuntios ſuos tempeſtivè conveniant, & Jurium ſuorum integritati, propriæq; combinationi, tum commodis, ac indemnitati, quàm efficaciſſimè ſtudeant, conceſſâq; hac gratiâ Noſtrâ taliter utantur, qualiter & vota Noſtra, & deſideria eorum optimo coronentur eventu. In reliquo DEum pacis, & concordiæ Authorem precamur, ut leni aurâ ſpiritum veri conſilij, charitatis, & mutuæ confidentiæ inſpiret, cunctaq; ad hunc finem cælitus diſponat. &c.

ALEXANDRO SALLAROLI Brunsbergâ 16 Junij

NON mireris, quòd per totum Quadrageſimæ tempus nihil ſcripſerim. Occupationes enim Diœceſanæ ſcribere non permiſerunt, quibus hactenus propter impedimenta à Suecis, vacare non licuit reduci ex tam longo exilio, Brunsbergam veni; jam enim magis amo ſolitudines, quàm congregationes hominum, &, cùm non ita de meo periculo ſollicitus ſum, ſicut de ſalute meorum ſubditorum cogito, invitavi ex condicto Dñum Comendantem Elbingen. Baronem Echenblat, qui omni humanitate exceptus, donis etiam ipſe, uxor, filiæque pro poſſe honorati, cùm nemo ignorat teſtimonium, quod à rebus trahitur, certius eſſe quàm verborum. Ut ergo reliquiæ Iſraelis ſalvæ fierent, neceſſè erat redemptione tam præſervativâ, quàm curativâ affectum ejus realiter devincire, quod, dum factum, poſt duos dies abiêrunt, & libertatem manendi in Diœceſi permiſſam habui. Et hic modus in futurum ſerviet mihi.

Non deſunt hic plurimæ occupationes; inter aliàs ordinandi erant plurimi Sacerdotes neceſſarii ad curam animarum; quanquam iiſdem ſuccurrendum erit, cùm omnia bona ſint deſolata. Reviſitare etiam debui D. Comendantem Elbingenſem, ut humanitate, & civilitate ulteriùs eundem devincirem, mihiq; favorem, & libertatem faciendi, quæ officii mei ſunt in Varmia, procurarem; breviter ille orare docet, & in aliqua parte citò vult poſtulata præſtare; externus generatione, ſed poſſeſſione domeſticus ſeu Dnus abſolutus. Tranſiit id tempus, ubi nemo auſus eſt dubitare, quin ex alienis ſpicis excuſſum frumentum ejus ſit, cujus & ſpicæ fuerunt. Optimè ab eo exceptus cum Canonicis meis. Venerat ſub id tempus Elbingam etiam Dñus Palatinus Culmenſis, cum quo multa contuli, collatum fuiſſe Epiſcopatum Cracovienſem à Staniſlao Dno Theodoro Potocki Epiſcopo Culmenſi audivi, & jam titulum Principis admittere ſcivi, quanquam aliundè ſim informatus, quòd Dnus Caſimirus Lubinski Chelmenſis Epiſcopus præſentationem à Rege AUGUSTO habuerit. Tres jam ergo Nominatos Cracovien. habemus. Ego credo Lubinſcium victurum.

Vidi etiam declarationem à Rege Staniſlao, in qua promittit omnibus, quòd officia, & dignitates à Rege AUGUSTO collatæ penes antiquos poſſeſſores relinquentur. Solum tantùm ſigillum Regni Majus cui Palatinus Ruſſiæ inhiat, reſtringitur, patientia!

*A.C.*1708 Non hic opus arte Syllogiſticâ eliciendæ ex præmiſſis concluſioni, quomodo me, & quo loco habeant; ſed juſta erit defenſio, cùm opprimitur innocentia. Silentio tranſmitti nequit tanta oppreſſio, ipſa inanima preſſa clamant & queruntur. Nec laurus ſine ſtrepitu ardet, nec vir bonus injurioſè ſecum agi ſine clamore patitur; Ita Dnus Palatinus oppreſſione vincere vult, quem rationibus ſuperare non poterat, & ad Aulam præſentem religioſa ſunt vitia, atq; non modò non vitantur, verùm etiam coluntur.

Venerat etiam ex Litvania notitia, quòd jam DD. Sapiehæ non tantùm inquiſitionem, ſed etiam executionem ſuper eos, qui cauſâ mortis erant Stabuli Præfecti Litvaniæ ſub Olkiniki, &, quòd iterùm ſævire incipiant, timeo, ne, ut antea, excedant, & affectus nobilitatis perdant. Interim Rex Sueciæ non permittit ullatenus Stanislao publicum cum alia parte tractatum, ſed tantùm, ut admittantur, quicunq; ad illos venient. Non dico tibi plura, quid enim dicerem? Oravimus, devoti fuimus, & dies ſacros in timore DEI peregimus; abſoluto mediâ nocte ordinario die Paſchatis matutino; pro ſolemni Miſſa ad Cathedram Fraumburgenſem ivi, ubi me etiam Dnus Commendans Elbingenſis inviſit. Quo veſperi etiam literas ex Litvania habui, ubi reddi ſigillum Regni Palatino Ruſſiæ debuit, qui valet non tam impetrare, quàm extorquere; & idcirco, quod facere cogitavit, & perficere hactenus non auſus, ea aggreditur. quaſi difficilè juſtitia ſine timore cuſtodiatur. Fuerunt tamen qui ſe oppoſuerunt, & Culmenſis, Kijovienſisq; Epiſcopi, quanquam magis Palatino Ruſſiæ, quàm mihi amici, negotio huic favorabiles non fuerunt. Ita DEus honori meo defenſionem dedit. Nunquam, dicit Origenes invenimus Dnum tantum laudâſſe Moyſen, quàm, cùm ei detrahitur. Prætextus autem erat, quòd Rex in Moſchoviam cum Rege Sueciæ procedens egebat ſigillo in caſum tractatus alicujus cum Moſchis; ſed, cùm præſens Pro-Cancellarius Litvaniæ eſſet, allegatum eſt Sigillo Litvaniæ omnes Moſchoviticas ſigillari expeditiones. Et proinde illud conſilium cum ingenti angore Stanislai, & ſumma confuſione Palatini Ruſſiæ evanuit, qui eſt author hujus imperfecti operis. Ita nempe omnes cultores talium Deorum magis intuentur, quid Jupiter fecerit. quàm quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato.

Poſt abſoluta omnia, quæ tanquam Epiſcopus agere debui, excurro hodie pro negotiis itidem Eccleſiæ Regiomontum, unde, dum rediêro, & tibi nuntianda aliqua habuero, ſcribam, teque, ut ſemel cœpi, ſemper amabo.

CXXIV.

ANDREAS C. Z. &c. ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI PALATINO RAVENSI FRATRI SUO. Gutſtadij 13. Julij.

CErtum eſt, quod ſcribis, fuiſſe aliquem conflictum in Litvania inter Moſchos, & Suecos cum jactura notabili ultimorum; de numero tamen non conſtat.

Habui etiam gratiſſimum hoſpitem D. Epiſcopum Luceorienſem, cum quo excurri ad S. Tiliam, ubi die Aſcenſionis inveni Epiſcopum Vilnenſem cum Principe Czartoryſcio Litvaniæ Theſaurario, ubi aliquot dies in lætitia, quanta nunc eſſe poteſt, abſolvimus. Et cum Dno Epiſcopo Luceorien: iterum Heilsbergâ redivimus, qui 22 abiit Regiomontum, & inde in Poloniam, & Dnus Palatinus Czerniechovien. cum valde infirma Dna Palatina 24 Gutſtadij comparuit, ubi illis occurri, & jam

jam hic reſidentiam figere placuit.

Ex Litvania ſcribitur (ita per ſcopulos ducimur ad littus) Domino Sapieha Bobroiſcenſi Gubernatori poſt reſignationem Caſimiri Sapiehæ Palatini Vilnenſis, qui non tanquam contempſiſſet omnia, ſed tanquam aliis habenda permittat, Supremum Exercitus Litvanici Regimen in præjudicium Principis Wiſnioviecij datum fuiſſe, prævià Alexandri Sapieha Mareſchalchatûs Lit. in manus Regis Stanislai reſignatione; recordor nunc ex hac occaſione; reſpice mundum, nudos videbis DEos, omnia dantes, nihil habentes; ſi vis vacare animo, aut pauper ſis, oportet, aut pauperi ſimilis. Unde Mareſchalcus plenus iræ dixit Palatino Ruſſiæ, cujus omnis inclinatio in colores novos tranſit: Ego quidem non ero Mareſchalcus, ſed nec tu Cancellarius, galeatum ſerò duelli pœnitebat, ſpecioſa, & magna contra viſentibus, cum ad pondus revocanda ſunt, fallunt.

Mareſchallatus verò minor M. D. Lit. ceſſit Equiti Melitenſi Pac. Palatina Vilnenſis de domo Gaſzewska primi voti Joſephi Sluszka Caſtellani Vilnenſis Campi-Ductoris Litvaniæ uxor, poſtea ſecundo voto nuper Palatino Vilnenſi nupta, ex itinere, quod pro domo Sapiehana fecerat ad aulas Regum Sueciæ, & Stanislai rediit Vilnam, & 7mâ Junij ibidem mortua ex aſſe bonorum ſuorum hæredem reliquit maritum, omiſſis ſangvine proximioribus. Digna hæc matrona longiore fuit vitâ, niſi ſolidam ejus devotionem citiùs in Regno ſuo DEUS coronare voluiſſet. Duriſſima alapa (dixit ille) quam Reipub. infligere ſolet DEus, ea eſt, cùm illi adimit probos. *Mors Palatinæ Vilnenſis.*

Cùm redirem Regiomonto, quò excurreram (admoverunt oculis diſtantia ſydera noſtris) ex improviſo in via deprehendi redeuntem ex Litvania Regem STANISLAUM, & uſq; Wormdittum reduxi, ubi ſumptâ cœnâ properavit per Elbingam Mariæburgum, nullatenus morari volens, quem etiam meis equis uſq; Elbingam remiſi; vis ſcire, utrum mutatus eſt? accipe, nunquam ipſe, ſemper alius, etſi ſemper ipſe, quando alius toties mutandus, quoties movendus; fieri tamen poteſt ut, qui hodie ſunt zizania, cras fiant frumentum. Cujus dum tenerrimis literis Mariæburgum vocarer, ut adſim, & veniam, vult utilitas non aliud poſtulat, timens, ne Sueci contra me ex inſtinctu ejus ſæviant, non tam libenter, quàm reverenter ad hoc iter me præparo. Unde plura &c.

COPIA LITERARUM AD ILLUSTRISSIMUM D. NUNTIUM à COLLEGIO EPISCOPORUM Scriptarum Mariæburgi 17 Julij.

Vidimus Dñum, & jam reducem inviſcera Regni veneramur beati, quòd talem habeamus, beatiores quòd meruerimus. Spem enim conceptæ felicitatis vel ex eo arripimus, quòd omnes ſubditos, etiamſi ſufficientes vires contra eos, qui volunt ſibi mala, non deſint, Paterno potiùs, quàm ferreo in votis habeat ſtringere amplexu. Ad quod ut ſacer Senatus vel maximè contribuat, non minùs poſtulat, quàm exigit, obligatq; tanquam intermedij noſtri Ordinis officium, quod gerimus, ut nempe in id certatim incumbamus, in quo bonum verum, ac ſolidum Religionis Sanctæ conſiſtit, neque cunctationi eſt locus in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum. Conveni-re proinde unanimiter, ſinus pectorum noſtrorum aperire, Illuſtriſſimam Excell. Vram tanquam capitis noſtri digniſſimum Miniſtrum con-

*A.C.*1708 fidenter compellare, eiq; ante oculos rem hanc non injuſtam ponere viſum eſt. Jacturam Religionis ex his continuatis motibus, & publica ruina, pericula characteri noſtro iminentia, & proxima ille non videt, qui ſe contra manifeſtam obdurat veritatem. Ad capita infortuniorum noſtrorum non deſcendimus, quia palàm ſunt, & collatione præteritorum quiſque divinare facilè poteſt ventura, ex quibus non niſi per ipſas difficultates exeundum erit. Non aliunde itaq; finis malorum ſperari poteſt, niſi à Paterno Sanctitatis ſuæ in devotam S. Sedi ſemper gentem noſtram affectu, cujus humillimis noſtris precibus in præſens ſenſum in futurum movere deſideramus providentiam, atque ampliùs non tardet, ut pro authoritate & poteſtate confirmet dubios, convertat ad Dominum devios, reducat errantes ab inaudita hàc ad libertatẽ via, ceſſare faciat de die in diem majores gementis populi afflictiones, ſupplices de genu petimus. Modus autem, ut aſpera hæc in vias redeant planas, non eſt alius, niſi ùt ſe Illm̃a Excell. Vra viciniorem nobis reddere, & tandem poſt mutuam, eamq; confidentialem inter nos conferentiam, per interpoſitionem authoritatis Apoſtolicæ miſeris finem imponere, requiem feſſis præbere velit. Ita hic præſentes omnes, & qui ſunt corpore abſentes, ſentimus, quia aliter ſentire non poſſumus, & ſi efficaciter perficere id dignabitur, certa eſſe debet, quòd, quantum in nos emolumenti, tantùm in perſonam ſuam gloriæ demanabit, & nobilitati generis addet ſplendorem virtutis, & meritorum. Hæc ex ſenſu aliorum etiam confratrum noſtrorum, & pro vero in Religionem, & libertatem, quæ credimus indiviſibilia, zelo cum veneratione proponimus illud addentes; quòd idipſum intelligere nos oportet, ac ſcribere, quod omnino non ſit tuta mora. Quidquid Ssm̃us Dñus Noſter pro grege ſuo per operam, & curam Illm̃æ Excell. Vræ hic egerit, DEUS Opt. Max. certè rependet, quem precabimur continuò, ut Sanctitati ſuæ, & per ſe generi humano proſpera omnia, id eſt digna ſæculo ſuo contingant; manus interim Excell. Vræ reverenter exoſculamur.

CXXV.
ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI ANDREAS C. Z. &c.

30 Auguſti Gutſtadiô.

INvitatum me ſciviſti Mariæburgum, ubi optimè exceptus. Quærebantur media (impatienti deſiderio nihil citò feſtinatur) ſatisfactionis meæ, ſed fruſtra velociter currit, qui priusquam ad metam venerit, deficit, cùm illa cum præjudicio honoris mei fieri deberet, libentiùs (non jactantiâ, ſed fiduciâ) pati, quàm in Tractatum intrare volui, non uno ſternar ictu; nam, quamvis me ſpes tota, nondum tamen cura deſeruit; Si volunt eſſe templum veritatis, frangant idola falſitatis; Verecundantur mihi in aperto dicere, quod utinam in aperto timeant facere! Princeps Radivilius Litvaniæ Cancellarius etiam in Aula comparuit, à quo, quid verbis opus eſt, cùm rerum nullus ſequatur effectus (ut confidenter tibi dicam) modicam, aut nullam habui conſolationem, D. Bonak Ablegatus Galliæ audientiam nuper habuit, recognoſcendo Stanislaum nomine ſui Principalis pro Rege; dando etiam titulum Matri; Celſitudo Regia.

De intentionibus renovandi vota Matrimonialia Regis Pruſſiæ jã conſtans fama tulit.

Viſum mihi fuit abſolvere Comitia Pruſſiæ, in quibus tandem poſt aliquas contradictiones præſtitimus juramenta ſolita; Epiſcopus & Palatinus

latinus Culmenſes, Mariæburgen. & Pomeraniæ itidem Palatinus, & duo Succamerarii. Elbingenſes etiam aliquam difficultatem habuerunt, cùm eos noluiſſent admittere; ſed pòſt admiſſi. *A.C.* 1708

Tandem duodecim dies Comitiis Pruſſicis impendimus, illaq; taliter, qualiter finivimus, datâ aliquâ ſpe Nobilitati diminuendarum Cōtributionum; ſed ego non credo abſolutè id poſſe fieri.

Intra hoc tempus factæ ſunt nuptiæ D. Jacobo Potocki Fratri Germano nominati Cracovienſis, cum Catharina Bielinska Supremi Mareſchalci Regni Filia cum omnibus, quæ fieri poterant, ſolennitatibus.

Et ego etiam, cùm, quidquid habeam in mente, id etiam fero in opere, quanquam ſæpiùs, dum ſtudeo fugere, curro in flammam, quāquam retinere me omninò volebat Aula, Gedanum abivi, nemini vale dicto, in memoriam mihi revocando verba Baſilij: Unus Aulæ ſcopus eſt ubiq;, quæ ſua ſunt, quærere, & pro amico habere, ſi quis deſideriis ipſius cooperetur, hoſtem verò dicere; ſi quis ipſius deſideriis reſiſtat. Gedani voluimus omnino reconciliare Palatino Siradiæ Principē Sanguſzko, qui malo magis exemplo, quàm conceſſo jure bona ejus poſſidet, ſed non erat modus ad concludendum, imò nodus, & propterea ego etiam redij Gutſtadium, quò, ſi veneris gratus hoſpes eris &c.

COPIA LITERARū AD NUNTIUM APOSTOLICUM à THEodoro Potocki Epiſcopo Culmenſi nominato Cracovienſi.

Literæ Illmæ & Rdmæ Excellentiæ Veſtræ id ſanè loquuntur, quòd S. Regia Mtas Dñus N. Clem. agit, atq; pridem cupit, nos omnes votis, deſideriis, curis, imò & continuis ad Superos precibus promovemus; Si enim Sanctiſſimi Dñi Noſtri gratioſior erga Regem noſtrum reſpectus, ad hæc tantùm duo puncta, quæ in literis ſuis inſinuare dignatur, Religionis nempe conſervandæ, atq; pacis in Patria reſtabiliendæ extenditur, votum noſtrum impletum videtur. Nam de Religione ſacra dicendum aliquid nullatenus occurrere puto, cùm pro illa Seren: Rex mille mortes oppetere paratus ſit, neq; quidquam contra eandem admiſſum quisquam deducere poterit. De ſola ergo pace interna reſtabit agendum, pro qua reducenda ſalvis Juribus Mtis Regiæ, & Reip. Sanctitas Sua uti Pater Optimus, & intelligentiſſimus Excell. Vræ, cùm nullus dubitem, quin dederit paterna remedia non ſupereſt mihi niſi currere in odorem ſuavitatis mandatorum Sacrorum; jamq; ſtatim iter inſinuatum libens ad Excell. V. arripuiſſem, ſi illorum quamcunq; mentionem in literis ſuis feciſſet, vel ſaltem ſi profundiſſimos de conſtituendo firmandoq; Rege (ut ſonant formalia epiſtolæ) qui conſtitutus, & firmatus jam per DEi gratiam adeſt, non injeciſſet ſcrupulos. Dignetur itaq; Excell. Vra aliqua ſalvis Juribus Regiis & Reip. redintegrandarum difficultatum media inſinuare, idq; ideo ut mox ſuper his plenas à Rege reſolutiones recipere valeam. *2do* Ut hocce negotium ſub expreſſo, tituloq; Regis non ambiguo, ut hucusq; uſurpatum Principalis, aut quod acerbius nunc conſtituendi, vel firmandi Regis auſpicari cùm comparuêro, valeat, quam primùm ab Excell. V. recepero, curſu poſtarum velociſſimo curabo me in conſpectum ſuum reddere, gaviſurus iis momentis, quæ pridem Patriæ meæ voveo, ut benignitate, atq; ſolicitudine Paternâ Sſmi Dñi Nri miſeriæ tandem & calamitates externæ Regni Noſtri aſſopiri quantociùs poſſint; Manſura inde laus æterna Excell. Vræ celebrabitur, non in Polonia tantùm Noſtra, ſed orbe to-

to;

A. C. 1708 to, ad quam minimâ ſaltem portione animitùs contribuere cupio, in teſtimonium quòd unicè deſiderem eſſe. &c. Mariæburgi 10 Septemb.

UNIVERSALE REGIS STANISLAI

Omnibus & ſingulis quorum ſcire intereſt præſertim tamen Reverendiſſimo in Chriſto &c. cum oblatione gratiæ noſtræ Regiæ ſignificamus. Quartus appropinquat annus, ex quo nutu ſupremo hæc unica intentio nos ad coronam vocavit hujus inclytæ & à ſæculis liberæ Reipub. ut in ea quæ jamjam proxima erat caſui, libertas, integritas limitum, fides Sancta Catholico Romana æterna ſint. Oppone hic etiam invidioſiſſime critice, an non hoc fine auſpicia Regni noſtri mirabiliter Omnipotens DEI manus benedixit & benedicit. Hucuſq; alia ſæcula liberam reliquerunt Regum electionem, noſtrum monſtrat jus inconteſtabile ejuſdem liberæ matris, tam eligere bonum quàm reprobare malum. Aliorum Regum velox erat ſaltus ad pompam Mtis, ad potiorem ſui quàm univerſi ſecuritatem, greſſus noſtros nunc non licet videre, non tantùm Mtis ſed etiam domus noſtræ oportet obliviſci per mille diſcrimina rerum, antequam Patria mutuâ ſibi provideat ſecuritate, non verba hæc ſunt, facta committimus examini, ita ut ad finem omnis ardentiſſimi mali ad effectum multiplicis in publicum commodi, ad obtinendam expetitam tranquillitatem, verbo ad gloriam & ævitertam Poloniæ memoriam hoc tantùm deſideretur, quòd non advertamus, quis nos turbo vehat. Adeſt exercitus, ſtipendia numerantur gratis: imò ſi hoc ſolùm: ruinæ ſubjicit Regnum, ſi aliquid ſupereſt medullæ, exſugit, velut capitaliſſimus hoſtis, omnia conſumendo & digerendo, nulla militaris diſciplinæ umbra, & præterea nec ſcitur, cui aut quo fructu ſerviat; ſi Reip. & in bonum ejus, nónne jam ibi comparendum fuiſſet, quò veſtigia & greſſus triumphales Herois per ſæcula memorandi Sereniſſimi Colligati noſtri Regis Sueciæ invitant trophæa, panduntur ereptæ provinciæ, evocant hæreditaria hujus Patriæ dominia, monſtrant mundum in hoſtico panem, non mixtum lacrymis & ſangvine in viſceribus. Illuc nos in nomine & auxilio Domini exercituum diviſis viribus cum Rege Sueciæ ad agenda fortia vertimus omnes vires & robur tam concrediti Colligati quàm Patrii exercitus. Volumus Patriam cum gratia Omnipotentis ab hoſte eliberatam, etiam à proprio liberare milite, ut interea aliquantum reſpiret non tantùm ab oneribus belli, ſed etiam ab ipſis penſionibus & ſtativis quærendo hoc totum cum ſpoliis apud hoſtem. Hæc intenta noſtra optant & ut omnibus Palatinatibus, terris & diſtrictibus non tantùm innoteſcerent, ſed etiam ut auxilium & vigorem inde ſumant, æquum duximus univerſalia comitiola indicere, ſicut hocce univerſali noſtro pro die 1ma Septembris currentis anni indicimus, volentes ut omnes Palatinatus, Terræ & diſtrictus in conſvetis locis, aut, ubi ob contagionem non licebit, in aliis, in termino nominato conveniant invocato altiſſimi Lumine, non perfunctoriè, nec ob privata comoda, quæ publicis offecere, officientque ſemper, perpendant, quàm umbratiles hactenus illuſiones & mera phantaſmata trahant miſerias & calamitatem hujus Patriæ, violenter impediendo viam ad terminum omnis malæ horæ & exordium diei exoptaret pacis & novæ publicæ fortunæ, velut ingratè exhibita huic Patriæ beneficia DEI non admittantur. Agendæ fuiſſent ſuperis gratiæ pro liberatione de fato pereuntis gentis & libertatis, laqueus contritus eſt & nos eliberati ſumus, & ecce novo jugo tra-

tractatûs & juramenti non minus audacter quàm periculosè generoſos *A.C.*1708 ſpiritus Reipub. ſiverunt illaqueare Moſchoviticâ potentiâ, quæ ex imaginatione fatali, & coacta protectione jam poteſtatis, juris ac ſtemmatis ſui facere præter alias ereptas provincias, ut in impreſſis habetur authographis (quorum exemplar in noſtra aſſervatur Cancellaria) incepit Volhiniam, Podoliam, Polociam, Vitepſcum, Mciſlaviam. Expediebat ad felicem cum abrenuntiatione coronæ Sereniſſimi Regis Auguſti adventum noſtrum convenire & dare dexteras dexteris contra confuſum & ſtatim recedentem inimicum, nullos huic laudabili pacificationi contrarios quærendo actus, uti duabus vicibus univerſalibus literis noſtris ex Saxonia præcavimus omnes, & ecce hujus loco quis labor aut cura aſſumpta? novi canditati ad coronam ambitioſe propoſiti, interregnum proclamatum, nobis & Sereniſſimo noſtro Colligato extrema hoſtilitas exhibita. Expediebat honeſtis & probis (ut ſe jactant) Prælatis Sedem Sanctam informare de veritate rei, breviſſimâ viâ, de eliberatione Poloniæ ab omni malo politico & ſpirituali, profitendo omnipotentiam DEI in aſſumptione noſtrî ad thronum, & ecce hucuſq; compactæ ex meris mendaciis figuræ illudunt vicariæ Dei in terris poteſtati, ac ſi & fidem amiſerimus, & eam invenire nequeamus, qui unico motivo his nos caſibus ſervavimus, & proprio ſangvine eidem nos ſemper ſubſcribemus. Tempus haſce larvas deponendi, ſed quo emerget libertatis Polonæ à Roma nunquam dependentis in electionibus ſuorum Regum deductum periculum & ſcandalum, adeo ut hucuſq; omnibus ſpiritualibus expeditionibus ſuſpenſis ultralimitanea Nuntii Juriſdictione jura Regni contaminentur, provocentq; extenſionem brachii ſæcularis, conſtitutionum Regni de jure patronatûs Regii & Cortheſanorum. Apta ad decipiendas innocuas mentes proborū filiorum hujus Patriæ erat larva, quod hæc omnia fierent ad eludendum & declinandum furorem Moſchoviticum, ubi autem hæc veritas, cum hic imaginarius furor ventis ſit expoſitus, cur fugientem poſt infinita damna nobiſcum non placuit inſequi hoſtem? Placuit alia prætexere vocabula, & ne videretur frænum libertati & nobilitati injectum, placuit illud tegere exotico nomine Cantoni cum expreſſa ruina & oppreſſione, in re ipſa retinendo ſolum aliquot particularium perſonarū ambitionem, & illuſoriam imaginationem, ſe ipſos decipiendo, quod ſola ſua voluntate & potentia ſupremus Dominator facit, per me Reges regnant. Siſtere hic & perpendere deberet cujuſq; Patriam amantis filii prudentia quis fructus accedat Reip. ex omnibus malitioſe formatis actibus, per Poloniam æquè ac Litvaniam indictis convocationibus, judiciis ſublatis, exercitu liquidato, unicus dolor, unicum nunquam reparabile damnum, cum etiam recenter magnificavit Dominus magnalia ſua, concedendo Regi Sueciæ capitalem victoriam 14 die Julij partim per trajectum fluvium & paludes, partim per occupata caſtra, acceptaq; tormenta hoſtiumque proſtratis numeroſis cadaveribus. O utinam fatalis hæc ſoli ambitioni & ultralimitaneis excubitoribus famulans id advertiſſet machina, in vera obligatione & amore erga Patriam, noſq; in Patriam reduces ſuſcepiſſet, jam auxiliante Altiſſimo haberent pacem glorioſam, Patriamque ab his calamitatibus eliberaſſent, de quibus meritò querimur, ſed eas tollere difficilè, quamdiu regnat tumultus decipiens, provocans & dilatans, & quidquid nos exterminat, nec exterminatur, premit nec relevatur. Facilè advertent Palatinatus & diſtrictus quomodo peſſimis his malis obviandum. Nullum agno-

ſcant

A.C. 1708 ſcant militem, nec inter deſervita, repartitiones numerent, quiſquis nobiſcum in hoſticum non fuerit progreſſus. Ex omnibus actis Dominio noſtro contrariis, ſi quæ irrepſit macula, per lauda ſua tollant & expungant: juſtitiam in omnibus judiciis, præſertim in tribunalibus Regni reaſſumendo & inſtaurando quæ nos hoc univerſali noſtro, uti pridem reaſſumpta, & inſtaurata, firma & inviolabilia declaramus, verbo in virtute & vinculis generalis Reip. Confœderationis omnia cavendo, quidquid ulterius Remp. poſſet perturbare, vel Romæ falſas adhuc facere poſſet præinformationes, per ſpeciale punctum latino idiomate juxta appoſitum projectum manifeſtantes ſe in laudis ſuis, & ad nos per extractum authenticum hoc punctum mittentes, ad quod tranſmittendū Officiales Caſtrenſes obligantur.

NOS Senatores dignitarij Officiales terreſtres & caſtrenſes univerſusq; Ordo Equeſtris ac tota nobilitas Palatinatus Terræ vel Diſtrictus.

Diſturbiis in Regno ac peſſimis quibuſvis interpretationibus ad ſanctam Sedem uſq; delatis modum ponentes verà ac ſolenni, majorcſq; noſtros decenti fide conteſtamur, quòd poſt dethroniſationem abdicationemq; Sereniſſimi Regis AUGUSTI abominati omnes qualeſcunq; & quorumcunq; turbas Sereniſſimum Regem STANISLAUM I. Dnum noſtrum Clementiſſimum feliciter nobis regnantem pro vero & indubitato Rege noſtro habeamus agnoſcamusq; atq; colamus. Actum in Conventu noſtro die.. Menſis.. Anno Domini..

Bonitas Divina omnes licitos actus Comitiolorum ſpiritu forti & principali adaugeat. Nos autem intimo voto noſtro benedicentes, hoc univerſale noſtrum, ut quantocius omnibus innoteſcat, per Caſtra, Parœcias & loca conſueta publicandum mandamus, & pro meliore fide manu noſtra nos ſubſcripſimus, ſigilloq; proprio munire juſſimus. Mariæburgi 11. Septemb. Regni Noſtri IV.

RELATIO CONFLICTUUM INTER EXECITUM MOSchoviticum cum diviſione Generalis Suetici Levenhaupt, in diſtrictu Orſenſi & Rzecycenſi à 7 Oct. uſq; ad 11. ejuſdem Anno 1708.

QUàm primum Szklowâ per Boryſthenem univerſum exercitum 4tâ Oct. trajecit Generalis Levenhaupt, mox leviores cohortes Moſchorum, Coſacorum & Kalmukorum irruperunt Szklowam cum Generali Adjutante Schultz, qui prius in exercitu Dñi Sienicki Capitaneus fuit, & traditâ Bichoviâ ad Moſchos tranſiit Pruthenus Regiomontanus. Hi aſſecuti proviſores exercitus cum victualibus partim cis Boryſthenem in Szklowcenſi ſuburbio, partim Woloviæ milliari à nocturnis ſtativis Gen. Levenhaupt, quæ erant Pleſczywiæ ab extrema acie eos ſejunxerunt, currus receperunt, ipſoſmet, partim necârunt partim captivarunt, plurimi tamen ſalvi evaſerunt.

Die Veneris & Sabbati progreſſus Levenhaupt ſuper Boryſthenem duobus, ad ſummum tribus milliarib⁹ à Mohilovia in ipſa œconomia Mohilovienſi, hunc ſequebatur Czarus Moſchoviæ cum filio, Principe Męzykow, Mareſchalco campi Goltz à limitibus ſuis, ab altero latere Generalis Baur, Exercitus Moſchovitici numerabantur prope 100000. Exercitus hujus unica erat intentio, non permittendi Generali Levenhaupt conjunctionem cum Rege Sueciæ.

Primum experimentum ſub Bzelica & Polhymecho die dominicâ ubi Moſchorum cecidêre fere 1200, Suecorum vix aliquot, jamq; ibi plenâ Generalis Levenhaupt potitus fuiſſet victoriâ, niſi præſentia Czari

fugien-

fugientes ſtitiſſet, acieſq́ ordinaſſet. Subordinato enim exercitu ſuo, Coſacis & Kalmucis, citra reſpectum juſſit interfici (non parcendo Officialibus nec ſibi ipſi) quiſquis in fuga ſalutem ſuam quæſiviſſet. Periêre tali modo ultra 50 Moſchorum, aliquot ipſius Czari manu interfecti. Modicum quieſcentibus Moſchis Generalis advertens hoſtem fatigatum vires colligere, volens principali ſuo appropinquare ulterius promovit exercitum, ſed infeliciter, nam proditor ruſticus cum exercitu eum induxit in inſidias Moſchorum & paludes impervias, ita ut Sueci nec pergere nec in anguſto loco aciem explicare poſſent. Hi eos die Lunæ Leſznam inter ac Raczbovicios aggreſſi, undiq́ cinxerunt. Moſchis locus erat ſufficiens, munimenta parata, ex ſylva munda & ſicca, unde poterant hoſtem ex tormentis impetere ac lædere, & ne viciſſim læderentur, ſylva impedimento erat, attamen deſperanter utrinq́ pugnatum eſt, hinc Czaro ſuos impellente, inde Suecis arctatis vitam tutantibus. Imprimis etenim currus illis adempti ſunt, circa quos peditatus ſe ſtrenue defendebat, tandem tamen ſuccubuit, pars in loco occiſi, pars in fugam acti. Ipſe etiam äer Suecis oberat, turbo etenim & vehemens tempeſtas nivibus oculos oppleverat, hoſtis autem ſeverè inſtabat, ipſi verò arcto ſe loco incluſerant, tormentiſq́ circumdederant, quibus ipſis Moſchis valde nocuerant. Pars autem peditatus Suetici ordinati ad obſervandas inſidias videntes ſuos fluctuare, fugâ ſibi conſuluerunt. Itaq́ omni ex parte eos Moſchus impetiit, quaſi formali aſſultu fortalitium oppugnaret, Suecis vice verſa ſe defendentibus uſq́ dum nox ſuperveniens prælium interrupit. A.C. 1708

Moſchus à cadaveribus ſuorum milliare pro nocte receſſerat, Levenhaupt autem mandans tota nocte explodere tormenta cum equitatu beneficio noctis paludes illas trajecit. Peditatus Sueticus pene totus periit, etſi non totus in loco occubuit, namq́ continuò multi per Moniloviam ſecundâ jam ſeptimanâ, jamq́ ultra 3000 tranſiêre, & necdum finis, relationem certam conflictûs dare nequeunt, partim quia idioma non callent, partim quia prælio non interfuerunt, ſed ordinati ad diſſipandas inſidias. Equitatus Sueticus evaſit, fluviumq́ vado trajecit Generalis Sztakielberg primò dicebatur ex vulnere decumbere, aut vulneratus in captivitatem abductus, poſterior autem relatio inter ſuperſtites eum & liberos numerat. Valachorum Sueticorum multi captivati, inter quos Colonellus Bude, alii evaſerunt.

Ex parte Moſchorum Generalis Baur globo per os trajectus, etſi ictu non lethali attamen os incurvante. Princeps Darmſtadenſis in manu trajectus, oſq́ in ea ipſi comminutum, de aliis occiſis & vulneratis Moſchis fama variat. Aliqui cadaverum Moſchoviticorum numerant prope 3000, qui autem græcæ religioni addicti ſunt, eorum cladem minuunt. Fugientem Levenhaupt juſſus inſequi Princeps Męzick, qui Lupiis aliquot dierum quiete ſumpta præmiſit Generalem Fervendon, qui fertur à Suecis cæſus. Czarus aliquot diebus Czucis quievit, ubi Generalis Baur vulnus deoſculatus eſt, & mixta lætitiæ commiſeratione illud mulſit, eademq́ via Smolenſcum miſit, ipſe ex communi conſilio & obteſtatione ſuorum Miniſtrorum Moſcuam perrexit 30. Oct. partim ne poſtea tam manifeſto diſcrimini ſe exponeret, partim ut pro ſuſcipiendis hoſtibus ex Ucraina regno ſuo provideret, pro imminente hyeme hoſpitia pro iis calefaceret, aut potius omnia ſuccenderet, quandoquidẽ deſpoliatis & exuſtis civitatibus albæ Ruſſiæ, Mohiloviâ, Dubrowna Horek, Vitepſco, Bieczenkowicio &c. apparet quòd in victimam ſuorũ diſgu-

A.C.1708 diſguſtuum ordinavit, ut fato æquali civitates Ucrainæ in cinerem abeant, qualcunq; Suecus ſibi pro ſubſiſtentia ordinavit, & per conſequens nec Moſchoviæ parcet, cui Suecus appropinquat. Formalis inſecutio ex clade fugientium Suecorum in Litvania non fuit. Schloviâ tantum & Kupiſco jam aliquot diebus nudos & exhauſtos Suecos conficiunt an ſibi hoſtes minuendo, an feritatem in his miſeris paſcendo. Tam Schlowiæ quàm Kopicis ſub interminatione mortis inhibitum, ne quempiam Suecorum per Boryſthenem deducant. Pridem id factum Mohiloviæ, imò exiſtentes adhuc in præſidio Bichovienſi Moſchi & Coſaci circiter 1500. nollent in cinere & ruderibus civitatis, fortunæ prioris reliquias ſcrutari, niſi diviſio Colonelli Chmari eos detineret, qui circa Bychoviam hinc inde ſe inſinuando, ex fortalitio egredientes intercipit, & cædit, & magnum in intentionibus eorum ſcrupulum movet. Dabantur Mohiloviæ 14 Oct. 1708.

RELATIO CONFLICTUS KWARTIANORUM SUB DIREctione Pociey Theſaurarij Regni M. D. Lit. & Rybinski ſub Koniecpoli 21 Novemb. 1708.

Palatinus Kijoviæ veniens ad exercitum ſuum nomine Kwartianorum territum, præcipiti paſſu recedens à Viſtula cum Smigielſcio tunc ſuo Colonello trans cænoſa loca Lęczycienſia difficili itinere abiit. Pòſt reſolvit ſe cum exercitu ſuo tendere contra hoſce Kwartianos ea ratione inductus, quod inter Kwartianorum è vexillis Polonicis multos haberet correſpondentes. Diu hanc reſolutionem diſſuaſit Princeps Januſz Wiſzniowiecius Palatinus Cracovien, ſed eum ab hoc propoſito non valens dimovere, nolensq; huic actioni intereſſe, abiit in Litvaniam. Palatinus Kijovien. celeri gradiens paſſu 20 Novemb: ſubſtitit ſub Zytno 4. milliaribus Koniecpoli, de quo Colonelli à ſuis excurſorib⁹ acceptâ notitiâ eadem die ante crepuſculum in aciem diſpoſuerunt exercitum loco commodo, tergum tegebat Koniecpolis, frontem muniebat foſſa quamvis ſicca, multùm tamen inſultum impediens. Unam alam confecerant Deſultorij & Equites, corpus Pedites, alteram alam Equitatus Polonicus, hanc foſſa tutabatur, in caſum reſervabantur aliquot dena vexilla. Hoc ſitu tota nocte conſtitit exercitus, exſpectans hoſtem, qui non niſi decimâ horâ perendie, id eſt 22 currentis cum cohortibus ſuis apparuit, viſaque acie Kwartianorum, eas quadrante milliaris cis montem locavit dirigendo in frontem Kwartianorum, præmiſſis nonnullis pro velitari pugna, in quos non nemo Kwartianorum irruit, quo adverſo Colonelli ſuis reditum imperârunt ſub interminatione mortis exitum ex ordine prohibentes. Interea adfuit tubicen adverſæ partis ſignificans adventum Ablegatorum, qui etiam in inſtanti advenerunt, aſt Colonellorum mandato detenti ſunt ante aciem in quadam foſſa, unde ſitus exercitûs noſtri eis non pateret, ipſi ſoli eò profecti ſunt referenda audituri. Ubi conventum finitis complementis à Palatino Kijovienſi has attulerunt propoſitiones, ut ſe dederent in nomen Regis STANISLAI, quodſi facere nollent, mandatum ejus tanquam Ducis Regni eſſe, ut poteſtati ſuæ ſe ſubderent. Citra moram eis data eſt reſolutio à Colonellis: non agnoſcimus eum Regem quem potentia Suetica impoſuit cum violatione jurium & libertatis noſtræ, nec parati ſumus alienos colere Deos, ſed arbitrio veri Ducis Reipub: partes tuentis obedituros, eiq; nos adhæſuros declaramus, nec ab eo recedere nobis licet, ſi autem

ad

ad acies Pharſalicas ire audet, DEum in auxilium aſſumimus, qui aſſo- *A.C.* 1708
let palmam in manibus juſtorum relinquere, ut juſtam tueatur partem. Mox hoc reſponsô acceptô abiêre furibundi, ſtatimq; acies eorum cis montem prodiit ſat fortis & lata, utraq; enim ala conſtabat ex Deſultoriis & Equitibus viris ignei fervoris, noſtræq; aciei paribus, tertiam demum lineam conficiebant Poloni, in aciem autem noſtram ordinati erant, in dexteram alam Smigielski cum exteris cohortibus & Dobroſolowski cum 40 vexillis, in lævam alam pari numero Palatinus Kijov. cum Grudzynski & Poniatowski Colonellis. Appropinquarunt nobis hoc ordine ſat celeri paſſu, cumq; jam propè eſſent, utraq; ala inſimul ſe convertit, & in alas noſtras utraq; magno impetu inſiliit, Deſultorij & Equites in frontem, Colonelli autem perfregerunt duas cohortes dexteræ alæ & foſſam, illa enim vexilla quæ in ſuppetias relicta erant nulla exploſione facta confuſa ſunt & campo ceſſerunt. Unde Colonellus huic alæ præpoſitus nullo modo eos revocare poterat, nonnullos tamen retentos reduxit ad alam. Læva autem ala toleravit inſultum, licet ſuppetiæ longè abeſſent, attamen confuſa dextera ala reſtituta ordini, collectis nonnullis vexillis hoſtem repulit, interim vexilla Polonica ad tormenta hoſtium perrupêre, omnes ab eis equos ſejunxêre, cùm ipſa nequirent ad Peditatum devehere. Cùm hæc eſſet confuſio, tam in hoſtili quàm noſtro exercitu, valde dubia ſors victori hærebat, ſed iteratò in alium ordinem redacti in læva ala Peditatus, Deſultorij & Equites in triangulum & Polonica vexilla in ſuppetiis conſtitutis animos addidêre. Colonelli etiam non expectato altero aſſultu quem hoſtis præparabat, impetum ſuis facere mandârunt in utramq; alam multo fulminantes igne, Polonis autem à tergo irruere, quo facto in momento peculiariter auxiliante DEo confuſus hoſtis & in turpem fugam redactus, quem Equites Poloni quotquot poterant inſecuti. Colonelli autem cum Deſultoriis & Peditatu ulterius progreſſi ad quadrantem milliaris in illum locum ubi hoſtis ſe locaverat, Equites autem inſecuti ad duo milliaria in ſeram noctem. Tormenta octo & currus cum pulvere & globis, currus item Smigielski & Palatini Kijovienſis cum panno, pecuniis, vino, variisq; rebus noſtris in prædam ceſſêre. Notandum, tormentis inſcriptum fuiſſe: *Joſephus Potocki Supremus Dux Exercituum Regni &c.* Exercitus autem eorum ſecum non habuerat currus. Terræ mandata ſunt cadavera hoſtium è propinquo advecta, Deſultoriorum & Equitum 300, exceptis Polonis, triplo plures periêre ab inſequentibus, nam ut refertur vix cum 400 Deſultoriis & Equitibus Radomiam rediit Palatinus Kijovien. eadem die ſex hinc milliaribus, quem poſtera die omnia vexilla Polonica inſecuta ſunt. Captivati Deſultoriorum & Equitum prope 300 exceptis Polonis, & continuò plures accedunt, quibus certus numerus præfigi nequit, eò quòd Colonellis inſequentibus hoſtilem exercitum ſemper plures adducantur captivi laceri, varij item Poloni in conflictu captivati, Colonellus Wilczynski, aliquot Centuriones, & ſex vexilla Polonica quæ ſe ſubdiderunt; Exterorum, Brandt & Schenck Colonellos, Generalem Adjutantem Palatini Kijovienſis, duos vice-Colonellos, Capitaneos, Subcenturiones, & varios Officiales; in variis locis, ſylvis & campis vulnerati & trajecti non pauci, qui nunc comprehendi nequeunt, cùm ſemper augeatur numerus captivorum & cæſorum. Primarij captivorum miſſi ſunt ad Duces. Duravit hic conflictus à prima usq; ad quartam, & ſic DEus contrivit fortitudinem inimicorum & exercitum eorum, cujus numerus 6000 excedebat. Pro quo ſit DEo

A.C. 1708 laus & glorla, quia dextera ejus fecit virtutem. Notandum ex noſtra parte occiſorum cum vulneratis inveniri prope 200, plura poſt aſſecutionem, aut utinam poſt deletionem adverſantis exercitus patebunt ſcienda.

LITERÆ PRIMATIS REGNI POLONIÆ, & M. D. L. AD PONTIFICEM Olomucij 7. Octob.

POſt oſcula Beatorum pedum Sanctitatis Vræ humillimam Eccleſiæ meæ, ac mei comendationem Paterna cura & Apoſtolica ſolicitudo Sanctitatis Veſtræ de univerſo grege Chriſti fidelium, ac non minor de noſtra afflicta Republica Polona ſuaſit Proceribus ex Senatu & Equeſtri Ordine ut ad Sanctitatem Vram tanquam ad communem Orbis Chriſtiani, noſtrumq; Patrem cum plena fiducia unà mecũ recurrerent, ac omne ſuum poſtulatum uti fundamento juris Patrij & veræ juſtitiæ innixum, quod iſtis literis appono ad Aram Sanctitatis Vræ, & lancem Judicij ejus proferrent, illudq; benignè admitti humillimè ſupplicarent. Erat quidem hoc comune omnium votum, & meum particulare, ut jam tandem exoptatam de unione, & tranquillitate Reipub. notitiam Sanctitati Vræ poſſemus ferre ad conſolandum ejus cor Paternum, quod ob continuas totius Chriſtiani orbis turbas graviter affligi compertum habemus; teſtis & mihi eſt ſupremus ille qui omnia videt, oculus, quòd non orabam tantùm, ſed & laborabam, quantum in me erat pro inſtauranda publica tranquillitate, pro conſervanda fide Catholica, & aſſerenda Patria libertate non ideo tantùm, ut hoc facerem, quod erat, & eſt muneris mei Primatialis, ſed etiam ut pro modulo meo tanquam humillima Creatura Sanctitatis Vræ aliquod levamen Apoſtolico ejus dolori, & mœrori ſubminiſtrare valeam. Cùm autem ob delicta gentis noſtræ non ſumus adhuc digni propitiatione Divinâ, & optatâ felicitate, propterea cogor in amaritudine animæ triſtẽ ad hæc tempora afflictæ & luctuoſæ Reipub. faciem remonſtrare ante oculos Sanctitatis Vræ bellum ab annis octo & & ultra cœptum, quod Regnum noſtrum vehementer fatigat, nunc jam ferè totaliter vaſtavit, ubique induxit ingentem abominationem deſolationis, cauſavit extremam pauperiem, & obſervatam in multis locis famem, ac nullibi reliquit angulum ad quietem, aut ad ſecuritatem. Ad triſtes verò cauſas has, & effectus belli acceſſit peſtifera lues, & hæc dum valde ſævit, miſerias afflictæ Patriæ in immenſum auget, & producit; ſuper omnia autem mala morbus interni diſſidii inter nos tantopere invaluit, ut vix videatur eſſe curabilis, niſi Dominus DEUS, à quo eſt omnis ſalus ſpeciali dono curationis ſuæ eam curare, & ſanare velit; inexplicabile hoc eſt, quàm ſit difficile ad pacis & charitatis leges reducere, & componere, quod præcedentibus annis inaudita ambitio, inordinatus valde privati comodi, & emolumenti reſpectus, ingens vindictæ ſumendæ appetitus ac demum ſæva civilium odiorum rabies diſſolvit, detraxit, & deſtruxit, quomodo omnia jura, omnes libertates, & omnes antiquas conſvetudines evertit, peſſundedit, conculcavit, & quod adhuc magis mirandum, horrendum ac dolendum eſt, plerięq; filij afflictæ Matris ſuæ Patriæ exoticis perſvaſionibus, & pollicitationibus ſuis, aut paſſionib⁹ inducti, capti, & quaſi illaqueati poſt tot præjudicioſos, imò pernicioſos actus contra Religionem, & libertatem attentatos hucuſq; ſeu non volunt, ſeu non poſſunt propter nimiam à nutibus externæ potentiæ depen-

dependentiam animum & manum admovere ad uſitata alioquin à Majoribus in caſu ſciſſionum media unionis & pacis ineunda, quæ anteriores & recentiores manifeſtè ad oculum indigitant revolutiones, & exempla, imò quotidie magis, ac magis in altitudinem illius proceſloſi maris quod navigatur, & novos ipſius fluctus ſe ipſos, & Rempublicā protrudunt, & impellunt per inuſitatos in libertate agendi, procedendique modos. Quòd autem ita ſe res habeat, ut profertur, annexa manifeſtatio, quam cum demiſſiſſimo cultu ad Sanctitatem Vram transmitto, pleniùs informabit. Diſcernet exinde facilè benignè Sanctitas Vra pro ſua ſumma ſapientia, & ſumma juſtitia manifeſtationem iſtam in fundamento legum, & conſvetudinum antiquarum amore Religionis, & favore libertatis eſſe factam. Adinveniet ex tam laudabili reſolutione & intentione vota, & deſideria publica eidem annexa, quæ in Paternum ſinum Sanctitatis Vræ eſſe recta, juſta, & Pontificiā conſideratione, admiſſione, ac benedictione digna. Quam benedictionem Apoſtolicam, & gratiam cum nomine omnium & ſingulorum, quos ſub nexu Confœderationis Generalis Sendomirienſis, ipſa ratio, rectitudo, & purus tuendæ, ac defendendæ libertatis Patriæ zelus firmavit, & nunc in eodem immotos tenet, à Sanctitate Vra demiſſiſſimè imploro, non temerè cum magna animi fiducia Sanctitatem Vram de hoc velle perſuaſam eſſe ſupplex rogo, quòd ſicut per annos præcedentes Confœderatio noſtra nec in minimo puncto poteſt argui, contra Sanctitatem Vram, & S. Sedem Apoſtolicam, ac ejus jura, ac immunitates deliquiſſe, ita quòd nobis verè jucundum ſit, & erit dare nos, imò immolare nos omnes in obſequium ejuſdem S. Sedis Apoſtolicæ, non ſolùm ut ſic debitum noſtrum ex vinculo fidei faciamus, ſed etiam ut particulari obligatione, cultu, ac memorando ad poſteritatem amore Sanctitati Vræ obedientes, addictos, & adſtrictos nos eſſe exhibeamus. Loquuntur etiam nobis taciti ſenſus Sanctitatis Vræ, & hoc ipſo magnam ejus de bonis Reip. curam, & ſumam providentiam teſtatam faciunt; quòd ab Apoſtolica illa ſpecula omnia licet è longinquo perſpicaciter de notitiis Statûs noſtri conſiderentur; nihil autem etiam in reſolvendo ad importunas preces, & factioſos ac urgentes conatus præcipitetur. Spero in Domino DEO quòd beatum illud ſidus Sanctitatis Vræ quod pretioſis undis, & ſacro Ternioni montium eſt pro corona, nobis erit pro cynoſura in omni tempeſtate, imò erit ſol, qui tenebras, & omnes turbas pellat noſtras, & poſt hos nimbos in portu deſideratæ tranquillitatis feſſam, & vix jam non concuſſam navim totius Reipub. conſtituat. His omnibus nomine publico ex munere meo Primatiali præmiſſis addo, ex debito perſonæ meæ humillimam, & nullo apparatu verborum ſatis explicandam gratiarum actionem pro omni valida protectione, & benefica gratia Eccleſiæ meæ Primatiali Gneſnenſi, & mihi ipſi hactenus præſtita adverſùs poteſtates tenebrarum harum, quas paulò ante ingens Schiſma produxit, inter ſuprema beneficia, quæ mihi DEUS contulit, hoc recenſebo ſemper, quod à Vicario ejus promanavit. Recommendo demiſſiſſimè eidem ulteriori protectioni, & gratiæ Sanctitatis Vræ Eccleſiam hanc meam, ac me ipſum, & ſupplicando Mti Divinæ, ut Sanctitatem Vram ad annos plurimos ſervet incolumem, ejuſq; S. Sedem Apoſtolicam, Eccleſiæ ſuæ tuitionem, & gubernationem proſperet omni die, omni momento recognoſco me eſſe ſemper quamdiu vivo.

A. C. 1708 STANISLAUS I. DEI GRATIA REX POLONIÆ &c.
Dat. in Caſtris ad Slupie II. Octob.

Venerabilis Devote Nobis dilecte.

Vanni non ſit Auditor

QUandoquidem omnis alia communicatio aut præcluſa omninò, aut impedita viſa eſt, compellamus devotionem tuam, ut impetratâ tibi à Sua Sanctitate audientiâ id expreſſis verbis eidem ſine omni dilatione, & mora deferat. Mirari nobiſcum non tantùm Poloniam, ſed & Chriſtianitatem univerſam non ſatis poſſe, quòd hactenus viſcera Paterna Sanctitatis Suæ non moveantur, & cùm nos omni poſſibili conatu, tanquam nulla res obſervantiam noſtram nec extingvere, nec minuere poſſit Filialem Noſtrum in S. Sedem, & Sanctiſſimam Religionem zelum teſtari non deſiſtamus, ut aliquando ſublatâ nube veritas pateat, eò longiùs Paternus à Sanctitate Sua affectus elongari à Nobis palàm videatur. Accedit noviſſimè nova dolendi cauſa, nec poſſumus exprimere verbis, quantum id animo noſtro vulnus infligat, quòd certus Vanni homo turbulentiſſimus, & perverſiſſimus, poſt tot attentata contra perſonam noſtram, cujus non dubia nec obſcura, ſed evidentia præ manibus ſunt documenta pro Auditore novæ Nuntiaturæ ſit deſtinatus. Credimus quidem non benè, ut ſæpiùs hactenus experti ſumus, Sanctitatem Suam informatam de ſubjecto hoc nominato fuiſſe, & pro ove depictum eſſe, qui vulpes eſt. Repræſentet proinde Devotio tua, & imprimis oret, ut hic homo aut retineatur, aut ſi in via jam eſt, omninò revocetur. Quòd ſi verò factio inimicorum noſtrorum, quæ hactenus & nos, & in perſona noſtra totum Regnum Noſtrum perſequi non deſiſtit, fortior eſſe deberet, quàm juſtâ petitio noſtra declaret claré, & explicité, quòd hunc Vanni nullatenus nec in munere Auditoriatûs, nec ſub aliquo alio titulo vel prætextu morari, & ſedem figere pro aliquo etiam minimo tempore in Regno noſtro permittemus; Et nollemus, ut reſpectus, quem deberi Sanctitatis Suæ nomini ſcimus, aliquatenus diminui, ad quod obligaremur pro honore, & intereſſe noſtro, in perſona iſtius Vanni poſſit; Spem interim lætiorum, cuncta quæ lenit mala, habentes, bonam à DEo valetudinem Devotioni Tuæ ex corde optamus.

CXXVI.

ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI ANDREAS &c. 30 Xbris.

CUM ſummo affectu, ſed & impatientia expectavi præſentiam tuam, & ecce literæ tantùm veniunt, eò minùs gratæ, quòd ab infirmo. De peſte hac, qua ſignificas, hæreo, & ceſpito, quod certius dicam, non habeo, attamen ſum ſummè ſollicitus, DEus miſereatur noſtri.

Ex Litvania habuimus, Regem Sueciæ (quod ego opinando potiùs quàm aſſeverando dixerim) expectare adventum Generalis Levẽhaupt. Generalis autem Kraſſau hic in Pruſſia degit, degetq; uſq; dum ad minimum quadrantem omnes ſolvantur contributiones, ſum verò in metu, ne hàc iter ſibi eligant Sueci, quamvis Princeps Wiſnioviecius hàc tranſiens aliter mihi dixerit, qui peſſimè contentus eſt de aula. Miſſum fuiſſe Canonicum Soltyk Opaviam idem retulit; ſcriptum autem mihi eſt Opaviâ, quod attendat, & auſcultet Illmus Nuntius, & dicit, neminem, quòd bonum eſt, loqui. Habui etiam hoſpitem Heilsbergæ, quò ad excipiendum excurri Dnum Sczuka Pro-Cancellarium Litvaniæ.

Prodiit

Prodiit aliquod ſcriptum ad Palatinatus, quibus Comitiola indicta ſunt, ut Regem agnoſcant STANISLAUM, ſed nullum habuit effectũ. *A.C.*1708

Poſtquam Canonicus Sołtyk ab Illmo Nuntio rediit, ipſe D. Nominatus Cracovien. iter idem arripuit, videbimus, an cum meliori effectu.

Interim, cùm de tranſitu per Heilsbergam STANISLAI inaudiverimus, reſolvit ſe Dna Palatina Czerniechovien. abire Regiomontum, & D. Jabłonowski Palatinus Ruſſiæ 2do die Heilsbergæ fuit; de ſimilium ambitione loquitur Plutarchus; plorant ſe non geſtare veſtem Patritiam, & ſi ferunt, quòd non ſint Prætores, & hoc adepti, quòd non Conſules, & Conſules, quòd non priores, ſed poſteriores fuerint renunciati. Magis eos unus lædit, qui præcidat, quàm recreant mille, qui ſequuntur. Poſt abitum ejus intra tres dies comparuit ipſe Rex, ubi etiam præceſſit eum D. Epiſcopus Plocenſis cum magno meo ſolatio; nam dentium dolorem magnum habui, & qui humanitatem exhibuiſſet, non habuiſſem. Vidi ibi manifeſtum Palatini Kijovienſis contra Bełzenſẽ; non ſunt hæc ad pacem, nec ad odia reſtingvenda, ſed quinimò magis accendenda. Gloriatur enim, quòd ejus conſilio nullum adſcripitium, id eſt vacantem, & tribunum, nullum Stipatorem haberet, qui non pugnaret; ita, ubi dolet corpus, ſtatim manus, ubi anima dolet, homo lingvam ſtatim apponit.

Unâ nocte tantùm apud me moratus Rex abiit, & ego eodem veſperi accepi nova de integra clade Generalis Levenhaupt, quod & Regiomonti confirmatum eſt, quò evitando venientes pro executione Rybinſcianos, qui non ſunt preſſioris diſciplinæ, excurrere nolens volens debui.

Abiit etiam ad aulam, & fortè ad caſtra meditatur Suetica Comes Donau; per invia, & invita fortunæ eluctari omnino cupit, ſed credo, Herculis exemplo faciet, qui juvandis aliis ſudabit ſibi inutilis, & timeo, ne ex ſermonibus ſuis juſtificetur, & ex ſermonibus ſuis condemnetur; quanquam ego omnibus rationibus hoc iter ipſi diſſuadebam.

His diebus Princeps Rakozzia venit Heilsbergam, & in arce mea pro aliquot diebus conſtitit. Vanitate nihil levius, gravat tamen.

Pro conſolatione tua defero, quòd primogenito tuo Andreæ enixis precibus id petenti (quòd voluerit cor, lingva teſtabatur) die ipſius Patrono ſacro primam tonſuram dederim. Spero in DEo, quòd non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, bonum Eccleſiaſticum fore, & conſolationem ex eo nos habituros; non ex ebore tantùm faciebat opera Phidias.

De morte Georgij Principis Regii Daniæ; Reginæ verò Angliæ Mariti venit notitia.

Relationem de conflictu inter Moſchos, & Generalem Levenhaupt brevi tibi mittam; in omnibus, qui militiæ nomen dederint, ratio eſt habenda meritorum, ut is potiſſimùm priorem adipiſcatur gradum, qui meruerit de labore ſuffragium, nec queratur, quis militârit primus, ſed quis manſerit in ſtadio apparationis aſſiduus.

Nihil verò boni egiſſe Epiſcopum Culmenſem apud Illmum Nuncium hoc momento accepi.

De reditu AUGUSTI omnes muſſitant, ego optarem.

Venit etiam his diebus Princeps Radivilia Litvaniæ Cancellaria, ſed ego partim propter infirmitatem veram, partim ob metum tot congregatorum in Varmia militum; nam & Rybinſciani imponunt homi-

*A.C.*1708 nes ſupra capita noſtra, & Grudzinſciani veniunt, redeunt, & quæcunque placet, rapiunt; ad quos poteſt liberè dici; timete: quicunq; pauperes in variis afficitis; habetis nunc vos potentiam, opes, pecuniam, ſed habent illi arma omnium validiſſima; luctûs & ullulatûs, quæ è cælis auxilium attrahunt; hæc arma domos effodiunt, & integras gentes evertunt. Et D. Commendans Elbingen: prohibet, ne quidquam detur. & violenter accipientes non removet. Interim tamen mei Reſſelienſes audaciâ ſumptâ illos, qui Reſſelii erant expulerunt. Siquis ſuorum miſerorum domeſticorum curam non habeat, fidem negavit, & eſt infideli deterior. Nec plura ſcribere vacat. &c.

SERENISSIMÆ DOMUS SOBIESCIANÆ ORIGO & CONjunctiones tranſmiſſæ à Principe Albrachto Dönhoff Epiſc: Crac.

CAPUT Domûs fuit Wyſſimirus Frater, tertio genitus Leſconis nigri Ducis, & univerſalis Monarchæ Poloniæ, quod ipſum Stemma deducit, Clypeus nempe datus è cælo tali occaſione: Cùm Dux Leſco cum fratre ſuo Wyſſimiro pugnaret in certis campeſtribus contra Ethnicos Jactewingos & totâ nocte oraret, apparuit illi S. Michàël victoriam contra innumeram hoſtium multitudinem promittens tantummodo fundaret in illo loco urbem & Eccleſiam Principalem ſub titulo S. Michàëlis, in ſignum verò illi obtulit illi Clypeum, quem geſtabat Archangelus obteſtans, ut hoc haberet Domus iſta pro inſigni uti nunc apparet. Victoriâ acceptâ Leſco Monarcha Civitatem in loco campeſtri dictam Lublin fundat, Eccleſiam Collegiatam in medio civitatis S. Michàëli Patrono ſuo extruit & dotat. Hinc Wyſſimirus loci amænitate captus cæpit ad Lublinum Poſſeſſiones magnas extruere, uti nunc adhuc illas Sereniſſimorum Sobieſciorum Domus poſſidet: à Leſcone nigro rude tunc ſæculum nihil nobis reliquit, de Succeſſoribus Wyſſimiri, magis enim tunc Poloni bella quàm dignitates curabant. Aparet tamen illos, ut conſtat ex manuſcriptis fuiſſe Lublinenſes Belzenſes Palatinos, & alia munia obiiſſe. Tandem ſub STEPHANO Rege ad magna natus Juvenis ex iſta Familia Marcus Sobieski, tanquam ſol è tenebris eluxit, qui etiam à Poſſeſſione Sobieska Wola propè Lublinum Sobieski vocari cæpit. Iſte poſt navatam bello Gedanenſi turbulentiſſimo, ubi Civitas illa contra Regem ſuum STEPHANUM arma ſumpſerat ſummam operam per multas Curules factus Palatinus Lublinenſis. Marcus ex Firleiowna Palatini Cracovien. Filia habuit Jacobum, qui etiam per gradus factus eſt Caſtellanus Cracovien. vir magnæ experientiæ, tribus vicibus Mareſchalcus in Comitiis Regni ad Pacta ſub Chocimo primo illo bello regnante SIGISMUNDO III. miſſus Commiſſarius feliciter ea confecit. Hic ex Danielowycia Palatini Ruſſiæ Filia, quæ ortum duxit ab DANIELE Rege, Haliciæ, genuit primogenitum Marcum, ſecundo Joannem, Marcus Gubernator Kraſnoſtavienſis Juvenis innuptus fortiter cum Tartaris pugnans in bello occubuit. Secundo genitus Jacobi JOANNES III. Poloniæ Rex qui Sceptrum Polonicum feliciter geſſit 22. annis, intra horrida pacatam conſervans Patriam.

Sereniſſimi JOANNIS III. proles Serm̃i Principes Jacobus, Alexander, & Conſtantinus, & unica Filia Sereniſſima Electrix Bavariæ, Thereſſia Cunegundis.

Feliciter & fauſtè vivant.

Marcus

Redeo ad lineam fœmineam.

Marcus Palatinus habuit unicum filium, habuit ſex filias, prima nupta Myſzkowski Palatino Cracovienſi, quos Myſzkowſcios ob magna merita Serma Domus Gonzagorum in ſuam familiam recepit, & vocantur apud nos Myſzkowſcij Gonzagæ habentes ordinationem bonorum ſuorum diverſam ab alijs Nobilibus.

Secunda nupta fuit Czarnkovio Palatino Poſnanienſi.

Tertia Radziejovio Palatino Lancienſi moderni Primatis Regni Poloniæ Avo.

Quarta Wodynſcio Palatino Podlachiæ.

Quinta Wieſſolowſcio, jam Domus defecit præpotenti Viro M. D. Lit. Mareſchalco.

Sexta facta Monialis ſplendidiſſimum extruxit cœnobium Monialibus S. Brigittæ Grodnæ in Litvania.

Jacobus extra filios Marcum & Joannem III. Regem Poloniæ habuit filias duas Catharinam & Annam.

Catharina primo voto nupſerat, Duci Oſtrogio Palatino Cracovienſi, qui rexit etiam Supremum in militia Ducatum, cùm Duces capti eſſent à Tartaris, & in tauricam deducti; habuit ex hac Catharina filium Alexandrum, qui mortuus innuptus. Filia verò Thephila primo voto fuit Demetrij Wiſzniowiecij Supremi Ducis Exercituum Uxor, hodie verò Joſepho Principi Lubomirſcio Mareſchalco poſt mortem præteriti nupta, pulchra gaudet prole & vivit.

Secunda filia Jacobi Anna facta Monialis in Conventu Leopolienſi S. Benedicti, ante Profeſſionem mortua.

Catharina poſt mortem primi mariti Ducis Oſtrogij, item nupſit Caſimiro Michaëli Radivilio Procancellario Litv:, ex quo poſt multas proles unum tantum reliquit filium Carolum Supremum M. D. L. Cancellarium, qui hucusq; eundem Cancellariatum glorioſiſſimè portat. Et hæc eſt a Marco Lublinenſi Sobieſciorum tam per filios, quàm per filias & Conjunctiones clara & vera deſcriptio.

EXCERPTUM EX MANUSCRIPTO REGIS JOANNIS III.

CUM Nuntius Apoſtolicus habuerit curioſitatem ſciendi acta meæ domus, antiqua non eruderando, uti Janinum Palatinum Sendomirienſem ſub Leſco Nigro, à quo & ipſe originem traxit, hic extirpavit illos Jazyges ex Podlachia, quod adhuc teſtantur grandes circa Sobieſcinam ſupra Wieprzem tumuli & pagus Poganow non longè inde diſſitus, qui ab illa clade nomen retinet, eò quòd ubi eos fuerit aſſecutus & deleverit. Præterea alios magni nominis heroes, grandesq; expeditiones cum Moſchis, Suecis, aliisq; hujus regni hoſtibus, ſolaq; bella Domini placet refricare, eoſque quorum ſangvine im̃aduit terra Paganorum, & mihi occaſionem vindictæ ac qnaſi innatam domui meæ cum Paganis antipathiam reliquêre. Unum memoro avum meũ Marcum Sobieski Palatinum Lublinenſem, qui talem apud Regem Stephanum habuit reputationem, ut ſæpius dixerit, quod ſi totum regnum uni duello committendum eſſet, non alium illi muneri aptiorem fore ac Marcum Sobieski. Ipſe, (ut ſcribit Heindſtein & alij) occaſio magnæ illius Zamoyſcianæ in Moldavia ſupra Telczynium victoriæ, obſervato loco apto ad aggrediendum hoſtem, & aſſecurato de victoria Duce, ipſe coronidem impoſuit victoriæ præfectus tunc exercitui Kwartiano-

A.C.1708 tianorum, cum Zamoyski in Livoniam expeditus, nulli alteri hanc provinciam committere voluit, Regiq; perſuaſit quàm Marco Sobieski. Ipſe non modica fuit occaſio diſguſtus Zamoyſcij, ut ſcribit Piaſecius, qui & cauſa fuit mortis Zamoyſcio, quòd Rex Sigiſmundus ſcipionem Mareſchalcalem Myſczynſcio & non illi contulerit, quem promoverat. Inter alias multas actiones hujus Marci Sobieski, de quo potentiſſimus ille Rex Stephanus tantam habuit opinionem, numerantur etiam hæ duæ. Prima cum Gedanenſibus ſub Derſchavio, dum in Juvenili adhuc ætate ſub vexillo aulico ſuam etiam adduxit cohortem, (in hoc enim prælio nec Kwarciani nec alius erat miles præter aulam regiam, turmas Dominorum) ibiq; notabilem Officialem inſecutus armatum ſe in Viſtulam conjecit, eumque aſſecutus confecit. In venatione Litvanica urſus ingentis magnitudinis erupit contra Regem Stephanum, quo viſo Marcus Sobieski advocavit aulicum ſpecialem ſuum amicum Allemanni Italum, & avum p. d. Matris Potubinski Mareſchalcum Litvaniæ & Milodziejowski, quorum ille ſolo gladio, hic framea tantum armati ingentem hanc beſtiam in oculis regis confecerunt. Cū autem ipſo vivente non fuerit bellum cum Turcis, alia ejus acta & geſta prætereo. Filius ejus Jacobus Parens meus in recenti hæret memoria. His initiis ſumptis ab expeditione Moſchovitica & oppugnatione ipſius Metropolis, in qua graviter in brachio jaculo vulneratus, nullam poſtea intermiſit expeditionem, adducens ſemper vexillum Huſſarorū propriis ſumptibus, quod aureum vocabatur ob divitem apparatum & ſpecialem ordinem. Hic Sueticos, Coſaticos, Turcicos confecit tractatus. Hic quatuor vicibus fuit Mareſchalcus Nuntiorum, ultimò in electione Regis Vladislai, deſtinatus extraordinarius Legatus ad Pacem Monaſterienſem, primus obiit Senator ſæcularis, id eſt Caſtellan⁹ Cracovienſis, functus variis officiis per curules Senatorias, Palatinatus Belzenſis & Rzeczenſis hucuſq; ſcandit.

Ex linea materna Proavus meus Stanislaus Zolkiewski variis victoriis contra hoſtes potitus, ſcilicet ſub Byczyno alam duxit ſub Revelio cum Reinoldo Arnep Generali Regis Sueciæ, qui ibi occubuit in genu trajectus, in Litvania, de quo fuſe Biaſecki. Cum Nalewayko ductore rebellium Coſacorum, quem ipſemet vivum accepit & Regi tradidit, Tartaros ſub Brynino fugavit, ſub Buſzo celebrem cum Turcis concluſit pacem, ubi nec palmam ferre hoſti induſit. Imò à paſcuis in deſertis campis gregi Valachorum unà cum Turcis tributa impoſuit. Univerſam Monarchiam Moſchoviticam obtentâ celebri illâ victoriâ ſub Kluſſino cum quatuor millibus Huſſarorum, 200 Hayducis, cum duobus parvis tormentis, & duobus vexillis aulicorum contra 40000 Moſchorum & 8000 externorum, quibus præerat Pontul de la garde viv⁹ ibidem captivatus, Regi Sigiſmundo ſubjugavit, Metropolim cum omnibus theſauris ademit, ipſum Czarum cum fratre in Comitiis Varſavienſibus Regiis pedibus proſtravit, Principem Regium Vladislaum Moſchoviæ Czarum impoſuit, ipſemet in Prawdelum aut Vice Regem totius Moſcoviæ electus fuit. Omnia hæc egit exiſtens Palatinus Kijovienſis, & Campidux. Majorem enim clavam poſt mortem Zamoyski diu Rex retinuit. Numeratur & illud inter præclara ejus acta quòd ſub tempus confœderationis cum exercitu Kwarcianorum ſuppetias tulerit Regi, etſi confœderatorum ductor fuerit Zebrzydowski Palatinus Cracovienſis affinis ſuus, attamen ipſe cum exercitu ſuo dexteram alā conficiens Confœderatos fugavit, quos cùm nonnulli proſequi vellent,

dixit Regi: ſatis hucuſq̧, habes victoriam, ſecurus es rerum tuarum, *A.C.* 1708
parce civium ſangvini. Factus poſtea ſupremus Dux & Cancellarius, pericula à Turcis ſemper Reip. expoſuit, ad reſolutionem eam adduxit, exhibuit in ſcriptis, quæ hucuſque exſtant in archivis domus noſtræ, quòd tunc temporis in flore exiſtens Reſp. cum ſubſidiis Principum Chriſtianorum huic ſufficeret. Revocavit grandes intentiones Regis Stephani, quarum ipſe ſolus cum aliquot confidentibus conſcius erat. Acceſſit huic colligationi per directionem Summi Pontificis Czarus Moſchoviticus, aliiq̧ Principes Chriſtiani ſubſidia pollicebantur maximè Rex Hiſpaniæ, Rex Stephanus Generalem agere debebat exercitus terreſtris, claſſis autem navalis convenire debebat in Archipelago. Exſtat hujus memoria in literis, quibus valedixit Regi Sigiſmundo, conferens ſe ad extremam expeditionem, & ſigillum magnum Regni reſignans. Cum aliquot tantum millibus contulit ſe in Vallachiam in auxilium Gratiano Hoſpodaro, volens jura Reip. conſervare, quæ ſuî erat incuria, vel potius mandavit ea tueri, aſt nervus æquè ac milites deerant. Idem Gratianus, & ſe & illum decepit, proprii enim ſubditi ab eo receſſerunt & prodiderunt. Eò igitur loci mortuus honori ſtando, ut Imperatorem decet, aſperſit ſangvine ſuo campos Valachicos, cujus etiãnum modò exſtat memoria in marmorea columna, quam in hunc uſq̧ diem Chriſtianæ ibi nationes lacrymis aſpergunt. Cumq̧ filius ejus ipſemet ex vulnere decumbens cum conſobrino ſuo expeditum ſubmiſiſſet equum, ut ſe ſalvaret & meliori ſervaret fortunæ: reſpondit, ubi oves pereunt, ibi & paſtor, quid enim ſi quæreretur: ubi ſunt oves tuæ? Filius ejus Joannes Zolkiewski Capitaneus Rubieſzovienſis ſic vulneratus incidit in manus Tartarorum, Lucas autem Zolkiewski Capitaneus Kaluſſenſis poſt fata ejus factus Campi Dux, bene poſtea meritus in expeditionibus Sueticis, Moſchoviticis & Nahaycenſibus Turcicis, qui poſtea ſolicitudine principis Zbaraski tempore legationis ſuæ Conſtantinopoli eliberatus cum Koniecpolſcio Stanislao tunc Campiduce, & genero Zolkiewski Supremo Exercituum Duce, & poſtea Caſtellano Cracovienſi ac Duce Supremo. In hoc igitur prælio Zolkiewski cum tota domo ſua occubuit, id eſt cum filio, nepote & genero, treſque vulnerati in manus Paganorum devenerunt, ſed de his plura licet legere in hiſtoricis. Cancellaria & Duciſſa vidua, domo Herbultowna, quæ domus cum omnibus pene familiis iniit colligationem, primam impendit curam obtinendo capiti mariti ſui, quod uſq̧ Conſtantinopolim avectum fuerat, quod magnis impenſis obtentum unà cum corpore in baſilica Zolkiewienſi ab eis fundata condidit. Filium autem Joannem Zolkiewski Capitaneum Rubieſzovienſem magnâ ſum̃â à Tartaris redimere debuit, quæ quia enormis erat, extendebatur fere ad ducenta millia imperialium, indulſit Reſp. Zolkwiæ officinam monetariam, & ſum̃am argenti, quo tunc theſaurus ille abundabat, cudere. Hic redux ex captivitate, volensque vindictam ſumere de ſangvine Patris & ſuo, ac captivitatis, iniit cum Coſacis Zaporovienſibus pactum, quòd ad primum ſuum adventum, gratiis Regi actis pro inſtantia eliberationis ſuæ, omnem hæreditatem ſit venditurus (adhuc enim cælebs erat) & militem conſcripturus adverſus eos ad ſedandum ſcrupulum de occupanda Crimæa, ſed DEus non ſivit intentiones effectum ſortiri, mox enim Varſaviæ gratiis actis, dum vellet domum redire & præmeditata exequi, ex gravi vulnere, non bene adhuc ſanato, fatis ceſſit, ſicq̧ cum eo domus tota interiit, ac intentio evanuit, quæ aliàs juxta Heroum judicium

A.C.1708 cium effectum fuiſſet ſortita, hæreditas autem omnis ceſſit ſorori ejus & filiæ Ducis Sapiehæ Zolkiewskæ, aviæ meæ. Hæc nupſit Danilowicio Palatino Ruſſiæ, fratri Theſaurarii M. D. L. qui Mareſchalci officio functus in conclavi Nuntiorum in Comitiis inquiſitionis, cum partes ſibi adverſæ in alium convenire non poſſent. Huic filius fuit Stanislaus Danilowicz germanus frater Matris meæ, avunculus meus. Hic in juvenili ætate redux ex exteris, ſedulò illud expendens: *& quæ non facimus ipſi vix ex noſtra putamus*, non contentus laude utriuſq; lineæ, Avorum, Proavorum, Atavorumque, ſed ipſe propriis impenſis conſcriptum militem neo electo Regi Vladiſlao pro expeditione Moſchovitica obtulit, per quem quid operatus ſit, vivi adhuc extant teſtes, quibus non tantùm celebrare ſed nec eloqui laudem ejus difficile eſt. Hæc heroica facinora conſiderans magnus ille Monarcha Vladislaus, non tantùm ipſi gravem offenſam conceptam contra eum ob duellum initum victumq; Kacinowski Varſaviæ tempore interregni ad latus decumbentis adhuc in arce cadaveris Regis Sigiſmundi Parentis ſui, ſed ad ſpecialem etiā admiſit confidentiam. Finito bello Moſchovitico, eundem ardorem ſuum bellicum teſtatus eſt in expeditione Pruſſica, ad quam cohortem ſtitit, cujus etiamnum meminerunt, qui ei expeditioni interfuêre, cumq; nec hoc bellum ad effectum ſit deductum, per tractatum enim compoſitum eſt, non ſopiendo hunc ignem, quem heroica facta anteceſſorum in eo excitarunt, volensq; ulciſci ſangvinem avi & avunculi Stanislai Zolkiewski Cancellarii & Ducis, ac Joannis Zolkiewski Capitanei Rubiſzovienſis, cum Coſacis ac milite ſuo propriis impenſis conſcripto conatus eſt Tartaros tollere, qui in deſertis campis uſq; ad pagos noſtros ſeſe dilatarunt. Feliciter eos aliquot vicibus proſtravit, tandem ardore ductus quo ſors & fata traxerunt nolentem, ut animoſitate & fortunâ ſuâ elatus, nec amicorum, nec militum, nec Coſacorum belli peritorū precibus detineri potuerit. Ibi impetū faciens in imparem numerū, cū ad Coſacos ſuo more recedentes inter equos cum ſclopetis recedere noluit, ſed ſuis fiſus viribus, equo trajecto in manus incidit Paganorum, à ſeniore Tartarorum Netſzey Murſa, cum quo res agebatur mirè tam ibi quàm domi ipſius plusquam Chriſtianâ ſuſceptus humanitate. Sed Kantamir, quod nomen ſonat ſangvineum ferrum antiquiſſimus ex hac domo, ac conſequenter præfectus toti exercitui qui in hiſce campis ſe dilatarunt, ac in limites Poloniæ irrumpere ſolebant, celebris non tantùm ex continuis prædis verùm & clade ſuorum filiorum ſub Uſcieuro, ubi unum eorum amiſit, nam & cum ipſo Hano bellavit, & dominium ejus excuſſit ſubdens ſe portæ Ottomanicæ, qui poſtea à Teſſe Porty in Syliſtinia ſtrangulatus eſt. Hic igitur juſſit ſibi captivum adduci, & ſine magna recollectione, à crapula ſui nondum compos, filio ſuo, & fratri ejus, qui ſub Uſcieuro occiſus, mandavit, ut caput ei demeteret, qui diu refugit utpote magis ſobrius & miſericors, aſt cum ei parens minaretur exhæredationem, niſi ſangvinem fraternum ulciſceretur, quòd dimiſerit hunc angvem in perniciem totius gentis ſuæ, trepida manu ictum innoxium inflixit, quem demum armiger ejus gladio confecit, ſicq; etiam hic largè ſangvine ſuo terram Paganorum ſuperfudit, pro fide Chriſti, Patria, & gloria domûs ac Antenatorum ſuorū, corpus ejus prior Murza acceptum honorificè unà cum Rzeſzowski famulo qui morti aderat Zolkwiam ad ſororem Germanam, matrem meam remiſit, conditumq; eſt in ſepulchro avi & avunculi. In domo igitur hac ex ſorore ejus apud matrem ejus ac aviam natus ſum, atq; apud

pud eam uſq; ad mortem educatus. Natus ſum in Oleſcenſi arce in edi- *A.C.*1708
to monte, ubi etiam Rex Michaël natus eſt. Sub tempus nativitatis meæ ingentia erant tonitrua, ita ut ſartor matris meæ inde auditum amiſerit uſq; ad mortem. Eodem plane tempore Tartari excurſionem fecerunt ſub arcem, ſed eos fugavit celebris ille Chmielewski. Ex occaſione nativitatis videtur & illud memorandum, quo hiſtoriæ Romanæ aliæq; plenæ ſunt. Cum Stanislaus Zolkiewski Cancellarius & Dux adhuc infans ſugens ubera nutricis ſuæ, in prædio milliari Zolkwiâ nomine Turzina in horto ſuper gramen à nutrice ſe elongante ardentibus ſolis æſtibus expoſitus eſſet, advolans avis ſuper eum alas expandit, ac à ſolis radiis obumbravit, ut redux nutrix cum aliis oculatis teſtibus vidit & retulit. Tempore autem illius celebris victoriæ Kluſzinenſis viſa eſt equo ejus à tergo avis parva alba inſidens. In ultima autem expeditione ejus, in qua pro patria glorioſè occubuit, viſi ſunt in cœlo ignei exercitus ſecum deprælìantes, cum autem Dux à ſomno fuiſſet excitatus, phœnomenonq; ei oſtenſum ait: hoc capiti meo imminet, nam & alias plurimis retulit, quòd adhuc in teneris tranſiens pagum quendam Swincza nomine ſub Rzeſzowa nunc ſub dominio Pac Equitis Melitenſis ab anu quadam præſagium omnis felicitatis & mortis acceperit. Sæpe id ab eo referri audivimus. Parenti meo duæ fuerunt uxores. Prima fuit Princeps Zbarenſis Wiſniowiecka filia Principis Palatini Ruſſiæ, & matertera Principis Dimetrii, ex hac genuit duas filias, quæ in teneris mortuæ ſunt, ſepultæ in Zolkwienſi Eccleſia; ſecunda Theophila Danilowiczowna filia Joannis Danilowicz Palatini Ruſſiæ & Sophiæ Zolkiewska filiæ Cancellarii & Ducis exercituum Regni, matrimonium inierunt cum diſpenſatione, conſangvinei enim erant in quarto gradu ex Herbultis deſcendendo. Parenti meo non fuit germanus frater ex eadem matre, ſolumq; quinq; ſorores, quarum una nupſit Palatino Podlachiæ, Vodynski, altera Palatino Lęczycienſi Radziejowski, tertia Mareſchalco M. D. Lit. Wieſiołowski, quarta ni fallor prius Palatino Ravenſi Karnkowski, poſtea Rozrazewski Dapifero regni, quinta monialis abbatiſſa monaſterii Grodnenſis ex ordine S. Brigittæ. Id ex primo matrimonio Marci Sobieski; qui prius junctus erat connubiali vinculo Snopkowſciæ ſorori Vexilliferi Regni, ſecundo autẽ Tęczynſciæ ex qua genuit filium Joannem, & filiam Helenam, qui ambo, ille in juventute redux ex exteris, ſumma exſpectationis heros, in limitibus Odolanoviæ apud affinem ſuum Rozrazewski, hæc autem ſubitanea plane morte in via incomparabilis pulchritudinis, mortui ſunt, ſepulti ſunt in Zolkwienſi Eccleſia. Ex linea autem materna, Avus meus, & parens matris meæ Joannes Daniłowicz Palatinus Ruſſiæ, junctus prius erat matrimonio cum Kraſincia, filia aut ſorore Palatini Podoliæ, ex qua duas tantùm genuit filias, quarum una nupſit Koniecpolſcio, altera Firleio, in altero autem matrimonio junctus fuit Sophiæ Zolkiewſciæ filiæ Cancellarii & Ducis & Reginæ Herbultownæ, quæ fuit in tutela Joannis Zamoyski Cancellarii & Ducis M. D. Lit. Nam & ipſe ex Herbultowna genitus eſt. Ex hac igitur Sophia Zolkiewſcia tres habuit filias nubiles, filium Stanislaum, illum celebrem heroem à Tartaris interfectum, matrem meam, Theophylam & Dorotheam Abbatiſſam Leopolienſis monaſterii S. Benedicti, adhuc in vivis ſuperſtitem. Ex hoc igitur horoico ſangvine genuit Parens noſter quatuor filios, & tres filias, primus fuit Marcus, de quo inferius, ſecundus Joannes anno uno & tribus menſibus junior, tertia Sophia, quæ in infantia obiit, quar-

ta

*A.C.*1708 ta Catharina, prius Princeps Oſtrowska, Palatina Cracovienſis, poſtea Princeps Radzivilia Procancellaria & Duciſſa M.D.L. quarta Anna Monialis Leopolienſis, fratres duo Stanislaus & Michaël qui fatis ceſſerunt. Hi igitur parentes noſtri procreati fortes ex fortibus, inſtituerunt nos à teneris, ne ab antenatis degeneremus, & cùm nos in exteras nationes expediverunt, in ſcripto nobis Parens dedit inſtructionem & doctrinam. Mater autem ex exteris reducibus jam poſt fata Parentis poſt Pilavienſem expeditionem ſæpius dixit: ſi quiſpiam filiorum meorum fugeret ex prælio, non foret mihi filius, ſæpius nobis in ſtemate noſtro monſtrans: *vel cum hoc, vel ſuper hoc.* Sicq; factum eſt, non ſine dolore materno, nam primogenitus Marcus Capitaneus Cracovienſis major natu frater meus non tantùm ſangvine ſuo campos Ukrainenſes aſperſit, ſed & oſſa ejus carent ſepulturâ, & quod majus eſt, non in prælio interfectus, ſed altero poſt prælium die exemplo crudelitatis inauditæ manu prædeſtinati ad lineam domus noſtræ genere Kantimiri. Sic igitur Atavus, Avus, Conſobrinus, & frater paganorum manibus occubuerunt pro ſancta fide. Ego ſic volente DEO à tali nece præſervatus ſum.

INFORMATIO DE STROMGELD REGIOMONTANO, Aliàs de Telonio in fluminibus ab Electore Brandeburgico impoſito.

Aliquot ante annos novum telonij genus, quod Laſt vel Stromgeld dicitur, Regiomonti inſtitutum eſt, quòd primò ſub nomine examinis mercium nullâ deſuper factâ exactione, deinde de ſingulis navigiis pro eorum quantitate ſeu magnitudine, non autem de mercibus, porrò de mercibus, ſed moderatè, tandem præfixâ certâ taxâ de omnibus omninò mercibus exactum eſt, ut etiam nunc exigitur.

Hanc exactionem ſeu Stromgeld extra communia Jura totius Pruſſiæ, tum imprimis Regalis, immunitates, libertates, & conſuetudines impingere, ſubſequentia evincunt fundamenta.

1mo Atq; originaliter Jus, immunitasq; à noſtris telonijs, aliisq; exactionibus fundatur in Privilegio Culmenſi Culmiæ.

Anno 1251 ab Hermanno Magiſtro datum & conceſſum: cujus hæc ſunt verba: *Abſolvimus etiam totam terram prædictam ab omni penitus telonij exactione.*

2do Huic ſuffragatur pax, & concordia inter Vladislaum Jagellonem Poloniæ Regem, & Conradum ab Jungingen Magiſtrum Pruſſiæ Anno 1404 facta & conſtituta in verbis: *Præterea volumus, quòd homines D. Regis, & ſuorum Succeſſorum in terris Litv. & Ruſſiæ conſtituti, in omnibus terris Ordinis mercari, & negotiari liberè valeant abſq; telonijs, & alijs exactionibus, quos etiam defendere tenebimur, ſicut noſtros ſalvis tamen telonijs ab olim inſtitutis.* Quæ quidem libertas licet principaliter Litvanos & Ruſſos tantùm concernat, nihil tamen obſtat, quominus exinde oſtendamus, & deducamus, quòd Dux in Pruſſia directè contraveniat iſtis Pactilatis, quando Litvani & Rutheni merces ſuas per Pregelam & Havum Gedanum defluitantes iſtud Stromgeld exſolvere coguntur. Unde Gedanenſes communi mercatu cum Litvanis & Ruſſis, quo tamen jure vigore Privilegiorum ſuorum liberè gaudent, per indirectum excluduntur.

3tio Huc faciunt pacta ejusdem Jagellonis cum Magiſtro Rusdorff In anno 1430 inita: in quibus expreſſè eſt cautum quòd excepto Pfundzolle aliæ omnes & ſingulæ exactiones quibuscunq; nominibus vocitentur

tentur, à Mercatoribus Terrarum Regno Poloniæ, & Ducatui Magno Lit. & Ducatibus Pruſſiæ ſubjectarum amplius exigi non debeant. *A.C.*1708

Quod *4to* repetitum planè eſt, in conditionibus pacis perpetuæ inter Regem Poloniæ Caſimirum, & Ludovicum de Erlichshauſen annò 1466 ubi ſequentia leguntur verba: *Quoniam per Mercatorum induſtriam, Reſpub. notabile accipere conſuevit incrementum, ſtatuendo decernimus, & ſpondemus, quòd nulla telonia, depoſita, Gabellas, foralia, ſivè quaſcunq; alias cenſuationes, locis & perſonis in Regno noſtro, Principatibus, & Dominiis noſtris & Regni noſtri imponemus de novo, aut imponi permittemus, tam in Terris, quàm in Aquis ſed tantummodo utemur impoſitis. Quod idem Magiſter Ludovicus, Succeſſores ſui, Commendatores in ſuis quoq; Terris obſervabunt.*

5to Superiores allegationes Jurium declarantur, & confirmantur per pacem perpetuam, inter Marchionem Albertum, & Regem Poloniæ de anno 1525. Item quòd deinceps de libero tranſitu, & commercatione ſic loquitur: *Omnes Incolæ Terrarum Pruſſiæ utrinq; reciprocâ viciſſitudine in terra & mari negotiationes ſinè impedimento exercere, præterea Stratis proficiſci, & curribus tranſire, nec non in Privilegiis ſuis hoc caſu permitti debent. Item §. quòd profundum Ralgenſe caput Viſtulæ & omnia flumina omnibus Pruſſiæ Incolis navigare, & trajicere liberum.* Subſequitur §. de immunitate. *Nulla telonia, depoſitiones, vel alia gravamina in Terris Pruſſiæ extra antiquam conſuetudinem & Privilegia ab ulla Partium inſtitui debent, ſed vetera telonia permanere; Si ab altera Partium à tempore Tranſactionis Regis Caſimiri telonia eſſent inſtituta, ea quoq; hinc inde abrogari debent.*

6to Idem vult renovatio iſtius pacis & concordiæ inter Regem Poloniæ Sigismundum Auguſtum, Electum Magnum Lit. Ducem, & Ducem Pruſſiæ de anno 1529. Item liber ſit tranſitus, ubi libertati tranſitus & itineris pro commercantibus prolixè eſt proſpectus, contra depoſitoria, & exactiones angariasq; addita, ſalvâ antiquorum Jurium, & conſuetudinum contra allegata Jura nova hæc exactio Stromgeld ſupra indigitato modo. Regiomonti de omnibus tam illatis, quàm evectis mercibus inſtituta eſt, quod indiſcriminatim ſive Ruſſi vel Litvani, ſive Pruſſi exſolvere coguntur. Quo ipſo communis Gedanenſium mercatus cum Pruſſis, Litvanis, Ruthenisq; redditur difficilior, & lucrum, reditusq; Regij magna ex parte imminuuntur. Cujus rei ſecretiores conferentiæ reſervantur.

In Pactis Bidgoſtien. §. 17. hæc leguntur verba: *In Dominijs verò utriusq; Partis nulla nova teleniorum onera tam Terreſtria, quàm Maritima, quæ ante hoc bellum non fuerunt, in gravamen cujuslibet partium imponantur. Quod ſi aliqua è re communi de novo imponenda, aut augenda videbuntur, id partium conſenſu fiet;* quod neglectum.

ALEXANDRO SALLAROLLI Heilsbergâ.

AB initio hujus anni movere D. Palatinus Czerniechovien: cogitavit Vratislaviam, & fecit, quem ego Gedanum uſq; conduxi, & pòſt uſq; ad Abbatiam Olivenſem. Habui quidem tentationem eundi ulterius, ſed, dum ſuſpicio itineris mei in Sileſiam oriri cœpiſſet, redire malui, ubi aliquot dies moratus redii domum, ubi mortem Stanislai Ujeyski Decani Varmienſis inveni. Poſt quem Decanatus ceſſit Dño Nycz. Pro Bachanaliis venerat Dnus Epiſcopus Plocenſis, ex cujus motivo miſi Canonicum ejus Plocenſem Przybolowski ad Generalem Regni pro moderatione Contributionis hyemalis, & incuſando, quòd

A.C. 1709 quòd nunc plus cum exercitu, quàm cum hoſte negotii eſt; non milites, ſed hoſtes; plus amicis, quàm hoſtibus nocent; ex alieno paſcuntur, quod oporteat quibuſdam comedentibus alios diu expectare; quod non erat conveniens, quòd milites, qui à malo, quod avertere tenentur, malorum inferunt pondus, potius ſunt impedimentum, quàm auxilium; quòd Ruſtici qui cunctos nutriunt, ab omnibus opprimuntur; ſtipendia conſtituta, ne præda graſſetur hæc tamen exercetur.

Dñus Epiſcopus Luceorien: tranſivit hàc Regiomonto in Diœceſim ſuam. Doluimus inſuper mortem Cardinalis Coloredo Romæ defuncti. Convenimus ut ſcriberet ad Primatem de langvida Reipubl: cura, & quid Patriæ prodeſſet; tardè velle nolentis eſt: interim creſcunt ſuis fragmenta diſpendiis, &, quia caſus emergentes nova amant conſilia, quia faciliùs, & leviùs tolerari poſſunt, quæ ante præſciuntur; ne malum per longas invaleſcat moras; ut Collegium Epiſcoporum convocaret ad ineundas rationes tranquillandæ Patriæ. Veniebant interim nova de ſeria Regis AUGUSTI redeundi in Poloniam cogitatione; nihil prodeſt, quod non lædere poſſit idem, qui nimiâ ſollicitudine futurum ſucceſſionis eventum inquirit; Divinam providentiam videtur abnegare.

Cogitabant hoc Menſe ſub Rybinſcio exiſtentes cohortes circa expugnandam arte Elbingam, ſed res hæc effectum non habuit.

Interim abſolvimus Paſcha Heilsbergæ cum Dno Epiſcopo Plocen: *Mors Mart. Zaluski* afflicti ex diuturniori, & pertinaci Fratris noſtri Suffraganei Plocen: infirmitate, qui (afflictio noſtra ſinè voce vocalis eſt) 8va April. ipſo die Annuntiationis Heilsbergæ cum omni reſignatione in voluntatem DEi, & exemplari pietate DEO ſpiritum reddidit, cujus corpus ad Capellam S. Stanislai ſolenniter tranſtulimus. Copias autem univerſalium Regis AUGUSTI ratione Abdicationis & aliorum habuimus, quas tibi fideliter mitto.

Invìſi etiam Gedanum (pro temporis varietate varianda conſilia) ubi cum Dno Palatino Ruſſiæ, qui abſolutè mihi reſtituendi Miniſterii ſpem fecit, ſed ego timens, ne inde venenum ſumam, unde mel libare debeam, non credidi, quamvis ille ante Comitia id ſe facturum omnino ſub beneplacito Regis STANISLAI promiſit, quod ego, non facturum, certus eram. Indignum eſt in eadem Republica non iiſdem legibus omnes teneri; indignius in illa Repub:, quæ tenetur legibus, diſcedi à legibus; ſagitta facilè ingreditur, ſed difficilè extrahitur.

In reditu meo valedixit mihi Canonicus Magnanini Romam properans, & ego, ſecundùm quod conſtitueramus cum Dño Epiſcopo Plocen: veni Pultoviam, ubi per aliquot ſeptimanas moratus ſum. Nova mihi gratiſſima de evectione in Cardinalatum amici antiqui, & Patroni Domini Gozzadini habui. Quod pluribus placet, vim recti obtinet. Exequias Fratris noſtri Suffraganei ibidem ſolennes abſolvimus, & poſt Octavam corporis Chriſti inde perrexi, Heilsbergam veni, ubi in ſolitis occupationibus tempus impendi, gaviſus porrò magis ſuâ magna relinquens.

Capellam ex voto, ut Dnus DEUS à peſte nos liberet, extra civitatem Heilsbergen: ædificare cœpi, tranſportato in arcem miraculoſo Crucifixo cum omni ſolennitate.

De fœdere inter Danum, Moſchum, & noſtrum AUGUSTUM cum interventione Regis Pruſſiæ concluſo certa habuimus nova, quam facti alieni probabilis eſt ignorantia, in quo prudentiſſimus etiam errare poteſt,

teſt; & quòd Gedani contagio inceperit.

Habuimus hic Regiomonto certam notitiam de ingenti Moſchorum contra Suecos victoria, cui ab initio credere nolebamus, ſed indies nova, & auctior veniebat confirmatio. Cæſos ad internecionem ſub Pultava Suecos, 15000 poſitis armis in captivitatem abducta, ipſum Regem cum paucis per fluvium evaſiſſe in Turciam in civitatem Bender.

Stephanus Branicki Palatinus Podlachiæ vir priſci moris, raræ pietatis, ſingularis honeſtatis, filiam Palatini Vilnen: in Matrimonio habens, cum eaq; inſignem prolem, menſe Auguſto mortuus eſt.

Electrix etiam Palatina Mater Imperatricis diem ſuum obijt.

Attulit etiam Poſta, quòd Dñus Epiſcopus Culmenſis, Palatinus Ruſſiæ, & Pro-Cancellarius Litvaniæ relicto Stanislao cum propoſitione ad unionem, & declaratione Regis STANISLAI, qui credebat, quòd ſi locutus fuerit ad eos verba lenia, erunt ipſi ſervi, qui & ſpondebat ſe univerſa daturũ, qui nihil habet, & quòd reſolutionẽ abdicandi Regni ſumpſerit, Varſaviæ in areſtum accepti à certo Edymin, qui alienum jurgium (ſuâ malitiâ ſemper armatâ) putat eſſe cauſam, & qui, ut ipſis benè ſit, optant aliis mala eſſe; frangit & attollit vires in milite cauſa; ſed pòſt ex mandato Palatini Belzenſis dimiſſi.

Sereniſſimus Czar Moſchoviæ cum Porta Othomanica expoſtulat de reſtituendo ſibi Rege Sueciæ qui poſt deperditum ſibi tam enormiter conflictum in Ditiones Turcicas (ſcientia pro voluntate habetur) tranſiit, & receptus, quod eſt de genere malorum prohibitorum, directè contra expreſſa Pacta pugnat; qui hoſtem illius defendet, illum offendit, & quod melius ſit intacta Pacta ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere.

Multa ſcripta circa id tibi adjungere placet. &c.

UNIVERSALE REGIS STANISLAI Siemieniæ 26 Januarij.

O*mnibus & ſingulis &c.* Eâ ſpe, qua in Univerſalibus Noſtris Mariæburgenſibus pro Comitiolis editis per initum zelum & ſalutares in publicum contentiones palàm fecimus, quòd pro oblatione exercitûs, & in hoſtium extra Patrios limites eductione, eò ſecum tracturi gemitus pauperum, omnis ſpiritus laudabit Dominum, ſubſtitimus in hoc inclyto Palatinatu Lublinenſi, in eoq; per octo ſeptimanas non ſine diſcrimine gravaminũ innocui coloni moramur, adverſæ nobis & bono publico parti ea omnia offerendo, quæcunq; gratia & clementia concedere potuit, gradiendo ad privata commoda à ſupremo usq; ad infimum, quaſcunque thronus diſtributivas facere poteſt, elargiendo, quodvis nomen dulce pacis & tenionis, vel ut vocant tractatus, nihil intentatum reliquimus, ut amantes Patriæ filios ad recuperandos limites alliceremus. Ponimus ob oculos dignum æviterna laude & gloria Ducem Zaporovienſem Mazeppam, qui primus miſertus Patriæ, ſubdens ſe in nomen noſtrum cum gente & terra ſua, priusq; vias juſtitiæ ingreſſus reſtituendo aliena, antequam exercitus Kwartianorum ſtipendiario titulo unà cum Ductoribus ſuis eat in leges debiti, tam cuſtodiendi quàm recuperandi proprios limites. Quis non putaret tam præclarum externorũ exemplum aliis additurum alas ad feſtinandum eò quò tota ſe offert Ucraina, & ecce ſigna militaria audimus Cracoviam versùs dirigi, loco Kijoviæ vel Ucrainæ. Cor præ dolore finditur in his omnibus, quod ipſa non credet poſteritas, vel præ confuſione mentionem non faciet, à *Maſeppa accedit Stanisl ao.*

A. C. 1709 præſentibus autem & contemplantibus diſſimulatur, fors etiam in honore habetur. Juva quisquis & Patriæ amans non dolere aut flere, quæ ſatis defleri non poſſunt, verùm conſiderare, quid potuit DEus pro hac Patria facere & non fecit. Depoſuit potentes de ſede, qui in eam unà cum gentibus induxerunt afflictiones & miſerias. Præliantur pro ea exteræ nationes, invitant ſubdentes ſe provinciæ, aſt ipſis bella geri placuit nullos habitura triumphos, quaſi non oris recuperatis, ſed quem civiles hauſerunt dextræ, ſangvine nomẽ foret celebrandũ. Nunquã fuit hæc noſtra intentio, ſibi quisq; provocat fata, imò & modò licet hic ſit ſcopus intentionum noſtrarum, obvertimus tamen oculos paternos, an non revertantur qui terga verterunt. Si autem fuerit mens ſequior, inimica paci & oblato utili publico, in tempore omnium conſcientias in jus citamus, quòd voluerimus, & omnia media adhibuerimus, nec alios modos excogitare potuerimus præter eos, quos obtulimus ad cohibendas & deducendas Patriæ lacrymas & oppreſſiones pauperum & cor noſtrũ ſerenandum ſuper hæc omnia mœrens. Veniat ſuper nolentes & non acceptantes, quod adhuc non ſupponimus, omnis maledictio, licet expendere omnes cenſuras, examinare omnes noſtras actiones & applicationem ad Majeſtatis usq; demiſſionem, concedimus præterea eo fine Palatinatibus & terris, ſi videbitur Comitiola nomine noſtro indicta abſolvere aut limitata reaſſumere, ut ſuper tecta videatur innocentia noſtra, & ut pateat quis ſit aut erit cauſa tantorum malorum, quis poſt tentatos omnigenæ felicitatis ad pacificationem modos luſit Deos hominesq;, & laudabili intentioni noſtræ piaculares poſuit metas, & ad quẽ pertinebit, culpa redarguat ipſum. Hæc univerſalis proviſio noſtra & coacta cautela ut omnibus innoteſcat, mandamus per caſtra, parœcias & loca conſueta ut publicentur &c.

COPIA RESPONSI PRIMATIS AD LITERAS SENATORũ
Olomucij 18 Februarij

ACcepi cum omni reſpectu literas Illuſtriſſimarum Dominationũ Veſtrarum de data 27 Januarij. Tarnoviæ ſcriptas, & cum debita reflexione perlegi, fateor me ſæpe habuiſſe à Palatino Belzenſi Supremo exercituum Duce & Enſifero Regni Mareſchalco Generalis Confœderationis Reip. inſtantiales ad accelerandum reditum, verùm & illi debent teſtimonium dare veritati, quòd ex reſponſoriis meis non tantùm videre ſed & palpare potuerint ardens votum & deſiderium meum redeundi ex hac translimitanea & nimis moleſta reſidentia, nam verè jam vellem ibi eſſe corpore, unde corde & affectu nunquam abivi, & ubi dulciſſimum eſt unà cum Illuſtriſſimis Dominationibus Vris in commune conſulere. Obſepſit mihi viam indies magis invaleſcens contagio peſtifera, remoram injecit præ aliis cautelis, defectus ſecuritatis perſonæ meæ, & præ cæteris incertitudo termini ad quem in tantis conjuncturis difficilem reddidit reſolutionem, & retardavit ſinceram redeundi intentionem. Nunquam reſpiciebam illud intentum quod Illuſtriſſimæ Dominationes Vræ in literis ſuis exprimunt, & planè pro ratione & fundamento ponunt ſuæ hujus ad me compellationis. Nullius mihi conſcius ſum, & in Repub. nihil aliud quàm Remp. ſpecto, perſeverans in innocentia cordis & operis ſanarum pro bono publico intentionum, nec in ullas cum quopiam me immitto transactiones, nullas ad quempiam expediens Ablegatos, omnes noxias vitando correſpondentias, & negotium univerſorum, uti & ſenſum ac votum meum

ad

ad plenam Remp. referendo, ſolummodo reſpiciebam & reſpicio etiamnum tempus mei deſideratiſſimi reditus, & convocationis Ordinū Reip. nec ſemitam ingredior cum maximè cupio viam, ut ſecurè, & liberè ſemoto omni metu conſulere de Patria poſſimus. Obtinere id à DEO ad hoc uſq; momentum non potui, cum Palatinatus Majoris Poloniæ ſub preſſuris Præſidii Poſnanienſis, Pruſſiæ ſub pondere inceſſabilis auctoramenti Suetici, ultra Viſtulam Mazoviæ & Podlachiæ ſub infeſtis ſignis, minoris Poloniæ pars ſub Sueticis armis, pars malleum inter & incudem continui timoris venturorum malorum, & M. D. Lit. compars Regni maxima & nobiliſſima ſub æquali ſine intermiſſione gemit jugo preſſurarum, conſequenter non poſſet in congreſſu Generali comparere, & nihilominus ultimam jam aſſumendo reſolutionem, ultimumque reſolvendi interregni figendo greſſum Reſp. deberet in numeroſiſſimo congreſſu, faxit DEus, communi motu decidere de fortuna ſui, aliter enim tam grandes & prægnantes materiæ, ſtatum Reipub. tangentes determinari nequeunt. Attamen jam accelerat deſideratum tempus, cum magni & erecti animi Duces obviàm eunt publicis fatis, cum infracto in amore Patriæ & ardore conſervandæ veteris Reipub. formæ Scipione Enſifero Regni, Mareſchalco Generalis Confœderationis Reipub. cum alacritate & indies majore ac promptiore DD. Colonellorum, omnium Equitum ad agenda fortia reſolutione, cum felici ex colligata Monarchia ſuccurſu. Scient (ſpes in Deo) Duces tam graves hoſpites & ſocios, ut ſe falſis nominibus vocant, etſi non inſtantaneè evacuare, ſaltem cohibere prædicta præſidia, ne tam graves extorſiones, abductiones nobilium fratrum, uſurpationem poteſtatis abſolutæ in eos vitæ & necis, aliasq; mille oppreſſiones faciant, & accurſum Palatinatuum ad futuram convocationem non impediant. Eo tempore, faxit DEus, quo domi ſua cuivis erit ſecuritas, non tantùm ego ad exercitium muneris mei Primatialis oſtium apertum habeo, ſed plurimi inſignes & emeriti ex ſpirituali & ſæculari Ordine modo ultra limites non habentes ſecuritatem in bonis ſuis comorandi, ut ita dicam, oberrantes, aderunt in obſequium publicum & Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum. Redibunt etiam illi, quos qualiſcunq; turbo ſuſtulit è medio Confœderatorum ordinum Reipub. intuentes revolutionem ſimulq; conſiderantes memorabiles innocentis Reipub. ſucceſſus, apertum ad eos ſuſcipiendos cor, ſinceraſq; noſtras pro ſola ſecuritate & utilitate publica intentiones ſimulq; cum coadunata Rep. integritati ejus conſulent. Ut autem Illmæ Doñes Vræ advertant, moram hanc reditûs mei non provenire à voluntate, utq; agnoſcant quanti faciam judicium & conſilium veſtrum, declaro, ubi per viam licuerit, (hic enim jam eſt reſolutio) me limitibus appropinquaturum. Reciprocè Illuſtriſſimas Dones Vras per amorem Patriæ, quæ omnium charitates continet, precor enixè & obteſtor, ut ad eum finem res deducant, ut tandem ſe Reſp. per curam Vram, non ſolùm in nomine, ſed etiam corpore & ſpecie contempletur, & poſt tot ærumnas ac preſſuras, licet convulſa, & incinerata ut ſaltem in cineribus invenire poſſit antiquum ſtatum ſuum, & depoſito tam multiplici ac gravi jugo, (nam plures particulares perſonæ auſæ ſunt, audentq; id, quod nullus Regum aut Principum auderet, per indictionem & exactionem fumalium contributionum, per prælationem ſui ſuper æquales, ac ſæpe ſuper eos quos DEus & merita in Patria altius collocârunt, atq; per alios inauditos & & illegitimos contra antiquum & Patrium morem, procedendi modos)

A.C. 1709

A.C. 1709 ut inquam depoſita hácce uſurpata, non permiſſa poteſtate, unicum juxta jura liberis ſuffragiis poſſit Reſp. fundare Regnum, conculcata & ſepulta jura libertatis, æquitatis ac juſtitiæ decora ac conſuetudines innovare, & in antiquo vigore collocare, & edocta triſti experientia, ſumens ex tot calamitatibus ſtimulum, ut quàm efficaciſſimas pro ſui defenſione, pro exſolutione & manutentione Exercitûs in fide & obſequio Reip. permanentis, & ad obviandum varijs exorbitantiis aſſumere poſſit reſolutiones. Ego autem quàm primum tempus commodum & modum ſalvandarum rerum ex ulteriore cum Illmis Dominationibus Vris collatione, appromitto, quòd nullum intermiſſurus ſim momentum ad amplexum Illm̃arum Dominationum Veſtrarum, & indicendum conſilium, atq; determinanda in eo univerſarum aſſenſu in ſuſpenſo etiamnum hærentia publica negotia. Fido Deo & præfatæ Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum in patriam charitati, nec non ſpeciali, in hac rerum tempeſtate erga bonum publicum zelo, quod ingenita fortitudine & magnanimitate junctis cũ Rep. viribus poſtliminio reducetis optatum illud tempus, quod ego deſiderio deſiderando, adjungo magnis Illm̃arum Dominationum Veſtrarum pro patria conatibus paſtoralem meam benedictionem, & fraternæ me commendans gratiæ, maneo.

COPIA LITERARUM ILLUST: NUNTII AD EPISCOPUM VARMIENSEM. Opaviæ II. Junij.

Uditis per SSm̃um Dñum Noſtrum relationibus deferentibus remiſſionem contagioſæ luis tam Cracoviæ, quàm Varſaviæ, aliisq; in locis Regni Poloniæ, adeo ut ſit firma ſpes integræ extinctionis ejusdem mali in toto Regno. usq; ad gaudium ſolatus, ſicut benè cognovit, quòd Dominus DEUS reſpexerit ad preces Fidelium occaſione Jubilæi ad cælum elatas, ita Dõni V. Illm̃æ iterum committi voluit, ne ſinat populum ſuæ Diœceſis in oratione frigeſcere, quâ non eſt aptior medela pro anguſtiis reliquis, quibus ubiq; Regni Provinciæ vexantur. Dum itaq; Dõni V. Illm̃æ Sanctitatis Suæ amantiſſimas curas expono, omne ſtudium, quod impendatur in excitatione Fidelium ſibi comiſſorum ad placandam Divinam indignationem mediantibus, non intermiſſis pietatis operibus, & orationibus reſpondebit quidem menti ſuæ Beatitudinis, ſed ad utilitatem vertetur proprij laris, pro quo DEo Omnipotenti, ſi vim noſtrarum ſupplicationum inferamus, non deficiet miſericordia ejus; Dõni V. Illm̃æ interea meum cultum obteſtor, & fauſta ſibi cuncta apprecans maneo.

RESPONSUM AD EASDEM 6. Julij.

CRudelitatem fati ſic peccatis noſtris merentibus tot annis in Regno noſtro continuatam ſolatur Paterna SSm̃i Dñi Noſtri ſolicitudo; vult, jubetq;, ut abſcedat omnis de calamitate triſtitia, dum primò ad placandam juſtam DEi iram Jubilæum indulſit, nunc quò magis urgemur adverſis, eò intimiùs Nos Divino admovet Numini, & ad id ad quod nos vinculum neceſſitatis obligat, non obſcurâ affectus paterni ſignificatione, & benigniſſimâ ſuâ per Excell. V. commonitione monet, urgetq;. Implevi ego cum puſillo, & miſero grege meo prima pro viribus mandata, promptiſſimus & nunc ad continuò exequendũ, quidquid, & qualecunq; id fuerit, ſinè mora & ceſſatione faciens, quod velle

velle Suam Sanctitatem cognoſco. Credens de Divinitate propitia, quòd A.C. 1709 tandem deſideria ejus paterna, & curam circa Poloniam ſecundabit, & convertet luctum noſtrum in gaudium. Spe proinde gaudentes, in tribulatione noſtra patientes omnia vota jure merito in victimam offeremus, & illum qui omnia poteſt, cum ſummo fervore precabimur, ut longos faciat dies ſuos, & adſint illi proſpera omnia, quæ vovemus? Quidcunq; verò Excellentia V. in futurum nomine Pontificis, vel ſuo ordinabit, factum immediatè putet. Cujus me perenni gratiæ cum ſubmiſſiſſimo obſequio recommendo, & manus ejuſdem reverenter exoſculor.

MODUS RESTITUENDÆ IN ANTIQUUM STATUM PROvinciæ Pruſſiæ, tum etiam eliberandæ à Stativis, Recrutis, Tranſitibus, ac aliis vexationibus Exercitûs Reipub.

I. NOtandum eſt, quòd prætextu panis hibernalis, tum pro eodem exigendo immittitur miles Reipub. in Provinciam, & Recruta aſſignantur, per quod plurimi ſequuntur abuſus, & innumerabilia inconvenientia; Cui ut efficaciter obviari poſſit, tali, ut ſequitur, utendum eſt methodo:

2do. Sciendum, cùm Reſpub. inſtituit aliquod bellum, & conſtituit exercitum Polonicum triginta ſex millibus conſtantem, Ducatus Litvaniæ duodecim millia; Provinciæ noſtræ imponuntur ſemi-quatuor millia, vel quid ultra, & licet ſi Dñi Nuntij Terrarum Pruſſiæ tantummodo ſexcentorum millium tinſonum ſum̃am pro alendo exercitu annuatim proponant, ejuſdemq; acceptationem ad Conventum Terrarum Pruſſiæ recipiant, hoc non obſtante *imo* per repartitionem Ducis Exercitûs. *2do* per Tribunal Radomienſe memorata nobis alenda violenter imponitur ſemi-quatuor millium repartitio.

3tio Pro perſolvendis itaq; memoratæ Repartitionis ſtipendiis cogitur Provincia laudare 31 Agrarias, & 59 Acciſas cum ſummo præjudicio, & onere Bonorum Regalium, Spiritualium, & Civitatum; Quæ Agrariæ cum Acciſis nec dum ſufficient pro tali exolvendo annuo ſtipendio.

4to Aggravatio Bonorum Spiritualium, & Civitatum exoritur ex injuſta Tariffa Agrariarum ex bonis Terreſtribus proveniente. Cùm in Bonis Regalibus, & Spiritualibus omnes Cmethonales manſi aut poſſeſſi, aut deſerti, prout ab antiqua fundatione extiterunt, ita & nunc exiſtunt, & ab illis penduntur Agrariæ; In bonis verò Terreſtribus omnes cmethonales manſi in prædiales converſi, & in Tariffam non includuntur, propter falſa Poſſeſſorum abjurata.

5to Ut itaq; juſta fiat coæquatio, & proportio univerſi ſtatûs bonorum in Provincia exiſtentium juxta normam vicinorum Dominiorum ex Bonis Regalibus, & Spiritualibus & Civitatibus porriguntur exemplaria ad proportionem 31 Agrariarum, & 59 Acciſarum, tum & panis hibernalis juſtæ & adæquatæ diſpartitionis, quibus manifeſtè monſtratur, majorem numerum militis, minori onere contributionum poſſe fieri.

6to Ex Bonis Terreſtribus, ubi fertilior gleba, ex viginti manſis unus pedeſter miles; ubi verò arenoſa, ſicut in Palatinatu Culmenſi, in Terra Michałovienſi, in Palatinatu Pomeraniæ, in Caſſubia, videlicet in Diſtrictibus: Pucenſi, Mierachovienſi, Koſcierzynenſi, Tucholienſi, Człuchovienſi, & alijs ex triginta manſis unus miles expediatur; Ut autem

juſta

A.C.1709 juſta Tariffa elici poſſit, jurati Geometræ, & integræ fidei à Statibus deputandi pro dimenſione bonorum Terreſtrium, cum injunctione pœnæ per Palatinos locorum irremiſſibiliter exequendæ, ſuper corrumpentes duorum millium aureorum, & abjudicatione Nobilitatis, ſuper corrupto, capitis.

7mo. Stipendia pro unoquoq; milite aſſignanda (ut in Exemplari) centum & viginti floreni bonæ Pruthenicæ monetæ pro quatuor Quartualibus pro unoquoq; milite Pedeſtri.

8vo. Licitum erit unicuiq; Poſſeſſori tam Regalium, quàm Spiritualium & Terreſtrium Bonorum, quàm & civitatibus omne genus, & modum contributionis juxta ſuum beneplacitum eligere, dummodo illa contributio quantitati militum in bona ipſius impoſitæ ſatisfaciat.

9no. Cùm verò erectio novi exercitûs pluribus egeat, quàm conſervatio ejuſdem, expenſis, aſſignandi ſunt pro unoquoq; milite cum ſufficienti bellico apparatu ſtatuendi 20 Taleri currentes. Licitum autem erit tã omnibus in genere Poſſeſſoribus quàm & civitatibus aut in ſpecie militem armaturâ ſufficienti inſtructum Officiali aſſignato reddere, aut pecunias enumerare.

10mo. Ut autem conſervatio prædicti exercitûs efficax poſſit eſſe, aſſecurandum eſt omnibus Officialibus in anteceſſum unum Quartuale v g. ſi incipiat bellicum ſervitium à prima Maji antecedens Quartuale loco contentationis videlicet à 1. Febr. aſſecurandum erit. Circa ſtatuitionem verò militis unuſquiſq; expediens obligatus erit duo Quartalia videlicet 20 Tal. currentes Officiali ſolvere, pro alendis militibus, quos expedire tenebitur.

11mo. Cùm verò bona terreſtria ad paria cum Bonis Regalibus, Spiritualibus, & civitatibus non ſunt obſtricta ferenda onera pro erectione militum ex illis Bonis provenientium, tres in duos computabuntur, ut ex tertio milite duobus ſtatuendis cuilibet 20 Taleri currentes applicentur, quæ computatio primo anno tantummodo fiet, ſubſequentibus verò tertii militis ſtipendia, vel pro inſtauranda Artileria, & ammunitionibus, vel prout ſtatus Pruſſiæ ordinaverint, applicabuntur.

12mo. Circa expeditionem Peditatûs, etiam certus numerus Draganorum expediri debebit. Pro quorum ſtipendiis videlicet pro quolibet Dragano duo pedeſtres computandi, id eſt 240 floreni. In primo verò anno erectionis illorum tres Pedeſtres, id eſt pro erectione ſinguiorum 360 floreni, quæ ſumma in ſubſequentibus annis ſupereminens ſimiliter applicanda, & intelligenda erit, prout expreſſum eſt de expeditione ex Bonis Terreſtribus.

13tio. Vt bonum Regimen exercitûs, & conſervatio diſciplinæ militaris vigeat, eligetur à Statibus & Ordinibus Generalis Lieutenant cum duobus Generalibus Major, qui juxta capitulationem ſecum per ſtatûs Provinciæ initam rigorem obſervabit diſciplinæ militaris. Quòd ſi remiſſiùs egerit, reſponſurus juxta infra ſcriptam ordinationem. Officiales exercitûs ad recommendationem Generalis Lieutenant, per determinationem verò Statuum, & Ordinum Provinciæ conſtituentur; Colonelli verò; Vice-Colonelli, & Majores immediatè à Statibus, & Ordinibus Pruſſiæ ſive per pluralitatem votorum, ſive, ut viſum fuerit, creabuntur.

14to. Ne verò Patriotis ad bene merendum præcludatur via, licitum erit illis ſervitia peragere bellica. Nequaquam autem ad munia, vel ſuperiora promovebuntur officia, niſi priùs juxta veterem, & obſervatũ morem

morem gregarii militis obiêrint munia, & benè didicerint exercitia, cui *A.C.*1709
animadverſioni Capitanei ſub pœnis graviſſimis invigilabunt.

15to. **Kriegsrecht** ſeu Judicium militare conſtituetur contra Officiales negligentes, & obligationi ſuæ non ſatisfacientes, ut delinquens primâ vice abjudicatione Officii, ſecundariò verò pœnâ capitis condemnetur. In ſubſequentibus inſuper articulis ejuſdem **Kriegsrecht** obvia crimina, & exceſſus cum ſuis pœnis exprimentur.

16to. Vt tam Officialis, quàm Gregarius miles obligationi ſuæ ſatisfaciat, nec contra articulos militares, ob retenta ſibi ſtipendia delinquat, duplici ratâ perſolventur ſtipendia videlicet primâ Maji duo, & primâ Novembr. alia duo Quartualia, quæ in caſu contraventionis à renitentibus unuſquiſq; Officialis in loco ſibi aſſignato militari vindicabit executione.

17mo. Vt unicuiq; pateat quanta, & unde pendenda erunt ſtipendia, Tariffa uniuſcujuſq; Palatinatûs in ſuo caſtro ingroſſabitur.

18vo. Hæc integra Ordinatio per conventum Generalem Terrarũ Pruſſiæ determinabitur. Qui conventus annuatim in autumno juxta beneplacitum Statuum, & Ordinum Pruſſiæ celebrabitur, in quo omnia negotia ſtatum, & Ordinationem concernentia pluralitate votorum, ſivè calculorum determinabuntur. Licebit nihilominus unicuiq; ad quãcunq; materiam ſemel ſuum votum exprimere, etſi non intervenerit conſenſus ad calculos, ſeu ad vota deſcendere. Ne autem per multitudinem comparentium confuſio emergat, numerus Nuntiorum, videlicet ex Palatinatu Culmenſi ſex, vel 4tuor: ex Mariæburgen: duo; ex Pomerania decem, vel octo deſignabuntur. Tum ex civitatibus minoribus, videlicet Graudentinenſi, Mariæburgenſi, Derſzavienſi Internuntii deputabuntur. Hæc Deputatio nihil præjudicabit ante-Comitialibus Conventibus, in quibus licebit viritim integræ Nobilitati comparere hoc præcuſtodito, quòd nulla facultas erit in præfatis Conventibus interpretandi, augendi, minuendi, vel aliquid ſentiendi in Contributionibus, neq; quidquam caſſandi, quod actum eſt in ordinariis Conventibus, imò omni illæsâ relictâ ordinatione, de quo diſceptatio, ſolis tantùm annuis Conventibus relicta poteſtas.

19no. Commiſſio itidem quolibet anno in menſe Aprili juxta beneplacitum Statuum Pruſſiæ aſſignabitur tum pro liquidando Exercitu, tum etiam pro judicandis exceſſibus ipſius, ac pro compenſandis damnis, ad quam deputabuntur Commiſſarii ex quolibet Palatinatu duo ex Ordine Equeſtri, quæ Commiſſio juxta præſcriptum Conventûs Generalis peragetur, & omnia illius negotia per pluralitatem determinabuntur, prævio juxta præſcriptum Juramento, cujus acta ad Conventum Generalem comportabuntur. In eadem Commiſſione licitum erit Dnis Senatoribus comparere, & plenâ frui activitate, præmiſſo nihilominus, ſicut cæteri, Juramento. Ex majoribus etiam civitatibus, atq; ex minoribus tribus, ut præmiſſum eſt, ſinguli deputabuntur; tum ex Capitulis Varmien: & Culmenſi, qui etiam pari utentur activitate præmiſſo nihilominùs, ut cæteri Juramento; tempus & locus Commiſſionis ad beneplacitum Ordinum determinabitur. Præſidentia vel directio Commiſſionis circa primum Senatorem Sæcularem, qui in primo termino compariturus eſt, manebit. Et licet, ſi tractu Commiſſionis altioris ſubſellii Domini Senatores ſupervenerint, præſidens circa illum quem inchoavit actum, uſq; ad determinationem relinquetur.

20mo. In illo actu præter ſolam liquidationem & ſtipendia militaria

A.C. 1709 ria nihil aliud agitabitur. Cujus Commiſſionis actus in conventu annuo examinabitur. Quòdſi autem aliqua prævaricatio inventa fuerit, reus illius abjudicatione Officiorum, & privatione in perpetuum activitatis per edictum Conventûs punietur.

21mo. Tempore belli 4tum Quartuale videlicet Auguſti propter aliquam Officialium conſolationem non liquidabitur, ſed pro completo acceptabitur. Tempore verò pacis omnia Quartualia liquidabuntur; Ad quam Commiſſionem omnes Majores omnium legionum tempore belli cum Regeſtris comparere tenebuntur, tum & illi Officiales, quicunq; ob aliquod crimen fuerint citati, præciſâ omni exceptione. Tempore verò pacis omnes Superiores Officiales, illis tantùm exceptis, qui aliquâ Commendâ fruentur in aliquo loco ſibi commiſſo.

22do Numerus Exercitus, licet ſi in exemplari exuberet, licebit Statibus, & Ordinibus Pruſſiæ pro exigentia temporis belli, & pacis diminuere, dividere, & pro beneplacito illum diſponere.

23tio Tempore belli Exercitûs prædicti quantitas determinata à Statibus & Ordinibus Pruſſiæ ſub Regimen Ducum Exercitûs mittetur, cujus locatio in confiniis Regni evitabitur, ſed ad Stativa hibernalia in Provinciam revocabitur, niſi ſumma id neceſſitate impediente.

24to Tempore pacis integer Exercitus revocabitur, & quantitatis, tum locationis diſpoſitio vel pro erigendis novis fortalitiis, vel pro reſtaurandis veteribus applicatio ab arbitrio dependebit Ordinum Provinciæ.

25to Quodſi contigerit aliquis circa Fortalitia labor, congregatus ad præfatum laborem miles ſtipendia ex ſuis locis merebitur, proviſâ ab habitantibus loci illius laborantibus aliquâ conſolatione.

26to Civitas Gedanenſis cùm ſemper competenti egeat præſidio, duas tantùm partes expedire tenebitur, tertiâ pro præſidio relicta. Quòd ſi verò intra Provinciam, vel in Majori Polonia fuerit bellum, non tantùm totum quantum retinebit, verùm etiam tota Provincia ad nullam tenebitur expeditionem; Impoſitum autem ſibi quantum in exemplari in ſuppoſito conjungendæ Juriſdictionis Civitatenſis cum omnibus Suburbijs.

27mo In bello civili vel ſciſſione ad nullam Provincia tenebitur expeditionem, præmiſſum Exercitum in tuitionem ſui conſervatura.

28vo Quantitas etiam Exercitûs pro tuendis confiniis Provinciæ propter Prædones, Devaſtatores licentioſos relinquenda.

29no Cùm verò Theſaurariatus totaliter ſe ſuâ diſpoſitione & proventibus ſuis velit exuere, toto negotio in manus Provinciæ commiſſo aſſignari penſionem ſibi debere cenſet.

30 Antequam hæc ſunt declaranda Ordinibus Regni, *1mo* evincenda ſunt per Illmos DD. Senatores, & Internuntios ſequentia; quod ſi in Comitiis per Conſtitutionem, quodſi in Confœderatione per punctum primis Comitiis celebrandis approbandum, tum per Diploma Regium volumini legum ingroſſandum, ut Jura municipalia noſtra in integro conſerventur, collapſa reſtaurentur. *2do* ut panis hibernalis de bonis Spiritualibus & Regalibus in Provincia exiſtentibus, in cujus compenſationem major pars Exercitûs determinabitur, totaliter abrogetur. *3tio* ut Duces Exercitûs nullam poteſtatem habeant, tam pro Stativis, Recrutis, quàm Tranſitibus Exercitûs Regni extradendarum Aſſignationum, quod ſi quæ in contrarium emanaverint pro irritis cenſeantur, & inſiſtentes illis pro Invaſoribus, quos licebit Provinciæ uti prædones ex finibus

nibus ſuis propulſare. *4to* ut nullatenus Provincia Pruſſiæ ad Tribunal Radomenſe pertineat, cùm certo numero militis ſubventuram ſe Reip. declaret. Ultimo DD. Nuntiorum Terreſtrium circumſcribenda poteſtas ſub pœnis graviſſimis, ut nihil aliud liceat illis in Comitiis tractare, præterquam in negotiis communibus Reip. videlicet indicendi, vel reclamandi belli, ineundorum cum externis Principibus fœderum, concludendæ pacis & præcisâ omni poteſtate tam in negotio contributionum, quàm expediendo certo Quanto militum, toto hoc negotio ad ſuos Principales remiſſo. *A.C.* 1709

COPIA LITERARUM ILLUSTRISSIMI NUNTII APOSTOLICI AD D. EPISCOPUM VILNENSEM. Opaviæ 20 Julij.

SUM in continua expectatione conſignationis Canonici Białłozor ſive in manibus Doñis Vræ Illmæ, ſeu Illmi Epiſcopi Luceorienſis, cui facultates opportunas pro expeditione adjunxi, tum quia aliàs in ſua Diœceſi ductus fuerat captivus, tum quia pro parte Dominationis Vræ Illmæ ego ipſe monitus ſuper aliquo timore, quo adſtringebatur, ne in ſuſpicione haberetur, credidi hoc remedio omnes repugnantiæ adimere excuſationes. Pateat tamen ſibi, me eodem tempore, quo dictum Illmum Epiſcopum hoc pondere oneravi, ipſum rogâſſe quoq; ne quidquam exequendum ſuſciperet, antequam ſecum communicaret, & conferret, ut eum rectè diſpoſito conſerto conſignatio D. Canonici conſequatur. Pro hac itaq; iterum rogo Dominationem Vram Illmam ſuas curas non relaxare tantò magis, quòd jam ſuus zelus ad ſubmiſſionem perduxerit Dñum Palatinum Vilnenſem: ſive enim ſibi conſignetur, ſive Illmo Epiſcopo Luceorienſi tradatur; immunitati Eccleſiaſticæ erit proviſum, ipſiuſq; indemnitati, quam ſolùm nos præ oculis habere debemus, conſultum, & Dominationi Vræ Illmæ meum cultum obteſtans maneo, qualis verò ſum &c. Dominationis Vræ Illmæ & Revmæ cui ſupplico, ut caveat, ne promiſſioni deficiat adimplementum; nolenti etenim ut plurimum ſunt in proximo ſubterfugia, & diuturna reſiſtentia in materia tam clara non indicat bonam intentionem, adeoque denuò ſuæ conſtantiæ commendo immunitatis Eccleſiaſticæ defenſionem de mandato eſſe Ssmi, de cujus Paſtorali ſolicitudine teſtimonium in accluſis literis apertum habet, & interim me ratifico &c.

Białłozor Canonicus

COPIA LITERARUM AD REGEM GALLIÆ A REGE AUGUSTO.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Domino D. LUDOVICO XI. DEI Gratiâ Chriſtianiſſimo Galliarum, & Navarræ Regi Fratri Noſtro Chariſſimo.

AUGUSTUS II. DEI GRATIA REX POLONIÆ, &c. Arctiſſima illa Nos inter & Rempub. Polonam intercedentia Sacri Jurisjurandi vincula non permittunt nos ulteriùs publica progreſſu noſtro in Poloniam morari vota. Quapropter Juribus noſtris innixi dum felicem noſtrum in illud Regnum Divinæ bonitatis gratiâ concordibus liberrimi Populi ſuffragiis, univerſalisq; totius Reipub. aſſenſu pridem nobis concreditum apparamus ingreſſum; Partium noſtrarum eſſe cenſuimus Mtem V. de eodem re-

Reditus in Poloniam nuntiatur

ditu

A.C. 1709 *ditu certam, & participem facere, confidentes planè Mtem V. hancce immutabilis, firmiſſimæq; voluntatis noſtræ ſignificationem pergratè accepturam, juſtisq; conatibus noſtris tranquillando Reipub. Statui neceſſarijs pro congenita animi ſui magnitudine votis ſuis affuturam. De reliquo Mti V. proſperrimos ſucceſſus cum optima valetudine ex animo precamur. Dabantur in Arce Noſtra Drezdenſi die XII. Auguſti.*

COPIA LITERARUM AD INCISOREM REGNI 30 Aug.

Senatores captivati. NE miteris quòd extraordinaria innoteſcentia de abductis Senatoribus Varſaviâ, cogit me quærere, quod fuit motivum Palatino Belzenſi, eos violenter capiendi, qui ultro ſe offerebant? Convenerunt vos prius literis, & quomodo melius ſuæ poterant conſulere ſecuritati, niſi poſito charactere, quod vi armorum requirebatur. An poterant habere pulchriores faſces poſt obtentam victoriam, quàm ex unione ſtatuum? an celebriora trophæa, quàm ex aſſerta libertate Reip. an majus pretium hujus victoriæ, quàm concluſione belli inteſtini? Quid his omnibus ex parte mea potui efficacius adjungere, quàm quod feci, univerſali meo omnes ad hanc unionem animando, quæ ſola poteſt conſtituere Remp. Dominam ſupremam jurium ſuorum, appendendo ſupremo eſtato ejus ſortes meas: ideoq; non contrariabar ſententiæ Senatorum apud me præſentium, ſperans eos futuros reſuſcitatores libertatis, aſt fato dolendo fiunt monumenta ſervitutis. Non reputetis hanc eſſe expoſtulationem, novi enim nunc omnia veſtra argumenta in ultima ratione Regum fundari, omnem rationem eſſe vim victoris, quamvis non deceret nos Polonos ſubeſſe armorum exoticorum deciſioni. Nec puto Czaream Majeſtatem quærere pretium fortunatorum ſuorum ſucceſſuum in Patria noſtra, cum plenam dederit vobis, ùt audivi, libertatem ſibi ipſis conſulendi. Conſulite Patriæ privatim & congregatim Faxit DEus, ut hic ſit finis malorum, quòd Patria noſtra in ſenſus tantùm fuerit diviſa, nobis autem videtur, vos nullo fati imperio à vinculo ſangvinis eximendos. Proinde per illum nexum precor te, ut mihi intimes, quæ ſit diſpoſitio hujus nobilis victimæ pro libertate captivatorum Senatorum, cum inde ideam ſpei ſim habiturus, etſi à deſperatione de unione Reip. Nunc ſum &c.

RESPONSUM PRIMATIS, AD LITERAS ALIQUORUM SENATORUM.

BOnorum operum non poteſt interpretem agere perverſa opinio. Ipſum veritatis labium & ſi quiſpiam quàm maximè contorqueat & occludere velit, tantarum eſt virium, ut ad quamvis prævaleat echo. Quæ autem opera, qui fructus diſcordiæ ſævientis non tantùm in perſonas in nexu Sendomirienſis Confœderationis comprehenſas, ſed in ipſa capitalia Patriæ jura & libertatem, jam orbis vidit univerſus, & etiamnum id demonſtrant Tractatus Varſavienſes & Albranſtadienſes, an hæc fuêre media quærendi & aſſequendi unionem, proſcribere cives, confiſcare honores & bona eorum, aliaq; his ſimilia attentata, triſtia & funeſta. Fateor quòd poſt cladem Lewenhaupt ſub Leſzno, propoſitionem fecerim de particulari acceſſu cum domo mea, verùm an potuit, aut debuit fides mea & amor Patriæ eſſe tam frigidus, & imbecillis,

cillis, ut ei accederet. Nunc accepto magno affectu expreſſam Dominationum Veſtrarum bonam voluntatem, & cùm auxiliante Deo victorioſiſſimis armis Czareæ Mtis, hoſte devicto juſta Reip. cauſa triumphare incipiat, non modica etiam inde mihi accreſcit conſolatio, quòd tandem Doñes Vræ ab contagione receſſerint, in qua diutius ſalvæ & ſanæ eſſe non poterant. Sit DEus benedictus, quod cum tanto tempore bonitas ejus in vim rectam Doñes Vras deducere nequiverit, jam correctio ejus Paterna velut manuducat. Nos autem omnes, quos laudabilis in ſæcula Confœderationis Sendomirienſis colligatos tenet nexus, extra limites, ſicut parati eramus ſpeciali noſtra applicatione ad pacificationem Patriæ, & conjunctionem cum Dominationibus Vris, pariter & modò quietem non vindictam curamus, & charitate Doñes Veſtras vincere unicè optamus. Non numerabimus greſſus in opere pacandæ Reip. & inſtaurandæ unionis, quo ad vires & modi ſuppetent. Deo duce & zelo procedimus. Quam promptitudinem cum Dominationibus Vris, re collata cum aliis Senatoribus, offero, inſimul aſſecuro, ſi commoditas redeundi in Patriam fuerit, revertar ad ſtationem meam, & ad eum finem omnem curam meam convertam, ut quantocius in unione ſincera & ſtabili nos intueamur. Spes in Deo, quòd benedicturus ſit noſtris intentionibus &c. A.C. 1709

MANIFESTUM REGIS STANISLAI.

OMnibus & ſingulis &c. Non revocamus belli hujus infauſta initia, non exprimimus, quomodo finiri poſſit, quivis enim non immemor originis ſuæ recordari poteſt anteactorum, ad quæ libertas Patria nobis jus dedit, & juſtitia reſuſcitandi ea quæ acta ſunt, nec intendimus quærere reum qui hucuſq; Patriæ impedit pacificationem, ſolùm volumus deducere in hoc manifeſto curam & applicationem noſtram pro manutenenda integritate Patriæ, nihil aliud intendendo, niſi qua ratione juxta juramentum amiſſa jura & libertas Regni nobis à DEO commiſſi vindicanda ſint. Reor nos ea reſuſcitaturos, ſi in ſinum Reip. confugerimus, volentes eam liberam & independentem, atq; in juribus ſuis fundatam conſtituere, aſt experti ſumus, quòd in manibus eorum ſit Zelantum, apud quos pro libertate pereundi licentia. Expectavimus poſt extradita univerſalia noſtra, an aliquis in illa parte unionis & charitatis reperiendus ſit amor, verùm agnovimus quomodo ſpes unionis ceciderit per abductos Varſaviâ Senatores, quomodo vi implicetur Reſp. Potentiæ huic bello colligatæ, quomodo fomes domeſticæ confuſionis indies amplificetur, quomodo deniq; tota Reſp. ad privatos reducta, in aliquot conſiſtat perſonis. Unde cum ſciamus talem non eſſe conſtitutivam & legitimam, ſed potius ſubjectam victricibus armis, manifeſtamur contra omnes ejus actus uti nullam formam habentis, ſub Rege invaſore, cujus ruptos tractatus nobiſcum & cum Sereniſſimo Rege Sueciæ, colligato noſtro, juſtus DEus & juſtitia armorum diſcernet. Proteſtamur coram DEO & rectè ſentientibus, quòd non agnoſcentes nec videntes eam independentem & liberam, curabimus ut eam faciamus Dominam ſuorum jurium, & libertatis ſuæ ſecuram &c.

COPIA LITERARUM ILLUST: NUNTII APOSTOLICI AD PRINCIPEM EPISCOPUM VARMIENSEM 6. Septemb.

CUM occurrente vacatione pluriũ Eccleſiarũ Parochialiũ perſpectũ fuerit in earũ collatione formã à S. Cõſilio Trid. præſcriptã ſeſſ. 24 cap. 18 & à B. recordationis Pij Papæ V. cõſtitutione, quæ incipit, in

A.C. 1709 ferendis; inſtauratam in plerisq; Regni Poloniæ Diœceſibus ſervari nequaquam poſſe ob defectum Examinatorum Synodalium qui in concurſu hujuſmodi collationibus præmittendo examen promovendorum intervenire debeant, ac proinde collationes ipſas nullitatis vitiis ſubjacere. Hinc ſupplicatum Sacræ Congregationi Concilii, ut aliquo proviſionali remedio conſulere dignaretur eadem; Sacra Congregatio benignè indulſit; ut nomine & authoritate ſuis Illmis Epiſcopis, & RR. Vicariis Capitularibus reſpectivè facultatem concedam eligendi de cõſenſu uniuſcujuſq; Capituli ſex Examinatores ad biennium duraturos, qui in examinibus promovendorum ad Parochiales Eccleſias perinde adhiberi valeant, ac ſi in Synodo fuiſſent electi ita tamen, ut ſi qui ex deputatis in ultima Synodo ſuperſint, ijs etiam unà cum Electis DD. Epiſcopi, & Vicarij Capitulares utantur. Omnium verò etiam de termino biennij durante exſpiret poteſtas, ubi celebrata fuerit Synodus, quam cogere eadem ſacra Congregatio Illmos Epiſcopos enixè in Dño hortatur, & paternè admonet. Habito igitur hoc S. Congregationis oraculo illud Dñationi Vræ Illmæ ſignificare non differo; impertiendo ejuſdem nomine facultates pro electione cum ſupradictis conditionibus ſex examinatorum, juramentum ad formam S. Concilii præſtent, & dum rogo, ne velit gravari ſuper adimplemento me certiorem reddere, fauſtiſſima quæq; Dñationi Vræ Illmæ ex animo apprecans pleno cultu maneo Illmæ & Rndmæ Dñationis Vræ. Opaviæ 6. Septembris.

RESPONSUM EPISCOPI PRINCIPIS VARMIENSIS.

EX benigniſſimis Excellentiæ Vræ de data 6. Septembr. literis jure ſummo factam, maximâ laude dignam ſacræ Congregationis, cui legum diligens cuſtodia eſt, accipio deciſionem, ut ſecundùm præſcriptam formam à Sacro Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 18, & à Beatæ recordationis PII V. Conſtitutione, quæ incipit; In conferendis, Examinatores Synodales deſtinem, qui examini promovendorum ad Parochias interveniant. Mandatum hoc Sacroſanctum apud me, & debita illi obedire cupit mens mea, cùm in exequendo non liceat eſſe negligentem, nec putare parvi. Invenio ego in Conſtitutionibus Synodalibus Diœceſis meæ Martini Cromeri ante centum & ultra annos viventis eam ad mentem S. Concilij Examinatorum deſtinationem, ſed poſtea, uti omnium rerum viciſſitudo eſt, in ſubſequentibus Synodis intermiſſa ita Examinatorum nominatio, & videbatur antiquata, illa Cromeriana Conſtitutio ex non uſu meorum Prædeceſſorum. Quid verò fuerit cauſæ, & ſuſpicor & ſcio, quòd ſcilicet per fundationem Alumnatûs Brunsbergenſis à ſanctæ memoriæ GREGORIO XIII. ex inſtitutione Patrum Societ: JESU digniſſimi homines prodibant, & nunc per gratiam DEI prodeunt, ut nullum ſciam ex Parochis meis, qui non perfectus ſit Theologus; ac proinde præſumebantur ſinè rigido examine, & multa diquiſitione capaces curæ animarum. Interim tamen me meo officio nihil egreſſum fuiſſe, meum, in obſervandis ſtatutis deſudâſſe laborem, ne deficeret priſtinus vigor, ſatis operæ, ſtudii, diligentiæ, laboris adhibuiſſe, operosè egiſſe, agere, quod opus eſt ſemper, dum in Diœceſi reſidere licebat examini expoſitorum ad Ordines Sacros, & præſentationi ad Parochias cum Theologis memet ipſum adfuiſſe, in abſentia mea meum vicarium debito non defuiſſe ſuo; non ex jactantia, cùm plus in conſcientia, quàm in fama reponam, ſed ex fiducia Excellentiæ Vræ,

Vræ, & per eandem Sacræ Congregationi deferre debiti mei duco. Synodum Provincialem pridem deſtinaveram, ex lege quod eſt, proſequi volens, ſed hactenus optimæ voluntati adeſſe non poterat facultas, nam in hac calamitate Regni publica regimur magis, quàm regimus. Deſiderium tantùm ſupereſt, ut, dum ex miſericordia DEI id licuerit, officium in hoc meum (nihil eſt quod magis optem) & Sacræ Congregationis exequi nutum fas ipſum jubet, adimplebo voluntatem, & Synodũ Provincialem indicam. Interea verò exequar, & mandata non interpretabor, & ſtatim cum Capitulo meo conferam; Examinatores ad mentem deſtinabo; Vra Excellentia dignetur jubere, mihi obſequii gloria relicta eſt; cujus ſacras manus reverenter exoſculor. Dat. Heilsbergæ in Varmia, die 30. Septembris. *A.C.* 1709

COPIA BREVIS APOSTOLICI

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac Dilectis Filiis Nobilibus Viris Ordinis Senatorij & Ordinis Equeſtris in Conſilijs Generalibus Regni Poloniæ, & M. D. L. congregatis.

CLEMENS PP. XI.

VEnerabiles Fratres, ac Dilecti Filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod Vobis ſignificandum inprimis à Nobis hoc tempore videretur: Summam ſcilicet eſſe charitatem illam, quâ Rempub: V. tot nominibus inclytam, & univerſum iſtud Regnum amplam, ac præclaram Chriſtiani Orbis partem, ac magnum Romanæ Eccleſiæ præſidium ac ornamentum ex animo proſequimur, hoc ſupervacaneum eſſe ducimus in præſens commemorare, quandoquidem ex aſſiduis, ac indubijs Paterni Noſtri amoris documentis, quæ tum præſertim ad Vos perferri curavimus, cùm res Veſtræ in magna nuper perturbatione eſſent, ac in ſummum diſcrimen adducerentur, Pontificiæ Noſtræ erga Vos benevolentiæ magnitudinem Vobis innotuiſſe exiſtimamus. Nam, quæ duo potiſſimum eſſe in rem Veſtram agnovimus, ea Nos per iterata Officia Noſtra ad ſingulos Reipub. V. Ordines directa, & per Noſtros iſtic pro tempore reſidentes Apoſtolicos Nuntios, quà privatim, quà publicè monitis, ac conſilijs Noſtris Vobis ſignificare, eâdemq; hortatu ac precibus Noſtris apud Vos urgere non prætermiſimus. Quorum quidem illud primum ſemper fuit, ut integritatem & incolumitatem Catholicæ Religionis tueremini; Alterum verò ut conciliandæ ac ſtabiliendæ inter Vos tranquillitati, ac paci ſeriò incumberetis. Cùm enim in utroq; ejusmodi bono, tanquam in duplici firmiſſimo cardine veram Patriæ Veſtræ ſalutem verſari intelligeremus, nullo præclariori teſtimonio ſolicitudinem, quam de rebus Veſtris gerimus, explicare Vobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi utriusq; deſiderio animos Veſtros incenderemus. Conciliaturi autem Vobis inter tot calamitates, atq; pericula cœleſtem opem, ſine qua humana conſilia prorsùs deficiunt continenter, ac enixè efflagitavimus ab eo, qui potens eſt facere procellam in auram, ut ſubſidere juſſis æſtuantibus iſtic diſſidiorum, ac bellorum

A.C.1709 *fluctibus, optatam tandem ſerenitatem Regno redderet, ſtabilemq; inter Vos firmaret concordiam, quatenus liberis mentibus ſociatisq; animis ea conſilia, quæ communi ſaluti magis expedirent, ſuſciperetis. Et ſanè adveniſſe nunc tempus ſperamus, quo DEus velit vota Noſtra miſericorditer ſolari, & ſe propitium rebus Veſtris præbere, ſi modò oblatam Vobis occaſionem irritam non dimiſeritis; jam enim ſubmotis gravioribus difficultatibus, ac reduce ad Vos Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro AUGUSTO Poloniæ Rege Illuſtri, ſpes non obſcura ineundæ quamprimùm iſtic Pacis affulgere videtur. Agite itaq; Ven: Fratres, ac Dilecti Filij, proferte zelum Veſtrum, & ſepoſito quocunq; privato ſtudio, indemnitatem Catholicæ Fidei, & publicam Regni tranquillitatem conſtanter aſſerite, ac certi, Vos hanc ſine illa aſſequi non poſſe; id inprimis curate, ut quæcunq; abominationes, aut pravæ conſuetudines à Lutheri Sectatoribus, aut ab alijs forſan Hæreticis in Partes vel clam, vel palàm ad evertendum veræ Religionis cultum invectæ fuerunt, iſtinc quamprimùm eliminentur, hoc enim pietatis ſtudio & fervore ac talibus hoſtijs conciliabitis Vobis divinam opem, quam præterea deſiderijs Veſtris affuturam, & perennem Nomini Veſtro laudem acceſſuram eſſe certè Vobis pollicemur; dum Ven: Fratres ac Dilecti Filij Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 21 Septemb. 1709. Pontificatûs Noſtri Anno IX.*

Ulyſſes Joſ. Card. Gozzadinus.

CXXX.

ANDREAS CHRYSOSTOMUS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS VARMIENSIS &c.

VNiverſo tam ſæculari, quàm Regulari Clero, populoq; Diœceſis noſtræ Varmien. Devoto fideli ſalutem in Domino, & Paſtoralē benedictionem. Pontificis pro hominibus in iis, quæ ſunt ad DEū conſtituti, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis aſſumpto officio ad placandam Divinam Majeſtatem delictis noſtris offenſam, & antevertendam plagam mortis inſanabilem, dum cervicibus noſtris jamjam appropiaret Angelus percutiens, qui ab anno & ultra populoſiſſimas vicinas proſtravit, & etiamnum inceſſanter proſternit civitates, ac loca omnibus nota, fruſtraneâ compertâ vigilantiâ humanâ, niſi ipſe Dñus cuſtodiêrit nos, nec niſi deſuper, & præprimis ab eo, qui pro nobis exaltatus in medicinali Crucis arbore ſeipſum poſuit ſacrificium, oblationem, & hoſtiam placationis, cujus amoroſo conſpectu omnes à ſerpente ignito icti ſanarentur & incolumes ſervarentur, ſupereſſet auxilium, noſtro, veſtroq; conjunctim nomine; quos Divina bonitas ſalvos in fide, & dilectione ſua conſervet, votum vovimus DEO cœli, & Domino mortis devictori in cruce exaltato extruendæ novæ aræ, quàm etiam in centro hujus Diœceſis, puſillique gregis noſtri in aperto campo propè hanc reſidentialem Civitatem noſtram Heilsbergam extra muros intra limites Parœciæ hujus citra cujuſquam præjudicium, ex quo celeriori modo inter ſummè turbidorum temporum, & depreſſarum for-

narum

tunarum anguſtias fieri, vel exordiri potuit, auxiliante eodem Domino, eo in loco, qui ſub miſerandæ aut derelictæ crucis nomine, & effigie non ſine ſpecialium gratiarum experimento devotè à piis Chriſti fidelibus frequentabatur, in forma templi exſtructam, & erectam hodie ſolemniter in cleri & populi frequentia ritu conſecrationis ſolito dedicavimus ſub titulo Exaltationis Sanctæ Crucis. Quod Feſtum Exaltationis S. Crucis alioquin duplex majus ut etiam deinceps ſtabiliter in tota Diœceſi hac Varmien. ad populum devotè celebretur, diem Dominicā proximam poſt octavam B. Virginis MARIÆ deſignare in Domino placuit, atque ad eum locum, & diem immediatè dictum, nec non pro die Feſto Inventionis S. Crucis à S. Sede Apoſtolica expetere, & obtinere indulgentias plenarias verè pœnitentibus, & converſis ad Dñum DEum, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut vivat DEO miſerenti ſummo bono impetravimus. Dominus iratus eſt populo ſuo, & ſigna ſunt evidentia æquè, ac terribilia iræ ſuæ, quæ ita ex omnibus apparet partibus, ut dubium ejus nullum relinquatur. A tot annis affligimur infelicitate crudelis belli, ſenſimus rigorem frigoris exceſſivi, unde infirmitates periculoſæ, & extremæ miſeriæ; terra renuit providere nobis ad vitam alimenta, & videtur minari maledictionem, quâ eſt percuſſa poſt peccatum primi noſtri Parentis. Ad extremum non audimus, nec videmus ſecundùm verba Jeremiæ non niſi planctus, non niſi gemitus miſeri populi, qui panem petit, non niſi timorem proximæ famis, & aliarum punitionum, quæ funeſtè ſubſequuntur; unde venit diluvium tot calamitatum, quod inundat terram? nónne de corruptione iſta univerſali? quæ regnat inter homines, nonne de multitudine peccatorum noſtrorum? quæ in dies augentur? quæ in tantum excreverunt, ut eripiant è manu DEI tam miſericordis ingentia hæc, ſed juſta flagella, quibus noſtros punit exceſſus; nónne propter eam cauſam, quòd ſuperabundaverit iniquitas, pluit ſuper capita noſtra nocentia abundantiam infelicitatum? Et ſi frigus, & rigor præcedentis hyemis ſuffocavit maximam partem ſeminum terræ, nónne ideo? quòd Charitas non tantùm eſt refrigerata, ſed etiam extincta in cordibus multorum. Quia verò DEus plenus bonitatis, & Pater miſericordiarum non punit nos, niſi peccatis noſtris adactus, exercetq; juſtam ſuam vindictam; idq; niſi ut cogat nos, quatenus ad eum revertamur, & ut nos ponat in ſtatu clementiæ ſuæ, & miſericordiæ. Promiſit enim nobis ore Prophetarū, quòd ſi convertemur ad eum ex toto corde noſtro; ſi obſervabimus Divinam ſuam legem, providebit abundanter neceſſitates temporales, dabit fœcunditatem terræ, ſuppeditabit, quidquid eſt neceſſarium ad conſervationem vitæ temporalis, quæ non eſt nobis data, niſi ut laboremus pro acquirenda illa æterna, & immortali. Revertamur ergo ad Dominum, invocemus eum, nam propè eſt; Pater noſter eſt; cura & ſolicitudo ejus extenditur ſuper omnes creaturas: Dat eſcam animalibus, ſuppeditat volatilibus proviſionem, quam petunt, non denegabit & nobis eandem, qui filij ejus ſumus. Exire fecit quondam aquam abundantem ex petra per manum Moyſis in favorem ſitientis in ſolitudine populi; poteſt etiam emittere ex ſinu terræ ſemina, quæ retinet; poteſt ſine dubio, & ſperandum eſt, quod faciet, ſi confidimus in Divina ejus providentia; ſi ceſſamus murmurare, & eſſe increduli. Appropinquemus ad thronum clementiæ, proſternamus nos ante divinam ejus Mtem, imploremus gratiam, precemur corde contrito, & humiliato, ut miſereatur noſtri. Conſtringamus eum ceſſando à peccatis, mutando vitam, de-

A.C. 1709

Calamitates variæ.

A. C. 1709 teſtando vitia, ut avertat à nobis terribilia flagella, quæ minatur; non deſiſtamus implorare ejus bonitatem, lachrymis & ſuſpiriis, ſincerâ pœnitentiâ, ut det nobis panem, quem ab eo petimus, tanquam à Patre noſtro Cœleſti. Non vult nos ille perdere, ſed periculis erudire, ut uſu docti intelligamus, quàm infirmæ ſint ſpes noſtræ, quoties aut noſtris viribus, aut præſidiis nitimur humanis. Confugiamus ergo ad Aram miſericordiæ ipſius, qui nobis in loco habitationis noſtræ ſingulare erexit cornu ſalutis de ſalutifera S. Crucis ſuæ, & paſſionis memoria; extirpemus omnem malitiam, & ſuperbiam ex corde noſtro, humiliemur contriti in conſpectu Domini; emendemus quæ ignoranter peccavimus, ambulemus, & ſerviamus ipſi in timore incolatûs noſtri, & novitate Spiritûs excitati ad currendum vias mandatorum ipſius, ut ſub præſidio S. Crucis ab omnibus liberemur adverſis, & infelici morte; à cruci affixo reis conceſſa venia, piis adaucta gratia: quem venientem judicem, dum in nube parebit ſignum filij hominis læti aſpicere mereamur. DEus pro ſua providentia tantos terrores, ærumnas, pericula ab hoſtibus opponi ideo videlicet ſinit, ut noſtros ſpiritus frangat, animos domet; noſque ad ſubmiſſionem, & humilitatem erudiat. Illos quocirca, quibus incumbit cura, verbô & exemplô erudiendi populi hortamur in Domino, ut ſub hocce graviſſimo metu & amaritudine, quâ undiq; replevit nos Dominus, & impendentis nobis iræ deſuper tot jam præſagiis, & monitis ſupernis nobis præparati, & indicti acerbioris flagelli doceant confugere, per veram pœnitudinem ad aſylum, & locum ſalutis votivum crucifixi DEI, ſi fortè reſpiciens rectos greſſus ad ſe venientis ſeu revertentis, & poſt tergum retrorſus abjicientis peccata ſua populi, nec nova accumulantis exaudiat nos, & propitietur, ne pereamus. Volumus autem ut in Eccleſiis univerſis certum hoc in afflictionibus noſtris ſolatium populo proponatur, & ad devotionem ad JEſum Crucifixum in hoc dicto loco excitetur, ut flagella imminentia belli, peſtis, & famis deprecari queat. Quod per curſoriam ſolitam denuntiandum omnibus eſt, utq; id primo poſt receptionem earum, feſto, populo intimetur, commendamus. Datum in Arce Nra Heilsbergenſi 30. Septembris.

PETRO KCZEWSKI PALATINO MARIÆBURGENSI.
Heilsbergâ 12 Octobr.

DE itinere meo pro Capitulo præterito Plocenſi nuntiavi tibi; ſicuti & de liberalitate Dñi Palatini Siradienſis, qui ſex millia floren: pro Miſſione Regiomontana in paratis miſit.

Scriptum contra reditum Regis AUGUSTI meo judicio per Vice-Cancellarium Litvaniæ ego etiam habui.

Viſitavit me Palatinus Vilnenſis, qui tanquam in ultimo ærumnæ cumulo deſperat (magnus ſibi ipſi non facit finem dolor) nam inimici ſunt multi, invidi penè omnes; In conſilium eorum non venit unquam anima mea & in cœtu illorum non ſit gloria mea.

Libenter te habuiſſem pro 30ma præteriti; Conſecravi enim Capellam ex voto ædificatam Heilsbergæ.

Jam ſcio Matrem Regis Stanislai (impatiens medicus pejor eſt morbo) cum Aula ſua Elbingam Gedano tranſiiſſe, & quidem modo particulari, quanquam communiter rerum viſarum, vel auditarum jura, & etiam ultra rem adjungere ſolent. Reſciverat illa D. Comendantem Elbingen-

bingenſem non libenter eam Elbingam intromittere velle, hoc artifi- *A.C.* 1709
cio uſa eſt; (miſeria iſthæc, miſeria eſt) accepit literas paſſûs Mariæburgo, tanquam pro Mercatore cum uxore ſua, & in curru cum mercibus pleno (quod ferebat tempus, & monebat neceſſitas) civitatem ingreſſa eſt, & tunc primùm ſe declaravit; (præſtat periculum ſemel ſubire, quàm cavere ſemper) Jam enim Thorunij Saxones eſſe ſcivit; Stultitia eſt ei te eſſe triſtem, cujus poteſtas tantum poteſt ubi Commiſſarius Bliwernitz plurimum ſiliginis, & avenæ congerebat. Pons autem exſtruebatur ſub Plocko, forte ad evitandos Suecos.

Cùm ſciam jam Regem AUGUSTUM eſſe Thorunij, &, quòd illum Rex Pruſſiæ Kwidzinij ſperaret, determinavi iter versùs Suã Mtem, nemo me ergo accuſabit merito meo, cùm hoc ſit neceſſitatis, & voluntatis, nam ibi invenire volui ſcopum ſalutis, & quietis privatæ; &, cùm ſpes offertur, metus intenditur, ne de nobis triſtis ſententia feratur, timeo enim ne ſubjaceã Seren: Czari edicto in Univerſali expreſſo. Proinde hodie hinc moveo, ſperoq; te me viſurum; Facies ea credo, ibidẽ quæ ut faciam, mihi ſuades, ipſe me conformaturus ad voluntatem ejus, à quo honeſtè diſſentire non poſſum. &c.

DENUNTIATIO ADVENTUS REGII.

NOS Conſiliarii Regni & M. D. L. qui copioſè ex Senatu & Equeſtri Ordine latus S. R. M. in præſentia M. D. Staniſlai Comitis Donhoff Enſiferi Regni Mareſchalci Generalis Confœderationis Sendomirienſis Ordinum Reip. inſeperabili ſemper, ac memorando ad Poſteros zelo, circa tuitionem Majeſtatis ac libertatis cum diſpendio propriarum fortunarum convenimus.

Omnibus & ſingulis, quorum ſcire intereſt, ſignificamus, quòd cum Ss. Rex AUGUSTUS II. poſt extortum viciſſitudine ac neceſſitate rerum ad hæreditaria dominia abitum, feliciter ad commiſſum ſibi à DEO & libera gente Regnum rediit, huncq; optatum reditum per literas univerſales promulgavit, invitando nos pro defenſione Mtis Suæ & integritatis Reipub. Nos probè expendentes expreſſas in hoc S. R. M. Univerſali juſtas rationes & motiva & ſufficientes in fundamento jurium noſtrorum radicatas præteritorum explicationes, ſimulq; jurium & libertatis noſtræ aſſecurationem, videntes præterea velociorem & feliciorem calamitatum Reipub. non poſſe eſſe finem, nec ſecuriorem defenſionem, niſi unanimiter S. R. Mti adhæreamus, tanquam Domino legitimo, benefico, & in charitate omnia diſponenti, quod ipſum jam multi Palatinatus, terræ & Diſtrictus, ipſumq; Tribunal Regni, per publicam ad S. R. Mtem ablegationem, judicio & plauſu ſuo probarunt, & firmarunt, prout etiam Duces Regni, qui in his omnibus inauſpicatis Reip. conjuncturis, illibata fide, infractâ conſtantiâ, ſanis conſiliis, & incomparabili fortitudine integritatem jurium, & Patriæ libertatem cum diſpendio fortunarum, cum toto exercitu Regni heroicè, & indefeſſe tutati ſunt, & modò cum eodem exercitu in tuitionem S. R. Mtis & throni ejus advenerunt, propter has rationes acceleravimus in obſequium S. R. Mtis, volentes & appromittentes, Mtem, dignitatem & ſecuritatem ejus, prout genuinos decet Polonos tueri & pro ea pectora opponere. Quemadmodum autem huc convenientes intelleximus, quòd per totum hoc tempus loco ſolùm disjuncti eramus, intentionem autem verè S. R. Mtas continuandæ poſſeſſionis Dominij ſui ſecundùm jura noſtra,

noſq;

*A.C.*1709 noſq; præſtandæ ipſi fidei quàm proximi eſſe optavimus, quæ omnia in futuro volente DEO, generali congreſſu quem S. R. Mtas poſt finitam bellicam expeditionem ſe indicturam, præmiſſis in anteceſſum comitiolis, declaravit, luculentius ſtatibus Reip. patebunt; ita abſtruſam vi fatorum mutui hujus propoſiti, intentionis & voluntatis conſcientiam in lucem publicæ cognitionis MM. Dominationibus Vris & fratribus edimus, certi, quòd MM. Dominationes Vræ grato animo accipient reditum ad nos S. R. Mtis & declarationem noſtræ lateri ejus adhæſionis.

Et quoniam Celſiſſimus Princeps Stanislaus in Slupova Szembek Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Primas Regni, & M. D. L. (qui in hac deſperata Reip. plaga & inter tot præcipites caſus decus publicæ fidei animiq; conſtantiam illibatè conſervando, maturo conſilio & ſalutari in publicum cunctatione reſtituit rem Polonam æviternâ nominis & facinorum ſuorum gloriâ) adhuc dum ob defectum ſecuritatis redire non potuit, unde volentes ſervatam authoritatem & dignitatem Primatialē, rogamus eundem, ut in reditu ſuo non dilato in Patriam, ſimilibus ſuis innoteſcentiis reditum S. R. Mtis ſtatumq; præſentis Reip. ſub auſpicijs Regnantis Domini juxta normam præteritorum temporum, in toto Regno Poloniæ & M. D. L. promulget, ſimulq; lateri ejus pro conſilio adeſſe velit. Interea inſtrumentum hoc propriis manibus ſubſcriptum typis edendum & juxta morem publicandum commiſimus M. D. Mareſchalco Generalis confœderationis. Actum Thorunij 21 Octobr.

MEMORIALE AD CONFERENTIAM CUM MINISTRIS CZAREÆ MAJESTATIS.

Quandoquidem Reſpub. initum cum Czarea Mte fœdus in omnibus ſacroſanctè ſervavit, cum apprecatione obtentæ victoriæ de communi hoſte, ad quam hæc Reſpubl. ex parte ſua, & detentione Kraſſau, Stanislai, & Palatini Kijoviæ per exercitum ſuum non parum auxilij contulit, expedit ſatisfactionem tractatûs flagitare in his punctis. Executio ex parte Czareæ Mtis deſideratur.

Et primo quidem fœdus hoc obligavit Czaream Mtem ad ſuccurſum Reipub. in 12 millibus auxiliaris exercitus ſub directione S.R.Mtis, alendi ſumptibus Czareæ Mtis, modò autem per aliquot annos aliquot dena millia portionum in equeſtrem & pedeſtrem exercitum Czareæ Mtis exhauſta Reſpubl. in Polonia & Litvania cum magno ſuo damno providendo etiamnum modò ſub eodem jacet onere. Proinde Reſpub. precatur Czaream Mtem ut compatiatur ruinæ ſuæ, educatq; hunc exercitum ex viſceribus regni & M. D. L. relicto numero in pactis expreſſo, non enim eſt poſſibile, ut pauperes homines fame morientes tantæ multitudini alimenta ſuppeditare poſſint, nec opus eſt pluribus copiis, quandoquidem Reſpublica ſi exercitui Sacræ Regiæ Majeſtatis ſuum & peditatum Moſchoviticum in pactis expreſſum jungeret, cuivis hoſti par eſſet reſiſtendo.

Sine notitia Czareæ Mtis fieri debet, quòd aliquæ civitates in Palatinatibus uti Lublinum præter commeatum adigantur ad ſummas pecuniarias, quod per exercitum Czareæ Mtis templis, Monaſteriis & aulis Nobilium nulla ſecuritas, ſacerdotes, Religioſi, Nobiles verberati, inhoneſtè tractati, equi jugales, greges, & armenta ſub titulo poſtæ & angariæ adēpta, ſtabula juvencis & ovib⁹ evacuata. Tranſitus præterea in viis

viis haud ſecurus, nam milites Czareæ Mtis ſine diſtinctione perſonarũ per rapinas & ſpolia neceſſitatibus ſuis provident. Rogat itaq; Reſpub. Czaream Mtem, ut compatiendo pauperibus incolis, qui ſervando fœdus ſanitatem & fortunas amiſerunt, oppreſſiones haſce tollere velit, & ſiſtere lacrymas inopum cœlum penetrantes, ut diſcrimen ſit inter manus amici & inimici. Sciendum autem quod Anteceſſores noſtri ante ſeſqui centenos annos, ſub hæreditariis adhuc Regibus hujus oppreſſionis jugum excuſſerint, ne ullo prætextu ab eis angariæ & commeatus exigerentur, præſertim ut in domibus ſuis & viis multò magis in locis DEo ſacratis ab omni qualicunq; infeſtatione eſſent ſecuri, quo effecerunt, quod Nobiles ab hoc ſemper fuerint immunes, ut nec Regibus in hoc ſit conceſſa poteſtas. *A.C.1709*

Ukrainæ cum Bialocerkienſibus tormentis reſtitutio toties declarata, & ad reditum S. R. Mtis, ac pacificationem tumultuum in Dominiis Czareæ Mtis dilata, nunc expleri debet, cùm Rex Seren: intra limina Regni feliciter ſubſtiterit, & Rex Sueciæ Bendero per Valachos actu in Hungariam tendat, uti ex Valachia certæ literæ informant. Rogat itaq; Reſpub. impletionem hujus puncti habens proprium militem ad manutenendam hanc provinciam, ſimulq; evacuationem nullo jure occupatorum fortalitiorum, ac bonorum, maximè Miedzyrzecij & Polonnij, quæ ut legitimæ poſſeſſioni hæredi D. Succamerario Regni reſtituantur, inſtat Reſpub. eandem inſtantiam defert de Brachilovia & Bychovia.

Exercitus Reip. in aliquot expeditionibus ſine reſpirio, & in præſenti per 18 menſes inſtanter operando, cùm nec ſtipendium, nec hyberna ſtativa habere poſſit, rogat ut declarati per tractatum ex theſauro Czareæ Mtis milliones in integro numerentur.

In proventibus teloniorum notabile Reſpubl. paſſa eſt damnum, quòd Mercatores cum mercibus tranſiverint limites Poloniæ ſub protectione Dominiorum Czareæ Mtis, in quo à præterito ſatisfactionem, in futurum autem ſeverum decretum petit Reſpub.

Coæquatio univerſalis monetæ utriusq; gentis valde neceſſaria eſt, unde cum per experientiam conſtet, quod tymſo Polonicus tantum habeat argenti, quantum 15. kopiki, ut igitur hic decreto Czareæ Mtis promulgetur inſtat Reſpub.

Siquidem omnes unum corpus Reipub. conſtituunt, id eſt, tam illi qui in confœderatione perſeverarunt, quàm illi qui quidem receſſerant, nunc autem ſaniora conſilia ſequuntur, ac proinde omnium bona velut perpetua Reip. patrimonia ab oneribus libera eſſe debeant, diſtinctè tamen pro bonis regalibus, & ſpiritualibus quæ jure naturali & antiquo ad alimoniam exercitus Reip. & ſubſiſtentiam ejus pertinent, uti etiam pro bonis Equitum in confœderatione bene meritorum, Reſpub. inſtat apud Czaream Mtem, petens, ut in hiſce bonis exercitus ejus nullam audeat extendere exactionem, multò minus ſubſiſtentiam prætendere.

Tormenta ex fortalitijs Reip. adempta, ut Brodoviâ, Dubnâ, Olygâ, & ex Litvania, Slucco, Mochiloviâ, Bichoviâ, aliisq; quibus Duces præſidiarios imponere intendunt, ut Czarea Mtas jubeat reddere juxta aſſecurationem in multis declarationibus datam, petit Reſpub.

Varia navigia in Viſtula detenta, quandoquidem plures quadragenas ſine ſuſpicione contagionis ſuſtinuerunt, ut poſſeſſoribus ſuis relaxentur & reddantur, requiritur.

Pro finali petit Reſpub. Czaream Mtem, ut relinquatur circa ſupremum & Cardinale jus Dominij ſui, id eſt ut deſiſtatur à ſequeſtrati-

one

A.C.1709 one perſonarum, quæ hactenus partes adverſas ſecutæ, redeunt ad obedientiam Seren: Regis, ſiquidem Reſpubl. futurorum provida jam in Confœderatione Sendomirienſi contra tales judicium conſtituit, putatq; illud ſufficiens fore ad ſatisfactionem injuriatorum, proindeq; ut ſequeſtratas varias perſonas in ſuis terris, maximè Principem Michaëlem Wiſzniowiecki, pro quo Reſpub. jam per Legatos inſtabat, Czarea Majeſtas dignetur eliberare, eadem Reſpub. inſtantiſſimè petit, inſimul ut à perſecutione Excubitoris Regni abſtineatur, utq; bona ejus ab exercitu Czareæ Majeſtatis libera ſint, inſtat Reſpubl. & in ſuum id recipit judicium.

Non poſtremæ Confœderationis recenter diſſolutæ exorbitantiæ, deprædationes & homicidia in Palatinatu Braclavienſi, circa vineas & in vincinia, ubi nulla ſecuritas in domibus Nobilium, ſicuti recenter Dñum Daſzkowski cum uxore & filiis occiderunt, ſubſtantiam abduxerunt, in pagis, & viis infeſtationes plurimæ & latrocinia, ideo ut horũ Nebulonum, quos Reſpub. ad pœnas trahere intendit, Czarea Mtas protectionem prohibeat tam Duci exercitus Zaporovienſis quàm aliis præfectis, petit Reſpub. Facilè autem his omnibus obviabitur, ſi ſine dilatione ulteriori Ukraina poſſeſſioni Reipub. reddetur.

Quandoquidem notitia venit de cæſis Suecis in limitibus Valachiæ per exercitum Czareæ Mtis, proinde cùm non videatur ultra neceſſarius hic exercitus in Podolia & Pokucia, rogat Reſpubl. ut hæ terræ totaliter evacuentur.

Notum orbi Polono juſtum intereſſe ex injuſta deprædatione cimeliorum & domeſticorum ornamentorum proveniens Dñæ Zachorowska Caſtellanæ Volhiniæ per Kalmucos & Coſacos Danicos facta, variis legatis ſatisfactio ſed citra effectum fuit commendata, cùm ſine recompenſatione intepeſcat, commendatur meliori determinationi damnorũ, ne diutius in ſteriles curas in tœdioſa maneat expectatione.

Prætenſio Caſtellani Lubaczewski, tot publicis legationibus fulta, in tam gravibus ejus deſpoliationibus, hucusq; ſuam non habet ſatisfactionem, cùm pro acceptis ſesqui ducentis millibus, non ſint dati niſi ad rationem quingenti Rublones, reſiduum hucusq; manet in promiſſis.

Accepta Dubnæ notabilis ſupellex Dñæ Succamerariæ Regni, nec non depoſitum Capitanei Wlodzimciſcenſis, quòd hucusq; non ſint refuſa, juſtum dolorem & injuriam Reſpub: demonſtrat.

RESPONSUM Ad PRÆMISSUM MEMORIALE die 11. Octobr.

Quod attinet conſervationem initæ colligationis Czareæ Mtis, quodq; ei ſatisfactum ſit, gratificatur, contentaq; eſt, quòd cum auxiliaribus copiis Suæ Czareæ Majeſtatis detinuerint.

Ratione autem auxiliaris exercitûs, Czarea Mtas ſatisfaciendo colligationi, eundem exercitum ipſo neceſſario tempore, cum hoſtis cum omni potentia in viſceribus dominii ejus eſſet, miſit ſub directione Generalis Mareſchalci Goltz ad defendendas Dominationes Vras ab hoſte ne eas committeret diſcretioni hoſtili & ab ultima ruina defenderet, devicto autem hoſte ſub Pultava victorioſiſſimis armis Czareæ Mtis, habitaq; notitia de Generali Suetico Kraſſau, quòd adhuc in Polonia hoſpitaretur, ac quovis momento plures copiæ ad eum accederent, cui Regni & M. D. L. exercitus non poſſent dare repreſſalia, cum eoq; confligere, aut ex Polonia eliminare, niſi junctus prænominatis auxiliaribus copiis

copiis Czareæ Mtis, ne igitur ille magis roboraretur, aſt vel cæderetur *A.C.* 1709
vel ex Polonia pelleretur, ideo Czarea Majeſtas juſſit aliquot cohortes Equitum ſuorum tendere in Poloniam, ut jungerentur præfato exercitui priùs in ſuccurſum miſſo, antequam ſciretur de abitu Czareæ Mtis. Cùm autem hic hoſtis audivit de adventu exercitûs Czareæ Mtis ſecedere coactus eſt in Pomeraniam Sueticam. Et quamvis exercitui Regni poſſibile erat exitum impedire ante adventum exercitûs Czareæ Mtis, id tamen factum non eſt. Quid deſiderant ſtatus Reip. ut exercitus Czareæ Mtis educatur ex Polonia, utq; ſolùm remaneat numerus in colligatione expreſſus, nimirum 12 millium, ipſæ Dominationes maturum ſuper hoc poſſunt ferre judicium, quomodo poſſibile ſit in tali reſolutione hunc exercitum, qui tantum iter à Pultava pro Regni defenſione ſuſcepit, iteratò hoc iter remetiri poſſit. Aſt expedit ut Dominationes illis compatiantur, & pro defenſione armis Czareæ Mtis à communi hoſte jurium & libertatis, præſtito auxilio pro reſtitutione in thronum legitimi Principis, curam habeant hujus exercitûs, ut quiete fruantur in conſiſtentiis, habeantq; neceſſariam annonam & pabulum poſt tot exantlatos labores & itinera, utq; poſſint refectis viribus iteratò fortiter agere contra communem hoſtem, cùm non ſit certum, an hoſtis non poſſit reſtaurare vires, & pro vere in Poloniam irrumpere. Si autem ſequenti expeditione hoſtis in Poloniam non irruet, nec aliud periculum apparebit, tunc Czarea Mtas relicto numero exercitus in fœdere expreſſi, reliquos jubebit excedere, quo eis contra hoſtem opus habebit. Quod autem dicant in aliquibus Palatinatibus aliquot civitates & oppida præter commeatum aggravata eſſe pecuniariâ contributione, ad id reſpondetur: quòd ab aliquibus locis, quorum incolæ comeatum dare nolebant, Commiſſarii modicam ſummam exegerunt pro eodem commeatu cöemendo. Quod autem ſcribant, ruinam factam in Polonia ab exercitu Czareæ Mtis, hujus nullum adferunt documentum, quis. ubi, aut cui aliquam intulerit ruinam, hujus autem mentionem non faciunt, quot de exercitu Czareæ Mtis in viis ab adverſariis interfecti, nec ullibi liberum tranſitum habent, contra quos adverſarios Reſp. deberet judicium formare, juſtitiæq; inſiſtere, has inſolentias non concedendo, quandoquidem ab iis datur occaſio exercitui Czareæ Mtis contentionũ cum incolis Reip. Si autem quiſpiam ex exercitu Czareæ Mtis præſumeret aliquid inſolentius agere contra edictum ejuſdem Mtis, id cum certis documentis deferatur Generali Mareſchalco Principi Męzykow, aut ſi alibi contingeret, gubernium habentibus Generalibus, qui in mandatis habent inſolentes & reos juxta judicia puniendi. Quandoquidem univerſo exercitui ſevero edicto intimatum eſt, ne ullam injuriam aut ruinam genti Polonæ inferant, ſub interminatione ſeveri ſupplicij, hæc autem edicta etiam modo ſunt iterata.

Ratione commeatuum & pabuli, hæc cum plena potentia à Republica ablegatus Palatinus Culmenſis Dzialynski ad Czaream Mtem declaravit in conſtitutione colligationis, Ipſiq; Illmi Dñi Proceres à Rep. pro conſiliis deputati commeatum hunc pro exercitu Czareæ Mtis conceſſerunt, in quo nunc poſt defenſionem ab hoſte non deberent contrariari, ſiquidem hoſtis centies plura cum magna illorum ruina accepit & prætendit.

De reddenda Ukraina. Quandoquidem Czarea Mtas apud Sereniſſimum Regem & inclytam Remp. relinquere vult extraordinarium cũ omni plenipotentia Legatum, intimum conſiliarium & Equitem Principem

A.C.1709 cipem Gregorium Federowicz Dolhoruki, ideo eidem in mandatis dedit in futuris comitiis, vel generali conſilio nonnulla negotia Sereniſſimo Regi & ordinibus Reip. pertinentia ad ejus & Reip. commodum patefacere, & ſi optatam propoſitionum ſuarum impletionem & ſatisfactionem obtinebit, habet idem Legatus facultatem à Czarea Mte hæc loca in Ukraina reddendi. Quod autem concernit Polońium, Miedzyrecium, Brachtloviam, nunquam Czarea Mtas hæc loca ſibi occupavit, nec ea ſibi prætendit. Unde ſi Sereniſſimus Rex ſecundùm judicium Reip. hæc adempta adverſariis ſuis, alicui de ſe bene merito in poſſeſſionem tradere dignatus eſt, Czarea Mtas id impedire non poteſt. In reddenda Bychovia Czarea Mtas ſic faciet, ſicut Ordinibus Reip. nuper in generali conſilio Lublini juxta eorum deſideria manifeſtavit.

De auxiliaribus pecuniis pro exercitu Regni, Czarea Mtas nunquã contradixit eas pro exercitu Reip. dare, ſicut etiam in hac expeditione factum, etſi præter expenſas incomparabiles difficultates bellicas habeat, etiam in poſterum conſideratis meritis exercitûs Regni in hoc contrariabitur, dummodo juxta declarationem exercitûs in campo ſiſtatur, & actiones bellicas, ut decet, obeat.

De teloniis à mercatoribus diſcedentibus per Dominia Poloniæ jam eſt extraditum mandatum à Czarea Mte ad exercitum, ne huic rei ſe immiſceant, & concreditum Illmo Palatino Belzenſi ſupremo exercituum Regni Duci.

De moneta currenti Czareæ Mtis, poſſunt ipſæ Dominationes advertere, quòd etſi moneta Roſſiſcenſis parva ſit, ex probato tamen conſtat argento non tali, quale eſt in tynfis, in quibus parum argenti invenitur; unde pertinet ad ordines Reip. ut Roſſiſcenſis moneta in Regno Poloniæ ubiq; ſine difficultate acceptetur, & ut pro tynfo non accipiantur 15 Kopikæ, ſed ſicut olim 12 vel ad ſumum 13, ſimiliter ut ſuper hoc mandatum mittatur ad mercatores & incolas.

Quod autem ſcribant, unum corpus conſtituere tam eos qui in confœderatione fuerunt, quàm eos qui adverſæ parti adhæſerunt, nunc autem revertuntur, Czarea Mtas debet diſcrimen facere inter eos, qui ejus erant amici & confœderati, cum ijsque velut cum amicis procedere, benignitatem & gratiam ijs exhibendo, & inter eos qui hoſtes ipſius erant & adverſabantur, vel etiamnum adverſantnr, ac cum his velut cum hoſtibus procedere, cum id non tantùm externis, ſed etiam unius gentis hominibus in toto mundo fieri ſoleat.

Ratione ſubſiſtentiarum hybernalium, de hac Sereniſſimi Regis relatione conferre poteſt Princeps Męzykow Mareſchalcus cum Ducibus Regni, diſpoſitionemq; facere, quod idem Princeps in commiſſis habet.

Ratione tormentorum ex locis Reipub. quibus hoſtes aut adhærentes ejus non ſunt uſi contra exercitum Czareæ majeſtatis, reddentur juxta primam declarationem. Quod autem Ordines Reipub. in memoriali ſuo ſcribunt, & deſiderant, ut à ſequeſtratione eorum, qui adverſæ parti adhærebant, ceſſetur, etiam ſuper hoc mandatum dare dignata eſt Czarea Mtas prænominato plenipotentiam habenti legato ſuo Principi Dolhoruki in futuro Generali conſilio proponendi & ſatisfactionẽ de iis, qui palàm & occultè hoſtes erant Czareæ Mtis, & contra exercitum ejus bellabant, exigendi, quod tunc temporis clarè ex propoſitione Dni Legati intelligere poterunt. Quòd autem intercedant pro Principe Michaële Wiśniowiecki, ut eliberetur, putat Czarea Mtas Ordinibus Reip.

Reip. bene notũ eſſe, quantas contrarietates & inimicitias Eidem fecerit, non perpendens varia ſubſidia à Czarea Mte præſtita exercitui Litvanico, ac præcipuè particularem perſonæ ipſius præſtitam gratiam, bevolentiam, ſublevationem in pecuniis, promotionem ejus apud Serenmum Regem, & alia, attamen ſemper non tantùm contra exercitum Czareæ Mtis egit, ſed multos libellos famoſos ſub ſpecie univerſalium quæ tangebant perſonam & honorem Careæ Mtis edidit malamq; in perſonam ejus habuit intentionem, maximè cum nuper Carea Mtas proficiſceretur Varſaviâ Grodnam & Vilnam, miſerat exercitum ſuum volens eam intercipere, à quo exercitu tunc equi ejuſdem Mtis accepti ſunt. De excubitore Regni teſtimonium perhibebunt in ſcriptis accepta apud eum documenta, quòd totaliter contrarius fuerit Czareæ Mti & Reip. ex quibus colligitur quòd intendens avertere Hanum Krimenſem, & deducere in dominia tam Reipub. quàm Czareæ Mtis Tartaros, de quibus referet Legatus in generali conſilio propter documentum ipſius originale. *A. C.* 1709

Ratione inſolentiarum & latrociniorum in Palatinatu Braclavienſi prope vineas, quos ad pœnas cogere vult Reſp. nec id Czareæ Mti notum eſt, à quo fiant. Si autem à gente Polona, non militant contra Czaream Mtem, ſi autem à Coſacis ſubjectis eidem Majeſtati, mittetur ſuper hoc juxta voluntatem Reipub, mandatum ad Ducem exercitus Zaporovienſis D. Skorupaki, ut inſolentes coërceat, nullam eis det protectionẽ.

Exercitum ex Pokucia & Podolia evocare nondum eſt poſſibile, quamvis Rex Sueciæ cum reliquiis militum ſuorum eſt Bendoræ, ſiquidem mandatum habet ut reſiduos obſervet in viis, quod ubi perficietur evacuatio fieri poterit.

Quandoquidem in negotio Caſtellanæ Volhyniæ antea ſæpe reſponſum eſt, quòd poſt factam inquiſitionem, nihil probatum nec inventum eſt, & quod fieri potuit, eſt ſatisfactum.

In negotio Caſtellani Lubaczewski, aſſignati Comiſſarii, ad compoſitum judicium, cum eſſet Czarea Mtas in Polonia, ut ei juſtitia adminiſtraretur, aſt tunc poſt propoſitas à Judicib⁹ difficultates, inveniri non potuit, cum rei non ſint intercepti, attamen Czarea Mtas etiam tunc ex theſauro ex benignitate ſua aliquam ſummam in compenſationem dare juſſit.

Quis acceperit Dubnæ depoſitum Succamerarii Regni uti etiam Capitanei Wlodzimciſcenſis, cum de hoc non conſtet Czareæ Mati, an etiam id eo tempore factum, cum adverſæ adhærerent parti, maximè Succamerarius Regni exercitui Czareæ Mtis palàm contrariabatur, & ſubditis ejus inferebat ruinam, de quo informari debet Plenipotentiarius & extraordinarius Legatus.

De cæteris non eſt facienda inſtantia, ſed oportet ut compareant ad inquiſitionem, ſiquidem incidentes in Capitaneum ex exercitu Czareæ Mtis cum aliquot militibus vulnerarunt & occiderunt, ſimiliter Cancellariſtas ejuſdem Majeſtatis, pluresq; alios interfecerunt, poſt factam autem inquiſitionem, morte in eos animadvertendum, ne ſimiles prædones impoſterum audeant latrocinia exercere, aliàs alio modo de iis quæretur ſatisfactio.

SERMO THOMÆ DZIALYNSKI PALATINI CULMENSIS AD REGEM AUGUSTUM Thorunij 30 Octobr.

NON errantes ſed errabundi quia derelicti Palatinatus noſtri terræ Pruſſicæ occurrunt & per nos Nuntios ſuos & juratos Senatores

A.C. 1709 ſe plantis Regiæ Majeſtatis Vræ ſubſternunt. Repræſentantes calamitatem ſuam, emendicant ab innata Mtis V. clementia, jurium & libertatis ſuæ nondum conculcatæ benignam conſervationem. Deferimus Mti V, quòd bella geramus, & hoſtem nequeamus agnoſcere, à manu premente pereamus, & quæ illa ſit, neſciamus, omnes pro libertate, reparatione lapſorum jurium ſe declarent, & loco felicis reductionis ad thalamum, palàm per exhauſtionem Patriæ noſtræ fodiant tumulum. Conabatur & etiamnum conatur Anglia & Hollandia Carolum ad thronum Hiſpanicum ſublimare, Rex autem Galliæ Philippum ſuſtinet, & pro eorum conſervatione non exigunt milliones. Unica Patria noſtra contrario petitur modo ad externum auxilium, & licet undiq; ſpoliata, pax tamen nondum revehitur. Quærimus Cardinalis juris velamen, quo vel ipſis Apoſtolis in plantatione vineæ Domini, licet apud Paganos gloriari licuit, Civis Romanus ſum, appello ad Cæſarem, hoc idem licet aliis verbis, neminem captivabimus, nulli bona adimi permittemus, niſi victo, nec invenire poſſumus, hujusmodi mentionem facere non licet, cùm procul ab eo diſtemus tempore, quo quidquam in nos ſine nobis ſtatuere non licuit, & quod intolerabilius, cùm deficiebat externa manus, proprii filij Patriæ imponendo ſine auctoritate aſſignationes intolerabiles, contrarias juribus noſtris extorquebant contributiones, manus ſuas in ſangvine laverunt, expilando impunè ſacrarium Domini, aulas Nobilium, caſas inopum; & ubicunq; agebatur de reputatione Nominis & Gentis Polonæ, cùm adverſa pars appropinquaret, abductis ſpoliis, aut iis relictis in manu hoſtium, terga vertebant. Non enarrant Fratres noſtri calamitates ſuas, ſed cum plena fiducia accedunt thronũ gratiæ Mtis Vræ, ſubmiſſiſſimè ſupplicando, ut reſtituat Patriæ tranquillitatem, in qua eam reperit poſt feliciſſimum p. m. JOANNIS III. Dominium, ſub quo Sacraria Domini fuerunt intacta, Miniſtri altarium in obſervantia, Nos Nobiles in domibus noſtris cum juribus & decore ſecuri, civitates in ſuo flore, miſer deniq; ruſticus perſoluto ſuo debito, ſecurus & hilaris ſub tecto ſuo cecinit: depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer. Aliud autem efficacius medium non reperiunt Palatinatus noſtri, niſi per internam concordiam, & citiſſimam indictonem comitiorum Pacificationis, quam enixè precantur, certum enim putant, per externa auxilia ignem hunc poſſe tegi, ſed non ſtatim extingvi faciliusq; mutationem ſtatûs, ruinam jurium & libertatis quàm remedium allatura. Quòd S. R. Mtas cum reditu ſuo has omnes calamitates à nobis avertet, firmiter ſperant Fratres noſtri, ſi præteritorum oblivionem Paternâ clementiâ, præſentium temporum calamitatem innato & heroico reſpectu, miſeriæ noſtræ, futurorum felicitatem fortunarum & jurium noſtrorum benigna ſublevatione ſuſtentaverit.

COPIA LITERARUM REGIS AD PRIMATEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine ſincerè Nobis Dilecte.

Debitas Divinæ Majeſtati referimus gratias, quòd cum reditu Noſtro ad hanc inclytam Rempub. omnia aſpera convertit in vias planas, numeroſam planè ab omnibus Palatinatibus & Terris accepimus benevolentiæ & fidelitatis conteſtationem, habuimus relationem à Tribunali Regni per inclytos ejus Deputatos, ab Exercitu utriusq; Gentis per Duces & publicam legationem fidei & zeli honoris noſtri expreſſionem. Gaviſi ſumus copioſa ex utroq; ſacro

ac

ac ſæculari Senatûs ordine frequentia ſuſcepimus patenti clementiæ noſtræ ſinu ad Nos confugientes, exortas inter cives & familias M D. Lit. differentias ex parte ſopivimus. Legatum ab Hano Tartarico habuimus, & poſt datam ei audientiam, agnita in conferentiis vera amicitiæ conteſtatione convenienter expedivimus, Nobilem Bąkowski eum literis ad Portam Ottomanicam cum conteſtatione conſtantis amicitiæ noſtræ & Reip. expedivimus. Generale conſilium pro 4. Febr: Anni ſequentis cum aſſignatione comitiorum pro 7. Feb. conformando Nos publicæ expectationi ad ſananda hujus Reip. vulnera, & integram ejus pacationem indiximus. Inclytum exercitui utriusq; Gentis laudabili zelo honorem noſtrum ſub directione ſuorum Ducum tuenti ad addendos animos, eo quod diſtributiva juſtitia manibus noſtris concredidit, ſatisfecimus, omnem diſpoſitionem eum exercitu utriusq; Gentis unà cum Ducibus fecimus, prorsùs nihil intermiſimus, quod ad vota publica & ſatisfactionem ex parte noſtra pro tunc deſiderari & exſpectari poterat, & cùm in hac inclyta Rep. quieti vacare vellemus, diſponentes Nos pro curis & laboribus imminentis congreſſus, deferuntur ad Nos gravia hæreditariorum noſtrorum Dominiorum negotia, propter quæ utpote cum commodo hujus Reip. ob perſonam noſtram correlationem habentia, neceſſitate coacti ad breve tempus illuc nos transferimus. Quod primario Excell. Vræ, de cujus felici in charam Patriam reditu & datis innoteſcentiis ſpecialem habuimus ſatisfactionem, ſignificamus, multumq; deſideramus, ut Excell. Vra per hoc tempus elongationis noſtræ vigilem habeat oculum in omnes partes, & nobiſcum vel per diſpoſitos poſtarios vel per expreſſos veredarios in omnibus negotiis publicis pro gradu ſuo in Rep. conferre dignetur. Scripſimus ſpeciales ad Duces utriusq; Gentes, intimantes eis abitum noſtrum. Aſſecuramus autem Excell. Vram quòd compoſitis Dominiorum noſtrorum negotiis, in tempore ante terminum ſequentis Conſilii reditum noſtrum maturabimus. In reliquo Excell. Vræ bonam à DEO valetudinem & fortunatum ſucceſſum optamus. Dat. Thorunii 19 Novemb. Anno Domini 1709 Regni Noſtri XIII. A.C.1709

UNIVERSALE PRIMATIS.

Stanislaus in Slupow Szembek Archiepiſcopus Gneſnenſis Legatus Natus, Regni Poloniæ & M. D. L. Primas Primusq; Princeps.

OMnibus & ſingulis &c. Nunquam fuit intentio mea extra limites abire, ſed potius ſemper adeſſe afflictæ Patriæ non tantùm corpore, ſed etiam conſiliô, curâ & auxiliô, uti decet officium meũ Primatiale. Ad tutiora me recepi coactus potentiâ exercitus Suetici, qui univerſam planè Remp. inundarunt. Nec tamen citiùs ad id me reſolvi, quàm præceſſit altum judicium & conſilium multorum Senatorum Leopoli præſentium, in quorum ſententiam concedere planè mihi tunc conveniebat. Ut egreſſus ſum limites, non quievit animus, quòd in propinquo Patriæ ſervire, & in conſortio conſiliorum & curarum adeſſe non poſſem, præ tædio dies mihi fuerunt pro ut anni, & ſæpe ipſum cor ærumnarum non particeps, imperterritum tamen videbatur eſſe ad ſubeunda pericula, ſolummodo ut præcedere poſſet ex munere commiſſi ſibi officii, ad conſervanda jura & libertatem patriæ, ad conſervandum in integro nexum Confœderationis Sendomirienſis, & pacificandã totaliter Rempub. Sed impediti undiq; ex Sileſia tranſitus notum omnibus oppoſuerunt impedimentum. Ne tamen in his circumſtantiis tempori & loco deeſſem, obligationis meæ erat, & ne amor hic in Patriam, qui ſemper animo meo inſidebat & ſuſcitabatur cogitationibus aſſiduis, videretur ſopiri & infirmari, ac in diſcrimen præpoſteræ alicujus interpre-

A.C.1709 tationis venire, obſervavi ſedulam conſiliorum communicationem, tam cum Illmis Ducibus, quorum heroicam virtutem & gloriam ſicut præſens ſuſpicit ætas, ſic etiam ad poſteros loquetur, quàm cum M. D. Mareſchalco Generalis Confœderationis Reip. cum viro magno & cum maximis comparando, & quidquid ex hac communicatione pro utilitate publica fieri expediebat, omnem in id converti curam & applicationem. Maximè cùm Echo de reditu Regis Sereniſſimi auribus meis inſonuit, conabar reditum hunc S. R. Mtis antevertere, verùm cùm ſuccedens exercitus auxiliaris ipſiusq; Czareæ Mtis præſentia, uti etiam exercitus hoſtilis proximus tranſlimitaneæ meæ reſidentiæ non permiſerunt, uti S. R. Mti exſpectare & obſervare ſoleñitates regreſſus ſui, ita & mihi adimplere veras intentiones & propoſita mea ad facilitandas & amovendas publicas difficultates, ipſasq; has ſolennitates, niſi cum magno periculo perſonæ meæ, volens nolensq; exſpectare debui etſi cum magna moleſtia mea ſecurum tranſitum. Tandem cum deſiderium redeundi amplius moram pati non poſſet, poſtquam exercitus hoſtilis ab his proximis limitibus declinaſſet, etſi tunc nondum undequaq; ſecuro tractu itineri me commiſi, & ſuperatis periculis, huc per gratiam DEI feliciter perveni, ubi imprimis DEO ad gloriam deinde Patriæ ad publicos ejuſdem uſus offero ulteriorem vitam & fortunas meas. Quæ omnia exponendo Illmis Dominationibus ac fratribus meis corde puro & vero, inſimul promulgatum tam univerſali quàm extraditum meum tranſlimitaneum ab Illmo numeroſiſſimo Senatu & inclyto Ordine Equeſtri tunc præſenti ad latus S. R. M. Thorunii, inſtrumento, regreſſum Sereniſſimi Regis, Principis in neminem injurii, benefici in plurimos, Illmis Dominationibus Vris ſignifico, maximè poſt inchoatum fauſto omine Tribunal Regni, & expeditos ad S. R. M. cum expreſſione illæſæ hactenus & ſinceræ fidelitatis, legatos à pluribus Palatinatibus, quorum univerſali judicio ſenſum meum accomodaturum me ſemper declaravi. Non dubito quòd quidquid ad pacificandam & uniendam Remp. ad conſervanda jura, libertatem ac decus Patriæ, ad reſtaurandum id, quod ex orbita declinavit, expediens fuerit, totum id in primo DEO volente conventu ſepultis civilibus diſcordiis, firmabitur & auctorabitur publico actu, ad quod ego omni cura allaborabo. Senſum meum in ſequentibus comitiolis aperiam. Interea ut DEus inſpiret bona conſilia ſimul & facta, Mti ejus ſupplico, & pro meliori fide ac valore univerſale hoc meum ſigillo appoſito manu propria ſubſcribo, quod ſtatim per caſtra, Provincias, & conſueta loca transmittendum & publicandum commendo. Dat. Częſtocoviæ 7. Novemb. Anno 1709.

UNIVERSALE REGIS

AUGUSTUS II. DEI Gratiâ Rex Poloniæ &c.

Omnibus & ſingulis &c. Et Nos & mundus univerſus palàm videt, realiter agnoſcit, quòd quem DEus protegit, fruſtra ab hominibus impetitur, quòd Spiritus Omnipotentis magnam facit ſuæ oſtenſionis evidentiam, quòd quidquid fit aut factum, à DEO factum eſt iſtud. Nam vix dum extraditis innoteſcentiis noſtris in finib⁹ Regni ſubſtitimus, & ſtatim hoſtis ex noſtris ad ſuas pulſus terras, in cordibus quoq; ſubditorum noſtrorum non immutatum zelum invenientes, auribus & oculis excipimus tot in occurſum obvios utriuſq; ordinis Senatores, tam multos ex Equeſtri Ordine ſelectos cum fideli

deli teſtimonio affectus ad latus noſtrũ comparentes, ex Tribunali Regni, ex univerſa Provincia Pruſſiæ, ex variis Palatinatibus, Terris & Diſtrictibus Regni & M. D. L. ablegatos Nuntios, audivimus, quorum affectib⁹ non tantùm delectari, ſed etiam gloriari convenit. Agnoſcim⁹ autem & profitemur hunc eſſe effectum memorandæ in perpetuas æternitates Confœderationis Sendomirienſis, quæ latam oſtentandæ virtutis nacta materiam tam conſtanter, tam prudenter nullis adverſitatibus fracta ad ſtuporem univerſi pro fide ſancta, honore noſtro, juribus & libertate ſua exemplo Prædeceſſorum ſuorum in æviternam ſecuturæ poſteritatis memoriam perſeveravit. Hinc non tantùm patet certitudo, quòd verè imperent, qui imperant volentibus, non tantùm ſpes ſed & ſpei fiducia, quòd etiam ſecuturis temporibus in totius Regni & M. D. L. civibus ſtatus priſtinus rerum in deſiderium veniet. Nos autem quod concernit, palàm loquimur & profitemur eſſe, quod ſumus, in hoc Ordines Reip. aſſecurando, quòd nihil magis deſideremus quàm mite velut ante imperium, impenſiſſimam pro bono publico curam, promptiſſimos in omne genus curarum, & defatigationum humeros, hæreditariam fortunam nunquam eam dividendo à fortuna Regni nobis à Deo commiſſi, vectigalem Reipubl. non minus oneri quàm honori ſacratum ferre caput, pro ſcopo & meta unicè ſtatuendo quietem Regni & pro præmio Reip. felicitatem, volentes in vim gratitudinis Regno & M. D. L. non fruſtra hanc ſpem de nobis conceptam eſſe, quòd poteſtas noſtra ad ſingulorum auxilium, non ad perniciem univerſorũ comparata eſt. Sic geremus Principatum, ut orbis univerſus videat, rem populi eſſe non noſtram, ut quamprimum Rep: in tranquillum reductâ, recuperatâ publicâ fortunâ Dominiorum noſtrorum palàm faciamus, & eâ unâ cum omnibus gaudeamus, ut hos à quibus amari nos ſentimus, amemus, ut totum quidquid amiſit fortunæ vel admiſit infortunij Reſp. ex integro reparare poſſimus. Ut deniq; ordinata ſollicitudo ſecuturis temporibus pariat ſecuritatem, nam reparare præterita, amãdare præſentia, præcavere futura infortunia ad omnes pertinet Reipub. Status. Cum nos (quo coram Deo & hominibus manifeſtamur) nihil aliud magis optamus, quàm demonſtrare, quòd omnino velimus corda ſubditorum noſtrorum naturali & innata nobis bonitate devinciendo, de nulla re magis quàm de gloria Regni eſſe ſolliciti, ut permaneat & duratura in Dominiis noſtris revertatur felicitas. Ac proinde habentes pro juſtis & legitimis, quæ Reip. ſalutaria ſunt, ſtatuimus quamprimum non tantùm verba in aures immittere, ſed aperto pectore præſtando plura quàm pollicendo, omnibus congregatis Ordinibus Reip. id palàm facere. Magnum itaq; conſilium in fundamento Confœderationis Sendomirienſis indicimus Varſaviæ pro die quarta Menſis Februarij Anno Dñi 1790 Ante quod Univerſale pro comitiolis Palatinatibus, Terris & Diſtrictibus omnibus tam Regni quàm M. D. L. extradimus pro die 7ma Menſis Januarij ejuſdem anni. Pro quibus ad declaratos jam antea deputatos per Comitia Lublinenſia & Confœderationem Sendomirienſem, ſi fuerit neceſſitas aut voluntas, eligere poterunt (exceptis his, qui hoſti noſtro aſſiſtebant, auſiq; ſunt & præſumpſerunt manus elevare contra Mtem noſtram, & contra exercitum Regni, & conſilio juvare adverſam partem) ut hi quod tempus monet, provideant, & quidquid pro bono publico, neceſſarium judicaverint, nomine Palatinatuum, terrarum & diſtrictuum ſuorum in publico conſilio proponant. Hoc maximè hiſce nobilibus Nuntiis cõmendando, ut in unione animorum

*A.C.*1709

A.C.1709 morum id agant, quod omnino ſi ſalvam Remp. volumus, agendum eſt. Interea ut ſancita Reipub. in comitiis Lublinenſibus, conſiliis & congreſſibus præteritis executioni mandentur, non tantùm laudabilem ſed & neceſſariam cogitationem eamq; ſeriam, & reali effectui datam, quivis Patriæ amans nobiſcum fateri cogitur, præcavendo ne in caſſes jam expertos rurſus incidamus. Cum autem jam agnoverit Polonia, quid ſit in partes, in diſſidia, in opiniones ſcindi, Paterno affectu noſtro cupimus, ut eadem omnium voluntas, idem ad conſervationem univerſi ſtudium, par in omnibus reperiatur propenſio, omnis res anterior poſteriori vel normam vel cautelam præminiſtrat. Hæc ad notitiam omnium Palatinatuum, terrarum & diſtrictuum tam Regni quàm M. D. L. (cui civitatem Słonimum pro congreſſu conſignamus Brzeſtæ Litvaniæ Anno.. Menſe.. die.. In ordine ad celeriorem Sancitorum executionem Lublinenſium, intuitu erigendi exercitus, & fulciendæ confœderationis Sendomirienſis) volente DEo pro magno conſilio Varſavienſi inter vota ponimus, ut cunctorum figatur cordi, quod ad omnes pertinet, in quo omnium & ſingulorum pendet felicitas. Univerſale hoc manu noſtra ſubſcriptum, ſigilloq; Cancellariæ munitum pro omnium notitia in caſtris & locis ad id deputatis publicandum mandamus. Datum Thorunij die 8va Menſis Novemb. Regni Noſtri XIII.

AD REMPUBLICAM HOLLANDIÆ PRO GUARRANTIA.

AUGUSTUS II DEI GRATIA REX POLONIÆ, Magnus Dux Litvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Majoviæ, &c.

CElſis, Præpotentibus Dominis Generalibus Ordinibus Provinciarum Fœderati Belgii amicis noſtris chariſſimis ſalutem, & omnis felicitatis augmentum. Celſi, Præpotentes Domini Amici Noſtri Chariſſimi. Poſteaquam ad vota populorum cum ingenti certatim accurrentium tam utriuſq; Ordinis Senatorum, quàm ex Equeſtri Ordine obviorum plauſu in viſceribus Regnorum noſtrorum comparuerimus, poſtquam junctis noſtris viribus cum auxiliariis Sereniſſimi Magni Moſchorum Ducis Colligati noſtri copiis, & redeunte ad obedientiam Litvaniæ, firmiter, conſtanterq; in ea perſeverante Polono cum Ducibus ſuis exercitu, hoſtis, qui hactenus periniquo jure, & ſumma cum injuria, quidquid liberet, pro licito judicavit, non tantùm ultra nihil tentare auſus eſt, ſed etiam cum ultima, eaq; nobis multò inferiori manu Regno noſtro cedere, & ex improviſo in Pomeraniam citis paſſibus movere debuit. Hinc, cùm belli conjuncturæ nullum majus diſcrimen, quàm ex negligentia occaſionum intervenientium pati ſoleant, & Sereniſſimi Moſchoviæ Czari arbitrio, & Generalium Ducum noſtrorum ſuffragiis, militumq; ardentibus votis, nec non omnium conſtantibus impulſorum cauſis judicio res ad conſilium delata, comprobataq; fuiſſet, ut ſcilicet non parcendo illis, qui noſtra penè deſtruxerunt, id faceremus, quod facilè noſtris faciendum ſuperaret viribus, & non labeſcente veſtigio, hoſti non dubiâ, ſed certâ ſpe ſummæ utilitatis inſiſteremus, ac per id maturè præveniremus, ne eâ præſumptione ampliùs uteretur, & ut ſibi ſolus, quod hactenus fecit, plus quàm cæteris omnibus in poſterum tribueret, authoritatis. Metus in futurum, ne ex illa parte invaſio aliqua, vel impetitio fiat, & ex metu conſilium, & omnium votorum ſumma erat, cùm nihil commodius viſum fuiſſet, ut id ageretur, quod monebat communis Colligatorum noſtrorum utilitas,

tilitas, & ut Generalem Kraſſau cum Suetico exercitu in Pomeraniam *A.C.* 1709
ingreſſum perſequeremur, ne Sueci nunc jam ſatis attriti, reaſſumptis, ſi id fieri poterit, viribus ampliùs nos ex illa parte aggredi audeant. Arduum nobis erat tot conſilia pro ſalute Reipub. & communi Colligatorum utilitate in contrariam ſententiam vertere; evicit tamen & pronior ſemper, quàm affectus movet in commoda, altæ colligationis inclinatio, & Regiæ noſtræ recordatio declarationis de non inturbanda Romani Imperij quiete, & nulli diſſidio danda occaſione, & ut per hanc noſtram ſeriam applicationem, & Celſidudines Vras, & omnes Earum Colligatos certiùs atq; certiùs ſemper de conſtanti, eaque firma, nec immutanda unquam amicitia convinceremus? Perſvaſimus proinde & Sereniſſimo Moſchorum Duci, & Regnorum Noſtrorum Exercitui, ut id, quod ſors obtulerat, & quod optimo idoneoq; tempore fieri poterat, agere differant, omnes in ea fiducia confirmantes, quòd Celſitudines Vræ cum omnibus magnæ Colligationis Capitibus (de quorum juſtitia omnia non ſperamus, ſed credimus) ad eum finē res diſponent, & omnimodam ſecuritatem, ſecuritatisq; Gvarrantiam dabunt, quòd ex Provinciis Sueticis nulla in Ditiones noſtras, & Sereniſſimorum colligatorum noſtrorum, in Polonia, Saxonia, Dania, & Magni Moſchoviæ Ducis Ditionibus, in quantum ſtatus illorum in proximo ſituati ſunt, timenda veniat irruptio, ex parte Sueticæ Pomeraniæ, neq; Sueci novum militem in Imperio conſcribere, neq; conſcripto exercitum ſuum in Provinciis ſuis augere permittentur, cùm ex antiquis fœderibus non liceat etiam Coronæ Sueticæ in Ditionibus ſuis, quæ in Imperio reperiuntur, plures milites fovere, ultra defenſionis neceſſitatem, & præſidia ſolita. Minimè ambigimus, quòd Celſitudines Vræ hanc pro commodis altæ colligationis, quam nunc cognitam facimus, applicationem noſtram gratè accipient, & quàm celeriùs poterit nobis, Regnoq; noſtro, Sereniſſimisq; Colligatis noſtris facient ſecuritatem, noſtramq; hac in parte in fiducia non deneganda evincent aſſecurationem; ſi verò id à Celſitudinibus veſtris ex alta Colligatione proviſum non fuerit, quæ ratio ſupererit, quæ nos, colligatosq; noſtros impedire deberet ab evellendo radice ejus potentiæ, quæ reddita indies formidabilior poſſet olim nocere nobis. Non domare hoſtem, cùm poſſis, eſt permittere, ut fortiorem ſe reddat. Si autem nos, Regnumq; noſtrum hunc æquitatis, & juſtitiæ (quod minimè credimus) habere non poſſemus gradum, in illo caſu nos, Regnumq; noſtrum, & Magnus Moſchoviæ Dux armis eam ſecuritatem quærere cogemur, quæ prompta, parata, militumq; noſtrorum alacritate fulta in ditionibus inimici quæri, & inveniri poterit. Quod, dum Celſitudinibus Vris deferimus, ne olim arguamur, non ſufficientem nos feciſſe præcautionem, nec Generalem Kraſſau ad incitas reduxiſſe, ſicuti nunc fieri poterat multò inferioribus illius viribus, & in miſerabili ſtatu exiſtentibus. Pluribus de hac re non agimus cum Celſitudinibus Vris, res enim ipſa pro nobis loquitur, quibus optimam à DEO valetudinem, omnemq; proſperitatē, ex animo precamur. Dabantur Thorunij die 9na Novembris.

CXXXII.

ALEXANDRO JOSEPHO ZAŁUSKI FRATRI SUO. ANDREAS &c.

Thorunió 10. Novembr.

SPerabam ego, & firmiter credebam, quòd cum Dno Epiſcopo Plocenſi, & Caſtellano Ravenſi fratribus, quos hic inveni, te quoq; videre deberem, unde magnum tecum, ſed fraternum diſſidium erit,
quòd

A.C.1709 quòd in aliud tempus hoc iter diſtuleris. Multaq; prævideri non poſſunt, fortuitò meliùs cadunt. Scias quòd voluerim in Kwidzin, ubi omnes tres Monarchæ ſperabantur, per interpoſitionem Regis Pruſſiæ ad oſculum manûs Regiæ admitti, ſed, cùm non tantùm non venerant, ſed nec citò ſperabantur, viſum eſt mihi Thorunium inviſere, ubi, cùm hoſpitium non inveniſſem, per viam facti in Collegio Societatis JESU, quanquam id non nimis gratum erat, conſtiti, ubi etiam Epiſcopus Cujavienſis reſidebat, Reddidi ſtatim in craſtino viſitationem Dno Procancellario (& quis eſt, qui eo animo florentes amicos celebrat, ut nunquam labentes deſerat) conſilium capiens, quomodo Suæ Mti me inclinare deberem; qui in craſtino me reviſitando; dixit; mirari Suam Mtem (quaſi fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel) quòd Thorunii ſim, cùm me ille Romæ eſſe crediſſet; cùm ſcilicet ſatisfactionem pro læſionibus ſuis à me prætendat; cui ego, qui fortunæ nunquam nec dona curavi, nec damna; cùm rectè egi, neminem timui, ut manifeſta palam res indicavit, ſtatim cum omni reſolutione reſpondi; etiamRomã me velle reverti. Sed poſt aliquot dies tandem ſua Mtas me admiſit, & cum ſummo affectu recepit. Taceo hic multa impedimenta, quæ malevoli ſtruebant; nullum eſt illuſtrius probitatis documentum, ac teſtimonium, quàm odio haberi ab eis, qui probitatem oderunt. Ita, qui invident, egent, illi quibus invidetur, rem habent. Benè ſuaſit ille; unus tibi hic, dum propitius eſt Jupiter, tu iſtos minutos DEOS flocci feceris; ſufficit admiſſum me fuiſſe; (ſi id ex invidia proceſſerit, contemnendum, ſi ex offenſione, miſeratione dignum? ſi ex malitia? dimittendum) & ſtatim Miniſterium meum exercuiſſe, fuerunt enim à Palatinatu Plocenſi Ablegati, quibus ego nomine Regio reſpondi. Præſentavit me etiam ſua Mtas Serenmo Czaro.

Fuit audientia Legati Tartarorum, cui denuntiavi primò apud me eſſe illum debere, quod & fecit, petitq; ut cooperto capite Regi ſeſe inclinaret; cùm particulare Privilegium ex eo prætenderet, quod ſepulchrum Mahometæ inviſiſſet, & in numero eorũ eſſet, qui apud illos Spirituales vocantur. Inventum à me medium, ut propter hanc cauſam non Portinarius, ſed aliquis nobilis pileum ei detraheret; quod & factũ. Fuit Serenmus Czar in hac audientia incognitò præſens.

Scriptum à Mareſchalco Confœderationis Sendomirienſis Comite Dönhoff ab omnibus nobis ſubſcriptum; denuntiationem ſcilicet adventus Regii tibi communico. Nunc, ne quis erret, paucis in viam deducitur, & nemo timet, ne ſint irrevocabilia Patriæ caſu poſteriora remedia, quàm mala, cùm vicus optimis quibusq; modis libertati provideatur.

Interim Seren: Czar ad videndum Regem Pruſſiæ per aquam movit, quem noſter Sereniſ: aliquantulum conduxit. Eôdem manè venit D. Sapieha Capitaneus Bobruyſcenſis, nuper Generalis Supremus Exercitûs Litvaniæ, cui hoc Regimen abſolutè ademptum eſt, qui æquiore animo tulit præcidi ſpem ſuam, quàm trahi, cum pactione privatorum Juri publico minimè derogari debeat; Ita fortunã citiùs reperies, quàm retineas, etiam obliviſci, quid habueris interdum, expedit quamvis contumeliam nec fortis poteſt, nec ingenuus pati, tamen pulchriùs duxit parere, quàm nolentibus imperare; Parendi neceſſitas caret culpâ.

De morte etiam Gregorij Oginski Gubernatoris Samogitiæ, cui hoc Supremum Regimen deſtinabatur, venit notitia. Itaq; cùm Vilzniovieccius in detentione eſſet Kijoviæ, ſupremum Regimen ceſſit Dño Pociey, & Dñus Comes Dönhoff Enſifer Regni, ac Confœderationis Generalis

neralis Sendomirienſis Mareſchalcus Campiductor factus eſt Litvaniæ, *A.C.* 1709
(beneficium dignis ubi Rex dat, obligat) & Dominus Sapieha afflictiſſimus abiît.

Paro interim expeditionem pro Concilio Magno, cujus tibi copiam adjungam.

Caſtellanatus Gedanenſis poſt mortem Borowſcij ceſſit Enſifero Pruſſiæ, & Staroſtia Grudzienenſis Procancellario Regni.

Rediit etiam Michałowſcius Româ ab ingreſſu Suæ Mtis miſſus, qui de magno gaudio Romæ ex reditu Regio nuntiavit.

Declaratio facta eſt conſilij (deliberandum eſt diu, ſed ſtatuendum eſt ſemel) non pro tertia, uti ab initio in intentione erat, quandoquidẽ hac die Judam ſe ſuſpendiſſe ajunt, ſed pro 4. Febr. Varſaviæ; Comitiola autem, pro quibus adnecto Univerſales literas 7. Januarii declarata; ubi cuncti ex more vocantur, ut, quod nunc inſtat, agant.

Expeditione igitur, & pro hoc Conſilio Magno, & ad Principes Colligatos, ut ingreſſum ex Pomerania Suecorum arceant, & audientiâ valedictoriâ legati Tartarici peractâ, abeo Thorunio, & domo plura confidentiùs ſcribam.

COPIA LITERARUM REGIARUM AD IMPERATOREM TURCARUM.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino... Imperatori Conſtantinopolitano, atq; in Aſia, Africa, & Europa, Arabum, Syriæq;, Ægypti Dno Amico, & vicino Noſtro auſpicati Regiminis, ac bonæ, veræq; amicitiæ incrementa, felicitatem, & mutuam benevolentiam.

Sereniſſime & Potent: Princeps Amice, & Vicine Noſter. &c.

POſteaqum ad vota fidelium Polonorum, liberi, & Electoris Populi auſpice Supremo Numine, applaudente Senatu, & totâ Repub. effuſâ in feſtiva gaudia, & ſonoras exultationes reditum noſtrum ad rehabendam poſſeſſionem Regni hujus poſtliminiò maturavimus, jamq; Thronus Noſter, & Majeſtas Regia velut depulsâ tempeſtate clariùs reſplendeſcit, quippe omnes ſuum Regem agnoſcunt, ac pronâ animorum venerantur devotione, & quemadmodum Nos ſemel legitimè elegerunt, & proximè retroactis temporibus concordi, & unanimi conſenſu, ac demũ ſolennibq vinculis, & Sacramentis præſtiti Jurisjurandi in Solio Regali firmârunt, & roborârunt, ita à Nobis regi & gubernari volunt, à Natura formato liberrimæ Gentis ingenio parere ſemper legitimo Regi, ſervire nunquam. Nihil itaq; priùs in animo habuimus, quàm de ea Nos Divina benignitate, ac totius Reip. celebri fide, zelo, & affectu Serenitatem V. ſinè mora certiorem reddere, eidemq; hæc omnia per Generoſum Bąkowski Secretarium Noſtrùm, & Præcurſorem futuræ Ablegationis ex proximè incidenti Magno Conſilio ad Fulgidam Portam ordinandæ communicare teſtificantes conſtantem Noſtram bonæ voluntatis, & propenſionis erga Seren: V, & Excelſum Imperium Ottomanicum firmitudinem tum offerentes Nos ſolidam ex parte Noſtra

A.C.1709 *ſtra, & Reipub. amicitiam, juxta tabulas perpetuæ pacis non modò conſervare, ſed omni meliori modo augere & ampliare velle; Enimvero ita deniq; firma, & ſtabilia ſunt terrarum orbis Imperia, ſi fœdera ſemel inita, & coram DEO rerum omnium Domino, per quem Reges regnant, ſanctè jurata ſerventur, & ſalvâ ac inviolatâ fide manuteneantur. Quod, dum Nos re ipsâ comprobare, complere, & obſervare omni meliori modo deſideramus, viciſſim Nobis de Seren: V. promittimus, quòd reciprocæ ſinceritatis, benevolentiæ, atq; mutuæ amicitiæ documenta Nobis & Reipub. ſit datura, & exhibitura. De reliquo Seren: Veſtram inter proſperrimos rerum ſucceſſus bene ac diu ſoſpitem vivere precamur. Dabantur Thorunij die.. Novemb. Anno à Nativitate DEI, & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti MDCCIX. Regni verò Noſtri Anno XIII.*

AUGUSTI II. REGIS AD VEZIRUM.

E*TSI publicâ Europæ totius famâ felicem reditum Noſtrum tot votis Inclyta, & liberrimæ Gentis Polonæ expetitum pro rehabenda poſſeſſione Regalis conſtare Veſtræ Illuſtritati minimè dubitamus, quò tamen intimiora amicitiæ Noſtræ, & ſinceræ benevolentiæ erga Excelſum Imperium Ottomanicum exhibeamus documenta, hoc ipſum per Generoſum Bąkowski, Secretarium Noſtrum, & Præcurſorem futuræ Ablegationis notificandum eſſe duximus, antequam ex futuro Magno Conſilio proximè Varſaviæ congregando, & celebrando Ablegatus Noſtro, & Reipubl. nomine ad Fulgidam Portam expedietur, pro firmandis, perpetuandisq; æternæ pacis incrementis; optimum enim Regnorum fundamentum exiſtimamus eſſe ſanctam & inviolatam fœderum, & bonæ vicinitatis conſervationem, & obſervantiam, in quem finem, quantum Illuſtritas V. æquis ſuis, bonisq; ſtudijs facere curabit, tum quidquid latori præſentium humanitatis, & facilitatis ad obtinendam ſuam expeditionem præſtiterit, Nos certè tantundem luculentis Regiæ benevolentiæ Noſtræ documentis ſemper redhibituri ſumus, qui etiamnum Illuſtritati V. proſperos rerum eventus cum bona valetudine exoptamus. Datum Thorunio &c. ut ſuprà*

CXXXIII.

An: 1710 IDEM ALEXANDRO JOSEPHO ZALUSKI PALATINO RAVENSI 24 Januarij.

BEnè facis, quòd in ſpe prompti adventûs Regij illas in oras ibi Mtem ſuam, & nos expectabis. Ego ultimis Januarij ſi DEO placuerit Varſaviæ me reddam.

Communico tibi communem totius Varmiæ dolorem, ob mortem non inopinatam quidem, ſed diu prævìſam, ſed tamen maximè hoc afflicto tempore præmaturam Laurentij Nycz Decani Varmien. apoplexia tacti Frauenburgi ad Cathedram, qui ſtatim & ſepultus eſt in Cathedrali

drali Eccleſia. Compati ita Provinciæ non poſſum, uti doleo. Credebatur, & eſſe debebat ditior, quàm inventus eſt, quia fortè ut præſumitur, in vita diſpoſuit. Rationes tamen, & publicæ, & privatæ meæ ſinè dubio patientur. In locum ejus conſtitui (iniquum æſtimans meritis præmia ſua denegare, ſive differre) Dñum Simonis Archi-presbyterum Wormbdittenſem, virum activum, quamvis ſanitate debilem idq; pro Commiſſario in cotributionibus publicis; nam Weidner Archi-presbyter Heilsbergen: privatas res meas agit, nec multum etiam nunc agendum eſt, cùm poſt Suecos Saxones dominantur, qui triginta millia Talerorum prætendunt, ultra alimentationem, quamvis hoc anno meſſis non reſpondit arantis labori. *A.C.* 1710

Regiomonti peſtis graſſatur, & ex Patribus Societatis jam duo mortui, in quorum locum alios conſtituo; in principio Xbris jam mille hominum mortui erant.

Habui multa Scripta; univerſale ſcilicet Primatis, literas Regias abitum ſuum in Saxoniam denuntiantes, & alia, quæ tibi per otium legenda coñunico; omniũ intererat illud ſcire, quia in rem omnium erat.

Ordinaveram quædam Varſaviam, mihi neceſſaria portanda, ſed à Saxonibus prohibeor. Et hæc eſt conſolatio mea, cui reniti non potes, molliter obſequere. Ita illis ſubeſt non pauca velle, quòd multa poſſint, Irata potentia tantò placatur æquiùs, quantò reputat honeſtiùs, nocere, cùm poſſit, velle.

Habui etiam id quod mihi ſignificas, de renovata Varſaviæ peſte, & de mortuo Ephebo apud Generalem Rhen tempore prandii, de perterritis ejus hoſpitibus; nec ego in minori terrore ſum, nam in loco parùm diſtanti Heilsbergâ unus homo, neſcio, unde veniens, ex improviſo mortuus eſt, & timeo, ne mali fons hic ſit.

Neſcio an audiviſti de morte Principis Theophilæ Lubomirska ſupremæ Regni Mareſchalcæ, quæ Olomucij dicitur diem ſuum obiiſſe.

Negotium cum Gedano per Commiſſionem judicari, an componi debet? fortè magis ſuccurretur illis, qui certant de damno vitando, quàm, qui de lucro captando. Commiſſio autem expedita eſt, in perſonas Dñi Epiſcopi Cujavienſis, Theſaurarij Regni, & Dñi Supremi Mareſchalci Exercitûs Saxonici Ogilvi. Meliùs eſt prorſus non facere, quàm non ritè facere. Timeo, ne verborum minutiis rerum pondera frangantur, nam ego credo, quòd non ſit reſpiciendum, quid fit ſed quid fieri debeat.

Mitto tibi literas ad Primatem, quas, ut expedias, rogo, ſuadeo Celſitudini ſuæ, precorq;, ut Varſaviam maturè veniat, ad res diſponendas, antequam ſua Mtas redeat, occurrendo, & impediendo illos, qui undiq; criminandorum Patriæ apud plebem occaſiones quærunt, media reſtituendæ libertatis inveſtigando, cùm gratiſſima eſt omnibus temporibꝰ futuri temporis expectatio. Qualia principia erunt, talia quæ conſequentur: Poſſumus multa in anteceſſum facere, omnia, quæ Reip. ſalutaria erunt, eadem juſta, atq; legitima habebunt, dum convenient Status; nam, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, cogitare debent ſedulò, an quod aggrediuntur, Reipub. utile, DEO gratum, gentibus glorioſum, & effectu facile, vel certè arduum non ſit. Ego verò juxta paratꝰ, vel candidè dicere, quod ſcio, vel patienter diſcere, & audire, quod ignoro. Scripſi idem etiam Dno Epiſcopo Cujavienſi, & Generali exercituũ Supremo inſinuo. Neceſſitas enim mihi videtur ſumma in vim præparamenti eſſentiales materias in hoc conſilio tractandi, digerendi. &c.

Reſſelii iterùm peſtis graſſari cœpit; Nepotes meos, & Nepotiſſas; filios

A.C. 1710 filios tuos Gutſtadii penes Collegiatã; filias autem in Elditt apud D. Hatinska relinquere determinavi; Interim, dũ Varſaviæ manere obligabor.

Iter meum cras Varſaviam deſtinavi, expeditis illis omnibus, quæcunq; hinc expedienda ſunt. Per Guttſtadium & Allenſteinium ibo; fortè filium tuum Martinum Varſaviam accipiam; non otiabitur; aliquis enim ex meis Capellanis ſupplebit pro Inſpectore. Circa 30mam amplectar te Varſaviæ, uti nunc per literas facio &c.

GVARRANTIA PRINCIPUM CONFOEDERATORUM IN FAVOREM REGUM POLONIÆ ET DANIÆ, ET CZARI MOSCHOVIÆ.

QUum Sacræ Cæſareæ Majeſtati, S. R. Mti Reginæ Magnæ Britanniæ, & Celſis & Præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus uniti Belgij maximè ſemper cordi fuerit, & etiamnum ſit, ut quies, & tranquillitas in Imperio conſervetur, & ideo communicatis cum quibuſdam fœderatorum ſuorum conſiliis ab aliquo jam tempore ad conſervandam eandem quietem, & tranquillitatem Principes in Septemtrione inter ſe belligerantes ſedulò, & ſeriò exhortati ſint, atq; officia ſua interpoſuerint, ne occaſione belli, quod in oris Septemtrionalibus geritur, turbaretur, vel quidquam agatur ſive revocando copias, ſive alio quocunq; modo, quod rationibus & commodis Fœderatorum contra Galliam belligerantium noxium ſit, præjudicium afferre queat. Quumq; S. Czarea Mtas ejuſq; Fœderati Poloniæ, & Daniæ Reges mox nequaquam reſiſtentes declaraverint firmam ſibi ſtare ſententiam nihil quidquam facere. quod ad turbandam tranquillitatem in Imperio anſam præbere poſſit & ex quo res fœderatorum bello Gallico implicatorum, ſive revocando copias, aut alio quocunq; modo detrimentum vel præjudicium patiatur. Et cùm ſimul etiam poſtulaverint, ut ſecuræ reddantur copiæ Regis Sueciæ, quæ jam in Pomerania ſunt, in Poloniam non redituras, nec actus ullos hoſtiles in Terris Imperii commiſſuras; idcirco etiam illorum Miniſtri ſæpiùs inſtanter flagitârunt, ut altè memorati fœderis illos hac de re certos, & ſecuros reddere velint, quorum petitiones S. R. Mtas Boruſſiæ officiis ſuis ſuffulſit. Quum etiam poſt communicata hæc deſideria cum Regimine pro adminiſtratione Regni Sueciæ in abſentia Regis conſtituto Regiæ Suæ Mtis Sueciæ Ablegatus extraordinarius de Palmquiſt acceptis hac de re illius mandatis declaraverint per Sueciam minimè ſtatutum, quò minus conſtans neutralitas in Imperio ſervetur, eumq; in finem ſeparatum fore nomine Sueciæ ſpondere, copias Sueticas, quæ in Imperio ſunt, ibidem, uti etiam nec in Polonia, nec in Ducatu Sleswicenſi, nec in Juslandia, aliquid hoſtile tentaturas, hac tamen ſub conditione Sueciã ſecuram redditum iri, copias Regis Daniæ, quæ ſunt ex hac parte Maris Balthici, vel quæ ſunt in Juslandia, in Ducatu Schleſwicenſi in terris Imperij ad hanc coronam ſpectantibus, & quæ fœderatis militant, nec intra, nec extra limites imperij aliquid quoq; hoſtile tentaturas. Quumque communicata poſtmodum Regis Daniæ conditione, ſub qua Regnum Sueciæ neutralitati in imperio adſtipulatur ſupra nominati fœderati quoq; ad conſervandam in imperio tranquillitatem & neutralitatem propoſuerint, ut ab una parte Rex Daniæ ſpondeat, & conſenſum præbeat copias ſuas in Juslandia, in Ducatu Schleswicenſi, & in imperio degentes nihil hoſtile contra ullum, quisquis ille fuerit, nec intra, nec extra limites Imperii toto Ducatu Schleswicenſi, & Juslandia unà cum comprehen-

ſis

ſis tentaturas, vel facturas eſſe; utq; pari modo ab altera parte Regimẽ *A.C.* 1710
in Suecia conſtitutum viciſſim ſpondeat, & conſenſum præbeat copias Regis Sueciæ in Pomerania, & aliis imperii terris, & Provinciis exiſtentes in Poloniam non redituras, nec quidquam hoſtile contra ullum, quiſquis ille fuerit, nec intra, nec extra limites imperii, toto Ducatu Schleſvicenſi & Juslandia, unà cum comprehenſis tentaturas, vel facturas eſſe; additâ quoque ulteriori declaratione à ſupra memoratis fœderatis ſe propenſos, & paratos fore alias copias partis utriuſque ad uſum ſuum conducere, & de iis quantociùs tranſigere; ſuper quibus cùm hic degens de Stolcen Regis Daniæ Secretarius renovatis modò dictæ S. R. Mtis obteſtationibus nullum ſe vel revocatione copiarum, vel alio modo fœderatis incommodum, vel præjudicium allaturam, præterea nomine ejuſdem Sacræ R. Mtis declaraverit illam, ut documento oſtendat, quàm prono erga fœderatos feratur affectu, utq; ad illorum petita reſpondeat, conſenſum præbere, ſi ex parte Sueciæ poſitivè affirmetur, copias ejuſdem nunc in Pomerania degentes ſub ductu Kraſſavij aliáſque omnes in Provinciis Sueciæ in imperio ſitis exiſtentes nihil hoſtile contra Ditiones Regis Daniæ, nullas ex Ducatibus Holſatiæ, Schleſwici vel ex Juslandia copias avocaturam, nec trans mare Balthicũ tranſportaturam, quin & copias à Czarea ſua Mte auxilio mittendas per Germaniam ullàsve imperii ditiones vel terras minimè tranſituras; in his omnibus confidens abſque ulteriori mora fœderatos ſponſionem ſive Guarrantiam ſuam pro ſtabilienda in imperio, Ducatu Schleſvicenſi & Juslandia neutralitate interpoſituros eſſe.

Itaque infraſcripti Plenipotentiarii, & Deputati Sacræ Cæſareæ Mtis, S. R. Mtis, Magnæ Britanniæ, & Dominorum Ordinum Generalium Uniti Belgii ritè perpenſis Czareæ ſuæ Mtis, Regumque Poloniæ, & Daniæ & Boruſſiæ iteratò expoſitis deſideriis pro tuenda, & ſponſione ſive Guarrantia confirmanda neutralitate intra limites imperii acceptisque ſuper his ab Imperatore, Regina, Ordinibusq; Generalibus mandatis, illorum vi tenore præſentium notum, teſtatumq; faciunt, nomine S. Cæſareæ Mtis, S. R. Mtis Magnæ Britanniæ, & Dominorum Ordinum Generalium uniti Belgij, ſe grato, atq; libenti animo accipere ſupra memoratorum Principum in Septemtrione belligerantium mentis, & voluntatis declarationem pro conſervanda in imperio tranquillitate, & quiete, & illæſa neutralitate tam in omnibus Imperii Provinciis, & Ditionibus, quàm in toto Ducatu Schleſvicenſi, & Juslandia promittentes S. Cæſaream Mtem, Regiam ſuam Mtem Magnæ Britanniæ, & Dominos Ordines Generales conjunctim allaboraturos, ne ullo modo neutralitas in terris imperii infringatur, ſed ut ab utraq; partium ritè ſervetur, eumq; in finem operam daturos, ne copiæ Regis Sueciæ in Pomerania, aliiſq; imperii Ditionibus degentes in Poloniam redeant, nec actus ullos hoſtiles contra ullum, quiſquis ille fuerit, nec intra, nec extra limites imperii toto Ducatu Schleſvicenſi, & Juslandia aliiſq; in illo comprehenſis cõmittant, & ne pari quoq; modo copiæ Regis Daniæ in Juslandia, Ducatu Schleſvicenſi, & Ditionibus imperii degentes, actus ullos hoſtiles contra ullum, quiſquis ille fuerit intra vel extra limites imperii, Ducatu Schleſvicenſi in illo comprehenſo cõmittant. Quemadmodum etiam ne copiæ Czareæ ſuæ Mtis Regi Daniæ in auxilium forſan mittendæ per terras imperii tranſeant, verùm ut omnes & ſingulæ imperii Ditiones reſpectu partium in Septentrione belligerantium ab omni tranſitu copiarum imunes maneant, & perfectâ neutrali-

A.C.1710 tate gaudeant. Præterea infraſcripti nomine ut ſupra declarant S. Cæſareæ Mti, S. R. Mti Magnæ Britanniæ, & Dñis Generalibus Ordinib⁹, ſtatutum eſſe eo, quo dictum eſt, modo, quietem & tranquillitatem in imperio tueri. Et quamvis poſt declarationes ſupra memoratas minimè expectandum ſit, neutram belligerantium partem illam infringere, vel quidquam, quod illi contrarium ſit, facere velle, ſi tamen præter omnẽ ſpem, & expectationem quiſquam neutralitatem obſervaverit, & factæ violationis refectionem petierit, conjungent, quo caſu ſi opus fuerit, communibus viribus ad conſervandam neutralitatem eo, quo dictum eſt, modo utentur.

Ut autem hæc declaratio promptiorem effectum ſortiri poſſit, S. Cæſarea Mtas operam dabit, ut imperium huic declarationi quantocius accedat, ſicut & Regina Magnæ Britanniæ, & Dñi Ordines Generales imperium ad hoc invitabunt.

Principes pariter & ſtatus, quibus conſervatio neutralitatis, & quietis in imperio cordi eſt, ad corroborandam acceſſione ſuâ hanc declarationem, quæ partibus, quarum intereſt hinc inde loco Guarrantiæ erit, invitabuntur. Præſentis declarationis exemplaria dabuntur Miniſtris S. Czareæ Mtis, & Regiarum Mtum Poloniæ, & Daniæ ab una, & S. R. Mtis Sueciæ ab altera parte; requirunturq;, ut officia ſua adhibeant; quo Czarea & Regiæ Mtes ſupradictæ declarationem hanc gratam habere, nec quidquam, quod illi contratrium ſit, facere velint.

Actum & ſignatum Hagæ Comitum die 31 Martij.

DECLARATIO A MINISTRIS CZAREÆ Mtis FACIENDA Imperatori, Angliæ, Hollandiæ, univerſisq; Statibus Imperij.

Quandoquidẽ univerſo mundo conſtat de periculoſa intentione Regis Sueciæ præſenti bello Czareæ Mti nocendi, & omnes machinationes ad inferendam injuriam Regiæ Poloniarum Mti palàm factæ ſunt, quamq; præjudicioſis conatibus ruinam Regni Daniæ quæſierit, ac contra inſolentes ejusmodi Sueticos auſus præfatæ tres potentiæ offenſivum, & defenſivum fœdus Colligatis contra Galliam ſiniſtram aliquam faciat impreſſionem. Ideo Czarea Mtas ſuo, Regumq; Poloniæ, ac Daniæ nomine univerſis Sereniſſimis Colligatis declarandum duxit, quòd, quamvis fortunam armorum ſuorum eum extremis viribus tentare, ac Regem Sueciæ eodem modo, quo ipſe eos tractare intendit, perſequi poſſent, tamen eorum finis & ſcopus dicti fœderis eò non tendit, ut Regnum Sueciæ totaliter evertatur, ſed tantùm ut ad juſtos terminos redigatur; Ad obtinendam vicinis pacem & ſecuritatem, & ad impediendum, ne impoſterum à Sueciſ, ut antea factum, ad eorum placitum inquietentur. Neq; eò collimat præfatarum trium potentiarum fœdus, ut Imperium Romanum turbetur, neq; ut Colligatis contra Galliam ad proſequendum bellum obex ponatur, ſed ad hunc finem convenerunt, ne Sueticas in Imperio Ditiones aggrediantur, neq; Regis Poloniæ, & Daniæ milites ſuos in ſervitio præfatorum Colligatorum exiſtentes ante terminum præfixum vigore Tractatûs revocent, ſiquidem in aperto eſt, quòd hoc offenſivo & defenſivo fœdere Colligatis neq; in particulari, neq; in genere præjudicavit, vice versâ confidunt Czarea, Regiæq; Mtes Poloniæ & Daniæ univerſis Colligatis, ac Romani Imperij Statibus, quòd non tantùm huic bello contra Sueciam ſe non immiſcebunt, nec contravenient, imò Regi Sueciæ neq; directè, aſſiſtent; Et, quoniam Czarea ac Regia Poloniarum Mtas concluſerunt elapsũ è Polonia Generalem Kraſſau cum Suetico exercitu in Pomeraniam non perſequi, quamvis ſecundùm Jura Gentium eis licuiſſet, præſertim cùm præfatus Ge-

ne-

neralis irreparabile damnum ſpoliando, & deprædando Poloniæ intulerit, ad demonſtrandum, quòd verbo ſtare velint, de non interturbanda Romani Imperij quiete, ideo ſperat tam Czarea, quàm Regiæ Poloniæ, & Daniæ Mtes, quòd Colligati, in ſpecie autem Cæſarea Mtas cum cæteris magnæ Colligationis capitibus, nec non Status Imperij ad eum ſinem res ſuas diſponent, quòd ex Provincijs Sueticis nulla præfatis tribus potentiis ingruet irruptio in eorum Ditiones, neq; dicti Sueci novum militem in Imperio conſcribent, neq; acquiſito in Imperio milite in ſuis Provincijs exercitum augebunt, cùm Coronæ Sueciæ non ſit licitum in Ditionibus ſuis, quæ in Imperio reperiuntur plures milites fovere ultra defenſionem ſuam, & præſidia neceſſaria. Neq; dubitant præfatæ, Czarea, Regiæq; Mtes de conſtanti amicitia Colligatorum, quòd Guarrantiam ſuam interponent ad ſtabiliendam in ſupradictis ſecuritatem. Cùm enim digna, & juſta petant, viciſſim declaratum eſſe volunt, quòd, caſu quo à ſupradictis Colligatis; deſiderijs eorum, quoad juſtè, & legitimè requiſitam ſecuritatem non annueretur, neq; Guarrantia ab ijs ſuſciperetur, imò Suecis qualicunq; modo ſuppetiæ darentur, ac augendi militis in Regno facultas concederetur, nec nō permitteretur Sueco militi provincias ſupradictarū Mtū invadere, aut in Poloniā reverti, tū eis nō debere vitio verti, ſi pariter promiſſis ſuis non tenebuntur, quinimò hoſtē ſuū, ubicunq; fuerit, inſequerentur, ac, antequam vires ſumat, debellare conabuntur, non parcendo etiam quibuscunq; ejus Ditionib9, præcaventes quòd ab omnibus damnis immunes erunt. A. C. 1710

COPIA LITERARUM EPISCOPI PRINCIPIS VARMIENSIS AD NUNTIUM APOSTOLICUM. Gutſtadij 16 Julij.

Excellentiſſime Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine &c.

BEnigniſſimæ Excell: Vræ de data 4 Julij literæ in memoriam reducunt nihil flectenti, nihil fluctuanti mihi id, quod facere non tantùm ut Judex, ſed ut Epiſcopus operi meo intentus teneor; Sortitus ſortem Miniſterij Cancellariæ Regni do ſemper operam, ne quid ſit, quod in me quiſquam reprehendat. Et mentem zelo Religionis Apoſtolicæ Sedi mancipatam ſemel, cælo Judice, veritate teſte nunquam emancipavi. Prodeſſe Sanctæ Fidei, ſi non valui aliquando, certè ſemper æquè vitæ, ac laboris parcus volui. In negotio hoc Gedanenſi, quod Excell. Vra pro ſummo ſuo in Religionem fervore tam zeloſè inſinuare dignatur, curam fidei non inter ultima, quod eſt veræ pietatis officium, mihi eſſe monſtrâſſem, ſi illud negotium ad judicium conſilio ultimo deſtinatum perveniſſet. Viriliter certè egiſſem, & Excell. V. vidiſſet impigrum (quodcunq; enim facio, ex animo operor) niſi Commiſſio hæc ex rationibus in tempus fortè favorabilius dilata fuiſſet. Unde & ego in Diœceſim meam (quæ his infeliciſſimis peſtis, & belli temporibus maximè aſſiſtentiâ meâ ad conſervandas puſilli gregis reliquias eget) abivi, & in illa moror, ubi ulteriora mandata Excell. Vræ cum deſiderio exequendi eadē opperior, & ſacras manus reverenter exoſculor.

EXCERPTū EX LITERIS AMICI CONFIDENTIS Vilnâ 24 Apr.

APud nos eſt videre miſeriam, qualis nec in hiſtoriis legitur, nec in ſeniorum memoria eſt. Aura apud nos ſaluberrima, peſtis nulla, contagio nulla prorſus, mortes tamen innumerabiles ob famem inauditam. Stupebis ad ea, quæ ex vero ſcribo, quotidie oculatus teſtis, & certâ notitiâ. Tonna ſiliginis florenis 60. In Volhyniam hînc currus expediuntur pro coemendo frumento. Ruſtici à milite omnibus exuti, millia palabundi, anguſtiati, egentes cum uxoribus & liberis Vilnā confluunt pro ſtipe emendicanda, quibus alendis vix provincia ſufficeret. *Lues Vilnæ ex fame.*

A.C. 1710 ret. Hi populi ſicut aquæ multæ inundârunt; cadunt ſicut muſcæ, quotidie omnes plateæ plenæ cadaveribus mortuorum. Nemo afficitur, cives, familiæ, & quibus panis non deeſt, ſani ſunt, nihil curant, ſiccis oculis tranſeunt, ſuis intendunt. Menſe Julio anni elapſi quidam tertij Ordinis Eremitarum S. Franciſci cum ſocio, ſuſcepit curam ſepeliendorum (qui etiam pro hoc charitatis obſequio obtinuit Hoſpitale ad arcem, ac duas domos, jamq; crucem affixit) hic hactenus colligit quotidie cadavera per plateas, (habet enim duos carros & famulos veſpillones) & plenos currus quotidie evehit, ad unam foveam 70 ad aliā 60 &c. Sepelit illos extra civitatem in variis montibus. Jamq; à Julio uſq; ad Sabbathum Dominicæ Paſſionis incluſivè ſepultorum annotata habet in charta 22862. Nunc intra tres hebdomodas multi centeni acceſſerunt, quorum numerum nondum reſcivi. Hac nocte præcedente triginta aliquot ejuſmodi mendicabulorum (jacent enim in omnibus plateis ante domos, clauſtra ac templa) inventa ſunt hodie manè extincta; ducuntur carris ad foveam, ſicut ligna, prout inveniuntur. Socius hujus Patris ex alto ponte cecidit, & collum fregit, nunc ſolus operatur. Ante hebdomadam dum eveheret cadavera 10 in grandi curru, milites exotici equos ei rapuerunt ab ipſo curru. Civium charitas alios illi reſtituit, pergit in opere ſancto. Inter hæc omnia tanta adhuc eſt ejuſmodi plebis multitudo ſpirantium & langventium. Ad portas ſingulas trium domiciliorum Patrum Soc: JEſu plures quam 400 quotidie cibantur, datur particula panis & cochlear alicujus oleris, idem fit apud quoſdam alios Religioſos, ſed quid hæc inter tantos? audias ſtatum Jeroſolymæ. Dum equus extinctus effertur, aut alicubi cadit, turmatim accurrunt, & contentiosè ſcindunt aſſaturas, ac devorant; præterquam quòd hæc certò ſcirem; multi ij ipſi qui id fecerunt in Quadrageſima mihi faſſi ſunt. Cati, canes habentur in deliciis ſicubi arripi poſſunt. Aliqui excurrunt ad pagos, & accendunt horrea, ubi pecora aſſervantur, & poſtea uſtulata devorant. Aliqui poſt Vilnam ejuſmodi Ruſtici mactarunt Dños, & ſubſtantiam pro eſca ſibi diviſerunt, ac vagi diſperſi ſunt. Septem milliaribus poſt Vilnā maritus cum uxore mactârunt filium primò minimum, deinde ſecundum annorum prope ſeptē, coxerunt, devorarunt. Aliqui mortuorum hominum cadavera in eſcam ſibi ſumpſerunt. Hæc non ſolùm circa Vilnam, ſed etiam Düneburgo, Novogrodeco & aliunde ſimilia & eadē huc perſcribuntur. In viis, in ſylvis, plurima reperiuntur cadavera fame enectorum, quæ jacent inſepulta, luporum præda. In pagis plurimis domus ſunt impletæ cadaveribus humanis, ſolitudo, nemo ſepelit, putreſcunt ſuper terram. Reperti etiam caupones, qui divertentes ad ſe hoſpites mactarunt, carnes ſale conſperſas in tonnis aſſervarunt. Ruſtici quorundam nobilium cum aliquid venale ad civitatē ferunt, relictis equis aut bobus extra civitatē, ne rapiantur à milite exotico, ipſi currū trahunt ad forū. Hic ſtatus huj⁹ Provinciæ.

AMICO CONFIDENTI 25 Decembris.

QUod orbis novit univerſus, ab amica exaratum manu oculo perlege benevolo. Affligens afflixit Dnus plurium annorum decurſu Poloniam, bello, fame & peſte. Bello, quando diſcordantibus civium animis pars Regis AUGUSTI, pars STANISLAI partes ſecuti, exteros milites, Moſchos, Suecos & Saxones in viſcera Patriæ induxerūt. Stupebit poſteritas tot annis Poloniam ejuſmodi alumnis ſuſtentandis ſuffeciſſe, vel maximè recolens per univerſum Regnum & M.D. Lit. igne ſævitum à Suecis, nobiliſſimas arces ſubrutas, domos cum ſupellectili,

horrea

horrea cum frumento, quandoq; cum pecoribus (dum omnibus abigendis exercitus non ſufficeret) hortos cum arboribus incineratos. Edax hoc elementum per 30 alibi milliaria vix caſam reliquit intactam, ut vel in partes Sueticas pertraheret, quos amor coronato capiti conjunxerat, vel in cineribus theſauros quærerent pro exactionibus perſolvendis, quibus res anguſta domi. Succeſſit altera plaga, fames, ut ex prioribus meis collegiſti. Ortum illa habuit ex eo, quia gens aſcendit in terram, quæ meſſuit quod non ſevit, & quod ſemini DEus non benedixerit, omnis enim ſiligo in caſſum in terram jacta, 30 modii ſeminati alibi nec unum reddidère. Adjuvit calamitatem hanc intenſſimum gelu anno 1709. in Januario & Februario, quo non ſolùm arbores paſſim in hortis & campis, ſed etiam aves in àëre, & animalia in ſtabulis & ſylvis copioſè emortuæ. Nec ſolùm frigore aſt contagioſa etiam lue pluribus in locis pecora ſunt abſumpta. Supervenit tandem & tertia plaga, peſtis, quæ dominata prius in Regno evacuavit Cracoviam, Leopolim, Poſnaniam, Caliſſium, Varſaviam & plurimas alias civitates ac pagos, tranſiit in Pruſſiam, anno 1709. Thorunii menſe Septembrri initium ſumpſit, ſpatio quatuor menſium ſupra 4000 hominum, inter quos ultra centum cives, abſumpſit. Recruduit ibidem anno 1710. in Junio & Julio. Magis ſæviit Gedani, ubi mortuorum catalogus in una connotatione extendebatur ad 25000, volunt alii durante hac calamitate è viris ceſſiſſe 48000. Nec Regiomonti benigniorem ſe Mors exhibuit, aut Tilſæ aliisq; civitatibus Pruthenicis, ut in pluribus locis non fuerint homines, qui frumenta demeterent, debuerintq; coloniæ aliunde duci, pecora ſine Dñis paſſim per campos vagabunda efferefcebant. Nec Varmiæ parſum, in qua contagione mortuorum numerantur 12000, maximè luit Brunsberga, Meelſaccum, Fraunburgum, Allenſteinium, Heilsberga, Reſſelium & Bisburgum. Vormditum, Guttſtadium, Seeburgum, Vartenburgum, Biſteinium præſervata. Exhauſta nuper fame Litvania, modò peſte pene evacuata eſt. In ſola Vilna hoc anno à medio Julio mortuorum (de quibus ſcitur & connotati ſunt) Chriſtianorum ultra trigiuta millia, Judæorum tria millia octingenti aliquot. Præterea totam Litvaniam inundavit hæc contagio, vix pagus ubi non graſſata & etiamnum ſerpit. In tota Samogitia cum Religioſis tantùm 17 remanſerunt Sacerdotes. Ex Canonicis Vornienſibus unus manſit ſuperſtes. Collegia PP. Societatis Croſenſe, Poſſavienſe, Caunenſe, Reſidentia Mittavienſis &c. pene evacuata. Tam in Regno quàm magno Ducatu Litvaniæ plurimi in obſequio peſte infectorum ceciderunt victimæ charitatis, ſuper quo cum Nuntius Apoſtolicus in Regno Poloniæ ſcripſiſſet ad Sanctiſſimum, hic ſibi à Patre Generali ejuſdem Societatis exhiberi voluit nomina in hoc charitatis obſequio defunctorum, moxq; inſtituta Congregatio Cardinalium in ordine ad Canonizationem B. Stanislai Koſtka, nec non aliorum ejuſdem ordinis.

A.C. 1710

Gelu

In hac contagione obſervatum egentes maximè infectos & conſumptos fuiſſe, prægnantes raro feliciter enixas; lactentes ſæpe ad ubera mortuarum matrum illæſos permanſiſſe, raras aves in àëre comparuiſſe, tempore ſiccitatis fere quavis nocte viſas coruſcationes abſq; tonitru & pluvia, quod quibuſdam videtur eſſe ſignum futuræ peſtilentiæ, menſe Septembri anno 1708. extraordinarium fuiſſe calorem, ita ut ſecunda vice roſæ germinaverint.

Obſervata tempore peſtis

COPIA

A.C. 1711

COPIA EPISTOLÆ PERILLUSTRIS & Adm̃ Rndi D. ROGALLI Gutſtadienſis Canonici, Secretarij S. R. Mtis Sigilli majoris Regni ad Magnificũ D. Kolinski Notarium Decretorum in Curia Regni. Gutſtadiô 1. Maji Anno 1711.

Authoris morbus, & circumſtantia mortis.

AMOENUS Majus alijs in flores, in triſtes nobis reviruit cupreſſos, quos eò acerbiori dolore, quo lætiori tempore, penè oppreſſit; Dum flos ille Præſulum Antiſtes, & Princeps Noſter VARMIENSIS Mortis falce ſuccisſus occubuit. Prima hujus Menſis, ultima fuit illi dies, in ipſa aurora ſolis, inter ſecundam & tertiam horam fatalem adferens occaſum, quem quia & tibi dolendum non ignoro, in commune utrinq; doloris levamen circumſtantias morbi & mortis, nulli ſatis luendæ, accipe ejus viri qui ut vivens memoriam meruit ſæculorum, ita moriens in memoria ſaltem noſtra vivat. Cauſa præcipitis fati, ſi naturæ arcana ſcrutari licet, videtur fuiſſe Quadrageſima ſolito ſtrictiùs in viliorum eſu ciborum traducta, & in continuis hujus Collegiatæ variarum devotionum exercitijs utcunq; finita, potiſſimum Hebdomada S. inter cujus ferias omnibus Eccleſiæ ſolitis ceremonijs Ipſe in perſona licet jam ſatis ægra fatiſcens valetudine, ritè exactis, dolorem fluxumq; oculorum ipſo Paraſceves die, quaſi condolens & paſſo illacrymans Salvatori, contraxit, quo tamen, ceu nullo periculo, ſpreto, illo & ſequenti Sabbatho S, à paſtoralis pietatis non deſtitit propoſito, donec non ſine magna omnium ædificatione, tam longas illo die circa fontem &c: finlviſſet ritus, brevi & vitam finiturus. Dominicâ Paſchalis ingraveſcente malo in privato oratorio hoſtiam DEo litare coactus non ſine infauſto multorum omine, malè præſagientium, ne & ipſe Paſchalis victima avitus hic Agnus brevi pòſt morti cadat in holocauſtum. Fefellit (ac utinam fefelliſſet) ſpes tantiſper omen, ac in melius commutavit, cùm ille non jam ſolutus ægritudine, quàm occulta vi morbi in inſidijs latente perfectè ſe ſolutum credens exactis Guttſtadij Feſtis Paſchalibus profectus eſt Brunsbergam, ubi poſt collatos aliquot Pontificij & Diœceſani Seminarij Alumnis minores Ordines, Frauenburgum ad Eccleſiam Cathedralem negotia quædam abſoluturus, an veriùs præſago quodam naturæ inſtinctu, ultimum vale Sponſæ ſuæ dicturus, excurrit, extraordinariè omnibus viſus eſt lætus & vegetus. Sed ut in mari nimia malacia Nautis, ita mortalibus nimia lætitia ſemper ſuſpecta ſit neceſſe. Regiomontum inde potiorem ſubſtantiæ ſuæ, partem ſecuritatis gratiâ ibi depoſitam diſpoſiturus, quaſi præſcius futuri, ivit. Et certè non ſine interno quodam animi præſagio, toto hoc elapſo anno, omnia in eum finem agebat dicebatq; ac eo modo, quaſi certo ſequentem non eſſet ſupervicturus, quod eventus monſtravit, hinc & teſtamentum non ſine reflexione ad ſingulas circumſtantias confectũ paratumq; habuit, in quo præter diſpoſitionem ſubſtantiæ, piaq; legata omnem pompam funeris ſeveriſſimè inhibuit, ſimplici abſque ulla veſtitura tumba contentus, etiam epitaphium præſentem exprimens annum reliquit hoc acroſtycho. *Hic jacet Andreas Epiſcopus*, tandem: ConCULCate peCCatoreM zaLUski, aC pro eo orate. Regiomonti primâ adventûs ſui nocte ſtomachi viſcerumq; inſperatus dolor eum inceſſit, qui tandem in tumorem quendam dextri colli degeneravit, utcunq; tamen ſenſim remiſſo malo, Miſſam in illa celebravit Eccleſia, iterq; demum 3tia die Gutiſtadium ad ſuam pro tunc reſidentiam arripuit. At vix attigit locum, latens leniterq; hactenùs ſerpens malum jam notabiliter invaleſcere, viresq; exerere cœpit, cui imparem reſiſtendo naturam ſentiens Regiomonto familiarem olim ſibi Medico-chirurgum Saint Blancart Gallum ſæpius aliàs felicem ejus manum expertus advocari curavit, qui accurrens 27 Aprilis, continua obſervata febri auctoq; præter ſolitum tumore, à corrupto hunc provenire ſangvine, aut diffuſa bile ſuſpicatus, venâ ſecuit, applicuitq; remedia quæ ex peritia artis congrua judicavit, non tamen ſine metu, quod prodroma quædam lethargi ſigna obſervâſſet. Die 29 ejuſdẽ ſupervenit Rdmus D. Roſtkowski Suffraganeus Luceorienſis ab infirmo expetitus & expectatus, cum quo & aliis præſentibus jucunda miſcebat colloquia ita vivaciter, ut omnes in meliorem de ſe erigeret ſpem; nihilominus D. Suffraganeus pro antiqua erga eum confidentia, inſinuavit ipſi diſpoſitionem animæ & ſubſtantiæ, qui æquo id animo ferens reſpondit: ſubſtantiam jam eſſe diſpoſitam per Teſtamentum & codicillos; quo ad animam verò jam quidem à longo tempore ſe ad mortem diſpoſuiſſe nunquam tamen ſufficientem poſſe fieri pro illo tremendo articulo diſpoſitionem. Suſpicans autem ex inſinuatione ejuſmodi aliquod ſibi imminere periculum, adhortatus medicum, ut eum de hoc ſincerè præmoneret, & verum ediceret, quid de ſtatu ſuo ſentiret: qui reſpondit rem eſſe inter ſpem & metum, ſuaſitq; ut etiam alios vocare curaret Medicos pro formando conſilio; ſed æger replicavit: nolle ſe in forma mori ſcilicet inter multorum argumenta medicorum, ſufficere ſibi unum qui ſuas jam pridem novit infirmitates, eaſq; feliciter hactenus curavit. Quod ſi DEus (inquit) exitus mei determinaverit horam, malo ſub fida unius experti manu Divini executionem expectare decreti, quã

omni

omni momento promptus acceptabo. Aliquot poſt horas vocavit ad ſe Dnum Suffraganeum, cum quo prolixum habuit ſermonem, pluraq; ipſi revelavit animi ſui arcana. ſoli Dno Palatino Czerniechoviæ in anteceſſum nota. Inter alia, quòd non valens tantas Epiſcopatus hujus tolerare & tollere oppreſſiones ac injurias, per continuas & graviſſimas variorum exercituum extorſiones, metuensq; poſt hac graviores adſcivit ſibi in Coadjutorem (accedente Sereniſſimi Regis inſtantia) Sereniſſimum Ducem Saxzeit Primatem Hungariæ, eo ſolo motivo, ut ipſe pro ſua majori Authoritate, poſſet ulteriori Epiſcopatûs occurrere ruinæ vel jacturæ. Videnſq; ſtatum Reipub. maxime perturbatum, & cupiens reliquos vitæ ſuæ dies in quiete & pœnitentia ac mortis meditatione finire, firmum & immutabile fecerit propoſitum deponendi ſigillum in manus Sereniſſimi Regis obtenta jam ab eo ſponſione, quòd Sigillum minus perſonæ à ſe electæ collaturus eſſet, ad quod munus jam pridem in corde ſuo deſignatum à ſe dixit eundem Dnum Suffraganeum, quod ſecretum jam longè ante Dno Prædicto Palatino concrediderat. Reſignato verò ſigillo retentaq; aliqua ex Epiſcopatu penſione, quòd ad aliquem privatiſſimum ſecedere locum fixum ratumq; erat, omniaq; ad eum finem media eſſe jam diſpoſita. de loco tantum relicta deliberatio; cupereq; ſe iſthæc perficere vota in Monaſterio aliquo, ejuſque muros utinam quàm citiſſimè deoſculari liceret. Et quidem (ajebat) Anconam vel maximè mens me trahit, uti ad locum majoris meæ humiliationis. O Ancona amabilis! ô Ancona felix! (repetebat cum lacrymis & ſuſpiriis) ô Ancona quæ mihi oculos aperuiſti, ut penitius me & mundum cognoſcerem, ô Ancona quæ me DEO conjunxiſti &c. Si verò DEus firmam hanc imò firmiſſimam non permiſerit reſolutionem à me adimpleri, vitæq; meæ fila præciderit; forſan prævidet, quòd eum adhuc offendere poſſem, ideoq; libens etiam nunc mortem oppetere imò & appetere volo, ſi ita Dno vitæ & necis placuerit. Sum obligatus medico, quòd me de imminente præmonuerit periculo. Et obſervo quòd omnia ita mihi eveniunt, uti prædixit; plura ſimilia locutus in particulari de ſua diſpoſitione ſubſtantiæ, quæ uti & parvulos Nepotes D. Palatino commendabat, omnia majora debita à ſe jam hoc anno perſoluta, ſiq; ſupereſſent minora, ea ex derelictis perſolvenda: Multa de Deo, de æternitate ſummo pietatis ſenſu proferebat, cum omni animi reſignatione & ad mortem promptitudine. Hinc ad mentionem ſpei reſtituendæ ſanitatis, vitæq; prorogandæ, reponebat ſemper: fiat, ſi eſt Dei mei voluntas; declaravitq; ſe velle in craſtino exomologeſi ſacrâ peccata expiare, ac viatico & extrema unctione muniri. De mane ipſe ſua ſponte vocato ordinario ſuo Confeſſario R. Dno Jezewski confeſſus, cum ſignis ſummi doloris. Quia verò ſequenti luce feſtivitas Ss. Philippi & Jacobi Apoſtolorum imminebat, erga quos ille totâ vitâ ſingulari certæ devotionis ferebatur cultu vel maximè à S. Philippo conſilia petebat in dubiis, quem ipſe Chriſtus interrogavit; unde ememus panes? indicavit ſe cupere in eorum ſolemnitate, cætera percipere Sacramenta. De quo D. Suffraganeus certior factus accurrit, ſuaſitq; ſeria non eſſe differenda in craſtinum, de quo non conſtat utrum erit noſtrum, ſi verò vita foret ſuperſtes, poſſe alia communione ſacra illos Ss. honorari Apoſtolos: dum his æger non ægre imò annuit facile, utq; prælegeretur ipſi per D. Chluski Secretarium, ex quodam pio libro ab ipſomet vernaculo idiomati donato, caput de pia ad communionem ſacram ritè percipiendam diſpoſitione, quæ lectio per mediam durabat horam, ipſo attentè auſculcante, D. Suffraganeus in aſſiſtentia totius Cleri & Canonicorum hujus Eccleſiæ Collegiatæ attulit Ss. Sacramentum, poſtq; brevem & devotam exhortationem ſuſpiriis & lacrymis infirmi exceptam, juſſit is è lecto ſe levari cũ propriis niti virib9 debilitas jam non concederet, fruſtra illũ incommodũ inhibente motũ D. Suffraganeo. Et ſic poſitis in terra genibus in ſpiritu humilitatis & animo ad pietatem compoſito ultimam Ss. Corporis Chriſti ſumpſit refectionem, & mox in margine ſedens lecti, extremam unctionem, ad ſingulos ſenſus pro delictis cujuſq;, contritionis ſatis vivaciter eliciens actum. Depoſitus in lecto Teſtamentum animæ à S. Carolo Borromæo cõpoſitum, & à ſe per totam Diœceſim aliquot ante annos tranſmiſſum, & certis publicè in Eccleſia temporibus legi à Clero & populo demandatum, à ſe verò ultima cujuſvis Menſis die cum tota familia repeti ſolitum, mandavit à præſentibus tunc familiaribus ante ſe, ſuoque nomine flexis genibus perlegi, quod, etiam ſtatim manu propria tanquam ſingula in eo contenta approbans ſubſcripſit. Hac uſus occaſione D. Suffraganeus, iterũ teſtamentum ratione diſpoſitæ ſuæ ſubſtantiæ inſinuavit, ac ubinam eſſet inquiſivit, quoniam verò ante aliquot annos, conditum intellexiſſet, aliquo ſigno approbari illud ſuaſit. Tum æger invitari ad ſe juſſit D. Palatinum Czerniechoviæ, in cujus manus Teſtamentum 3b9 obſeratum ſigillis conſignavit & quod in eo ſcripti eſſent Executores, idẽ D. Suffraganeus & D. Kunigk Cuſtos & Officialis Varmienſis, indicavit, ad quos eundem D. Palatinum Czerniechoviæ tunc adjunxit, multaq; cum eo contulit totamq; ſuam ſubſtantiam quæ non eſſet teſtamento vel Codicillis diſpoſita eidem commiſit, & tradidit; approbationem & innovationem hujus Teſtamenti ſalvis Codicillis ante omnia exequendis,

A. C. 1711

A.C. 1711 dis, in exteriori Teſtamenti ſigillati parte per ſuum Secretarium D. Chluski ſcribi juſſit, & ipſemet ſubſcripſit ad menſam ſedens, ad quem ſe duci eo fine præceperat, ibidemq; 4 Nepotibus Palatinidis Czerniechoviæ & Raven, ultimam impertitus eſt benedictionem, cum energica Paſtorali exhortatione, ut Deum timeant & Parentes honorent. Demum ad lectum reductus, Hic quæſivit ex eo D. Suffraganeus, an moleſtum non foret, ſi aliqui pij affectus illi inſinuarentur, huic periculoſo tempore opportuni, quin imò (reſpondit) rogo ut nihil omittatur, quodcunq; ſaluti animæ conducere ſcirent. Idcirco idem D. Suffraganeꝰ alternis vicibꝰ, cũ R. P. Euſtachio Reüſcher Soc. JEſu, Moderatore D. Palatinidæ Czerniech. varios ipſi pios inculcabant affectus illi tempori congruos. Circa 2dã poſt meridiẽ horâ vicina mortis ſigna, & langvores ſentire cœpit: identidẽ è lecto ad menſã ſe duci jubendo, ad quã imprimis Litanias à ſe cõpoſitas de diverſis Ss. per ſingulos hebdomadæ dies diſtributas & à ſe cum Familia ſingulis Veſperis recitari ſolitas dicere tunc voluit, ſed ob debilitatem non valuit, quas ideo D. Suffraganeus prælegit, de SS. Trinitate. Nihilominus ſurgens à menſa non ſine pietatis ſenſu ſuſpiciens in cælum ejusq; deſiderio captus dixit: Si moriendum eſt, utinam ſuaviter mori liceat, in ſpem erecturus de non timenda bene diſpoſitis morte ſubjunxit D. Suffraganeus verſiculum Pſalmi: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi &c. Poſtquam paululum in lecto quieviſſet, iterum ad menſam ductus Capitulo huic, ante ſe genu flexo benedixit, ſed verba proferre non potuit; ad lectum reportatus, nam pedibus jam inſiſtere non valebat ſupinus & immotus ad finem jacuit. Hic Indulgentias in articulo Mortis à Summo Pontifice ipſi conceſſas in memoriam ei reduxit D. Suffraganeus, ut eas tunc ſibi applicaret, Imaginem Servatoris Crucifixi & DEiparæ Virginis ſæpius ab ipſo devoto oſculo exceptas, ſacras Reliquias, & Roſarium ante ipſum poſuit, aquâ luſtrali lectum & cubiculum ſæpiùs aſpergi, herbas benedictas cremari, cereum ſacrum accendi, Commendationem Animæ, & varias Litanias, & Pſalmos à clero aſſiſtente dici juſſit, Ipſe interim varios actus & affectus ægro inſinuans cum ſupradicto Patre, donec poſt horam 5tã in lethargum incidiſſet, & Medico atteſtaote nihil jam audire vel percipere potuiſſet; Orationes tamen ab aſſiſtentibus continuabantur. In eo lethargo ſenſim fatiſcentem viribus, & gradatim debilius reſpirantem, ad extremaq; deductum, poſt horam 2dam matutinam cadavereus infuſcavit color, quod ubi advertimus, ultimum inſtare punctum conjecimus. Ideoq; orationes ſolitas pro Agonizante ingeminavimus, ubertim cadentibus lacrymis, ſupra fatis tanti Præſulis, & Paſtoris noſtri, qui ſatis quietè ùt optabat omnibus munitus Sacramentis, & optimè quantùm per morbi circumſtantias licuit per virtutum illi tremendo articulo opportunarũ actꝰ diſpoſitꝰ, in aſſiſtentia totius cleri ſui, viam æternitatis, ut ſperare & piè credere fas eſt felicis, ingreſſus, adeo inſenſibiliter, ut dubitaremus, an jam certò obdormierit in Domino. Depoſito dubio mox pro more à clericis ablutus, & Pontificalibus indutus in porticu expoſitus, ob majorem commoditatem, ad ſpectandum & pro defuncto orandum, concurrentis multitudinis, quæ pro ſingulorum affectu, varios ſenſus & ſermones miſcebat. Nempe prout quisq; affectus rebus ita loquitur. Sed ſcrutator cordium DEus certiora format judicia, & ſæpe quos homines incuſant ut reos, abſolvit ut juſtos, ſic poſtquã communi omnium neceſſitate aureum hoc noſtrum Os, tam nuper in Patria vocale obmutuit, & ego juſto ſuccumbens dolori, calamo impono ſilentium, Teque bene quàm diutiſſimè valere opto.

INDEX RERUM
Quæ Tomo III. continentur.

A

Abitus Regis. 890
Acta apud Suecos & Sapiehas 236
Acta Dresdæ 673
Acta in comitiis Varſavienſibus anno 1701. 137
Acta Suecorum Cracoviæ 226
Acta Suecorum in Curlandia anno 1702. 156. 134
Acta Varſavienſis Conſilij 235
Acta Moſchos inter & Suecos 278
Acta in Volhynia 294
Acta in Ukraina 335
Acta Thorunij 364
Acta ſub Pultovia 463
Acta cum Rege Sueclæ 471
Acta in comitijs Lublini 502
Acta Varſaviæ 547
Acta in conſilio & exercitu 562
Acta Lipſiæ 611
Adventus Regis denuntiatur 883
Ærarium Regis Sueciæ 195
Aggravationes in œconomijs 98
Aggravationes Sueticæ 188
Aggravationes in Varmia 304
Allocutio Raczynſcij 410
Apologia Theſaurarij Regni. 250 282. 285.
Apprecatio dignitatis 193
Archiepiſcopus Leopolien. captus. 805
Arreſtum ſuper res Regis à Gedanenſibus. 607
Articuli aliqui ex tractatu fœderis. 603
Audientia Commiſſariorum apud Regem Sueciæ 454
Auxilia externa. 635

B

Baſſani Canonici cauſa. 291
Bechling in carcerem acceptus 496
Belli inchoati an conſcia Reſpublica. 67. 72
Bellum Regi diſſvadetur 44
Bialoſor Canonicus. 875
Brevia Apoſtolica de Coronatione Regis Pruſſiæ 62 & ſeq.
Breve Apoſtolicum ad Epiſcopos Poloniæ 228. 649. 874
Breve Apoſtolicum Epiſcopo Varmienſi 370
Breve Apoſtolicum ad Imperatorem. 841

C

Cædes in Litvania. 256
Calamitates Poloniæ 904. 881
PP. Camedullorum oppreſſio 98
Carolus Rex Sueciæ à Miniſtris Status interpellatur de tranſitu in Poloniam 70. Succurrit Rigæ & Narvæ 68. Dat cauſas cur exercitum non poſſit reducere in Sueciam 109. Die Coronationis corona cadit de capite ejus 829
Caſus Regis Sueciæ 280
Clades Suecorũ ſub Zamoſtio 443
Clades Moſchorum 68
Clypeus cœlo datus 858
Collocatio militis 335
Comitiorum deſignatio 44
Comitia Varſavienſia anni 1702 126
Comitia Varſavienſia anni 1702 156
Comitia Pruthenorum 847
Commiſſarij ad tractatum 449
Commiſſio cum Suecis 460

Digitized by Google

Concernentia coronationem Regis Pruſſiæ 26
Concluſio Conſilij Mariæburgenſis 207
Concluſio Conſilij Varſavienſis 263
Concluſum Senatûs Conſilij 191
Concluſũ Conſilij Thorunenſis 367
Concluſum Conſilij Mariæburgenſis 450
Confœderatio Majoris Poloniæ 282 353 517
Confœderatio Sendomirienſis 241
Confœderationis inſtrumentũ 288
Confœderatio M. D. L. 429
Confœderatio Tuſſowicenſis 767
Conflictus inter Suecos, Saxones, & Moſchos 66
Conflictus inter Suecos, Saxones & Polonos 219
Conflictus ſub Pinczovia 222
Conflictus cum Clausbonde & ſub Varſavia 667
Conflictus ad Caliſſium 787
Conflictus Koniecpolienſis 839
Conflictus cum Suecis 850
Conflictus Kwarcianorum 852
Conſecratio Regiomontanæ Eccleſiæ 21 Tilſenſis 105 Novæ civitatis Brunsbergenſis & aliarum 190 Reſſelij in ſuburbio 215
Conſecratio Joachimi Skirmont 191
Conſiderationes pro futuro congreſſu 632
Conſiderationes de ſciſſa Rep. 798
Conſilium Mariæburgenſe 217
Conſilium Varſavienſe de coronatione Regis Pruſſiæ 4
Conſilia variorum in negotio Sapieharum 145
Conſilium poſt-Comitiale 162
Conſilium Leopolienſe 314 803
Conſilium Grodnenſe 759
Conſtitutum ab exercitu Regni 690
Conſtitutũ conſilij Grodnenſis 751
Contributiones à Suecis requiſitæ 53
Contributionis ſolutio urgetur à Gedanenſibus 60
Controverſia fidei 140
Controverſia Clavæ ducalis 838
Converſio aliquorum ab hæreſi 25
Convocatio ad conſilium 387. 391
Coronatio Regis Pruſſiæ. 1. 14. 17. 27
Coronatio non præjudicat juribus Poloniæ 33 & ſeq.
Coronatio prohibetur 657
Cracovia occupatur 246
Cur Carolus Guſtavus rupit fœdus 481
Częſtochovia obſidetur à Suecis 277

D

Declaratio Electoris Brandeburg. de aſſumpto titulo Regis Pruſſiæ 7
Declaratio Regis Sueciæ 49
Declaratio Palatinatûs Siradien. 404
Declaratio amniſtiæ Coſacis dandæ 415
Declaratio ad puncta legatorum ad Regem Sueciæ 577
Declaratio Regis circa concluſionẽ Concilij Jaworovicenſis 581
Declaratio Regis ſuper libellum porrectum 832
Declaratur nullitas electorum adminiſtratorum 821
Decretum contra Bechling 587
Defenſio læſi 413
Dethronizatio diſſuadetur 210
Dignitatum collatio 158
Dilucidatio deſideriorum civitatis Gedanenſis 303
Dünamünda occupatur 67
Diploma aſſecurationis datum Litvaniæ 21
Diploma donatæ artileriæ 262
Diploma pro Marchionatu domui Sallarolianæ 500
Diploma Regis Stanislai datum ordinibus regni 700
Diſcordia in Litvania 59. 88
Diſlimitatio inter Polonos & Turcas 595
Diſſuaſio confœderationis 554
Diſpunctio libelli famoſi 71 & ſeq.
Dluſzewski Adminiſtrator 834

E

Eccho reſponſi. 85
Edictum Pontificis contra Primatem

tem. 646
Edictum Regis AUGUSTI. 675
Eliberatio Principum regiorum 651
Eliberatio Principum Poloniæ 792
Epulæ funeſtæ 256
Exactiones militares 312
Examinatores cleri 878
Exceſſus Saxonum 71
Excommunicantur invaſores bonorum Eccleſiaſticorum 613
Exercitium Religionis in Pruſſia 833
in Saxonia 834
Expeditio pro convocatione 625

F

Fames. 903
Fœdus inter Reges Poloniæ & Sueciæ 733
Forma juramenti communis motûs 115
Fulmen 256
Funus Reginæ Pruſſiæ 655

G

Gedanenſibus ſuadetur contributio danda 139
Gelu 905
Gravamina à Suecis 99
Guarrantiæ petitio 894
Guarrantia 900

H

I

Jacobus Princeps queritur œconomias hypothecatas aggravari 123
Imperator Turcarum amicitiam promittit 556
Imperator recognoſcit Stanislaũ 804
Incendium in arce Cracovienſi 276
Indictio Comitiolorum 543
Informatio Regis data Deputatis ad Litvaniam 22
Informatio Nuntio Apoſtolico 455
Inſinuatio malè actorum 421
Inſtructio Regis data Legato ad Regem Pruſſiæ 15. Reſponſum à Rege Pruſſiæ 16
Inſtructio Regis data Lubinſcio 22
Inſtructio Regis ad comitia 56
Inſtructio Deputatorum Litvaniæ ad Regem. 96
Reſponſum ad hanc inſtructionem 101
Inſtructio nuntijs data ex comitiolis Szredenſibus 118
Reſponſum Regis ad inſtructionem 121
Inſtructio Legatorum ad Regem Sueciæ 153
Inſtructio Fictomio data 186
Inſtructio data Legatis 260
Inſtructio Legatorum Palatinatus Pruſſiæ ad Regem Sueciæ 346
Reſponſum 349
Inſtructio Commiſſarijs data ad exlimitationem 371
Inſtructio Commiſſarijs ad renovandos limites 483
Inſtructio ad Palatinatus 488
Inſtructio à Confœderatis Palatinatibus 528
Inſtructio Legatis data ad belli duces 550
Reſponſum ad inſtructionem 551
Inſtructio ad Regem à Palatinatibus 559
Reſponſum 561
Inſtructio ad Regem in Pruſſia 568
Inſtructio pro comitiolis 625
Intimatio interregni 810
Invitatio pro conſilio 265 419
Invitatio pro dislimitatione 493
Invitatio ad conſilium Varſavienſe 666
Invitatio ad unionem 790
Joannes III. non fert à Primate Regalia uſurpari 5
Joannis III. laus 19
Juramentũ Epiſcopi Varmienſis 313
Juramentum Senatorum 357
Jus convocandi Senatum 420

K

Kokenhauſe occupatur 68
Ducis de Kroij jactura ibid.

L

Legatio ad Regem Sueciæ. 185 & ſeq.

)2(Lega-

Legati petunt audientiam 171
Grodna determinatur pro audientia 172
Legationis impedimenta 181
Legationis Sueticæ retardatio 185
Legatio in Hiſpaniam 227
Legatio & mediatio Reipub. non admiſſa 231
Legati Galliæ cauſa 248
Legatio à Palatinatu Cracovienſi ad Regem Sueciæ 255
Legatio Cæſaris 257
Legatio ad Regem Sueciæ 258
Legatio ad Aulam Brandeburgicã 381
Legatus detentus 436
Legatio Moſchovitica 592
Leſzczynski Palatinus Lencicienſis 170
Leſzczyncio ſuadetur reconciliatio cum Rege 323 licentia legatis data à Rege Sueciæ abeundi 201
Literæ Regis Sueciæ ad Primatem 46. 84
ad Ordines Poloniæ 47
ad Exercituum Ducem 49
Primatis ad Regem Sueciæ 50.177
Regis Sueciæ ad Primatem 155
Regis Poloniæ ad Imperatorem 177
ad Regem Galliæ 178
Literæ Primatis ad Palatinatus Majoris Poloniæ 179
Literæ Primatis reſponſoriæ ad Senatores 187
Literæ Primatis ad Regem Sueciæ & hujus reſponſoriæ 200
Primatis ad Brandeburgicum petitoriæ ne concedat Suecis tranſitum per Pomerainam 909
Regis Poloniæ ad Senatores 211
Literæ legati Regis Galliæ ad Piper 229
Ejuſdem ad Theſaurarium M. D. L. ibid.
Literæ Regis ex caſtris 240
Ducis exercituum 247
Literæ Regis ad Theſaurarium Regni 251
Literæ interreptæ 251
Literæ Palatini Mariæburgenſis ad Theſaurarium Regni. 263
Palatini Maſoviæ ad Piper 267
Leveſi nomine Pontificis ad Regẽ Sueciæ. 341
ad Regem Sueciæ & viciſſim 270
à Confeſſario Principis Jacobi ad Patkul 289
Literæ Regis ad Senatores 310
Literæ Generalis Steinbock ad Palatinum Ruſſiæ 342 ad Palatinum Volhyniæ 345 Ejuſdẽ ad Palatinatum Ruſſiæ 347. Regis Auguſti ad Regem Daniæ 361 Primatis ad Czarum 373 Dolorucij ad Mazeppam 374.
Literæ Regis Daniæ ad Regem Poloniæ 395 Czari ad Mazeppã. 399 Epiſcopi Poſnanienſis ad Theſaurarium Regni 411 Primatis ad Regem 432 Patkul ad Palatinum Belzen. 434
Literæ Reſtium 453
Cancellarij, & Procancellarij ad Palatinatus 486 Primatis ad Comitiola 491 ad Regem Poloniæ 558
Laudum Confœderationis 579
Literæ Palatini Mariæb. ad Caſtellanum Cracovienſem 589
Literæ Czari officioſæ & Comminatoriæ 599
Literæ Regis Sueciæ ad Primatẽ 615
Ejuſdem ad Mareſchalcum Confœderationis. 616
Regis ad Summum Pontificẽ 617
Primatis ad Epiſc: Varmienſ. 619
Ejusdẽ ad Electum Stanislaũ 621
Regis ad Senatum Regni 644
Czari ad Gedanenſes 658
Regis Pruſſiæ ad Primatem 663
Regis Pruſſiæ ad Regem Pol. 666
Capituli Varmienſis ad Pontificẽ & Cardinalem Pauluci. 761
Pontificis ad Cæſarem monitoriæ 837 Ducis reſponſoriæ ad Palatinum Kijovien. ante conflictũ 737
Epiſcoporum ad Nuntium Apoſtolicum 845
Epiſcopi Culmenſis ad eundẽ 847
Primatis ad Pontificem 854
Regis ad Imperat. Turcarum 897
Locatio militis Externi. 237

Ma-

M

Manifeſtatio nomine Litvaniæ contra famoſum libellum 50
Primatis & Commiſſariorum 52
Manifeſtatio 202
Manifeſtum Regis Auguſti in Conſilio Mariæburgenſi 396
Manifeſtatio Caſimiri Sapieha 524
Manifeſtatio Palatinatuum Majoris Poloniæ 581
Manifeſtatio contra Legationem Moſchoviticam 502
Manifeſtum Principis Rakocij 622
Manifeſtatio contra congreſsũ Varſavienſem 659
Manifeſtum Regis Stanislai 877
Mazeppa accedit Stanislao 867
Memoriale legati Cæſarei ad Regẽ Poloniæ 543
Ad conferentiam cũ Moſchis 884
Miſſinenſes jaculatores 831
Moneta cudenda 60
Mors Jacobi Regis Angliæ 128
Joſephi Sluska 157
Stanislai Lubomirsky 169
Palatini Cracovienſis 184
Dönhoff Epiſcopi Cracovien. 190
Mors Jabłonowski Ducis 214
Potocki Ducis 215
Mareſchalci Lubomirski 216
Mors Stanislai Jabłonowski 224
Mortis Prodromi 225
Mors Joſephi Lubomirski 366
Mors Raphaëlis Leſczynski 439
Mors Palatinæ Vilnenſis 845
Moſchi cæſi in Litvania 218
Moſchi cædunt Suecos 277

N

Neceſſitas Reipublicæ 335
Nuntiorum Curlandiæ, & Semi-Galliæ poſtulata 55

O

Obſidio Thorunij 571
Oppreſſio Civium 412
Oppreſſio Schottlandt & Stoltzenberg 604
Oppreſſio ab externo milite 650
Oratio Ludovici Pocieij 116
Oratio Suchorzewſcij 120
Oratio Clementis XI in conſiſtorio 130
Oratio Primatis in valedictione 809

P

Pacificatio M. D. L. 149. 157
Pac vult rumpere comitia 161
Palatinus Caliſſienſis vulnerat⁹ 259
Pacificationis impedimenta 268
Pacificationis media 325
Pacificationis modi 363
Paleij acta 434
Patkul occiſus 797
Palatina Belzenſis capta 798
Parænēſis de Coronationi Regis Pruſſiæ. 27
Patkul mittitur ad Regem Sueciæ 669
Peſtis in Polonia 905
Perrurbatio Regni 339
Pignus redimendum ab Electore Brandenburgenſi 59
Plenipotentia Legatorum ad Regẽ Sueciæ 155
Plenipotentia data Legatis 259
Plenipotentia ad recipiendam Biacerchviam 418
Plenipotentia ad Regẽ in Pruſſia 566
Poloniæ ſtatus 327
Poſtæ Imperialis varietas 608
Pontifex non approbat Electionem Stanislai 794
Primas Regi acerbè loquitur 45
Projectum ad concordiã ineundã 93
Proteſtatio contra Coronationem Electoris Brandeburgici 127
Promiſſorum à Czaro petitur executio 829
Prætenſio clavæ 838
Pruſſia quomodo antiquo ſtatui reſtituenda 871
Puncta ad Conſilium poſt-Comitiale 162
Puncta tractata in Conſilio 245. 246
Puncta ad conferendum cum Legato Cæſareo 297
Puncta civitatis Gedanenſis ad Regem Poloniæ. 302

Puncta Commiſſionis. 457
Puncta Legatis data 459
Puncta ad firmitudinẽ tractatûs 477
Puncta inter Regem Sueciæ & Pruſſiæ. 553

Q

Querelæ contra Sapiehas 100
Querelæ Caſtellani Cracovien. 124
Querelæ de oppreſſione 441
Querelæ Palatini Vilnenſis 534
Querelæ Cardinalis Primatis 664
Querelæ Sapieharum. 414

R

Radivilij Principis aſſecuratio ſuper tutela. 115
Regiomontanæ Eccleſiæ conſecratio 21
Reſcriptum ad Inſtructionem Stanislao Szczuka datam 95
Receptores Ragocij 543
Reditus Regis in Pruſſiam 875
Relatio conflictus Koniecpolienſis 839
Reſponſum Primatis datur Ducibus 238
Reſpublica non poteſt eſſe mediatrix 272
Reipublicæ ſtatus 872
Reſponſum Ducis Zaporovienſium 400
Reſponſum ad univerſales Primatis
Relatio congreſſus apud Primatem 428
Rebellio ſopita 455
Reſponſio ad manifeſtationem Regis Sueciæ 465
Reſponſum Regis Sueciæ Comiſſarijs datum 468
Reſponſum Primatis ad Senatores 868
Rex venit Heilsbergam 499
Reſponſum Primatis ad literas congreſſus Varſavien. 643
Rex Pruſſiæ recognoſcit Stanislaũ 803
Item Regina Angliæ 833
Reſignatio dignitatum in Litv. 845

Roboratio Confœderationis 800
Rzeciccenſis diſtrict⁹ vaſtatus 98

S

Status Reipub. calamitoſus 306
Sapieharum cauſa propoſita in conſilio Varſavienſi 4
Eorum lapſui indolet Author 7
Origo lapſus 18
Sapiehæ putantur Regi adverſari 19
Conſolatur eos Author 106
Saxones Varmienſibus moleſti 104
Saxones cæſi 105
Sapieharum literæ ad Regem & Primatem 146
Ad conclave Nuntiorum 147
Reſponſoriæ à Rege 148
Sapieharum defenſio
In Sapieharum negotio fit Seſſio 43
ſine effectu 44
Saxones pulſi Pultovia 497
Scriptum pro dethroniſatione 99
Sententia de SS. Patribus 24
Senatus-Conſilium Varſavienſe 65
Senatores captivati 876
Sermo Stanislai Szczuka 89
Joannis Odrowąż Pieniązek ib.
Sermo ejusdem 100
Sermo Palatini Lencicienſis 112
Sermo Pontificis in Conſiſtorio 128 130.
Sermo Palatini Caliſſienſis ad Regem Sueciæ 173
Sermo Præfecti ad eundem 174
Reſponſum Suecorum 175
Sermo Pontificis in Conſiſtorio 370
Senatus-conſilium Mariæburgi 423
Sermo Palatini Maſoviæ ad Regem Sueciæ 443
Sermo Thomæ Działynski 889
Sueciæ Regis reſponſum 444
Solutio militum 59
Sobieſcianæ domûs origo & acta 838
Stenau Generalis Saxonum 105
Supplex libellus Philippuci 780
Sueci Dwinam tranſeunt 105
Suecorum ingreſſus in Curlandiam & Litvaniam 134
Limites transgrediuntur 182
Suecorum captorum extraditio 237

Suc-

Succurſus venit Suecis. 239
Suecorum aliqui cæſi. 280
Sueci veniunt in Varmiam 353

T

Telonia aquatica in Pruſſia 864
Thorunium occupatur 352
Tractatus Regis Pruſſiæ cum Gedanenſibus 662
Tribunalitia Judicia ſolent Lublini peragi 509
Tumultus in Litvania 9 & ſeq.
Tumultus in Saxones 43
Inter Lubomirski & Wiſniowiecki 44
Tumultus inter Nuntios 158

U

Valachi & Tartari vaſtant circulũ Varſavienſem 275
Valedictio nuntiorum Regi 123
Varmiæ calamitas 298
Ukrainæ ſtatus 300
Ukrainenſium motuum pacificatio coſnendatur 337
Velitationes variæ 246
Victoria Suecorum de Saxonibus 131
Vilnæ lues ex fame 903
Violentia Legato Gallico illata 238
Viſitatio Spiritualium 675
Univerſale Primatis ad Status Litvaniæ 151
Regis Auguſti 182 Ejuſdem pro communi motu 220
Univerſale Regis Sueciæ 198
Univerſale Regis invitans ad confœderationem 264
Univerſale Regis 290
Univerſale pro communi motu. 295
Univerſale Regis ad Rebelles 375
Ejuſdem pro comitijs duarũ ſeptimanarum 489
Univerſale de periculis Regni 536
Aliud ad tollendam confœderationem Majoris Poloniæ 540
Univerſale pro communi motu. 627
Univerſale Stanislai Regis 630
Univerſale Mareſchalci confœderationis 633
Theſaurarij Regni 635
Aliud ejusdem 638
Electi contra Univerſalia Theſaurarij. 640
Primatis pro reaſſumptione Confœderationis. 641
Aliud ejusdem 642
Mareſchalci Confœderationis 645
Czari Moſchoviæ 652
Univerſale Regis Stanislai ingredientis Poloniam 716
Regis Augusti ab adventu ſuo in Poloniam 726
Ejuſdem datum Grodnæ 757
Univerſale Ducis 790
Univerſale Stanislai Regis 803
Mareſchalci Cnfœderationis 806
Primatis 807
Capitanei Samogitiæ 813
Czari 814
Stanislai Regis 815
Palatini Kijovienſis 819
Generalis Suetici Kraſſau 827
Ducis pro comitiolis 835
Stanislai Regis pro conventu. 842
Aliud ejuſdem 848
Univerſale Regis Augusti ad Palatinatus 133
Univerſales Regis Sueciæ 605
Primatis 891
Regis. 892

W

Wyſzniowiecki Princeps queritur de violentia ſibi facta Vilnæ. 114

X

Y

And. Za-

Z

And. Zaſuski Conſilium. 45
Sermo in conſilio poſt-comitiali. 164
Inquirit conſilium à Palatino Culmenſi 205
Convocat Palatinatus Pruſſiæ Mariæburgum. 206
Magiſtratus civitatum 207
Invitat ad Comitiola 208
Cur non poſſit ire Cracoviam. 209
Scribit Capitulo Varmienſi de Contributionibus 221
Petit diminutionem militum. 283 292
Cur nolit concurrere ad Procancellariatum 307
Sermo ejus nomine Pruſſiæ ad Regem 311
Suſcipit ſigillum majus 318
Gratias agit pro ſigillo 313
Significat variis collationem ſigilli 328
Suadet concordiam 388 398
Reginæ ſcribit cur acceptârit ſigillum majus 409
Sermo in conſilio Mariæburgenſi 424
Reſpondet Nuntijs in Comitiis Lublinenſibus 507
Propoſitionem facit nomine Regis 509
Votum ejus in Comitiis Lublini 514
Reſidet Lipſiæ 610
Ibidem in areſto ſcribit ad varios literas Apologeticas 677 & ſeq.
Succincta narratio illorum quæ cum ipſo ſunt acta Dreſdæ 713
Iter ejus Anconam 773
Ibidem ejus arreſtum 775
Iter ejus Romam 786
Reditus in Poloniam 792
Cur non concurrat ad Primatum 828
Sigillum majus ei vult præripere Palatinus Kijovienſis 844
Morbus & mors 906

FINIS TOMI III.

40' 1475354

fi-
109
nsi
124
tiis
507
Re-
509
oli-
514
610
ri-
677
eq-
uæ
713
73
75
56
92
n
8
e-
44
06

Digitized by Google

Digitized by Google